


Ex libris
Josephi Sedlmayr cancel: Fris:

1771

CONCILIA GERMANIÆ,

QUORUM COLLECTIONEM

CELSISSIMI PRINCIPIS

JOANNIS MAURITII,

GLOR^{MÆ} MEM. ARCHI-EPISCOPI PRAGENSIS

SUMPTU

CL. JOANN. FRIDERICUS SCHANNAT

PRIMUM COEPIT,

P. JOSEPHUS HARTZHEIM SOC. JESU P. M.

CONTINUAVIT, ET PRELO DEDIT,

P. HERMANNUS SCHOLL, EJUSD. SOCIET. P. M.

EX HARTZHEMIANIS COLLECTIS

EVOLVIT, AUXIT, AC NOTIS ILLUSTRAVIT.

ad Canon. **TOMUS IX.** Neustift

LAUDATI CELSISSIMI PRINCIPIS MUNIFICENTIA

AD NORMAM ALIORUM

Joseph EXACTUS, DIGESTUS, EDITUS Abbatem

A

P. ÆGIDIO NEISSEN EJUSD. SOC. SACERDOTE.

COMPLECTITUR CONCILIA

AB ANNO MDCX. AD MDCLXII.



COLONIÆ AUGUSTÆ AGRIPPINENSIUM,

TYPO VIDUÆ JOANN. WILHELMI KRAKAMP, ET HÆREDUM CHRISTIANI SIMONIS, Bibliopolarum. ANNO MDCCLXXI.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

PERPETUÆ. GRATISSIMÆQUE.
MEMORIÆ.

REVERENDISSIMI. ET. CELSISSIMI.
DOMINI. DOMINI.

JOANNIS.
MAURITII.
GUSTAVI.

DEI. GRATIA. ARCHI-EPI-SCOPI. PRAGENSIS.


SEDIS. APOSTOLICÆ. LEGATI. NATI.
S. ROM. IMP. PRINCIPIS.

COMITIS. DE. MANDERSCHEID-BLANCKENHEIM.

ET. GEROLDSTEIN.
LIBERI. BARONIS. IN. JUNCKERATH.
DOMINI. IN. BETTINGEN. DAUN. ET. ERP.
UTRIUSQUE. SACRÆ. CÆSAREÆ. NEC. NON. GERMANIÆ. HUNGARIÆ. ET. BOHEMIÆ. REGIÆ. MAJESTATIS.
CONSILIARII. INTIMI. ACTUALIS.
INCLYTI. REGNI. BOHEMIÆ. PRIMATIS.
ECCLESIARUM. METROPOLITANÆ. COLONIENSIS. ET. CATHEDRALIS. ARGENTINENSIS. RESPECTIVE.
PRÆPOSITI. SENIORIS. AC. THESAURARII.
ILLUSTRIS. ECCLESIÆ. COLLEGIATÆ. AD. S. GEREONEM. PARITER. PRÆPOSITI.
NEC. NON. UNIVERSITATUM. COLONIENSIS. ET. CAROLO-FERDINANDEÆ. PRAGENSIS.
CANCELLARII. PERPETUI. AC. PROTECTORIS. &c. &c.
OPERIS. HUJUS. PRIMI. AUTHORIS. ET. MUNIFICENTISSIMI. ETIAM. POST. FATA.
MÆCENATIS.

TOMUM. HUNC. NONUM.
D. D. C.
A. R. S. MDCCLXXI.

Ægidius Neissen S. J.



FACULTAS Rev. P. PROVINCIALIS
CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.



Cum Vidua Joannis Wilhelmi Krakamp, & Hæredes Christiani Simonis, Bibliopolæ Colonienſes, typis vulgare deſiderent Tomum Nonum *CONCILIORUM GERMANIÆ*, *a P. Ægidio Neiſſen, Soc. noſtræ Sacerdote, ad normam aliorum exactum, digeſtum, editum;* Ego infra ſcriptus, ejusdem Societatis in Provincia Rheni Inferioris Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi facta ab Adm. R. P. N. LAURENTIO RICCI, Univerſæ Societatis JESU Præpoſito Generali, iisdem ad primam hanc duntaxat prædicti Tomi editionem facultatem impertio; ſimulque communico Jus Privilegii Cæſarei, quo Bibliopolis ac Typographis interdicitur, ne quis Librum ullum a Societatis noſtræ Patribus conſcriptum, citra conſenſum Superiorum recudere, aut alibi recuſum, intra fines S. R. Imperii inferre præſumat. In cujus rei fidem has iis manu propria ſubſcriptas, ac conſueto officii mei Sigillo munitas, dedi. Coloniæ 20. Aprilis, 1771.



Ignatius Cordes, Soc. Jesu
ad Rhenum Inferiorem p. t.
Præpoſitus Provincialis m.pp.

INDEX

INDEX CHRONOLOGICUS
TOMI IX.
CONCILIORUM GERMANIÆ ET EPISTOLARUM &c. AD CONCILIA PERTINENTIUM.
SÆCULO XVII.
AB ANNO MDCX. AD ANNUM MDCLXII.

1628.

Annus Christi *Pagina*

1660.

FINIS INDICIS CHRONOLOGICI
TOMI CONC. GERM. IX.



INDEX ALPHABETICUS
CONCILIORUM GERMANIÆ
SÆCULI XVII.
AB ANNO CHRISTI MDCX. AD MDCLXII.

FINIS INDICIS ALPHABETICI
TOMI CONCIL. GERM. IX.

CATA-

CATALOGUS ROMANORUM PONTIFICUM

SÆC. XVII.

AB ANNO CHRISTI MDCX. AD ANNUM MDCLXII.

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra S. Petri.*	*Obiit.*
Paulus V. *antea Camillus Burghesius, Romanus.*	CCXXXV.	Anno Christi MDCV. XVII. Kal. Junii.	Annos XV. Menses VIII. Dies XIII.	Anno Christi MDCXXI. IV. Kal. Februarias.

Clarissimis Romæ ortus natalibus a. 1552. XV. Kal. Octobreis, Perusii Philosophiam, Jurisprudentiam Patavii, non sine egregio sub optimis Magistris fructu profectuque didicit. Eum animo paratum & consilio, permagni jure fecerunt duo inprimis Pontifices Gregorius XIV. & Clemens VIII. Ab hoc condecoratus etiam Purpura fuit, præcellentis sui, quem apud Philippum II. Regem in Hispaniis Legatus navaverat, laboris decore ac præmio. Annum porro ætatis tertium agens & quinquagesimum, Pontificias ad Infulas, summa Urbis & Orbis lætitia pervenit.

Secundo statim Regiminis suscepti anno, dum controversiæ de gratiæ Divinæ auxiliis & libero arbitrio, *haud parum celebri, diuque jam agitatæ imponebat silentium,* (a) *gravis ipsum inter & Venetam Rempublicam lis eo exarsit furore ac periculo, ut, nisi maturo flammam illius restinguendam consilio Magnus Galliæ Rex Henricus IV. provide curasset, totam correptura Europam censeretur.* (b) *Promtum sub id temporis, debitumque in Ecclesiæ Caput obsequium Societati JESU caro admodum stetit, Venetiis nimirum, quibus per annos omnino LI. carendum fuit: instigante*

(*a*) Augustinus le Blanc Histor. Congreg. *de auxiliis Div. grat.* Lib. IV. apud Sandinum *in vitis Pontif.* Videri etiam potest Livinus de Meyer S. J. Theol. *in Histor. Controvers. de D. g. auxiliis*, Ed. Brux. typis Antonii Claudinot a. 1715.

(*b*) Spondanus *Annal. Eccles.* Tom. II. in Prolus. ad Sæc. XVII. a. Chr. 1607. pag. 949. Joan. Bussierius *in Flosc. Histor.* P. II. pag. 304. ita de Henrico IV. glorioso pacis illius authore: " Totam Europam flamma rapiebat; nisi Henricus utrique pacis " sequester acceptus, eam composuisset, restincto incendio: Franciæ Regum præ- " judicio (*exemplo*) veteri, quibus tutari Ecclesiam tam avitum est, quam tenere " Regnum; & Pontifices liliis non tam ornare, quam regere."

gante Sereniſſimum Ducem, Senatumque ampliſſimum, ac malis artibus ſuis fallente Paulo Sarpio, ingenii majoris, quam fidei, certe minus tunc exploratæ, homine. (c)

Pontifex in iſto cum Venetis diſſidio, ſui non immemor Paſtoralis officii, Anglos orthodoxos, ne præſcriptæ ſibi ab Jacobo Rege jurisjurandi formulæ ſe adcommodarent, miſſis geminis in Britanniam literis (d) *ſerio hortabatur: ubi Bellarminum, Eccleſiæ decus inclytum, fidelem ſibi ac ſtrenuum adjutorem habuit.* (e)

In exornanda Urbe & Bibliotheca Vaticana, aliisque erigendis magni operis ac ſumtus ædificiis, ut erat Princeps ad ſtuporem liberalis: (f) *ita, quod D. Petri, Apoſtolorum Principis, templo ea, qua hodie fulget, majeſtate (pauca ſi exceperis) admirando prorſus & magnifico* (g) *ſuprema tandem ab ipſo manus acceſſerit, immortalem ſibi famam nominis apud poſteros comparavit.*

Ad Indos, ad Perſas, ad Regnum Conganum, exterasque Regiones alias ablegavit Doctrinæ Evangelicæ Magiſtros Paſtor optimus, & Legatos inde Romam venientes maxima ſemper pietate excepit, juvitque. Franciſcam Romanam *nobilem viduam, &* Carolum Borromæum *S. R. E. Cardinalem Sanctorum Catalogo adſcripſit.* (h) Stanislao Koſtkæ *&* Aloyſio Gonzagæ *Soc. JEſu,* Margaritæ Caſtellanæ *&* Jacobo Veneto *Ord. Prædic.,* Philippo *&* Peregrino *ex familia Servorum B. M. V., nec non* Pio V. *Pont. Max. cultum decrevit ampliorem. Anno 1617. Jubilæum ſacrum, futuram irato Numini publicis in calamitatibus ſupplicationem, prid. Id. Junii promulgabat.* (i)

Deni-

(c) Joſ. Juvencius *Hiſtor. Soc. JESU* Part. V. Lib. XII. a n. 97. & Julius Cordara *ejusd. Hiſtor.* Part. VI. Lib. VI. n. 24. pag. 287.

(d) Unas ſcripſit Pontifex X. Kal. Oct. a. 1606. alteras eod. Kal. a. 1607. utrasque videre eſt apud Bellarminum *Tom. VII. pagg. 641. & 660.* Formulam juramenti *ibid. pag. 641.*

(e) Summa jurisjurandi quæ fuerit, ex Bellarmini laudati Epiſtola (*inter familiares mihi LII.*) ad Georgium Blacuellum, Angliæ Archi-Presbyterum, die 28. Sept. a. 1607. Romæ exarata, pronum eſt cognoſcere. Eadem cum prolixior ſit; unum duntaxat, inde quod excerpſi, ſalubre Gregorii M. (*Lib. XI. Ep. XXIV.*) monitum ætati huic noſtræ ob oculos pono: *Apoſtolicæ Sedis reverentia,* ait magnus ille Angliæ Apoſtolus, *nullius præſumtione turbetur: tunc enim membrorum ſtatus integer perſeverat; ſi CAPUT FIDEI nulla pulſetur injuria.* "Itaque, S. Gregorio teſte, " cum de Primatu Sedis Apoſtolicæ vel turbando, vel minuendo, vel tollendo ſa- " tagitur; de ipſo Capite Fidei amputando, & de totius corporis, membrorumque " ſtatu diſſipando ſatagitur, concludit veriſſime Bellarminus.

(f) Cl. & Exim. Georg. Joſ. ab Eggs *in Pontificio docto* pag. 844. & ſeqq.

(g) Templi Vaticani deſcriptionem edidit Auguſtinus Oldoinus *in adnotat. ad Ciaconium Tom. I.*

(h) Bullarii Tom. III. pag. 234. & 257.

(i) Imitatus ridicule Paulum V. Joannes Georgius, Elector Saxoniæ, Lutheranus, & ipſe annum illum I. ſæcularem eſſe inter Proteſtantes voluit, edito per Theologos ſuos diplomate (*Meteran. Hiſtor. Belg. Lib. XXXIV.*) & nummis tam aureis, quam argenteis cum hac epigraphe: *SÆCULUM LUTHERANUM* 1617. cuſis, divulgatisque, & parentem novitiæ religionis & incunabula & natalem indicantibus. *Spondan. Eggs.*

Denique cum gratularetur (k) *Maximiliano, Bavariæ Duci, Pragensem victoriam a. 1620. VI. Id Nov.* (*die Dominico, quo legebatur in Evangelio:* Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo) *gloriosissime partam; haud procul ab ultimo ipse certamine suo abfuit: anno enim mox consequente istud iniit, felicique confecit exitu a. æt. LXIX. Cadaver III. Kal. Febr. translatum est ad Sacellum, in Exquiliis ab ipso erectum.* (l)

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra S. Petri.*	*Obiit.*
Gregorius XV. *antea Alexander Ludovisius, Bononiensis.*	CCXXXVI.	Anno Christi MDCXXI. V. Id. Febr.	Annos II. Menses V. Dies XXIX.	Anno Christi MDCXXIII. VIII. Id. Julias.

Paulo V., a quo renuntiatus Bononiensis Archi-Episcopus olim fuerat, Patrumque Purpuratorum adjunctus ordini, in Pontificatu successit, familia perillustri & magnorum in utroque foro luminum ferace, a. 1554. Bononiæ natus.

Tuendæ Religionis nostræ ac promovendi cultus Divini solicitudine & studio potius illi nihil, nihil antiquius erat. Turcarum ut frangeret ferocissimos conatus, Catholicamque ad fidem Protestantes reduceret, tum Principum Christianorum fœdus, tum institutam ab se Congregationem de Fide Catholica propaganda *nisus est opponere:* (m) *Lutetiam Parisiorum, a Senonensi divulsam, erexit in Metropolim;* (n) *Sanctis adnumeravit IV. Idus Martias, cum ingenti totius prope Europæ atque Indiarum gratulatione,* Ignatium Loyolam, *Societatis JESU Patriarcham,* Franciscum

(*k*) Literas Maximiliani Bavari ad Paulum V. & hujus ad illum exhibet Cl. Joannes Adlzreitter *Annal. Boic.* Part. III. a pag. 82.

(*l*) Vitam Pauli V. optime, quanquam non sine vitiis, a Bzovio descriptam, & Romæ a. 1625. in fol. editam fuisse, dicit *in Idea plenæ Pontif. Romanor. Historiæ* pag. 419. Christian. Wilh. Franc. Walch, Göttingæ Prof. homo, ut mitissime scribam, laude dignus haud alia, quam quæ ab Alphonso Ciaconio cit. *in Vitis Pontif.* tribuitur Bartholomæo Platinæ his verbis: *Barthol. Platina, Cremonensis . . . conviciator acerrimus multorum Pontificum, quos sola libidine detrahendi, nihil tale promeritos conviciis insectatur, & petulanter atque procaciter mordet & lacerat.* Quanquam ipsa styli sui acerbitate omnem sibi fidem derogat Walchius.

(*m*) Spondanus ad a. 1622.

(*n*) Suffraganeas illi consignavit Ecclesias *Carnotensem, Aurelianensem,* & *Meldensem,* Senonensi antea subjectas. Primum nova Metropolis Antistitem habuit virum nobilem, pium, industrium, *Joannem Franciscum Gondium,* Petri Cardinalis nepotem & Henrici pariter Cardinalis fratrem. Hodie eidem Metropoli præest Christophorus Bellomontius (*de Beaumont*) defensor Religionis orthodoxæ impavidus, scientiarum præsidium, speculum Cleri, Galliæ decus, Præsul utraque fortuna major, Vir numeris omnibus absolutus, cujus fama nunquam delebitur.

ciscum Xaverium, *Indiarum Apostolum*, Philippum Nerium, *Congregationis Oratorii Auctorem*, Isidorum *agricolam*, & Theresiam *virginem*, *Carmelitarum Discalceatorum Fundatricem.* (o) *Festum* S. Annæ, *Deiparæ Matris*, *observari de præcepto*, & S. Joachimi *sub* Officio duplici *celebrari jussit. Est ipse, cui Religiosissimus ac florentissimus Benedictinorum Ordo celeberrimum debeat, Romæ ad S. Cæciliæ sub D. Petri Apostoli patrocinio,* Gregorianum *quod hodie audit*, *Collegium.*

Marcum Antonium de Dominis, *Archi-Episcopum Spalatensem, suum quondam condiscipulum, post vero infelicem fidei desertorem, qui librum in Anglia edidit* de Republica Christiana *inscriptum atque erroribus quam plurimis* (p) *refertum, ad saniora revocavit:* (q) *Decessoris sui Pauli V.* de Conceptione B. M. V. *amplificavit Decretum; Maximiliano, Bavariæ Duci,* de quo supra, *ad Septemviratum Rom. Imperii, quo dignitate se fecerat Fridericus, Comes Palatinus, ob rebellionis crimen indignum, maximo rei Catholicæ bono est suffragatus.* (r) *Denique expetitum ab omnibus, tentatum a multis, atque a nemine perfectum* de Romano Pontifice per secreta, *ut modo fit*, suffragia creando *diploma conscripsit ipse ac publicavit.* (s)

Hæc breve intra spatium ejusdem ferme anni 1622. postquam gesserat immortalis memoriæ Pontifex, & nostra de Societate bene merentissimus; acuta eum febris, plura meditantem, transcripsit æter-

(o) "Apotheosin illam non unæ flagitabant Cæsaris, Regum ac Principum literæ; urgebat Cardinalis Ludovisii pietas; & quotidiana pene prodigia suadebant," scribit *in Histor. Prov. Rhen.* Soc. Jesu Tom. I. Lib. XV. C. XIII. pag. 531. cultissimæ vir latinitatis, Fridericus Reiffenbergius, a quo citantur Ferdinandus II. Imp., Ludovicus XIII. Rex Galliæ, Joannes III. Lusit. Rex, Maximilianus Bavarus & Wolfgangus Neoburgicus, sacræ illius celebritatis fautores.

(p) Ex libro *Marci Antonii* erutæ quinquaginta turpissimæ hæreses & a Sorbona notatæ. Librum refutarunt *P. Martinus Becanus* Soc. Jesu, *P. Zacharias Boverius* Capucinus, egregia sua parænesi. Scripserunt de illius gestis Gregor. Letus *in Theat. Brit.* Tom. IV. & Bocalinus *in Bilanc. Polit.* Tom. III.

(q) Recidit damnatos in errores a morte Gregorii, ideoque ab Urbano VIII. carceri fuit inclusus, in quo diem supremum obiit a. 1625. datis, ut referunt passim Historici, cordis vero dolore contriti argumentis: quanquam cadaver ipsius una cum impiis scriptis, non diu post, dictante in relapsum hanc pœnam, quo alii terrerentur, Inquisitione, in Campo Floræ combustum est manu carnificis. *Spondanus*, *Sandinus*, *Eggs* &c. "Dedecta postmodum hominis (*Marc. Antonii*) impietate ac flagitiis gravioribus, quæ dum viveret, tenebris involvere studuerat, infelices reliquiæ tumulo erutæ, & in ipso Floræ Campo, quæ Urbis platea celebratissima, cum scriptis exustæ sunt." *Juvenc. cit. L. XXV. pag.* 915.

(r) De creatione Maximiliani S. R. I. Electoris & Archidapiferi: nec non de inauguratione, Adlzreitterus cit. Part. III. Lib. VIII. Fragmentum literarum, quibus novam Bavaricæ gloriæ accessionem eidem Maximiliano gratulabatur Gregorius Pont. Max., *Vide l. c. pag.* 114.

(s) Utrumque Religionis polum a Gregorio XV. egregie stabilitum tum in Germania, tum in Italia ea tempestate fuisse, vir & purpura & meritis amplissimus, Eggsio teste, verissimo cum elogio quondam adfirmabat.

æternitati, ſeptuageſimo ætatis anno. Mauſoleum ipſi, ejusque ex fratre nepoti Cardinali Ludoviſio, qui D. Patriarchæ noſtro Templum perelegans Romæ condiderat, eadem poſuit memor beneficiorum Societas. (t)

Nomen & Natio.	*Ordo Succeſſionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra S. Petri.*	*Obiit.*
Urbanus VIII. *antea Mapheus Barberinus, Florentinus.*	CCXXXVII.	Anno Chriſti MDCXXIII. VIII. Idus Auguſti.	Annos XX. Menſes XI. Dies XXIV.	Anno Chriſti MDCXLIV. IV. Kal. Auguſti.

Vir eruditiſſimus & ſuprema Orbis Catholici Sede multo digniſſimus eligebatur octavo Comitiorum die, pulcra eligentium Patrum, miro fors evento (u) *excitatorum conſenſione. Primam is lucem adſpexit Florentiæ a. 1568, patre Antonio; matre Camilla Barbadora, parentibus virtute non minus, quam genere claris editus. Romano apud Soc. JESU Patres in Collegio politiores hauſit diſciplinas & quanto vel tum præſtaret, quamque idoneo Poëticæ inprimis facultati ingenio, diverſa, quæ annis labentibus felice vena & erudita fudit, poëmata ſatis docent.* (x)

Ad Pontificiam dignitatem non alio, quam ſcientiarum, virtutumque auxilio (y) *evectus*, malle ſe, *dixit*, in ſtatione *juxta aram, ubi de genibus in re tam ardua, æterno ſeſe Numini commendabat*, mori millies, quam DEO, Eccleſiæ, Gregi, & Reip. vel momentum inutilem vivere aut indecorum. (z)

Anno Pontificatus ſui tertio, Chriſti 1625. Jubilæum Romæ ex lege Pauli II. Pontif. Max. obivit, ac Ladislaum, Regis Poloniæ

(*t*) "Corpus (*Gregorii XV.*) poſt aliquot annos translatum eſt e Baſilica Vaticana ad S. " Ignatii, ubi commune ſepulcrum eſt familiæ Ludoviſiæ. Viſitur ibi nunc Mau- " ſoleum opere inſigni. &c. Utque uno velut obtutu admonearis de duobus maxi- " mis & immortalibus beneficiis, quæ illis debet Societas, inter utriuſque (*Pon- " tificis & Cardinalis*) loculos e lecto marmore & ſimulacra pulcherrima, legitur " aureis literis lemma: *Alter Ignatium aris; alter aras Ignatio.*" Cordara *Hiſt. Soc. JESU* cit. Part. V. Lib. VIII. ad annum Chriſti 1623.

(*u*) Ferunt, Comitiorum, dum in Vaticano agebantur, tempore examen apum in Tuſcia Romam advolaſſe ac ſupra feneſtram cellæ Maphei Cardinalis Sedem ſuam fixiſſe. Sed enim & oriundus erat e Tuſcia Mapheus & in ſcuto ipſius gentilitio apes pro inſigni viſebantur. Fuit quoque, ad clavum Chriſtianæ Reipubl. cum ſederet, clementiæ ſeveritatem, ſeveritati clementiam admiſcendi peritus ſimul ac ſtudioſus; ſeſeque bonis *melleum*, *aculeatum* malis exhibuit.

(*x*) Cl. Eggſius *in Pontificio docto* pag. 867.

(*y*) "Si quis, *ſcribit cit. Hiſtoricus*, adjumenta quærat, quibus ceu gradibus ad id faſti- " gii conſcenderit Urbanus; alia profecto non reperiet, niſi vitæ probitatem, mo- " rum innocentiam, latiſſimam literarum ſingularum cognitionem, exactiſſimam " juris ſcientiam &c."

(*z*) Idem Cl. Scriptor *eod. Op.* pag. 861.

niæ primogenitum, & Leopoldum, Auſtriæ Archiducem, Religionis cauſa eo profectos ſplendido excepit, coluitque adparatu. (a) *De Pace interim ſummos inter Europæ Principes atque Aulas potentiſſimas procuranda, quod certiſſimum noverat eſſe & Eccleſiæ & Imperii columen, nunquam non ſolicitus.*

Beatis adcenſuit Andream Avellinum, *Ord. Clericorum Regul. Sacerdotem,* Felicem Cantalicienſem, *Capucin. Fr. Laicum,* Mariam Magdalenam, *Florentinam e Pactiorum gente,* Ritam, Cajetanum Thienæum, *Congreg. Cler. Regul. Theatin.,* Franciſcum Borgiam, *Gandiæ Ducem, Ill. Soc. JESU Præpoſitum Generalem: Sanctorum vero in album retulit* Andream Corſinum, *Ord. Carmelit. Feſulanum Epiſcopum,* Eliſabetham, *Luſitaniæ Reginam, ſex denique & viginti Japoniæ Martyres: e quibus tres, videlicet* Paulus Miki, Joannes de Goto, & Jacobus Kiſai *inſtitutam ab Ignatio Loyola Societatem mirifice colluſtrarunt.* (b)

Accepit ab Urbani munificentia ſuum Roma ſplendorem; ſuam ditio Pontificia ſecuritatem. Templum Vaticanum ritu ſolenni conſecravit; Sepulcrum Apoſtolicum mole decoravit ærea; (c) *Archigymnaſium, quod* Sapientiam *Quirites vocant, ampliavit; erexit a fundamentis Collegium de propaganda Fide,* Urbanum *inde nuncupatum; in luſtricum Conſtantini M. Imperatoris religioſiſſimi, fontem auro, tabulisque affabre pictis totum quodammodo ſeſe effudit.* (d) *Novis porro Hadriani molem operibus munivit; muris ac propugnaculis cinxit Leoninam urbem;* (e) *in agro Bononienſi arcem, cui* Urbanæ *nomen, munitiſſimam condidit; portum Trajani Imp., multis fatiſcentem locis refecit, atque ad prima veluti originis ſuperbæ decora, Centumcellis plaudentibus, revocavit.* (f)

Bibliotheca Vaticana, quam pretioſis locupletavit græcis MSS. Codicibus, Breviarium ac Pontificale Romana, quæ emendavit, Martyrologium, quod ſua perluſtratum authoritate publici juris fecit, monumenta ſunt & ſcientiæ, qua excelluit, & ſingularis, quam dedit priſtino reddendis nitori rebus ſacris, induſtriæ. Pauperum ut conſuleret difficultatibus, plures Feſtos dies abroga-

(*a*) Spondanus *Annal. Eccleſ.* Tom. II. ad hunc annum N. 1. pag. 973.

(*b*) Tannerus *in Societate JEſu ad ſang. & vitæ profuſ. militante* a pag. 258. Juvencius *in Hiſt. Soc.* P. V. L. XX. a pag. 596. ad 604.

(*c*) Unde, qua indoctam nonnulli plebem ludificantur, ineptia eſt ac puerilis ſententia: *Quod non fecerunt Barbari, fecerunt Barberini.* Nihil enim ab his injuriæ Antiquitatibus Romanis illatum eſt. *Sandin.*

(*d*) " Diceres, *verba ſunt Eggſii*, quadam fortunæ induſtria fontem deformatum, quo " ornatior reſurgeret. Tantus equidem eſt ejus hodie ſplendor, ut præter aurum, " tabulas bene pictas & marmora nitidiſſima videas nihil. "

(*e*) Sandinus *in vita Leonis IV.* pag. 267. (*f*) Eggſius cit. pag. 865.

rogavit; (g) *& Cardinalium, quos septuaginta quatuor creasse fertur* (h) *dignitatem novo aucturus titulo, sancivit, ut qui antea Illustrissimi, posthac* Eminentissimi *adpellarentur,* (i) *admissis in honorifici nominis societatem, cum Magno Ordinis Melitensis Magistro, tribus S. R. I. Septemviris Ecclesiasticis.* (k) *Obiit anno ætatis LXXVII. Pontifex a Poësi, a Philosophia, a Theologia & ab Historia instructissimus,* (l) *Doctor sapientissimus, Princeps temperatissimus, æquissimus, sanctissimus.*

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra S. Petri.*	*Obiit.*
Innocentius III. *antea Joannes Baptista Pamphilius, Romanus.*	CCXXXVIII.	Anno Christi MDCXLIV. XVII. Kal. Octobris.	Annos X. Menses III. Dies XXIII.	Anno Christi MDCLV. VII. Id. Januarii.

Nonis Maji anno R. S. 1574. e stirpe, ob virorum toga, sagoque illustrium multitudinem commendanda, (m) *trahens originem, numerabat annos jam pene duos & septuaginta, cum a purpuratis Patribus LVI.* (n) *Conclave ingressis ad Summi Pontificatus fastigium eveheretur. Hinc certis mox argumentis vigilantiam suam, & Religionem; Apostolicam vero præprimis fortitudinem Orbi commonstrabat. Egenorum enim solatio, judiciorum æquitati, honestati Clericorum, omniumque Ordinum integritati consuluit. Litteras circumquaque misit plenas consilio, pietate ac sapientia, quibus aleret inter Principes Christianos concordiam & heterodoxorum audaciam, sociis illis & adjutoribus, retunde-*

(*g*) Tom. IV. Bullar. pag. 230. (*h*) Walchius cit. L. VIII. C. 1. A. 1. Adnot. 2. pag. 422.

(*i*) Spondanus ad a. 1630. Exiit Bulla mense Julio. " Moguntinus & Trevirensis Ele-" ctores oblatum ultro splendidi nominis titulum cupide admisere: quo evecti " discernerentur ab aliis Illmis Principibus. Ferdinandus Coloniensis pro Succes-" soribus, si vellent, acceptans, pro se respuit, satis honoratum se credens, dis-" cretumque a minorum familiarum Antistitibus, imo Cardinalibus, si SERENIS-" SIMI nomen a Cæsarea, Regiaque Bavarorum stirpe acceptum, usurpare per-" geret." Ita Turckius *in Annalibus Germaniæ ad Rhenum MSS. ineditis.*

(*k*) Vetuit eadem occasione Urbanus, ne, præter Reges & Senatum Venetum, aliter deinceps auderet quisquam Cardinales adpellare.

(*l*) "Floruit Poësi & Philosophiæ laude: princeps fuit in Jure: sacras linguas apprime " calluit: Theologiam pervasit: Græcos, Latinosque Patres evolvit ac compre-" hendit: orationis facundia & historica cognitione nemini cessit." *Ex Oldoino Eggsius cit.* Consuli etiam poterit Allaccius *in suis Apibus Urbanis.*

(*m*) De gentis Pamphiliæ origine & præstantia laudatus Eggsius, & apud eum Oldoinus *in addit. ad Ciacon.*; Ludov. Jacobillus *Tom. III. Sanctorum Urbriæ in vita B. Ludolphi*; Vincent. Armannus Eugubinus *in Catalogo Virorum illustrium suæ patriæ*; Anton. Bagata *in vita Innocentii X.* &c.

(*n*) P. Gregorius Kolb *in Serie Roman. Pontificum* pag. 363. scribit, consensisse in Joan. Bapt. Pamphilium Cardinales LXVI.

tunderet. Legationes quoque pretiosas, ubi res postulabant, litteris adjunxit. Fortem sese in sustinenda tum authoritate Pontificia, tum Ecclesiastica Immunitate praestitit: id quod experti praeter audaciores quosdam (o) *sunt Neapolitanus Prorex,* (p) *& Gaufridu Marchio, locum Parmensi in aula tum principem tenens.* (q)

A Ferdinando III. Imp., Philippus Christophorus Archiep. & Elector Trevirensis ut decennali e custodia in libertatem assereretur, impetravit. (r) *Religionis accensus zelo, Pacem Westphalicam nono Kal. Nov. a. 1648. obsignatam, ceu probrosam Imperio, & rei Christianae noxiam, pro gravissimi, quod obibat, muneris sui ratione quam constantissime aversabatur.* (s) *Periculosum damnavit Arnaldi librum* (t) *& propositiones quinque famosas ex Corn. Jansenii Ypensis Episc.* Augustino *depromtas;* (u) *Venetis bello Cretico, quod ipsos XXV. annos tenuit, contra Turcas implicitis, triremes suas misit auxilio; Acatholicorum pariter molitionibus, in Anglia, Scotia, & Hibernia ferventibus* (x) *generose obstitit, laetum initio Apostolicae cursum operae Cromvello, impio parricida apud Anglos, sufflaminante.* (y)

Eluxit porro Magni hujus Pontificis in revocandis e Gallia Barberinis Cardinalibus justitia (z)*; in abigendis, ex Tyberis inundatione & caritate annonae profectis, Populi Rom. calamitatibus studium* (a)*; in exornando magnis sumtibus Vaticano, in aede sacra D. Agneti V. Martyri condenda, in alveo, Ravennae utilissimo,*

(o) Laeserant illi Majestatem Pontificiam in Lusitani Cleri Delegato. Primipilus eorum, ut esset clarus sanguine & dignitate praefulgens; Urbe tamen egredi ab Rege Catholico jussus.

(p) Ob similem ferme insolentiam ab administratione Regni Neapolitani is amovebatur, etsi caetera tum Regi, tum Principibus Italiae percarus.

(q) Marchio hic, necis iniquissimae, Christophoro Giardae *Castri* urbis Episcopo illatae autor, ut capite plecteretur, Innocentius pro justitia sua effecit. Vid. Eggs *in Pontificio docto.* Idem de facto Marchionis & exitu *in Purpura docta* Lib. VI. n. 85. pag. 486.

(r) Eggs, Kolb, Brietius *in Annal. Mundi* edit. Viennae in Austria a. 1727. in 8. pag. 592.

(s) Vapulat acerrime eam ob rem ab Hübnero, Walchio, & reliquis Acatholicis innocentissimus Pontifex: cujus Diploma, adversus Pacem illam publicatum, extat apud Bougeant *Hist. de la Paix de W.* (*ZELO DOMUS DEI &c.*) Bullar. Tom. IV. Part. III. pag. 269.

(t) Liber iste e Gallia prodierat anonymus, cum hoc titulo: *De magnitudine Ecclesiae Romanae & Ss. Petri & Pauli Pontificatu*, in quo omnimoda amborum contendebatur aequalitas. Errorem damnavit Pontifex; & refutarunt viri non aestive docti Augustinus de Bellis, Theophil. Raynaudus, Isaccus Habertus, Petrus de Marca. Vid. Biner *in Apparatu Eruditionis* Part. XI. C. XXVIII. A. VII. pag. 335.

(u) Cl. Eggs *in Purpura docta* Lib. VI. n. 44. a pag. 393. & seqq.

(x) *Pontificium doctum* ejusd. Cl. Scriptoris pag. 876.

(y) Idem l. c. Et Chronica universalia passim.

(z) Cognita eorum innocentia ac probitate, quotquot de familia erant, quamprimum omnes revocavit, fovit, dilexit Innocentius.

(a) Fuse haec apud eundem Scriptorem *in Pontif. docto.*

lissimo, ad colophonem perducendo (b) *munificentia, prudentia, pietas.*

Hos inter labores postquam & a. 1650. Jubilæum Magnum, a Bonifacii VIII. restauratione XIII. (c) *celebrarat, ut cum maxime lætus glorioso plurimorum in Germania Optimatum* (d) *ad Fidem orthodoxam reditu, sensit cum ætate, quam ultra annos octoginta exegit, tantam valetudinis suæ inclinationem, ut Divino pasci epulo, sacroque ceromate, supremum inungi vellet. His instructus salutis nostræ auxiliis, a purpuratis PP. quos eo fine ad se evocaverat, de suis in officio piaculis flagitavit veniam, & eorum se precibus, jugique Ecclesiam præsidio commendavit. Nec multo post, adsistentibus sibi binis Cardinalibus, Fabio Chisio & Dezio Azzolino, ac P. Joanne Paulo Oliva, sacrotum Oratore, Societatis JESU porro XI. Generali Præposito, extremos anhelitus sanctis in DEUM adfectibus præeunte, inter varia sinceræ pietatis specimina, suam Procreatori DEO animam VII. Id. Jan. reddidit, sepulcrum in Vaticano temporarium nactus, Pontifex Optimus Maximus apud omnes, si eos* (e) *exceperis, quorum e laude contemtus, e contemtu laus nascitur.*

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra S. Petri.*	*Obiit.*
Alexander VII. *antea Fabius Chisius, Senensis.*	CCXXXIX.	Anno Christi MDCLV. VII. Idus Aprileis.	Annos XII. Mensem I. Dies XV.	Anno Christi MDCLXVII. XI. Kal. Junias.

Natus

(*b*) Ad Ravennæ portam, qua meant navigia, hæc legitur inscriptio:

INNOCENTIO X. PONT. MAX.

Columba (*) *novum mare; Columbus novam terram invenit.*
Neptunus Cereri; naves succedunt aratro:
Ubi olim Neptunus Cereri; naves cesserunt aratro.

ANNO MDCLIV.

(*) Columba, olivam rostro tenens, insigne Pamphiliorum.

(*c*) Bonifacius VIII. decrevit celebrandum esse Jubilæum centesimo quoque anno; Clemens VI. quinquagesimo; Urbanus VI. trigesimo tertio; demum Paulus II. quinto & vigesimo. Sandinus *in vit. Pontif.* pag. 443. & 444.

(*d*) Juvat hic loci, ad perennem Religionis, Germaniæ & familiarum gloriam, splendidissimos eorum recensere. Fuerunt Odoardus, Comes Palatinus; Ulricus, Dux Wirtembergicus; Dux Holsatiæ Juderburgensis; Joannes Fridericus, Dux Brunsvicensis & Luneburgensis; Fridericus, Hassiæ *Landgravius* Darmstadianus, postea Cardinalis; Ernestus, *Landgravius* Hassiæ Casselenentis, cum uxore Eleonora Maria Solmensi; Philippus Guilielmus, Neoburgicus, cum conjuge Elis. Amal. Magdal. Darmstadiana; Christoph. Ranzovius, Eques Holsatus; Wolfg. Frid. Hoffmannus, Baro Moravus; Erardus, Comes Truchsesius. His adnumeranda venit Christina, Sueciæ Regina, quæ Fidei nostræ veritatem & docta & amplexa, Romam petiit. P. J. Kraus S. J. *in Exemplis Conversionum.*

(*e*) Hübner, Walch, & alios, qui Ecclesiæ Rom. Catholicæ adversarios se protestantur.

Natus Id. Febr a. 1599. in celeberrima Hetruriæ urbe & a femina lectiſſima Laura Marſilia ad omnem pietatem; a Celſo Citadino, præcellentis ingenii atque exiſtimationis viro, ad omne genus ſcientiarum (f) *quam diligentiſſime inſtitutus, debitam ſummis virtutibus ac laboribus, pro DEO & Eccleſia exhauſtis, palmam non ante retulit, quam ſummus ipſi in terris honor tanto deferretur LXII. ſuffragiorum concentu, quanto per annos omnino trecentos ulli. Fertur de Fabio dixiſſe Regis Suecorum frater, totum converſum iri Septemtrionem, ſi Chigius renuncietur, Pontifex. Jamtum vel in una Pace Monaſterienſi, quanta eſſet animi fortitudine & conſtantia, Apoſtolicus ad Rheni tractum & Inferioris Germaniæ Provincias Legatus palam fecerat.* (g)

Sic adiit Pontificatum, ut nemo ſanctius; nemo inter ſpes fortunati imperii ampliores. In aræ meditulio, ubi Corpus Chriſti & Sanguis conficitur, ſedere pro modeſtia ſua & animi demiſſione recuſabat; ſe eſſe mortalem ne oblivіſceretur (quod quidem in tanta ſupremæ dignitatis luce accidere mortalibus poſſit) extructa ſibi ab ipſis regiminis ſui incunabulis ſepulcrali urna, extremas meditabatur conditionis humanæ vices ac fata; pauperes vocitare Nepotes ſuos aut affines geſtiebat, Chriſtum in iis ſuum aſſidue reveritus, totoque pectore complexus. (h) *Documento eſt, quod proprium ſibi ſymbolum eſſe voluit Gentium Doctoris apophthegma:* Vivo jam non ego; vivit vero in me Chriſtus.

Sueciæ Reginam (de qua ſupra) *unicam Guſtavi Adolphi in hiſtoriis nominatiſſimi filiam, abdicato annis florentibus Regno, & erroribus publice Oeniponti* (i) *ejuratis, Romam e Belgio venientem, pompa vere Regia excepit.* (k) *Adjuvit pecunia & milite Remp. Venetam adverſus Turcas: Leopoldo I. Imp. contra eosdem; Carolo Emmanueli Sabaudiæ Duci contra Waldenſes; Caſimiro Regi Poloniæ contra Suecos plurimis præſto fuit ſuppetiis.*

Erat

(*f*) Erat Alexander VII. in Poëſi, Rhetorice, Hiſtoria, Philoſophia, Theologia & Jurisprudentia ad ſtuporem verſatus. Operum ab ipſo editorum catalogum exhibet *in Pontif. docto* Cl. Eggs pag. 889.

(*g*) Joannes Palatius *in Vita Alexandri VII.* n. 4. Porro de pace Weſtphalica conſuli queunt Bougeant *Hiſt. de la Paix de Weſtph.* (quem notis inſtruxit Everh. Rambach) Londorp *in Act. publ.*, Laurent. Forerus S. J., Ignatius Schwartz *in Colleg. hiſtor.*, ubi P. V. a pag. 493. Herman. Conringium, ſub *Irenæi Eubuli* nomine occultum, egregie refutat.

(*h*) Brietius *in Chron. univ.* ad a. 1655.

(*i*) Sandinus ait: *Bruxellis;* forte, quod plenam in Belgio hauſiſſet Religionis noſtræ doctrinam, ibique, quod palam in Tiroli, clam modo præſtitiſſet.

(*k*) Miſerat jamtum antea virum ætate ſua clariſſimum, Lucam Holſteinium ad ipſos uſque Germaniæ fines obvium, Reginam ad Urbem qui invitaret. Tum præmiſſis quatuor Apoſtolicis Nunciis ac duobus a latere Legatis Carolo Mediceo, ac Friderico Haſſiæ *Landgravio*, Cardinalibus, ipſe venientem in Æde Vatic. excepit. *Eggs.*

Erat poſt Deum ſingulari prorſus ſtudio Beatiſſimæ Dei Matri addictus: cujus gloriam ſimul & cultum toto amplificaturus Orbe Catholico, vetuit VI. Id. Dec. a. 1661. ſeveriſſime, ne quis contrariam de Immaculato ejusdem Virginis Conceptu *ſententiam deinceps tueretur.* (l) *Janſenii Propoſitiones, ab Innocentio X. a. 1653. pridie Kal. Jun. damnatas, nova & ipſe Conſtitutione, quo novas variorum elideret machinationes, omnemque Atheiſmo ipſi, ad quem ducit Janſeniſmus* (m) *viam obſtrueret, a. 1656. XVII. Kal. Nov. damnavit.* (n) *Honores decrevit cœleſtes* Thomæ de Villanova, *Valentino Archi-Epiſcopo, &* Franciſco Saleſio, *Epiſcopo Genevenſi:* (o) *quocum gloriari Alexander poterat, honores ſe in Repub. Chriſtiana, honoris ambiendo nihil; nihil laboris recuſando, conſecutum fuiſſe.* (p)

Serviit maxime Poſteritati & idcirco cum Optimis Pontificibus comparandus, quod recondendis magni momenti Apoſtolicis literis, palatim quoddammodo inter familias hucusque volantibus, certum in Palatio Vaticano, tutumque locum deſignavit, & pro ſacrarum Congregationum monumentis tabularia, quot erant opus, conſtruxit.

Argumentum pro colloquiis Alexandro perfrequens, teſte Oldoino, hiſtoria ſacra & vetus Eccleſiæ diſciplina. Antiquos Codices magno conquirebat labore, nullo tam barbaro aut exoleto charactere,

---

(*l*) Tom. V. Bullar. pag. 347.

(*m*) Le Janſeniſme dévoilé, ou JANSENIUS convaincu d'atheiſme. Opus hoc, ſolutum typo a. 1736. in 4, tres complectitur partes. Prima ſolidiſſimis, imo evidentibus argumentis demonſtrat ideam Dei (*primum illum & capitalem totius catenæ* Janſenianæ *annulum & veram doctrinæ clavem*) in Yprenſis *Auguſtino* eſſe a vera Dei veri notione quam longiſſime remotam: cum, quæ inde fluunt conſequentiæ, a vera Religione abſint penitiſſime.

Habet hæc Pars *paginas* 145., & agit de rebus ad Religionem ſpectantibus, nimirum de Myſteriis, de Sacramentis, de Fide, de gratia &c.

Secunda Pars explicat latentem in Syſtemate Janſeniano materialiſmum animæ humanæ, & oſtendit, duo eſſe ex opinamentis Janſenii, quibus ceu machinis anima hæc materialis impellitur, movetur, agiturque: charitatem nempe aut cupiditatem. *Paginas numerat* 152.

In tertia Parte ob oculos ponitur Janſeniana de quovis naturæ humanæ ſtatu doctrina. *Conſtat paginis* 144. Totum porro opus ejusmodi eſt, ut ſumma Scriptoris anonymi vis ingenii, pari conjuncta cum ſtyli modeſtia atque animi moderatione, ubivis eluceat. Adjungi huic operi meretur & aliud, quod ex gallico latine redditum, typis Wagnerianis Aug. Vind. & Frib. Brisg. a. 1766. prodiit in 8. & inſcribitur: *Veritas conſilii Burgofonte initi, ex ipſa hujus executione demonſtrata.*

(*n*) Tom. VI. Bullar. Conſtitut. 136. apud Biner *in Appar. Erudit.* P. XI. pag. 338.

(*o*) Conſcriptas ab eo rite vivendi ac regendi regulas maximi fecit Alexander. Kolb *in Serie Rom. Pontif.* pag. 367.

(*p*) In ipſo Comitiorum æſtu non ſolum rejecta fuiſſe ab Alexandro, quæ offerebant Suffragatores, ſtudia; verum & alienandorum a ſe illorum occaſiones ſtudioſe ipſum quæſiviſſe, teſtatur Eggſius. Porro Cardinalibus, diem aditi Pontificatus pro more gratulantibus, reponebat Virgilianum illud: *Dies, quem ſemper acerbum, ſemper honoratum (ſic vos voluiſtis) habebo.*

ctere, quem non assequeretur; ex iisque magna cum voluptate, ad illustrandam obscuriorum temporum eruditionem, plura colligebat. Delectabatur Virorum literatorum (q) *consuetudine, literarum ipse & omnium artium decus splendidissimum.*

Obiit post acutissimos ex renum malo, quicum luctatus dudum fuerat, toleratos magno animo dolores, anno ætatis LXVIII. postquam sacro Cardinalium Collegio gravi pro more suo oratione Sedem commendasset Apostolicam, & eos, ut deligerent idoneum sub istas temporum procellas, Ecclesiæ moderatorem, contestatus lacrymando fuisset.

Fortitudinem porro Alexandri ex illo cum Gallia ob læsum a Corsis militibus Crequium Ducem, Romæ Legatum dissiaio; (r) *licuit cognoscere. Ejusdem vero prudentia & dexteritas nunquam elucescebat augustius, quam cum Societatem JESU, soluto, ut sic loquar, inexplicabili multis Pontificibus* (s) *nodo, in omnem ditionem Venetam a. 1657. reduxerit.* Opus, *inquit Brietius,* (t) & Pontifice & Alexandro Pontifice dignum.



IMPE-

(q) Principe inter hos loco nominandus venit Ferdinandus Fürstenbergius, Episc. Paderborn., Poëta eximius, ad quem viginti Hexametra *de forma & statu Conciliorum* elegantissima ex ipsomet Conclavi scripsit. In pretio quoque Alexandro & amoribus erant *cum divinissimo suo de actis Sanctorum opere* Scriptores S. J. Antverp.

(r) Originem hujus dissidii, progressum & finem legere est apud J. Palatium cit. *in vita Alexandri VII.* n. 11. & apud Cl. Eggsium *in Purp docta* L. VI.

(s) Vid. Cordara *l. supra c.* Alexandri VII. fortunato sidere, in Serenissimæ Reipubl. gratiam revocatos esse Societatis homines a. 1657. cum, ut antea restituerentur, effici nullo pacto potuerit, scribit Juvenc. *in Histor. Soc.* P. V. L. XII. pag. 101.

(t) Tom. VII. *Annal. mundi* seu *Chron. univers.* pag. 642. Eadem ferme apud *Juvenc. cit.* qui pag. 107. rem omnem hoc claudit epiphonemate: " Sic magna Alexandri " VII. gloria, nec minori laude ac beneficio Reipublicæ; maxima Italiæ ac totius " Orbis Christiani gratulatione, Societas JESU Reip. Venetæ anno MDCLVII. " feliciter est restituta."

IMPERATORES OCCIDENTIS

AB ANNO MDCX. AD MDCLXII.

SÆCULI XVII.

MATTHIAS.



RUDOLPHI II. Imp. poſt vitam cœlibem humanis rebus exemti, & Frater (*ut memini Tom. præc.*) germanus & Succeſſor, omnium, ſi Brandenburgicum exceperis, Electorum voto Francofurti ad Mœnum a. M.DC.XII. 3. Junii (*a*) renunciatus, coronatusque die ejusd. menſ. 14. fuit, Diadema Cæſareum ei imponente Joanne Swicardo (*a Cronenburgh*) Mogunt. Archi-Epiſcopo. (*b*) Anna Regina, Ferdinandi Archiducis, Tyrolenſis Comitis filia, novi Imperatoris conjux, quam duxerat Viennæ in Auſtria menſe Decemb. a. M.DC.XI., biduo poſt eodem adparatu ſolemnia Imperii capeſſivit.

Natus erat Matthias Viennæ a. M.DC.LVII. 24. Febr. (die, quam Caroli V. magni patrui natales illuſtrem olim Gandavi fecerant) & Sceptro præludere jamtum a teneris viſus; cum in ipſo ætatis ſuæ flore, annorum haud amplius duodeviginti Princeps, ob eximias animi dotes ad ſupremam Belgii gubernationem evocaretur. Quam ille provinciam uti, Rudolpho fratre Imp. ac Maria matre invitis, accepit a. M.D.LXXVII.: ita perſonato potius, quam vero quatuor duntaxat annorum cum Imperio adminiſtravit, e Belgio reverſus in Germaniam, relicta Alenconio, Galliæ Regis fratri perſona, eodem in theatro nec diutius, nec felicius ſuſtinenda. (*c*)

Meliorem poſtea fortunam inter arma expertus, Belliducem ſeſe præſtitit & ſcientia rei militaris & fortitudine & felicitate multo clariſſimum: cui Polonicam Coronam, a Stephano Bathoro ad a. M.D.LXXXVII. defuncto poſitam, ex iis, qui genti Auſtriacæ cupiebant, tum optimus fere & graviſſimus quiſque, Cl. rerum Polon. Scriptore teſte, (*d*) faveret.

(*a*) Lotich. *Rer. germ.* L. II. aliique *ſtyl. vet.* electum ſcribunt 13. & coronatum 24. Junii. Morem ſcribendi: $\frac{3}{13}$. $\frac{14}{24}$. amant hodie Recentiores, maxime Acatholici.

(*b*) Matthiam à Moguntino redimitum corona, ſcribit *in Annal. MSS.* Türckius: cum Colon. Archiepiſc. Ferdinandus ſacris nondum eſſet Ordinibus initiatus. De cetero extat, quantum ad jus coronandi, tranſactio Moguntinum inter & Colonienſem die 25. Jul. a. 1657. ſancita: ut obſervat P. Adrian. Daude S. J. *in Majeſt. Hierarch. Eccleſ.* P. I. pag. 237.

(*c*) Fam. Strada *de Bello Belg.* Dec. II. Lib. IV. pag. 137. Hugo Grotius *in Annal. de rebus Belg.* Lib. III. pag. 71.

(*d*) Rheinh. Heidenſtein *Rer. Polon.* Lib. VIII. pag. 253. apud Struvium *in Corp. Hiſt. Germ.* Period. X. pag. 1148.

Anno M.D.XCVI. belli Panonici curam, pro Ernesto Archiduce ad Belgii Præfecturam abeunte, suscepit, gessitque annis non paucis, auspice cœlo, perquam feliciter. Eo namque temporis intervallo Novigradum, Petrinam, Strigonium, Jaurinum, Vicegradum, & Pestum expugnavit; Sinanem, exercitus Turcici prope immensi Præfectum (*Bassam* barbari vocant) Comorrensi ab obsidione in fugam conjecit; Albam Regalem, caput Regni & Comitatus metropolim, eamque a palude sat ampla munitissimam, nihil aliud, quam trium spatio dierum hosti eripuit, compulso ad annorum XX. inducias a. M. DC. VI. pangendas barbaro Imperatore. Haud absimili sorte & gloria rebellionem Hungarorum, Bohemorum, Dacorumque lenivit, jugo subduxit Danico mare Balthicum, & tutam germanis mercatoribus, liberamque navigationem restituit. Inde factum, ut eum tot victoriis superbum, anno M.DC.VIII. 19. Nov. Hungaria Posonii; Pragæ Bohemia anno M.DC.XI. 1. Junii Regem sibi inauguraret: (e) demum & VIIviri in solium Imperiale proximo anno eveherent.

Anno M.DC.XIII. celebratis Posonii in Hungaria Comitiis, Regnique illius statu utcunque disposito, primum Ratisbonæ egit Imperii Conventum. (f) Cæsar, qua fœderum periculoso partium studio ictorum, ut posset optime, dissolvendorum, qua revocandæ inter Ordines pacis & exitii a Germaniæ cervicibus avertendi cupidissimus. Sed frustra erat: nam relapsi ad veteres querelas Protestantes, sub novo *Correspondentium* nomine conspicui, vota Imperatoris sanissima, & laudatissimos nisus turpiter elusere. Postulanti necessaria adversum Turcas, ex Gabrielis Bethleni (*al. Gaboris Bethlemi*) Transilvaniæ Reguli ad Lunam accessione ferociores, negabant subsidia, nisi suis quamprimum gravaminibus (g) fieret satis. Inita quoque olim ab se fœdera, a. M.DC.XV. primum No- rim-

(e) Hortens. Pallavicinus *in Austriac. Cæs.* pag. 140. & Struvius l. c.

(f) Ratisbonensi huic Conventui e Germania nostra interfuere Ferdinandus Archiep. Colon. cum numeroso & magnifico comitatu; Philippus Ludov. Palatinus Neoburgicus cum tribus filiis; Simon Comes & Nobilis D. de Lippia, Cæsari a Consilio aulico, & supremus in Circulo Westph. armorum Præfectus; Sebastianus & Emico fratres, Comites a Falckenstein, Domini in Oberstein & Bruch. *Ceteri Principes, Comites & Urbes, etsi non omnes, comparuere per Legatos.* Theodorus Episc. Paderb. miserat Jodocum a Landsperg in Erwite Satrapam Dringenbergensem, & Guilielmum Horn (dictum *Goldschmidt*) J. U. D. Consiliarium Electoris Colon., qui Elector tanquam Antistes Monast. legarat Arnoldum a Bucholz Præpos. Hildes. & Alexandrum a Vehlen Raesfeldiæ Dominum, Equitem Auratum &c. Theodoricus Abbas Corbeiens., Theodoricum a Bisterfeld Cancellarium Colon. & Joan. Adolph. Wolff (dictum *Metternich in Gracht*). Joan. Henr. a Gerzen (condict. *Sinzich*) Abbas S. Cornelii ad Indam Arnoldum Aldenhovium J. U. D. Conradus Abbas Werthinens. & Helmstad. Bernardum Pützium J. U. L. Elisabetha Princeps Essend. Adamum Hüls, & Joan. Michaëlem Cronenberg Jure Cc. & Syndicos Urbis Colon. Carolus Princeps Arembergius Bisterfeldium laudatum. Joannes Comes in Brunkhorst & Gronsfeld Antonium Wolff sibi ab int. cons. Denique Coloniam principem Urbium Imper. in *Scamno* (ut vocant) *Rhenano* repræsentarunt Constantinus a Liskirchen Consul, Guilielmus Hackstein Consularis, civitati p. t. ab ærario, & Adamus Hüls J. U. D. Syndicus. *Hæc adnotavit in Annal. MSS. Türckius cit.*

(g) Carol. Carafa *in suis Comment. de Germ. sacra restaur.* pag. 49. Præcipue Goldastus in opere germanico, quod *Politica Imperialia* inscripsit, a pag. 1050. refert utrorumque Statuum gravamina.

rimbergæ, tum rurſus a. M.DC.XVII. Heilbrunnæ confirmabant, novisque exterorum augebant. Cæſar, quo iſta ſpectarent molimina, ſimul & ingraveſcente in dies valetudine frangi ſe, proſternique intelligens, metuensque, ne graviores in calamitates, & aliud ex alio in periculum, ſi nullo ipſe decederet Succeſſore delecto, præceps Imperium daret, Ferdinandum Archiducem, patruelem ſuum, cum Alberti VII. & Maximiliani III. fratrum quoque improlium & Philippi III. Hiſpan. Regis conſenſu, eod. a. M.DC.XVII. ſibi pro filio adoptavit, Regnorumque ac Provinciarum ſuarum omnium hæredem eſſe voluit.

Anno M.DC.XVIII. bellum in Bohemia atrox erupit, bellum univerſæ dein Germaniæ funeſtiſſimum. Quod qua ratione evenerit, juvat hic loci paucis exponere. (*b*) Conceſſerat Bohemiæ Ordinibus *ſub utraque* Rudolphus Cæſar, neceſſitate dura compulſus, per *Litteras Majeſtatis* (*i*) die 11. Jul. a. 1609. privilegium, ut ſuis in fundis templa extruerent. Id liberalius interpretati Lutherici, collatis inter ſe pecuniis, moliuntur templum in oppido Brunoviæ: cujus dominium ad Cœnobiarcham ſpectabat; & alterum Cloſtergrabii: qui vicus Archi-Epiſcopo Pragenſi ſuberat. Qua de re cum delatæ eſſent ad Matthiam Cæſarem querelæ; neque tamen ejus interdicto parerent Bohemi: Brunovienſes in vincula conjecti, & Cloſtergrabiana fabrica ſolo æquata. Commoti ea re Magnates heterodoxi capita inter ſe conferunt, & ſpretis iterum Mandatis Cæſareis, authore Turriano Comite, Pragenſe in Palatium die 23. Maji cum armis irrumpunt; primique Ordinis a conſiliis viros, Sclabatam, & Martinizium, una cum Fabritio præaltis e feneſtris præcipitant, (*k*) immani prorſus in optimum Imperatorem ſcelere, & argumento minime obſcuro, agi quo poſſint audaciæ ac furoris ii, quos in officio continere fides vera deſiit.

Matthias inter hos, pluresque alios e Sileſia, Moravia, Luſatia, quin & ipſa utraque Auſtria, Bohemorum quaſi excitos auxilio tumultus, quos *belli tricennalis* primas veluti ſcintillas jure dixeris, a. Ch. M.DC.XIX. Imp. VII. æt. LXII. die 20. Martii Vindobonæ, quo Sedem principem Praga tranſtulerat, e vivis exceſſit Princeps juſtiſſimus, clementiſſimus, erga omnes humaniſſimus, de Religione orthodoxa, quam firmiſſimum noverat eſſe Regnorum omnium fundamentum, meritiſſimus. (*l*)

FERDI-

(*b*) Reiffenbergius *in Hiſt. Prov. S. J. ad Rb. infer.* pag. 504.

(*i*) Extat hoc Diploma latino ſermone apud Lunigium *Cont. I.* pag. 122. Du Mont *Tom. V. P. II.* a pag. 98. Khevenhüller *Tom. VII. pag.* 184. apud Struvium.

(*k*) Aubert. Miræus *de Reb. Bohem.* Lib. ſingular. Adolph. Brachelius in *Hiſtor. temp.* & AA. paſſim, quorum catalogus bene longus, & ordine quidem chronologico expreſſus, datur a Cl. Joan. Steph. Püttero Prof. Götting. *in perfect. Enchiridio Hiſt. Imp. Germ.* a pag. 614.

(*l*) Opuſcul. germanice editum Norimbergæ a. 1684. *de vita, regimine & morte Ducum ac Regum Hungariæ a primo Duce Keveo ad uſque Regem Leopoldum I.* pag. 530. & 536.

FERDINANDUS II.

Princeps omnium, quæ Imperatorem decent, præſidio virtutum inſtructiſſimus, Græcii in Styria die 9. Junii anno M.D.LXXVIII. patre Carolo Auſtriæ Archiduce, & Maria Bavara, matre naſcebatur. Primos adoleſcentiæ ſuæ annos Monachii, religioſiſſima in Aula Wilhelmi, Boici Ducis, cujus ne veſtibulum quidem noverat effrænata credendi, quidquid lubet, & agendi licentia, aut veræ Religionis deſpectus; Ingolſtadii reliquos in celeberrimo t. t. per univerſam Germaniam Athenæo exegit commendatione nominis ſui maxima, atque intaminato morum vitæque exemplo, donec Mariam Annam, laudatiſſimi ejusdem Ducis filiam, primis ſibi nuptiis (*m*) jungeret ad annum M.DC. die 23. Aprilis, cum eaque ad Virginem Deiparam, quæ ſumma in hunc diem frequentia piorum & viſitur Laureti & colitur, e Ducatu ſuo pedes concederet, (*n*) votis pro ſe, pro ſubditis ſibi provinciis, maxime vero pro Chriſti Eccleſia, cujus ubique tutabatur partes, quin & ſuas putabat, (*o*) cum potentiſſima Cœlitum Regina multum oppido, humiliterque acturus.

Anno M.DC.XVII. die 29. Junii Coronam Bohemicam; Hungaricam a. M.DC.XVIII. Kalendis Jul.; demum Cæſaream a. M.DC.XIX. ad diem 9. Septembris, intercedentibus electioni VIIrali bruto furore & immani audacia Bohemis, (*p*) non ſine juſta Imperii gratulatione & plauſu, Francofurti, urbe in Acatholicos tum proniore, (*q*) retulit annum ætatis agens primum & quadrageſimum, ipſa Virginea Matre clientem ſuum ad ſupremam hanc dignitatem viſa deſignare. (*r*) Quæ & cum Chriſto filio ſuo in graviſſimis, toto quo ad

(*m*) Genuit ex Maria Anna Ferdinandus Ferdinandum III. & duas filias: alteram Electori Maximiliano deſponſam, Uladislao IV. Poloniæ Regi alteram. Leopoldus Wilhelmus alter Ferdinandi filius dignitate Epiſcopi Argentinenſis, Paſſavienſis, Halberſtadenſis, & Olmucenſis, Ordinis quoque Teutonici Magiſterio inclaruit. *Biner in Appar. Erudit. Part. VIII. art. VIII. pag.* 215. Ferdinandus Cæſar a. 1622. ſecundas Oeniponti celebravit cum Eleonora Mantuana nuptias. *Brachel Hiſt. temp. L. II. pag.* 52. Liberos Ferdinandi recenſet *L. V. pag.* 271. idem Author.

(*n*) Difficultates viarum præcipuas eundo ſuperatas a piiſſimis conjugibus fuiſſe, ſcribit Kolb *in Hiſt. Rom. Impp. pag.* 345. Italia, Provinciarum omnium Regina, tanta tantorum Viatorum veſtigia memori ſemper cultu releget & venerabitur, ait Hortenſ. Pallavicinus *in Cæſaribus Auſtr. pag.* 149.

(*o*) De Ferdinandi ſolido Religionis orthodoxæ ſtudio, cultu & amore teſtatur nitidiſſime *Lamormæinus* S. J., qui ſingulari libello virtutes ejusdem deſcripſit. Illum cum Schonlebio, Burgoldenſi, & Nicol. Vernulæo citat Struvius *in Corp. Hiſt. Germ. Period. X. pag.* 1157.

(*p*) Lotichius *Rerum German. L. III.* Londorp *in Actis publ.* Khevenhüller *in Annal. Ferdinandæis.* Cauſas tantæ Bohemorum audaciæ recenſet Biner *cit. C. III. de ſtatu Germaniæ ſub Ferdin. pag.* 91.

(*q*) "Prodebat in conjuratos affectum non obſcuris indiciis ipſa urbs Francofurtenſis, " tum plena hoſtium, tum imbuta odio in Auſtriacos & Catholicum nomen. Fa- " ma eſt, illo tempore adverſariorum non paucos, nec imbecilles ardenter ſug- " geſſiſſe, præſenti utendum opportunitate. . . . Res Papiſtarum univerſas uno " poſſe momento præcipitari; ſi, quod erat facile, Catholici Electores, qui omnes " aderant, neci traderentur." Hæc Türckius *in Annal. Infer. Germ. MSS.*

(*r*) Glorioſam DEI Matrem in iſtis difficultatibus præſentem ſe Moguntino Archi-Epiſcopo ſtitiſſe, animosque addidiſſe his verbis: *Conſtanter age, Swicarde: noli timere; elige Ferdinandum,* meminit ex narratione P. Joannis Reinardi Zigleri, quo conſcientiæ moderatore Eminentiſſimus tum utebatur, idem Türckius.

quo ad clavum ſedit tempore gerendis deinceps, bellis eidem non defuit. Præcipua duntaxat hic damus compendio. (s)

Anno M.DC.XX. die 8. Novembris per Maximilianum I. Bavariæ Ducem, poſtea S. R. I. Electorem, fudit adjutrice cœli Domina & Imperatrice (quo quidem nomine compellare MARIAM aſſolebat Ferdinandus) in monte Albo, Pragæ vicino, Fridericum V. Electorem Palatinum, cui Bohemi rebelles, militarium ſpebus auxiliorum tumidi, anno ſuperiore ad diem 25. Octobris Sceptrum, Regi legitimo, Ferdinando contra æquitatis leges præreptum, detulerant: fudit, inquam, victoria prorſus mirabili, atque uberrimos tum Imperio, tum rei Catholicæ, quæ lætiorem mox faciem induit, fructus adferente. (t)

Anno M.DC.XXII. die 26. Januarii Gabor Bethlemus, turbulentiſſimi vir ingenii, ejusdem perduellionis reus ad reſtituendum, quod iniquiſſime Ferdinando rapuerat, diadema Hungaricum, ſtrenua inprimis Bucquoii, clariſſimi Ducis virtute compellebatur: quo turbatore poſt octo annos defuncto, oppida Hungariæ reliqua in Imperatoris poteſtatem rediere. Fertur de Cæſare dixiſſe Gabor: *Periculoſum eſt pugnare contra Ferdinandum, ut quem nec adverſa dejiciunt, nec extollunt proſpera.*

Eodem anno die 6. Maji Georgius Fridericus, Marchio Badenſ. Durlacenſis ad Wimpinam, & Chriſtianus Dux Brunſvicenſis ad Hœchſtam die 19. Junii, ambo Imp. Ferdinando iniqui, gravi admodum ac luculenta ſtrage a Tillio, Heroe fortiſſimo, adficiebantur. Actum penitus de *Rege hiberno* (ita audiebat ob unius tantum hiemis perbreve, quo Regnum alienum, ſpretis meliora ſuadentium conſiliis (u) occuparat, ſpatium Palatinus) haud dubie fuerat; niſi ex Anglia ipſi, Daniaque ſpes quædam adfulſiſſet: quæ tamen in auras mox abiit; cum & Angliæ Rex Jacobus in medio machinationum ſuarum, quibus omnem propemodum Europam contra Cæſarem excitare parabat, curſu extingueretur, & de Chriſtiano IV. Rege Daniæ ad Lutteram Regiam fuſo, idem Tillius anno M.DC.XXVI. die 28. Auguſti inſignem reportaret victoriam, ac tandem ad arma ponenda, pacemque Lubecenſem a. M.DC.XXIX. ineundam, hoſtem adigeret.

Duobus etiam ante annis rebelles in Auſtria ſuperiore ruſtici ad octoginta millia ad arma ruerunt; ſed a Pappenhemio, clariſſimo Ductore iteratis tantopere contriti ſunt præliis, ut victoris ſe clementiæ ſuperſtites permitterent.

F 2 Annus

(s) AA. paſſim. Recentiores ſunt Maſcovius *in Introduct. ad Hiſtor. Imp. Romano-Germ. L. IX. a pag.* 180. Pütterus *in Enchir. plen. Hiſtor. Germ. Imp. C. VII.* Bougeant *Hiſtoire des guerres* &c.

(t) Fructus illos fuſe exponit Biner cit. *in Apparatu Erud.* Breviter Spondanus *in Annal. Eccleſ. Tom. II.* & ex eo Caraffa *in Commentar. de Germania ſacra reſtaur. pag.* 86. his fere verbis: "Victoria illa, ut conſtans omnium fama, Bohemiam ſubjugavit, Auſtriam coercuit, Moraviam reduxit, univerſam Germaniam ſtabilivit, Religionem Catholicam ex captivitate in libertatem aſſeruit."

(u) Ducem Bavariæ, multos præterea Electores, Principesque Friderico V., ne Bohemicis ſe turbis immiſceret, ſuaſores fuiſſe, ſcribit ad annum 1619. *Brachelius*, & prolixe *Lotichius*.

Annus denique M.DC.XXX. erat, quo excitus ultimo veluti ex Septentrione Guſtavus Adolphus, Sueciæ Rex, ingentis animi ac ferociæ Princeps, facta ad diem 4. Junii in Pomeraniam exſcenſione, bellum Germaniæ funeſtiſſimum intulit, bellum qua temporis diuturnitate, qua populorum calamitate atrociſſimum: (*x*) in quo tamen non ultra biennium perſonam Rex ſuſtinuit: cecidit enim in pugna ad Luzenam, ſuburbanum Lipſiæ oppidum, a. M.DC.XXXII. die 6. Novembris inita, a cataphracto milite interemptus; quo cædis auctore, diſcrepant Hiſtorici. (*y*) Interim Suecorum exercitus, tantum aberat, ut percelleretur Regis fato, ut novo etiam furore atque impetu in Cæſareos effuſus, turpem ubivis lanienam ederet, Pappenheimio (*z*) quem commendabat poſt Tillium (*a*) maxime Guſtavus & metuebat, rem Cæſaris illa tempeſtate pene deſperatam reſtituente. Paulo poſt, die 29. ejusd. menſis Nov. obiit Moguntiæ Fridericus Palatinus anno ætatis XXXVI. luctuoſiſſimi fax belli merito nominandus.

Hoſtes Imperii, reique Catholicæ alios ſuperavit, auſpice DEO, Cæſar per Joannem Werthium (*b*) & inprimis per Ferdinandum III. filium ſuum, Hungariæ Regem, qui, occiſo Wallenſteinio, copiis omnibus præfectus celebrem mox victoriam anno M.DC.XXXIV. die 6. Septembris Nordlingæ conſequebatur. (*c*)

Anno M.DC.XXXV. die 30. Maji, ut ferverent adhucdum bellis omnia; pax tamen Cæſarem inter & Saxonem in leges, quas Brachelius, Lotichius, Pütterus, aliique recenſent, coaluit.

Anno M.DC.XXXVI. die 12. Decembris fractus ætate ſimul & curis Imperator eo in Comitiis Ratisbonenſibus flexit feliciter Electorum animos, Ferdinandum III. Romanorum Regem ut eligerent. Inde Viennam redux obiit piiſſime die 15. Febr. anno Chriſti M.DC.XXXVII. ætatis LIX. Imperii XIX. Princeps pietati in Numen Euchariſticum, in Virginem Deiparam, in S. Ignatium de Loyola deditiſſimus, æquitate, beneficentia & clementia magnus,

(*x*) Truculentiſſimi illius belli ordinem chronologicum & ſeriem reperire eſt in *Maſcovio* ac *Püttero* citt. breviſſime ſimul & clariſſime datam.

(*y*) Vid. Struv. *l.c.* pag. 1282. ibique alleg. Fürſtenberg *in Monum. Paderb.* Puffendorff *de Reb. Suecic.* Piaſecius, Burgus &c.

(*z*) Pappenhemii elogium apud Brachel. *Hiſtor. ſui temp. pag.* 224.

(*a*) Apud eundem & Tillii *pag.* 214. in hæc verba: " Nemo illi (*Tillio*) ea ætate aut " magnitudine rerum geſtarum, aut fama apud ſummos juxta infimosque par fuit... " Sobrietatis & pudicitiæ laudem, raras in caſtris virtutes, ne hoſtes quidem illi " detrahunt. Magnitudinem animi & expertas tot præliis dotes egregii Ducis, " militisque admirantur. Sed Religione in Deum ac fide in Imperium ſupra om- " nes fuit. Hinc illi perpetuus pene victoriarum curſus & triumphi vitæ annis " pares."

(*b*) " Joannes Werthius, verba ſunt Türckii *in Annal. MSS.*, Maximiliano Septemviro " militans, unus fere fuit, qui cum delecta equitum manu hoſtiles conatus ſiſteret. " Impavidus illius animus, heroica in Suecum hoſtem facinora; promti atque ex- " pediti ubique auſus &c. paſſim in ore omnium... Debet Germania Catholica " virum fidum, belli fulmen Ubiis.... Vidimus natalitiam illius domum, caſam " ruſticam in pago, cui *Büttgenium* nomen, uno fere a Noveſio milliari. &c."

(*c*) Victoriæ Nördlinganæ fructus explicat Pütterus cit. a pag. 682.

nus, Religionis Defenſor & Cuſtos (*d*) inter tot annorum procellas maximus: cui e cruce Servator Chriſtus Dominus: *Ferdinande! te non deſeram.*

FERDINANDUS III.

SIngulari DEI O. M. providentia & favoris in Auſtriacam Domum, ipſamque Germaniam argumento inter omnes perſpicuo, electus ante Rex Romanorum atque inauguratus fuerat, quam Auguſtiſſimus parens Ferdinandus II. obiret diem, & Imperium poſt ſe relinqueret, certo capite deſtitutum. Novus enimvero hic Imperator, ſumma rerum ad ſe devoluta, totus e veſtigio in eo erat, ut parta ab ſe glorioſiſſima ad Nordlingam victoria uteretur, & Suecum, horrendam Germaniæ, reique Catholicæ peſtem, aut internecione deleret, aut aquilonem verſus reprimeret. Bellatum igitur, ut refert Türckius, adverſus Joannem Bannerium, Suecorum Ducem, qui e Torgavia, quam, media licet hieme, vi expugnaverat, ad Albim frequentius erumpens, Saxonem affligebat graviſſime: auſus etiam Lipſiam, urbem captam toties eo bello, toties receptam, obſidere. Sed inde non modo depulſus a Cæſarianis, verum etiam ad Torgaviam, quam probe munierat, & commeatu large adducto in longam, ſi opus foret, obſidionem firmaverat, deſerendam coactus fuit. Quæ Bannerii ſtrages potentiam Suecorum fregit plurimum, atque in extremum Balthici maris angulum retruſit: poſtquam, Gallaſio Duce, Wolgaſtum, Demminum, & Inſula Uſedomia; (*e*) Ratenavia vero, Havelberga, Werbenſe munimentum, Dœmitza, Luneburgum ac Winſena, Ducibus aliis, Cæſarianorum in manus venere.

Nec minus ſecundo Marte pugnabatur adverſum Gallos. Hermanſteinium enim (*bodie Ehrenbreitſteinium*) arcem ad Rheni & Moſellæ confluentes munitiſſimam, præſidio fame vix non enecto (*f*) ſubjecit Cæſari Joannes Werthius, a quo & Vinarienſium caſtra fortiter expugnata, hoſtibus trans Rhenum rejectis. Proſpera hæc erant Ferdinandi Imp. initia: at vero, quæ humanarum viciſſitudo rerum eſt, progreſſus longe alius. Annum certe M.DC.XLII. expertus eſt longe acerbiſſimum: nam Dorſtenſohnius, novus Suecici Ductor exercitus, paucos intra menſes totam fere Sileſiam ac Moraviam cum Olomuzio, urbe ejus principe, armis ſubegit: ſecuta tum clades Leopoldi Archiducis & Piccolominei ad Lipſiam: ad cumulum malorum acceſſit ſtrages Lamboii Ducis Cæſarei ad Kempenam, agri Colonienſis oppidum,

(*d*) Faſſus eſt non ſemel Ferdinandus, *paratum ſe potius, Regno excidere & extorrem cum Auguſta Conjuge ac liberis vivere apud exteros Principes, quam deſcendere e culmine, in quo regnabat, Religionis.* Hortenſ. Pallav. *in Auſtr. Cæſ. pag.* 157. De eodem immortalis memoriæ Imperatore Galeazzo Gualdo *biſtoria di Ferdinando III.* Vien. 1672. fol. Lib. X. pag. 615. "*Profeſſava* (Ferdinando II.) *ciecca obedienza, & in-* " *tiera raſſegnazione alla Santa Sede Apoſtolica, oſſervando, e facendo oſſervare nè ſuoi* " *ſtati pontualmente i decreti de ſommi Pontefici* &c." Lotichius *Rer. Germ. P. II. L. I. a pag.* 429. *ad* 435. Kropf *Hiſt. Prov. Germ. Super. Dec. X. a num.* 689.

(*e*) Brachel *Hiſt. ſui temp. pag.* 273.

(*f*) Struv. *cit. pag.* 1273.

dum, tanta, ut extremæ ſimilis ruinæ videretur. Hoc tandem etiam anno agitari cœpta pacis conſilia, deſignatis eam in rem Oſnabruga & Monaſterio, binis Weſtphaliæ urbibus. Neque interea ab armis deſtitum: diverſa enim, diverſo pariter eventu, commiſſa prælia.

Anno M.DC.XLIII. die 14. Nov. (*ſt. v.* 24.) Vinarienſes, Duce Guebriano, qui ex vulnere Rothweilenſi in obſidione accepto ceciderat, orbati, a Boicis ad Dutlingam opprimebantur, via paucis cum Roſa, equitum Præfecto, evadendi vix data; reliquis cum ingente pecuniæ vi & bellico adparatu in poteſtatem victorum venientibus. (*g*)

Anno M.DC.XLIV. novum ſubito exarſit bellum, Danicum nempe, (*h*) in quo terra marique victores Sueci, Dorſtenſonio & Hornio Ducibus, Gallaſium menſe Decembri ad Jüterbocium profligarunt, viresque Cæſaris maximam partem fregerunt.

Anno M.DC.XLV. tot bello implicitæ nationes atque inter ſe colliſæ, ut de Europa evertenda agi crederes: Germania, ſcribit Biner (*h*), Gallia, Hiſpania, Italia, Luſitania, Anglia, Suecia, Dania, Belgicum, Hungaria, Tranſylvania in mutuas clades ibant. Contabulata claſſibus maria; Oceanus, Balthicum, Mediterraneum, Adriaticum, Jonium. Atque ut nihil ad populorum calamitatem deeſſet, Turca, Venetos adortus, in exitialis procellæ partem deſcendit. Annis ad uſque pacem Weſtphalicam conſequentibus, nihil ferme, niſi triſtiſſima ubique a Suecis relicta veſtigia, quæ horret animus, meminiſſe.

Ferdinandus igitur tot Imperii conſpiciens vulnera, tantosque dolores miſeratus, pacem iniit anno M.DC.XLVIII. die 14. (*ſt. v.* 24.) Octobris Monaſterii ſubſcriptam, pacem tam Eccleſiæ, quam Imperio probroſam quidem ac fatalem, ſed tamen, exhauſtis & attritis prope Catholicis neceſſariam. (*i*) Inde

(*g*) Biner, Putterus, & alii. (*h*) *Appar. Erud. P. VIII. cit. pag.* 230.
(*i*) Extant Pacis illius articuli verſibus comprehenſi apud Burgoldenſem *P. I. pag.* 149. & Maſen. *Annal. Trev.* Lib. XXV. Quos verſus lubet hic adnectere:

DE PACE MONASTERIENSI.

Articulis *quatuor* minor eſt pax *Gallica Sueca*,
Nonnihil in rebus varians, ut & ordine rerum.
In *quatuor primis* (niſi quod removetur *Iberus*)
Vix eſt diſparitas in re; neque diſcrepat ordo.
Quintus ineſt *quinto*, Gallorum & *ſeptimus* uni.
In *ſexto* ſociis *Gallus* dat præmia *Cattis*.
Helveticis, quod *ſextus* ibi, dat *ſeptimus* iſthic.
Nonus & *octavus* ſimiles ſunt prorſus utrisque.
At *decimus Gallum* plumis *aquilaribus* ornat.
Undecimo in partes *Galli* pax *Itala* tranſit:
Ultimus his illisque fere & *penultimus* idem eſt.

Ut porro diſcrepantia illa benevolo Lectori adpareat, en quoque articuli

PACIS OSNABRUGENSIS.

Articulis *ſeptem* & *denis* pax *Suecica* conſtat:
Primus amicitiæ conjungit fœdere partes.

Præ-

Inde annos octo, paucosque menses dulci in otio moderabatur clavum justus, pius ac sapiens Imperator: quos inter Ferdinandum IV. filium, jam inde a puero ad summa quæque institutum, curavit eligendum Augustæ Vindelicorum ab VIII.rali (k) Collegio a. M. DC. LIII. die 21. Maji, Romanorum Regem, quin & Ratisbonæ 8. Junii splendidissime inaugurandum: sed cum altero mox anno die 29. Junii novus hic Rex variolis Vindobonæ extingueretur; in Leopoldum, aris jam consecratum, filium natu minorem Cæsar prudentissimus oculos ac mentem vertit, eumque Austriæ Regentem a. M. DC. LV. die 16. Jan., Regem Hungariæ die 6. Jun. & Bohemiæ Regem 4. Nov. ut Ordines renunciarent, effecit, Romanorum etiam ad dignitatem Regis eundem provecturus, nisi obrutus morte fuisset: quam summo Catholicorum omnium luctu die 2. Aprilis anno Chr. M. DC. LVII. Regiminis XX. ætatis XLIX. oppetiit verus patriæ ac provinciarum suarum Pater, quo potissimum adnitente, ut scribit Author anonymus (l), natanti quodammodo in cruore suo ac tantum non suffocatæ Germaniæ pax, uberrimis populorum votis, lacrymisque dudum optata rediit. Strenuus paternarum virtutum æmulus & imitator, de quo in Romanorum Regem electo, parens Ferdinandus II. dixisse fertur, placere sibi Ferdinandum filium in Rom. Regem esse electum, non quia filium videret in solio, sed quia talem speraret fore Successo-

Præteriti immemores vult læsos esse *secundus.*
Pristina restituit *ternus* sua jura cuique,
Enumerat *quartus* speciales restituendos.
In Sacris *quintus* conflata gravamina solvit.
Helvetiis *sextus* dat libertatis honorem.
Septimus in fœdus Calvinum pacis adoptat.
Jura Politiæ Statibus *bis quartus* adumbrat.
Flori restituit veteri commercia *nonus.*
Bellorum *decimus* partitur præmia Suecis.
Brandenburgiaco *undecimus* Pomerana resarcit.
Mecklenburgiacis *bis senus* adempta rependit.
Brunswigum *decimi* demulcent munera *terni.*
Dat Confessori *decimus* solatia *quartus.*
Hassum *ter quinto* placant & Clerus, & Hassus.
Arma *bis octonus* sistit, pacemque reducit.
Septimus hanc firmat *decimus*, redditque perennem.

Dura profecto & gravis pax Westphalica fuit, præsertim Catholicis: nam 1. bona Ecclesiæ Christi erepta, omnia cessere Acatholicis eo prorsus modo, quo possederunt Kal. Januarii anno 1624. quem statuebant ceu normam ac regulam, inde *Normalem* appellatum. 2. Confirmata rursum pax Religiosa & Passaviensis transactio, dato Lutheranis simul & Calvinianis libero religionis exercitio. 3. Cedi debuerunt Gallo Alsatia Austriaca & Episcopatus tres Metensis, Trullensis & Virodunensis. 4. Sueco obvenere præter quinque imperialium myriades pars Pomeraniæ, Archi-Episcopatus Bremensis & Episcopatus Verdensis. 5. Brandeburgus accepit Archi-Episcopatum Magdeburgensem ac Halberstadiensem, Mindensem & Caminensem Episcopatus. 6. Obtigit Brunsvicensi Domui alterna in Osnabrugensi Pontificatu Successio. 7. Alii alios cum Episcopatus, tum Abbatias, profani omnes juris factas, sibi asseruerunt. Sed de his *in Explanatione historica*, Tom. seq. danda, agetur prolixius.

(k) P. O. *art.* 4. §§. 3. 4. 5. 6. 9. 13. Item Adami *pag.* 504. *seq.* apud Pütterum *cit. pag.* 745.
(l) *Opusc. Germ. supra cit. de vita, reg. & morte Reg. Hung. pag.* 551.

ceſſorem, cui regnandi imperandique regula eſſet Divini honoris & gloriæ amplificatio, Catholicæ Religionis propugnandæ zelus, patriæ populique ſibi ſubjecti ſalus & incolumitas. Quam quidem optimi Patris ſpem abundantiſſime implevit, (*m*) pietatis perinde ac juſtitiæ inter aſſiduos bellorum motus, inter graviſſimas Imperii curas, inter proſpera & adverſa ſtudioſiſſimus, ſeu, ut paucis dicam omnia, cultor fautorque Auſtriacus. Quo occidente, metus profecto erat haud vanus, ne, quod penes Auguſtiſſimam Domum ultra quatuor jam ab Rudolpho regnante ſæcula Sceptrum Cæſareum fuerat, alio dilaberetur. Verum, Cœlitibus pro illa ceu domo ſua agentibus, ſucceſſit Patri maximo, non minor filius

LEOPOLDUS I.

Cujus regimen ad annum Sæc. XVIII. quintum excurrit.
De illo agam Tomo ſequente.



CON-

(*m*) P. Franc. Xav. Kropf S. J. *Hiſt. cit. n.* 684. *pag.* 387.





CONCILIA GERMANIÆ SÆCULI XVII.

AB ANNO EJUSDEM X.

Præmittitur, quæ priori in Tomo desideratur,

SYNODUS DIOECESANA MECHLINIENSIS,

Anno Christi MDCIX. Pauli V. PP. V.
Rudolphi II. Imp. XXXIII.

Præsidente Reverendissimo & Illustrissimo in Christo Patre ac Domino MATTHIA HOVIO, (*) Archi-Episcopo Mechliniensi, celebrata.

CONVOCATIO SYNODI DIOECESANÆ MECHLINIENSIS.

MATTHIAS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHI-EPISCOPUS Mechliniensis, universo Clero & Populo Civitatis & Diœcesis nostræ, Salutem in Domino.

CUm Archi-Episcopale munus nostrum exigat, ut, quæ anno millesimo sexcentesimo septimo in Synodo nostra Provinciali salubriter decreta & constituta, atque anno sequenti a Sanctissimo D. N. D. PAULO Papa V. debite confirmata sunt, in Synodo Diœcesana juxta Sacros Canones publicentur, ac deinde executioni mandentur; consilio præ-

(*) De Matthia Hovio *vid. Tom. præc. pagg.* 795. & 796.

præhabito cum Capitulo nostro Metropolitano, statuimus atque decernimus per præsentes Synodo Diœcesanæ celebrandæ Feriam tertiam post Inventionem Sanctæ Crucis, quæ erit quinta Maji anni præsentis. Quare dictum Capitulum nostrum Metropolitanum, Reverendos Dominos Abbates, Abbatissas, Præpositos, Capitula Ecclesiarum Collegiatarum, Archi-Presbyteros rurales, Priores, Priorissas, cæterosque omnes, qui de jure, vel consuetudine Synodo nostræ Diœcesanæ interesse debent, in Domino monemus; & nihilominus Sacri Generalis Concilii Tridentini, ac nostra Archi-Episcopali auctoritatibus, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis a jure statutis, districte eisdem præcipimus & mandamus; ut per semetipsos, aut si forte justo detineantur impedimento, (de quo competentem fidem facere tenebantur) per Procuratores suos legitimos, ad dictam Synodum Diœcesanam, in Civitate Mechliniensi præscripto die, hora septima matutina in Seminario Archi-Episcopali celebrandam, tempestive conveniant in habitu gravi, suoque Ordini ac Religioni convenienti, ad audiendum legitimam publicationem Decretorum supradicti Concilii Provincialis, & eorum, quæ ad ejus faciliorem atque uniformem executionem ac morum correctionem, pro temporum ratione, per modum Statutorum Diœcesanorum, matura deliberatione prævia, declaranda censebimus: cum intimatione tali, quod sive ad diem, & horam prædictas præsentes fuerint, sive absfuerint, ad ejusdem Synodi Diœcesanæ celebrationem, ac Statutorum decisionem ac publicationem procedemus, absentium contumacia non obstante: decernentes nihilominus absentes perinde, ac præsentes ad observationem omnium illorum, quæ ibidem publicabuntur, ex eo tempore obligatos; ipsosque, nisi legitime excusati fuerint, & eorum excusatio admissa, pro qualitate culpæ & contumaciæ, justitia exigente, merito puniendos fore, prout eos, ne eorum exemplo & impunitate alii negligentes reddantur, auctoritatibus præfatis obligari & puniri volumus & mandamus per præsentes. Ut autem hæ nostræ literæ ad omnium, quorum interest, notitiam perveniant; earum exempla per Secretarium nostrum subsignata, & contra-sigillo nostro munita, valvis Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, nec non Ecclesiarum Collegiatarum Sancti Petri Lovanii & Sanctæ Gudulæ Bruxellis, affigi volumus: ac per hujusmodi affixionem, eos omnes, quos concernunt, sic obligari decernimus & declaramus, ac si dictæ nostræ literæ ipsismet coram lectæ ac insinuatæ fuissent.

Datum Mechliniæ in Palatio nostro Archi-Episcopali, anno Domini Millesimo sexcentesimo nono, die 2. mensis Martii.

† De Mandato Rmi & Illmi Domini Archi-Episcopi Mechliniensis.

JAC. VAN SASSEGHEM Secret.

DECRETUM,

Quod nulli præjudicium fiat ex ordine Sessionis in hac Diœcesana Synodo, pronuntiatum a Reverendo Domino Archi-Diacono Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis.

Reverendissimus & Illustrissimus Dominus Archi-Episcopus Mechliniensis statuit & decernit, si cui in hanc Synodum admisso contigerit suo loco non incedere, vel non sedere, aut alium quempiam actum in eo gerere, non ideo cuiquam jus acquiri, aut acquisitum esse, nihilque de hujusmodi jure aut possessione detrahi, sed omnia in eodem statu permanere, in quo ante hanc Diœcesanam Synodum reperiebantur.

INDEX TITULORUM TOTIUS SYNODI.

DECRETA ET STATUTA
SYNODI DIOECESANÆ MECHLINIENSIS.
TITULUS PRIMUS.
De Professione Fidei, ac his, quæ ad ejusdem Fidei integritatem conservandam pertinent.

CAPUT I.

PErsonis laicis (*a*) de Fide Catholica publice vel privatim disputare, sub pœna excommunicationis prohibitum esse, Pastores, aliique Concionatores subinde populo inculcent.

CAPUT II.

Decretum novissimi Concilii Provincialis de Professione Fidei a Professoribus facienda, Lectores in claustris Monachorum & Conventibus Regularium etiam obligat; eorum tamen, qui Religiosi fuerint, commoditati servientes, permittimus, ut illam præstent coram suo quique Superiori regulari tantum.

CAPUT III.

Similiter Religiosi ad concionandum deinceps admittendi, facient Fidei Professionem juxta Bullam PII IV. coram Superioribus suis Regularibus, quos ad id deputamus; & de ea facta docebunt, quando se Nobis sistent benedicendos, vel generaliter ad concionandum admittendos. Idemque servetur quoad Religiosos, qui ad excipiendas confessiones deinceps admittentur.

CAPUT IV.

Etsi Decretum Sacri Concilii Trident. *Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Reform.* quoad Fidei Professionem non extendat se ad Canonicos Ecclesiarum Collegiatarum, dignitatesve in iis obtinentes, præterquam ad solos Decanos, quibus cura animarum in Capitulares incumbit: quia tamen temporum calamitas, & invalescentium hæresum malitia cogit, ut nihil prætermittatur, quod ad populorum ædificationem, & Catholicæ Fidei præsidium, videatur posse pertinere, mandamus, ut omnes ac singuli Canonicatus aut dignitates in Ecclesiis Collegiatis deinceps obtenturi, faciant Fidei Professionem, singuli in Capitulo suo, antequam residere incipiant.

CAPUT V.

Constitutionem quoque PII IV. incipientem: *Injunctam nobis*, reverenter amplectentes, declaramus eos omnes, quibus de Monasteriis, Conventibus, domibus, & aliis quibuscumque locis Regularium providebitur, ad Fidei Professionem emittendam teneri.

CAPUT VI.

Fidei Professionem emittere obligatus, opera Procuratoris non utatur, sed per seipsum id præstet. Et super Fide Catholica uniuscujusque professionem emissuri, is, qui eam excipiet, summariam informationem ante capiet; si & quatenus id requiri aut expedire judicaverit.

CAPUT

(*a*) Cap. 2. §. Inhibemus quoque, de hæreticis, in 6.

CAPUT VII.

Statuto Concilii Provincialis, ut nemo præter Typographos, Bibliopolas, & Librarios juratos, ullos libros excudere aut venales exponere præsumat, contravenire censendi sunt, qui passim absque licentia & permissione Superiorum quoscumque libros, cantilenas, ephemerides, aut similia ante fores Templorum, aut in aliis publicis locis venalia exponunt, vel plateatim circumferunt. Ideoque rogat hæc Synodus omnes Prætores, & quoscumque alios id impediendi auctoritatem habentes, ut ea utantur, etiam quo ad confiscationem ejusmodi librorum, cantilenarum, & ephemeridum, prout olim CAROLUS V. Imperator Augustæ memoriæ Edicto sancivit anno 1550. quod & anno 1556. confirmatum est a Rege PHILIPPO Secundo.

CAPUT VIII.

Cum absque legitima licentia (*b*) Episcopi vel Inquisitoris nemini Sacra Biblia vulgari lingua legere seu habere liceat, & aliter ea legere seu habere præsumens peccatorum absolutionem percipere non possit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis; Bibliopolæ exacte observent, quod regula quarta Indicis librorum prohibitorum ipsis mandatur, ut scilicet nemini prædictam facultatem non habenti Biblia idiomate vulgari conscripta vendant, vel alio quovis modo concedant, sub pœnis in eadem regula contentis.

CAPUT IX.

Non est ferenda eorum temeritas, & irreverentia, qui verbis & sententiis Sacræ Scripturæ ad scurrilia, detractiones, superstitiones, libellos famosos, & similia impie abutuntur. Ideoque omnes ejusmodi homines Nobis denuntientur, ut in eos, tamquam temeratores & violatores verbi Dei, debite juxta præscriptum Sacri Concilii Tridentini (*c*) animadvertere valeamus.

TITULUS II.

De Sacramentis in genere.

CAPUT I.

PArochi (*d*) materias Sacramentorum fideliter ac solicite custodiant; & nemini umquam, etiam prætextu medicinæ, vel maleficii tollendi, eas tradant: neque ipsi ad alium usum, quam ad quem ab Ecclesia destinatæ sunt, uti præsumant, sub pœna arbitraria, eaque gravi.

CAPUT II.

Dum sacro Oleo Catechumenorum, vel infirmorum, deficienti admiscendum est oleum non consecratum; guttatim hoc fiat; ita ut quantitas ejus quod infunditur, semper minor sit, vel certe non notabiliter major quantitate olei consecrati.

CAPUT III.

Sacramenta omnia (*e*) libere conferantur, nihilque omnino directe vel indirecte in eorum administratione exigatur; ultro tamen oblatum licite accipi potest. Imo si quis ex laudabili consuetudine debitum solvere noluerit, id Nobis significetur; ut eum, veritate cognita, ad pie introductam consuetudinem perpetuo retinendam ex Canonum jure cogamus & compellamus.

TITULUS III.

De Sacramento Baptismi.

CAPUT I.

QUando Fons sacer juxta præscriptum Concilii Provincialis mundabitur, aquæ illius in piscinam infundantur.

CAPUT II.

Pastores formam Baptismi lingua vernacula populo sæpe inculcent; simulque doceant, cum pronuntiatione verborum formæ, ipsam infusionem aquæ moraliter concurrere debere.

CAPUT III.

Quia post celebrationem Concilii Provincialis compertum est, quod mulieres per appositionem salis apud pueros expositititios non idem semper significare intendant, sed subinde collatum esse Baptismum, subinde vero contrarium: ideo semper & indistincte pueri expositititii sub conditione baptizentur, sive sal iis appositum fuerit, sive non.

CAPUT

(*b*) Regula 4. Indicis librorum prohibitorum.
(*c*) Sess. 4. in fine.
(*d*) Pontific. ex Conc. Maguntiaco, can. 27.
(*e*) Cap. Ad Apostolicam, de Simonia.

CAPUT IV.

Parochi ob id, quod puer baptizandus ſit illegitimus, vel ex parentibus pauperibus & exteris caſu illic natus, nullusque pro ejus alimentatione fidejuſſor ſeſe offerat, ipſum baptizare non recuſent aut differant; etſi Magiſtratus loci, vel alii quicumque, ob prædictas, vel alias ſimiles cauſas, puerum baptizari prohibeant.

CAPUT V.

Cum quis per Procuratorem, (f) infantem e ſacro fonte ſuſcipit; non Procurator, at ipſe cognationem contrahit: eoque caſu uterque, tam mandans ſcilicet, quam mandatarius, libro baptizatorum inſcribatur, hoc modo: *N. nomine N.*

CAPUT VI.

In Baptiſmo, (g) qui domi in neceſſitate datur, cognatio contrahitur; non etiam cum cærimoniæ, quæ tunc defuerunt, in Eccleſia adhibentur. Quare Baptiſmus infantis, qui domi ob neceſſitatem baptizatus eſt, in librum Baptizatorum ita referatur, ut ſi alius domi ad Baptiſmum, alius in Eccleſia ad Catechiſmum, exorciſmumque adhibitus ſit Patrinus, utriusque nomen in hunc modum ſimul annotetur: *Suſceptor in Baptiſmo N. Suſceptor in Catechiſmo & exorciſmo N.*

CAPUT VII.

Non admittantur in Patrinos notorie hæretici, notorie excommunicati, publici uſurarii, vel aliter publice infames; neque etiam minores duodecim annis, aut qui per inopiam mentis notitiam non habent ejus fidejuſſionis, ad quam ſe offerunt; eademque cautio ſit de Commatribus.

CAPUT VIII.

Monachi quoque, (h) etſi Abbatiali fulgeant dignitate, de Baptiſmo aliquem ſuſcipere, compatresque aut commatres habere, Sacris Canonibus prohibentur. Quare nec per Procuratorem ejusmodi cognationem contrahere ipſis licet.

CAPUT IX.

Infans peſte laborans, aut eo nomine ſuſpectus, quia ex matre peſtifero morbo affecta eſt natus, quam primum a Sacerdote peſte laborantium curam gerente infuſionis ritu baptizetur. Ubi vero ejusmodi Sacerdos vel non eſt, vel non adeſt, idem confeſtim ab alio præſtetur, qui præſens baptizandi formam norit. Poſtea ſi infans ſuperſtes fuerit, ſimul atque ab omni ſuſpicione liber erit, in Eccleſia ſua Parochiali Parocho ſiſtatur, ut is reliquas ſtatas cærimonias ex inſtituto Eccleſiæ adhibeat.

CAPUT X.

Religioſi inſtituti olim fuit, diem Baptiſmi, qui ſolemni abrenuntiationis ſponſione inſignis eſt, quotannis a fidelibus pie celebrari. Quæ ſane inſtitutio cum ad pietatis Chriſtianæ cultum, piamque morum diſciplinam, non parum adjumenti adferre ſoleat; eam in uſum revocari vehementer in Domino cupimus. Itaque Parochi & Confeſſarii, prout occaſio tulerit, cohortationis officio in id incumbant, ut fidelium, quorum curam gerunt, unusquisque diem illum, quo baptizatus eſt, non conviviorum apparatu, non luxu, non operibus tenebrarum, cum dies lucis ſit, ſed ardentiori prece, eleemoſyna, ſi per facultates liceat, omnique charitatis opere atque officio, & pietatis exercitatione, ſpiritalisque gaudii celebritate quotannis recolat, memor ſe chirographo damnationis deleto hæreditatis cœleſtis participem in Chriſto Domino factum fuiſſe.

CAPUT XI.

Infantes ſine Baptiſmo morientes in loco ſacro non ſepeliantur.

TITULUS IV.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

Si quos præmature parentibus orbatos, vel alios quoscumque, poſt debitam inquiſitionem adhuc dubitare contingat, num Sacramentum hoc ſuſcepe-

(f) Sac. Congreg. Conc. Trid. ſuper C. 2. Seſſ. 24. de Reform. Matr.
(g) Sac. Congreg. ubi ſupra. (h) Can. 101. & 102. de Conſecrat. diſtinct. 4.

ſceperint, nec ne; illi dubium ſuum Nobis exponant, ut ſub conditione confirmari poſſint, ſi ita fieri debere judicaverimus.

CAPUT II.

Chriſtianæ fidei rudimentis (*i*) non edoctus, non ſe ingerat ad percipiendum hoc Sacramentum, vel ad tenendum confirmatum.

CAPUT III.

Non confirmatus (*k*) nec ad ſuſceptionem primæ tonſuræ admitti, nec Patrinus eſſe poteſt. Et generaliter, qui in Baptiſmo Patrinus eſſe prohibetur, hic quoque eſſe non poterit.

CAPUT IV.

Jejuni ad Confirmationem (*l*) accedant, & ſi non perfectæ ætatis, ut Concilio Aurelianenſi olim ſtatutum fuit; ſaltem ſeptennio non ſint minores, ut melius ſuſcepti Sacramenti memores eſſe poſſint, niſi ex rationabili cauſa confirmanti aliud videatur.

CAPUT V.

Confirmati ſecundo demum aut tertio die poſt ſuſceptum hoc Sacramentum faſcias deponant; & tum frontes eorum ſale & aqua a Sacerdote laventur & abſtergantur. Porro faſciæ conſerventur in Sacrario, aut alio loco honeſto, comburendæ ad cineres ſacros in die Cinerum. Aqua vero lotionis in piſcinam mittatur.

TITULUS V.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

Confeſſarii prudentes ſint ac circumſpecti, non ſolum in injungendis pœnitentiis (ideoque etiam pro peccato occulto pœnitentiam publicam non imponant) verum etiam in examinando pœnitentes, præſertim circa vitia carnis; ne indiſcretis interrogationibus eos doceant peccata quæ ignorant, vel aliter ſcandalizent.

CAPUT II.

Meminerint etiam occaſiones propinquas peccandi mortaliter vitandas eſſe, easque vitare nolentibus beneficium abſolutionis non eſſe impendendum. Et generaliter ea ſinceritate, prudentia, & ædificatione munere ſuo fungantur, quemadmodum & tanti miniſterii ſanctitas poſtulat, & animarum ſalus depoſcit.

CAPUT III.

Nemo etiam vota obedientiæ a filiabus confeſſionis exigat vel admittat, ſub pœna arbitraria.

CAPUT IV.

Si (quod abſit) Sacerdotem cum filia ſpirituali, quam baptizavit, vel de ſacro Fonte levavit, vel in Confirmatione tenuit, aut cum muliere, (*m*) cujus Sacramentalem Confeſſionem audivit, fornicari contingat; ſciat quicumque hoc ſcandalum dederit, ſe mox deponendum, & inſuper juxta ſacros Canones ſine conniventia puniendum.

CAPUT V.

Nec ex ritu antiquo fit, nec ex ſapientum uſu, nec ex ratione, nec ex dignitate Sacramenti, ut Confeſſarius, dum pœnitentem abſolvit, aperto ſit capite. Quare deinceps non niſi capite coopertus Sacramentalis abſolutionis ſententiam ferat.

CAPUT VI.

Caſus Archi-Epiſcopo reſervati ſunt hi: Sodomia cum aliis delictis ejusdem generis gravioribus, raptus virginum, homicidium voluntarium, incendium ex deliberata voluntate procuratum, Simonia, hæreſis, apoſtaſia, inceſtus cum conſanguineis, aut Sanctimonialibus, injectio manuum violenta deliberato propoſito cum læſione in parentes facta, ſortilegium, adulterium notorium, & omnia delicta, quæ excommunicationem Ordinario reſervatam annexam habent.

CAPUT VII.

Pauperes de annua ſaltem Confeſſione ac Communione in Paſchate legitime non docentes, prima vice ad tres menſes, ſecunda vero vice in perpetuum

(*i*) Pontificale. (*k*) Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 4. de Reform. Can. 100. diſt. 4. de Confec. & Pontificale. (*l*) Can. Ut jejuni. diſt. 5. de Confecr.
(*m*) Can. Si quis Sacerdos, & can. Non debet. 30. quæſt. 1.

petuum omni subsidio mensæ S. Spiritus priventur.

CAPUT VIII.

Ut perversis & reprobis hominibus omnis calumniandi occasio, quantum fieri potest, subtrahatur; ultra ea, quæ circa hujus Sacramenti administrationem in Concilio Provinciali statuta sunt, mandamus, ut dum tenebræ sunt, nemo nisi adhibito lumine fœminarum confessiones excipiat.

TITULUS VI.

De Smo Eucharistiæ Sacramento.

CAPUT I.

Parochi subditos suos sæpe hortentur, ut dum Sanctissimum hoc Sacramentum ad ægrotum defertur, indeque ad Ecclesiam reducitur, frequentes illud ac devote comitentur, tædasque ardentes eidem præferant: nec non ut ægrotantis cubiculum ab omni sorde prius purgetur, & mensa, si non nitida mappa, saltem alio mundo linteo honeste constrata, & cruce, luminaribus, ac vasculo aquæ benedictæ instructa præparetur, in qua pyxis cum Sanctissimo ipso Sacramento collocari possit.

TITULUS VII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT I.

Dum sacrum Oleum infirmorum ad ægrotos defertur, Custos superpelliceo indutus lumen præferat, non etiam nolam sonantem.

CAPUT II.

Si ægrotus, dum sacro Oleo ungitur, extremum spiritum emiserit, Parochus ungere desistat. Si vero aliqua morbi vis derepente illum oppressit, ut dubitetur vivusne sit, an mortuus, Parochus ea conditione in unguendo utatur: *Si es vivus, per istam Sanctam Unctionem*, &c.

TITULUS VIII.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

Testimonia vitæ, juxta præscriptum Concilii Provincialis ab ordinandis adferenda, sint insuper debite clausa & obsignata; vel saltem, si ordinandi sint Regulares, ab eorum Superioribus subsignata, & consueto sigillo munita.

CAPUT II.

Ne quis forte a susceptione Ordinis Sacerdotii a Nobis rejectus, ad confusionem apud suos evitandam Ministerium Sacerdotale, quod non accepit, sacrilega temeritate usurpare attentet; mandamus, ut nemo Primitias celebrare permittatur, antequam Superiori Ecclesiastico, sæculari, vel Regulari ejus loci, ubi Primitias celebrare intendit, literas suscepti Sacerdotii exhibuerit.

CAPUT III.

Ut Clericus sæcularis sacris Ordinibus initiandus ante docere debet, sibi provisum esse de sufficienti titulo Beneficiali, vel Patrimoniali, & insuper jurare, quod titulum illum, quem pro futura sua promotione exhibet, vere, & sine ulla fraude possideat: ita quoque Clericus Regularis testimonio sui Superioris ante docere debet, se Religionis, cui asscriptus est, professionem emisisse, & insuper jurejurando affirmare, se eam sponte fecisse, aut ratam habuisse; illudque in registro ordinandorum diserte exprimatur.

CAPUT IV.

Ordinati Sacerdotes intra quadraginta dies, juxta antiquam consuetudinem, Primitias celebrent.

CAPUT V.

Ordinandi titulo patrimoniali copiam authenticam ejusdem tituli penes Secretarium Curiæ nostræ relinquent.

TITULUS IX.

De Sponsalibus & Matrimonio.

CAPUT I.

Cum Sponsalia de futuro a Sacro Concilio Tridentino (*n*) sint intacta, atque ita relicta in terminis, & dispositione Juris communis, præterquam quod per copulam carnalem non transeant in Matrimonium; certum est ea

(*n*) Sacra Congregatio Conc. Trid. supra Cap. 1. Sess. 24. de Reform. Matrim.

ea esse valida, & servari debere, etiamsi coram Parocho & testibus contracta non fuerint: & cum multi perperam aliter sentiant, error ille a Concionatoribus & Confessariis data oportunitate iis eximatur.

CAPUT II.

Ebriis Sponsalia contrahere volentibus Parochus operam suam non impendat.

CAPUT III.

Decretum Sacri Concilii Tridentini (o) irritans & annullans Matrimonia, quæ aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus contrahuntur, in omnibus & singulis Ecclesiis Parochialibus totius Diœcesis iterum publicetur ante proximum festum Nativitatis Domini: & Archi-Presbyteri in prima visitatione post idem festum serio ubique inquirant, num id præstitum sit, & in actis visitationis singularum Ecclesiarum expresse annotent, an huic mandato satisfactum sit, nec ne; ut inobedientes, si qui fuerint, debite puniri, eorumque defectum suppleri curemus.

CAPUT IV.

Sæpe declaratum est, & ex abundanti rursus declaramus, irritum plane, ac nullum esse Matrimonium, quod contrahitur coram Parocho quidem loci, sed neutrius contrahentium.

CAPUT V.

Grave est peccatum, quod post contracta Sponsalia desponsi carnaliter se cognoscant, antequam Matrimonium per verba de præsenti coram Parocho & testibus contractum sit. Ideoque Parochi Sponsalia coram se contrahentes admoneant, ut ad periculum incontinentiæ, aliaque inconvenientia evitanda, intra sex septimanas post factas proclamationes, si Canonicum impedimentum denuntiatum non fuerit, ad Matrimonii solemnizationem procedant; utque ante Sacerdotalem Benedictionem, in Templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent. (p)

CAPUT VI.

Laudabilis est hujus nostræ Diœcesis consuetudo, quod Matrimonia & in Ecclesia, quæ Sacramentorum proprius locus est, & inter Missarum solemnia contrahantur. Quare cum Sacrum Concilium Tridentinum (q) ejusmodi consuetudines retineri vehementer optet, præcipimus, ne quis absque speciali nostra licentia ei contravenire audeat.

CAPUT VII.

Si quando super una trium denuntiationum a Nobis dispensetur, eo die, quo posterior reliquarum duarum facta fuerit, Matrimonium contrahi prohibemus. Idemque multo magis servetur, quando unica tantum denuntiatio facienda est, reliquis duabus ob causam a Nobis remissis.

CAPUT VIII.

Si Matrimonium contracturi in Parochia, in qua est moderna eorum habitatio, brevem moram traxerint, ita ut ibidem non sint satis noti; etsi ibidem Matrimonio jungi possint, (r) nihilominus in Parochia, in qua prius habitarunt, ubi verisimilius est fore ut impedimenta sciantur, denuntiationes omnes fieri volumus.

CAPUT IX.

Quando aliter, quam coram proprio Parocho Sponsalia contracta sunt, Matrimonii denuntiationes non ante ab eo fiant, quam ipsimet Sponsus & Sponsa id exigant, aut coram assensum præbeant. Qui quidem assensus, si non ejusdem Parochiæ sint, a proprio cujusque Parocho cognosci, atque alteri ab altero testimonii literis significari debet.

CAPUT X.

Cum ex longa conjugis absentia non resultet certitudo de ejus obitu, & mors non præsumatur, sed probanda sit, (quilibet enim vivere præsumitur) ad secundas nuptias convolare desiderans, Matrimonio non jungatur, nisi habita prius legitima certitudine de morte prioris conjugis; etiam si non

(o) Cap. 1. Sess. 24. de Refor. Matr.
(p) D. c. 1. Sess. 24. §. Præterea.
(q) C. 1. §. Postremo, ℣. Si quæ, Sess. 24. de Reform. Matrim.
(r) Sacra Congreg. Conc. Trid. super d. cap. 1. §. Postremo.

non ſeptem tantum, ut multis perſuaſum eſt, ſed etiam viginti, triginta, & plures annos continuos eum abfuiſſe conſtiterit.

CAPUT XI.

Qui quarto ſimul & quinto conſanguinitatis, vel affinitatis gradu juncti ſunt, cum citra diſpenſationis beneficium libere, ac licite Matrimonium contrahere poſſint, nemo illis deſuper difficultatem moveat.

CAPUT XII.

Etſi deſponſi, doctrinæ Chriſtianæ rudimenta plane ignorantes, ob id a Matrimonio contrahendo arceri non debeant; Parochi tamen ſuaviter, & bono modo, quando contrahentes non inſtabunt, brevi tempore eos retinere poterunt, donec doctrinam neceſſariam addiſcant: & ita fieri expedit.

TITULUS X.

De Doctrina, & Prædicatione Verbi Dei.

CAPUT I.

Concionator quilibet ita mores ſuos componat, & in omnibus ſe gerat, ut ab iis, quæ verbo docet, vita non diſcrepet; & quod ædificat prædicatione, converſatione non deſtruat. Nec oſtentandæ doctrinæ, vel eloquentiæ cauſa, difficiles & inanes quæſtiones moveat; unde ſui ipſius potius, quam Jesu Christi prædicator eſſe videatur. Sed præcipue in Evangelii, Symboli, Orationis Dominicæ, Salutationis Angelicæ, Decem præceptorum, Sacramentorum Eccleſiæ, Miſſæ, & Sacrorum Rituum dilucida explicatione verſetur.

CAPUT II.

In reprehendendis quoque vitiis ita ſe gerat, ut pietatis, & charitatis ſtudio eum adductum, non hominum, ſed peccatorum odio id facere omnes intelligant.

CAPUT III.

Quod in Concilio Provinciali ſtatutum eſt, ut Paſtores neminem omnino in Eccleſiis ſuis concionari permittant, qui de licentia Ordinarii in ſcriptis non prædocuerit; de licentia Ordinarii, non perſonæ, ſed loci, intelligi debet. Itaque in hac noſtra Diœceſi noſtra licentia requiritur.

CAPUT IV.

Curatoribus animarum (s) ſeu Parochis per ſe munus Prædicatoris obire volentibus, ſciant cæteri omnes ſe illis cedere debere.

CAPUT V.

Quia unusquisque juxta Concilium Tridentinum (t) Parochiæ ſuæ intereſſe tenetur ad audiendum verbum Dei, ubi commode id fieri poteſt; quo tempore illud in Eccleſia Parochiali annuntiatur, nemo in Capellis, quæ Parochiæ finibus continentur, concionari, aut Miſſam celebrare præſumat, ſub pœna arbitraria. Et ſimiliter nemo in eadem Eccleſia ſub concione Miſſam etiam privatam celebret.

CAPUT VI.

Nemo extraneus fidelium eleemoſynis e ſuggeſtu commendetur ſine conſenſu noſtro in ſcriptis.

TITULUS XI.

De Officio Divino, Cæremoniis, Locis ſacris, & exequiis Defunctorum.

CAPUT I.

Excommunicati (u) ob notoriam percuſſionem Clerici, vel ob quamcumque aliam cauſam excommunicati denuntiati; item uſurarii publici, & quicumque alii publice, & notorie criminoſi, Sacrificio Miſſæ intereſſe non permittantur.

CAPUT II.

Dum Sacrificium Miſſæ peragitur, nunquam candelæ ſebaceæ ſolæ in altari accendantur; ſed cum iis, vel ſine iis, ſemper duæ candelæ cereæ decentis formæ ardeant.

CAPUT III.

Purificatoriis calicum nemo ad emungendum nares, ſudoresve abſtergendum, abutatur.

CAPUT

(s) Sac. Congr. Conc. Trid. ſuper C. 4. Seſſ. 24. de Refor. (t) Seſſ. 24. c. 4. de Refor.
(u) Conc. Trid. Seſſ. 22. in Decret. De obſerv. & evit. in celebr. Miſſæ.

CAPUT IV.

Ad ſatisfaciendum Statuto Concilii Provincialis, quo ordinatur, ut Ordinarii in ſingulis Decanatibus ſuæ Diœceſeos aliquos deputent cærimoniarum,& rituum Eccleſiæ Romanæ peritos, qui Primitias celebraturos iisdem cærimoniis ac ritibus debite inſtruant; volumus proxima congregatione Paſtorum duos ejusmodi a ſingulis Archi-Presbyteris noſtro nomine deſignari; & quando aliquem eorum e vivis excedere, aut locum mutare continget, mox alium ejus loco conſtitui.

CAPUT V.

Irreverentiam omnem circa res ſacras cavere cupientes, mandamus, ut Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, Sanctorumve Reliquiæ, aut ſtatuæ, non a currui vel equis inſidentibus, ſed a peditibus tantum in Proceſſionibus circumferantur.

CAPUT VI.

Quia in noviſſimo Concilio Provinciali ordinatum eſt, ut in omnibus pagis totius Provinciæ Miſſa Parochialis Dominicis,& Feſtis diebus certa,& eadem hora ſemper fiat; eam determinantes quoad hanc noſtram Diœceſim, mandamus, ut a feſto Paſchæ uſque ad feſtum S. Remigii, ſeu Kalendas Octobris, Miſſa Parochialis celebretur hora octava, vel circiter; a Kalendis vero Octobris uſque ad Paſcha, hora nona.

CAPUT VII.

Celebrans, eique miniſtrantes, pileum, biretum, chirothecas, claves, cæteraque hujusmodi in altari non ponant.

CAPUT VIII.

Altarium portatilium uſus, ex neceſſitate hactenus permiſſus, in conſuetudinem trahi non debet: quapropter mandamus omnibus, quorum intereſt, ut altaria ſua profana, vel profanata, mox conſecrari curent; a Feſto S. Remigii proxime venturo, altarium portatilium uſum omnibus his, quibus ex rationabili cauſa interea eum non permiſerimus, prohibentes.

CAPUT IX.

Cum propter inæqualitatem præbendarum, aliasque ob cauſas, una generalis regula ſtatui nequeat quoad executionem Decreti Concilii Tridentini, ac Statuti Concilii Provincialis, de tertia parte fructuum,& quorumcumque proventuum in diſtributiones convertenda; ſingula Capitula modum & rationem id debite efficiendi ſibi concipiant, & ante finem hujus anni Nobis exhibeant.

CAPUT X.

Ut juxta præſcriptum utriusque Concilii Provincialis diſtributionibus privandi ſunt, qui ante *Gloria Patri* primi Pſalmi cujusque Officii uſque ad finem eidem Officio actualiter non interſunt: ita quoque iis privari volumus, qui in Miſſis votivis, & anniverſariorum, quæ ex fundatione ſine Commendationibus canuntur, ante primam Collectam; in Vigiliis vero ante finem ſecundi Pſalmi Veſperarum,& in Commendationibus ante initium Pſalmi *In exitu*, uſque ad finem non interſunt.

CAPUT XI.

Paſtores, eorumque Vicarii, tamquam præſentes in Choro habeantur, (*u*) dum ſunt in actu adminiſtrandi Sacramenta, vel alia exercendi, quæ ſpectant ad curam animarum illi Eccleſiæ imminentem.

CAPUT XII.

Qui ſolum mentaliter Horas dicit, obligationi non ſatisfacere declaramus.

CAPUT XIII.

Aëris tempeſtate exorta campanæ pulſentur, ſicut Eccleſiaſticæ conſuetudinis eſt; tum ad tempeſtatem illam vi Divina, quæ ex ſolemni prece, ſacraque benedictione illis ineſt, depellendam; tum ut fideles ad orandum, & Dei miſericordiam piis orationibus implorandam, excitentur.

CAPUT XIV.

Tolerari non debet, quod Eccleſiæ ſic exponantur ſupellectilibus profanis, ut potius domus laicæ, quam Dei Baſilicæ videantur. Quare, quod ab INNOCENTIO III. in Concilio Late-

(*u*) Super Cap. 12. Seſſ. 24. de Reform.

Lateranensi (x) pie sancitum est, deinceps exacte observari volumus; ne scilicet hujusmodi supellectilia in Ecclesiis admittantur, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes, ad eas oporteat habere refugium: quibus etiam casibus, necessitate cessante, res in loca pristina reportentur.

CAPUT XV.

Arbores ab Ecclesiis quibusvis ita remotæ sint, ne aut per radicum dilatationem parietum fundamentis, aut per ramorum diffusionem tectis, aut fenestris officiant: & ubi officiunt, excidantur. Hederæ quoque Ecclesiarum parietibus adhærentes prorsus evellantur.

CAPUT XVI.

Cœmeteria muris, fossis, aut sepibus ita concludantur, ut equis, vaccis, porcis, aliisque similibus animalibus nullus pateat accessus.

CAPUT XVII.

Nec sine gravi injuria loci sacri tolerari potest, ut in cœmeteriis tripudietur; ideoque id districte prohibemus.

CAPUT XVIII.

Liba quoque, placentæ, & similia in cœmeteriis non vendantur: neque strues lignorum in iis fiant, lignave congerantur: & generaliter nihil in iis permittatur, quod loci religioni ac sanctitati repugnet.

CAPUT XIX.

Usurarium manifestum, etsi per testamentum usuras restitui mandaverit, nemo tamen ad Ecclesiasticam sepulturam admittat, nisi actualiter etiam, prout facultates tulerint, usuras restituerit, vel de iis restituendis idonee caverit, juxta Constitutionem GREGORII X. sub pœna Canonum. (y)

CAPUT XX.

Irrationabilis & irreligiosa est consuetudo aliquorum locorum, qua exequiæ occisorum differuntur, usque dum inter homicidam & defuncti hæredes sit transactum; atque ideo eam abrogantes, cum primum fieri poterit, exequias sic defunctis persolvi mandamus.

TITULUS XII.

De Festis & Jejuniis.

CAPUT I.

Diebus Dominicis, aut Festivis tempore concionis, (z) summi Sacri, vel Vesperarum in tabernis potitantes, aut publicis lusibus, vel tripudiis vacantes, denuntientur, pro qualitate personarum, & modo scandali puniendi.

CAPUT II.

Sanctus Rumoldus, Archi-Episcopus, & Martyr, cujus solemne Festum Kalendis Julii in Civitate Mechliniensi quotannis celebratur, extra eam tertio die Julii per omnes Ecclesias totius Diœcesis, Officio duplici honorari merito debet, atque ita fieri mandamus.

CAPUT III.

Festum Cathedræ S. Petri, vel festum S. Matthiæ in diem Cinerum incidens, in diem sequentem tam in populo, quam in Ecclesiis celebrandum transferatur.

CAPUT IV.

A die Cinerum usque ad Vigiliam Paschæ inclusive, non modo omnibus diebus etiam Dominicis a carnibus, & ovis abstinendum est, omnibusque diebus præter Dominicos jejunandum, etiam festis, ac die Cœnæ Domini; verum etiam quatuor ultimis diebus abstinendum est a lacticiniis. (a) Cæteris vero diebus lacticiniorum usus ita permittitur, ut ea gratia uti volentes singuli legant semel Orationem Dominicam cum Salutatione Angelica, & offerant unum stuferum in cista, quæ in qualibet Ecclesia Parochiali ad id destinata est, applicandum pro tertia parte eidem Ecclesiæ, & pro reliquis duabus tertiis Seminario nostro. Qui vero istam erogationem facere non volent, legent quotidie ter Orationem Domi-

(x) Cap. 2. Extrav. De custod. Eucharist.
(z) Edicto Principum pro observ. Festorum.
(y) C. Quamquam, de Usuris. in 6.
(a) Can. 6. & 7. dist. 3. de Consecr.

Dominicam, & toties Salutationem Angelicam.

CAPUT V.

Caveant, quantum poterunt, qui ob legitimam causam a jejunio excusantur, quibusve ovorum, vel etiam carnium usus permittitur, ne alios suo exemplo ad violandum jejunium, vetitosve cibos comedendum, provocent.

CAPUT VI.

Totis tribus Rogationum diebus festum Ascensionis Domini immediate præcedentibus abstineatur a carnibus, iisdemque usque ad prandium saltem jejunetur.

CAPUT VII.

Festo Nativitatis Domini (*b*) in feriam sextam incidente carnes comedere omnibus licitum est, qui voto vel professione non impediuntur.

TITULUS XIII.

De Sanctorum Reliquiis, & Imaginibus.

CAPUT I.

Etsi antiquæ Sanctorum Reliquiæ haberi debent in veneratione, in qua hactenus habitæ fuerunt; novæ tamen publicæ venerationi non exponantur, nisi prius a Nobis juxta præscriptum Sacri Concilii Tridentini (*c*) recognitæ, & approbatæ fuerint.

CAPUT II.

Inter novas Reliquias computandæ, seu jure ipsarum censendæ sunt, quæ antiquorum quidem Sanctorum esse dicuntur, at jam recens ad eas Ecclesias, in quibus modo sunt, delatæ fuerunt.

CAPUT III.

Doceatur subinde rudis populus, imaginibus Christi, & Sanctorum cultum & honorem non exhiberi propter ipsarum materiam, elegantiam, externum ornatum, vel aliud quid simile; sed tantum propter eos, quos nobis repræsentant, atque ita nos in signis prototypa venerari, ut in ipsis signis, seu imaginibus neque ullam fiduciam collocemus, neque Divinitatem aliquam inesse credamus.

CAPUT IV.

Si quæ sacræ tabulæ, imaginesve nimia vetustate, carie, situ, aut sordibus pene deletæ tam indecenti aspectu sint, ut contemptum potius, quam venerationem excitent; eæ pie, religioseque restaurentur ab iis, quorum interest; aut si id fieri nequeat, omnino deleantur.

TITULUS XIV.

De Superstitione, & Exorcismis.

CAPUT I.

Abominanda est eorum vanitas, & superstitio, qui certo numero, & præscripta forma Missarum, vel precum affirmant certas, designatasque animas e Purgatorio semper liberari; quive certo pollicentur sine Pœnitentia, & Sacramentis ex hac vita non migraturos eos, qui hunc, vel illum ex Sanctis coluerint.

CAPUT II.

Licentiam exorcizandi a Nobis adeptus, pura, & munda conscientia, magnaque humilitate, ac fide ad id muneris obeundum accedat, in ejusdemque functione graviter, pie, ac religiose se gerat, nec verba vel ritus Pastoralis nostri excedat.

CAPUT III.

Mulieri energumenæ exorcismum adhibiturus, id præstet duabus saltem personis probatæ vitæ præsentibus; iisque, si fieri possit, energumenæ consanguineis, aut affinibus.

TITULUS XV.

De Archi-Episcopali Sede vacante.

CAPUT I.

Capitulum Metropoliticum Sede vacante infra octo dies non plures Vicarios, sed unum tantum Vicarium constituet, vel existentem confirmabit, juxta præscriptum Sacri Concilii Tridentini. (*d*) Et is semel a Capitulo electus, vel confirmatus, postea sine justa & rationabili causa removeri non poterit.

CAPUT

(*b*) Cap. ult. De observ. jejun. (*c*) Sess. 25. De invoc. venerat. & Reliq. Sanctorum.
(*d*) Sess. 24. cap. 16. de Reform. & Sacra Congreg. ibidem.

CAPUT II.

Si forte in conſtitutione Vicarii diſcordiam inter eligentes oriri contingeret, & plures ad hoc officium eligerentur; in ejusmodi controverſia magis idoneus, & habens qualitates Concilii, remanere debebit cæteris remotis, ut a Sacra Congregatione declaratum eſt. In dubio vero is electus cenſeatur, qui a Capituli majori parte delectus fuerit.

CAPUT III.

Mox quoque (e) a vacatione Sedis Oeconomus unus, vel plures fideles, ac diligentes a Capitulo decernantur; iique ſemel electi, a Capitulo non mutentur ſine juſta, & rationabili cauſa. Idemque ſervetur quoad cæteros Officiarios.

CAPUT IV.

Vicario autem, aliisve Officiariis abſentibus, ſubſtitutorum electio non ad Capitulum, ſed ad Vicarium ſpectabit.

CAPUT V.

Meminerit ejusmodi Vicarius, (f) non ſolum Capitulo ſub pœna interdicti prohibitum eſſe infra annum a die vacationis ipſius Sedis, literas dimiſſorias ad Ordines etiam minores alicui, qui Beneficii Eccleſiaſtici recepti ſeu recipiendi occaſione arctatus non fuerit, concedere, at ſibi quoque id non licere; & ſi eas conceſſerit, ſe ab officio, & beneficio per annum ipſo jure ſuſpenſum fore.

CAPUT VI.

Beneficia (g) quoque ad collationem Archi-Epiſcopi ſpectantia, per Capitulum, vel Vicarium Sede vacante non conferantur: deſervitores tamen & adminiſtratores ejusmodi beneficiorum vacantium licite conſtituentur: & præſentati a Patronis, ſi idonei judicati fuerint, per Archi-Diaconum inſtitui poterunt.

CAPUT VII.

Denique (h) ſi quam ex novem præbendis affectis Sede vacante vacare contigerit; reliqui ejusmodi præbendas obtinentes, libere illam, debite tamen qualificato, conferre poterunt, Sedis vacatione non obſtante.

TITULUS XVI.

De Archi-Presbyteris, Paſtoribus & Cuſtodibus, eorumque officiis.

CAPUT I.

Quicumque deinceps de Paſtoratu providebitur, is, antequam in poſſeſſionem ab Archi-Presbytero inducatur, non modo Fidei profeſſionem, verum etiam juramentum a Concilio Provinciali hoc titulo præſcriptum, coram eodem Archi-Presbytero & duobus teſtibus præſtabit; & utrumque ab eo præſtitum eſſe, Archi-Presbyter in regiſtro ſuo annotabit, cum expreſſione diei & teſtium.

CAPUT II.

Similiter adepturus deinceps quodcumque beneficium non curatum, præſtabit juramentum coram Archi-Presbytero, & duobus teſtibus, antequam poſſeſſio ei detur, quod ſpecificationem omnium fructuum ejusdem ſui beneficii cum debita deſignatione hypothecarum, limitum, & terminorum, infra ſex menſes Archi-Presbytero tradet; & dies præſtiti juramenti, ac nomina teſtium, regiſtro Archi-Presbyteri exacte inſcribentur. Et ſi quis Paſtorum, aliorumve Beneficiatorum, intra tempus juratum debitam ſpecificationem omnium fructuum non tradiderit, mox denuntietur citandus, & puniendus de perjurio.

CAPUT III.

Porro quæcumque, & qualiacumque beneficia curata, vel non curata inpræſentiarum obtinentes, ſi plenam & perfectam deſignationem omnium fructuum intra decem annos ultimo elapſos Archi-Presbytero ſuo non tradiderint; ut intra ſex menſes proxime venturos id præſtent, rogamus, & hortamur in Domino: & nihilominus in virtu-

(e) Conc. Trid. Seſſ. 24. cap. 16. de Refor.
(f) Conc. Trid. Seſſ. 7. c. 10. & Seſſ. 23. cap. 10. de Reform.
(g) Cap. 2. Ne Sede vacante.
(h) Cap. unico. Ne Sede vacante, in 6.

virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœna arbitraria pro modo culpæ & negligentiæ, omnibus & ſingulis mandamus.

CAPUT IV.

Paſtor quilibet de Canonica portione ſummarie, & de plano ſibi provideri deſiderans, ante omnia exhibeat Nobis, Vicario, aut Officiali noſtro, libellum ſupplicem, in quo contineatur, cuive annexa ſit plena, eaque particularis, & proprio juramento firmata declaratio bonorum, quæ ratione Eccleſiæ ſuæ Parochialis ipſi competunt. Neque certi tantum fructus & emolumenta exprimantur, ſed incerta quoque, & accidentalia trium, aut quatuor communium annorum ultimo præteritorum.

CAPUT V.

Archi-Presbyteri Eccleſias Decanatus ſui viſitaturi, tempus viſitationi deſignatum Paſtori tempeſtive præſignificent, caveantque, ne occaſione viſitationum comeſſationes ullæ fiant.

CAPUT VI.

Tempeſtive quoque ſinguli viſitationes ſuas abſolvent, & acta earumdem nitide deſcripta, & a ſe ſubſignata, quotannis ante Kalendas Julii ad Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem transmittent.

CAPUT VII.

Quotannis etiam prima feria ſecunda Auguſti, & ſi Kalendæ Auguſti in feriam ſecundam inciderint, ipſis Kalendis aderunt omnes Mechliniæ; & altero die mane hora octava in Sacello noſtro domeſtico ſe ſiſtent gratiam Spiritus Sancti nobiſcum invocaturi, ac deinde audituri, quæ poſt mutuam collationem, maturamque deliberationem, pro utilitate animarum ſtatuenda & ordinanda duxerimus.

CAPUT VIII.

Præterea ſinguli undecim Archi-Presbyterorum celebrabunt annuatum Capitulum Paſtorum ſui diſtrictus ordine & tempore hic deſignato: Primum omnium celebrabitur Mechliniæ, ſecundum Dieſtemii; tertium Leeuwis S. Leonardi; quartum Thenis; quintum Lovanii; ſextum Bruxellæ; ſeptimum in Decanatu Leeuwenſi S. Petri; octavum Gerardimonti, nonum in Decanatu Rothnacenſi; decimum in Decanatu Oiſterzelenſi; undecimum Alo-ſti. Et primum quidem, ſcilicet Mechlinienſe, celebrabitur prima feria quarta poſt Feſtum Aſſumptionis Deiparæ Virginis; feria ſecunda immediate ſequenti celebrabitur Capitulum Dieſtenſe: huic feria quarta proxima ſuccedet Capitulum Leeuwenſe S. Leonardi; & ſic deinceps, ordine prædicto, ſingulis feriis ſecundis & quartis. Quæ feriæ, ſi per Feſtum aliquod aut jejunium impediantur, celebrabitur Capitulum poſtero die non impedito; alioquin proxima feria ſecunda vel quarta.

CAPUT IX.

Porro hæc ipſa Capitula ſic celebrentur, ut ea non ad comeſſandum, ſed ad tractandum de rebus ſeriis indicta eſſe omnibus innoteſcat. Proinde in illis initium rerum agendarum ſumatur ab invocatione Spiritus Sancti, quo dirigente de rebus Eccleſiæ conferatur. Prandium vero non fiat, niſi frugale & moderatum, ut nemo ſumptibus vel potu gravetur; nec umquam illud in taberna vel diverſorio inſtituatur. Extranei quoque, per quos tractatio de rebus Eccleſiæ poſſit impediri, ab eo excludantur.

CAPUT X.

Quandocumque aliquem Beneficiatum ex hac vita migrare continget; Archi-Presbyter, cui is ſuberat, mox in domo mortuaria de literis, manualibus, & munimentis Eccleſiam, menſam pauperum, aut beneficia concernentibus diligenter inquirat, eaque omnia ad ſe recipiat; curaturus, ut ea, quæ ad fabricam, & menſam pauperum ſpectabunt, cæteris earum munimentis mox apponantur; literas vero originales beneficia tangentes, cæteraque hujusmodi, Nobis transmiſſurus, exceptis tamen manualibus, quæ ſucceſſori defuncti in beneficio tradentur.

CAPUT XI.

Omnino caveant Parochi, ne aliquem Sacerdotem in cura animarum ſuſtinenda, gerendave ſibi adjungant, qui

qui se a Nobis approbatum esse, in scriptis non docuerit.

CAPUT XII.

Si quas inimicitias, rixasve aliquas inter subditos suos, præsertim conjuges, intercedere Parochus cognoverit; omni ratione ac studio, ne diuturniores fiant, componere, ac sedare studeat.

CAPUT XIII.

Pastores oblationes suas nullo modo alteri elocent; & quotannis ante messem e suggestu populo publicent tenorem Decreti Concilii Tridentini de solvendis Decimis, quod habetur *Cap.* 12. *Sess.* 25. *de Reform.*

TITULUS XVII.

De vita & honestate Clericorum.

CAPUT I.

ILlud unusquisque Clericus sæpe repetat, se non ad inertiam & ignaviam, sed ad spiritualis & Ecclesiasticæ militiæ labores vocatum esse. Sciat propterea id in officio suo positum esse, ut cum vel in officiis Divinis obeundis, vel in frequentandis Ecclesiis, quod debet, tempus consumpserit, siquid sibi reliquum est, id omne non in rerum sæcularium colloquiis, profanisque actionibus, sed in Divinarum literarum studiis, & in cœlestium rerum contemplationibus, & sanctis, piisque officiis traducat.

CAPUT II.

Quilibet Clerici beneficiati, quamdiu nullo Ordine sacro insigniti fuerint, saltem in quatuor majoribus Festivitatibus anni Sacram Eucharistiam reverenter sumant; salva consuetudine earum Ecclesiarum, ubi frequentior Communio esse solet. (*i*) Sciantque Diaconi & Subdiaconi maxime decere, ut singulis diebus Dominicis & solemnibus altari ministrantes Sacram Communionem percipiant.

CAPUT III.

Sacerdotes vero, ne tanti, tamque pretiosi talenti sibi frustra crediti severissimo Judici magno suo malo rationem sint reddituri, nullos dies Dominicos, Festave solemnia; (*k*) nisi legitima gravique causa impediti, abire sinant, quibus Sacrosanctum Missæ Sacrificium Deo pro suis, ac totius populi peccatis non offerant.

CAPUT IV.

Quidquid in Sacra Tridentina Synodo, & ultimo Concilio Provinciali, de habitu Clericorum statutum est; etiam a Clericis, qui in Universitatibus agunt, servari merito debet. Atque ideo omnes & singulos eorum, ut exacte id præstent, serio monemus, & mandamus.

CAPUT V.

Clericus coram Judice laico testimonium dicturus, vel quodcumque juramentum præstiturus (*l*) (quod etiam sine nostra, vel alterius Ecclesiastici legitimi Superioris licentia ei non licet) in manibus personæ Ecclesiasticæ juramentum præstet.

CAPUT VI.

Ut in hac hominum malignitate omnis Cleri sugillandi occasio adimatur, & scandalis tempestive occurratur; non tantum incontinentiam, sed omnem quoque ejus speciem unusquisque caveat. Ideoque si quis ancillam habeat, vel cum alia muliere sic conversetur, ut obloquium inde vel scandalum oriatur; ad monitionem nostram, vel etiam Capituli, sub quo quisque degit, hanc ancillam abdicare, seu ab hujus mulieris familiaritate se subtrahere mox teneatur: quod nisi fecerit, primum una libra grossorum multetur, ad opus Seminarii Archi-Episcopalis; & pertinacius perseverans, arbitrariam, eamque gravem pœnam subeat.

CAPUT VII.

Ex cellis vinariis ad Capitulorum, aut Cleri administrationem spectantibus lucra non quærantur. Et si quando ex vinorum venditione, omni expensa deducta, emolumenti aliquid excrescere contigerit, in pios tantum usus id convertatur.

CAPUT

(*i*) Conc. Trid. Sess. 23. cap. 13. de Reform. (*k*) Conc. Trid. Sess. 23. c. 14. de Refor.
(*l*) Cap. Quamquam & ibi Glossa penul. 14. quæst. 2.

CAPUT VIII.

Clericus Sacris initiatus, (*m*) aut Beneficium Ecclesiasticum obtinens, coram Judice sæculari Advocati, vel Procuratoris officio non fungatur; causasque agat, nisi suas, vel Ecclesiæ suæ; vel, si necessitas immineat, propinquorum, aut miserabilium personarum.

CAPUT IX.

Artem quoque medendi (*n*) non exerceat, neque munus tabellionatus, nisi in casibus a jure permissis. Neque intersit executioni sententiæ capitalis, nisi officii spiritualis causa.

CAPUT X.

Ab omni etiam venatione, (*o*) quæ cum armis, aut non sine strepitu fit, Clericus abstineat; nec canes ad venandum, accipitres, aut falcones alat.

CAPUT XI.

Ut altari servientes (*p*) de altari vivere debent: ita quoque omnibus & singulis Beneficia Ecclesiastica tam sæcularia, quam Regularia obtinentibus sæpe recogitandum est, quod, quæcumque ultra honestam sustentationem ipsis supersunt, non ad ditandos amicos, vel alios profanos usus, expendi possint; (*q*) sed pauperibus distribui, aut in alias pias causas erogari debeant.

CAPUT XII.

Sacerdotes, (*r*) Diaconi, & Subdiaconi, (qui nuptiarum evitare convivia antiquo Canonum jure tenebantur) dum iis, aliisque conviviis intersunt, ita se gerant, ut sui Ordinis sint memores, & exemplo ædificent; enixeque dent operam, præsertim Pastores, & qui auctoritate aliqua pollent, ne sessio sit nimis longa, vel in potu excedatur, aut inhonesti aliquid fiat, aut dicatur.

CAPUT XIII.

In Primitiarum celebritate, a saltationibus, & omni alia insolentia abstineatur, sub pœna arbitraria.

CAPUT XIV.

Cum pluralitas missuum non modo longiorem faciat sessionem, unde temporis, quo nihil pretiosius est, magna provenit jactura, verum etiam multum pecuniarum vane absumat; non absque injuria vel detrimento pauperum, luxusque ac gulæ magnum sit irritamentum, & multorum sæpe causa excessuum; hortamur & rogamus omnes in Domino, præsertim Clericos, & quoscumque Viros Ordinis Ecclesiastici, qui cæteris & temperantiæ & modestiæ exemplo prælucere merito debent, ut amicitiæ, honestatis, vel alia quacumque ex causa quodcumque convivium instituturi, unicum tantum missum exhibeant præter bellaria.

TITULUS XVIII.

De Beneficiis & Officiis Ecclesiasticis, ac Beneficiatorum residentia.

CAPUT I.

ID merito spectare debet, quicumque beneficia collaturus est, ut ea, cum sint patrimonium Christi, non carni, aut sanguini, vel amicorum precibus dentur, ullave alia, quam Ecclesiæ utilitatis habita ratione conferantur. Justum quippe ac rationi consentaneum est, ut non personæ de beneficiis, sed ut beneficiis de idoneis Ministris provideatur.

CAPUT II.

Parochi jure Divino ad residendum obligantur; & non ulla consuetudine, non paucitate ovium, non defectu domus propriæ eos a residentia excusari declaramus: mandantes omnibus & singulis necdum residentibus, ut sine mora ad residentiam se conferant sub pœnis Concilii Tridentini, (*s*) & aliorum Sacrorum Canonum.

CAPUT III.

Cum distributiones quotidianæ cujuslibet Capellaniæ arguant residentiam

(*m*) Cap. 1. & 3. De postulando.
(*n*) Cap. Sicut. Ne Clerici vel Monachi.
(*o*) Cap. 1. & 2. de Clerico venatore.
(*p*) Cap. Cum secundum. ✠ de Præbendis.
(*q*) Conc. Trid. Sess. 25. c. 1. de Refor.
(*r*) Can. Presbyteri. distinct. 34.
(*s*) Sacra Congregatio Conc. Trid. super cap. 1. Sess. 23. de Reform.

tiam in Choro, ejusmodi Capellania incompatibilis cum beneficiis, residentiam requirentibus, haberi merito debet, ut etiam a Sacra Congregatione (*t*) declaratum est.

CAPUT IV.

Meminerint, qui in Ecclesia nostra Metropolitana Præbendas affectas obtinent, se ad residendum per decem menses quotannis ex Bulla erectionis Archi-Episcopatus teneri. Sciantque cæteri in eadem Ecclesia, aut Ecclesiis Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones obtinentes, sibi non licere vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse. (*u*)

CAPUT V.

Quicumque eorum uni saltem trium majorum Officiorum, scilicet Matutinis cum Laudibus, summo Sacro, aut Vesperis, & minoribus Horis eidem Officio adjunctis, ante *Gloria Patri* primi Psalmi, usque ad finem non interfuerint; illis diebus, quibus id evenerit, non resedisse censendi sunt, etsi a loco beneficii non abfuerint: salva etiam obligatione strictioris residentiæ, ubicumque ea est.

CAPUT VI.

Ubicumque ob uniones Capellaniarum, quas vocant animarum, cum Ecclesiis Parochialibus olim factas, diebus Dominicis ac Festivis populus Sacro matutinali destituitur; si unionibus istis dissolutis, Sacrum matutinale populo restitui possit, interesse habentes id Nobis debite exponant, ut, causa cognita, uniones illas rescindere, & alia ratione Pastoribus de competentia providere possimus.

TITULUS XIX.

De Scholis.

CAPUT I.

UT Scholæ Dominicales faciliorem progressum habeant, optamus, ut Sodalitates Doctrinæ Christianæ in omnibus urbibus & pagis celebrioribus erigantur, nostramque auctoritatem & operam ad id offerimus.

CAPUT II.

Archi-Presbyteri Scholas, quæ Scholasticis Capitulorum subjectæ non sunt, bis quotannis visitent: semel scilicet dum Ecclesiarum Parochialium visitationem instituunt; altero vero semestri, si per se commode non possint, per Pastorem aliquem sui Decanatus, vel quemcumque alium, quem idoneum judicaverint, id præstent.

CAPUT III.

Probanda summopere est eorum pietas & industria, qui per erectiones Sodalitatum Beatæ MARIÆ Virginis, aliisve suavibus mediis, discipulos suos ad sæpe confitendum, communicandumque inducunt; nec non eorum, qui cum Scholas linguæ vernaculæ tantum, & quidem ruri aperiant, eam tamen discipulorum curam gerunt, ut sub festum Paschatis & Nativitatis Domini vel ipsimet eos ad confessionem ducant, vel de facta tunc confessione a singulis testimonium Confessarii exigant. Utque omnes ubique ita faciant, simulque advigilent, ut quicunque discipulorum annos discretionis habent, saltem in Paschate communicent, hortamur, & rogamus in Domino.

TITULUS XX.

De Seminario.

CAPUT I.

CUm quilibet Episcopus per Sacrum Concilium Tridentinum (*x*) duos Canonicos eligere jubeatur, quorum consilio in constituendis regulis, electione puerorum singulorum introducendorum, discipulorum expulsione, Magistris constituendis, visitatione, ac similibus, semper utatur; ad Decreto illi satisfaciendum elegimus, & elegisse Nos declaramus *D. Henricum Franciscum van der Burch*, J. U. Licentiatum, Decanum Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, & Vicarium nostrum Generalem; & D. ac M. *Petrum van den Wiele*, S. Theologiæ Licen-

(*t*) Super Cap. 17. Sess. 24. de Reform.
(*u*) Conc. Trid. Sess. 24. cap. 12. de Reform.
(*x*) Sess. 23. cap. 18. de Reform.

Licentiatum, dictæ Ecclesiæ nostræ Archi-Diaconum.

CAPUT II.

Similiter cum ex quatuor illis, quorum consilio in tota temporali administratione, beneficiorum unionibus, cæterisque hujusmodi utamur, duo a Nobis sint eligendi, unus scilicet e Capitulo, & alter e reliquo Clero civitatis; idipsum præstantes eligimus *D. Jacobum Boonen*, J.U. Licentiatum, Canonicum Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, & Officialem nostrum, & *D. Petrum Jaecx*, S. T. Licentiatum, Plebanum dictæ Ecclesiæ nostræ: declarantes insuper, quoad duos reliquos, a Capitulo electum esse *D. Petrum Clerici*, Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis Canonicum; a Clero vero Civitatis *D. Jacobum Wachtelaer*, S. Theol. Licent. Pastorem S. Catharinæ civitatis Mechliniensis.

CAPUT III.

In Seminarium, sumptu illius, assumendi sint omnes octodecim annorum.

CAPUT IV.

Singuli in sua ad Seminarium assumptione declarabunt, se habere animum ad statum Ecclesiasticum; & insuper promittent, se, cum idonei invenientur, id muneris in Ecclesia Dei subituros, quod Nos ipsis injungemus, aut refusuros expensas, quibus Seminarium affecerint.

CAPUT V.

Promittent etiam, si ad pinguiorem fortunam devenerint, se in memoriam accepti beneficii Seminarium de bonis suis temporalibus adjuturos.

CAPUT VI.

Simul atque per ætatem, scientiam, & alias idonei fuerint, ut fiant Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotes, ad eosdem Ordines suscipiendos se component, & jussi suscipient, & in susceptis diligenter ministrabunt.

CAPUT VII.

Ex omnibus & singulis bonis Ecclesiasticis, quæ secundum Sacrum Concil. Trid. ad contributionem pro Seminario tenentur, circiter sexagesimum nummum annuatim contribuendum censemus, & contribui mandamus; donec alia ratione ita Seminario provisum esse constiterit, ut prætactam portionem in totum, vel ex parte remittendam esse judicaverimus.

TITULUS XXI.

De elocatione & conservatione bonorum Ecclesiasticorum.

CAPUT I.

Decimæ ad Capitula, Monasteria, aliaque pia loca, vel beneficia spectantes, ultra triennium non elocentur: prata quoque, quando separatim elocabuntur, non ultra sexennium, & terræ arabiles, ac domus non ultra novem annos. Nec contractus ejusmodi elocationum renoventur, nisi finito biennio prioris contractus quoad decimas, quadriennio quoad prata, & sexennio quoad domus & terras arabiles: nec quis umquam prædictos terminos excedat, nisi observatis solemnitatibus, quæ ad alienationem rei Ecclesiasticæ de jure requiruntur, sub pœna nullitatis ipsorum contractuum, juxta Edictum Serenissimorum Principum pro faciliori executione Synodi Provincialis anno elapso editum articulo vigesimo, & alias arbitraria.

CAPUT II.

Bona Pastoratuum, & Ecclesiarum Parochialium, nec non Capellaniarum & Sacellorum, aliorumque piorum locorum, non nisi post tres proclamationes debite factas publice & plus offerenti elocentur, vel saltem non minoris, quam bona vicina ejusdem naturæ & qualitatis elocari consueverunt; & utrovis casu idonea cautio accipiatur.

CAPUT III.

Elocationes bonorum Beneficialium a Beneficiatis initas non diutius durare declaramus, quam pro illo anno, in quo moritur, vel beneficium dimittit ipse Beneficiatus contrahens; nisi a Nobis, vel Capitulo, sub cujus jurisdictione ipsa beneficia existunt, confirmatæ fuerint.

CAPUT IV.

Sicut novissima Synodo Provinciali mandatur, ut registra bonorum quorum-

rumcumque Collegiorum Ecclesiasticorum, beneficiorum, fabricarum, mensarum Sancti Spiritus, aliarumque piarum fundationum, a quindecim annis legitime non renovata, intra annum proximum ubique renoventur; cum debita designatione limitum & terminorum: ita quoque ubi nulla bonorum registra sunt, aut imperfecta, recta administrandi ratio requirit, ut quam citissime ea fiant, aut perficiantur; idque non modo cum expressione quantitatis quoad terras arabiles, prata, silvas, hortos, vivaria, cæteraque hujusmodi, & hypothecarum, earumque possessorum quoad census & reditus, verum etiam cum debita designatione limitum & conterminorum.

CAPUT V.

Non raro contingit, bona beneficiorum, quæ annuis censibus & reditibus, aliisque oneribus gravata sunt, culpa ipsorum Beneficiatorum evinci. Ad id impediendum mandamus, ut omnes & singuli eo tempore, quo specificationem bonorum ad beneficia sua spectantium Archi-Presbytero tradere debent, simul etiam tradant specificationem censuum, redituum, & aliorum quorumcumque onerum, quibus bona illa subjecta sunt; & insuper eadem illa onera omnia persoluta esse, tempore visitationis alternis saltem annis per apochas, vel alias sufficienter doceant, sub pœna arbitraria.

CAPUT VI.

Census ac reditus quorumcumque granorum, & leguminum, nec non vini, olei, halecum, ceræ, & similes Collegiis Ecclesiasticis, beneficiis, fabricis Ecclesiarum, mensis pauperum, ac quibuscumque piis locis debiti, in specie quotannis persolvantur; saltem non in certa semper & eadem quantitate pecuniæ solvi permittantur, nisi ob legitimam præscriptionem aliter fieri debeat.

CAPUT VII.

In omnibus bonorum Ecclesiasticorum alienationibus, quæ a Sede Apostolica committuntur, videant illi, de quorum fide & integritate Sedes illa confidit, ut Ecclesiæ utilitate perspecta, omnia, quæ in Pontificiis literis præscripta sunt, mature investigentur, certis testimoniis comprobentur, riteque perficiantur, nulla habita ratione personarum, aut partium: quæ cum in hujusmodi negotiis concordes sunt, tunc maxime accurate Commissarius advigilare debet pro Ecclesiæ commodo; cujus bona, Rectore ipso, seorsum accepta pecunia, consentiente, sæpenumero sub Apostolicæ auctoritatis clypeo divendita, & dilapidata sunt.

CAPUT VIII.

Ut bonorum Ecclesiasticorum, quæ vel in emphyteusim tradita, vel ad longum tempus alio quovis titulo data sunt, memoria, quoad fieri poterit, conservetur; quilibet Ecclesiasticus, cui aliquid in singulos annos eo quolibet nomine solvitur, dum in Manuali suo annuam solutionem annotat, simul causam addat, numerum annorum exprimat: *E. G. Tali die, mense & anno recepi Canonem* 8. *Flor. qui cessit in initio Julii* 1608. *& est hic annus decimus talis emphyteuseos.*

CAPUT IX.

Bona piarum fundationum ad certos usus relicta, aliis etiam piis usibus per Administratores eorum, vel Superintendentes, propria eorum auctoritate non applicentur: sed, si quæ fundationes ob earum tenuitatem juxta voluntatem fundatorum adimpleri nequeant, ideoque reductione opus sit, vel bona illarum ad alios meliores, aut magis necessarios usus converti expediat, ad Nos, aut Sanctam Sedem Apostolicam juxta Sacros Canones (y) recurratur.

CAPUT X.

Quicumque piorum locorum administrationem, procurationemve suscipiunt, geruntque, illud in primis sæpe cogitare debent, se pauperum, pupillorum, viduarum, senum, egestate, aut ægritudine laborantium, peregrinorum, & aliorum id generis hominum aliena ope indigentium, prout propria uniuscujusque loci instituta ratio

(y) Clement. *Quia contingit.* De religiosis domibus.

tio eſt, curam ſuſtinere: & illam quidem tanti eſſe, ut quidquid in illos vel miſericordiæ, vel beneficii, vel operæ, vel opis, vel officii confertur, quidquid rurſus damni, detrimenti, injuriæve infertur, id omne Chriſtus Dominus ſæpe in Evangelio demonſtret in ſe collatum eſſe; ac propterea ſe in die judicii, prout bene illis factum, aut neglectum, omiſſumve in eorum neceſſitatibus ſublevandis erit, retributurum.

CAPUT XI.

Eleemoſynæ menſarum pauperum, ſine humano affectu, & acceptione perſonarum, iis tantum diſtribuantur; qui vere pauperes ſunt; neque tamen inopiæ & egeſtatis tantum, ſed morum etiam, ac vitæ probitatis ratio habeatur.

CAPUT XII.

Gazophylacia ſive trunci, (z) ut vocant, oblationum, tribus diſtinctis ſeris firmentur; & clavis una ſit penes Paſtorem.

TITULUS XXII.

De Regularibus & Monialibus.

CAPUT I.

QUæ in hac, & in Provinciali Synodo, de Sacramentis, doctrina & prædicatione Verbi Dei, ac Officio Divino, bonorumque Eccleſiaſticorum conſervatione, & alias conſtituta ſunt; ea omnia, quatenus Regulares tangunt, ab iis diligenter ſerventur.

CAPUT II.

In veſtitione Religioſorum, aut Monialium, non fiant ſumptus; in Profeſſione vero & Primitiis frugales tantum & moderati.

CAPUT III.

Sciat quilibet Religioſus, (a) etiamſi beneficium curatum, vel aliud quodlibet obtineat, vel etiam Abbatiali dignitate emineat, non tamen licere ſibi teſtamentum condere, ne quidem de bonis, quæ induſtria ſua acquiſivit, ſine ſpeciali permiſſione Suæ Sanctitatis.

CAPUT IV.

Religioſus promotus ad beneficium curatum Monaſterio non ſubjectum, invitus, & Nobis non conſentientibus per Prælatum ſuum Regularem beneficio illo privari, domumque revocari non poſſit: niſi Prælatus contrarium tentans legitimo privilegio fulciatur.

CAPUT V.

Imprudenter agunt, qui voto ſe obſtringunt, & per profeſſionem ſe obligant ad ea ſervanda, quæ non ſatis norunt. Cumque imprudentius inchoata, minus quoque felicem ſucceſſum habere ſoleant; merito in omnibus & ſingulis Monaſteriis utriusvis ſexus, regula & ſtatuta Novitiis ante profeſſionem ſæpe legi, & explicari debent: atque ita fieri mandamus.

CAPUT VI.

Regularium Superiores, quibus alicujus Sanctimonialium Monaſterii cura impoſita eſt, omni cura & ſtudio provideant, ut Monialibus ii potiſſimum Confeſſarii aſſignentur, qui non modo in caſibus conſcientiæ probe verſati, ſed etiam ætate provecti, ſummaque morum integritate ſint probati. Nec minorem cautionem adhibeant circa vitam & mores ſociorum ipſis Confeſſariis adjungendorum.

CAPUT VII.

Nemo, cujuscumque ſtatus, vel conditionis fuerit, Religioſos fugitivos, & extra Superiorum ſuorum obedientiam vagantes recipere, fovere, aut ad Sacramenta, vel Eccleſiaſtica miniſteria admittere audeat, ſub pœna excommunicationis.

CAPUT VIII.

Univerſæ Moniales, ſi fieri poſſit, uno loco dormiant, a Præfecta, aut Vicaria optime concluſo, cujus claves ab ipſa Præfecta aſſerventur; ſingulæ quoque in ſingulis lectis, & in ſingulis etiam cellis. Et dato ſigno eundi cubitum, locoque, ubi dormitur, clauſo, Præfecta, aut ejus Vicaria, aut aliqua ex Diſcretis omnes cellas viſitet, ut

(z) Edicto Caroli V. de anno 1531. art. 16.

(a) Cap. Quia ingredientibus 19. quæſt. 3. c. Quia ingredientibus. De teſtament. juncto c. fin. De Simonia.

ut an omnes in suis dormiant locis, animadvertat.

CAPUT IX.

Monialium Confessarii quicumque sint, itemque Capellani, ne munus aliquod, vel minimum, etiam esculentum, aut poculentum, neque corporalia, purificatoria, aliave, quæ sacro altaris usui sint, a Monialibus, quæ Præfectæ non sint, recipiant.

CAPUT X.

Diebus Dominicis & Festivis, ut otium, a quo mala omnia oriuntur, evitetur; Moniales tempus, quod sibi a Divinis Officiis, & consuetis orationibus superfuerit, in sacra aliqua lectione consumant, quæ ad Dei, & sui ipsarum cognitionem eas ducat, viamque monstret perfectionis & æternæ vitæ.

CAPUT XI.

Quibus etiam diebus Sacra Eucharistia sumitur, cum nemine externo colloquantur, nisi necessitas ita postulet.

CAPUT XII.

Cum Sacra Congregatio (*b*) declaraverit, Episcopo non licere licentiam dare matri, sororibus, & consanguineis Monasterium ingrediendi causa visitandi filiam, sorores, vel cognatas, gravi aliqua infirmitate detentas, etiamsi essent in mortis periculo, & multo minus, quando filia, aut aliæ professionem emitterent, vel habitum susciperent Religionis; nemo deinceps ob hujusmodi, vel alias minus rationabiles causas Monasterium Monialium ingrediendi a Nobis licentiam petat, vel ægre ferat, si repulsam patiatur.

CAPUT XIII.

Visitatores quoque, (*c*) Confessarii, & alii quicumque, Superiores Monialium septa clausuræ non ingrediantur, nisi visitationis, Sacramenta ægrotis administrandi, moribundas consolandi, spiritualibusque officiis adjuvandi, aut alia necessaria causa, sub pœnis contra ingredientes a jure decretis. Illos ingredientes, & egredientes, & similiter quoscumque alios ex necessitate claustrum ingredientes, & intra septa illius commorantes, duæ Moniales ex senioribus semper comitentur.

TITULUS XXIII.

De Judicibus delegatis, & Examinatoribus.

CAPUT I.

Cum ex designatis per Concilium Provinciale ad delegationem causarum in partibus, mortuus sit R. Pater *D. Libertus Schaloun*, Abbas Vlierbacensis, in ejus locum hæc Synodus nominat, & designat R. Patrem *D. Godefridum Lemmens*, Prælatum dictæ Abbatiæ.

CAPUT II.

Similiter ad satisfaciendum Decreto Concilii Tridentini (*d*) de constituendis Examinatoribus, Synodo huic propositi, & ab ea probati sunt, qui sequuntur:

D. Henricus Franciscus van der Burch, J. U. Licentiatus, Decanus Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis, & Vicarius Generalis Archi Episcopatus ejusdem.

D. ac M. Petrus van den Wiele, S. Theol. Licentiatus, ejusdem Ecclesiæ Metropoliticæ Archi-Diaconus.

D. & M. Joannes van den Eynde, S. Th. Licentiatus, supradictæ Ecclesiæ Pœnitentiarius.

D. & M. Dismas Briamont, S. Th. Licentiatus, & Canonicus dictæ Ecclesiæ.

D. Jacobus Boonen, J. U. Licent. Canonicus & Officialis Mechliniensis.

D. & M. Petrus Jaecx, S. Th. Licentiatus, & Plebanus dictæ Ecclesiæ Metropolitanæ.

D. ac M. Jacobus Wachtelaer, Sacræ Theologiæ Licentiatus, & Pastor Ecclesiæ S. Catharinæ Civitatis Mechliniensis.

CAPUT III.

Meminerint hi juramenti, (*e*) quo se obstrinxerunt, videantque, ut omni humana affectione deposita munus a se susceptum recte curent, atque administrent; & nihil prorsus occasione examinis ante vel post accipiant, sub pœnis Concilii Tridentini.

(*b*) Super Cap. 5. Sess. 25. de Regular. & Monialibus. (*c*) Constitut. Gregor. XIII. incip. *Dubiis, quæ emergunt.* (*d*) Sess. 24. c. 18. de Refor. (*e*) D. cap. 18.

CAPUT IV.

In omnibus & fingulis examinis interrogationibus fpectetur non folum uniuscujusque eorum, qui examinantur, fcientia, fed etiam ufus, judicium, ingenii vis, ac folertia.

CAPUT V.

Cautio diligens fit, (*f*) ne alterius nomine quis examen fubeat; & ut præferatur minus doctus, modo idoneus, quando ejus mores funt noti & approbati, doctiori, cujus vita ignoratur.

CAPUT VI.

Ne quemquam, de quo examen, periculumque fiet, Examinator Collegis, aut Collegæ fuo ulla ratione commendet.

TITULUS XXIV.

De Synodo Provinciali, & Diœcefana.

SCiant Capitula exempta, exemptionemve prætendentia, fe non tantum ad Statutorum Synodi Diœcefanæ, verum etiam ad Decretorum Synodi Provincialis, prout a Sacra Congregatione (*g*) declaratum eft, obfervationem teneri.

Decreta, & legitime publicata funt hæc Statuta Synodalia, præfente præcipuo totius Diœcefis Clero. Mechliniæ, die VI. Maji, anno Domini M. DC. IX.

Mechliniæ typis Laurentii Van der Elft.

(*f*) Sacra Congreg. Conc. Trid. fuper d. cap. 18.

(*g*) Super cap. 2. Seff. 24. de Refor.



SYNODUS AUGUSTANA

Anno Chrifti MDCX. Pauli V. PP. VI. Rudolphi II. Imp. XXXIV.

Sub HENRICO V. (*) Auguftano LXII. Epifcopo.

EPISTOLA,

DECRETIS SYNODALIBUS PRÆMISSA.

HENRICUS, DEI GRATIA EPISCOPUS AUGUSTANUS, UNIVERSIS & fingulis Abbatibus, Præpofitis, Decanis & Capitulis, Prioribus & Conventibus, atque Rectoribus Ecclefiarum, cæterisque Civitatis & Diœcefis noftræ Auguftanæ Clericis & Perfonis Ecclefiafticis tam Regularibus, quam Sæcularibus, gratiam & pacem in Chrifto JESU precatur.

CUm duo præcipua fint Reipublicæ firmamenta ad bonam, felicemque cujusque Civitatis, Regni ac Provinciæ tam Civilem, quam Ecclefiafticam adminiftrationem omnino neceffaria, Lex & Magiftratus, magna providentia curandum eft iis, qui fummæ rerum præfunt, ut fint in Republica non modo bonæ Leges, fed etiam ac multo magis bonarum Legum boni Cuftodes ac Defenfores, iique muneris & officii fibi injuncti, identidem commonefiant. Nam Legi quidem, quod omnes fatentur, tam neceffarius eft Magiftratus, quam Lex ipfa Civitati, quin imo fapientibus Viris multo etiam optabilius videtur effe, ut vel iniquæ Legi præfit optimus Magiftratus, quam ut improbus æquiffimæ. Mandatum, *inquit Sapiens Proverb.* 6. Lucerna eft, & Lex Lux, & Via vitæ.

Cæterum neque Lucerna quicquam proderit, nifi imponatur candelabro, ut luceat omnibus, qui in domo funt, neque lucis radius corda noftra colluftrabit, nifi, remotis obftaculis, aditus & feneftra patefiat, neque tutum erit viæ ignotæ fefe committere, nifi peritum, fidumque ducem nancifcamur. Qui fane talis erit, fi & ipfe orbitam illam, quam nobis commonftrat, ingreffus fuerit, fi non verbo tantum ac digito, verum pedibus etiam &

(*) Vide fub finem Synodi.

& gressibus iter ad vitam & beatitudinem indicarit.

Fuit hoc Nobis utrumque semper cordi pro eo, ac debuit, ex quo ad istud onus Episcopale, viribus quantumvis imparibus vocati sumus, ut aspirante Divina Numinis gratia, hanc nostram Provinciam ac Diœcesin non tantum valido sacratiorum legum præsidio communiremus, verum etiam ut quæ a Nobis constituta forent, ea fideli ac sedula cum nostra, tum Adjutorum nostrorum opera quantocius in usum & actionem revocarentur. Ac Leges quidem & Constitutiones, quas in proxima Synodo communi Prælatorum Ecclesiæ nostræ consensu & consilio ad ejusdem Ecclesiæ utilitatem, decus & ornamentum ferendas, & sanciendas judicavimus: eas nunc auctoritate nostra Episcopali confirmatas (salvo tamen Apostolicæ Sedis judicio) in lucem edimus, easdemque sic omnibus commendamus, ut earum exemplaria quilibet Prælatorum & Parochorum & habeat ipse, & in sua Ecclesia relinquat Successori.

Præterea volumus & jubemus, ut nostri Sacerdotes, & in majoribus Ordinibus constituti, sive sint Sæculares, sive Regulares illi Clerici, hæc Decreta sibi comparent, itemque ut in omnibus Collegiis, Parochiis, Monasteriis & Religiosis domibus, hic liber velut authenticus asservetur, quem nostri Visitatores, cum hujus Diœcesis inspicient Ecclesias, semper exhibendum sibi curabunt, in illos etiam animadversuri, qui hoc ipso Decretorum codice destituti reperientur.

Alterum restat, Fratres, & Filii in Domino dilectissimi, ut vos ad earundem Sanctionum ac Decretorum nostrorum sedulam observationem, officiique vestri rationem cohortemur, idque, non alia magis apposite, quam longe gravissima illa Pauli oratione, quam in causa consimili ad Patres Concilii Miletani ad se convocatos in hunc modum habuit: Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI, quam acquisivit sanguine suo, Actor. 20. *Pastores sumus, vigilandum est nobis primum. Parum est & omnibus ipsis adeo subditis, ac ovibus dictum,* quod vobis dico, *inquit,* omnibus dico, vigilate. *Vigilandum ergo nobis, invigilandum etiam gregi, neque id satis. Quid enim si quis sanis tantum ovibus, & valentibus, ac bene habitis oculum adjiciat, infirmas, debiles, ægras, macie ac scabie confectas negligat, & aspernetur? Attendite vobis, inquit, attendite gregi, numquid amplius? Attendite gregi universo.*

Hæc vero perfecta jam est, ac numeris omnibus absoluta circumspectio & vigilantia, si Nobis, si subditis, si promeritis & immerentibus, si sapientibus & insipientibus, si græcis & barbaris juxta formam Apostolicam, quam debemus, ac possumus, sedulam ac benignam charitatem impendamus. In quo certe non tantum Apostoli nos Imitatores esse oportet, sed etiam supremi ovium ac Pastorum omnium Pastoris Christi Salvatoris nostri, qui ut errantem oviculam, naturam nostram humanam, liberali causa, manu assereret, ac Satanæ faucibus ereptam, humerisque suis reportatam, in pristinam dignitatem restitueret, primum nonaginta novem alias, hoc est, innumeras Angelorum myriadas in beatis illis montibus, deseruit, ac tantisper veluti neglectas insuper habuit; deinde in hac sua peregrinatione post coutinentes dierum ac noctium Vigilias, post longam famem, sitim, fatigationem, æstus, sudores, algores, opprobria, contumelias, flagella, mortem tandem ipsam eamque acerbissimam oppetere dignatus est, ille DEUS Majestatis, cujus in conspectu contremiscunt, qui portant orbem Seraphini & Cherubini, omnesque totius orbis potestates.

Hæc, qui perpendat, serioque secum ipse reputet, fierine potest, ut laborem ullum animarum causa susceptum, gravem ac molestum arbitretur? Fierine potest, ut non ad gloriosissimam pulcherrimi facti æmulationem accendatur? Ut non desideret, quidvis & facere, & perpeti in procuranda animarum salute, opere omnium, quæ ab homine Divina gratia adjuto proficisci possunt, longe præclarissimo ac Divinissimo. Quid enim tandem est, quod huic tantæ Bonitati Divinæ rependere possimus, etiamsi nos totos impendamus? Quanti æstimare salutem animarum debemus, pro quibus optimum dedisse videmus, ac vitam profudisse Redemptorem, qua nihil erat in tota rerum universitate præstabilius: Quid porro Summo Judici respondebimus, si remissi ac socordes in re tanta reperti fuerimus?

Adhibeamus ergo manum operi indefessam, & quod universi in Domino legitime congregati optimum factu censuerunt, id singuli studeant executioni quanta maxima poterunt constantia ac diligentia commendare. Non sunt fortia consilia, nisi fortia facta consequan-

sequantur, timida sunt ac inertia, quæ vel privatis parietibus continentur, vel membranis, aut librorum involucris contecta cohibentur. Ex umbra in lucem prodeant, necessum est, si quidem e re & usu publico futura sint. Denique non tam multitudine legum ad Reipublicæ cujusvis quietem ac prosperitatem opus est, quam seria, diligentique paucarum ac utilium observantia.

Postremo sic statuite apud animum vestrum, Dilectissimi in Christo, nibil vos præstare posse vel ad Divinæ Majestatis laudem & gloriam magnificentius, vel ad Ecclesiarum vobis commissarum utilitatem fructuosius, vel ad honorem ac dignitatem vestram præclarius, quam ut Synodicas hasce Constitutiones quam strenuissime impleatis, &, quoad ejus fieri poterit, exactissime observetis.

Clementissimus Dominus noster Christus JESUS pios ac salutares Pastorum, ac Rectorum Ecclesiæ suæ Catholicæ conatus Divini sui favoris aura prosequi ac promovere dignetur. Dilingæ ex Arce nostra XV. Calend. Februarii, anno post Christum natum MDCXI.

INDEX CAPITUM,

Quæ quatuor his Synodalium Decretorum partibus continentur.

CAPITA PRIMÆ PARTIS.

CAPITA SECUNDÆ PARTIS.

CAPITA TERTIÆ PARTIS.

CAPITA QUARTÆ PARTIS.

VIII.

VIII. De Commissariis.
IX. De Executionibus Processuum.
X. De Processu judiciario.
XI. De Appellationibus.
XII. De Simonia.
XIII. De Usuris.
XIV. De Pœnis.
XV. De Sententia Excommunicationis.

DECRETORUM SYNODALIUM
DIOECESIS AUGUSTANÆ
PARS PRIMA.
CAPUT I.
De unius Fidei, Veritatisque Catholicæ professione.

UT neminem reperias ex iis, qui Christianorum numero accenseri volunt, cui dubium esse possit, quin vera in DEUM fides omnino sit ad æternam salutem necessaria, dicente Apostolo: Sine fide impossibile est placere Deo. Et: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem: ita Catholicorum nullus ambigit, quin ea vera, sancta & orthodoxa, Divinaque fidei doctrina sit, quam Sancta, Romana, Apostolica Ecclesia profitetur. Nam huic uni singularem hanc prærogativam promisit ac præstitit is, qui solus promittere, solus præstare potuit, Ecclesiæ Princeps atque Conditor Christus JESUS Dominus noster. Rogavi, inquit Petro, & in Petro Successoribus Petri, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Iterumque: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Qua pollicitatione, ut nihil magnificentius ac divinius optari potuit: sic nihil clarius ac certius, ad Ecclesiæ Romanæ auctoritatem ac majestatem pronuntiari potuit. Veritas est, qui promisit, ne imposturam timeas: Bonitas est, ne diffidas cuncta adfore jactatis, & periculum adeuntibus. Potentia est, ne qua difficultate movearis, neve vim hostilem ac impetum reformides. Gratias immortali Deo, quod, ex quo primum Christianæ fidei sinceritas, a Petri Cathedra, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ministerio, ad hanc nostram Augustanam dimanavit, eam tot jam decursis ætatum, sæculorumque centuriis integram, illibatamque inter tot perniciosas & exitiales de Religione dissensiones & sectas, indefesso Majorum nostrorum studio ac labore conservatam videmus, & inposterum Divinæ bonitatis auxilio freti, conatibus nostris, adjutorumque nostrorum accedentibus conservatum iri omnino speramus. Dabimus certe operam, ne qua nostra incuria aut neglectu, quisquam nostrorum subditorum in pietatis aut sanctæ Religionis zelo intepescat; verum ardore ejus magis indies inflammentur universi, simulque rationem inibimus, quonam pacto, quamplurimos exerrantes, & hæreticæ pestis labe infectos, in Dominici gregis septa reducamus. Nihil sane Divinæ fidei dono, ejusque efficacia, necessitate ac utilitate majus. Quæ quanquam videri potest in se minima, si cum aliis quibusdam conferatur, est tamen virtute summa. Ut enim in modico semine ingens arbor cum radice, trunco, ramis, frondibus, foliis, fructibus includitur: sic in exiguo quasi sinapis hoc fidei grano, universa Christianæ perfectionis summa continetur. Virtutum omnium origo fides est, de qua omnia salutis studia oriuntur & efflorescunt. Præclare D. Augustinus, Nullæ, inquit, majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla hujus mundi major est substantia, quam fides Catholica, quæ homines peccatores salvat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles justificat, Martyres coronat, virgines, viduas,

& conjugatos casto pudore conservat, Clericos ordinat, Sacerdotes consecrat, credentes cum Sanctis Angelis in æterna hæreditate cœlorum collocat.

Placet igitur ab his fidei profitendæ auspiciis, veteri Patrum instituto, perpetuoque Ecclesiæ Catholicæ ritu præsentem inchoare Synodum, & apertam fidei professionem in ipso statim limine propositam, tot, tamque variis adversariorum confessionibus seu confusionibus opponere. Quinam autem Jurisdictioni nostræ subditorum, quando, quove loco professionem hanc edere jubendi sint, Capite tertio decernemus. Ipsa vero Catholicæ fidei formula, in Tridentino Concilio sapientissime concepta, quam ex auctoritatis Apostolicæ præscripto usurpari ab omnibus & singulis præcipimus, sic se habet, ut Cap. proxime insequente præscribitur.

CAPUT II.

Forma Professionis Fidei Catholicæ.

EGo N. firma fide credo & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum JESUM Christum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum de Deo vero: genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est: & resurrexit tertia die secundum Scripturas, & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris; & iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in Remissionem peccatorum, & exspecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi, Amen.

Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes & constitutiones, firmissime admitto, & amplector.

Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere & proprie Sacramenta novæ Legis, a JESU Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre: & ex his Baptismum, Confirmationem & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio & admitto.

Omnia & singula, quæ de peccato originali & de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis & defunctis; atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem una cum anima & Divinitate Domini nostri JESU Christi, fierique conversionem totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia *TRANSSUBSTANTIATIONEM* appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari.

Simi-

Similiter & Sanctos una cum Christo regnantes venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas.

Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse, affirmo.

Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco: Romanoque Pontifici B. Petri Apostolorum Principis Successori, ac JESU Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro.

Cætera item omnia, a Sacris Canonibus & Oecumenicis Conciliis, ac præcipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissime (Deo adjuvante) retinere & confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, foveo ac juro; sic me DEUS adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia.

CAPUT II.

Professio Fidei a quibus facienda sit.

I.

QUicunque in hæresin lapsi Ecclesiæ Catholicæ reconciliari voluerint, cum hæresis abjuratione, publicam Fidei orthodoxæ professionem facere teneantur, juxta formam a PIO IV. præscriptam, & in Ecclesiæ Romanæ obedientia se permansuros spondeant, ac jurent.

II. In Cathedrali nostra, vel alia quavis Diœcesis nostræ Ecclesia sæculari ad Dignitates, Personatus, Canonicatus, & Beneficia tam curata, quam non curata admittendi, fidem suam Catholicam simili professione testentur.

III. Idem præstent Monasticorum, & aliorum Regularium Ordinum Prælati & Superiores, antequam suis officiis fungantur, & eorum subditi, cum curæ animarum, audiendis confessionibus, & concionandi muneri præficientur.

IV. Rector, & Professores Academiæ nostræ Dilinganæ, præter Decretum de Fidei professione quotannis ad Cal. Jan. facienda, observabunt, quæ in Concil. Trid. *Sess.* 25. *Cap.* 5. & in Constitutione PII V. *In Sacrosancta*, omnium Universitatum Rectoribus præscribuntur.

V. Ad gradus Doctoratus, Magisterii, Baccalaureatus, atque alios honores literarios nullus admittatur, qui prius Fidei Catholicæ professionem non fecerit, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansurum, jurejurando promiserit.

VI. Docendi & interpretandi munus sive publice, sive privatim suscepturi, & quasvis literarias artes, vel earum duntaxat fundamenta, & prima principia tradituri, vel germanice scribere, & legere docturi, cum primum ad aliquam hujusmodi functionem admittentur, orthodoxæ suæ Fidei professionem facere teneantur, eandemque postea iterare, quoties ab iis exigenda videbitur, qui exigendi jus & potestatem habent.

VII. Typographi, ac Bibliopolæ præter Fidei professionem præstabunt juramentum de non imprimendis, invehendis, & compingendis in locis Diœcesis nostræ Catholicis ullis libris prohibitis, quoties id exegerint, quibus jure competit.

VIII. Facienda autem erit dicta Fidei professio ab omnibus ac singulis, interposito solemni juramento; quam pro-

provisi de Canonicatibus, & dignitatibus in Ecclesia Cathedrali nostra juxta præscriptum Concilii Trident. facient non solum coram Nobis, seu Vicario nostro Generali, sed etiam in Capitulo; provisi vero de Beneficiis curatis, in manibus nostris, vel prædicti nostri Vicarii Generalis; cæteri Clerici coram suis Prælatis, vel Superioribus, vel aliis, quibus eam exigendi potestas est a jure, vel consuetudine concessa; Laici denique coram suis Parochis, aut Decanis ruralibus, vel aliis, ad quos ejus receptio pertinet.

IX. Qui nostris Decretis parere pertinaciter renuerit, in eum animadvertetur pœnis a jure præscriptis; nec officium suum impune negligent, qui, a quibus, & quando debent Fidei professionem exigere, prætermiserint.

CAPUT IV.

De Libris prohibitis.

AD fallendos animos, & pravis tum moribus, tum opinionibus imbuendos, vim magnam habet pravorum librorum lectio, a qua ut fideles nostros, pro eo ac res postulat, efficaciter abstrahamus, decernimus, & statuimus, ut sequitur.

I. Qui libri & auctores in Indicibus post Concil. Trid. editis, auctoritate Apostolica damnati vel prohibiti sunt, Nos pariter damnamus ac prohibemus, eorumque lectionem, ac retentionem prohibitam cunctis volumus, quibus facultas peculiaris eos legendi a Summo Pontifice, de qua Nobis sufficientem fidem faciant, concessa non est.

II. Quorum librorum expurgationem faciendam esse declararunt iidem Indices, eos legi, vendi, emique pariter vetamus, donec ab iis, ad quos pertinet, correcti & expurgati fuerint.

III. Volumus quoque damnatæ lectionis & usus haberi libros, scripturas, rythmos, cantiones, & chartas quascunque, quibus continentur artes magicæ, superstitionesve; amatoria, lasciva, scurrilia, & quævis inhonesta, itemque famosa, & aliis injuriosa, cujusmodi proinde nec vendi, nec emi, nec uspiam per Diœcesin nostram retineri possint.

IV. Pari ratione vendi, emi, haberique prohibemus imagines, ac picturas obscœnas & procaces, quæ pias mentes jure offendant, quæque in ludibrium & contumeliam cujuscunque honestæ personæ, præsertim Ecclesiasticorum, & in Religionis Catholicæ contemptum efficta atque effigiatæ sunt.

V. Ne vero quidquam hujusmodi improbarum mercium apud fideles subditos Diœcesis nostræ ullo modo extet, asservetur, vendaturve, vigili cura & studio observabunt Decani, Parochi, & quivis animarum Curatores. Quod si quispiam monitus ejusmodi merces nihilominus pertinaciter retinere pergeret, is ad Nos, vel Vicarium nostrum Generalem deferendus erit, ut ad obedientiam debitis modis compellatur.

VI. Nihil librorum, cantionum, rythmorum, imaginum, picturarum, chartarumve uspiam in locis Catholicis Diœcesis nostræ typis, aut alias vulgari, effingi, venum exponi, aut emi possit, quod non prius a Nobis, vel Vicario nostro Generali, vel aliis Censoribus nostris (quos pro Dilinga constituimus Rectorem, & Professores Theologos Academiæ nostræ) visum, examinatum, & approbatum fuerit, sub pœnis pro ratione delicti infligendis.

CAPUT V.

De aliis tuendæ Religionis adjumentis.

I.

HÆresis, quo nocentius & occultius malum, eo a Christi ovibus, ne inficiantur incauti, majori cura & vigilantia depellendum. In quo proinde tum Ecclesiasticorum omnium, tum eorum maxime, quibus animarum cura incumbit, fidem, diligentiamque potissimum requirimus, hortantes eos in Domino, ut solicite attendant, ne ullus sit ex eorum subditis, pravis in fide opinionibus imbutus, quem, quo par est studio, veritatem non edo-

edoceant, aut in errore pertinaciter manentem, ad Nos, Vicarium noſtrum Generalem, vel eum, quem de jure tenentur Magiſtratum, non deferant.

II. Ad peregrinos artifices, mercatores, & id genus alios, qui ex hæreticis locis adveniunt, & in Diœceſis noſtræ oppidis, pagis, locisque Catholicis tranſeunt, vel aliquamdiu ſubſiſtunt, & commorantur, volumus peculiari ratione & ſtudio attendi, ut, ſi quid adverſus Fidem, Religionemque noſtram ſive palam, ſive occulte moliri deprehendantur, pœnis ac remediis debitis coerceri poſſint.

III. Tutores, Parentes, Mœcenates, Magiſtratus tam Eccleſiaſticos, quam ſæculares obſecramus in Domino, ut ſuæ obligationis memores, filios, pupillos, clientes, ſubditos, in vera Religione ac pietate conſervare, tueri, ac fovere cumprimis ſtudeant, ideoque nec literarum, aut linguæ, nec mercaturæ, aut cujuscunque artis addiſcendæ vel exercendæ cauſa, vel alio quovis nomine ad hæreticos ablegent, nec ſponte abeuntes apud eos morari ſinant, niſi & Religionis Catholicæ profitendæ, & juxta illius leges vivendi facultas illis libera ſit, & periculum perverſionis in fide, depravationisque in moribus procul abſit, de quo Noſtrum, ac Vicarii noſtri Generalis erit cognoſcere & judicare.

IV. Et quia nullum magis propinquum perverſionis periculum eſt, quam cum hæreticis Chriſti fideles connubio junguntur, ideo parentes omnes obteſtamur, &, quantum poſſumus, obligamus, ne perverſo judicio, affectuque ſiniſtro acti, nimium in temporalem liberorum commoditatem intenti, eos opum, lautæ, amplæque dotis, aut cujuscunque terreni lucri, reſpectusque cauſa, hæreticis Matrimonio jungant, copulentve.

V. Hortamur quoque Principes, ac Magiſtratus tam Eccleſiaſticos, quam ſæculares, & per viſcera miſericordiæ Chriſti Domini obteſtamur, ut cœleſte lucrum terrenis commodis præferentes, omnem ſuis ſubditis pernitioſam cum hæreticis conſuetudinem, ac præſertim connubia ſua quoque auctoritate interdicant, ac prohibeant.

VI. De illis, qui extra patriam ad tempus, quacunque ex cauſa morabuntur, tam Parochi, quam Magiſtratus frequenter ac ſedulo inquirant, num in fide, & pietate Catholica ſtabiles perſiſtant, curentque, ut quotannis ſinguli Confeſſionis, Communionisque Paſchalis annuæ Catholico ritu obitæ, fide dignum teſtimonium vel coram exhibeant, vel transmittant, nec quisquam hoc impune omittere ſinatur: & cum quispiam aliquamdiu extra patriam moratus domum redierit, Parochi erit obſervare, ne qua forte hæretica opinione, aliove errore imbutus ſit, ut in viam revocari, ac veritatem edoceri poſſit, vel ſi pertinax reperiatur, ad Nos, aut Vicarium noſtrum deferatur.

VII. Hoſpites, tabernarios, caupones, in Domino hortamur, & pro auctoritate noſtra obligamus, ne peregrinos quavis de cauſa ad eos divertentes, aut de fide diſputare, aut in noſtræ Religionis ludibrium vel damnum quidquam agere, vel dicere ſinant, neve libros de hæreſi, vel alios ſuſpectos aliis vendere, donare, legere patiantur, neve eis cibos vetitos coquant, vel aliud quidpiam ab officio hominis Catholici alienum præſtent.

CAPUT VI.

De Superſtitionibus, magia, divinationibusque vetitis.

I.

GRavis eſt ſuperſtitionis, magiæ, divinationisque vetitæ noxa, in quam tamen cacodæmonis aſtu atque inſidiis cum alii, tum mulierculæ præſertim frequentius incurrunt; quare neceſſarium viſum adverſus ejusmodi technas, & fraudes dæmonum, incautas mentes, fallique faciles, ſalutaribus legibus communire.

II. Nemo ſanandis morbis hominum aut brutorum, depellendisque quibuscunque malis, adhibere præſumat res ullas, quibus inſcripti characteres, nomina & ſigna peregrina, & incognita, aut quæ vane ac ſuperſtitioſe collectæ ſint, ut nonnunquam fieri ſolet in herbis, earumque radicibus.

III. Nemo ſuper rebus deperditis, futuris eventibus, aut quibusvis ſecretis conſulat magos, ariolos, & alios conſimiles malæ notæ homines, nec auctor vel ſuaſor ſit, ut id alii faciant. Qui horum aliquid fecerit, & monitus non abſtinuerit, Nobis, vel Vicario noſtro denuntietur, ut pro modo culpæ pœnis afficiatur, quas in ipſos magos, ariolos, incantatoresve graviores feremus. Et ſi hujusmodi contingat eſſe Clericum, Beneficiis, dignitatibus, officiisque perpetuo privabimus.

IV. Et quoniam rudis populus frequenter ex mera ſimplicitate & ignorantia in ſuperſtitiones prolabitur: Parochorum erit, ut ſuos quisque diligenter inſtituat, doceatque generatim ſuperſtitioſum eſſe, exſpectare quemcunque effectum a quacunque re, vel ulla rei circumſtantia, quem illa nec ex ſua natura, nec ex inſtitutione Divina, nec ex ordinatione, vel approbatione Eccleſiæ producere poteſt.

V. In maleficos & veneficas, quæ pacto cum dæmonibus inito, corporibus hominum atque brutorum morbos tabidos, faſcinationesque inducunt, venenant, necant, grandines, ſterilitatesque procurant, diligentius inquirendum, pœnisque tam Eccleſiaſticis, quam civilibus ſeveriſſime animadvertendum eſt.

VI. Nemo veneficia, faſcinationes, vel ligaturas diſſolvere tentet modo & ratione, quæ ab Eccleſia approbata non ſit: nec quisquam exorcizare præſumat energumenos ſine licentia noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis in ſcripto obtenta: neve aliis utatur exorciſmis, quam in Obſequiali noſtro præſcriptis, vel alias a Nobis viſis, & approbatis.

CAPUT VII.

De Catechiſmo, ſeu inſtitutione Juventutis Chriſtianæ.

I.

HOrtatur & res ipſa, & graviſſima ſummorum virorum auctoritas, qui a primis naſcentis Eccleſiæ ſæculis, hucusque ſanctitate, prudentia, & doctrina in Eccleſia claruerunt, juventutis in fide ac præcipuis Chriſtianæ doctrinæ capitibus informandæ ſtudium, Parochis, cæterisque animarum Rectoribus cumprimis curæ ac cordi eſſe debere.

II. Nos ſalutari Concilii Trident. Decreto inſiſtentes, mandamus ac præcipimus omnibus Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, ut dictæ juventutis informationi, ſingulis totius anni Dominicis, unam circiter horam pomeridianam ſtudioſe impendant, vel alios idoneos, qui vices ipſorum hac in parte ſuppleant, ſuis ſumptibus ſubſtituant. Si quis tam neceſſariam ſui muneris functionem vel omnino prætermittat, vel ſegnius præſtet, Decanus, cujus Capitulo adſcriptus erit, Nos, aut Vicarium noſtrum monere teneatur, ut neglectum ovicularum Chriſti, ſubtractumque illis ſalutarem paſtum, competenti pœna vindicemus.

III. Meminiſſe autem oportet Catechiſtam, referre plurimum, quid, quave elocutione ac modo, quibus perſonis, quo loco & tempore proponat & explicet, quorum proinde omnium illi maxima ratio habenda erit, qui, quod agendum, cum fructu & ſuo, & auditorum, agere volet, ut velle quisque debet.

IV. Diverſitas libellorum doctrinæ Chriſtianæ, ſive Catechiſmi, magnam in diſcendo & docendo parit difficultatem. Ideoque mandamus ac præcipimus, ut Parochi, aliique omnes, ad quos ſpectat, in Eccleſiis noſtris nec alium explicent, nec juventuti ediſcendum proponant, quam Petri Caniſii, & Cardinalis Bellarmini, quibus, & quæ ad fidei dogmata pertinent, & quæ de virtutibus ac vitiis tractari utiliter poſſunt, optimo traduntur ordine, ſimulque efficaces ſunt ad inſtillandam in animos cum fidei doctrina pietatem.

V. Cæterum, quæ pro Catechiſmi pleniore explicatione adferre debebit Catechiſta, accipiet utiliter tum ex diligenti meditatione, & aliquoties iterata lectione ejus, ſive articuli, ſive puncti, quod pro tempore explicandum occurret, tum ex Catechiſmis aliis, Romano præſertim, Petri Caniſii majore, Michaelis Epiſcopi Merſpurgenſis, Nauſeæ, Petri Michaelis, Trevirenſi

virensi edito cum praxi Catechistica, ex institutionibus Christianis Francisci Costeri, & aliis hujus generis libellis & opusculis.

VI. Elocutione utatur pura, simplici, dilucida ac plana, memineritque illius S. Augustini *Lib.* 4. *de Doct. Christiana Cap.* 11. Optimus modus docendi est, quo fit, ut, qui audit, intelligat. Et quid, inquit, prodest clavis aurea, si aperire quod volumus, non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest; quando nihil quærimus, nisi patere, quod clausum est?

VII. Modus in tradenda, explicandave Catechesi servetur iste. Catechista amictus superpelliceo, consistens coram juventute informanda medius, signet cruce frontem, puerosque, ut eum imitando idem recteque faciant, hortetur; deinde præeat voce clara lente atque distincte recitans Dominicam precationem, & Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum, ad salutares Catechismi fructus a Deo impetrandos.

VIII. Deinde pueros & puellas non permixtim, sed distinctis a se ordinibus considentes, alloquatur Catechista placida & familiari voce, & præscripta proxima prælectione ea ratione exigat, ut, si singulis vicibus præ multitudine omnes examinari nequeant, saltem nulli omnino negligantur, quin subinde examinentur. Qui præscripta ex memoria prompte recitaverint, aut ad interrogata apte responderint, eos laudet, & præmiolis afficiat, alios suavi potius ac paterna, quam severiore objurgatione castiget. Committat, cum visum fuerit, binos, quaternos, qui integra capita Catechismi alternatim recitent.

IX. Examinatis rite pueris ac puellis, aggrediatur prælectionem, quam supra mediam horam non producat, pensumque proximo conventu juventuti persolvendum præscribat, rogetque parentes, ac ludimoderatores præsentes, ut vespere ad puerorum memoriam revocent, quod ipsi ex prælectione maturius perceperunt.

X. Postremo antequam conventum dimittat, recitet, ut initio factum, voce clara, prosequentibus pueris præcepta Decalogi, quinque Ecclesiæ, quatuor novissima, vel alia similia, jubeatque suam quemque domum modeste petere.

XI. Moneantur frequenter pueri officii sui erga Deum, Parentes, Præceptores, Magistratus cæteros, absterreanturque a blasphemiis, mendaciis, atque aliis vitiis, quibus frequentius dedita solet esse ætas illa: incitenturque, si domesticos nomen Dei execrari, loqui turpia, aut alia Deo contraria, Religionique injuriosa agere animadvertant, eos precibus, monitionibus, quantum licet, a malo abducant.

XII. Locus Catechismi erit ordinarie Templum Parochiale: tempus hora duodecima, vel prima pomeridiana, tum cujuslibet Dominicæ diei per annum, tum præcipue Quadragesimæ & Adventus Domini, ad quam convocandi erunt pueri sono campanæ.

XIII. Idem porro studium informandæ juventutis utriusque sexus in doctrina Christiana quam maxime commendatum cupimus omnibus Scholarum Magistris, Hypodidascalis, eorumque vicem obeuntibus, mandantes, ut ei quot hebdomadibus certas horas, certis diebus ex proposito tribuant.

XIV. Porro quando Magistratus sæcularis sua auctoritate pium hoc & necessarium institutum plurimum promovere potest, eum in Domino hortamur, ut eos, quos juventutis in literis Instructores & Ludimagistros, Præfectos item orphanorum, pupillorum & pauperum in Hospitalibus, vel aliis similibus domibus subjectos habent, suo imperio ac jussu adigant, ut singulis Dominicis concreditam sibi juventutem, eo tempore, quo Catechismus traditur, ad Templum ordine deducant, & eo absoluto inde reducant. Eo igitur tempore sub certis pœnis abstineri curent a choreis, tripudiis, lusibus, & aliis similibus exercitiis ludicris, quibus juventus a frequentando Catechismo abstrahi posset.

XV. In præcipuis festivitatibus anni cum fidei mysteria celebrat Ecclesia, ut

ut Incarnationis, Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis Domini, Ascensionis, Pentecostes, operæ pretium erit, de illis mysteriis juventutem, quantum capax erit, erudire. In quorundam etiam Sanctorum Festis ex eorum vitis incitamenta pietatis, ac multiplicis virtutis proponere, commendare frequenter usum, dum mane surgitur, religiose orandi, & vesperi examinandi conscientiam, utendi aqua benedicta in ædibus contra diaboli & maleficorum insidias, nocendique artes, mensæ benedicendi, mane Sacrum audiendi, vel ubi Sacrum non fit, Templum, vel Oratorium adeundi, se, suaque omnia breviter Deo commendandi, salutandi Matrem Domini, cum mane, meridie, & vesperi campanæ sonitu monemur, orandi pro animabus defunctorum, præcipue pro anima illius defuncti, cum publico signo defunctus quispiam indicatur, comitandi, cum Sacrosanctum Sacramentum ad infirmos defertur, Rosarium orandi, & his similia.

XVI. Postremo Parochi parentes tam publice ex cancellis, quam privatim admoneant, ut pueros suos vel ipsi ad Templum adducant, vel ut alias veniant, sedulo procurent, certi, imposterum ad Eucharistiæ & Matrimonii Sacramenta non admittendos, qui in fidei rudimentis sufficienter instructi non fuerint, memores etiam rationis gravissimæ, quam reddent aliquando supremo Judici, si in tam necessaria liberorum instructione suo desint muneri.

CAPUT VIII.

De Prædicatoribus Verbi Dei, & eorum officio.

I.

AD conservationem veræ Fidei & Catholicæ Religionis, ejusdemque propagationem inprimis pertinet, ut sint fideles Dei, Ecclesiæque Ministri, qui salutiferum Dei verbum populo pure ac sincere, sine omni hæreseos, erroris, falsique dogmatis suspicione vel admixtione proponant, quique in docendo certam rationem ac methodum observent, ac audientibus fructum spiritualis ædificationis afferant, Domino messis cooperante.

II. Quod ut rectius efficiatur, in omnibus Parochialibus Ecclesiis curæ sit Parochis, ut per semetipsos singulis diebus Dominicis & solemnibus quibusque Festis, publice pro concione verbum Dei prædicent, sibi dictum interpretantes singuli, quod Gentium in fide & veritate Doctor Timotheo scripsit: Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, prædica verbum, insta oportune, importune, ministerium tuum imple.

III. In civitate nostra Augustana, inque oppidis & majoribus pagis Diœcesis nostræ, ubi hactenus in Adventu Domini, sacro Quadragesimæ, & alio certo anni tempore diebus aliquot ferialibus conciones fieri consueverunt, continuentur; in aliis, ubi commode fieri poterit, volumus, ut juxta Decretum Concilii Trident. instituantur.

IV. Evangelium pro concione imposterum populo non aliud prælegatur & explicetur, quam quod eo die, quo concio fiet, ex ordine & præscripto Missalis Romani in Sacrificio Missæ legendum occurrerit.

V. Si qui ad concionandum non satis, vel alioquin legitime impediti erunt, & impedimenti sui Nobis justam rationem attulerint, illis permittemus per alios a Nobis, vel Vicario nostro prius admissos concionandi munus perficere. Nemo interim inposterum ad Parochialem Ecclesiam admittatur, nisi per se ille concionari possit, & justis impedimentis cessantibus etiam velit, ut ne, qui a Propheta dicuntur muti canes, nescientes latrare, Christi ovibus præficiantur.

VI. Præter homilias & sermones sacros veterum Patrum, ad verbum Dei Catholice, solideque prædicandum juvare inprimis possunt, conciones quas conscripserunt Wilhelmus Parisiensis, Hugo de Prato, Jacobus de Voragine, Eckius, Granatensis, Nausea, Hoffmaisterus, Gabriel Biel, Jacobus Feuchtius, Eisengreinius, Thomas Stapletonus, Georgius Bartholdus, Franciscus Costerus, Georgius Schererus. Dein-

Deinde Commentarii tum veterum, tum recentium Sacræ Scripturæ interpretum, præsertim novi testamenti, ut Pauli de Palatio in Matthæum, Stellæ in Lucam, Cardinalis Toleti in Joannem & Lucam, in Harmoniam Evangelicam Jansenii, Barradii. Præterea opuscula quædam pia & meditationes Granatæ, Costeri, Vincentii Bruni, Joannis Busæi, Andreæ Capellæ. Horum igitur & similium, qui sunt probatæ fidei & doctrinæ libri a nostris Concionatoribus in usu maxime habeantur.

VII. Qui vel legitime Parochi, vel alias a Nobis ad prædicandum admissi non sunt, cujuscunque etiam privilegii prætextu, concionari nec ipsi præsumant, nec ab aliis permittantur. Quomodo enim prædicabunt nisi mittantur, vereque vocati & missi, & per ostium ingressi merito censeantur?

VIII. Regulares nec in propriis quidem suis Ecclesiis absque Superiorum facultate, & nostra benedictione concionentur: in reliquis Ecclesiis nec sine concessione nostra, quam idoneis petentibus, libenter & gratis concedemus.

IX. Quibuscunque vero concionandi munus committetur, ii Evangelium, Sacrasque Scripturas non ex privato suo sensu, & multo minus juxta hæreticorum commentationes (quas sine speciali facultate Sedis Apostolicæ legere nullus potest) exponant; sed quæ docebunt, ex communi Sanctorum Patrum & Ecclesiæ Catholicæ sensu & consensu fideliter comprobent, & confirment, quem ex assidua & diligenti bonorum Auctorum lectione cognoscere studeant; & verba Scripturæ Sacræ non aliter citent, quam in recepta & probata veteri Bibliorum editione leguntur, sitque sana semper forma verborum.

X. Laborem suum omnem ad ædificationem populi & salutem animarum referre contendant, illudque sæpe ac multum inculcent populo, periculosa hæc esse tempora, quæ Apostoli prædixerunt, ac proinde inprimis caveri oportere novas, varias, & peregrinas doctrinas, & pestilentes hæreses passim modo grassantes, quarum fructus deterrimos experimur: illud ovium Christi esse proprium, ut cum suis Catholicis Pastoribus, piisque Majoribus in Ecclesiæ Catholicæ unitate persistant, idemque quod Majores tot sæculis consentienter crediderunt, & ipsi quoque corde & ore profiteantur.

XI. Magnam dent operam Prædicatores, ut in recitandis & confutandis hæreticorum opinionibus & argumentis, præsertim coram plebe valde sint providi & circumspecti. Aut si satis instructi non sunt, tacere præstat, quam disputare de nostri temporis controversiis, quæ in medium imprudenter adductæ, dubitationes augent plerisque potius, quam ædificant audientes, vel sanant ægrotos.

XII. Concionatores hæreticorum infinitis pene modis misericordiam Dei efferunt, solamque fidem, & sola Christi merita, coram vulgo mirifice jactant, atque commendant. Tanto magis curent Catholici, piique Concionatores, ut non modo misericordiam Dei ac fidem prædicent, verum etiam ut ex verbo Dei charitatem, pœnitentiam, obedientiam, opera bona & merita justificatorum in Christo facta, proponant, & urgeant diligenter.

XIII. Nec solam Dei misericordiam, sed etiam justitiam ejus in remunerandis fidelium benefactis, puniendisque peccatis, præsertim quæ data opera committuntur, auditoribus exponant & inculcent, sicut Dei verbo aperte docentur. Præcipue vero curam habeant necessariæ doctrinæ, quæ sæpe repetenda est hoc tempore, de timore Dei & pœnitentia serio agenda, deque peccatis fugiendis, & per opera bona redimendis.

XIV. Refellenda inprimis, & quoad ejus fieri potest, omnium animis eximenda est hæc persuasio, multorum errorum parens, nihil, nisi quod in Dei verbo scriptum extat, recipi & probari oportere. Hoc fundamentum vel præcipuum est Sectariorum, quod toties Paulus evertit, quoties Traditiones Apostolicas non scriptas, & verbum Dei non in charta expressum, sed viva voce traditum, legemque spiritus nobis

bis commendat. Certe Spiritus ille Sanctus, qui in verbo Dei ſcripto loquitur, in Eccleſia quoque loquitur, & nos docet, ac juxta Chriſti certiſſimam promiſſionem docebit omnem veritatem.

XV. Adhæc Prædicatores Divini verbi populum ſæpe ac multum hortentur ad obſervantiam, obedientiamque præſtandam, tum mandatis Dei & Eccleſiæ, tum utriusque legitimi Magiſtratus, Eccleſiaſtici ſcilicet & ſæcularis.

XVI. Pertinet autem ad Eccleſiæ præcepta à multis non ſatis obſervata, ut quilibet Chriſtianus Dominicos, reliquosque Feſtos dies ab Eccleſia inſtitutos celebret religioſe, ac proinde tunc Miſſæ Sacrificio, & ſacræ concioni coram interſit, ab operibus ſervilibus ferietur. Deinde ut obſervet ſtatos dies jejuniorum Quadrageſimæ, Quatuor temporum, Vigiliarum, ab Eccleſia præſcriptos, & ut ſextis feriis & Sabbatis totius anni ab eſu carnium abſtineat. Denique ut unusquisque annos diſcretionis aſſecutus, ſemel quotannis proprio Sacerdoti ſua peccata confiteatur, & ſacri Paſchatis tempore, hoc eſt, intra Dominicam Paſſionis & octavam Paſchæ Sacroſanctam Euchariſtiam reverenter ſuſcipiat.

XVII. Præterea doceant non modo de obſervandis Dei mandatis, ſed etiam aliquando de conſiliis Evangelicis, præſertim paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ recte & ſalubriter amplectendis: ac nefas eſſe moneant, eos, qui ad hæc conſilia obſervanda ſemel & ultro ſe aſtrinxerunt, fidem Deo & Eccleſiæ datam, reſcindere, votaque ſua perfide violare.

XVIII. Symbolum Apoſtolorum, Orationem Dominicam, & decem Præcepta, cum ex Catholicis Auctoribus, tum ex Catechiſmo Romano ſtudioſe omnes explicent: &, quantum fieri poteſt, plerasque ſuas conciones ad aliquam partem vel dicti Symboli, vel ejusdem Dominicæ Orationis, vel Decalogi; vel ſaltem ad locum aliquem Chriſtianæ doctrinæ inſignem referre conentur, ut ita non ſibi modo, ſed & auditoribus rectius conſulant; ad quorum captum & ingenium multum refert, ut ſe, doctrinamque ſuam norint accommodare.

XIX. Convenit quoque de Sacramentis Eccleſiæ & eorum myſteriis, & quid cæremoniæ illis adhibitæ ſignificent, populum diligenter informari, eo præſertim tempore, quo illa diſpenſanda & adminiſtranda ſunt.

XX. Poſtulat item res ipſa, rationes tum domeſticis, tum adverſariis accurate explicari, cur aqua, ſal, palmæ, herbæ, & fructus novi ex veteri more benedicantur: & cur populus aſpergatur aqua benedicta, & ſal exorcizatum ſumat. Præterea cur cerei in Eccleſia accendantur, thus adoleatur, Eccleſiæ, altaria, calices, veſtes Sacerdotales, & ſimilia conſecrentur & benedicantur.

XXI. Concionatores ab omni genere convitiorum & maledicentiæ omnino ſe abſtineant, qui ſecundum Apoſtoli ſententiam ſervi Dei non litigioſi, ſed manſueti eſſe debent, ac proinde nullum etiam tam oblique, quam aperte perſtringant: ac reverenter loquantur cum de omnibus, tum præſertim de utroque Magiſtratu & Clero, ad quem populus alioquin ſua ſponte nimium propenſus eſt calumniandum & contemnendum.

XXII. Vitetur omnis mordacitas, abſit contendendi ſtudium & ſermo ſeditioſus, vel qui perturbet magis aut offendat, quam ædificet audientes. Quod ſi fortaſſe gravis & neceſſaria cauſa offerat ſeſe, ob quam Clerus, vel Magiſtratus officii ſui admonendus, aut etiam reprehendendus videatur, id privatim potius, quam publice, debita cum modeſtia & charitate fiat.

XXIII. Similiter in arguendis populi vitiis, præſertim gravioribus, ita vehementes & ardentes ſe præbeant Concionatores, ut fraternæ charitatis & illius zeli, qui eſt ſecundum ſcientiam, minime obliviſcantur. Sit acris ſimul & ſalutaris objurgatio, quæ ex charitate non ficta procedens, non modo publica crimina redarguat, ſed etiam ægrotis mentibus præſentem afferat medicinam.

XXIV.

XXIV. Sæpe populus pro concione admoneatur, ut pro Magiſtratu tam Eccleſiaſtico, quam ſæculari, & pro omnibus tam vivis, quam defunctis fidelibus Deum oret, ſicut & Apoſtoli ætate ſua, teſte Chryſoſtomo, fieri voluerunt.

XXV. Poſtremo, quod alios docent, id ipſi quoque vita & moribus præſtent Evangelii Prædicatores, Divinique verbi Præcones, ne alioquin, cum alios docuerint, ipſi forte juxta dictum Apoſtolicum, reprobi demum inveniantur, ſeu, ut Chriſtus loquitur, in Regno cœlorum minimi vel abjectiſſimi habeantur. Verum de vita & honeſtate Clericorum, poſtea ſuo loco dicetur.

CAPUT IX.

De Feſtis diebus rite celebrandis.

I.

JAm inde ab initio naſcentis Eccleſiæ pio inſtituto certi quidam dies præ aliis ſacri ac religioſi habiti ſunt, quibus homines a negotiis, laboribusque corporis feriati, Divinis actionibus ac piis officiis intenti, Domini beneficia in ſe immenſa & innumera cum pio mentis affectu, tum externo quodam religioſo cultu grati, venerantesque recolerent. Quorum veſtigiis ut firmiter inhæreamus, & ratio hortatur, & omnium Eccleſiarum Catholicarum exemplum poſtulat.

II. Principio itaque Dominicos dies, qui in memoriam & honorem auguſtiſſimæ Reſurrectionis Domini, & Redemptoris noſtri JESU Chriſti ſunt, & fuere ſemper venerabiles, ab omnibus Nobis Diœceſano jure ſubjectis, omnino celebrari publice & religioſe jubemus.

III. Deinde Feſta quædam more veteri mobilia dicta, cujusmodi ſunt hæc:

Feſtum Paſchatis cum duobus diebus mox ſequentibus.

Feſtum Aſcenſionis Domini.

Feſtum Pentecoſtes, cum duobus inſequentibus.

Feſtum Corporis Chriſti.

IV. Præterea Feſta illa immobilia, quæ ordine menſium recenſita ſunt ſequentia.

Menſe Januario.

1. Feſtum Circumciſionis Domini.
6. Epiphaniæ, quod trium Regum dicitur.

Menſe Februario.

2. Feſtum Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis.
24. S. Matthiæ Apoſtoli.

Menſe Martio.

25. Feſtum Annuntiationis Beatæ MARIÆ Virginis.

Menſe Aprili.

24. Feſtum Georgii Martyris.

Menſe Majo.

1. Feſtum SS. Philippi & Jacobi Apoſtolorum.

Menſe Junio.

24. Feſtum Nativitatis S. Joannis Bapt.
29. SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

Menſe Julio.

4. Feſtum S. Udalrici.
22. Beatæ Mariæ Magdalenæ.
25. S. Jacobi Apoſtoli.

Menſe Auguſto.

2. Feſtum S. Afræ Martyris.
10. S. Laurentii Martyris.
15. Aſſumptionis Beatæ MARIÆ Virg.
24. S. Bartholomæi Apoſtoli.

Menſe Septembri.

Feſtum S. Angeli Cuſtodis Dominica proxima antecedente Nativitatem Beatæ MARIÆ Virg.
8. Feſtum Nativitatis Beatæ MARIÆ Virginis.
21. S. Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ.
29. S. Michaelis Archangeli.

Menſe Octobri.

28. Feſtum SS. Simonis & Judæ Apoſtolorum.

Menſe Novembri.

1. Feſtum omnium Sanctorum.
11. S. Martini Epiſcopi.
25. B. Catharinæ Virginis.
30. S. Andreæ Apoſtoli.

Menſe Decembri.

6. S. Nicolai Epiſcopi.
21. S. Thomæ Apoſtoli.
25. Nativitatis Domini & Salvatoris.
26. S. Stephani Proto-Martyris.

27. S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ.
28. SS. Innocentum.

V. Præterea in ſingulis Eccleſiis Feſtum Dedicationis & Patroni, & ſi quæ alia in certis locis Diœceſis noſtræ jam olim recepta, & hactenus obſervata ſunt, tam in foro, quam in choro, ut vocant, ſolemniter celebrentur.

VI. Admoneatur ſæpe populus de vero uſu, & fructu dierum Feſtorum. Is in eo verſatur, ut ſacro tempore fideles Deo, Diviniſque rebus libere & integre vacent; ut Sanctorum ſolemnem memoriam religioſe celebrent; ut verbum Dei, & Miſſæ Sacrificium audiant reverenter; ut orationi & pietati cumprimis vacent, Diviniſque Officiis & Horis Canonicis libenter interſint: demum ut ſacrum hoc tempus non vanis & profanis, ſed piis, ſacriſque ſtudiis tranſigant.

VII. Et graviter illi non ſolum a Concionatore arguendi, verum etiam a Magiſtratibus caſtigandi ſunt, quos nihil pudet diebus feſtis & ſolemnibus Sacra negligere, rebus mechanicis, & negotiationibus operam dare, aut ita quidem feriari, ut, qui dies a Nobis potiſſimum ſunt ſanctificandi, illis ad carnis, ventriſque ſtudium, & ad vitæ tum licentiam, tum turpitudinem, contra jus Divinum & humanum, vel maxime abutantur.

VIII. Hortamur autem, & obſecramus in Domino Principes, ac Magiſtratus, ut in iis maxime, quæ ad hunc Dei cultum retinendum atque augendum pertinent, Nos ſua auctoritate ac vigilantia juvent, jubeantque populum Sacerdotum præceptis obtemperare, opificum ac mercatorum officinas & tabernas iis diebus clauſas teneri, nundinas, forumque hebdomadarium, ſi quando in Feſta incidunt, transferri, vel ſaltem non ante concionem, ac Divina officia abſoluta, celebrari.

IX. Choreas, ludos, ſpectacula ſæcularia, ac his ſimilia ludicra inſtitui, exercerique vetent eo tempore, quo Catecheſes, conciones, & veſpertinæ preces habentur, & cum propter certas populi Chriſtiani neceſſitates in Eccleſiis indictæ, inſtitutæque ſunt preces ac ſupplicationes publicæ.

X. Nemo ſæcularium ex quacunque cauſa, quemcunque diem Feſtum relaxandi, atque in eo vel toto, vel ejus parte opera ſervilia permittendi poteſtatem ſibi arroget, uſurpetve, ſed ſi quid ex evidenti aliqua neceſſitate hoc in genere permittendum videretur, ad illud Noſtra, aut Vicarii noſtri facultas & aſſenſus poſtulandus erit, qui, ſi propter periculum moræ exſpectari non poſſit, conſilium & judicium Decani ruralis, aut Parochi ſequendum erit.

CAPUT X.

De obſervatione Jejuniorum.

I.

Salutaris eſt iſta D. Auguſtini admonitio: Qui vult orationem ſuam valere apud Deum, faciat illi duas alas, id eſt, eleemoſynam, & jejunium, ut aſcendat celeriter, & exaudiatur. Quare Parochi & Concionatores huc incitent auditores, ut eleemoſynas & jejunia cum oratione conjungant, & his piis operibus ſibi Deum, Deique gratiam ſtudeant in Chriſto promereri. Nec enim negari poteſt, quin horum trium operum unumquodque genus in Sacra Scriptura ſummopere commendetur, & Divinæ gratiæ promiſſionem expreſſam habeat, & præterea ſanctorum hominum tum teſtimoniis, tum exemplis mirifice comprobetur.

II. Cæterum jejunia, quibus diebus ea nobis præſcripta ſunt ab Eccleſia, quia cujuſque conſcientiam obligant, qui aut ætatis, aut ægritudinis, aut imbecillitatis, aliamve juſtam excuſationem adferre non poteſt, religioſe ſunt omnibus obſervanda.

III. Dabunt igitur operam Parochi & Concionatores, ut non ſolum feſtos, ſed etiam jejuniorum dies, qui de præcepto eſſe dicuntur, mature pro concione denuntient, ne quis fortaſſe, cum non jejunat, ullum ignorantiæ, inobedientiæque ſuæ prætextum poſſit obtendere.

IV. Cæterum ut ſalutares jejuniorum dies, qui in deſuetudinem apud mul-

multos abiisse videntur, certius agnoscantur, hic enumerandos censuimus. Primum jejunium solemne, quod inde a temporibus Apostolorum, in Græca & Latina Ecclesia, semper in usu Catholicis fuit, est Quadragesimæ jejunium, sacrum & acceptabile tempus ad pœnitentiam agendam peccatoribus proprie destinatum, quod a feria quarta Cinerum usque ad Festum Paschatis protenditur: quamvis Dominicis diebus nulla, ut reliquis diebus, jejunatio, sed a quibusdam tantum ciborum generibus abstinentia fiat.

V. Est deinde jejunium quatuor temporum, & illud quoque pervetustum, primum, circa initium Quadragesimæ; secundum, in hebdomada Pentecostes; tertium, in Septembri feria quarta post festum Exaltationis Sanctæ Crucis; postremum, in Decembri feria quarta post festum Luciæ; ita solitum observari, ut feria quarta & sexta, simulque Sabbato tunc jejunium peragatur.

VI. Sunt & alii dies jejuniis peculialiter consecrati, ut Vigilia Dominicæ Nativitatis, Pentecostes, Assumptionis Deiparæ Virginis, Nativitatis Beati Joannis Baptistæ. Item dies profesti Ss. Apostolorum, exceptis Vigiliis Ss. Philippi & Jacobi, tum Joannis Evangelistæ. Præterea jejunio consecrata est Vigilia S. Laurentii Martyris, & ea, quæ festum omnium Sanctorum antecedit.

VII. Pro S. Marci, & tribus Rogationum diebus, etsi jejunandi præceptum ab Ecclesia universali non habetur, ex usu tamen, & consuetudine antiqua servari solet præfatis diebus abstinentia a carnibus in pluribus Ecclesiis, quam, quanta possumus efficacia Diœcesanis nostris commendamus, commendarique quotannis volumus a Parochis & Concionatoribus.

VIII. Qui ad certorum dierum jejunium, aut peculiari voto, aut ex certo vitæ instituto sunt obstricti, hi vota sua Deo fideliter & pie reddant, nihilque dubitent, sibi non minus, quam Nazaræis, & Rechabitis abstinentiæ suæ mercedem a Deo esse donandam.

IX. Ita vero jejunandum est ex instituto Ecclesiæ diebus illis, qui sunt jejuniis consecrati, ut ab esu carnium abstineatur, & unica in die refectio sumatur, permissa ad Vesperam tenui, ut vocant, collatione, medicinæ magis, quam refectionis causa.

X. Quando festum incidit in feriam secundam, jejunium ex more Ecclesiæ non Dominico, sed Sabbato præcedenti servatur, si ejus festi Vigilia jejunium exigat.

XI. Parochi hanc Ecclesiasticam jejunandi rationem & disciplinam tam Clero, quam populo sedulo commendent, ejusque verum usum ac uberes fructus diligenter explicent, moneantque jejunio corporali jungendum spirituale, quo mens a vitiis ac sæculi voluptatibus abstinet, hocque perpetuum esse debere.

XII. Quos valetudo, aut alia legitima causa a præcepto jejunii eximet, quique diebus ab Ecclesia vetitis carnium esum a Nobis, aut Vicario nostro, vel urgente necessitate, a suo Parocho legitime obtinebunt, ii facultate sibi concessa ita caute utantur, ut nemo merito offendi possit.

CAPUT XI.

De Sanctorum cultu, invocatione, & Reliquiis.

I.

OBservent Concionatores, populoque tradant hoc discrimen, quod in Ecclesia Catholica semper habitum fuit inter cultum & honorem, qui summo Deo, Divinisque Personis, & qui Sanctis Dei cum Christo jam in cœlo regnantibus tribui debet. Honoramus, colimus, invocamus Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, sed longe quidem ratione alia, multoque sublimius, quam Sanctos, utpote Dei filios, Christi membra, & Divini Spiritus organa præ cæteris fidelibus divinitus honorata.

II. Peculiariter autem Sanctorum cultus, adversus novos & veteres Vigilantianos (*) vindicetur, & defendatur constans Ecclesiæ mos, qui e Sacris Literis, probatisque Patribus comprobari

(*) *Vigilantius*, natione Gallus & Barcinonensis Eccles. Presbyter, Sæc. V. circa ann. Æræ vulg. 406., novi auctor dogmatis.

bari poteſt, & a multis ſæpe Catholicis Theologis comprobatus fuit, ne quis dubitet, nos mortales fidis Sanctorum patrociniis apud Deum juvari, & facilius exaudiri poſſe. Confirmetur etiam atque etiam, quod Auguſtinus ante mille ducentos annos & docuit, & ſcriptum in hunc modum reliquit: Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem,& ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur.

III. Si quando Ss. Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum hiſtoriæ in medium adducuntur, eas ex libris, & auctoribus magis probatis petant Concionatores, ne hoc ſæculo contentioſo, aut ineptis & ridiculis, vel parum firmis exemplis, & incertis prorſus hiſtoriis fidere videantur.

IV. Non aſpernendæ, ſed honorandæ ſunt Reliquiæ & exuviæ Sanctorum, in quibus velut electis ſedibus Divinus ille Spiritus olim habitavit, ſuamque virtutem ſæpe adhuc exerit, & in reſurrectione demum ipſa corporum potenter exeret.

V. Loquimur autem non de ſuſpectis aut prorſus dubiis, ſed veris ac probatis Reliquiis, quas in decoris vaſculis reverenter aſſervari, neque ſine luminibus accenſis populo, ſicubi mos hic obtinet, commonſtrari jubemus. Quod ubi fiet, habeatur ad præſentes vel concio, vel monitio de vero cultu, & debita veneratione Sanctorum, & Sacrarum Reliquiarum, præſertim, ut Vigilantianorum, qui paſſim hodie graſſantur, erroribus aliqua etiam ex parte occurratur. Interea omnem avaritiæ & quæſtus ſpeciem fugiant, qui Sacras Reliquias aut viſendas, aut contingendas aliis exhibent, quos Clericos, non laicos eſſe conveni[t].

VI. Reprehendantur, prohibeantur, penitusque tollantur ſuperſtitiones, impoſturæ, & abuſus omnes, ſi qui ſunt, aut in viſitatione futura reperientur apud ſimplices in Sanctis, eorumque Reliquiis vel imaginibus præpoſtere honorandis, ut hinc Divino nomini, vel honori nulla injuria, & fidelibus nullum inferri offendiculum poſſit.

DECRETORUM SYNODALIUM DIOECESIS AUGUSTANÆ

PARS SECUNDA.

CAPUT I.

De Cultu Divino.

I.

Ad vitam recte & ex virtute inſtituendam, ingens momentum adfert, cum probe homines advertunt, hac ſe lege conditos, & per Chriſtum reſtitutos eſſe, ut Dominum Deum ſuum rite colant, revereantur, ac totis viribus illi in hac mortali vita deſerviant, ac tandem ſerviendo, in altera cœleſti ſalvi & perpetuo beati fiant.

II. Eſt vero duplex hujuſce ſervitutis cultus, & primarius quidem internus, quo per intellectum & affectum voluntatis homo Deo conjunctus, illius Majeſtati ſummum, quod poteſt, obſequium præſtat, fide ſincera, ſpe firma, charitate puro de corde profecta, & piis aliis animi affectibus ex hiſce tribus fontibus Chriſti gratia profectis.

III. Alter cultus externus eſt,profeſſio nimirum & teſtimonium interni cultus, quem externis quibusdam & viſibilibus indiciis ac ſignis fideles proferunt ac declarant, quo ſane opus non foret, ſi tantum ſpiritu conſtaret homo, nec animam haberet cum corpore junctam & implicatam: quoniam vero geminus eſt homo, ut præclare dixit D. Baſilius, convenit geminum eſſe virtutum ſtudium, quod & corporis laboribus, & animæ exercitiis abſolvatur.

IV. Igitur quemadmodum pia mens neceſſario Deum colit fide, ſpe, & charitate, ſic & pii hominis corpus, a colendo Deo vacare nec poteſt, nec debet, quin externis & corporeis rebus latentem intus Religionem oſtendat, ſuamque erga Deum animi & corporis auctorem, gratitudinem explicet,

cet, ac debitæ proximo virtutis ac pietatis exemplum præbeat, suumque corpus etiam rectius in officio contineat, ac illud demum præparet beatæ immortalitati, in qua summus, perfectusque cultus utrimque, tum corpore, tum anima, Deo plene & absque labore ullo, ab humana creatura reddetur.

V. Unde perspici potest, cultum Divinum late quidem patere, & porrigi ad quævis pia officia, quæ in honorem Divinæ Majestatis intus & foris ab homine fieri possunt; sed eos cultores magis Deo probari ac perfectiores esse, qui rectius cultum interiorem, exterioremque conjungunt. Nam cultus externus nisi ad interiorem, veluti corpus ad animam referatur, & ad Deum ipsum pure ordinetur, laudem forsan apud homines, sed non apud Deum promeretur, neque salutem & utilitatem solidam adfert.

VI. Sed cum Christiani omnes, tum Ecclesiastici homines ad præstandum Deo cultum, peculiari Religionis vinculo vel maxime obligantur. Neque enim aliter ad Beneficia Ecclesiastica, quam propter Officia Divina rite & legitime persolvenda, eliguntur & assumuntur. Neque solum pro se ipsis, sed etiam pro vivis & mortuis, ad Dei cultum nocte & die celebrandum peculiariter instituuntur, nimirum ut preces, eas præsertim, quas Horarias vocamus, dona & Sacrificia pro suis & populi peccatis in justitia & sanctitate offerant, & Sancto Deo sancti serviant omnibus diebus vitæ suæ.

VII. Ad hunc Dei cultum in universa Diœcesi nostra, ad majorem Dei gloriam magis promovendum, augendumve, atque in eo peragendo uniformitatem instituendam; statuimus & præcipimus, ut tam in Cathedrali nostra, quam in omnibus Collegiatis, & Parochialibus Ecclesiis, ubi plures Clerici sunt, ex eorum numero certus aliquis deligatur, qui sit cæremoniarum Magister, cujus sit singulis Sabbati diebus in Sacristia tabellam proponere, in qua officii tota per hebdomadem sequentem recitandi ratio, Missarumque celebrandarum ordo, eorum item nomina, ad quos tum Missas celebrare, tum Evangelia & Epistolas decantare pertinebit, descripta sint.

VIII. Idem omnibus & singulis, qui in choro adsunt, significare teneatur, quo tempore oporteat stare aut sedere, inclinare caput, genua flectere, & his similia facere; quale item quisque munus, quove pacto præstare debeat, singulosque Ecclesiæ Ministros sui officii in tempore præmonere. Ipse autem Directorem in suo munere sequetur Decanum, vel alium Præsidem ejus chori, in quo istud munus sustinebit.

IX. Et quo diligentius in tota Diœcesi eadem in Divino cultu persolvendo ratio tenetur, Calendarium, quo singulorum dierum officii ratio præscribitur, ex more jam recepto quotannis ita oportune conficiatur, ut aliquot ante Natales Domini dies evulgari possit.

X. Cum ad Ecclesiam ad Divina Officia conveniendum erit, id campanæ signo indicetur, & interposita mora, qua facile omnes convenire possint signo audito, qui Divinis Officiis interesse debent, præparent se ad Divinas laudes digne persolvendas; ad Ecclesiam mature progrediantur, amicti superpelliceis mundis, cæteraque Clericali statui convenienter ornati; quam, ubi ingressi fuerint, facta ad Ss. Eucharistiam vel altare summum, reverentia & religiosa inclinatione, suum quisque locum in choro adeat.

XI. Ubi inchoandi Officii tempus erit, non vocis tantum decenti, sonora, & cæteris consona modulatione, sed etiam intima cordis & externa corporis devotione debitum suæ servitutis pensum absolvere studeant, & pro temporis & officii ratione, & Ecclesiæ instituto, omnes simul sedeant, stent, flectant genua, caput aperiant, & cætera ejus generis faciant, colloquiis, risui, jocis, somno nemo indulgeat, in Choro vel Ecclesia nullus vagetur, neve locum suum extra necessitatem mutet, nec literas, libros, scriptaque profana legat, aut exeat ante Divinum Officium completum, nisi necessitas cogat.

XII. Si, cum Divina celebrantur Officia, alicui e Sacerdotibus, vel reliquo Clero, vel Ministris interdum per Ecclesiam necessario sit incedendum, graviter & modeste id fiat, vitato omni indecenti discursu, deambulatione, otiosa & inutili confabulatione.

XIII. In Ecclesiis nullæ cantiones hæreticorum, quantalibet modulationis & pietatis specie vulgo commendentur, nec ulla profana cantica, sonique leves & quæcunque lasciva canendi ratio usurpentur; sed sint cantus & soni graves, pii & distincti, domui Dei, ac Divinis laudibus accommodati, ut simul & verba intelligantur, & ad pietatem auditores incitentur.

XIV. Retineri in Ecclesiis nostris permittimus antiquas illas & Catholicas cantiones, quas vulgari lingua conscripserunt pii Majores nostri Germani, ut eorum exemplo, solemnioribus Ecclesiæ Festis in Templis, & in publicis supplicationibus adhibeantur.

XV. Organa, tibiæ, cornua, & reliqua musica instrumenta in nostris Ecclesiis intempestive & immoderate ne adhibeantur, caveaturque semper in his omnibus, quævis levis & lasciva modulatio, & quidquid pietati excitandæ & fovendæ non conducit. Cantores, quantum fieri potest, Clerici sint, Clericalibus vestibus & superpelliceo induti.

CAPUT II.

De Sacramentis Ecclesiæ in genere.

I.

SEptem sunt novæ legis Sacramenta a Christo Domino instituta, & ab Apostolis, Virisque Apostolicis velut per manus ad nos transmissa, per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur, quorum quanto major est dignitas & præstantior effectus, tanto sunt sanctius & religiosius tum administranda, tum suscipienda.

II. Horum natura, usus, & salutares effectus, pro captu auditorum sæpe a Pastoribus explicandi sunt, non solum in publicis concionibus & Catechismi explicatione, sed in singulorum etiam administratione, cum opportunitas datur: quod ut solidius præstent, familiarem illis esse optamus, nunquam satis laudatum Catechismum Romanum.

III. Parochi, atque alii, ad quos cujusvis Sacramenti administratio spectat, quam diligentissime videant, ut tam sacro Ministerio functuri, ab omni culpa mortali immunes, animi puritate & sanctitate præditi sint, ne, dum aliis esse volunt Ministri ad salutem, damnationem sibi acquirant.

IV. Atque ut intus munditie, & candida innocentiæ stola exornati esse debent, ita etiam extrinsecus semper amicti sint habitu Clericali honesto, superpelliceo mundo, & decenti stola.

V. Pastores, quique eorum vice funguntur, ad Sacramenta ministranda vocati, moram omnem abrumpant, & officio suo satisfacere festinent, gravissime a Nobis puniendi, si quem ipsorum negligentia & tarditate sine Baptismo, Pœnitentia, Sacro Viatico, aut Extrema Unctione mori contingat.

VI. Preces omnes Sacramentales, maxime vero ipsæ formæ Sacramentorum pronuntientur tractim, distincte, attente & reverenter, cureturque magna diligentia, ut materia quoque legitima adhibeatur, nec quidquam ex consuetis benedictionibus, cæremoniis, unctionibus & precibus prætermittatur; nec aliter fiant, quam in Obsequiali, nostra auctoritate ad Romanum usum reformato, præscribitur.

VII. Sanctum Chrisma & Sacra Olea petant Parochi quotannis in vasculis mundis & decentibus ab Ecclesia nostra Cathedrali, iisque receptis veteribus non utantur, sed quidquid ex illis superfuerit liquidi, infundatur lampadi, quæ lucet ante Venerabile Sacramentum: quod autem bombyci vel gossipio immixtum fuerit, comburatur in cineres, qui projiciantur in piscinam sacram.

VIII. Multas & graves ob causas volumus & ordinamus, ut Ss. Domini nostri Corpus, nec non Chrisma & Oleum sacrum, cæteraque ad res sacras perti-

pertinentia, ſub diligenti, fortique cuſtodia & clauſura conſerventur. Claves, quibus ea recludantur, ſint penes Paſtorem, & nullo modo Æditais committantur, ut ne ulla vel injuria, vel profanatio tremendis illis Chriſti myſteriis, rebusque ſacris irrogetur.

CAPUT III.

De Baptiſmi Sacramento.

I.

CUm in Baptiſmo Redemptoris noſtri mors, ſepultura, & reſurrectio nobis cum ad contemplandum, tum ad imitandum velut ob oculos proponatur, Sacerdotes monitos inprimis volumus, ut primum, neceſſarium, & Sacroſanctum hoc regenerationis Lavacrum celebrent accurate, utque ſuæ pietatis exemplo alios ad Chriſti gratiam, & Sacramenti hujus dignitatem & virtutem plenius & religioſius contemplandam excitent, ac impellant.

II. Tempeſtive præparentur, quæ ad Baptiſmi adminiſtrationem ſpectant, ut ordine, quiete, decenter, & citra tædioſam interruptionem mature omnia coram populo peragantur.

III. Si uſquam alibi, tum in ipſa prolatione verborum, quibus hoc Sacramentum, ejusque virtus conficitur, eſt advigilandum, ut proinde provide ac diſtincte dicendum ſit: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Quæ verba cum aliis, tum Parochis maxime ſunt mandanda memoriæ, ut in his nihil varietur.

IV. Animadvertant omnes Parochi, ne in ullo liquore alio, quam vera & naturali aqua, & ſolemni benedictione, & ſacri Chriſmatis unctione ſanctificata, baptizent. Verum tempore neceſſitatis, aqua etiam non benedicta Baptiſmum adminiſtrare licebit.

V. Solemnes baptizandi cæremoniæ & myſticæ unctiones, cæterique ritus, quos conſtat jam inde ab initio Religionis Chriſtianæ per univerſam Eccleſiam obſervatos eſſe, nulla ex parte aut varientur, aut prætermittantur: ſed ſicut Eccleſiæ noſtræ Obſequiale præſcribit, niſi neceſſitas aliud exigat, plene adhibeantur. Neque parum referet de hujusmodi cæremoniarum ſignificatione populum ſæpe moneri, opportunitate oblata in concionibus publicis, in Catecheſibus, atque in ipſa etiam hujus Sacramenti adminiſtratione.

VI. Obſtetrices & mulieres aliæ, quæ puerperis tempore partus frequenter adſunt, duplici nomine graviter ſunt admonendæ: primum, ne extra tempus neceſſitatis baptizandi officium uſurpent ſibi: deinde, ut formam baptizandi probe teneant ac ſervent. Hanc formam niſi norint, ad munus obſtetricandi non admittantur, & de eadem omnes, quæ paſſim hoc ipſo munere funguntur, a ſuis Parochis examinentur. Quod ſi nonnullæ baptizandi veram ignorent formulam, ſtatim doceantur; at ſi nolint diſcere, a ſuſcepto obſtetricandi munere, ut merentur, prorſus excludantur.

VII. Infantes in neceſſitate a laicis baptizati, in Eccleſiam a parentibus, nutricibus, vel obſtetricibus, quamprimum fieri poteſt, adducantur. Ibi Sacerdos diligenter inquiret, an debita forma in baptizando fuerit obſervata: quæ ſi acceſſit, Sacerdos factum approbans, ſuppleat reliqua, quæ ſecundum Obſequialis præſcriptum ſupplenda erunt. In aliis vero caſibus & dubiis circa Baptiſmum occurrentibus, quid idem Obſequiale moneat, videndum & ſequendum erit, & præſertim, ſi quem ſub conditione baptizare neceſſe ſit.

VIII. Cæterum, quod ad alios pertinet, qui ab hæreticis ipſorum more baptizati, ad Eccleſiam Catholicam redeunt, obſervari volumus Synodi Provincialis Moguntinæ Decretum, ut qui ritus circa Baptiſmum in illis ſunt prætermiſſi, Catholico more ſecundum Obſequialis noſtri tenorem caute & pie ſuppleantur. Primum autem tales ab hæreticis baptizati, ut hos ritus, & ſolitas unctiones, atque precationes admittant, ſerio exhortandi, &, qua fieri ratione poteſt, permovendi ſunt. Illis vero totum Baptiſma ſecundum Eccleſiæ noſtræ ritum tradatur, in quorum forte Baptiſmo debita quoque forma non fuerit obſervata.

IX. Sit in qualibet Parochiali Ecclesia Baptismi fons lapideus, vel cupreus, diligenter obseratus & occlusus, in quo semper prompta nitida conservetur aqua. Hic quovis anno bis, semel quidem in Sabbato Sancto, semel autem in Sabbato Pentecostes solenni benedictione, & Sacri Chrismatis unctione sanctificetur, fronte prius expurgato per ipsum Parochum, vel alium in Sacris constitutum. Ex quo fonte, ne quisquam aquam surripere, & ea quomodolibet abuti possit, neve ullis injuriis vel immunditiei hæc aqua sacra exposita maneat, serio mandamus fontem eundem diligenter occludi, mundumque servari. Tum singulis Parochis inhibemus, ne aquam ex fonte Baptismali cuivis porrigant, ut in usum profanum verti nullo modo possit.

X. Ubi in eadem Ecclesia propter pacem publicam diversæ Religionis exercitium tolerari debet, ne sit fons Baptismalis communis, sed suum proprium habeat Pastor Catholicus, quem bene clausum, obseratumque teneat.

XI. Ne Baptismus forte dilatus periculum adferat infantibus, qui hoc lavacro ad salutem egent, sedulo præcipimus, ut parentes, nutrices, & obstetrices moram omnem abrumpant, &, quam fieri potest, citissime baptizandos infantes offerant, quibus & solemnes cæremoniæ, si per tempus licet, adhibeantur. Nec feratur, ut ultra dies octo natis parvulis Baptisma prorogetur.

XII. Nemo baptizet Judæos & Judæorum filios, aut filias, nisi in illis vitæ periculum timeretur, absque nostra, vel Vicarii nostri expressa facultate. Refert enim prius inquiri, fictene, an vere baptizari tales cupiant catechumeni, tum sintne in fide satis ad hoc fidei Sacramentum capessendum instructi.

* XIII. Observari volumus Decretum Concilii Tridentini, ut unus tantum sive vir, sive fœmina, vel ad summum vir unus & una fœmina, de quibus primum sciscitabitur Parochus, de fonte suscipiant baptizandum. Quod si ultra designatos alii infantem tangentes accesserint, nullam cognationem spiritualem sciant cum illis contrahi.

XIV. Illi tantum in compatres vel commatres, ut vocant, admittantur, qui officio suo, cujus, sicut & cognationis spiritualis, quam contrahere solent, a Parocho admonendi sunt, satisfacere posse videbuntur.

XV. Animadvertant Parochi, priusquam ad Ecclesiam veniatur, cum parentibus baptizandorum illud agendum esse, ne compatres vel commatres eligant, qui nondum tenent fidei rudimenta, utpote Symbolum Apostolorum & Orationem Dominicam: quique ad annos discretionis nondum pervenerunt, & qui sunt personæ Regulares cujuscunque Ordinis, quod neutri pro aliis spondendi necessariam libertatem habeant.

XVI. Præterea sciant & moneant iidem Parochi in compatres admittendos non esse, qui justo impedimento cessante, eo anno Sacerdoti peccata confessi non sunt, neque in festo Paschatis Sacram susceperunt Eucharistiam, quique hæresi fortasse infecti, aut excommunicati reperiantur. Neutiquam enim convenit eos veluti comministros, vel testes assistere Sacramentis, qui de illis male sentiunt, vel quos a Divinis arcet Ecclesia, quive seipsos ab unitate atque communione Catholica segregarunt.

XVII. Habeant singuli Parochi librum peculiarem, in quo baptizatorum nomina, & parentum eorundem ac compatrum nomina, cognomina, diemque nativitatis ac Baptismi accurate describant. Eum librum diligenter custodiant, & in eadem Ecclesia tuto loco conservandum, & perpetuo relinquendum curent.

XVIII. Parvulos sive divitum, sive pauperum, nisi forte gravis necessitas aliter fieri postulet, non alibi, quam in loco sacro, & coram conspectu fidelium volumus baptizari, nec alia illis nomina imponi, quam Sanctorum, quorum exemplo excitati, cum adoleverint, pietatis, virtutisque se strenuos cultores exhibeant.

XIX. Dum vero baptizatur infans, manibus eum sustineat Patrinus, Sacerdo-

cerdote affundente aquam, & dicente: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

XX. Puerperæ a Parochis tum monendæ, tum adigendæ sunt, ut post absolutum puerperii tempus in primo statim egressu ad Ecclesiam procedant, seque Deo clementissimo gratas & devotas ostendant, ac tum benedictionem a Parochis solitam petant, accipiantque.

CAPUT IV.

De Sacramento Confirmationis.

I.

Recte jam olim est constitutum, & a nostris quoque Parochis volumus observari, ut ipsorum admonitione permoti parentes, & alii, qui curam baptizatorum puerorum gerunt, eosdem Episcopo confirmandos afferant, neque sinant horum animas tam præsenti & salutari Sancti Spiritus medicina fraudari. Alioquin, qui ea in re negligenter egerint, sive Parochi, sive parentes, pœnis Canonicis subjacebunt. Curent interim Parochi de Sacramenti hujus institutione, præstantia, fructu sæpe docere, simulque septem dona Spiritus Sancti, quæ in hoc Sacramento conferuntur & accipiuntur, ex professo tractent.

II. Admonendi Patrini, præsertim rudiores in pagis, & qui confirmandi accedent, ut norint & cogitent secum, Sacramentum Confirmationis rem esse sanctitatis plenam, inde ab initio Ecclesiæ magno in pretio semper habitam, magnoque consensu Sanctorum Patrum comprobatam, imo etiam ab ipsis Apostolis traditam; eapropter huc magna Religione, compositis moribus, ac sine ullo tumultu, clamoreque honeste & pie præparatos accedere oportere, ut mentes illorum excellentibus donis Spiritus Sancti plenius imbuantur, & in gratia spirituali contra quævis adversa corroborentur.

III. Ad Episcopum accedentes, qui primi erunt, flexis coram eo genibus, mente vero ad cœlum erecta, religiose accipiant hoc Sacramentum. Deinde, qui succedunt alii, indecora festinatione vitata, ordine quodam & servata modestia subsequantur.

IV. Ne putentur omnes idonei ad offerendum Episcopo eos, qui sunt confirmandi (septennes autem confirmandos esse ut minimum suademus ac desideramus) facultatem hanc offerendi duntaxat permittimus his, qui primum & ipsi Catholice confirmati, & ab omni excommunicationis sententia liberi, nec gravioribus criminibus palam obnoxii fuerint, tum qui eo anno ad Sacramentum Confessionis & Communionis accesserint, & prima fidei noverint rudimenta; Regulares autem personas, cujuscunque sint Ordinis, pro patrinis huc accedere prohibemus.

V. Caveatur, quantum commode fieri potest, ne posthac Laici plures, quam duos offerant Episcopo, præsertim ut eo certius cognationis spiritualis incommodum, quod subsequenti Matrimonio impedimentum afferre posset, evitetur.

VI. Qui adulti ad Confirmationem veniunt, Sacramentali Confessione suas primum conscientias purgent, gravibus autem sceleribus contaminati & infames, vel sententia excommunicationis ligati, nisi antea pœnitentiam agant, & rite absolvantur, ab hoc Sacramento sunt prorsus arcendi.

VII. Singuli confirmandi suum habeant patrinum, qui fascia linea & munda frontem confirmati statim liget, quæ ob reverentiam Sacri Chrismatis triduo gestetur, deponaturque postea, ut jam more confirmatum est, per Sacerdotem, vel patrinum, vel alium e fidelibus, & comburatur, mittanturque cineres in piscinam sacram. Frons autem confirmati abluatur aqua munda in pelvim, quæ deinde effundatur in cœmeterium, vel in piscinam sacram, vel profluentem, nullo modo in locum aliquem immundum.

VIII. De quibus rebus Parochi diserte & tempestive suos moneant, & præsertim ad Sacramenti hujus pium desiderium, & fructum spiritualem eosdem incitent & accendant.

CAPUT V.

De Ss. Sacramento Eucharistiæ.

I.

CUm Eucharistia sit Sacramentum Sacramentorum, quo nihil sublimius, aut sanctius, aut augustius habet Ecclesia, graviter nobis & moleste ferendum est, summum hoc Mysterium a Sectariis & impuris hominibus horrendum in modum profanari, & impie passim oppugnari, nequiterque contemni. Quare non possumus non admonere ac jubere Parochis, ut populo diligenter inculcent, quæ de astruenda hujus Sacramenti veritate, transsubstantiatione, adoratione, sumptione, & oblatione Sancta Synodus Trid. post clarissima tot Patrum & Doctorum testimonia definivit.

II. Quoniam sæpe accidit, ut simplices plerique hoc ducantur errore, ut ablutionem seu purificationem ex calice capientes, credant se Domini Sanguinem sumere, consultius fore judicavimus a Parochis vas quoddam honestum distinctæ formæ tam a calice, quam domesticæ figuræ cyatho, atque illud, ubi commode haberi potest, argenteum, ad manum haberi, unde Communicantibus ablutio, ut vocant, a quocunque Clerico, vel honesto Laico porrigatur. Ea de re populus, ne erret, aut offendatur, pro concione simul instruatur.

III. In qualibet Parochiali Ecclesia sit tabernaculum, seu reservatorium, uti vocant, in loco eminenti, conspicuo, honorifico, mundo, qui etiam minime humidus videatur, ubi secundum antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem, quam etiam Sæculo Nicæni Concilii fuisse constat, Eucharistia pro infirmorum viatico conservetur. Et, quo sciri possit commodius, ubi adoranda Eucharistia conservetur, quæ primum honorem ab ingredientibus Ecclesiam promeretur, pia pictura, & sculptura quædam parata sit, quæ spectantes ad pietatis cultum, & Sacramenti hujus dulcem memoriam, Christique Domini venerandam præsentiam excitet.

IV. Sed & lumen ante Sacramentum Corporis Christi, qui est lux indeficiens, & candor lucis æternæ, noctes atque dies accensum volumus prælucere. Quod, ut omnino fiat, omnium locorum Parochos, ad ejusmodi luminarium defectus, ubicunque fuerint, corrigendos, aut Nobis, vel Vicario nostro quamprimum denuntiandos, sub pœna Nobis arbitraria, obligamus.

V. Sit in tabernaculo mundum, decens, & honestum vasculum (alii pyxidem nominant) quo Sacramentum hoc, quod est peregrinantium, & ex hac vita migrantium Viaticum vere salutare, ad infirmos deferri, illisque inde porrigi possit.

VI. Sit item Monstrantia, ut vocant, quæ ad Christi Venerabile Corpus suis temporibus exhibendum & circumferendum serviat, eamque in locis illis, quibus facultates ad id suppetunt, argenteam, alibi vero ut minimum ex aurichalco deaurato conflatam parari jubemus.

VII. Tabernaculum, quod diximus, una cum vasculo decenter parato diligenter claudi & muniri, & claves a Parocho studiose asservari, & nullo modo Æditŭo committi mandamus, nimirum ad irreverentiam, & injuriam omnem, ne hic accidat, prohibendam.

VIII. In hoc ipso vasculo tot Hostiæ consecratæ semper habeantur, quot præsenti ægrotorum necessitati probabiliter sufficere videbuntur. Ubi Parochis omnibus injunctum volumus, ut hujusmodi Hostias, semel aut bis mense quolibet, reverenter in Missa, ipsi sumant, vel aliis porrigant in Communione. Alias interim novas in usum infirmorum ad justum numerum consecrare, & decenti in loco reservare procurent.

IX. Quando Sacerdos ad ægrotum cum Sacra Eucharistia venturus accersitur, nisi necessitas aut periculum festinationem aliud exigat, mittatur in tempore vel Æditŭus, vel alius, ad mensam in ædibus ægroti decenter præparandam, cui mensæ Sanctissimum Sacramentum veniens Sacerdos imponat, ardentibus interim duabus, si haberi poterunt, honestæ formæ candelis, seu cereis.

X.

X. Paratis omnibus, quæ huc pertinent, Sacerdos Venerandam Euchariſtiam non ſine ingenti reverentia complectens, ad ægrotum graviter & mature procedat, ut compoſito ad pietatem vultu, ac toto corpore religionem præ ſe ferente, ſuperpelliceo & ſtola ornatus in platea cernatur. Præterea mundo impoſito velamine, Sacrum Domini Corpus ante pectus honeſte ferat, referatque lumine ſemper prælucente, & ſonante tintinnabulo, ut hinc mentes audientium, ſive ſpectantium, ad honorandam Chriſti præſentiam efficacius extimulentur.

XI. Pauciores autem, quam duas Euchariſtiæ Sacræ particulas ad infirmum deferri vetamus, præſertim, ut ne, cum Sacerdos in Eccleſiam redit, falſo exiſtimet populus præſentem & adorandam Euchariſtiam adeſſe. Quod ſi per negligentiam, aut ob qualemcunque feſtinationem accidat, ut Sacerdos citra Euchariſtiam in vaſculo conſervatam redeat, tum ſuperpelliceum ipſe exuat, neque lumen præferatur, neque campanulæ ſignum ullum detur.

XII. Hortentur ſæpe, ſeduloque curent Parochi, ut fideles, & præcipue viciniores Sanctum hoc Sacramentum, Dominumque ſuum ad ægrotos euntem pro Chriſtiana pietate non gravatim comitentur, quin & religioſe deducant, ſimulque pro fratris ſui ſalute (quod fraternæ charitatis eſt proprium) pie comprecentur.

XIII. Non auget, ſed minuit debitam huic Sacramento venerationem, quod contra veteris Eccleſiæ morem Sacroſancta Euchariſtia ſæpe & levibus de cauſis, paucisque, aut nullis præſentibus exportatur atque circumfertur. Quare conſtituimus ac jubemus, ut poſthac hujusmodi frequens Sacramenti circumgeſtatio prætermittatur, præterquam in ſolemni Feſto & Octava Corporis Chriſti; & ſi aliquando ingenti de cauſa publicæ ſupplicationes inſtituentur, quibus multi præſentes, & devoti Dei cultores adſint in Chriſti nomine congregati.

XIV. Item omnino interdicimus, ne, quibus diebus Sacramentum hoc publice defertur, ludi profani, vana ſpectacula, & alia levitatis & vanitatis genera exerceantur. Vetamus præterea, ne poſt hujusmodi proceſſiones, eodem ipſo die comeſſationibus, compotationibus, choreis, aliisque carnis operibus homines vacent, quos tunc pietati, honeſtati & gravitati Chriſtianæ, cultuique Divino operam dare, vel maxime quidem oportebit.

XV. Eximius, vereque ſuavis & inexplicabilis eſt fructus, quem pii referunt ex digne ſumpta Euchariſtia. Quamobrem nec raro, nec leviter populus pro concione monendus erit, ut non ſemel tantum Paſchatis tempore, ſed in præcipuis etiam Eccleſiæ feſtis, adeoque, ſi fieri poteſt, ſæpius ad hunc cœleſtem, Divinumque panem libenter & reverenter edendum accedat, utque immenſum hunc theſaurum cœleſtium divitiarum, quo primi Chriſtiani quotidie fruebantur, ſæpe & avide ſumat, Chriſto ipſo huc invitante.

XVI. In Sacra Euchariſtia diſpenſanda ſervetur, quod in Eccleſiis Catholicis tot jam ſæculis mos obtinet, ac ſacris etiam Conciliis Conſtantienſi & Tridentino comprobatum eſt, nimirum ut non modo fideles laici, verum etiam Sacerdotes non ſacrificantes, Corpus & Sanguinem Domini, adeoque totum Chriſtum Deum & hominem ſub una panis ſpecie ſumant.

XVII. Qui ritus communicandi tanto diligentius in Eccleſia noſtra eſt omnibus retinendus, quo certius conſtat, hoc non obſcuro Symbolo Catholicos a Sectariis hodie plurimum diſcerni, & eos, qui uſum calicis veluti rem neceſſariam ad ſalutem tantopere urgent, Eccleſiæ Catholicæ tum deſertores, tum contemptores eſſe, quos juvat magis de Sacramenti ſignis contendere, quam Euchariſtiæ virtutem & fructum quærere. Nos vero in Sacerdotes illos graviter animadvertemus, qui manifeſte vel occulte in Templis vel ædibus Communionem ſub utraque ſpecie porrexerint quibuscunque. Tum obligatos volumus Parochos ad indicanda Nobis illorum nomina, qui Catholica Communione non contenti, Eccleſiæ adverſantur, & fideles offendunt,

dunt, ut contra illos juris remedia, ſicut res ipſa poſtulat, experiamur.

XVIII. Quoniam plurimum refert, qua fide, quo animo, quantaque religione ſint præditi, qui ad Euchariſtiam ſumendam accedunt, etiam atque etiam hortamur Parochos, & illis ſevere ſimul injungimus, ut tempeſtive, & ſtudioſe populum doceant, de ratione ſancte & legitime communicandi. Præterea velut ob oculos ponant auditoribus, quæ utilitates & gratiæ munera perveniant ad bene præparatos, & contra, quæ incommoda & pericula indigne communicantes in hoc & futuro ſæculo maneant.

XIX. Unde Canonem Apoſtolicum ſedulo urgeant: Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat; & curent Parochi ſedulo, ne Sacroſanctam Euchariſtiam illi tribuant, quem ſciunt confeſſum non eſſe, ne Sanctum canibus, hoc eſt, indignis & impœnitentibus detur.

XX. Urgeant quoque & exhortentur ſuos ſubditos iidem, ut præcepto de ſumenda Communione annua ſatisfaciant in Parochia, ad quam de jure, vel conſuetudine pertinent, vel ſi alibi ex legitima cauſa communicaverint, ejus rei teſtimonium fide dignum exigant.

XXI. Citra noſtram, vel proprii Parochi licentiam, qui Communionem Paſchalem ultra Dominicam in Albis diſtulerit, & admonitus, quod debet præſtare, contumaciter recuſaverit, is vivus a communione fidelium & ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & mortuus ſepultura Chriſtiana careat, ejusque nomen ad Nos, vel Vicarium noſtrum deferatur, ut aliis etiam mediis ad obedientiam Eccleſiæ compellatur.

XXII. Ineatur ratio in ſingulis Parochiis, ut cognoſci certo poſſit, quinam præcepto Confeſſionis annuæ & Communionis Paſchalis ſatisfecerint, & quem quisque Parochorum quotannis tenuerit, referre teneatur ſuo Decano in Capitulo, quod proxime poſt Paſcha celebrabitur, eidemque numerum omnium, qui dicto tempore communicaverint, accurate, & bona fide deſcriptum tradat, quem deinde Decanus ad noſtrum Vicarium Generalem mittat.

XXIII. Tempore Paſchali, qui a ſua Parochia abfuerint, & intra octo dies a reditu impleti præcepti Eccleſiaſtici teſtimonium fide dignum non exhibuerint, pari omnino cum illis, qui domi non communicaverint, conditione cenſeantur, ut vivis Eccleſiæ ingreſſu, mortuisque Eccleſiaſtica ſepultura interdictum ſit.

XXIV. Pueros, ubi annos diſcretionis attigerint, ne patiantur Parochi a Communione diutius abſtinere, prius tamen, quam admittantur, diligenter inſtruantur in iis, quæ ad tanti Sacramenti vim & uſum cognoſcendum pertinent, ut in eis piam animi devotionem ac reverentiam excitent.

XXV. Damnatis ad mortem de peccatis rite confeſſis & contritis, negari non debet Euchariſtia, ſed tamen danda ante diem ſupplicii.

XXVI. Quando Sacra Communio in Templo datur, ut omnia convenienti ordine & cum reverentia fiant, obſervari volumus & mandamus modum, qui in Obſequiali noſtro præſcriptus eſt.

CAPUT VI.

De celebratione Miſſarum.

I.

SEmper docuit Eccleſia, & a ſuis Miniſtris conſtanter doceri vult, Euchariſtiam duabus de cauſis eſſe a Chriſto Domino inſtitutam, & juxta ejusdem inſtitutionem nobis retinendam. Altera eſt, ut cœleſte animæ noſtræ alimentum ſit, quo vitam ſpiritualem tueri & conſervare poſſimus. Altera, ut Eccleſia perpetuum Sacrificium habeat, quo peccatorum noſtrorum expiatio impetrari poſſit.

II. Et cum Salvator noſter Deo Patri ſeipſum in ara Crucis oblaturus eſſet, nullam ſuæ erga nos immenſæ charitatis illuſtriorem ſignificationem dare potuit, quam cum nobis viſibile Sacrificium reliquit, quo cruenti illius Sacrificii in Cruce ſemel immolati vis in nos derivaretur, ejusque memo-

memoria uſque in finem ſæculi, quotidie ſumma cum utilitate ab Eccleſia per univerſum mundum diffuſa coleretur.

III. Quare Parochis, & omnibus Divini verbi Prædicatoribus ſerio mandamus, ut Sacrificii hujus a Chriſto in Cœna ultima inſtituti veritatem, excellentiam, admirabiles fructus, ejusque in Eccleſia perpetuam celebrationem ſingulari cura doceant, & populum Chriſtianum frequenter adhortentur, ut non ſolum Dominicis ac Feſtis, ſed aliis quoque per hebdomadem diebus, cum celebratur, intereſſe ſtudeat.

IV. Sacerdotes Deo tam placentem Hoſtiam oblaturi, quanta maxima fieri poteſt cordis munditia & puritate, atque ſummæ devotionis ac pietatis ſtudio ad altare accedant, diligenti prius inveſtigatione diſcuſſa conſcientia; quam ſi ullius etiam occultiſſimi peccati mortalis labe inquinatam reperiant, priusquam ſacrificent, Sacramentali Confeſſione expurgent. Neque enim ſufficit ad digne ſacrificandum de peccato mortali ſuſcepta contritio, ſi Confeſſio Sacramentalis fieri poſſit, ut eſt a Concilio Trident. aperte definitum. Quod ſi Confeſſarii facultas nulla ſit, & urgeat celebrandi neceſſitas, celebrata Miſſa, quamprimum poterit, Confeſſarium adeat, eique confiteatur.

V. Ut autem minor ſit in conquirendis Confeſſariis difficultas, Sacerdotibus, qui Regulares non ſunt, liberum permittimus, ut, quem velint Confeſſarium a Nobis admiſſum, & juxta formam Concilii Trident. approbatum, ſibi eligere poſſint, a quo, a peccatis omnibus, quæ Nobis, vel Sedi Apoſtolicæ reſervata non ſint, abſolvantur.

VI. Cum celebrandi tempus imminet, colligant ſe Sacerdotes ab omni animi diſtractione, & gratiam tremendum iſtud Myſterium digne peragendi a Deo implorent, curentque, ut ex precibus Canonicis ſaltem Matutinum cum Laudibus abſolverint, quemadmodum etiam Rubricæ Miſſalis Romani præſcribunt.

VII. Miſſam quoque ipſam, antequam ad Altare accedunt, perlegant, & ſingulas partes ita præparatas atque notatas habere ſtudeant, ut poſtea neque errent, neque hæreant. In ipſo vero altari DEI & Virginis Filium in remiſſionem peccatorum immolaturi, quam devote, & quam reverenter ſe habere debeant, Sacrificii excellentia declarat.

VIII. Memores autem Conſtitutionis Concilii Trid. in privatis ædibus, & extra Eccleſiam & Otatoria, quæ ſoli Divino cultui dicata, & legitime deputata ſint, Miſſas non legant, ſicut nec ſine libro Miſſali, mundo & ſacro veſtitu, ſine duplici lumine ceræ, nec ſine uno ſaltem miniſtro, qui apte reſpondeat & devote inſerviat.

IX. In altaribus nihil ſordidum, nihil indecens, aut incompoſitum appareat, nihil ſit in ſacris veſtibus lacerum, immundumve. Nihil quoque deſit ex ſacris vaſis; & calices habeantur ex metalli genere jure permiſſo. Sæpe laventur altaris mappæ, purificatoria, quæ cuivis calici propria adhibeantur; corporalia item, & alia ſimilia Sacrificii inſtrumenta, quæ rite conſecrata ſint, & integra, & mundis ac tutis in locis conſerventur.

X. Dicant omnes Miſſam ex Romano Miſſali, & in eo præſcriptas cæremonias ad unguem ſervent, neque alias ulla ratione adhibeant. Vitent omnem indecorum & abſurdum capitis, oris, & reliqui corporis motum. Quæ debent ex inſtituto Eccleſiæ, palam pronuntient diſtincte & clara voce, reliqua ſecreto. Verba neque tardius, neque celerius, quam par ſit, proferant.

XI. Symbolum Fidei, Præfatio & Oratio Dominica non abrumpantur, ſed ſemper integre cantentur. Circa Elevationem Sacræ Hoſtiæ Antiphonæ, vel aliæ intempeſtivæ cantiones ne intercinantur. Altum ſilentium, quod præſentibus myſteriis tunc debetur, pauliſper ab omnibus ſervetur, ſed elevato Calice, ſi muſice cantandum ſit, id devote & ſubmiſſa voce fiat. Sub concione Miſſæ ne fiant.

XII. Hoſtiæ ad Sacrificium ſumantur azymæ, ex ſola naturali aqua & farina

rina triticea paratæ, quæque non atræ, mucidæ, putres vel fractæ sint. Et vinum adhibeatur clarum & purum, quod non expedit ex publicis cauponis afferri; si tamen aliter haberi nequeat, Æditiuus præsens & coram ipse videat, ut immediate ex dolio promatur.

XIII. Servetur in Ecclesiis tempus Missarum certum ac stabile, & ubi eodem die simul plures dici consueverunt, is ordo teneatur, ut pro populi commoditate una primo diluculo, aliæ debito intervallo distributæ dicantur.

XIV. Missæ defunctorum, contra quam hactenus in plerisque pagis factum est, non Dominicis aut Festis, sed aliis per hebdomadem diebus celebrentur, in quos justa funebria rejiciantur: Quod si aliquando graves ob causas ipsis Dominicis aut Festis peragenda essent, id hac ratione fiat, ut præter consuetam Parochialem Missam una atque altera defunctorum dicatur, si plures alii Sacerdotes adsint; sin minus, in prædicta Parochiali Missa, quæ semper de Festo, vel Dominica incidente, in vestibus consuetis, non autem in funebribus dicenda erit, adjungi poterit oratio propria pro defunctis.

XV. Quia multis Altaribus & Ecclesiis is numerus Missarum incumbit, cui satisfieri ob nimiam censuum tenuitatem non possit, ut huic incommodo, quantum in Nobis est, occurratur, volumus, ut quæcunque ejusmodi remedio indigere in Ecclesia sua unusquisque Rector viderit, ea in unum diligenter collecta ad Nos deferat, ut vel tenuiora legata conjungere, vel minorem Missarum numerum ex Canonum Jure, & Concilii Trid. auctoritate constituere, vel alia ratione providere possimus, ut, quoad ejus fieri potest, piæ defunctorum voluntati satisfiat, & Sacerdotum inopiæ consulatur. Inposterum nemo fundationes ullas suscipiat pro celebrandis Missis annuis, ordinariis & perpetuis, sine consensu saltem Decani ruralis.

XVI. Nemo per Diœcesin nostram primum Sacrum celebret, nisi facultate a Vicario nostro scripto obtenta, quæ nemini dabitur, qui prius in tota ratione celebrandi juxta usum Rom. instructus non sit. Interdicta etiam & severe prohibita volumus convivia sumptuosa, ludos, choreas, & omne inanium & mundanorum oblectamentorum genus, cæterosque omnes abusus, qui quocunque modo in celebratione Primitiarum irrepserunt, & in eos, qui in hoc genere aliquid peccaverint, graviter animadvertemus.

CAPUT VII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

I.

ET sacræ Literæ, & sæculi nostri perversitas postulat, ut Pœnitentiæ virtus & Sacramentum a Concionatoribus vel maxime commendetur. Nam hoc est saluberrimum medicamentum, & unicum perfugium peccatoribus omnibus post Baptismum lapsis ad salutem necessarium, ut Deo & Ecclesiæ reconcilientur, & Christi meritis peccatorum vinculis exsolvantur.

II. Et cum toto anno, tum Quadragesimæ potissimum tempore fidelibus pœnitentiæ atque confessionis usus sedulo commendandus erit a Parochis, & Divini verbi Concionatoribus, & Lex Ecclesiastica de Confessione in Concilio Lateranensi lata, diligenter tum proponenda, tum explicanda. Ea vero talis est: " Omnis utri-
" usque sexus fidelis, postquam ad
" annos discretionis pervenerit, omnia
" sua solus peccata saltem semel in an-
" no fideliter confiteatur proprio Sa-
" cerdoti, & injunctam sibi pœniten-
" tiam propriis studeat viribus adim-
" plere, suscipiens reverenter ad mi-
" nus in Pascha Eucharistiæ Sacramen-
" tum: nisi forte de proprii Sacerdo-
" tis consilio, ob aliquam rationabilem
" causam, ad tempus ab ejus percep-
" tione duxerit abstinendum: alioquin
" & vivens ab ingressu Ecclesiæ ar-
" ceatur, & moriens Christiana careat
" sepultura. "

III. Monendi vero fideles, ut non tantum semel in anno, cum urgentur præcepto Ecclesiastico, sed sæpius etiam confiteantur, & Sacram Communionem

nionem percipiant, neque unquam poſt mortalia peccata commiſſa pœnitentiam ad longum tempus differant, ſed ab illis quamprimum, ut abſolvantur, laborent, atque in Dei gratiam reſtituantur.

IV. Qui autem per annum ſæpius non confitentur, illi moneantur, ut ex veteri ac laudabili more Eccleſiæ noſtræ in Quadrageſima bis confiteantur, ſemel in illius principio, & iterum in fine, cum ad Sacram Synaxin accedere volent.

V. Ægroti, puerperæ, atque alii, quibus probabile vitæ periculum imminet, ſalutaribus pœnitentiæ remediis ſe munire ex more antiquo ne omittant, peculiari cura ac ſolicitudine procurent Parochi, & quicunque animarum curam gerentes.

VI. Porro ad pœnitentiam DEO gratam, & homini ipſi ſalutarem hæc pertinere doceantur. Primum, ut qui peccavit, de omnibus, quæ vel bona prætermiſit, vel mala commiſit, ex animo doleat: deinde, ut hic dolor confitendi & ſatisfaciendi voluntatem conjunctam habeat: præterea, ut Sacerdoti, tanquam Chriſti Domini Vicario, animæ ſuæ morbos & vulnera aperiat, non ſolum in genere, ſed etiam in ſpecie peccata mortalia omnia, quorum meminiſſe poteſt, ſimpliciter enumeret, ac verecunde confiteatur.

VII. Nemo autem ſive ſæcularis, ſive Regularis confeſſiones audire præſumat, niſi Sacerdos rite ordinatus ſit, & Canonice non impeditus, ac Beneficium Parochiale, vel alias legitimam approbationem Ordinarii, & in pœnitentes Juriſdictionem acceperit, quam in mortis articulo quivis Sacerdos habet, ut quemvis ſincere pœnitentem a quibusvis peccatis & quavis excommunicatione abſolvere poſſit.

VIII. Cæterum extra mortis articulum diligenter attendant Confeſſarii, ne quem a Caſibus Summo Pontifici, vel Nobis reſervatis abſolvere tentent, niſi peculiarem & extraordinariam poteſtatem ad id legitime obtentam habeant.

IX. Verum ne multitudine caſuum reſervatorum peccatoribus nimium difficilis reddatur pœnitentia, atque ab ea fortaſſe retrahantur, id Parochis omnibus per Diœceſin noſtram conſtitutis, & Confeſſariis aliis approbatis permittimus, hancque illis poteſtatem jam ante ab Anteceſſoribus noſtris conceſſam confirmamus, ut quoscunque laicos contritos & confeſſos, a quibuscunque peccatis occultis quantumvis gravibus, quæ alioquin auctoritati noſtræ ordinariæ reſervarentur, poſſint abſolvere; tribus duntaxat exceptis, nimirum: Homicidio voluntario, Hæreſi, & omni majori excommunicatione, quorum abſolutionem ſolis Nobis, Vicario Generali, & Pœnitentiario noſtro reſervamus.

X. Pro Clericis autem ſæcularibus ultra tres illos caſus ſuperiore Canone expreſſos, volumus etiam præſenti Decreto reſervare ſequentes: Inceſtum cum Moniali profeſſa, & cum propria conſanguinea vel affine in primo & ſecundo gradu: Veneficium, incantationes magicas, & maleficium, Sanctæ Euchariſtiæ, Sacrarum Reliquiarum, vel Sacræ Scripturæ abuſum ad exercitium magiæ: violationem ſigilli Confeſſionis Sacramentalis. Quare, qui ex numero Clericorum aliquod horum peccatorum quantumcunque occulte admiſerit, abſolutionem a Nobis, Vicario noſtro Generali, vel Pœnitentiario petere debebit.

XI. Porro peccata annexam habentia excommunicationem Summi Pontificis, vel noſtræ tanquam Ordinarii abſolutioni reſervatam, multa ſunt, quorum præcipua in Bulla *Cœnæ Domini* referuntur, de quibus, ut & de reliquis expedit legi Navarrum *in Manuali cap.* 27. Toletum *lib.* 1. *Inſtruct. Sacerd. cap.* 18. & in ſequentibus. Directorium Joannis Polanci, Summam Fumi, & aliorum Summiſtarum, verbo: *Excommunicatio.* Franciſcum Suarez *de Cenſuris.*

XII. Extra neceſſitatem non audiantur confeſſiones, niſi in Eccleſia, & ſemper in loco aperto, inque conſpectu fidelium, maxime ſi confitentes ſint mulieres, quas convenit breviter expedire. Confeſſionalia, ubi erecta nondum ſunt, erigantur quamprimum ſumptibus fabricarum.

XIII. Sacerdotes ad confeſſiones audiendas vocati, abrumpant omnem moram, & prompti eant, quo vocati ſunt, pleni deſiderio juvandi animas, ſerventque ea accurate, quæ Confeſſariis in Obſequiali noſtro præſcribuntur.

XIV. Qui confitentur, aperto capite ad pedes Sacerdotis abjiciant ſeſe, & demiſſo in terram vultu, ac verecunda voce Chriſtianæ humilitatis indicia proferant, ut, ſicut Cypr. loquitur, apud Sacerdotes Dei dolenter confiteantur; nec exſpectata Confeſſarii interrogatione ſua peccata explicent, cujus tamen diligentia adjuvandi erunt, ubi aliqua in parte deficere videbuntur.

CAPUT VIII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

I.

DOceri volumus a Parochis ac diligenter explicari, de Sacramenti hujus inſtitutione, utilitate, ac virtute, ſicut & Jacobus Apoſtolus docuit: qui nec patiantur Sacramentum hoc exeuntium (ut veteres appellant) vel a Catholicis negligi, vel a Sectariis, ſi prohibere poſſint, indigne contemni. Hic etenim Dei gratia tribuitur, quæ peccata, & inprimis quidem leviora remittit, & animam a languore & infirmitate, quam ex peccatis contraxit, liberat, & in ſupremo mortis agone certantem animat, nec ſolum animæ, ſed etiam ſæpe corpori medicinam efficacem præbet.

II. Obſervent etiam Parochi Extremam Unctionem negandam eſſe pueris, amentibus aut furioſis, inpœnitentibus & deſperatis; tribuendam autem rationis uſum habentibus, & gravi morbo affectis ægrotis, quos ſenſibus utcunque vigere, & religioſi animi ſignificationem afferre præſtat, quam ut omni ſpe ſalutis corporalis amiſſa, & ſenſuum vigore ſublato inungantur.

III. Quod ſi infirmi poſt ſuſceptam ſemel hanc Sacram Unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti ſubſidio juvari poterunt, quoties in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint.

IV. In ungendis ægrotis nihil præpoſtere ac inordinate fiat, ſed quemadmodum Obſequiale noſtrum præſcribit, ritus omnes religioſe ac decenter, debitisque in locis corporis adhibeantur, lectis etiam Litaniis & precationibus aliis pro veteri more.

V. Tum piam Sacerdos exhortationem adjungat, ut meminerit ægrotus, morbum & dolorem omnem Chriſtiano patienter ferendum, & in Cruce ipſa gloriandum eſſe fidelibus, ad mortem vero uſque pro fide & pietate certandum, & demum in ſupremo mortis agone juxta Chriſti morientis exemplum, Satanæ nullum locum relinquendum, ſed Dei voluntati parendum, & ad cœleſtem patriam anhelandum eſſe. Deinde non erit abs re aſtantes admoneri humanæ ſortis atque fragilitatis, ut hinc diſcant etiam & cogitent, qua via ſit ad felicitatem omnibus contendendum.

CAPUT IX.

De Sacramento Ordinis.

I.

PEr hoc Sacramentum Dei & Eccleſiæ Miniſtri, non ſolum in ovile Dominicum ingrediuntur & agnoſcuntur, ſed etiam functionem & auctoritatem ſuam ex profeſſo tuentur, exercentque. Unde doceant Parochi Ordinum Eccleſiaſticorum collationem, atque Miniſtrorum inſtitutionem, Divinum inſtitutum, & rem Eccleſiæ maxime neceſſariam eſſe, nullumque majorem aut gradum, aut honorem inter homines, quam apud ordinatos præſertim novi teſtamenti Sacerdotes reperiri.

II. Ab iisdem Parochis intelligat populus, ſicut recte ordinatis ſumma dignitas in terra debetur: ſic nihil illorum hominum genere contemptius atque infœlicius, & Eccleſiæ Dei perničioſius eſſe, qui in Eccleſiaſtica Miniſteria arroganter ſeipſos ingerunt, vel a ſæcularibus Magiſtratibus intruſi, ea impudenter exercent munia, quæ ad Eccleſiæ Miniſtros legitime ordinatos, vocatos & miſſos, proprie ſpectant.

III. Præterea doceantur fideles, Miniſtris Eccleſiæ ordinatis poteſtatem duplicem Ordinis & Jurisdictionis, nec tamen

tamen utramque omnibus dari, cum multi ſint, variique gradus illorum, qui ſacris Miniſteriis deputantur.

IV. Tempus ordinandos examinandi, ut eſt jure conſtitutum, ita volumus obſervari. Tantum hoc adjungimus, ut ordinandi ad Civitatem Auguſtanam veniant feria quarta, diem Sabbati, quo conferuntur Ordines, proxime præcedente. Sic enim maturius illi poterunt examinari de convenienti ætate, nativitate, conditione vitæ & doctrinæ, ac id genus aliis, quemadmodum Synodus Trid. præſcribit.

V. Quod ad interſtitia temporum attinet, quæ inter Ordinum collationes obſervanda jure præſcribuntur, faciemus, quod poteſtati Nobis ab eadem Synodo Trid. collatæ conſentaneum, & Eccleſiæ utile judicabitur.

VI. Tonſurandi non ſint ætate minores, quam ſeptennes complete. Quatuor minores ſuſcepturos expedit non pauciores habere, quam annos 12. Ordinandi Subdiaconi inchoaſſe debent annum ſuæ ætatis 22. Diaconi 23. Presbyteri 25. De quo fidem facere debent publico Magiſtratus loci teſtimonio, ſicut & de natalibus legitimis; & ſi natalium defectum patiantur, ſuper eo diſpenſationem Apoſtolicam exhibere tenentur.

VII. Et quia liber eſſe debet, qui ſacræ militiæ adſcribi deſiderat, ut a caſtris Domini, quibus adjungitur nomen ejus, nullius neceſſitatis aut Dominii vinculis abſtrahatur, exhibeant ordinandi literas authenticas, quod aut conditione liberi ſint, aut a Dominis ſuis a ſervitute abſoluti, & in libertatem aſſerti.

VIII. Attendendum quoque diligenter, ne, qui Ordines ſuſcipere cupiunt, irregulares ſint, vel cenſuris Eccleſiaſticis irretiti, vel alienæ Diœceſis ſine legitimis Dimiſſoriis ſuorum Ordinariorum.

IX. Ad minores Ordines promovendi, bonum a Parocho & Magiſtro Scholæ, in qua educantur, teſtimonium habeant, recte legere & ſcribere ſciant, ſintque inſtituti rudimentis fidei Chriſtianæ, & dent ſpem majoris progreſſus in ſtudiis & virtutibus.

X. Majoribus Ordinibus inſigniendi, ſi ſint Religioſi, a Superiore ſuo ætatis, natalium, ac vitæ, morumque probitatis teſtimonia in ſcriptis adferant. Sæculares, ſi in Eccleſia noſtra Cathedrali, vel Collegiata, vel his ſubjecta reſideant, vitæ, morum, indolis ac ingenii teſtimonia exhibeant a Decano Capituli; ſi in Academia, Collegio, vel Pædagogio aliquo degant, ab illius Præſide, alioquin a proprio Paſtore, quæ diligenter inſpiciantur, & qui illis caruerint, ne ad examen quidem admittantur.

XI. Qui ad aliquem Ordinem promoveri petunt, literas acceptæ primæ tonſuræ, & prioris Ordinis, ſi quem ante ſuſceperunt, exhibeant. Ad Diaconatum ac Presbyteratum ordinandi peculiariter fidem faciant de functionibus priorum Ordinum rite & ſæpius obitis, de recitatis Horis Canonicis, de geſtato habitu Clericali, & corona ſuo Ordini congruente.

XII. Ad Subdiaconatum nullus admittatur, niſi eam ſcientiam habeat, quæ ad munus Sacerdotis & Curati cum ſatisfactione obeundum ſufficiat. Breve namque tempus eſt, quod inter eum Ordinem & Sacerdotalem intercedit, & rari admodum ſunt, qui Sacerdotes facti, non ſtatim fieri velint Curati, aut Curatorum Vicarii, vel Cooperatores. Quare non modo in literis humanioribus & rhetoricis, verum etiam in doctrina Caſuum conſcientiæ bene verſatum eſſe oportebit eum, qui Subdiaconus initiari volet.

XIII. Omnino vetamus his omnibus, qui ſunt Examinatores ordinandorum, ne vel ipſi, vel eorum loco alii, pecuniam aut munera ab ordinandis, tam pro examine, quam pro collatione quorumcunque Ordinum exigant, recipiantve, non obſtante quolibet more vel privilegio, quod ea in parte prorſus abrogamus. Quod ſi quidam ad Ordines accipiendos pecuniam obtulerint, eos ab ordinatione repelli volumus ac puniri.

XIV. Præterea modis omnibus caveri jubemus, ne circa Titulos, ut vocant, in majoribus Ordinibus fraus aliqua intercedat. Quare inprimis omnes

omnes Prælatos etiam exemptos, hortamur in Domino, atque tam Apostolica delegata, quam nostra Episcopali auctoritate, eisdem respective mandamus, ne ulli mensæ suæ titulum fictitie donent, neque cautiones accipiant, quod quidam mensæ suæ titulos habentes, nihil unquam ab illis exigere possint. Sciantque hujusmodi reversales, & qualemcunque renuntiationem irritam, & plane nullam ac invalidam esse. Quæ fraudis, avaritiæque turpis nota & Prælatos dedecorat, & sacra obscurat ministeria, & Patrum adversatur Canonibus, qui diserte prohibent, ne quisquam sine certo titulo, qui illi victum necessarium suppeditet, sacris Ordinibus initietur. Nec eos quidem impune peccare sinemus, qui hunc sibi fucum fieri sinunt, & fictitium mensæ titulum afferunt ad Ordines suffurandos. Præterea in illis duntaxat mensæ titulum feremus, qui ob Ecclesiæ vel necessitatem, vel utilitatem ordinandi videbuntur.

XV. Examinari etiam volumus eos diligenter, qui ad patrimonium vel pensionem, ut vocant, petunt ordinari. Probandi sunt enim hi tituli, & ne fucus lateat, inquirendum, nullusque ex illis admittendus, nisi Ecclesiæ necessitate, vel utilitate, ut ordinentur, postulante.

CAPUT X.

De Matrimonii Sacramento, & primo de Sponsalibus.

I.

JUstas ob causas Matrimonii Sacramentum Ecclesiæ consuetudine, præcedere solent Sponsalia, quæ sunt Sponsi & Sponsæ in futurum Matrimonium reciproca promissio.

II. Ut minor sit controversiarum occasio, sponsalia non clandestine & in angulis, sed in domo aliqua honesta coram testibus fiant.

III. Nec Parochi, nec alterius ejus loco substituti Sacerdotis præsentia necessaria est, ut legitime & valide contrahantur; Quin expedit magis non interesse, ne imperitiores verum Matrimonium contractum credant, ac proinde ejus sibi jura interdum male usurpent.

IV. Ubi autem ex longa consuetudine ad Sponsalia vocati sunt Parochi, etsi deinceps quoque, ut vocari possint, permittimus, non tamen aliter, quam ut testes venire atque interesse volumus, idque sine superpelliceo & stola, ac sine ullis peculiaribus cæremoniis.

V. Ultro vero nullus Parochus se Sponsalibus ingerat, & ubi hactenus vocari non consueverunt, non facile etiam vocati ad ea posthac accedant. Ubi tamen absente Parocho inita fuerint, moneri is debebit & certior fieri de contractu ab ipsis Sponsis & testibus.

VI. Advigilent autem Parochi, ne Sponsi ante ipsum Matrimonium in Ecclesia rite celebratum, & benedictionem Sacerdotalem acceptam cohabitent, vel Matrimonii Jura usurpent, invocato etiam, si opus sit, auxilio brachii sæcularis, ut hujusmodi scandalosæ cohabitationes de populo Dei tollantur.

VII. Quos publicum fuerit ante vel post Sponsalia, Matrimonio necdum legitme celebrato, carnaliter copulatos fuisse, aut etiam liberos procreasse, ii quidem pœna afficiendi erunt; non tamen ipso die nuptiarum, ne quid irreverentiæ ipsi Sacramento inferatur, præsertim si publica & infamis sit pœnitentia, cujusmodi esset, si certo aliquo signo notati prodire tenerentur ad Templum; vel inde regredi, vel si quæ infamis nota ab alio præferretur.

VIII. Sponsalibus legitime contractis, præsertim juramento firmatis, ita sibi invicem servabunt fidem Sponsi, ut non nisi per causas jure definitas & probatas, a Matrimonio contrahendo resiliant. Quod priusquam fiat, sponsalium, quæ publica fuerint, dissolutionem a Nobis, vel Curiæ nostræ Augustanæ Judicibus petant, quam facile obtinebunt, ubi causa petendi justa apparuerit.

IX. Magnum est Sacramentum Matrimonii, sicut Apostolus Paulus appellat,

pellat, arctissimam, sanctissimamque Christi Sponsi & Ecclesiæ Sponsæ conjunctionem adumbrans & repræsentans. Quod Parochi nostri contra hæreticos defendere & fidelibus ita commendare debent, ut intelligatur hoc mundi initio institutum, & in Evangelio confirmatum esse, utile quidem infirmis hominibus ad remedium, & Christianis conjugibus ad officium mutuum præstandum, Deique populum augendum necessarium, quod præterea conjugibus in Domini nomine convenientibus gratiam Spiritus Sancti conferat, ut sit honorabile in omnibus connubium, & thorus immaculatus.

X. Hæc maris & fœminæ conjunctio individua esse prædicetur, quæ nec alicujus tertii consortium ferre, nec duorum a se invicem separationem, nisi per mortem, vel solemnem Religionis professionem alterius conjugum ante Matrimonii consummationem, ullo modo admittere possit, cum indissolubile vinculum afferat, eoque gravius adulterii fœdum crimen detestandum est.

XI. Quod si forte conjuges ob fornicationem se invicem dimiserint, intelligant tamen se innuptos manere debere, aut cum dimisso conjuge in gratiam redeundum: neutri vero eorum, donec prior conjunx vixerit, ad secunda Matrimonia transeundi jus & potestatem esse. Et licet aliquando quidem ob graves causas separatio inter conjuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem ad certum, incertumve tempus fieri possit, attamen Matrimonii vinculum dissolvi non potest, quamdiu uterque conjunx superest.

XII. Adolescentes & puellæ a Parochis graviter & sæpe moneantur, suos parentes, in quorum potestate sunt, cum in aliis, tum in contrahendis Matrimoniis non offendere, sed honorare, ut illis insciis aut invitis nec Matrimonium inire, nec rei seriæ præsertim cum honestate pugnantis quidquam inchoare præsumant; sed & parentes monendi, ut ne liberos ad certa Matrimonia vi quadam, vel severitate, vel minis adigant, tum ne liberos ætatis maturæ tardius elocent: neve ipsis vel incontinentiæ, vel fugæ, vel diffidentiæ pœnitendam præbeant occasionem.

XIII. Advigilent Parochi, ut in Templo ter faciant tribus continuis festivis diebus inter Missarum solemnia, solemnes e suggestu denuntiationes seu proclamationes novorum conjugum, qui volunt contrahere, nisi Ordinarius in aliquo casu aliud expedire judicaverit: ac prius etiam diligenter illud observent ac examinent, an inter eosdem ullum secundum Canones impedimentum intercedat, præsertim cognationis naturalis, legalis, vel spiritualis. Tum admonenda est concio, ut quisquis impedimentum aliquod illis, qui proclamantur, possit opponere, id libere indicet, nec celet veritatem.

XIV. Curam habeant Parochi Nobis, vel Curiæ nostræ Judicibus denuntiandi, qui prohibitas nuptias contraxisse noscuntur, ut contra eos, quæ juris sunt, persequamur.

XV. Observetur interim, quod Concilium Trid. de cognatione spirituali definivit, eam scilicet tantum contrahi ratione Baptismi inter suscipientes ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem. Ita etiam ex Confirmatione cognatio spiritualis, quæ Matrimonium impediat, non contrahitur, præterquam inter confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem quoque, non obstantibus in contrarium antiquis Ecclesiæ Sanctionibus vel consuetudinibus quibuscunque.

XVI. Prudenter ac pie monet eadem Synodus Trid. quod Nos etiam maxime cupimus observari, ut antequam contrahant conjuges, vel saltem triduo ante Matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reverenter accedant, ad majorem Dei scilicet gratiam sibi, suoque conjugio, cui varii progressus & exitus esse solent, impetrandam.

XVII. Ubi quis forte sciens ac prudens, quod absit, falsum Matrimonii detulerit impedimentum, ut qui legitime possunt contrahere, impediantur: vel si quis data etiam opera, quod novit inter illos impedimentum esse tacuerit, severe castigetur.

XVIII. Graves & dubii ſæpe caſus incidunt de contrahentibus & eorum impedimentis, ac dinumeratione graduum conſanguinitatis: nam & quædam impediunt contrahendum Matrimonium, ſed contractum tamen non dirimunt. In his igitur monemus Parochos omnes, ne quid ipſi temere ſtatuant, ſed alios doctiores, & potiſſimum Nos, ac Judices Curiæ noſtræ, mature conſulant.

XIX. Severe mandamus, ut Parochi omnes & ſinguli in ſua quisque Parochia publicent, & aliquoties repetant pro concione, præclarum Concilii Trid. Decretum, quod plane tollit & irrita facit clandeſtina Matrimonia, quæ ſine certa & peculiari ſolemnitate, teſtiumque præſentia & Sacerdotis benedictione, quovis modo contrahuntur. Secundum hanc Concilii definitionem judicari & pronuntiari volumus in foro exteriore & interiore, quantumvis vir & fœmina ex libero conſenſu, per verba de præſenti expreſſo, contraxiſſent, ut hactenus non ſine gravi turpitudine, & multorum, præſertim parentum perturbatione, ac etiam offenſione publica ſæpe factum eſſe conſtat.

XX. Habeat quisque Parochus librum, in quo conjugum novorum & teſtium, qui adeſſe debent, nomina, diemque & locum contracti Matrimonii deſcribat: quem librum diligenter apud ſe cuſtodiens, in Eccleſia Succeſſoribus bona fide relinquat.

XXI. Inſtituant Parochi Chriſtianam & commodam exhortationem in ipſa novorum conjugum benedictione, præſertim, ut contrahentes ad hoc Sacramentum ſinceros affectus afferant, voluntatem Dei ſequentes, qui Matrimonium ad prolem in timore DEI ſuſcitandam, ad Eccleſiam Dei fœliciter augendam, & ob fornicationem vitandam inſtituit atque confirmavit. Inculcent etiam atque etiam dictum illud Angeli Raphaëlis: His, inquit, qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe & ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus, dœmonium poteſtatem habet ſuper eos.

XXII. Sciant etiam Parochi, ex gratia Concilii Trid. nunc reſtringendum eſſe impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, & Matrimonium poſtea factum dirimit: ita, ut hujusmodi affinitas Matrimoniorum poſtea contractum non dirimat amplius, niſi duntaxat illorum, qui in 1. & 2. gradu conjunguntur.

XXIII. Si quis intra gradus prohibitos ſcienter Matrimonium contraxerit, juxta Synodum Trid. ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat. Idque multo magis locum in eo habeat, qui non tantum Matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit, ſi quidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, eisdem pœnis ſubjiciatur. Si vero ſolemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis poterit diſpenſari.

XXIV. Inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum conſiſtere Matrimonium poteſt: quod ſi rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat: & nihilominus raptor, ac omnes illi conſilium, auxilium & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces: & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Præterea teneatur raptor mulierem raptam, ſive eam uxorem duxerit, ſive non duxerit, arbitrio Judicis decenter dotare.

XXV. Præceptum volumus Parochis omnibus, ne vagorum hominum Matrimoniis interſint, qui incertas ſedes habentes, aliquando prima uxore relicta, aliam, vel plures, illa vivente, diverſis in locis ducunt. Igitur hoc genus hominum vagantium non facile ad Matrimonium recipiatur, niſi poſt diligentem inquiſitionem, & re prius ad Ordinarium delata. Quin etiam ſæculares Magiſtratus hortamur ſerio, ut iſti vagabundi, præſertim ſi nota ſit illo-

illorum improbitas, ſevere coerceantur.

XXVI. Et generatim injunctum volumus Parochis, ne peregrinos & ignotos ad Matrimonia jungenda unquam admittant, niſi probitatis ſuæ teſtimonia ex iis locis attulerint, ubi prius verſati fuerunt.

XXVII. Ne permittantur, quoad ejus fieri poteſt, impuri concubinarii, tam ſoluti, quam uxorati, vivere in ſtatu damnationis, graviusque puniantur, poſtquam a Parocho vel noſtro nomine de peccato ſuo, ſtatuque publicæ turpitudinis admoniti contempſerint obedire, & apertum fovere ſcandalum pergunt. Quod ſi per annum in concubinatu permanſerint, & cenſuras Eccleſiaſticas illis denuntiatas non curarint, ſevere contra illos, ad excommunicationem uſque pro qualitate criminis procedemus.

XXVIII. Prohibitum eſt, ac Nos etiam prohibemus ſub anathematis pœna ipſo facto incurrenda, ne qui Nobiles, divites, vel Magiſtratus quovis modo directe vel indirecte ſubditos ſuos, vel quoscunque alios cogant, quo minus libere Matrimonia contrahant, ne legitima & neceſſaria contrahendi Matrimonii libertas violetur.

XXIX. Quia ſancta res eſt Matrimonium, ſancteque tractandum, pie ſanxerunt Patres non omnibus temporibus nuptias ſolemniter celebrandas eſſe. Unde Nos Tridentinam Synodum ſequentes, volumus & jubemus ſolemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obſervari, nimirum ab Adventu Domini noſtri JESU Chriſti uſque in diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum uſque in Octavam Paſchatis incluſive.

XXX. Probare non poſſumus, ſed corrigi vehementer optamus, præſertim a Magiſtratibus, varias, graves, & pernitioſas corruptelas, quæ paſſim in nuptiis libenter & improbe committuntur. Non enim licet Sanctorum filios ita conjungi, & Matrimonium ſuum tam præpoſtere auſpicari, ſicut Gentes, quæ Deum ignorant. Igitur aut plane tollantur, aut temperentur illa levitatis, vanitatis, prodigalitatis & laſciviæ ſtudia, quæ tum in Templo, tum domi ſub prætextu nuptialis hilaritatis aliquando fiunt.

XXXI. Confirmamus & renovamus Prædeceſſorum noſtrorum juſtam Conſtitutionem, nimirum, ne vel Eccleſiaſtici, vel ſæculares Magiſtratus cujuſcunque præeminentiæ vel conditionis fuerint, directe vel indirecte, ſine certa commiſſione ipſis facta, cognoſcere vel judicare præſumant de cauſis matrimonialibus, eorumque impedimentis, vel aliis ad Matrimonii rationem quomodocunque pertinentibus; præſertim cum ad Epiſcopi cognitionem ejusmodi cauſæ, ut Synodus quoque Trid. teſtatur, proprie ſpectent. Si quis vero aliter fecerit, non modo pœnas, quæ Judicibus male judicantibus infliguntur, ſentiet, verum etiam ſex menſibus ab officio ſuſpenſus erit, pœnamque pecuniariam ex Judicis arbitrio ſolvet.

Nobis vero erit curæ, ut, quod ad pœnas pecuniarias attinet, in pios uſus illæ, ſicut Synodus Trid. ſancivit, convertantur.

DECRETORUM SYNODALIUM DIOECESIS AUGUSTANÆ

PARS TERTIA.

CAPUT I.

De vita & honeſtate Clericorum.

I.

Nihil eſt propemodum, quod ad pietatem & Dei cultum homines efficacius inſtruat, quam eorum vita & exemplum, qui in ſortem Domini vocati, Divina munera diſpenſant, & Eccleſiaſticis miniſteriis præficiuntur. Cum enim hi, veluti præcipui Dei, Eccleſiæque Miniſtri, a rebus ſæculi in altiorem locum evecti, omniumque oculis ſint expoſiti, ab iis quivis facile ſumit, quod imitetur, exemplum.

II. Curent ergo Clerici noſtri, ut, quo digniore in Eccleſia Dei loco atque ordine ſunt, eo vitam inculpatiorem, moresque probatiores adferant, Divinoque

noque illi oraculo: Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum: Obsequentes, nemini ullam offensionem dent, ne vituperetur ministerium eorum, sed in omnibus juxta Canonicas Patrum Sanctiones, & Apostoli monita, exhibeant se fideles Dei Ministros.

III. Summa porro Ecclesiasticæ disciplinæ in eo consistit, ut Ecclesiæ Ministri Divini timoris & vocationis memores, omnem criminis notam effugiant, bonum a bonis testimonium habeant, suum ordinem præclaris factis illustrent, ac demum vitam, moresque omnes ita componant, ut habitu, gestu, incessu, sermone, scientia, conversatione, aliisque rebus omnibus nihil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant.

IV. Levia quoque delicta, quæ graviora vulgi judicio in ipsis reputantur, sedulo declinent, actionesque omnes ita instituant, ut augeatur in omnibus Dei gloria, & Ecclesiæ utilitas promoveatur. Siquidem ad unumquemque Clericorum hoc etiam pertinet, quod Paulus præcipit: Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate: attende tibi & doctrinæ, noli negligere gratiam, quæ in te est, ministerium tuum imple.

V. Omnes Diœcesis nostræ Clerici, cujuscunque gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, etiamsi studiorum absint gratia, si in sacris Ordinibus constituti sint, vel dignitatem, personatum, officium, aut beneficium aliquod Ecclesiasticum habeant, gestent tam domi, quam foris habitum & tonsuram Clericalem, Ordini, Religioni, & dignitati suæ congruentem.

VI. Vestitu utantur omnes ita honesto & decenti, ut materia, forma, colore, & quoad alia omnia respondeat tum modestiæ & dignitati Clericali, tum conditioni ac statui singulorum; in quo ut nihil vanum, curiosum aut nimis pretiosum & exquisitum sit: ita nihil sordidum, lacerum, & nimis abjectum appareat.

VII. Interior tunica brevior non sit, quam ut infra genua diffundatur, exterior vero usque ad talos. Collaria non sint crispata, non nimium elaborata, vel acu picta, nec in latitudinem expansa aut directa, sed plana, quæ commode & apte super tunica reflecti possint. Caligæ non turgidæ, nec vestes dissectæ, nec ad elegantiam incisi calcei.

VIII. Annulos ne gestent, nisi quibus eos officii dignitas, vel honoris gradus jure concedit; nullis vero omnino torques, armillas & monilia; nec arma, nisi necessaria, cum iter faciunt, permittimus.

IX. Tonsuram, seu Coronam Clericalem habeant omnes in vertice conspicuam, & Sacerdotes quidem ita magnam, ut hostiam amplitudine plus minus adæquet, reliqui sensim minorem, quisque videlicet pro gradu ordinis sui, quam minimum in singulos menses renovari curent. Capilli capitis ne crispentur, nec sursum erigantur more laico; barba ne indecora sit, nimium longa aut lata, sed honeste præcisa, præsertim circa labra, ne in Missa sumptionem Sanguinis impediat.

X. Mensa sit moderata & frugalis, carens omni luxu & deliciis, ut bona, quæ ipsis Ecclesia suppeditat, non solum ad moderatam vitæ sustentationem, sed ad communem etiam Ecclesiæ & pauperum necessitatem convertant, illudque studiose caveant, ne Christi crucifixi patrimonium, cujus expensi rationem Deo & Nobis reddere debent, cupiditati & intemperantiæ quarumcunque personarum servire videatur.

XI. Et cum tam publicæ, quam privatæ commessationes, compotationes, longiores accubitus, convivationes, ad æquales haustus provocationes, tum omnes Christianos, tum maxime Clericos magnopere dedeceant; mandamus ac præcipimus Clericis omnibus Diœcesis nostræ, cujuscunque gradus & ordinis illi sint, ne illis ulla ratione indulgeant, sed quanta possunt diligentia declinent atque fugiant.

XII. Lusibus jure prohibitis, choreis, illicitis venationibus, aucupiis, turpibus spectaculis neque adesse, neque operam dare ullo modo præsumant Clerici.

XIII.

XIII. Cauponas aut tabernas vinarias compotandi gratia, ne adeant, Et ſi quandoque ad nuptias, vel alia publica convivia neceſſitudinis aut propinquitatis gratia, vel aliis honeſtis de cauſis accedendum erit, cæteris modeſtiæ, manſuetudinis ac ſobrietatis exemplum præbere ſtudeant. Nulla vero ratione pro ludionibus, mimis & joculatoribus ſe vel ſponte gerant, aut ab aliis ſe haberi patiantur.

XIV. Prælatos & Decanos omnes, præſertim rurales, hortamur in Domino, ut in eos ſerio inquirant, & tam verbis, quam pœnis ſevere animadvertant, quos contra has Conſtitutiones noſtras male feriatos, deditos eſſe cognoverint temulentiæ, luxui ac ventri; hoſpitia publica & tabernas vinarias adire, compotationibus & comeſſationibus indulgere, luſibus prohibitis vacare: Et ubi ſemel, iterum ac tertio moniti & puniti, nihilominus in ejusmodi ſe culpabiles præbere perrexerint, eos ad Nos, vel Vicarium noſtrum deferant, ut pœna carceris, vel ſubtractione fructuum ac proventuum Eccleſiaſticorum, vel denique etiam ipſa Beneficiorum privatione, pro gravitate delicti & ſcandali mulctentur.

XV. Peculiari vero ratione eos obſervari & puniri volumus, quos conſtiterit alios ad largiorem potum & ad æquales hauſtus tum invitaſſe, tum compuliſſe, quique poſt publicam ebrietatem, aut aliud ſimile ſcandalum, non præmiſſa confeſſione Sacramentali, tremendum Miſſæ Sacrificium offerre ſacrilege præſumpſerint.

XVI. Negotiationes, mercaturas, alienæ rei procurationes, advocationes, actiones cauſarum apud Judices ſæculares, Notariatus & Tabellionatus officia profana, artes medendi tum generatim, tum maxime ſuperſtitioſas, cauponandi, tanquam a profeſſione Clericorum aliena, ne quisquam exerceat, ſevere vetamus.

XVII. Et generaliter quæcunque a ſacris Canonibus, præſertim Concilii Tridentini, de vita, honeſtate, & modeſtia Clericorum retinenda, & ſimul de luxu, luſibus, & quibuscunque criminibus vitandis ſalubriter conſtituta ſunt, ea ipſa ſub iiſdem pœnis tanquam hic repetita, ab omnibus teneri atque obſervari volumus & mandamus.

XVIII. Denique ſciant omnes Clerici, ipſis non licere ullo pacto fori privilegio renuntiare, & ſi renuntiaverint, nullam eſſe renuntiationem, in eosque ad ſacrorum Canonum præſcriptum agi poſſe, & debere. Caveant proinde, ne ulla ratione coram Judice laico compareant, ab eo citati ad cauſam dicendam, neve ulli laico mulctas unquam ſolvant, aut ullam ſibi pœnam imponi ſinant.

CAPUT II.

De fugiendo concubinatu, & vitanda omni ſuſpecta cum mulieribus cohabitatione.

I.

QUam turpe ac Clericorum nomine, qui ſe Diviuo cultui addixerunt, ſit indignum, in impudicitiæ ſordibus, immundoque concubinatu verſari, ſatis res ipſa, communi fidelium omnium offenſione, ſummoque Clericalis militiæ dedecore, teſtatur.

II. Ut igitur eam, quam decet, continentiam ac vitæ integritatem Clerus noſter teneat & conſervet, ac populus hinc eos magis diſcat revereri, quo illos vita honeſtiores cognoverit; Sacri Trident. Concilii Decretis inhærentes, mandamus omnibus & ſingulis Diœceſis noſtræ, cujuscunque gradus, ordinis & conditionis Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, in domo vel extra detinere, aut cum iis ullam conſuetudinem habere audeant. Si qui huic noſtro mandato non paruerint, ii ſecundum Decreta præfati Concilii Trid. tertia parte fructuum, obventionum ac proventuum, Beneficiorum ſuorum quorumcunque & penſionum ipſo facto ſint privati, quæ fabricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco a Nobis applicabitur.

III. Hortamur autem & requirimus in Domino Magiſtratus omnes, ut ſi

ſi quas mulieres cum Clericis in publico concubinatu vivere intelligant, illas e loco illo ejiciant, & tam longe arceant, ut, quantum fieri poteſt, ſcandalum omne tollatur, quod ipſum & Nos quoque in oppidis & pagis, temporali noſtræ jurisdictioni ſubjectis, ut fiat, curabimus: contra easdem, ubicunque etiam in noſtra Diœceſi conſtitutæ fuerint, ad alias Canonicas pœnas, ſi neceſſarium videbitur, proceſſuri.

IV. Quod ſi quidam Clericorum, non obſtante admonitione noſtra, & ſupra poſitis pœnis, in eodem delicto cum eadem, vel alia fœmina poſtea perſeveraverint, ad graviores contra eos pœnas, ſecundum Canones & ejusdem Concilii Tridentini Decreta, tandem etiam, ſi incorrigibiles fuerint, ad privationem omnium Beneficiorum procedemus.

V. Clerici quoque in ſacris Ordinibus conſtituti, etiamſi nullum Beneficium Eccleſiaſticum habeant, pari ratione ac Beneficiati nec concubinas, nec ullas ſuſpectæ pudicitiæ fœminas domi aut foris retinere audeant, ſub gravi pœna arbitrio noſtro infligenda. Quod ſi incorrigibiles deprehendantur, eos ad dignitates, Beneficia, & Officia Eccleſiaſtica inhabiles reddemus.

VI. Ut autem ejectis ſemel concubinis, Clerici non ſolum a concubinatu, ſed etiam ab omni concubinatus ſuſpicione immunes ſint, nec in diaboli laqueum periculoſius denuo incidant: hortamur eos in Domino, ut, quibus in locis viros miniſteriis domeſticis præficere poſſunt, ibi nullas plane mulieres in familiæ numero eſſe patiantur; in aliis vero locis, ſi vel matrem, vel patris, matrisve ſororem, aut aliam mulierem bonæ famæ, cognatione tam propinqua ſibi conjunctam habeant, ut vinculum naturale omnem turpitudinis ſuſpicionem facile excludat, illam domi ſuæ in matremfamilias, ut aſſumant, licet. Talis, ſi haberi nequeat, nullam certe quadraginta annis minorem quæque ab omni incontinentiæ ſuſpicione immunis ſit, ſibi adjungant.

CAPUT III.

De Filiis Clericorum.

I.

QUandoquidem non antiqui Canones ſolum, ſed Concilium etiam Tridentinum paternæ incontinentiæ memoriam in filiis Clericorum auferendam toties ſtatuerunt: idcirco nullo modo, cujuscunque diſpenſationis prætextu, liceat filiis Clericorum, qui ex legitimo Matrimonio nati non ſunt, in illis Eccleſiis, ubi eorum patres Beneficium Eccleſiaſticum habent, aut habuerunt, quodcunque etiam diſſimile Beneficium obtinere, nec in dictis Eccleſiis quo quomodo miniſtrare, nec penſiones ſuper fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere.

II. Si qui vero pater & filius in eadem Eccleſia inveniantur, & filius Beneficium ſuum intra trium menſium ſpatium non reſignaverit, aut cum alio permutaverit, contra eum ad declarationem privationis ſecundum Decreta Concilii Tridentini procedemus.

III. Ad eandem quoque Clericalis incontinentiæ maculam delendam, mandamus, ut, ſi quis Clericus filium habuiſſe ex epitaphio aliquo deprehendatur, ea epitaphii pars, quæ patris incontinentiam aperit, eradatur. Nec deinceps eodem in loco Clericus, ejusque filius ſepeliantur.

CAPUT IV.

De Reſidentia Clericorum.

I.

UT ſalutaribus ſacrorum Canonum Decretis, ac conſcientiæ noſtræ & officio ſatisfaciamus, per præſens Decretum mandamus, atque præcipimus omnibus curam animarum gerentibus ſub pœnis a Concilio Trid. conſtitutis, ut ovibus ſibi a Deo commiſſis in propria Eccleſia reſidendo præſint, ut præſentes eas, prout Divino præcepto obligantur, agnoſcere, verbi Divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum operum exemplo paſcere, ac cætera munia

nia Paſtoralia præſtare poſſint. Quod ſi æquis ex cauſis, quales potiſſimum ſunt, quæ in bonum publicum vergunt, quisquam prædictorum a ſua Eccleſia abeſſe velit, id non niſi Nobis approbantibus, & Vicario idoneo pro tempore abſentiæ cum honeſta & ſufficiente mercedis aſſignatione ſubſtituto fiat.

II. Etſi qui aliquantiſper tantum abſunt, ex veterum Canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim ſunt reverſuri; debet tamen id æqua ex cauſa, & absque ullo ſpiritualis gregis detrimento fieri. Quamobrem mandamus, ne Parochialium Eccleſiarum Rectores & Curatores ultra octiduum ſine licentia Decani ſui, & ſine Vicarii noſtri ad longius tempus a ſuis Eccleſiis abſint.

III. Et ut ovium Nobis commiſſarum ſaluti magis conſulamus, ad Eccleſias Parochiales deinceps nullus aſſumi poſſit, qui non ſit actu Presbyter, vel in tali ætate conſtitutus, ut infra annum in Presbyterum ordinari poſſit, ac velit, & deinde perſonaliter reſidere, ſubrogato interim cum competenti ſalario Vicario idoneo a Nobis approbato. Intra præfixum tempus non reſidentes, aut Sacerdotii ordinem non ſuſcipientes, Parochialibus, & aliis curatis Beneficiis priventur.

IV. Qui in Cathedrali noſtra, & cæteris Collegiatis Eccleſiis Decani, Scholaſtici, Cuſtodis, aut ſimilium dignitatum officia habent, quos Majores noſtri diſciplinæ Eccleſiaſticæ tanquam inſpectores & moderatores eſſe voluerunt, ii in Eccleſiis ſuis conſtanter reſidere, & cum ex juſta cauſa ad breve tempus abeſſe debebunt, alios interea idoneos, qui abſentium vices digne ſuppleant, ſubſtituere teneantur.

V. Qui alia Beneficia quæcunque ſimplicia obtinent, in quibus reſidentia de jure vel conſuetudine requiritur, ii reſideant, neque unquam a Beneficiis & Eccleſiis ſuis ſine legitima cauſa, & ſine licentia ſuorum Superiorum abſint.

VI. Qui a Beneficiis ſive curatis, ſive ſimplicibus Studiorum cauſa abeſſe deſiderabunt, iis non niſi ſequentibus conditionibus abſentiæ facultas concedatur. Prima, ut in publico, celebri & Catholico Gymnaſio, vel Academia non alia, quam Studiorum cauſa verſentur. Secunda, ut habitum Clericalem & publice, & privatim geſtent, & vitam Clericis dignam agant. Tertia, Academiam vel Gymnaſium non mutent ſine facultate ſuorum Superiorum. Quarta, quotannis teſtimonium tam morum, quam Studiorum mittere teneantur ad eosdem Superiores.

CAPUT V.

De pluralitate Beneficiorum.

I.

Execrabilem eorum avaritiam, qui plura Beneficia incompatibilia, maxime autem Curata habent, veteres & recentes Canones conſtanter damnarunt. Unde Patres Concilii Trident. hunc tam gravem & pernitioſum abuſum ab Eccleſia abeſſe volentes, ſapientiſſime conſtituerunt, ut, qui plures Parochiales Eccleſias, aut unam Cathedralem & aliam Parochialem Eccleſiam obtinent, cogantur omnino, quibuscunque diſpenſationibus ac unionibus ad vitam non obſtantibus, una tantum Parochiali, vel ſola Cathedrali retenta, alias Parochiales omnes intra ſpatium ſex menſium dimittere: alioquin tam Parochiales, quam Beneficia omnia, quæ obtinent, ipſo jure vacare cenſeantur. Cui Conſtitutioni, cum ſit æquitatis pleniſſima, ſi qui parere neglexerint, contra eos ad pœnas ab eodem Trident. Concilio præſcriptas, legitime procedemus.

II. Illis vero, qui alias plura Beneficia incompatibilia, vel unam Parochialem Eccleſiam cum alio Beneficio incompatibili vigore diſpenſationis Apoſtolicæ poſſident, ſub pœna Conſtitutionis GREGORII X. in Concilio Lugdunenſi editæ, quæ incipit: *Ordinarii* &c. quam & Concilium Trid. innovat, mandamus (quemadmodum & in Synodo Moguntina jam pridem mandatum eſt) ut intra trimeſtre tempus poſt hujus Synodi Diœceſanæ promulgationem, Nobis diſpenſationes ſuas, quarum prætextu hujusmodi Beneficia obti-

obtinent, exhibeant, alioqui ſecundum eandem Conſtitutionem & Decreta Concilii Trident. contra eos ad privationem procedemus.

III. Inpoſterum autem ad plures Parochiales Eccleſias nullus admittatur, cujuscunque etiam diſpenſationis prætextu. Sed nec ad alia quæcunque plura Beneficia incompatibilia vigore diſpenſationis alicujus quisquam prius admittatur, quam Nos ſecundum Decreta Concilii Trident. tanquam Delegati Apoſtolici ſummarie & extrajudicialiter cognoverimus, hujusmodi diſpenſationes ſubreptionis & obreptionis vitio non ſubjacere.

IV. In reliquorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum collatione id obſervetur, ut unum ſolum Beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur, quod ad vitam ejus, cui confertur, honeſte ſuſtentandam ſufficiat: ſin minus, liceat aliud ſimplex ſufficiens Beneficium, dummodo utramque perſonalem reſidentiam non requirat, priori adjungere.

CAPUT VI.

De Clericis peregrinis.

I.

CUm non infrequenter quidam, qui aut omnino Sacerdotes non ſunt, aut infames, profugi, irregulares vel excommunicati ſunt, aliove impedimento laborant, ſe tanquam honeſti Sacerdotes Sacramentorum adminiſtrationi, concionandi muneri, Miſſarum celebrationi, & aliis Divinis Officiis ingerant; mandamus Decanis ruralibus, & omnium Eccleſiarum Rectoribus, ut in Decanatibus vel Eccleſiis ſuis vagos ac ignotos Sacerdotes ſive ſæculares, ſive cujuscunque Ordinis Regulares, vel quos ſciverint alienæ Diœceſis eſſe, ad Sacramentorum adminiſtrationem, concionandi officium, Miſſarum celebrationem, aliaque Divina Officia ne admittant, niſi vel per Nos, vel per Vicarium noſtrum approbati fuerint, atque de eo noſtris, vel Vicarii noſtri literis legitimam fidem fecerint.

II. Nulli autem peregrino aut ignoto Clerico, vel Nos ipſi literas admiſſorias dabimus, vel a noſtro in Spiritualibus Vicario dari permittemus, niſi ab Epiſcopo ſuo, vel ejus Vicario literas dimiſſorias attulerit, quæ de ejus Ordinibus, & vitæ honeſtate teſtimonium ferant.

III. Apoſtatas, & quorumcunque Religioſorum Ordinum deſertores in Epiſcopatu noſtro ad omnia Beneficia tam ſimplicia, quam curata inhabiles, decernimus & declaramus.

CAPUT VII.

De Inſtitutionibus.

I.

NUllus omnino Diœceſis noſtræ Clericus ſæcularis vel Regularis quodcunque Beneficium Eccleſiaſticum cum cura, vel ſine cura, abſque Noſtra, vel Vicarii noſtri, aut ejus, ad quem jus inſtituendi pertinet, inſtitutione vel commiſſione, literisque ſigillatis ſuper eo obtentis, ac (ſi in Capitulis ruralibus fuerit) Decano illius Capituli oſtenſis poſſidere, regere, vel adminiſtrare audeat; alioquin contra eum ad pœnas Canonicas procedemus.

II. Peculiari vero ratione in eos animadvertemus, qui vel clam, vel palam abſque collata ſibi a Nobis poteſtate in Beneficia curata, eorumque functiones ſeſe temere ingeſſerint, qui cum nullam in ſolvendo, ligandoque poteſtatis executionem habeant, populum ſibi confitentem abſolutione ſua fallunt, & beneficio Sacramenti defraudant.

III. Ut autem hæc noſtra Conſtitutio in executionem veniat, mandamus Decanis ruralibus & Camerariis, ut in ſingulis Capitulis vel Conventibus ſuis literas inſtitutionis vel commiſſionis (ſi de aliquorum inſtitutione vel commiſſione dubitarent) ſibi exhiberi procurent. Et ſi quem deprehenderint iis carentem, vel exhibere detrectantem, ad Nos, vel Vicarium noſtrum ſaltem intra menſem a die habitæ notitiæ deferre teneantur.

IV. Quoties autem Decani & Camerarii hujusmodi literas exigere, vel eorum nomina, qui eas non habent, aut exhibere nolunt, deferre neglexerint, toties ſex aureos in uſus pios noſtro arbitrio convertendos, in pœnam perſolvere teneantur.

V.

V. Officialibus autem noſtris, quibus inſtituendi cura commiſſa eſt, ſub interminatione Divinæ ultionis diſtricte præcipimus, ne cui prius inſtitutionis vel commiſſionis jus tribuant, quam de ejus integritate ac morum probitate fide digna teſtimonia acceperint, & ad quod præſentatur Beneficium, ſufficientem doctrinam, & alias neceſſarias partes habere diligenti examine, remoto omni ſiniſtro affectu & perſonarum acceptione, cognoverint.

VI. Præter Profeſſionem fidei Catholicæ, quam, qui ad Beneficia inſtitui volent, facere debebunt, præſtabunt etiam juramentum in ſubſequentem formam:

Forma Juramenti pro inſtituendis ad Beneficia &c.

EGo N. juro & promitto obedientiam & reverentiam Reverendiſſ. Domino meo Epiſcopo Auguſtano, & Succeſſoribus ejus Canonice intrantibus. Vicarii ejus, & Judicum Curiæ mandata fideliter exequar, Beneficio, ad quod inſtitui, peto ſecundum oneris annexi exigentiam fideliter deſerviam, atque ab eo ſine ejusdem Domini Epiſcopi, aut Vicarii ejus licentia non diſcedam. Res, bona, & jura Eccleſiæ & Beneficii nullatenus alienabo, & indebite alienata, quantum in me erit, fideliter recuperare ſtudebo. SIC ME DEUS ADJUVET, ET HÆC SANCTA DEI EVANGELIA.

CAPUT VIII.

De renuntiationibus vel reſignationibus Beneficiorum.

I.

MInime ferendi ſunt Clerici, qui leviſſimis de cauſis, ac exigua ſpe majoris lucri oblata, oves ſuas temere deſerunt, atque ad alias non tam ut illas, quam ut ſemetipſos paſcant, non accepta prius ab Ordinario poteſtate, tranſeunt.

II. Prohibemus igitur omnibus Diœceſis noſtræ Eccleſiaſticis perſonis, ne Beneficia ſua, ſive curata ea ſint, ſive non, propria auctoritate deſerere, atque aliis ſe Beneficiis obſtringere præſumant.

III. Si qui vero Beneficia ſua reſignare volunt, ea vel ad noſtras, vel ad Vicarii noſtri in Spiritualibus, vel ad alterius Collatoris ad hoc poteſtatem habentis, nulla autem ratione ad laicorum manus, Nobis inſciis, reſignent: nimirum ut de reſignationis cauſa poſſimus cognoſcere, & reſignationem ipſam, ſi cauſa juſta ſit, approbare.

IV. Hujus noſtræ Conſtitutionis transgreſſorem, præterquam quod ad Beneficia ſecunda, quæ affectat, non admittemus: priori eum Beneficio ſuo, quamdiu Nobis videbitur, inſervire cogemus. Id, ſi facere detrectaverit, contra eum tanquam contra inobedientem ad pœnas Canonicas procedemus.

CAPUT IX.

De Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis, ac earum Miniſtris.

I.

UT Decani, Scholaſtici, Cuſtodes, quique ſimiles dignitates & officia jam obtinent, vel inpoſterum obtinebunt, Eccleſiis ſuis, ut ſupra in *Cap. IV.* etiam ſtatutum, præſentes utilem, & nominibus dignam operam præſtent, ſuaque pietate & aſſiduitate in Divinis Officiis in aliis ſtudium & amorem Divini cultus accendant, ac augeant, ex Moguntinæ etiam Synodi Decreto apud ſuas Eccleſias continenter reſideant, & cum æquis ex cauſis aliquando ad breve tempus abeſſe debebunt, interea alicui ex Capitularibus, qui ipſorum functiones cum laude obire poſſit, ſuas vices committant.

II. Atque ut hujus noſtræ Conſtitutionis certior ſit executio, volumus ac mandamus, ut omnes Decani, Scholaſtici, Cuſtodes, priusquam ad dignitatum & Beneficiorum ſuorum poſſeſſionem admittantur, ſcripto certam fidem faciant ſe continenter apud illam Eccleſiam, in qua ejusmodi dignitates & officia obtinent, reſidere velle.

III. Decani Cathedralis noſtræ & Collegiatarum Eccleſiarum, in Clerum ſuæ curæ commiſſum ſedulo ac ſolicite intendant, ne quid vocatione ſua indignum agant, ſed potius quem ſuper alios tenent ordinis ac dignitatis locum, vitæ innocentia, morum honeſtate, & præ-

præclare factis illuſtrent; ſordes impudicitiæ, fœdos concubinatus, vitium temulentiæ & crapulæ, ſcurrilitates ab eo, quanta maxima diligentia poſſunt, eliminent, ut & ſaluti ſingulorum ac ſuæ conſcientiæ conſulant, & officio ſatisfaciant, & ſcandala populi vel tollant, vel antevertant.

IV. In Choro veluti vigiles Præſides attendant diligenter, ne quid prætermittatur in Divinis Officiis perſolvendis, vel in reliquis, quæ ad probatam Chori rationem pertinent, quæque communibus vel propriis Conſtitutionibus, præſertim Breviarii, Miſſalis, Cæremonialis Romani, & Obſequialis noſtri in Sacris obeundis præſcribuntur, pro loci & perſonarum commoditate obſerventur, ut nihil fiat abſurde, indecore, præpoſtere, vel nimis feſtinanter.

V. Si qui ſuo officio non ſatisfaciant, eos graviter & amanter objurgent, & ſi verbis non corrigantur, pœnas quoque ea diſcretione infligant, ut illas non ex privata affectione, ſed æquitatis ſtudio, & ob illius, qui punitur, vel ſaltem Eccleſiæ publicam utilitatem inferri intelligant.

VI. Si quam cognoſcant inter Clericos ſui Collegii ortam eſſe diſcordiam vel ſoli, vel adhibito conſilio, & auxilio Capituli, eam ſtatim in ſuis principiis opprimere ſtudeant. Neque enim convenit, ut, quos tanquam fratres unanimes in domo Dei verſari oportet, litibus inter ſe digladientur.

VII. Qui præter Decanos, dignitates, & officia ſive in Cathedrali noſtra, ſive in Collegiatis Eccleſiis habent, curent, ut officiis ſuis ſecundum Canones, & cujusque Eccleſiæ conſuetudinem faciant ſatis.

VIII. Canonici Decano ſuo debitam reverentiam & obedientiam exhibeant, ejus admonitiones, qua decet animi æquitate & emendationis propoſito, ſuſcipiant, Divina Officia, quo tempore apud Eccleſiam reſident, quotidie diligenter adeant, eaque, ſicut oportet, ſtudioſe perſolvant, ex fructibus Beneficiorum pro modo facultatum ſuarum benefici ſint erga pauperes, memores Eccleſiaſticorum bona, eleemoſynas eſſe piorum.

IX. Vicarii, quos vocant Chori, ſuo nomini reſpondeant, Canonicisque in perſolvendis Divinis Officiis auxilio ſint; & ſi quæ illis onera, ratione fundationis, vel alicujus Collegii conſuetudine incumbunt, ea religioſe ac diligenter ſubeant.

X. Et quando ab honeſta educatione, & recta inſtitutione juniorum Canonicorum, quos Domicellos vocamus, ſalus Eccleſiarum magna ex parte dependet, idcirco ſolicite curandum erit, ut non tantum in literis, verum etiam in moribus, ac diſciplinis Eccleſiaſticis fideliter erudiantur, ut adultiores effecti opera ſua Eccleſiis utilitatem, & populo bonorum morum exemplis fructus ſpiritualis ædificationis afferre poſſint.

XI. Eam ob cauſam ordinamus & ſtatuimus, ut quotiescunque talis aliquis Domicellus juvenis in numerum Canonicorum alicujus Eccleſiæ aſſumitur, & in ea reſidentiæ, vel alio nomine aliquamdiu manere voluerit, præſertim primo anno, qui eſt velut probationis, is in Cathedrali noſtra ſummo Scholaſtico, & in aliis Eccleſiis alicui Canonico ſeniori ad id a Capitulo deſignato peculiariter ſubjectus ſit, qui, apud quos Præceptores, quibus ſtudiis & qua diligentia operam det, & quam honeſte & pie vivat, attendere debeat.

XII. Ab Eccleſiis cum Studiorum cauſa abeſſe volent, id cum conſenſu Capituli fiat, & conditionibus Cap. IV. hujus Partis Canone ſexto præſcriptis, & data præterea ante diſceſſum eidem ſuo Capitulo ſufficienti cautione, quod in Ordine Clericali permanere velint. Quod ſi mutato propoſito, ab Ordine Eccleſiaſtico reſilierint, & ad Matrimonia, ſeu negotia ſæcularia ſe tranſtulerint, ad reſtitutionem fructuum & ſumptuum Eccleſiaſticorum, quos interea perceperint, teneantur & compellantur.

CAPUT

CAPUT X.

De officio Sacerdotum in genere.

I.

PRima cura Sacerdotum omnium esse debet, ut quæ de vita & honestate Clericorum supra Cap. I. præscripta sunt, ipsi pro ratione sui gradus sibi præcipue dicta esse existiment, ac proinde accurate observent, studiose laborantes, ut tam grandis dignitatis officium non tantum nomine, sed etiam re ipsa digne sustineant. Bene vivendo, & bene docendo, ut præclare monet D. Chrysostomus, Populum, quemadmodum vivere debeat, instruit Sacerdos; bene autem docendo, & male vivendo instruit Deum, quomodo eum debeat condemnare.

II. Proxima cura illis sit, ut Beneficiorum suorum fundationibus ac probatis consuetudinibus satisfaciant, cum absque peccato nec unum Sacrum, nec ullas preces pro vivis & defunctis ratione fundationis dicendas, omittere possint sine Ordinarii legitima dispensatione.

III. Memores deinde sint obligationis, quam habent, recitandi quotidie Horas Canonicas, ut eas nec domi, nec iter facientes sine legitima causa, quam doctus & pius Confessarius consultus approbet, unquam omittant, & non solum devote & attente, sed etiam, quantum fieri poterit, certis ac statis diei horis recitent, hoc inprimis observantes, ut semper, cum Sacrum faciendum est, minimum absolverint Officium matutinum cum Laudibus.

IV. Sacrificium autem Missæ pro suis & populi peccatis offerre studeant non modo diebus Festis & Dominicis, sed aliis etiam infra hebdomadem, etiamsi nulla peculiari lege ad id astringantur. Semper autem in tota tremendi illius Mysterii actione religiose ac devote se habeant, accurate observantes tam ritus, quam alia, quæ in Missali Romano, ejusque Rubricis præscribuntur; pronuntiationem, & quamcunque aliam exteriorem actionem ita moderentur, ut non minus aliorum ædificationi, quam propriæ devotioni consulant, ideoque in faciendo Sacro non nimis celeres, nec nimis lenti sint.

V. Missas illas septem, quas Aureas vocant, nullus dicere præsumat, neque ullas preces aut cæremonias superstitiosas in cujusquam gratiam usurpet, quantumvis sub specie pietatis ad id rogetur & requiratur, nec patiatur mappis altarium, dum sacrificat herbas, cereos, aut alia benedictionis, aut alio nomine supponi.

VI. Confiteantur singuli saltem semel quovis mense, & quidem Confessario a Nobis legitime approbato, quem quisque sibi pro eo, ac ratio dictat, doctum, prudentem ac pium deligere studebit, & non facile mutabit.

VII. Sacerdotes, qui in Parochiis sua Beneficia obtinent, debitam Parochis exhibeant reverentiam, fidelemque eis in Divinis Officiis celebrandis operam præstent, & curæ animarum contra Parochi voluntatem nulli se immisceant, nisi ex Beneficiorum suorum fundatione, vel speciali privilegio aliud aut liceat, aut incumbat.

VIII. Assidui sint in pia lectione & oratione, ut per usum lectionis discant, qualiter & ipsi vivant, & alios doceant, & per usum orationis sibi, & aliis, quibus charitate conjuncti sunt, prodesse valeant. Orationem, lectionemve excipiat labor honestus, qui otiositatem pellat, inimicam animæ, alimentum vitiorum.

IX. Homines leves & viles, in quibus nihil singularis pietatis & Christianæ virtutis elucet, quo possunt studio vitent, ad eorum convivia & quæcunque alia conventicula ne accedant. Sit vero eorum conversatio cum piis, honestis, & sui Ordinis hominibus.

CAPUT XI.

De Decanis ruralibus & Camerariis.

I.

FAcit tanta Diœcesis nostræ amplitudo, & tanta negotiorum moles, ut ipsimet præsentes totius gregis nostri necessitates cognoscere, & remedia opportuna adhibere haud possimus. Quam-

Quamobrem visum est, more, exemploque Majorum partem aliquam curæ & laboris Pastoralis cum iis partiri, quos jam ante certis Episcopatus nostri regiunculis Præfectos, vulgo Decanos rurales vocamus; quod ut majori Ecclesiæ bono fiat, curabimus, ut deinceps ei muneri quam maxime idonei præficiantur.

II. Quamobrem, ubi in locum vacantis Decanatus aliquis sufficiendus erit, volumus, ut omnes illi Capitulo adscripti & canonice instituti Clerici, ad certum diem, a Nobis, vel Vicario nostro nominatum, conveniant, & ejus integritatis, eruditionis ac prudentiæ Sacerdotem eligant, quem merito sperare possint cum fructu & dignitate id munus obiturum.

III. Deinde electum Nobis, vel Vicario nostro primo quoque tempore præsentent, quem, ubi habita diligenti inquisitione idoneum cognoverimus, post præstitam ab eo publicam orthodoxæ Fidei professionem & juramentum consuetum, confirmabimus. Quod, priusquam fiat, officio Decanatus nullo modo fungatur, nec se hoc titulo scribi vel nominari patiatur.

Forma Juramenti a Decanis ruralibus præstandi.

EGo N. juro ac promitto DEO Omnipotenti, & Beatæ MARIÆ Virgini Patronæ Ecclesiæ Augustanæ, quod Episcopo Augustano, & suis Successoribus Canonice intrantibus, fidelis & obediens ero: quod etiam ejus, ac Vicarii, Officialis, & Judicum suorum mandata fideliter exequar: præterea quod remoto omni dolo & fraude Decani officio pro viribus satisfaciam. SIC ME DEUS ADJUVET, ET HÆC SANCTA DEI EVANGELIA.

IV. Ad Decani officium inprimis pertinet, Pastores in sibi credita regiuncula ad Capitulum bis in anno convocare, tempore a Nobis constituto, ut si ita expedire judicaverimus, vel aliquem ad illud mittere, vel si quæ significanda forent, scripto significare possimus. Rationem vero & modum in celebrando Capitulo observabit sequenti Capite præscriptum.

V. Deinde ejus muneris & functionis esse volumus, adjuncto sibi Camerario, vel alio a Nobis deputato, Ecclesias Parochiales, Capellas, aliaque pia loca districtus sui quotannis visitare, actaque visitationis semper post quodvis Capitulum regiunculæ suæ Nobis, vel Vicario nostro transmittere.

VI. Inspiciet autem non modo Ecclesias ipsas, sed etiam Sacristias, vasa sacra, vestes, ornamenta, cœmiteria, sepulturas, Parochorum, aliorumque Clericorum ædes ac familias, prædia & census attente notans, quam omnia integra, munda suo loco & ordine, ac tuto conserventur, & quid in quaque re desit.

VII. Inter cætera inquirat prudenter & caute, an Pastores ipsi, ac cæteri Sacerdotes & Ministri Ecclesiæ officio suo in prædicatione verbi Dei, celebratione Missarum, administratione Sacramentorum, ac cæteris omnibus satisfaciant, & quæ sit eorum vitæ ac morum ratio, qui vestitus, quibuscum versari soleant, qualis eorum familia, an studiis gradui suo convenientibus, an aliis intenti sint.

VIII. Studeat quoque cognoscere, an in populo sint hæretici, vel de hæresi suspecti, cultores artis magicæ & superstitionum, usurarii, concubinarii publici, aliique flagitiosi homines, qui inimicitias scandalosas gerant, quique stata jejunia, dies festos, & alia Ecclesiæ præcepta non servent. Speciatim quoque inquirat de Scholis, quos libros Ludimagistri discendos proponant, & an officio suo satisfaciant, & omnino tales sint, & ita admissi, quemadmodum in hac Synodo mandavimus. Neque solum hæc, sed quæcunque a Tridentino Concilio & a Nobis præscripta sunt, quæque pro sua prudentia, & pietate ad utilitatem ac salutem populorum ei in mentem venerint, exquirat.

IX. Ut autem Decani hanc sui muneris partem rectius & majori fructu obeant, expediet illos habere, & diligenter legere libros: Concil. Tridentinum, Manuale Visitatorum Feliciani, Obsequiale, & hæc Decreta Synodalia. Deinde singulis locis, a viris ætate, usu & probitate commendatis de omnibus pru-

prudenter inquirant, quæ pro officii sui munere scire volent.

X. Sacerdotes vero omnes Decanis suis morem gerant, cum vocati fuerint ad Capitulum, veniant, ipsos humaniter excipiant, hospitium & victum libenter & gratis præbeant, dum visitare volent, & suam operam prompte ac sedulo præstent; admonitiones & mandata, quæ pro officio dabunt, reverenter excipiant, iisque pareant. Caveant vero Decani, ne sumptus in itinere superfluos faciant, & ut apud eos, quos visitaverint, mensa frugali & modesta contenti sint.

XI. Quando aliquis ex Curatis, vel aliis Clericis ægrotaverit, eum Decani invisant, consolentur, & curent, ut tam spiritualia, quam temporalia subsidia habeat. Si obierit, rerum relictarum per se, vel per Camerarium, aut unum ex Deputatis, adjuncto Notario, si haberi possit, & duobus testibus, Inventarium conficiant, hæreditatem totam arrestent, & obsignent.

XII. Porro Vicarium nostrum de obitu, & supra dictis a se peractis sine mora certiorem faciant, simulque quo in statu ædes beneficiales repererint, referant, ut, si quid in illis ex negligentia destructum & ruinosum reparatione opus habuerit, de bonis relictis, antequam distrahantur, refici possit.

XIII. Ecclesiis vero ex obitu Parochorum viduatis, provideant Decani per alios Clericos a Nobis ad curam animarum approbatos, vel quos ipsi pro tempore illo idoneos judicaverint, donec alius Canonice substituatur, assignata ejusmodi Provisoribus, salarii loco, congrua portione fructuum.

XIV. Camerarii ærario Capitulari Præfecti, & Decanis legitime impeditis substituti sunt, quibus insciis aut inconsultis nihil facere, aut constituere possunt. Eorum est census Capituli & mulctas, quæ quavis ratione debentur, colligere, & de eisdem singulis semestribus toti Capitulo rationem reddere.

XV. Ut res & jura Ecclesiastica serventur, vel amissa recuperentur, solicite Parochos & alios Beneficiatos urgeant, ne quid vel negligentia, vel aliorum vi usurpetur. Si quid insolentius alicubi fiat, id Nobis significent.

XVI. Ne Ecclesiæ vel Beneficia debitis onerentur, neve fructus in damnum Successoris ab Antecessore vendantur, aut prædia elocentur, aut sine cultura debita relinquantur ac negligantur, invigilent.

XVII. Quia vero interdum Rectores Ecclesiarum res & jura Beneficiis suis inique subtracta recuperare per negligentiam aut simplicitatem omittunt, vel potentia adversariorum absterriti cum iisdem judicio contendere non audent; Nos, ne jura Ecclesiarum indefensa remaneant, hac nostra Constitutione singulorum Capitulorum ruralium Decanos constituimus, & deputamus in perpetuos Procuratores Synodáles ad repetendas & recuperandas res & bona quorumlibet Beneficiorum, Ecclesiarum & locorum piorum Capituli sui; dantes eisdem potestatem & personam legitimam standi in judicio nostro Ecclesiastico, aliisque competentibus contra quoscunque occupatores & detentores, sive Laicos, sive Ecclesiasticos, actionesque congruentes contra eosdem instituendi, & usque ad sententiam definitivam, ejusque executionem plenariam prosequendi, etiam cum invocatione brachii sæcularis, quatenus opus sit, & facultate alium, vel alios in locum suum substituendi, quibus Nos etiam unum ex Advocatis consistorialibus adjungere curabimus, quorum consilio & patrocinio actiones suas instituant.

XVIII. Ad Cathedraticum primarios fructus, subsidia charitativa, & id genus alia quod attinet, Decanus cum Camerario se in illis more antiquo colligendis, fideles præstent, addita etiam, si opus fuerit, ne Ecclesia veteri suo jure privetur, arrestatione.

XIX. Rationem sui muneris dabunt Decani rurales Nobis, aut Vicario nostro Generali quotannis bis, post celebrata nimirum Capitula, & quidem scripto, si coram commode non possint, quo speciatim explicari volumus, quas Ecclesias quisque suæ regiunculæ utroque

que ſemeſtri viſitaverint, ejusque viſitationis acta transmitti.

XX. Camerarii, cum primum hoc munus ſuſcipient, præter Profeſſionem fidei præſtabunt etiam more Decanorum Juramentum fidelitatis & adminiſtrationis ſuæ rationem reddent, quoties a Nobis, vel Vicario noſtro fuerint requiſiti.

CAPUT XII.

De Congregationibus Capitulorum ruralium.

I.

CONgregationes Capitulares convocari volumus ſingulis ſemeſtribus more jam recepto, & quidem die aliquo profeſto, quo ab Eccleſiis ſuis tum Parochi, tum alii, quibus conveniendum erit, commode abeſſe poſſint.

II. Convenire autem mandamus cum Decano omnes illius diſtrictus Parochos, Sacellanos, Sacerdotes & Clericos beneficiatos non modo ſæculares, verum etiam Regulares, iis duntaxat exceptis, quos vel Canonicum impedimentum, vel præſens Eccleſiæ neceſſitas eximet, de quibus cognoſcet Decanus, referetque Vicario noſtro, qui, & quamobrem abfuerint; ut, quorum legitima excuſatio non fuerit, in eos pœna decernatur.

III. Locus conventus Capitularis erit aliqua Eccleſia Parochialis, vel illius Sacriſtia, domus Parochialis, vel alia Canonica, nullo modo publicum hoſpitium, vel caupona. Pridie illius conventus confitebuntur omnes & ſinguli Sacerdoti a Nobis juxta Concil. Trid. approbato, de quo, ſi exigat Decanus, fidem facere teneantur, quemadmodum & de confeſſione ordinaria, quam menſtrue facere debent.

IV. Ipſo die Capituli celebrandi faciant omnes Sacrum pro fratribus & benefactoribus tam vivis, quam defunctis, obſervante interim Decano, vel alio ab eo conſtituto ſingulorum ritus, num conformes ſint uſui Romano, & qui indigebunt, moneantur de notatis defectibus, ut eos corrigant.

V. Fiant etiam, ut hactenus, duo ſolemnia Sacra, unum pro defunctis, alterum prout hactenus conſueverunt, iisque abſolutis, Proceſſio ad locum Capituli, ubi ſeſſionis hunc ordinem ſervent, ut poſt Decanum, Camerarium, & Aſſiſtentes, proximi ſedeant Parochi, deinde Sacerdotes alii, habita inter eos, qui ſunt ejusdem ordinis, ratione antiquitatis.

VI. Ubi primum conſederint, & abſentium, ſi qui fuerint, excuſationes, quæ ſcripto fieri debent, Decanus expoſuerit, ſurgent omnes, & procumbent in genua converſi ad imaginem Crucifixi, quæ ponetur in menſa, ad quam ſedebit Decanus cum Camerario, recitabuntque alternatim ad implorandam gratiam S. Spiritus hymnum: *Veni Creator Spiritus;* cui ſubjunget Decanus Collectam. Similiter ad finem Congregationis recitabunt ſinguli flexis genibus *Pater* & *Ave.*

VII. Conſidentibus denuo congregatis, proponetur primum omnium, ſi quid Nos, vel Vicarius noſter pro tempore proponendum præſcripſerimus. Deinde inquiretur, an re ipſa præſtita ſint, ſi quæ in ultimo conventu Decanus noſtro, aut Vicarii noſtri, aut ſuo etiam nomine facienda injunxit. Tertio dabitur reſponſum ad ea, quæ forte in eodem ultimo conventu propoſita, tum expediri certas ob cauſas non potuerunt. Quarto, quæret Decanus, num quisquam ſciat aliquod in tota regiuncula ſcandalum in Clero, vel populo accidiſſe, cui debito modo, per quos debuit, remedium non ſit adhibitum, & ſi illud necdum ſublatum ſit, quomodo videatur tolli poſſe. Quinto, num aliqua nova gravamina alicui perſonæ Eccleſiaſticæ, vel Beneficio contra jus impoſita ſint. Sexto, num aliis difficultatibus & neceſſitatibus quisquam Clericus regiunculæ, aut etiam ſæcularis prematur, cui auxilium debeatur. Septimo interrogabit Decanus, num ullus noſcatur in Diſtrictu Capituli Beneficiatus, qui Canonicam inſtitutionem non habeat; vel qui confeſſiones audiat, non approbatus juxta formam Concilii Tridentini. Octavo, an Parochi quos, & quales debent Cooperatores, & alios Sacerdotes habeant, & ſuo muneri maxime quoad Sacramentorum adminiſtrationem,

nem, prædicationem verbi Dei, & celebrationem Miſſarum faciant ſatis. Nono, an ullus noſcatur in toto Capitulo, in quo jure deſideretur honeſtas Clericalis quoad vitam, mores, ſtudia, habitum, familiam, & qui menſtrue non confiteatur juxta præceptum Synodale, & citius etiam, ſi in eo fuerit notatus exceſſus, qui præſumi poterat eſſe mortalis.

VIII. His peractis, Decanus in ſingulis Capitulis legat ipſe, vel legi curet ab alio, unam ex quatuor Partibus horum Decretorum Synodalium, nec ulla ratione hanc lectionem prætermittat, etiamſi propterea in loco congregationis una atque altera hora diutius manendum eſſet, atque ea occaſione intelligere ſtudeat, num omnes iſta Decreta habeant, & obſervent.

IX. Inter legendum ſi quid Decano occurret, ad cujus obſervationem judicet peculiariter exhortandos præſentes, vel de ratione obſervandi informandos, vel ſimile quid, licebit id breviter facere.

X. Crapulæ, ebrietatis, & quodvis intemperantiæ vitium cum omni tempore ſtudioſe vitare debent ii, qui ſunt Divinis conſecrati Miniſteriis, tum eo potiſſimum quo ad congregationes Capitulares de ſuis erga Deum, Eccleſiasque ſuas officiis tractaturi conveniunt. Si quid enim tum intemperanter a quoquam agi cernitur, cedit id in magnum diſciplinæ Eccleſiaſticæ contemptum, & fidelis populi gravem offenſionem.

XI. Quapropter volumus ac mandamus, ut prandium, quod poſt ejusmodi congregationes ſimul ſument, admodum moderatum & frugale ſit, & quam breviſſime abſolvatur, ut potius neceſſariæ refectionis, quam convivii rationem habeat: in quo inprimis evitetur omnis provocatio ad æquales hauſtus, aut quæcunque temperantiæ & ſobrietatis legibus adverſa compotatio, quocunque nomine aut modo inſtituta, & ita ſuam quisque domum mature & ſobrius repetat.

XII. Porro Capitula ruralia poteſtatem quidquam definiendi aut decernendi non habent, ſed tantum inquirendi, referendi, exequendi, quæ illis in his noſtris Synodalibus actibus commiſſa ſunt, aut deinceps ſpeciatim a Nobis, vel Vicario noſtro commendabuntur.

XIII. Poſt cujusque Capituli finem referet Decanus Vicario noſtro coram, ſi commode poſſit, vel per literas, quid actum ſit, explicando ſpeciatim, num omnes adfuerint, qui debebant, an lecta fuerit Pars aliqua ex his noſtris Decretis Synodalibus, inquiſitio facta de Articulis ſupra Canone 7. præſcriptis: & num aliquis notabilis defectus deprehenſus, qui corrigi non potuerit, ſed vel per Nos, vel præfatum Vicarium noſtrum corrigi debeat.

XIV. Sigillum proprium ſingula Capitula habeant, & Matriculam, in quam omnium ad Capitulum de jure vel conſuetudine pertinentium nomina referantur, officia item, patria, Diœceſis, mors & tempus ingreſſus in Capitulum, vel in hanc Diœceſin, & poſt mortem, ſi quid memorabile ab eo geſtum ad exemplum & ædificationem. Atque ex hac Matricula commendentur tempore congregationis.

XV. Habeatur præterea liber in ſingulis Capitulis, in quem a Camerario referantur acta ſingularum congregationum, præſertim majoris momenti, & difficultates propoſitæ, ut, cum neceſſe erit, Vicario noſtro, & quos ſubinde mittemus, Viſitatoribus certius conſtare poſſit, quid quoque tempore actum ſit.

CAPUT XIII.

De Parochis & Curatis.

I.

PArochis, & Curatis fidelium animæ in eam ſolicitudinis curam traditæ ſunt, ut illas & recte cuſtodiant, & ſalutari pabulo ad æternitatem alant. Sæpe proinde meminiſſe debent, ſi qui eorum negligentia pereant, rationem reddendam, ſi quos autem verbis & exemplis lucrentur, pro iis pretium æternæ vitæ percepturos.

II. In quibus maxime invigilare debent, in tribus potiſſimum verſantur:

tur: in bonorum morum exemplo; in verbi Dei prædicatione; in Sacramentorum administratione, & in Sacrificii Missæ, Divinorumque Officiorum persolutione.

III. Ea vitæ integritate prælucere debent, ut reliqui omnes ad eorum exemplum conformati pietatis, justitiæ, integritatis, mansuetudinis, sobrietatis, sanctæque obedientiæ viam ingrediantur, divitias & inanes sæculi honores, vanitatesque omnes contemnere discant.

IV. Familiæ suæ studeant quam optime præesse, nihil, ut in tota domo sit, quod a sancto illorum munere alienum sit, quodque non pietatem, Dei zelum, vanitatisque contemptum præ se ferat. Supellex sit moderata, frugalis mensa, honestus famulatus, locus nullus ulli personæ, quæ minimam mali suspicionem parere possit.

V. Et cum boni Pastoris sit agnoscere vultum pecoris sui, frequenter Parochiæ suæ domos obeant ac perlustrent, personas, vitam, mores, ac statum cujuslibet suorum, & necessitates tam temporales, quam spirituales cognoscere, eisque remedia opportuna prompte, benigneque adhibere studeant.

VI. Si quas inimicitias, irasve inter aliquos, maxime domesticos, intercedere cognoverint, eas omni ratione ac studio componere ac sedare conentur. Crebrisque cohortationibus efficere studeant, ut omnes & singuli peccati immanitatem agnoscant, fugiant, atque horreant.

VII. Publica blasphemiæ, adulterii, usuræ, superstitionum, magiæ, & his similia crimina & scandala ne dissimulent, & ubi graves admonitiones frustra adhibuerint, Magistratus etiam civilis opera ad coercendos & debite mulctandos pertinaces utantur. Verum pœnitentiam publicam, Nobis, aut Vicario nostro inconsultis, nemini imponant.

VIII. Sedulo advigilent, ut domestica disciplina patrumfamilias in educandis liberis diligens, pia & honesta sit: ut, qui in Hospitalibus sunt, pie vivant. Scholæ puerorum in suis Parochiis, ubi nondum sunt, si loci conditio ferat, instituantur, & ubi institutæ sunt, Magistris idoneis, quique studiose suum munus exequantur, non careant, qui libros probatos, & inter eos maxime Catechismum discendum proponant, & urgeant, quique omnino tales sint, & ita admissi, quemadmodum in hac Synodo mandatum est.

IX. Solicitudine magna & charitate afficiantur erga ægrotos, quos etiam non vocati invisant frequenter, etiam postquam salutaribus Pœnitentiæ, Communionis, & Extremæ Unctionis Sacramentis eos communiverint. Ipsos piis cohortationibus consolentur, ad morbi dolores æquo animo ferendos corroborent, eorum necessitatibus, si forte egeant, vel subveniant, si possunt, vel ab aliis subveniri curent.

X. Nulla ratione metu mortis, morbi, aut alterius periculi suos Parochianos deserant, curentque studiosissime, ne quisquam Sacramentis non munitus obeat.

XI. Missas frequenter & devote celebrent, habita præcipua ratione fundationum & piarum consuetudinum, moneantque populum, ut iis religiose intersit non tantum Dominicis & Festis diebus, verum etiam aliis, in quem finem observent horas Missarum commodas, statas tamen & certas vitata notabili variatione.

XII. Pro mortuis justa pie ac fideliter persolvant, ea tamen cautione, ut in dies Dominicos & Festos Officia & Missas exequiales (nisi ea moderatione, quæ supra *Parte 2. Cap. De celeb. Missarum* habetur) non rejiciant, ne in pagis quidem. Sed eam pietatem erga defunctos in fidelium mentibus excitent, ut cum aliquo etiam temporali incommodo diebus Profestis pro fidelium animarum pio auxilio, in templis prompte & religiose compareant.

XIII. Convivia funebria vel omnino tollantur, vel ea sobrietate & modestia, quæ Christianos decet, celebrentur, &, quantum fieri potest, extra publica hospitia.

XIV.

XIV. Singulis Dominicis, & Festis, aliisque diebus in 1. *Parte Synodi*, *Cap.* 7. præscriptis sacrum Evangelium, prout eo die in Missali Romano legendum occurrit, populo de suggestu vel certam ejus partem explicent, ad illius captum observatis accurate, quæ præfato *Cap.* 7. Prædicatoribus verbi Dei præscribuntur, quorum memoriam lectione subinde renovent, caveantque, ne suo ingenio, eloquentiæ, aut exercitationi nimium confidentes, nulla vel admodum brevi præparatione prævia suggestum conscendant.

XV. Legitime impediti alium substituant idoneum Concionatorem, ne tam necessarium officium ullo pacto prætermittatur. Id ipsum faciant, si Catechismum diebus Dominicis a prandio ipsimet habere nequeant.

XVI. Dies Festos ac sacra jejunia, quæ ex præcepto Ecclesiæ coluntur, in singulas hebdomadas post concionem denuntiare populo non omittant, ne quis imprudens gravem ejusmodi culpam Festos dies, sacrave jejunia violandi, committat. In iis autem religiose colendis aliis ipsi exemplo præeant.

XVII. Ad vicinorum Dedicationes, Primitias, nuptias, & nundinas diebus festis ne excurrant, suis Parochianis absque Sacro relictis, & itinera etiam necessaria in alios in hebdomada dies, quantum poterunt, instituant.

XVIII. Ex cancellis Ecclesiæ, in cœmeteriis, vel aliis locis sacris nihil ex præscripto Magistratus sæcularis promulgent profanum, nihil forense aut judiciale, nec alios promulgare sinant, sed ea duntaxat, quæ sacra & pia sunt, & ad cultum Dei ac pietatis opera pertinent. Quod si cuipiam vis inferretur, ad Nos, vel Vicarium nostrum referat.

XIX. Aquam, salemque singulis Dominicis mane ex antiquo Ecclesiæ ritu benedicant, eorumque, sicut & cereorum, palmarum, Agni Dei, & his similium rerum benedictarum usum populo frequenter commendent.

XX. Sacramenta omnia, quorum administratio ad eos pertinet, pie, solicite ac fideliter sibi concreditis ovibus exhibeant; nec patiantur Confirmationis, & Extremæ Unctionis Sacramenta in neglectu esse.

XXI. Cohortentur graviter suæ fidei commissos, ut Ecclesias pie ac sedulo adeant, Sanctissima Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta frequentent, atque ipsi quoque Parochi suo exemplo eorum utilitatem commendent.

XXII. Ecclesiam ad eum cultum & nitorem exornent, qui domum Dei decet; & si quid restituendum, reparandum, reconcinnandumve sit, curent mature resarciri. Reliquias Sanctorum tuto & decenter conditas asservent; vestes sacras, libros, calices, patenas, corporalia, & reliqua ejus generis instrumenta & ornamenta, quæ ad Altaris ministerium & ad Divina Officia necessaria sunt, solicite procurent, ne desint, eaque omnia integra ac munda conserventur.

XXIII. Pauperum, viduarum, pupillorum, & aliarum miserabilium personarum curam peculiarem suscipiant, piorum legatorum executionem sedulo urgeant, & satagant, ut piis Fundatorum voluntatibus ante finem anni satisfiat. Alioquin ii, quibus executio incumbit, Nobis, vel Vicario nostro denuntientur.

XXIV. Ab Ecclesia sua nullus discedat licentia prius non obtenta, quam ad unam hebdomadam dare poterit Decanus, ad longius tempus reservatam volumus Vicario nostro Generali, quæ nemini dabitur, nisi pro tempore absentiæ alium idoneum a Nobis approbatum Sacerdotem substituerit.

XXV. Sabbatinis diebus & pridie Festorum, quæ in Diœcesi nostra colenda sunt, dato campanæ signo ad Ecclesiam se conferant, ibique Vespertinas preces hora Vesperarum cantent, aut alta voce & tractim legant; idemque observent ipsis Dominicis & Festis.

XXVI. Abstineant penitus ab omni usu benedictionum, quæ in Ecclesia Catholica probatæ non sunt, & non modo sub mappis altarium herbas, cereos, aut alia supponi non sinant, sed nunquam etiam ejusmodi res, nisi tem-

pore & modo ab Ecclesia ordinatis & præscriptis, benedicant. Contra aëris tempestates aliis precationibus aut cæremoniis non utantur, quam quæ in Sacerdotali, sive Obsequiali a Nobis reformato habentur.

XXVII. Ut autem Parochi muneris sui partes plenius intelligant, & rectius impleant, sacræ Scripturæ, casuumque conscientiæ studio sedulo incumbant, sintque assidui in legendis probatis auctoribus, & præsertim in his nostris Decretis Synod. & Obsequiali Ecclesiæ nostræ.

XXVIII. Habeant Parochi & Curati omnes in Ecclesiis libros sequentes. Primus contineat nomina baptizantis, baptizati, ejus parentum & patrinorum una cum die nativitatis & Baptismi in hunc modum: *Die decimo Decemb. anni* 1610. *fuit a me Rectore curam gerente Parochialis Ecclesiæ Sancti N. Augustæ, baptizatus filius. N. N. conjugum, natus die* 9. *Decemb. suprascripti anni, eique fuit Petri nomen impositum. Patrini fuerunt Joannes N. & Maria N.* Quod si infans non fuerit de legitimo Matrimonio, nomen tantum matris scribatur, si illa nota sit; neque Baptismus negetur, vel nimium differatur, si ignotus vel incertus sit pater. Secundus contineat nomina eorum, qui Matrimonia contraxerunt, ad hanc formam: *Die* 10. *Octobris anni* 1610. *Joannes N. contraxit Matrimonium per verba de præsenti cum Anna N. in Eccles. S. N. Augustæ, præsente me N. Rectore in Ecclesia S. N. præsentibus testibus NN. & aliis multis de populo, qui ad Ecclesiam convenerunt, præmissis tribus solitis denuntiationibus.* Tertius complectatur nomina & cognomina eorum, qui in Parochia obierunt, & qui ibidem Ecclesiasticæ sepulturæ traditi sunt, cum annotatione diei & anni, mortis & sepulturæ.

CAPUT XIV.

De Vicariis Ecclesiarum incorporatarum, Canonica portione &c.

I.

PRælati, Capitula, Collegia, Monasteria tam sæcularia, quam Regularia utriusque sexus, & alii cujuscunque status, conditionis, vel eminentiæ, quibus Ecclesiæ Parochiales incorporatæ sunt, nullum Vicarium, sive perpetuum, sive ad tempus assumant, quem Nobis prius approbandum non præsentent, nec semel assumptum absque consensu nostro amoveant, nisi aliud sibi speciali privilegio permissum esse, Nobis legitime probent.

II. Et quia Vicarii in procuranda salute animarum Parochorum vices sustinent, eadem ad se pertinere existiment, quæ in hac Synodo passim pro Parochis & Curatis præscripta, ac definita sunt; quamobrem quibus eos substituendi jus & facultas est, ita Nobis idoneos vita, moribus, & doctrina præsentare studeant, quos merito pro tanti momenti officio approbare possimus.

III. Porro ejusmodi Vicariis ex incorporatis Ecclesiis congruam ac competentem portionem assignent, unde decenter, & pro ratione temporis honeste atque commode se sustentare, jura Episcopalia persolvere, & eorum statui annexa onera sustinere possint. Quod, nisi illarum Ecclesiarum Rectores fecerint, Nos ex officio nostro assignabimus.

IV. Caveant vero Vicarii, ne cuiquam literas Renuntiationis, seu Reversales, quibus se modica & minus sufficienti competentia contentos fore promittant, de eoque Nobis, aut Vicario nostro, antequam investiantur, vel ad curam admittantur, fidem facere teneantur.

CAPUT XV.

De Ecclesiarum Parochialium Cooperatoribus.

I.

ECclesiarum quarundam Parochialium tam est ampla jurisdictio, ut eis Parochorum cura & labor sufficere minime possit, sed necessarium omnino sit Cooperatores assumi, quibuscum muneris sui partes dividant. Quapropter volumus & mandamus, ut omnes & singuli Parochi, quibus ea est concreditarum Ecclesiarum conditio, de Cooperatoribus idoneis & sufficientibus

tibus ſibi ſemper ſtudioſe ac ſolicite provideant, ut & ſuæ conſcientiæ conſulant, & ſaluti ovium ſuarum, quantum tenentur, proſpiciant.

II. Cooperatoris munere in audiendis confeſſionibus, ne probationis quidem cauſa ullus fungi poſſit, antequam a Nobis, aut Vicario noſtro examinatus, approbationem in ſcripto acceperit.

III. Cooperatores in officio ſuo ita ſe exhibeant, ut ipſa actio ſpiritualium Cooperatorum titulo reſpondeat, non minus ſoliciti ac vigiles, quam ipſi Parochi, ut ſalutem animarum optima fide, magno zelo, ac religioſo officio & charitate procurent, promoveantque, idque non tam juxta proprium arbitrium, quam prudentem directionem Parochorum, quibus prompte obſequi debent.

IV. Cæterum ne pro habita fide, diligentia, & laboribus digno defraudentur præmio, mandamus, ut Parochi illis honeſtam, & pro exercitio pietatis, ac ſtudiis literarum commodam habitationem aſſignent, nec ullo modo inter ſervos & ancillas, velut ejusdem cum illis ſortis, in magnum Clericalis Ordinis contemptum collocent, neve domi in nimium abjectis & ſervilibus occupent.

V. Victus præbeatur illis honeſtus, & neceſſarius, ſtipendium liberale: ſi quis autem Parochorum ſufficientes Cooperatores habere neglexerit, aut pro meritis, & dignitate, & ſtipendio, & aliis non tractaverit, eum volumus per Decanum ruralem ad Nos, vel Vicarium noſtrum deferri, pro arbitrio canonice puniendum.

VI. Ita vero Parochi miniſterio ſuorum Cooperatorum utantur, ut in ipſos non integrum & præſertim periculoſiorem confeſſiones audiendi laborem transfundant ipſi otioſi effecti.

CAPUT XVI.

De rebus Eccleſiæ non alienandis.

I.

NE, quæ a Majoribus noſtris in pios uſus donata, legata, aut alia ratione relicta ſunt, noſtris temporibus diſſipentur: mandamus omnibus & ſingulis Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Prioribus, Abbatiſſis, Prioriſſis, Collegiis, item Clericis omnibus Civitatis & Diœceſis noſtræ Auguſtanæ, ne qua bona immobilia, ſeu redditus & proventus Monaſteriorum, Collegiorum, vel Beneficiorum ſuorum, neve qualescunque jurisdictiones & immunitates Eccleſ. vel quæcunque jura Eccleſiaſtica vendant, obligent, vel quocunque modo in perpetuum vel ad longum tempus contra Canones alienent, locentve absque ſpeciali noſtra facultate: quam quidem facultatem nulli concedemus, priusquam legitime probetur iſtiusmodi venditiones, alienationes in evidentem Eccleſiæ utilitatem cedere. Si quis vero contra hoc noſtrum mandatum Eccleſiaſtica bona & jura alienaverit, vel obligaverit, decernimus contractus ſuper illis habitos invalidos atque irritos eſſe: ac nihilominus contra transgreſſores ad Canonicas pœnas procedemus.

II. Ut ea, quæ ad Diœceſis noſtræ Parochias pertinent, quoad fieri poteſt, integra conſerventur, ſtatuimus, ut ſinguli Parochi intra ſex menſes a publicatione hujus noſtræ Synodi vocatis per publicum edictum, quorum intereſt, Inventarium omnium & ſingulorum bonorum tam mobilium, quam immobilium, jurium, actionum, annuorum cenſuum, debitorum, & aliorum quorumcunque ad ipſas Parochias pertinentium, cum eorum confiniis, & plena deſcriptione, per publicam perſonam in præſentia duorum ſaltem teſtium diligenter confici procurent.

III. Inventarii hujus duo exempla per eandem publicam perſonam authentica forma conſcribantur, quorum alterum apud Parochialem Eccleſiam in Archivo aliquo, vel alio loco bene munito & obſerato, qui duabus clavibus, iisque diverſis aperiatur, quarum unam Decanus ruralis illius Capituli, ſecundam vero Parochus habeat: alterum Inventarii exemplum in loco a Nobis ad hoc deputato conſervetur. Singulis autem decenniis Inventarium illud renovari volumus.

IV. Quando per Nos, vel alios noſtro nomine viſitatio fiet, Inventaria præ-

prædicta, quæ apud Nos fuerint, vel saltem illorum exempla cum Inventariis, quæ apud singulas Parochias erunt, conferentur: ut si quid ex iis, quæ Inventariis descripta sunt, desit, restituendum curetur.

V. Inhumanum plane est, non in Ecclesiæ solum, sed etiam in defuncti Prælati, Parochi, vel Sacerdotis, vel alterius Clerici bona involare. Prohibemus igitur, ne quis cujuscunque conditionis vacantis alicujus Ecclesiæ, vel defuncti Sacerdotis aut Clerici bona invadat, eave quoquo modo subtrahat. Si quis id facere præsumpserit, præter æternæ damnationis pœnam, quam incurrit, Nos quoque contra eum ad Canonicas pœnas, donec ablata, subtractaque restituerit, ac Nobis & Ecclesiæ de offensa satisfecerit, procedemus.

VI. Omnes Prælati, vel cujuscunque gradus, ordinis, aut conditionis Clerici Beneficia Ecclesiastica habentes, omnesque piorum locorum Administratores Ecclesiæ bona strenue defendant, ac si quæ ablata, subtractaque Ecclesiæ norint, ea pro virili recuperare conentur.

VII. Quæ de Decimarum solutione, & contra occupatores bonorum Ecclesiasticorum Concilium Triden. æquitati maxime consentanea statuit, ea quotannis circa Pentecosten, vel paulo post ab omnibus Parochis pro concione publicari volumus, ne quis forte per ignorantiam & oblivionem ejusdem Concilii censuras incurrat: atque ut Parochi horum Decretorum exemplum habere possint, placet Concilii verba ex diversis Sessionibus huc transferre.

Ex Sessione 25. *Cap.* 12. *de Reformat.*

" Non sunt ferendi, qui variis artibus " Decimas Ecclesiis obvenientes subtrahere moliuntur: aut qui ab aliis " solvendas temere occupant, & in rem " suam vertunt: cum Decimarum solutio debita sit Deo: & qui eas dare " noluerint, aut dantes impediunt, res " alienas invadant. Præcipit igitur S. " Synodus omnibus cujuscunque gradus & conditionis sint, ad quos Decimarum solutio spectat, ut eas, ad " quas de jure tenentur, inposterum " Cathedrali, aut quibuscunque aliis " Ecclesiis vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvant. " Qui vero eas aut subtrahunt, aut " impediunt, excommunicentur, nec " ab hoc crimine, nisi plena restitutione " secuta, absolvantur. "

Ex Sessione 22. *Cap.* 11. *de Reformat.*

" Si quem Clericorum aut Laicorum, " quacunque is dignitate, etiam Imperiali aut Regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Ecclesiæ, " seu cujusvis sæcularis vel regularis " Beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census ac jura, etiam " Feudalia, & Emphyteutica, fructus, " emolumenta, seu quascunque obventiones, quæ in Ministrorum & " pauperum necessitates converti debent, per se vel alios, vi vel timore " incusso, seu etiam per suppositas " personas Clericorum aut Laicorum, " seu quacunque arte & quocunque " quæsito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab iis, ad quos " jure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu " jurisdictiones, bona, res, jura, fructus & redditus, quos occupaverit, " vel qui ad eum quomodocunque etiam ex donatione suppositæ personæ " pervenerint, Ecclesiæ, ejusque Administratori, sive Beneficiario integre restituerit: ac deinde a Romano " Pontifice absolutionem obtinuerit. " Quod si ejusdem Ecclesiæ Patronus " fuerit, etiam Jure patronatus, ultra " prædictas pœnas eo ipso privatus existat. Clericus vero, qui nefandæ " fraudis & usurpationis hujusmodi fabricator seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subjaceat, nec non quibuscunque Beneficiis privatus sit, " & ad quæcunque alia Beneficia inhabilis efficiatur, & a suorum Ordinum executione, etiam post integram satisfactionem & absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendatur. "

CAPUT XVII.
De Locato, & Conducto.

I.

PErniciosam consuetudinem, qua Clerici vel repræsentata pecunia, vel ad non modicum tempus bona Ecclesiæ in Successorum præjudicium etiam laicis locant eadem ratione, qua Synodus Trid. prohibemus, & locationes ipsas invalidas esse decernimus.

II. Cum indecorum sit, ut Canonici, Clericique domos suas Ecclesiasticorum hominum usibus consecratas, laicis locent, ipsi interim vel per diversoria discurrant, vel contra decorum se in alienarum ædium angustissimo angulo includant: serio monemus, ne qui Canonici, vel Clerici domos suas Beneficiales ad Ecclesiam pertinentes personis laicis, nisi de Nostro, aut Vicarii nostri consilio & consensu inposterum locent, concedantve, neque in illis nuptias, convivia publica, saltationes, compotationes, aut alia sæcularia negotia exerceri permittant.

III. Si quæ vero domus jam nunc ad modicum tempus alicui istorum locatæ, aut alio modo concessæ sint, finito locationis, concessionisve tempore, Nobis, aut Vicario nostro inconsultis, non amplius locentur, concedanturve: sin ad longum tempus locatæ fuerint, secundum Decreta Concilii Trid. locationes irritæ sint.

IV. Quia vero ut plurimum ædes beneficiales & Canonicæ sartæ non conservantur, magno tum Ecclesiarum, tum Beneficiorum incommodo & detrimento: quæ ut deinceps avertamus, Capitulo tam nostræ Cathedralis, quam aliis Collegiatarum Ecclesiarum mandamus, ut, quamprimum fieri potest, certam aliquam rationem ineant, qua hujusmodi ædes, si quæ forte refectione indigebunt, reficiantur, & inposterum melius conserventur.

CAPUT XVIII.
De Testamentis.

I.

CUm res scandalo plenissima sit, quod Clerici concubinis suis testamento aliquid relinquant: usque adeo id prohibitum volumus, ut nec mentionem earum aliquam quacunque de causa & quibuscunque etiam ancillarum, aut aliis fictitiis nominibus faciant, sed nec per interpositas personas illis quicquam tacite in fraudem legis relinquant. Quod si concubinis suis aliquid quocunque modo legarint, id concubinis, quibus illegitime legatum est, ademptum in pios usus convertemus.

II. Nulla per Clericos de bonis Ecclesiæ nomine acquisitis facta testamenta valida sunt, nisi prius juxta sacrorum Canonum præscriptum a Nobis examinata confirmentur.

CAPUT XIX.
De Sepulturis & Exequiis.

I.

SI qui in Ecclesiis sepeliendi sint, sepulchra eo in loco fiant, ubi Divinis Officiis nihil adferant impedimenti, sintque ita profunda, ut ne quem fœtorem inducere possint.

II. Cœmeteria ubique diligenter clausa, & a negotiis profanis libera sint, & veluti loca sacra reverenter habeantur, in quibus nec hæretici, excommunicati, manifesti usurarii, aliive jure prohibiti, nec ulli omnino invito Parocho sepeliantur. Sitque in cœmeteriis locus honestus reponendis ossibus mortuorum, ubi semper vas cum aqua benedicta & aspergillo fidelium devotioni sit expositum.

CAPUT XX.
De Personis Regularibus.

I.

QUod Sancti Patres sæpissime caverunt, ut castitatis, obedientiæ, & paupertatis vota nonnisi a sponte illa profitentibus recipiantur, id etiam volumus hoc tempore observari. Nemo igitur, cujuscunque dignitatis vel conditionis, vi, metuve aliquem cogat, vel dolo malo inducat ad Monachatus professionem. Maxime vero id in virginibus, viduis, & quibuscunque mulieribus caveri volumus: cum Trid. Concil. eos, qui id faciunt, aut consi-

lium, auxilium, vel favorem ad hoc præbent, aut præsentiam, consensum, vel auctoritatem interponunt, excommunicationis vinculo constringat.

II. Finis, quem sibi quisque in Religionis ingressu præfixum habere debet, est iste: ut scilicet pro ampliori Dei gloria, & animæ suæ salute magis promovenda, non sola communium præceptorum observatione, verum etiam peculiari vitæ instituto, ac nominatim voto paupertatis, castitatis & obedientiæ, se totum Divino cultui addicat.

III. Sed nec ipsa Monasteria, vel eorum Præfecti, aut aliquis eorum nomine ab illis, qui professionem faciunt, professionis nomine pecuniam aliquam, aut quævis bona Novitiorum, neque convivia cujuscunque consuetudinis prætextu exigant.

IV. Nihil etiam ex Novitii bonis ante illius professionem, etiam si sponte offeratur, excepto victu & vestitu illius temporis, quo in probatione fuit, accipiant. Neque plures, quam ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis possint commode sustentari, in suum numerum admittant.

V. Omnes post votum solemne præstitum sui Ordinis Regulam, maxime quæ ad obedientiæ, paupertatis & castitatis cultum pertinent, quam arctissime observent.

VI. In quibus Monasteriis consuetudo adhuc locum retinet, ut Monachi vel Canonici regulares bona quædam immobilia ad usumfructum vel administrationem habeant; pro victu, potu, vestimentis & similibus pecuniam aliquam ad se recipiant: hanc Nos consuetudinem secundum Decreta Concilii Tridentini omnino abrogatam esse volumus.

VII. Privatæ mensæ in omnibus & singulis Monasteriis sint interdictæ. Conveniant autem omnes, qui legitime non impediuntur, refectionis gratia in unum refectorium, ibique, quæ Regula circa mensam observanda præscribit, observent. Sed & Monasteriorum Prælatos vel Rectores hortamur in Domino, ut, nisi legitime impediantur, cibum cum fratribus ut plurimum in communi refectorio sumant.

VIII. Ne vero ex sordida Prælatorum quorundam tenacitate, paupertatis votum alicui grave fiat; volumus, ut victus, potus, vestitus, omnia denique necessaria decenter & benigne fratribus juxta vocationis & Regulæ suæ rationem subministrentur.

IX. Habitum monasticum atque tonsuram singuli secundum sui Ordinis præscriptum sive domi, sive foris palam ferant: quibus studeant Prælati & Superiores hac in parte religiosæ modestiæ, moderationis & decentiæ exemplo prælucere, vitato omni luxu & vanitate sæculari.

X. Divina Officia tam diurna, quam nocturna, quæ in omnibus Ecclesiis diligenter peragi debent, multo majori diligentia, pietateque in Monasteriis, secundum singulorum Ordinum Regulas, & Monasteriorum fundationes, vel laudabiles consuetudines statis horis, & locis celebrentur.

XI. Quanto quisque in Monasterio dignitate vel officio major est, tanto in Divinis ministeriis studeat esse frequentior, ferventiorque, nec se ab iis facile subducat, nisi vel necessitatis, vel majoris utilitatis ratio ita postulet.

XII. Bibliothecæ in Monasteriis, ubi eæ non sunt, instituantur: si quæ vero aut bellorum cladibus, aut Abbatum, Præpositorumve negligentia direptæ, aut aliqua ex parte dilaceratæ, diminutæve sunt, restituantur: repurgentur quoque a libris prohibitis, maxime vero hæreticorum.

XIII. Ædificia omnia sive Templi, sive Monasterii sarta, tectaque serventur, neque nimis sumptuosa, picturisve lascivis & sæcularibus ornata, sed religiosis paupertatem & simplicitatem Evangelicam professis congrua sint, observeturque secundum Regulam clausura Conventus, nec ullo pacto mulieres virorum Monasteria ingredi permittantur.

XIV. Hortamur quoque Abbates, Prælatosque omnes in Domino, ut juniores fratres, eos maxime, qui bonæ sunt indolis, & in suis Monasteriis in lite-

literis sufficienter erudiri non possunt, ad Universitatem nostram Dilinganam, vel aliud Catholicum Gymnasium studendi gratia mittant, ibique in aliquo Monasterio vel Collegio collocent, ubi disciplina vigeat, adeoque honeste, pie ac religiose in officio contineantur.

XV. Singulorum Monasteriorum Prælati, omnesque Religiosi mensa utantur frugali & sobria, cui nunquam desit sacra lectio. Cum nemine autem vel ipsi poculis certent, vel a suis id fieri permittant. Imo vero ad æquales haustus ab aliis invitati, religiosa modestia constanter repugnent: Deo magis, quam pravis hominum voluntatibus servire parati.

XVI. Caveant, ne ex bonis vel fructibus Monasterii suos ditent propinquos vel amicos: neve quicquam bonorum sive mobilium, sive immobilium tanquam proprium possideant, vel suis Religiosis possidendum, aut aliis donandum relinquant.

XVII. Officia in Monasterio pro cujusque dignitate distribuant, ac si quos ibidem sanguine sibi junctos habent, caveant, ne cum certa animarum suarum pernicie a carne & sanguine seducantur.

XVIII. Capitulares congregationes ad disciplinæ conservationem frequenter habeantur, quibus ipsi etiam Prælati, quoad fieri poterit, intersint. In quibus contra honestatem vel Ordinis Regulam admissa puniantur.

XIX. In omni tam spiritualium, quam temporalium administratione ita se gerant, ut amari, quam timeri malint.

XX. Qui in Monasteriis officio aliquo funguntur, secundum cujusque Ordinis Regulas, ac Monasterii laudabiles consuetudines sedulo id præstent; ex quibus, qui bona temporalia Monasterii curant, quotannis coram Abbate & Senioribus, & ipsi Prælati coram Conventu, aut Senioribus accepti, & expensi rationem reddant.

XXI. Monachi secundum Decreta Concilii Chalcedon. sanctæ quieti operam dent, jejuniis & orationibus vacent, in quibus locis se Deo semel devoverunt (nisi eorum Regula & Professio, vel ob ingentes necessitates jussio Episcopi aliud postulet) remaneant, nullisque se Ecclesiasticis vel sæcularibus turbis immisceant.

XXII. Si qui Monachi Sacerdotum habitu extra septa Monasterii sui oberrent, Sacramentorumque Ecclesiasticorum administrationi citra nostrum consensum, & contra Canones, suasque Regulas se ingerant: secundum Decreta Synodi Mogunt. monemus eorum Prælatos & Superiores, ut vagabundos hosce Monachos diligenter inquisitos ad sua Monasteria redire modis omnibus curent: quod, nisi fecerint, Nos tam contra non redeuntes Religiosos, quam non revocantes & non recipientes jure agere compellemur.

XXIII. Statuimus præterea, ut secundum ordinationem Synodi Mogunt. Monasteriorum Abbates & Prælati cujuscunque Ordinis Nobis subjecti Regulares personas in Apostosiam ex quacunque causa lapsas, juxta cujusque Ordinis disciplinam, Regulam, & probatum morem pœnitentes benigne accipiant, nec pro excessibus graviores eis pœnas, quam quæ in sacris Canonibus & Regulis Ordinum expressæ sunt, imponant, ut propter excessus nec victus, nec vestitus necessarius eis subtrahatur.

XXIV. Si qui ab hæreticis suis fuerint Monasteriis ejecti, ad alia ejusdem Ordinis Monasteria se conferant: qua in re si difficultatem experiantur, de ea Nos certiores reddant: dabimus enim operam, ut in aliquod sui Ordinis Monasterium alicubi recipiantur: vagari autem cum certa animarum suarum pernicie non permittemus.

XXV. Quod de diligenti Sanctimonialium clausura, prohibitoque aliorum ad eas ingressu Summus Pontifex PIUS V. speciali Diplomate, & ante illum Concilium Tridentinum statuit ac præcepit, id Nos inviolabiliter & sub pœnis in ejusdem Concilii Decreto contentis observari mandamus, cujus quidem Decreti hæc sunt verba: "BO-" NIFACII VIII. Constitutionem, quæ " incipit: *Periculoso*, renovans S. Syno-" dus, universis Episcopis sub obtesta-

" tione Divini judicii & interminatio-
" ne maledictionis æternæ præcipit, ut
" in omnibus Monasteriis sibi subjectis,
" Ordinaria, in aliis vero Sedis Apo-
" stolicæ auctoritate, clausuram Sancti-
" monialium, ubi violata fuerit, dili-
" genter restitui, & ubi inviolata est,
" conservari maxime procurent: ino-
" bedientes atque contradictores per
" censuras Ecclesiasticas, aliasque pœ-
" nas, quacunque appellatione post-
" posita, compescentes, invocato etiam
" ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii
" sæcularis. Quod auxilium, ut præ-
" beatur, omnes Christianos Principes
" hortatur S. Synodus, & sub excom-
" municationis pœna ipso facto incur-
" renda, omnibus Magistratibus sæcu-
" laribus injungit. Nemini autem San-
" ctimonialium liceat post professio-
" nem exire a Monasterio etiam ad bre-
" ve tempus, quocunque prætextu,
" nisi ex legitima causa ab Episcopo
" approbanda: Indultis quibuscunque
" & privilegiis non obstantibus. In-
" gredi autem intra septa Monasterii
" nemini liceat cujuscunque generis
" aut conditionis, sexus, vel ætatis fue-
" rit, sine Episcopi vel Superioris li-
" centia in scriptis obtenta sub excom-
" municationis pœna ipso facto incur-
" renda. Dare autem tantum Episco-
" pus vel Superior licentiam debet in
" casibus necessariis, neque alius ullo
" modo possit, etiam vigore cujuscun-
" que facultatis vel indulti hactenus
" concessi, vel inposterum conceden-
" di."

XXVI. Quæ de Abbatissæ, Priorissæ, & quocunque alio nomine Præfectæ electione, ut ne minor sit quadraginta annis, & post factam professionem octo annos laudabiliter vixerit, & de reliquis eodem pertinentibus Concil. Trid. statuit, firmiter observari volumus.

XXVII. Monemus secundum Constitutionem Conc. Trid. Moniales omnes, ut saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, & Eucharistiæ Sacramentum sumant. Quo autem commodius afflictis quarundam conscientiis consulatur, secundum ejusdem Concilii Tridentini ordinationem bis aut ter in anno extraordinarium Confessarium ipsis offerri volumus, qui a Nobis, vel Vicario nostro fuerit approbatus, qui omnium confessiones audiat.

XXVIII. Ad Professionem ante decimum sextum annum expletum, nemo sive vir, sive mulier admittatur.

XXIX. Cætera quoque omnia, quæ de Regularibus & Monialibus in Concilio Tridentino constituta sunt, observentur.

XXX. Quo vero hæc tam salutaria Decreta in executionis usum inducantur, & semel inducta perpetuo & constanter observentur, adeoque religiosæ vitæ ac disciplinæ ratio, prout oportet, vigeat, floreatque, faciendum Nobis visum, ut pro singulis Ordinibus religiosis, in quos Nobis jus visitandi potestate ordinaria competit, a Nobis deligantur singuli Prælati religiosi, ut sui quisque Ordinis virorum & Monialium quosque per Nos designata Monasteria visitet, atque omnem religiosæ vitæ ac disciplinæ regularis executionem procuret, promoveatve nostro nomine & auctoritate cum alio similis Ordinis & Instituti Religioso, a Nobis, cum visitatio facienda erit, nominando & adjungendo.

XXXI. Horum Visitatorum potestas durabit ordinarie ad sexennium, post quod eandem illis ipsis confirmabimus, vel prorogabimus semel & pluries pro arbitrio nostro, vel transferemus in alios.

XXXII. Visitabunt singulis trienniis omnia Monasteria, facientque initium statim post hanc Synodum; potestatis ac facultatis a Nobis acceptæ habebunt literas patentes, quibus fidem faciant, quæ illis potestas competat, sive visitationibus incumbant, sive non. Liberum autem Nobis erit, quoties necessarium censuerimus, adjungere prædictis Visitatoribus religiosis Vicarium nostrum Generalem, vel alium, quem idoneum judicaverimus.

XXXIII. Cum quisque primum a Nobis ad hoc munus deligetur, faciet Nobis juramentum, quod munere suo fideliter & diligenter fungetur secundum

dum formam visitationis ipsi traditam, omni odio, rancore, amore & affectu semotis.

XXXIV. Minores excessus & defectus poterunt per se corrigere, emendare & punire, majores vero, totamque visitationis suæ seriem post quamlibet visitationem Nobis scripto referre teneantur.

XXXV. Monasteria dum visitant, sumptibus superfluis non gravent, pro visitatione nihil postulent aut extorqueant sive pro se, sive pro Ministris, quos non nisi omnino necessarios secum habebunt, nec ipsi, nec Ministri ultro oblatum accipiant, contenti moderato victu, & iis impensis, quas visitationis causa necessario facere debebunt; & quas speramus singulorum Monasteriorum Prælatos ac Superiores prompte ac libenter suppeditaturos.

CAPUT XXI.

De Hospitalibus pauperum, infirmorum, peregrinorum, & aliis piis locis.

I.

IN Viennensi & Tridentino Concilio ingens piorum locorum neglectus causam præbuit, ut Episcopis eorum visitatio sedulo mandaretur. Ut igitur in visitatione hujusmodi locorum secundum Decreta Concilii Trid. per Nos instituenda, nihil quod oculos nostros offendere possit, quodque reformatione egeat, inveniamus: mandamus omnibus & singulis piorum locorum Administratoribus, etiamsi eorundem locorum cura penes Laicos sit, atque ipsa loca exemptionis privilegio sint munita, ut omnia, quæ ad cultum Divinum, pauperum sustentationem, atque bonorum administrationem pertinent, quam diligentissime exequantur: quod nisi fecerint, contra eos ad excommunicationis, privationis, aliasque Canonicas pœnas procedemus.

II. Prima cura piis in locis sit de animarum salute: habeant igitur singula proprios Sacerdotes, vel si habere non possint, a Parochis saltem frequenter invisantur, qui infirmos verbo Dei, Sacramentorum administratione, aliisque modis consolentur.

III. Medici quoque per oppida constituti, accepto convenienti stipendio, ægrotos in ejusmodi locis agentes diligenter curent. Quod si locorum redditus tenuiores sint, quam ut inde in Medicos aliquid impendi possit, hortamur eos in Domino, ut Christum in membris suis agnoscere, & Christiana pietate & charitate pauperum necessitatem sublevare velint.

IV. Nullus autem piorum locorum Administrator bona, ad certum aliquem usum instituta, aliorsum avertat. Quod si alicubi sine Sedis Apostolicæ, vel nostra facultate fit, in priorem usum bona revocentur: neque inposterum ulla mutatio circa res ad pia loca pertinentes fiat, nisi Nos ex causa per Concilium Trident. approbata, vel alias legitima eam faciendam decreverimus.

V. Si qua igitur pia loca Viduis alendis instituta sunt, ea viduis alendis serviant: si qua mendicis alendis, serviant mendicis: si qua alendis orphanis, serviant orphanis: si qua peregrinis hospitio excipiendis, serviant peregrinis hospitibus; & sic de aliis. Habeaturque in omnibus ratio, ut ad ejusmodi loca personæ, quæ vere pauperes, miserabilesque, præsertim vero Catholicæ, & ibidem oriundæ recipiantur: nec tamen peregrini omnino excludantur, quoad sine pauperum ejus loci præjudicio fieri potest, propter illud Christi: Hospes eram & collegistis me.

VI. Mendicantes, qui ad labores ferendos robusto satis corpore videntur, indiscussa causa non recipiantur, sed neque alii, quibus victus aliunde suppetit, ostiatim mendicare permittantur.

VII. Collegia, vel Monasteria, quibus Hospitalia, vel alia pia loca unita sunt, ædificia eorum locorum sarta, tectaque conservent, & quæcunque institutionis eorum ratio postulet, onera sustentent: quod, nisi fecerint, Canonice contra eos ad privationem, excommunicationem, aliasque pœnas procedemus.

VIII. Piorum locorum ſive Eccleſiaſtici, ſive laici Adminiſtratores, qui juramentum de fidelitate in ſuo munere ſervanda nondum præſtiterunt, intra duos menſes ab horum Statutorum evulgatione illud præſtent. Poſthac autem ad adminiſtrationem nemo admittatur, qui non ante eodem juramento ſe aſtrinxerit.

IX. Adminiſtratores omnes adminiſtrationis ſuæ rationem ſingulis annis, ſecundum Decreta Concilii Trid. Ordinario reddant. Et quæ præterea in Viennenſi & Tridentino Concilio de piis locis, eorumque adminiſtratione conſtituta ſunt, inviolabiliter obſerventur.

CAPUT XXII.

De Jure Patronatus.

I.

MAndamus omnibus perſonis Eccleſiaſticis, ut intra ſex menſes, Laicis vero, ut intra quatuor menſes a die vacationis cujuslibet Beneficii idoneam perſonam Nobis præſentent: quam Canonice examinatam vel inveſtiamus, vel repellamus, quod ſi intra præſcriptum tempus officio non fecerint ſatis, authoritate noſtra ordinaria ipſis vacantibus Beneficiis de idoneis perſonis providebimus.

II. Ut autem ſine noſtra inſtitutione vel commiſſione aliqui Beneficiis Eccleſiaſticis, maxime autem Parochialibus Eccleſiis a Laicis, vel etiam Clericis, qui plenum jus providendi non habent, præficiantur, etiam ad tempus per modum proviſionis, id nullo modo feremus.

III. Et cum Beneficia Eccleſiaſtica deceat eſſe perpetua, Eccleſiarumque Parochialium Rectores Paſtores eſſe conveniat, non mercenarios: reprehendenda inprimis eſt quorundam Patronorum maxime laicorum ab aliquot retro annis uſurpata licentia, qui non contenti ea poteſtate, quam ſacri Canones eis indulgent, quo magis obnoxios ſibi habeant Sacerdotes, in præſentatione modum præſcribere Ordinario præſumunt, ne ſcilicet inveſtitura præſentato, ſed tantum commiſſio annua concedatur. Quæ reſtrictio, cum etiam in præjudicium auctoritatis Epiſcopalis tendat, ſicut a Prædeceſſoribus noſtris ſemper fuit improbata, ita & Nos quoque eam reprobamus ac volumus, ut non attentis præſentationibus ejusmodi; præſentatis ad quævis Beneficia, vel Vicarias perpetuas inveſtituræ concedantur, niſi privilegio ſpeciali, vel conſuetudine immemorabili circa aliquod Beneficium aliud inductum eſſe probetur, aut alia evidens cauſa loci aut perſonæ præſentatæ qualitate conſiderata commiſſionem potius, quam inveſtituram dari ſuadeat. Circa eas autem Vicarias, ad quas vigore incorporationum Sacerdotes ad nutum amovibiles præſentari ſolent, quosque ob id Manuales vocant, nihil mutari volumus.

IV. Intolerabile eſt, quosdam tam Eccleſiaſticos, quam Laicos Parochiarum, quarum Patroni ſunt, per fas & nefas ſibi bona uſurpare: Sacerdotibus interim, quibus animarum cura permittitur, tam parce & avare neceſſaria ſuppeditare, ut miſerrimam illi vitæ rationem ſubire cogantur. Hortamur igitur omnes in Domino & ſingulos tam Eccleſiaſticos, quam Laicos, cujuscunque etiam dignitatis vel gradus fuerint, illisque ſub pœna excommunicationis in Decretis Concilii Trid. expreſſa, & ſub obteſtatione Divini judicii mandamus, ut ſalutis ſuæ memores, ſi nihil ipſi in pios uſus convertere velint, ſaltem quæ a Majoribus ſuis religioſe collata ſunt, Eccleſiis nulla ex parte ſubtrahant, eaque in ſuos, vel aliorum, quamlibet etiam honeſtos uſus convertant: certum eſt enim hujusmodi bonorum Eccleſiaſticorum ſpoliationem immane ſacrilegium eſſe, cujus, qui rei ſunt, etiamſi forte in hoc mundo debitas pœnas non penderint, juſtum tamen Dei judicium in futuro ſæculo neutiquam evadent.

V. Quocirca mandamus omnibus Decanis ruralibus & Camerariis, ut, poſtquam intellexerint, alicui Beneficio ſive per Clericos, ſive per Laicos in ſuo Diſtrictu aliquid eſſe ſubtractum, vel Vicariis quibusdam nimis tenues aſſignari proventus, ut quamprimum vel Nos, vel Vicarium noſtrum ea de re certio-

certiores faciant, quo & dictos proventus augere, & harum Constitutionum nostrarum transgressores debitis pœnis afficere possimus, quanquam & in singulis visitationibus, ut Vicariis Parochorum congrui & sufficientes redditus assignentur, per Visitatores nostros admoniti providebimus.

VI. Noverint quoque Patroni Ecclesiarum & Beneficiorum quorumcunque sive Ecclesiastici, sive laici, sibi nullam penitus competere potestatem disponendi de fructibus Beneficiorum vacantium; multo minus eadem supprimendi etiam sub prætextu applicationis in aliud opus pium, eo quod forte ea ad sustentandum proprium Sacerdotem non sufficiant; sciantque tales se non solum injurios esse in pios Fundatores, sed etiam falcem in alienam messem mittere, & Jurisdictionem Ecclesiasticam per ejusmodi applicationem temere usurpare, Deumque suæ temeritatis acerrimum ultorem habituros. Quocirca omnes ejusmodi bonorum & censuum Beneficialium in quoscunque usus etiam Ecclesiasticos sine auctoritate ordinaria, aut majore applicatorum detentores, Administratores, vel Procuratores cujuscunque status & conditionis, etiam si Communitates, & Collegia sint, sub obtestatione Divini judicii monitos, eosdemque sub pœna excommunicationis obligatos volumus ad consignandas Nobis intra duorum mensium spatium ab insinuatione hujus Decreti rationes, indices, & registra omnium ejusmodi bonorum, fructuum & censuum; quibus habitis & perspectis Nos aut restitutionem eorundem in pristinum statum curabimus, aut si evidenti ex causa id omnimodo fieri non posse apparuerit, per unionem, annexionem, aut applicationem legitimam pro potestate Nobis hac in parte a sacris Canonibus concessa statuemus, quod Nobis in Domino magis expedire, Ecclesiisque ipsis utilius esse videbitur.

VII. Mandamus item Patronis omnibus, vel quorumcunque locorum Dominis, sub interminatione Divinæ iræ, quam non effugient, & sub pœna excommunicationis, ne Sacerdotes, qui per Nos examinati & probati, de quibuscunque Beneficiis Ecclesiasticis legitime investiti sunt, aliquo modo publice vel occulte per se ipsos, vel alios divexent, sed sinant illos Divina Officia peragere, curæque animarum libere præesse. Quod si contra quamcunque personam Ecclesiasticam querelam aliquam habuerint, eam coram Nobis, vel Vicario nostro explicent, ut auditis utriusque partis rationibus æqua feratur sententia.

VIII. Nullum quoque Sacerdotem indignis modis tractando, vel acerba comminando, vel alio quocunque modo directe vel indirecte ad Beneficii sui resignationem cogant, neve exigendis importune & indebite conviviis pro se, officialibus & familiaribus suis, vel imponendis aliis oneribus Parochos & alios Sacerdotes inique gravent. Nam præterquam, quod Dei omnium rerum inspectoris horrendum judicium non evadent, nostram quoque in vindicandis Ecclesiasticarum personarum injuriis atque oppressionibus æquissimam iram experientur.

IX. Sed nec resignationes Patroni acceptent, nec post factas resignationes prius alios præsentent, quam Nos dictas resignationes, examinatis causis, legitime approbaverimus.

CAPUT XXIII.

De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis.

I.

Quam Nobis Concilium Trident. facultatem dat circa Ecclesias, quæ vetustate, aut alias collapsæ sunt, ea facultate, ubi res postulabit, utemur. Explicatur autem hisce sequentibus Concil. Trident. verbis *Sess.* 21. *Cap.* 7. *de Reformat.*

" Cum illud quoque valde curan-
" dum sit, ne ea, quæ sacris Ministe-
" riis consecrata sunt, temporum inju-
" ria obsolescant, & ex hominum me-
" moria excidant, Episcopi etiam, tan-
" quam Apostolicæ Sedis delegati,
" transferre possint Beneficia simplicia,
" etiam Juris Patronatus ex Ecclesiis,
" quæ vetustate vel alias collapsæ sint,
" & ob eorum inopiam nequeant in-
stau-

" ſtaurari, vocatis iis, quorum interest, in Matrices, aut alias Eccleſias locorum eorundem, vel vicinorum arbitrio ſuo: atque in eisdem Eccleſiis erigant Altaria, vel Capellas ſub eisdem invocationibus, vel in jam erecta Altaria, vel Capellas transferant cum omnibus emolumentis & oneribus prioribus Eccleſiis impoſitis. Parochiales vero Eccleſias, etiamſi Juris Patronatus ſint, ita collapſas refici & inſtaurari procurent ex fructibus & proventibus quibuscunque ad easdem Eccleſias quomodocunque pertinentibus. Qui ſi non fuerint ſufficientes, omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Eccleſiis provenientes, percipiunt, aut in illorum defectu Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacunque appellatione, exemptione & contradictione remota. Quod ſi nimia egeſtate omnes laborent, ad Matrices, ſeu viciniores Eccleſias transferantur cum facultate tam dictas Parochiales, quam alias Eccleſias dirutas in profanos uſus, non ſordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi.

II. Ad ædificandas Eccleſias noſter primum conſenſus ſecundum Canones requiratur: deinde antiquus in iis, & conveniens decor obſervetur.

III. Cujuscunque generis mercatura etiam librorum præſertim hæreticorum, & picturarum, ac omnes profani actus a Templis, cœmeteriis, Templorum veſtibulo & porticu ſimul arceantur.

IV. Vinum, linum, frumenta, lana, pannus, ciſtæ, aliaque ſimilia in Eccleſiis, Sacellis & Sacrariis non reponantur, niſi forte aut hoſtilis incurſus, aut repentina incendia, aut alius fortuitus caſus incolas cum rebus ſuis ad loca ſacra confugere coegerit: qua neceſſitate ceſſante illico rurſum inde exportari illa mandamus. Nec vaſa, ullave onera contra decorem per Templa & Sacella portentur.

V. Procuratores Parochialium Eccleſiarum, quorum eſt annuos redditus Eccleſiarum colligere, eosque in ædificationem, reparationem, & conſervationem Templorum atque vaſorum ſacrorum, in emptionem item aliarum rerum, quæ ad Divina Officia rite peragenda neceſſaria ſunt impendere, officio ſuo diligenter cum conſilio Parochi fungantur, nec quicquam ex illis in privatum ſuum vel alterius uſum convertant, aut converti patiantur. Singulis annis accepti & expenſi rationem coram Parocho, & aliis ad hoc deputatis, reddant.

VI. Abuſum autem illum Eccleſiæ detrimentoſum, quo poſt ſubductas rationes, ſive poſt computum, ut vocant, convivia vel compotationes expenſis Eccleſiæ celebrantur, omnino ſublatum eſſe volumus. Parochi quoque, qui ea, quæ a Procuratoribus Eccleſiarum ſcribendi ignaris accepta ſunt vel expenſa, annotare ſolent, annotationis hujus nomine nec vinum, nec quidquam aliud ſibi ſolvi permittant. Exhortamurque Magiſtratus & Patronos, ut in ſuis territoriis ſuum Nobis auxilium ad tollendum hunc abuſum, non gravatim præſtent.

CAPUT XXIV.

De Immunitate Eccleſiaſtica.

I.

NEmo cujuscunque gradus, ordinis, vel conditionis contra noſtram voluntatem, & Canonicas Sanctiones Clericos captivare, vel in vincula conjicere præſumat. Qui ſecus fecerit, ipſo facto in ſententiam excommunicationis ſe incurrere ſciat.

II. Si quem Clericum in aliquo delinquere contingat, eum ad Nos, vel Vicarium noſtrum deferri volumus, ut pro delicti qualitate, eum aut ſimpliciter citari, aut perſonaliter apprehendi, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, curemus.

III. Sed nec jurisdictionem in Eccleſiaſticas perſonas, aut earum bona aut loca contra Juris Canonici & Civilis conſtitutiones ſibi quisquam vendicet, nec Clericum coram ſæculari Judice conveniat: quod ſi fecerit, eo ipſo ſecundum Statuta Synodalia Provinciæ Moguntinæ cauſa cadat, nec ad ejus proſecutionem etiam coram Eccleſiaſtico Judice, ulterius admittatur.

IV.

IV. Ad munia quoque civilia, præsertim si sordida, si profana, si ludicra, si Clericis indigna sunt, a nullo Magistratu vocentur.

V. In reliquis omnibus ea serventur, quæ in favorem Ecclesiasticarum personarum, & Ecclesiasticæ libertatis sacris Canonibus & Imperialibus Constitutionibus decreta sunt. Hortamur proinde Magistratus omnes, ut severe in eos, qui libertatem Ecclesiasticam perturbant vel impediunt, animadvertant.

VI. Quod de immunitate Ecclesiarum & cœmeteriorum constitutum est, ut nemini iis in locis violentia inferri, aut ob quodcunque delictum invitus inde extrahi possit, inviolabiliter cum omnibus, nisi quis forte vel publicus latro, vel nocturnus agrorum depopulator esset, observari volumus. Alioquin contra transgressores Canonum ad Canonicas censuras progrediemur.

VII. Atque ut tam cœmeteria, quam Ecclesiæ pleno jure immunitatis gaudeant, prohibemus serio, ne quid ibi profani negotii tractetur, neque edicta Magistratuum promulgentur, aut captivi per illa ducantur. Illud etiam omnino caveri volumus, ne deinceps ulla executio Magistratus sæcularis contra adulteros, vel incestuosos, qui ex quorundam locorum consuetudine tribus diebus festivis ante fores Ecclesiæ statui solent, intra septa cœmeterii fieri permittatur; cum hæc non sit pœnitentia Ecclesiastica; & atrium Ecclesiæ Divinis tantum & Ecclesiasticis usibus, nullo autem modo sæcularium judiciorum executionibus deservire debeat.

CAPUT XXV.
De Scholis.

I.

EX bona juventutis institutione dependet magnam partem salus Reipublicæ Christianæ. Quapropter ubi Scholæ literariæ per oppida & pagos majores adhuc desiderantur, hortamur in Domino Ecclesiarum Prælatos, & cujuslibet loci Magistratum, ut eas mox erigi curent; simulque rationem ineant, ut ipsis Ludimagistris de annuis stipendiis provideatur. Quod si in quibusdam pagis ratio alia non occurreret, teneri poterit ista, ut deinceps ad munus Æditui nullus assumatur, qui Scholas habere cum fructu aut non possit, aut non velit.

II. Et ne Christianæ juventuti pro lacte Catholicæ Religionis exitiale hæresis venenum dolo malo a Ludimagistris propinari contingat, volumus, ut omnes Ludimagistri, sicut *Parte* 1. *Cap.*3. a Nobis quoque constitutum est, secundum formulam PII IV. apertam Fidei Catholicæ professionem faciant Decano rurali, vel suo Parocho. Quod idem Prælatos omnes cum Præceptoribus, qui junioribus Monachis præficiuntur, studiose volumus observare.

III. De moribus etiam eorundem Magistrorum diligens inquisitio fiat, an sint honesti, probi & incorruptæ vitæ, a quibus tam pietatis Christianæ prima principia, quam rudimenta literarum innocens pueritia & quorumlibet studiorum capax sine metu corruptionis secure hauriat.

IV. Similiter qui privatim pueros suos instituendos curant, eos in Domino hortamur, ut diligenter inquirant & observent, qua Religione & quam probatis moribus illi sint, quos suis pueris Præfectos volunt, cum non leviter ea in re a multis peccetur.

V. Nemo nostræ Diœcesis sive Clericus, sive Laicus, ut supra quoque constitutum est, ad Gymnasia hæreticorum vel ipse proficiscatur, vel suos studiorum gratia mittat. Qui secus fecerit, eum Nos graviter, & severe puniri curabimus.

DECRETORUM SYNODALIUM DIOECESIS AUGUSTANÆ
PARS QUARTA.
CAPUT I.
De Constitutionibus.

I.

SAcrorum Canonum & Generalium Conciliorum, maxime autem Tridenti-

dentini, tam in iis, quæ ad doctrinam, quam quæ ad mores pertinent, Constitutiones & Decreta ab omnibus subditis nostris, tam Clericis, quam Laicis, firmiter observari volumus, eorumque transgressores, vel secundum expressas in sacris Canonibus pœnas, vel si pœnæ expressæ non sint, Canonice nostro arbitrio puniri.

II. Catechismum ex Concilii Trident. Decreto ad Parochos, PII V. Pont. Max. jussu editum, omnes nostræ Diœcesis Parochi, ut non semel antea monuimus, habeant, diligenterque legant.

III. Constitutiones insuper, quas Laurentius Campegius S. R. Ecclesiæ Cardinalis, & Sedis Apostolicæ per Germaniam Legatus, Ratisbonæ anno Domini 1524. ad reformationem Cleri Germaniæ, extirpandosque abusus edidit & publicavit, ab omnibus Nobis subjectis servari volumus (*): Provinciales quoque Synodi Moguntinæ Constitutiones suum robur obtineant.

IV. Hujus autem Synodi nostræ Statuta, quo certius ad aliorum notitiam deducantur, statuimus, ut harum Constitutionum Synodalium liber in Cathedrali nostra & Collegiatis aliis Ecclesiis, Monasteriisque tam virorum, quam mulierum, simul atque typis excusus fuerit, in Choro, vel alio loco, ad quem facilis unicuique pateat accessus, servetur.

V. Mandamus præterea, ut quilibet Prælatus sive sæcularis, sive Regularis, Canonicis vel Monachis suis singulis annis: Decanus item ruralis in Capitulari, ut supra dictum est, congregatione, hæc nostra Statuta Synodalia vel per se, vel per alium prælegi curet. Ipsi vero Prælati, Decani rurales, Camerarii, Parochi, cæterique Presbyteri nostræ Diœcesis hæc nostra, & Concilii Trident. Decreta apud se habeant, serventque, ac diligenter perlegant: atque ex illis, quæ ad Sacramentorum usum, cultum Divinum, morumque disciplinam pertinent, plebi communicent. Quem vero huic nostro Mandato non paruisse Visitationis, vel alio tempore intelligemus, in eum vel per Nos, vel per Vicarium nostrum graviter animadvertemus.

CAPUT II.

De Rescriptis.

I.

SAlubriter in Concilio Tridentino constitutum est, ut Ordinarius loci apud Ecclesiam suam residens, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, si quando de crimine publico inquirere cœpit, vel reum ad pœnam condemnavit, de subreptione & obreptione gratiæ super absolutione criminis vel pœnæ per seipsum summarie cognoscat, ipsamque gratiam, si eam per falsi narrationem, aut veri taciturnitatem obtentam esse, legitime constiterit, non admittat.

II. Quocirca mandamus omnibus Diœcesis nostræ Augustanæ Presbyteris, ne quenquam posthac, cui vel quæstio, vel pœna ab Ordinario constituta fuit, habeant pro absoluto, nisi præter Apostolicas, nostras quoque tanquam Apostolicæ Sedis eo casu delegati literas ostenderit, quas, qui non habebit, ad Nos, ut de veritate, vel falsitate precum ex delegatione Apostolica cognoscere, & justam super illis ferre possimus sententiam, mittatur.

III. Similiter quæcunque gratia a Sancta Sede Apostolica concessa, nemini ante suffragetur, quam juxta Concil. Trid. Decretum impetratorias preces veras fuisse, nostris literis approbaverimus: proinde qui sine hujusmodi literis gratia sibi concessa, in quibuscunque Diœcesis nostræ partibus uti voluerit, eum per Parochos ad Nos mitti mandamus, ut tanquam delegati Sedis Apostolicæ, de obreptione vel subreptione gratiæ, summarie & extrajudicialiter cognoscere possimus.

CAPUT III.

De Synodis.

I.

AD Synodum conveniant omnes Prælati tam sæcularium, quam Regularium Ecclesiarum, & quicunque jubentur, a Concilio Tridentino citra exceptionem in Synodo comparere: tum etiam si qui alii Presbyteri vel Clerici nostræ Diœcesis jure, privile-gio,

(*) Constitutiones illas CAMPEGII vide Tom. CC. VI. a pag. 196.

gio, vel consuetudine Synodo interesse debent.

II. Capitula vero tam Cathedralis nostræ, quam Collegiatarum omnium Ecclesiarum Procuratores duos, vel saltem unum, qui Ecclesiasticus & idoneus sit, ad Synodum mittant.

III. Capitulorum ruralium nomine, ordinarie comparebit Decanus cum Camerario.

IV. Qui legitimo impedimento venire prohibentur, Procuratorem Clericum, eumque idoneum cum absentiæ justa excusatione ad Synodum mittant, qui eorum, a quibus mittitur, locum in Synodo tueatur, paratus etiam, quæcunque in Synodo decreta fuerint, eorundem nomine recipere & approbare.

V. Quotquot alieno nomine comparent, sufficientia habeant mandata, quibus doceant se posse & Synodo interesse, & tractare de omnibus, quæ secundum Jus commune Decreta Concilii Trid. & Diœcesis Augustanæ consuetudinem tractanda veniunt: Constitutiones item in Synodo faciendas acceptare, omniaque & singula facere, quæ necessaria erunt, etiamsi talia essent, quæ mandatum requirerent magis speciale cum promissione, quod ea, quæ per Procuratores acta erunt, absentes, a quibus mittuntur, rata sint habituri. Habeant etiam iidem Procuratores, qui pro legitime impeditis comparent, mandatum legitimum ad proponenda legitima impedimenta, eaque, si opus fuerit, probanda.

VI. Qui ad Synodum conveniunt, tam eundo, quam redeundo, & in ipso Synodi loco singularem modestiam, sobrietatem, pietatemque præ se ferant, præsertim in hospitiis, ne ullum aliis ex eorum dictis, factisve scandalum, vel Synodo dedecus afferatur.

VII. Qui ad Synodum veniunt, maxime Abbates, ornamenta suæ dignitati & statui convenientia secum afferant. Nec quisquam Clericus sive sæcularis, sive Regularis sine decenti habitu compareat.

VIII. Ante absolutam Synodum, nemo sine speciali facultate discedat, diligenterque illis, quæ in Synodo fiunt & dicuntur, omnes attendant.

IX. Synodi scopus erit, ut omnia, quæ ad puritatem fidei conservandam vel restituendam, & ad Cleri, populique reformationem pertinent, juxta Summorum Pontificum, Concilior. Generalium, Provincialium, & Diœcesanorum Decreta constituantur & ordinentur.

X. Prælati, & quicunque de jure vel consuetudine sessionem in Synodo nostra habent, si quæ contra Nos, vel contra Ministros, aut quemcunque alium gravamina vel querelas habuerint, ea libere in Synodo proponendi habeant facultatem.

XI. Post Prælatos Decani rurales, si quid in Synodo proponendum habeant, & ipsi proponant.

XII. Post hos, si quis ex reliquo Clero se ab aliquo, cujuscunque gradus, ordinis vel conditionis, gravatum existimet, causam Synodo libere per supplices libellos exponat: quæ, si ad cognitionem Synodi pertinebit, sine mora illis subveniemus, sin minus eum ad ordinarios Judices, commendata illis negotii æquitate, remittemus.

XIII. Laicis quoque querelas suas, quæ vel ad nostram, vel ad Synodi cognitionem pertinent, libere proponendi facimus potestatem, ut ex Synodi consilio suus justitiæ detur locus.

XIV. Omnibus tum Laicis, quam Clericis, qui querelas in Synodo proponere volent, de Advocatis, Procuratoribusque Synodalibus providemus: sed & ipsos, qui hasce querelas afferunt, benigne vel privatim audiemus, vel si idoneos existimabimus, ad eas proponendas in Synodum admittemus.

XIV. Ne quem verecundia, vel metus a querela necessario proponenda deterreat: duobus vel tribus id negotii dabimus, ut separatim omnes & singulos sive Clericos, sive Laicos audiant, conquerentiumque nomina pariter & querelas summo silentio tegant.

XVI. Querelis auditis, adhibito Synodi Theologorum & Jurisconsultorum

torum consilio, quæ admonitionem postulabunt, admonitione, quæ correctionem vel executionem, correctione vel executione emendanda curabimus, Statuto etiam Synodali, si opus erit, inposterum quibusdam occurremus.

CAPUT IV.
De Foro Ecclesiastico.

I.

UT Juris, Justitiæque ratio fideli-us observetur, & pro cujusque negotii difficultate inceptæ lites maturius finiantur, statuimus, ut nec Vicarius, nec Officialis, nec quisquam alius, qui ad Judicium nostrum Ecclesiasticum exercendum pertineat, prius recipiatur, quam vel coram Nobis, vel coram eo, cui vices nostras commiserimus, fecerit Professionem fidei, secundum formulam PII IV. Pont. Max., ac juraverit, se in illis, quæ ad officium suum, & Ecclesiastica Jura pertinent, fore fidelem.

II. Quia vero multi Sæculares nonnunquam causas Ecclesiasticas ad sua fora sæcularia variis modis trahere conantur; Nos his eorum iniquis turbationibus (quibus hac nostra solemni protestatione & Synodali Constitutione contradictum, & omnes contrarios actus interruptos volumus) minime obstantibus, Vicario, & Officiali nostro serio mandamus, ut si hujusmodi causæ in forum nostrum adducantur; in iis non attentis ullis avocationibus, appellationibus, inhibitionibus, aut aliis quibuscunque processibus juxta SS. Patrum, Canonumque Decreta, atque immemorialem Episcopatus & Curiæ nostræ consuetudinem & stylum procedant, easque uti Judices competentes audiant, determinent, & decidant: contra quæ Procuratores nostri Consistoriales nihil allegent, aut opponant, quod in præjudicium aut elusionem jurisdictionis nostræ Ecclesiasticæ cedere possit: alioquin condignam nostram animadversionem non evasuri.

CAPUT V.
De Vicario, & Officiali.

I.

VIcarius, atque Officialis alienam necessitatem suam esse existimantes, singulis, quoad poterunt, juste ac benigne succurrant, dilationes, quantum expedire censuerint, moderentur; Exceptiones vero, & appellationes frustratorias repellant, testiumque multitudini modum imponant. Nec tamen ita festinent, quin cuncta, quæ inquirenda sunt, rerumque ordinem plena inquisitione discutiant.

II. Quod si in causarum tractatione grave dubium oriatur, nihil sine Jurisconsultorum consilio interloquendo, vel definiendo pronuntient.

III. Non ferant, ut dum pro Tribunali sedent Notarii, Procuratores, vel quicunque alii probrosis, ignominiosisve verbis, eos, qui in judicio comparent, excipiant, sed neque ipsos litigantes, mutuis se conviciis vel injuriis afficere patiantur: non enim convenit, ut, ubi injuriæ vindicandæ sunt, ibi injuriæ alicui inferantur.

IV. Compotationes quoque in loco judicii, utpote a rebus, quæ ibi tractantur, maxime alienas tam Procuratoribus, quam aliis quibuscunque serio inhibeant: nec etiam permittant, ut ullus ibidem aut pertinaci disceptatione, aut inconditis clamoribus perstrepat, tumultumve aliquem excitet, qui secus fecerit, eum Vicarius, vel Officialis noster, pro excessus qualitate, vel indicta mulcta, vel alias legitime puniat: si vero excessus magnitudo requirat, rem totam ad Nos referendam curet.

V. Judices nostri tam Advocatos & Procuratores, quam ipsos litigantes diligenter audiant, illisque benigne respondeant.

VI. Insuper cupientes Nos partes a frustraneis & inanibus sumptibus relevare, quos impendunt in rudes & imperitos laicos sibi assistentes, sine ullo consilii & operæ fructu, jus, potestatemque habeant Judices nostri, atque ipsis etiam mandamus, ut hujusmodi assistentes posthac penitus a judicio nostro arceant, & partibus injungant, ut iis repudiatis Procuratores nostros juratos, vel alios peritos & probatæ fidei viros in consilium; & auxilium adhibeant, quibus & jura, & stylus Curiæ nostræ cognita sunt.

VII.

VII. Cum ex partium responsionibus, testiumque examine, magna pars causæ dependeat, ipsimet & partes respondentes, & testes audiant. Si vero legitima de causa testium examini, vel partium responsioni interesse non possunt, non nisi peritis suas partes ad ea subdelegent.

VIII. Vicarium si abesse contingat, vices suas Officiali, ac econtra Officialem si abesse contingat, vices suas Vicario committat; utroque vero absente, vel Sigillifer, vel alius Clericus ad eam rem idoneus in eorum locum subrogetur.

CAPUT VI.

De Sigillifero, & Notariis.

I.

Sigillifer, & Notarii, quæ coram Vicario, vel Officiali fiunt, potissimum vero, quæ a Testibus dicuntur, pro suo quisque officio diligenter, fideliterque describant.

II. Judicio personaliter intersint; quod si necessaria causa impediuntur, permissu Vicarii, vel Officialis eum suo loco substituant, qui Consistorio nostro præstiterit juramentum.

III. Reliquo tempore aut ipsimet domi sint, aut alium certe suo loco relinquant, qui partibus citationes scribere, aliave necessaria petentibus satisfacere possit: in quibus expediendis illud diligenter observent, ne ultra primam citationem in qualibet causa alii ulteriores processus dentur partibus, aut eorum Procuratoribus, nisi ii judicialiter decreti fuerint.

IV. Protocolla vero super singulis causis non summariis, atque omnes recessus iis inserendos ipsimet scribant, nec aliena manu quid annotari penitus permittant, & originalia omnia, quæ a partibus producuntur, cum actis in loco judicii retineant, neque ea unquam per Procuratores, vel alios inde exportari permittant, sed copias tantum petentibus communicent, nisi propter exiguitatem causæ, vel inopiam partium, aut aliis legitimis de causis, aliter Vicario, vel Officiali nostro visum fuerit: si qui vero articuli, vel id genus alia ad examinandos testes Commissariis mitti debeant, eorum exempla, servatis apud se originalibus, mittant.

V. Actorum item, sive documentorum originalium, quæ in judicio producuntur, omnium diligens fiat per Notarium collatio, idque factum esse, & in omnibus concordare, manus suæ propriæ testetur subscriptione, quo Judici in ferendis sententiis de veritate actorum certius constare possit.

VI. Secreta judicii, causarumque, maxime vero dicta Testium, Judicumque sententias, donec dicta testium publicata, vel sententiæ latæ fuerint, nemini patefaciant.

CAPUT VII.

De Procuratoribus.

I.

Nullus sine solito fidelitatis juramento in Procuratorem Consistorii nostri Augustani admittatur, & cujus diligentia, probitas, fidelitas, conveniens eruditio & exercitatio non sit ante perspecta, vel commendata.

II. Secundo Procuratores plures quatuor, nisi causarum multitudo exigat, non recipiantur, poterunt tamen esse pauciores.

III. Causas, quas in judicio defendunt, una cum earundem meritis & processibus super illis habitis diligenter memoriæ mandent, habeantque in scriptis omnia, quæ in singulis causis vel acta sunt, vel proxime agenda; ut sive a Judice, sive a partibus interrogati de prædictis prompte respondere possint.

IV. Clientum suorum partes ita defendant, ut ab omni convitiandi vel maledicendi temeritate, & licentia se abstineant: alioquin juxta Imperiales Constitutiones bonæ existimationis suæ jacturam pati cogentur.

V. Non enim clientes per interpositas personas, vel per seipsos callide ad se trahant, quin imo ipsosne, an alios judicii nostri Procuratores ipsi clientes habere velint, in ipsorum cujusque arbitrio, & voluntate relinquant, multo vero minus eorundem, in quibus cau-

ſis jam tum Procuratores habent, mandatum in ſe recipiant, cauſasque ipſas in judicio proponant, niſi forte a prius conſtitutis Procuratoribus ſubſtituantur, vel illi Procuratoris officio legitime renuntient, aut ob legitimas cauſas a partibus principalibus revocentur.

VI. Præter taxam, quæ a Nobis, ac Prædeceſſoribus noſtris Epiſcopis Auguſtanis præfinita eſt, nihil exigant: ſi qua tamen a Collegiis, Monaſteriis, Prælatis, vel aliis cujuscunque conditionis hominibus ſtipendia habeant, ea percipere non prohibentur: ſed etſi litigator, officii gratia munus aliquod mediocre, ſponte ſua obtulerit, id ſecundum Imperiales Conſtitutiones accipere poterunt.

VII. Nullam cum clientibus de certa litis parte, expenſis etiam in eventum victoriæ ſolvendis, aut alio litis acceſſorio pactionem ineant: nec ceſſionem juris in ſe recipiant, clientesve ſuos, certa propoſita pœna vel per ſeipſos, vel per alios, de ipſius cauſæ victoria ſecuros reddant: denique nihil cum illis, quod Jure Canonico vel Civili prohibitum ſit, paciſcantur: ne timore litis, homines ad omnia illis danda, concedendave impellantur, aut ipſi Procuratores ſpe lucri, ad calumnias excogitandas excitentur.

VIII. In quibus cauſis Procuratores ſunt, in illis clientes ſuos omni conſilio & auxilio juvent: caveant tamen, ne in ſtruendis calumniis, litibusque malitioſe protrahendis, ſuam eis operam præſtent, alioquin arbitrio Vicarii, vel Officialis noſtri ad tempus ab officio procurationis ſuſpendantur, aut ſi calumniæ magnitudo exegerit, omni etiam officio priventur.

IX. Dabunt quoque Procuratores ſub pœna pecuniaria ipſis infligenda, & Fiſco noſtro irremiſſibiliter perſolvenda operam, ut termini ſecundum qualitatem cauſæ, & judicii ſtylum rite & accurate ſerventur, neque ſuper iis prorogandis inter ſe, niſi in figura judicii, & Judicibus pro tribunali ſedentibus concordare quoquo modo præſumant.

X. In nulla cauſa quantalibet parvi momenti, & ut maxime partes conſentiant, utriusque partis defenſionem in ſe recipiant, ubi etiam ſemel alicujus partis ſecreta, tanquam Procuratores cognoverint, contrarios in eadem cauſa Procuratores poſtea non agant, ſi tamen in cauſis impedimentorum, diſpenſationum, & ſimilibus, quæ ad eundem tendunt finem, ambæ partes eundem Procuratorem petent, poterit eo caſu Vicarius, vel Officialis noſter id permittere, ita tamen ut ſalarii nomine ab utraque parte non plus Procurator accipiat, quam ſi alterius ſolum partis Procurator eſſet.

XI. Nullus Procurator de facto Principalis ſui in judicio ante reſpondeat, quam ab eodem Principali plene ſuper eo fuerit informatus. Atque tunc ſub pœna perjurii, veritatem, quam accepit, reſpondere teneatur.

XII. Reſponſiones partium principalium ad poſitiones vel articulos, volumus a Judicibus noſtris in alterius partis abſentia recipi, remotis Advocatis & Procuratoribus.

XIII. Ne quæ ob defectum mandati dubitationes oriantur, nullus juxta felicis memoriæ CHRISTOPHORI, Epiſcopi Auguſtani, Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem, neque Actoris, neque rei Procuratorem agere permittatur, niſi de ſufficienti mandato legitime apud acta doceat; Conjunctæ tamen perſonæ, conſortes ejusdem litis, & reorum abſentium defenſores cum cautione de rato admitti poterunt. Sed & ſi qua alia juſta ſubſit cauſa, quare Procurator cum cautione de rato admitti debeat, in Judicum arbitrio poſitum erit admittere.

XIV. Excipimus tamen ob frequentiam cauſas debitorum, quæ propter confeſſionem rei alio proceſſu non indigent, in quibus ſufficiant inſtar mandati literæ, ſive nuntii partium, modo a Procuratoribus illæ literæ ad acta regiſtrentur, & nuntiorum nomina ſimiliter iis inſerantur; Ubi vero debita non ſunt confeſſata, ſed liquidanda veniunt, tunc Procuratores poſt primam, vel ad ſummum ſecundam juridicam, provideant ſibi de legitimo mandato, & alio modo ulterius ſe non intromittant.

XV.

XV. Procuratores singulis Juridicis mane hora octava, & post prandium circa primam in judicio compareant, nec partes instruant, ne patiantur se, donec ipsi adsint, examinari, sed non obstante negligentia tardius venientium, reliqui præsentes Procuratores debito modo procedant, & nulli sine Vicarii, vel Officialis nostri facultate a judicio absint, vel recedant, nec alios, dum absunt, quam juratos judicii nostri Procuratores, & illos quidem sufficienter instructos, ne, hoc omisso, judicium & processum causarum differre necesse sit, substituant: secus facientes arbitraria pœna mulctari volumus.

XVI. Qui Procuratores non habent, vel habere non possunt, illis Judices nostri Procuratores ex officio assignent: qui si ob timorem vel gratiam, aut partium potentiam operam suam præstare detrectarint, vel nimis magnam arrham, immodicumque salarium exegerint, Judices ad satisfaciendum officio eos compellant, eamque moderationem in arrhis, stipendiisque taxandis sequantur, ut nec litigatores graventur, nec Procuratores justa laboris sui mercede fraudentur.

XVII. In causis summariis, maxime vero matrimonialibus, in quibus simpliciter de plano ac sine strepitu & figura judicii proceditur, principales ipsi actiones & responsiones suas, per seipsos interposito juramento secundum judicii nostri stylum proponent: nisi forte legitima subsit causa, propter quam ad agendum, respondendumque Procurator admitti debeat.

XVIII. Procuratores partibus, maxime victricibus persuadeant, ut literas, & sententiam latam accipiant, ne si absque illis discesserint, majorem postea molestiam, si de sententia non probare possint, subire cogantur.

XIX. Non persuadebunt Procuratores victis, vel Judicem, vel Notarium, vel alium judicii Ministrum auctorem fuisse, quod causa ceciderint.

CAPUT VIII.

De Commissariis.

Qui hactenus fuerunt a Vicario, aut Officiali nostro deputati Commissarii ad examinandum Testes, aut in futurum etiam deputabuntur, testes vel partes in quacunque causa ante delegationem sibi specialiter factam ac præsentatam, ne examinent, audiantve, ac in examinibus sibi commissis ea diligentia utantur, ne nullitatem committant, aut testes denuo magno causarum præjudicio, nec non temporis & expensarum jactura repetendi sint, alioquin ultra refusionem sumptuum parti gravatæ continuo faciendam, contra ipsos etiam ad alias pœnas pro negotii & excessus qualitate procedetur.

CAPUT IX.

De Executionibus Processuum.

I.

Ne propter imperitiam vel negligentiam eorum, quibus processus exequendi diriguntur, partes inanibus sumptibus fatigentur, & justitia retardetur, volumus, ut nulli ad Capitulum rurale admittantur seu recipiantur, nisi præstito prius juramento, de mandatis Vicarii, & Officialis nostri fideliter exequendis.

II. Utque porro omnes & singulos processus hujusmodi, quorum vigore requisiti fuerint, absque ulla mora aut tergiversatione debito modo, tempore & loco in personas eorum, quos processus tangunt, exequantur, juxta ipsorum continentiam & tenorem.

III. Si tamen illos, quibus Executiones faciendæ sunt, abesse contingat, nec eorum Procuratores, si quos habeant, commode inveniri possint, tunc in domibus habitationum, quas communiter inhabitare consueverunt, si ad eas tutus pateat accessus, & in remotis non existant, aut in Parochialibus Ecclesiis, sub quibus degunt, aut morantur, executiones faciant, alioquin in Cathedrali nostra Ecclesia Augustana, ac alias juxta tenorem *Clement.* causam de Electi fieri volumus & mandamus.

IV. Executiones vero hujusmodi processuum in marginibus inferioribus, aut a tergo eorum cum circumstantiis, quibus factæ sunt, manibus propriis scri-

ſcribant, in modum infra poſitum, ipſosque proceſſus, exhibitoribus eorundem, ſi petierint, cum eorum executionibus, ut præfatum eſt, legitime conſignatos tradant: ſin; apud ſe illæſos cuſtodiant, ut partibus ratione proceſſuum hujusmodi & eorum executiones contendentibus, Judicibus legitima de ipſis poſſit fieri fides. Alioquin contra denegantem, ſeu recuſantem, aut negligenter ſeu malitioſe exequentem, ad condignam exceſſus pœnam procedatur, juſtitia mediante.

Forma autem Executionis in faciem factæ, talis eſt.

V.

EGo N. inſinuavi præſens mandatum ipſi reo in faciem, præſentibus N. N. juxta tenorem mandati; & tale reſponſum tuli, die, menſe, anno &c.

Forma illius, quæ in abſentia fit.

VI.

EGo N. quia N. citandi perſonalem præſentiam habere non potui, inſinuavi præſens mandatum, ad domum illius ſolitæ habitationis, præſentibus N. N. (vel) publice in Cancellis, tali die, menſe, anno, coram populi multitudine juxta ipſius tenorem.

Forma Executionis proceſſus, ſive Edicti publici, in quo trina proclamatio requiritur.

VII.

EGo N. executus ſum hoc Edictum publice pro concione, prima vice tali, ſecunda vice tali, tertia vice, tali die, menſe, anno &c.

VIII. Cum quilibet Parochorum executioni juſtitiæ gratis inſervire teneatur, volumus, ut pro Executionibus proceſſuum, præter neceſſarios ſumptus (ſi qui faciendi ſunt) nihil penitus exigatur.

CAPUT X.

De Proceſſu Judiciario.

I.

IN omnibus tam ſummariis, quam non ſummariis cauſis, citatio adhibeatur, ac legitimatio perſonarum, Judicis, actionis, rei, atque Procuratorum, ante omnia fiat: etenim niſi hæc, quaſi prima judicii jacta fuerint fundamenta, quicquid ſuperſtruxeris, corruet.

II. Fundata per citationem, & legitimationem perſonarum jurisdictione, in cauſis ſummariis, in quibus ſecundum Clementinam: *Diſpendioſam, de Judiciis*: ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu judicii & figura procedatur (quibus ſecundum ſtylum Curiæ noſtræ annumeramus cauſas, quæ decem aureos non excedunt) petitiones ac reſponſiones in ipſo litis exordio, vel ſcripto, vel verbis ſummarie fieri poterunt: ita tamen, ut ſi verbis fiant, actis inſerantur: & ſi partes nihil probare voluerint, atque jam concluſerint, extemplo ſententia fieri poterit.

III. Si vero aliquid probare, & alio modo ulterius procedere voluerint, poterunt hi termini obſervari:

Ad libellandum.
Ad reſpondendum libello.
Ad articulandum.
Ad dicendum contra Articulos.
Ad producendum omnia.
Ad dicendum contra producta.
Ad concludendum, & audiendum ſententiam diffinitivam.

IV. Hos tamen terminos omnes, ſemper obſervare neceſſe non erit; verbi gratia: quando petitiones & reſponſiones ſummarie propoſitæ fuerint, nec terminus ad libellandum, nec terminus ad reſpondendum libello neceſſarius erit.

V. Si Teſtes ſuper ſummariis petitionibus examinari debent, termini ad articulandum, & dicendum contra articulos ſupervacanei ſunt.

VI. Si factis probationibus partes concludant, non erit neceſſarium terminos ad producendum omnia, & dicendum contra producta, obſervare.

VII. In reliquis vero cauſis, in quibus non proceditur ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu judicii & figura, hi termini ſubſtantiales obſervabuntur:

Ad libellandum.
Ad reſpondendum libello.
Ad litem conteſtandam.
Ad jurandum de calumnia.

Ad

Ad articulandum.
Ad dicendum contra Articulos.
Ad producendum omnia.
Ad dicendum contra producta.
Ad concludendum, & audiendum sententiam definitivam.

VIII. In omnibus terminis tam substantialibus, quam non substantialibus, Vicarius, vel Officialis noster, arbitrio suo, secundum locorum distantiam ac negotii qualitatem, dilationes dare poterunt.

CAPUT XI.

De Appellationibus.

I.

IN Appellationibus hoc observent Procuratores, ut cum nullam spem victoriæ superesse vident, partibus, ut appellent, ne persuadeant.

II. Quod si appellandum sit, alternative non appellent; si vero alternative appellaverint, intra decem dierum spatium, a die interpositæ appellationis, Judici, a quo appellant, significent, coram quo appellationem prosequi velint, quod, nisi fecerint, appellatio eo ipso deserta sit.

III. Insuper ad præcavendas temerarias appellationes pars appellans, sub eadem desertionis pœna teneatur a die interpositæ appellationis, intra mensis spatium, cum Notario judicii super edendis copiis Actorum in forma authentica transigere, atque mediam partem conventi salarii statim in prompta pecunia persolvere, & de residuo præstando judicialem cautionem interponere, sive appellationem prosequatur, sive non: prout etiam quemlibet appellantem, non aliter ad appellandum admitti statuimus, nisi juret se tantum ob fiduciam justæ suæ causæ, & non ad differendam calumniose litem, appellare.

IV. Caveant præterea tam Partes, quam Procuratores, quod omnino fieri prohibemus, idque sub pœna viginti florenorum, & aliis arbitrariis infligendis, ne causas Ecclesiasticas, sub quocunque prætextu ad sæculare judicium trahant, & multo minus ad quoscunque tales illegitimos Judices appellent, sive in scriptis, sive viva voce, sive judicialiter, sive extrajudicialiter, cum hæc sacris Canonibus, & immunitati Ecclesiasticæ maxime repugnent.

CAPUT XII.

De Simonia.

I.

QUam grave & detestandum crimen Simonia sit, non solum sacri Canones, sed etiam Imperiales Constitutiones testantur. Quamobrem Patrum sequentes vestigia, sacrorum Ordinum, Beneficiorum Ecclesiasticorum, Sacramentorum & Sacramentalium qualescunque emptiones, & venditiones, & omnem omnino Simoniam, quocunque etiam illa nomine vocetur, sub pœnis in sacris Canonibus comprehensis, in Diœcesi nostra prohibemus & abrogamus.

II. Ad evitandam omnem avaritiæ & Simoniæ non modo maculam, sed & suspicionem, volumus, ut Notarii nostræ Diœcesis, quibus salarium certum constituemus, pro literis Dimissoriis, aut Testimonialibus nihil prorsus accipiant, nedum decimam aurei partem, quam Concilium Trid. iis permittit, quibus pro officio exercendo, nullum est certum salarium constitutum.

CAPUT XIII.

De Usuris.

I.

MAnifesti Usurarii, juxta Constitutionem Lateranensis Concilii, nec ad Communionem Altaris admittantur, nec oblationes eorum vel eleemosynæ recipiantur, nec Christiana sepultura (si in hoc peccato decesserint) donentur. Manifestum autem usurarium eum declaramus, qui per sententiam vel confessionem in judicio factam, aut aliter per rei evidentiam, quæ nulla tergiversatione celari potest, usurarius esse comprobatur.

II. Mandamus insuper Constitutionem de iisdem usurariis in Concilio Lugdunensi editam, quæ incipit: *Quanquam usurarii*, singulis annis in Quadra-

gesima Dominica: *Judica* pro concione per Parochos publicari, atque ab omnibus inposterum quam diligentissime observari. Verba autem Constitutionis sunt hæc.

III. "Quanquam usurarii manifesti " de usuris, quas receperunt, satisfieri " expressa quantitate, vel indistincte " in ultima voluntate mandaverint: " nihilominus tamen eis Ecclesiastica " sepultura denegetur, donec de usuris " ipsis fuerit (prout patiuntur facultates " eorum) plenarie satisfactum, " vel illis, quibus facienda est restitutio, " si præsto sint ipsi, aut aliis, qui " eis possint acquirere, vel, eis absentibus, " loci Ordinario, aut ejus vices " gerenti, sive Rectori Parochiæ, in qua " testator habitat, coram aliquibus fide " dignis de ipsa Parochia (quibus quidem " Ordinario, Vicario, & Rectori, " prædicto modo, cautionem hujusmodi " eorum nomine, liceat præsentis " Constitutionis auctoritate recipere, " ita quod illis perinde actio acquiratur) " aut servo publico, de ipsius " Ordinarii mandato, idonee de restitutione " facienda sit cautum. Cæterum " si receptarum usurarum sit quantitas " manifesta, illam semper in cautione " prædicta exprimi volumus: " alioquin aliam recipientis cautionem " hujusmodi arbitrio moderandam, ipse " tamen scienter non minorem, quam " verisimiliter creditur, moderetur: &, " si secus fecerit, ad satisfactionem residui " teneatur. Omnes autem Religiosos, " & alios, qui manifestos usurarios " contra præsentis Sanctionis formam " ad Ecclesiasticam ausi fuerint " admittere sepulturam, pœnæ Lateranensis " Concilii contra Usurarios promulgatæ, " statuimus subjacere. Nullus " manifestorum usurariorum testamentis " intersit, aut eos ad confessionem " admittat, sive ipsos absolvat, " nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo " pro suarum viribus facultatum " præstent (ut præmittitur) idoneam " cautionem. Testamenta quoque " manifestorum usurariorum aliter " facta non valeant, sed sint irrita " ipso jure."

CAPUT XIV.

De Pœnis.

I.

NE vero quisquam temere has nostras Constitutiones transgrediatur, statuimus; ut quibus casibus vel Jure communi, vel Statutis nostris Synodalibus certæ aliquæ pœnæ constitutæ sunt, illæ sine omni remissione infligantur, nisi causa accedat, propter quam mitigari debeant. Quibus vero casibus nullæ pœnæ vel Jure communi, vel nostris Decretis Synodalibus statutæ sunt, vel Nos, vel Vicarius noster arbitrariam pœnam, pro personarum & transgressionis qualitate, statuemus.

CAPUT XV.

De Sententia Excommunicationis.

I.

PRimo sententias Excommunicationis, suspensionis, & interdicti, sive ab homine, sive a Canone latas, a nemine prorsus cujuscunque ordinis vel conditionis negligi, aut contemni, vel earum executionem, publicationemve impediri volumus. Contra eum, qui secus fecerit, ad pœnas Canonicas procedemus.

II. Excommunicatos porro postquam denuntiati sunt, & notorios Clericorum percussores, nec ad Sacramenta Ecclesiastica, nec ad Divina Officia ante absolutionem legitime obtentam quisquam admittat: absolutio autem neque a Nobis, neque a Judicibus nostris prius dabitur, quam, qui excommunicatus est, Ecclesiæ, & cui injuria vel damnum eo nomine illatum est, fecerit satis.

III. Vicarius, ac Officialis noster, & omnes, qui in Diœcesi nostra jus excommunicandi habent, levibus ex causis, excommunicationis sententiam contra neminem ferant, serventque in causis judicialibus & criminalibus, quod Concilium Trident. statuit: ut, quandocunque executio realis, vel personalis, in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, potius per mulctas pecuniarias, quæ piis locis ibi existentibus eo ipso, quod exactæ fuerint, assignentur, seu per pignorum

norum captionem, perſonarumque diſtrictionem per ſuos proprios & alienos Executores faciendam, ſive etiam per privationem Beneficiorum, & alia juris remedia, quam per cenſuras Eccleſiaſticas & interdicta procedant. Sæcularis autem Magiſtratus Eccleſiaſticum Judicem in ferenda excommunicatione ne impediat, aut latam ab eo revocari mandet.

IV. Quantum vero ad facultatem abſolvendi excommunicatos attinet, qui propter caſus Summo Pontifici, vel Nobis reſervatos in majorem excommunicationem inciderunt: alibi monuimus Parochos & Confeſſarios omnes, ut in hujusmodi caſibus neminem ſine ſpeciali facultate, & commiſſione temere abſolvant: ſed ad Superiores, vel alioqui legitimam abſolvendi poteſtatem habentes, ejusmodi pœnitentes remittant.

Cl. Lünig Spicil. Eccleſ. Contin. II. a pag. 381. *ad pag.* 433.

HENRICUS a Knöringen, Synodi hujus ab illa, quam ante annos quatuor & quadraginta, Dilingæ varias ob tempeſtates, ex novitio Lutheri dogmate ortas, perque viſcera Germaniæ ſenſim diffuſas, Otho Truchſeſius, Cardinalis (*vid. Tom. VII. CC. pag.* 213.) ultimam celebravit, nec tractatarum in ea rerum ordine, nec partium numero, immo nec ipſorummet multis in locis verborum tenore differentis auctor, ex Equeſtri & libera Imperii nobilitate V. hujus nominis Auguſtanus Epiſcopus, natus anno 1570. Non. Febr., atque inter Canonicos Auguſtanos a. 1586., inter Elvacenſes a. 1598. cooptatus, mitram Epiſcopalem tulit a. 1599. Idibus Junii.

Antiſtes erat in DEUM & Divos piiſſimus, Mæcenas literarum inſignis, Diœceſin ſuam uti in avitæ Religionis officiis continendi, ita novis Epiſcopatum augendi terris ac fortunis Vir oppido ſtudioſus.

Murum ſe pro domo Dei ac Religione (*inquit P. Corbin. Khamm, funebre recitans Henrici elogium, in Hierarch. Auguſt. P. I. Sect. X. pag.* 394.) oppoſuit immobilem, honori & cultui Divino amplificando ubique intentus. Ab omni luxu, faſtu, vindicta alienus, beneficentia, comitate, ingenio, conſilio, eloquio, aliisque dotibus, dignis Principe, omnium in ſe animos, etiam ſenex, rapuit ac retinuit.

Pedo vix arrepto, omnes illico curas, cogitationesque eo vertebat, ut boni Paſtoris partes quam accuratiſſime expleret. Emendare Cleri, populique mores, vitia exſcindere, pietatem promovere, in orthodoxa confirmare gregem univerſum fide, totis adlaborabat viribus; rei interim œconomicæ non oblivifcens: Otilienbergenſi enim Dynaſtia cum caſtris adjacentibus & pagis coëmpta, variisque decimis jura Epiſcopalia ampliavit.

Anno 1606. Dilinganam Academiam, ab Epiſcopo & Cardinali laudatiſſimo, Othone Truchſeſio, Societati noſtræ olim commiſſam, penes ejusdem Societatis homines perpetuam eſſe voluit, clementiſſimeque, ut fundationis Literæ exprimunt, pro ſingulari ſuo in Muſas amore, & benevolo in nos ſtudio decrevit.

Eodem vel 1608., anno item 1614. ſacras Reliquias, quotquot Auguſta Vindelica ſuos intra muros veneratur (veneratur autem id genus theſauros quam plurimos) in Æde ſumma oſtendi publice, ac ſingillatim, quæ & cujus forent, declarari juſſit.

Auguſtiſſimis Imperatoribus Rudolpho II. & Matthiæ: illi a. 1612.; huic a. 1619.; eodem etiam anno pientiſſimæ Matthiæ Conjugi, Annæ Imperatrici, Ducique Maximiliano, Tyrolis Domino, Ord. Teuton. Magiſtro parentavit.

Anno 1622. SS. Ignatium & Franciſcum Xaverium magnis in Eccleſiam meritis & miraculis illuſtres, faſtisque Sanctorum a Gregorio XV. P. M. adſcriptos, ſolenni per urbem ſupplicatione inſtituta, & peracto, quo ritu potuit, ſacro Officio, mira religione, pulcherrimoque exemplo Præſul integerrimus, ſolennitatis pars maxima, venerabatur.

Alia aliis annis cum laude geſſit, quæ, ne longior ſim, ſciens prætereo. Legi illa in cit. Khammio, qui & concinnas de hac Synodo habet ephemerides, poterunt.

Florentem relinquens Diœceſin, Henricus obiit Dilingæ VII. Cal. Julii anno Chriſti MDCXLVI., Ætatis ſeptuageſimo ſeptimo, Pontificatus octavo ſupra quadrageſimum. Funus ad Templum PP. Societatis JESU elatum, ibique ad altare S. Michaëlis Archangeli reconditum fuit. *Vide de eo P. Corbin. Khamm l. c., Bucelin. in German. Sac. P. I. pag.* 13. *& P. Ign. Agricol. in Hiſt. Prov. Germ. Sup. P. III. ab Adamo Flotto contin. Decad. VII.*

SYNODUS WARMIENSIS DIOECESANA,

Eodem Anno Christi MDCX. (*) MENSE NOVEMBRI,

Sub SIMONE RUDNICKY, (**) XXV. Episcopo.

SIMON RUDNICKY, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS gratia Episcopus Warmiensis,

UNIVERSO CLERO DIOECESIS NOSTRÆ SALUTEM.

SYnodum Diœcesanam Divina cooperante gratia nuper absolvimus, in qua inter alia, quæ vestræ spiritualis utilitatis causa acta sunt, nonnulla quoque ex instituto sunt decreta, quibus morum, Christianæque disciplinæ restitutionem, prosecuti sumus. In iis sicuti Paternam erga vos pietatem, & debitam aliquam Pastoralis officii Religionem animadvertere potestis; ita iisdem accurate amplectendis, præstare vos debetis, quod vestrum est. Sicut enim in his Decretis nihil aliud Nobis propositum fuit, quam DEI gloria, & vestra salus; ita nihil optatius esse potest, quam ut ita serventur, ut pœnis, quæ delinquentibus sunt propositæ, nullus locus relinquatur, magisque in agendo, vestra Religio & probitas (qua una vel maxima voluptate noster compensabitur labor) quam nostra in decernendo diligentia commendetur. Quare efficite, ut, quanto maximo potestis, amoris, obedientiæque studio illa ipsa non suscipiatis solum, sed ita servetis omnino, quo magis indies, & nostrarum Episcopalium vigiliarum, laborumque fructus constet in vobis, quibus in Christi visceribus solicite ministramus; & Diœcesis hæc, salutaribus aucta disciplinæ institutis, fructus afferat uberiores in Domino, a quo vobis assidue precamur Christianarum virtutum perfectionem, & salutem sempiternam.

Datum ex Arce nostra Heilsbergensi Calendis Maji anno MDCXII.

De Fidei Catholicæ tuendæ cura.

SI quo in loco de Fide Romana Catholica tuenda & propaganda cura, cogitatioque suscipienda est, sane in hoc Episcopatu nostro, vel maxime, qui intra viscera Prussiæ Ducalis diversarum hæresum morbis ad desperationem usque laborantis constitutus, tanto fortioribus indiget auxiliis, & præservativis, quanto vicinum malum periculosius semper esse consuevit.

Cum itaque *sine Fide* illa, quam, ut supra meminimus, S. R. Ecclesia colit, atque docet, *impossibile sit placere DEO*, (***) adeoque prima & maxima Pastorum cura in his consistat, quæ ad eandem integre & inviolate conservandum pertinent.

Nos ab iisdem etiam salutis nostræ fundamentis, fideique Catholicæ professione (quam omnes & singuli tam Præ-

(*) Epocha hæc anni 1610. cum alia 1612. Synodo præfixa componi posse videtur, si Synodus habita prius fuisse, sed biennio post impressa scribatur.

(**) "SIMON RUDNICKY, Secretarius Major Regni, anno 1604. Tylicio successit in " Episcopatu Varmiensi. Interfuit multis negotiis, ad Prussiam Ducalem perti- " nentibus. . . E vivis excessit a. 1624." Hæc de illo *Christophor. Hartknockius* in *Dissertatione XIV. de Origine Religion. Christian. in Prussia. pag.* 221. Scripsit *Thomas Treterus* Custos Canon. Varmiens. ad usque *Andr. Bathoreum* XXIII. Varm. Episcopum.

(***) Ad Hebræos XI, 6.

Prælati, quam Canonici, aliique Presbyteri & Clerici huic Synodo interessentes,in manibus noſtris fecerunt) Sacroſanctam hanc Synodum Spiritu Sancto duce, ordientes, cupientesque, ut quæ ex eodem Spiritu eſt fides, eandem una oris confeſſione omnes prædicent, tueantur, atque defendant, inprimis, & ante omnia Oecumenici Concilii Tridentini veſtigiis inhærentes, diſtricte ſingulis hujus noſtræ Diœceſis Clericis, præſertim vero iis, qui in ſortem ſolicitudinis noſtræ vocati, prædicationi verbi Dei præſunt, præcipimus & mandamus, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem fidei & doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem ſemper tenuit & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum ſanctarum, vel etiam contra unanimem conſenſum Patrum interpretari audeat, vel præſumat.

Sed quia parum eſt, verum atque genuinum Divinarum Scripturarum ſenſum ad præſcriptum Sanctæ Matris Eccleſiæ, & unanimem Patrum conſenſum retinuiſſe,prædicaſſeque, niſi etiam zizania, quæ ſegetem agri Dominici ad meſſem uſque excreſcere non permittunt, evellantur,atque eradicentur: eapropter Parochi & Paſtores Eccleſiarum noſtarum ſolicite attendere & animadvertere debent, an in ſuis Parochiis aliqui ſint pravis hæreticorum opinionibus imbuti, aut etiam hæreſis nomine quomodolibet ſuſpecti, libros hæreticos clam vel publice retinentes atque legentes, conventicula hæreticorum frequentantes, & apud eosdem communicantes,vel etiam actus quosvis Religioni Catholicæ contrarios facientes. Tales enim ad Nos absque mora deferre teneantur, & ſint adſtricti.

Porro Magiſtratibus civitatum noſtrarum ſerio mandamus atque præcipimus, ut ſi quos inter ſe ejus farinæ homines, perverſa loquentes atque docentes ſubolfecerint, tamquam publicos Eccleſiæ Catholicæ hoſtes & ſcandaloſos e civitatibus ſuis authoritate noſtra mediante, ſub pœna centum aureorum Ungaricorum irremiſſibiliter perſolvendorum amoveant, domiciliumque ſuum quocunque voluerint intra unius dimidii anni ſpatium a die publicationis Conſtitutionum harum noſtrarum numerando, transferri faciant, & impoſterum ſub eadem pœna ad inhabitandum absque ſcitu noſtro non admittant.

Quod ſi qui reperti fuerint,qui eos noſtra licentia non requiſita in ædes ſuas aut recipere, aut domos proprias ad inhabitandum elocare auſi fuerint, eos ſimilibus atque etiam gravioribus pœnis pro arbitrio noſtro puniendos eſſe decernimus.

Verum enimvero cum in tanta hæreticorum undequaque Diœceſim hanc obſidentium frequentia poſſibile vix ſit, communia eaque publica mercimonia absque gravi diſpendio, & Epiſcopatus & ſubditorum noſtrorum vitari, aut interdici; Civit. ſaltem Præfectos, Magiſtratus & Cives jurisdictioni noſtræ ſubjectos paterne pro debito officii noſtri non ſolum hortamur, verum etiam per viſcera miſericordiæ Chriſti Domini noſtri obteſtamur, ut cœleſte lucrum terrenis & temporalibus commodis præferentes, commercium & conſuetudinem eorum, pro ſua erga Religionem Catholicam pietate & ſtudio, tanto moderatiorem ſemper habeant, quanto certius eſt, modico fermento totam maſſam corrumpi, adeoque ab una ove morbida totum ovile facile inſici.

Sed & eundem Magiſtratum, una cum populo ſibi ſubjecto monitos diligenter eſſe volumus, ne ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis, liberos ſuos, prout ab Anteceſſoribus noſtris laudabiliter Synodicis Conſtitutionibus decretum fuit, ſive linguæ peregrinæ addiſcendæ, ſive mercatuæ exercendæ, ſive alio quovis titulo, etiam ſerviendi cauſa, vel ad Scholas, vel ad quævis loca hæretica absque noſtra, vel loci Parochi licentia mittere audeant.

Quod ſi quis huic noſtræ monitioni contravenire auſus fuerit, ipſe mittens, ſi in aliqua dignitate conſtitutus fuerit, ab eadem decidat: miſſus

M 3 vero,

vero, præclusum sibi aditum omnem ad dignitates & honores sciat, salvis nihilominus pœnis, quam arbitrio nostro pro modo contumaciæ & delicti infligendis.

Id, quod Magistratibus & Civibus tanquam laicis facere non licet, majori sane cum diligentia & solicitudine Clericis est vitandum, atque cavendum.

Proinde quæ a Prædecessoribus nostris pie instituta sunt, & ordinata confirmantes, interdicimus Sacerdotibus, maxime vero Parochis Ducatui vicinioribus, ne quam cum hæreticis, præsertim ministris, familiaritatem, aut consuetudinem habeant, multo vero minus de aliquo Religionis articulo cum ipsis disceptent, quin imo convictum, compotationes, &, si commode fieri potest, etiam colloquia eorum (ne, ut S. Joannes Apostolus dicit, operibus ipsorum malignis communicare videantur) perquam diligentissime evitare studeant.

Neque vero nos latet, inter cætera Catholicæ fidei tuendæ impedimenta, temeritas atque audacia Bibliopolarum quorundam tam intra, quam extra Diœcesim nostram existentium, quippe qui spretis & contemptis laudabilibus Prædecessorum nostrorum institutis, nullum finem faciunt, clam & furtive libros hæreticos in Episcopatum nostrum invehendi, merces suas putridas, pro solidis & selectas venditantes, atque sub specie mellis, fel æternæ amaritudinis populo simplici propinantes: eos itaque, ut severiori pœna & animadversione in officio contineamus, inhærentes Synodicæ Constitutioni felicis recordationis Domini Martini Cromeri, (*) eamque meliorantes præcipimus atque mandamus, ne qui libri in Diœcesi nostra a quibuscunque Bibliopolis venum exponantur, sive id intra, sive extra nundinarum tempus fit, ni prius a Parocho loci revisi, & diligenter ad indicem librorum prohibitorum examinati fuerint. Qui etiam Bibliopolas sub pœna amissionis omnium librorum serio monebunt, ut si quos aut hæreticos, aut de hæresi suspectos libros habent, in lucem non proferant, multo vero minus vendere audeant, sed omni prorsus fraude cessante, sub bona custodia & sigillo tantisper apud eos deponant, donec eis alio commigrandum erit. Quod si Parochi cognoverint Bibliopolas alia via, quam ipsis præscripta fuit, incedere, remque dolo non vacare, temeritatem hanc Præfectis locorum, aut Magistratibus indicabunt, qui delinquentes confiscatione librorum omnium mulctabunt, remque primo tempore Nobis significabunt.

Ad eos autem, qui artem librariam in Diœcesi nostra exercent, quod attinet, volumus, ut libros, quos aliunde in Episcopatum ducunt, vel importari faciunt, venales nullo pacto exponant, nisi indice suorum librorum confecto, & a Nobismet ipsis, vel a loci Parochis, vel a Patribus Societatis JESU, a quibus librorum recognoscendorum curam geri volumus, subscripto.

Quod si alios hoc indice non notatos habere, vendere, vel exponere ausi fuerint, rei veritate comperta, omnibus libris tam indice notatis, quam etiam suppressis privabuntur.

Et cum non solum turpe, verum etiam impium sit, Catholicam Religionem verbis profiteri, factis autem atque exemplis negare, & eidem contradicere (id quod Bibliopolæ quidam faciunt, qui cum Catholicos se esse jactitent, & pro talibus haberi velint, libros tamen hæreticos nundinatim clam vendendos circumferunt, & hæreticis emendos exponunt, arma eisdem contra Catholicos suppeditantes) Nos temeritatem hanc atque audaciam ea, qua par est, severitate coercere cupientes, decernimus eum, qui hoc fecisse deprehensus & convictus fuerit, pœnis inprimis Cœnæ Domini super hujusmodi fulminatis subjacere, & ab officio librariam exercendi, absque ulla spe restitutionis in integrum amovendum esse.

Denique Impressoribus tam præsentibus, quam futuris, modum, prout par est, imponere volentes, considerantesque eos, spe sola lucri, & sordidæ avaritiæ studio indifferenter quædam absque ullo delectu, aliquando tacito,

(*) Vid. Tom. VII. CC. pag. 797.

tacito, aliquando etiam ementito prælo, & sine nomine authoris, atque licentia nostra, vel Reverend. Societatis JESU Patrum Collegii nostri Brunsbergensis, vel quibus censura librorum a Nobis commissa est, in lucem edere, statuimus atque decernimus, ut nulli imprimere inposterum sub pœna anathematis & pecuniæ in Canone Concilii Lateranensis novissime imposita liceat, vel imprimi facere quosvis libros, præsertim vero sacros, neque etiam impressos vendere, vel apud se retinere, ni primum a Nobis, vel dictis Censoribus nostris examinati & approbati fuerint.

Cæterum ut Parochi, quinam libri prohibiti, qui vero ab Ecclesia Catholica approbati & recepti sint, tanto evidentius scire possint, regulas indicis de libris vetitis ab iis, qui illi negotio a Sancto Tridentino Concilio præfecti fuerunt, authoritate PII IV. editas, postmodum vero a SIXTO V. auctas; & jussu CLEMENTIS VIII. recognitas atque publicatas, legi atque observari ab eisdem diligenter volumus.

Ea vero, quæ de opificum sociis, mercenariis, & aliis vagabundis atque solutis, utriusque sexus hæreticis hominibus ab Antecessore nostro pie defuncto MARTINO CROMERO salubriter constituta & ordinata sunt, grata & rata in omnibus punctis & clausulis habentes, volumus etiam, ut ejusmodi opifices a subditis nostris magna cum discretione & delectu recipiantur, neve dum Catholici haberi possunt, hæretici illis præferantur, qui tamen si in defectu Catholicorum omnino ad labores admittendi sint, & sex mensibus ante tempus Paschale moniti, nihilominus converti noluerint, neque ulla spes conversionis affulgeat, omnino expediantur, & dimittantur.

Ad reprimendam porro impiorum hominum temeritatem potius, quam levitatem, qua in tabernis, & aliis ad compotandum conventiculis ad profana quæque convertuntur atque torquentur verba sacræ Scripturæ & sententiæ; ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias & diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos Sacrosancto Oecumenico Concilio Tridentino dictante mandamus, atque sub gravibus juris & arbitrariis pœnis districte præcipimus, ne de cætero quisquam, cujuscunque status & conditionis sit, quomodolibet verba sacræ Scripturæ ad hæc & similia audeat usurpare, cum ea, quæ a Spiritu Sancto dictata sunt, os impurum temerare minime debeat.

Cantilenarum Germanicarum, ab Ecclesia probatarum, & receptarum usum non rejicimus. Quia tamen, quæ parce fidelibus a Sancta Matre Ecclesia utenda permissa sunt, in abusum & contemptum passim abeunt, ita ut non solum in conviviis & viis publicis, verum etiam in tabernis (incalescente præsertim cerebro) plures, quam in Ecclesiis, eæque hæreticæ, & amatoriæ cantiones declamentur: Nos abusum hunc adinstar Prædecessorum nostrorum Cardinalis HOSII & CROMERI improbantes, districte mandamus, ut si qui peregrini cantilenas prohibitas tam in oppidis, quam in villis cantare inventi fuerint, comprehendantur; si vero incolæ Parochiani fuerint, per Officiales nostros ad Nos debita pœna coercendi & puniendi deferantur.

Detestabile quoque blasphemiæ scelus, quod adeo altas jam apud Christianos (proh dolor) radices fixit, ut in eo coercendo, vix satis diligentiæ adhiberi posse videatur, ex finibus Diœcesis nostræ, quantum in Nobis est, & auxiliante Domino possumus, eliminare cupientes, Parochis inprimis mandamus, ut ejus peccati gravitatem populo frequenter inculcent, & quibuscunque tantum possunt comminationibus ab eo absterreant, tum Magistratibus per Dei gloriam, quæ blasphemia maxime violatur, præcipimus, ut in ejusmodi homines, ea, qua par est, severitate animadvertant, nec quidquam de rigore juris & justitiæ eo casu remittant, uberrimam a DEO Optimo Maximo, cujus causa agitur, præter decem annorum Indulgentias, quas LEO X. in Lateranensi Concilio & ipsis, & Judicibus, & deferentibus est largi-

largitûs, mercedem relaturi. Quod si, quod minimum futurum speramus, blasphemiæ alicujus convictos, justis pœnis non affecerint, sciant se iisdem, quas de sontibus sumere neglexerunt, ex præmemorato Concilio teneri.

Porro, ut omnibus Officialibus, Præfectis, Magistratibusque nostris innotescat, quibus potissimum pœnis ejusmodi blasphemi in Deum & Sanctos afficiendi sint, placet textum ex Bullario PII V. *de Blasphemantibus* hic inserere; sic enim habet : " Ad abolen-" dum vero nefarium & execrabile " blasphemiæ scelus, quod in antiqua " lege Deus morte puniri mandat, & " Imperialibus quoque legibus recep-" tum est, nunc autem propter nimiam " Judicum in puniendo segnitiem, vel " potius desuetudinem, supra modum " invaluit, LEONIS X. Prædecesso-" ris nostri in novissimo Lateranensi " Concilio Statuta innovantes, decer-" nimus, ut quicunque laicus Deum, " & Dominum nostrum JESUM Chri-" stum, vel gloriosam Virginem MA-" RIAM ejus Genitricem expresse blas-" phemaverit, pro prima vice pœnam " viginti quinque Ducatorum *Ungarico-" rum* (*) incurrat, pro secunda, pœna " duplicabitur, pro tertia autem cen-" tum Ducatos solvet, & ignominia " notatus, mulctabitur. Si (**) vero ple-" bejus fuerit, nec erit solvendo, pro " prima vice, manibus post tergum li-" gatis ante fores Ecclesiæ constitue-" tur per diem integrum, pro secunda, " fustigabitur per urbem, pro tertia, " lingua ei perforabitur, & mittetur " ad triremes.

" Quicunque Clericus in hoc " blasphemiæ crimen incurrerit, pro " prima vice, fructibus unius anni om-" nium, & quorumcunque Beneficio-" rum suorum, pro secunda, Beneficiis " ipsis privetur, pro tertia, omnibus " etiam dignitatibus exutus deponatur, " & in exilium mittatur.

" Qui reliquos Sanctos blasphe-" maverit, pro qualitate blasphemiæ " atque personæ, arbitrio Judicis pu-" niatur."

Quantum autem in Religione stabilienda atque augenda, laboris ponendum est, tantum in superstitione ex hominum mentibus evellenda curæ ac diligentiæ est imponendum. Quare veneficia, incantationes, fascinationes, præstigiæ, auguria, sortilegia, somniorum interpretationes, divinationes, futurorum prædictiones, furtorum commonstrationes, chartulæ, amuleta, characteres, vetularum corporibus humanis & brutorum medendis intendentium, superstitiosæ ac vanæ Numinis Divini, & Sacrosanctæ invocationes, signique sanctæ Crucis abusus, nec non magicæ artes, quæ fundamento salutis nostræ, fideique Christianæ repugnant, & ab Ecclesia prohibitæ sunt, ut e Diœcesi nostra exterminentur, & ex fidelium mentibus eliminentur, frequentes hac de re in quavis Ecclesia per Parochos & Concionatores habeantur sermones, atque ab iis idololatricis superstitionibus mentes fidelium avocentur, diligenter laboretur.

Quare si quod ejusmodi superstitionum genus in suæ Parochiæ hominibus advertunt, id semper ad Archi-Presbyterum suum, vel verbo, vel scriptis referant, ut ei rei oportune occurri possit. Confessarii quoque diligentes in eo genere se præstent, investigentque, num pœnitentes aliquod remedium valetudini aut vulneribus adhibeant, quod non a medica arte aut cognitione, sed a superstitione proficiscatur, tum præterea, num tempora, aut loca, aut quid ejusmodi superstitiosa opinione observent, & quos ea in re peccare animadverterint, graviter reprehendant, & ab ejusmodi vano sensu atque errore avertere conentur.

De Fide Catholica promovenda, & Fidei Christianæ rudimentis a Parochis tradendis.

CONstitutis pro tempore & necessitate occurrente iis, quæ de studio tuendæ Catholicæ Religionis necessario statuenda esse videbantur, consequens est, ut de eadem propaganda & dilatanda nonnulla adjiciamus. Cum ita-

(*) Hæc vox in Bullario non legitur.

(**) Bullarium habet: *Qui.*

itaque rudimentorum Fidei Christianæ tanta sit necessitas, ut ab iis, tanquam a fundamentis Religionis nostræ, universorum hominum salus dependeat, ante omnia Parochis nostris serio mandamus & præcipimus, ut singulis saltem diebus Dominicis pueris in suis Parochiis tempore æstivo, a Paschate videlicet usque ad Festum S. Michaelis, initia fidei tradant, eosque ad obedientiam primum Deo, deinde parentibus præstandam erudiant, ac propterea a prandio stata hora, proprio campanæ sono ad id munus assignato, ad Ecclesiam convocandos curent. Quod si qui venire neglexerint, a Scholastico diligenter notati, pœnis in mandato felicis recordationis Antecessoris nostri Domini MARTINI CROMERI, de non frequentantibus Templum publicato, expressis ad id urgeantur & compellantur.

Deinde cum in hac tota Diœcesi nostra vix binæ, aut ad summum ternæ rudimentorum fidei Scholæ erectæ & fundatæ esse inveniantur, fideles dilectos Nobis populos, maxime vero eos, quibus DEUS Optimus Maximus pro singulari sua benignitate, largiori benedictione in temporalibus providere dignatus est, pio, paternoque affectu monemus, ut induti viscera misericordiæ, æternaque temporalibus, terrenis cœlestia permutantes, de bonis a Deo sibi concessis, in hoc tam pium ac plane necessarium opus, inter alia legata aliquid seponant, lectionesque Catechisticas in Parochiis suis erigant, vel per alios erigi faciant, memoriam Nominis sui sempiternam relicturi in terris, mercedem vero sine fine duraturam, cum lucro plurimarum animarum habituri in cœlis.

Etsi enim, ut paulo ante meminimus, ad salutem omnibus fidelibus plane necessarium sit, Christianæ fidei rudimenta nosse; maxime tamen hujus Provinciæ populis, qui hæreticis finitimi, nisi in fidei fundamentis firmi fuerint, ac stabiles, summopere verendum est, ne forte quotidiana eaque diuturna cum ipsis conversatione, in aliquam impietatis ac nefariæ doctrinæ fraudem gravius impingant. Qua in re quamvis Antecessores nostri omnem lapidem movere non destiterint; quam tamen parum, non sua, sed aliorum negligentia, profecerint, nostro magno cum dolore ex præterita visitatione didicimus. Verum ne & Nos quidquam de fervore eorundem remisisse hac in parte videamur, partim negotii, partim periculi magnitudine adducti, præter ea, quæ superius dicta sunt, sequentia quoque hujus Synodi authoritate decernimus, & Parochis observanda præcipimus.

Primo, ut singuli animarum Curatores, cæterique Confessarii, sive sæculares, sive Regulares, antequam confessiones audire incipiunt, a pœnitentibus incognitis, signum sanctæ Crucis formari, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam cum appendice Sancta Maria, Symbolum item fidei, & decem Præcepta recitari sibi faciant. Et si quos hac in re ignaros, rudesque offenderint, hanc eorum spiritualem socordiam acriter reprehendant, ostendantque, quam gravis esse debeat earum conscientiæ ignoratio rerum, quæ ad salutem tantopere necessariæ sunt.

Secundo, ut cum eos absolvunt, præter alias pœnitentias, & actiones satisfactorias, id etiam imponant, ut quatuor hæc saltem potissima doctrinæ Christianæ capita, imposterum accurate addiscant, certo illis pro arbitratu suo, præfinito congruo tempore, quod tamen ob necessariam aliquam causam semel, aut ad summum iterum prorogari liceat. Quod si qui semel ita admissi, ad Sacramentum Pœnitentiæ nihilominus postea in rudi hac, crassaque ignorantia persistere compertum erit, de iis ad Nos referatur, antequam amplius admittantur, ut illorum saluti diligentius & efficacius, prout in Domino expedire viderimus, consulamus.

Tertio, ut animarum Curatores, & Concionatores diebus Dominicis & Festivis finita concione, clara voce, & disertis, distinctisque verbis, quæ facile ab omnibus exaudiri possint, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolicum, & decem

decem Præcepta cum Præceptis Ecclesiæ, adjuncta Confessione generali recitent, simulque universos, qui adsunt, hortentur, ut eadem verba, quibus ipsi præibunt, illi etiam simul referant, & intelligibili voce repetendo replicent, atque resumant.

Quarto, ut semper unam concionis partem ex Evangelio occurrentis temporis, alteram ex Catechismo Romano ad Parochos, prout materia & occasio, auditorumque qualitas postulaverit, faciant.

Quinto, ut Scholas singulis annis bis ad minus visitent, videantque, an pueri a Ludirectoribus fideliter & diligenter ac frequenter in septimana in rudimentis fidei instituantur.

Sexto, ut, ubi commode fieri potest, doctrinam Christianam in Ecclesiis coram populo recitari faciant, Parocho ipso, vel ejus Vicario præsente, atque hæc, quæ recitaverunt, uberius ad captum populi declarante.

Septimo, ut moneant patres & matres familias, ut singulis diebus mane cum liberis, &, si fieri potest, etiam cum familia sua Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam &c. Symbolum Apostolorum, decem Præcepta, & Confessionem generalem signo Crucis præmisso, recitent.

Octavo, ut gravibus & disertis verbis ultionem Divinam, tam Dominis, quam patribus & matribus familias denuntient, qui nulla, aut saltem parva diligentia adhibita, omnem rationem non ineunt, ut sui liberi ac famuli Christianam doctrinam addiscant, neque eis, quos in famulatu habent, tantum diebus Dominicis & Festivis saltem vacui temporis concedunt, quo in Ecclesias ad eam percipiendam convenire possint; gravissimam DEO Optimo Maximo rationem aliquando propterea reddituri, Apostolo dicente, Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.

Porro ii, qui Seminarii nostri Diœcesani pro tempore sunt, & erunt Præfecti, præ oculis semper mentem & intentionem Fundatoris habeant, eoque omnium ibidem degentium vitam, mores & studia dirigant, ut armis spiritualibus contra hæreticos, maxime vero rudimentorum fidei sufficienter instructi, Ecclesiæ Dei & huic Diœcesi digne inservire possint; eosdem Præfectos in Domino hortantes & obsecrantes, ut laudabilem illam consuetudinem, huc usque observatam, qua nonnulli ex Seminaristis ad Hospitalia, & alia pia loca, nec non villas Civitati vicinas, rudimenta fidei explicandi causa, mitti consueverunt, intercidere non patiantur, sed tanto ardentius huic negotio intendere faciant, quanto populus ad ea addiscenda segnior est & negligentior.

De Prædicatoribus, & Verbi Dei prædicatione.

MOdo genitis infantibus lacte rudimentorum fidei instillato; aliis etiam provectioribus & adultis, ut solidiores cibi eaque doctrinæ alimenta, quæ spiritum promoveant, augeantque illos in virum perfectum, subministrentur necessarium est.

Cum itaque ad retinendos in officio atque informandos omni pietate homines, prædicatione verbi Dei, nihil in Ecclesia utilius & efficacius invenitur; volumus, ut Parochi, & alii quicunque Ecclesiarum Rectores, Prædicatoresque, vel per se, vel si ipsimet legitime impediti fuerint, per alios idoneos atque approbatos Sacerdotes, diebus saltem Dominicis & Festivis ad populum celebribus; tempore autem jejuniorum, Quadragesimæ & Adventus in civitatibus & oppidis, duabus præterea feriis, quarta videlicet & sexta, plebes sibi commissas, pro sua & illarum capacitate salutaribus verbis docendo erudiant, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam adipisci mereantur.

Et quia in prædicando Dei verbo, maxima pars muneris nostri versabitur, dabitur a Nobis opera, ut ad hoc tam Divinum opus exercendum (quippe quo

quo parvulis doctrinæ panis frangitur, infirmorum fides roboratur, conſcientiæ, vel terrentur profligatæ, vel eriguntur perculſæ) nullus absque probatione diligenti, teſtimonioque noſtro admittatur.

Regulares ignoti præſertim & vagabundi, qui in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, prædicare volunt, ultra licentiam ſuorum Superiorum etiam noſtram habere tenebuntur.

Peregrinos maxime ignotos, cujuscunque conditionis exiſtant, nullo modo, niſi teſtimonium Ordinum ſuorum habeant, & approbationem in ſcriptis, prædicare permittimus. Cumque in vita Concionatorum plurimum ſit poſitum, libentiusque populus ea faciat, quæ a ſuis Prædicatoribus videt, quam quæ in concionibus audit, dabunt operam omnes, qui hoc munere funguntur, ut vita doctrinæ reſpondeat, ne forte illud Apoſtoli illis objici poſſit: Qui alium doces, te ipſum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui abominaris idola, ſacrilegium facis? qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras?

Meminerint præterea ſe Dei cauſam agere, & pro ipſo ad populum legatione fungi. Eorum enim intereſt, parare viam Domino, rectas facere ſemitas ejus, procurare, ut ſint prava in directa & aſpera in vias planas, ut homines pœniteant, & credant Evangelio, ut per pia opera certam vocationem ſuam faciant, & ſuum, quem optant, ſalutis finem attingant.

Quem finem ut facilius conſequantur, caveant, ne unquam alicujus peccati lætalis ſibi conſcii ad prædicandum accedant.

Fabulas aniles, ſales, ſcommata, jocos, intermiſceri concionibus prohibemus. Præſtat enim gemere, pectus tundere, ſuſpiria ducere, & plorare populum in ſacris concionibus audiendis, quam riſu, cachinnoque diſſolvi.

A miraculis quoque vulgandis, & novis aliunde auditis edicendis, præſertim cum adhuc incerta ſunt, Concionatores omnino abſtineant. Verum enimvero, ſi quando uſus venerit, & res, ut aliqua earum habeatur mentio, poſtulaverit, ſobrie, modeſteque, & grano ſalis adhibito, id fiat.

Inter concionandum non quærant populi applauſum, nec ſe vulgi judicio accommodent, ſed graviter & prudenter officio ſuo fungantur, nihil aliud quærentes, quam commodum & ſalutem ovium, quarum paſcendarum curam ſuſceperunt.

Accommodabunt autem præcipue ſe & doctrinam ſuam ætati, ingenio, conditioni, ſtudiis & moribus audientium, ut omnia omnibus effecti, omnes Chriſto lucrifaciant.

Sed & temporis ipſius rationem habebunt, illique ſe potiſſimum conformabunt, & accommodabunt, ita ut tempore carnis privii ab ebrietatibus & impudicitiis auditores avertant, in Quadrageſima autem ad Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentum animos audientium præparent, & ſic in reliquis anni partibus, pro occaſione ab Evangelio, Epiſtola, Lectione, Feſto, ritibusque, ac cæremoniis Eccleſiæ capta, præcipua doctrinæ capita explicabunt, vel propenſionem tunc majorem hominum ad aliqua vitia perſtringent, & ad contrarias virtutes hortabuntur.

Ad quorum utrumque Catechismus Concilii Tridentini cum Poſtillis, Nauſeæ, Hoffmeiſteri, Ditenbergii, Feuchtii, Schereri, Stapletonii, Oſorii, Wuieci &c. & Scarga abunde ſuppeditabunt illis non ſolum materiam, ſed etiam ejus tractandæ modum. Joannis vero Feri Poſtillam, & omnia ejus opera, quoaduſque emendata & expurgata fuerint, omnibus tam Parochis, quam aliis quibuscunque interdicta omnino eſſe volumus.

Cæterum ad res controverſas in fide, quod attinet, de iis apud rudem & Catholicam plebem, diſputationes longas non inſtituent: ſi quæ tamen occaſio aut neceſſitas poſtulaverit, modeſte & absque ullis conviciis, ea, qua decet Miniſtros Dei, charitate præſtabunt, ut non tam perſequi adverſarios, quam errantes ad viam veritatis addu-

cere velle videantur, dogmataque duntaxat Ecclesiæ, sacra Scriptura, probatis Traditionibus, authoritate Conciliorum, & Sanctorum Patrum doctrina confirmabunt, recensendis autem argumentis hæreticorum supersedebunt, nisi illa & ipsi solide resolvere, & qui ea audiunt, vim & energiam solutionum exacte percipere valeant.

Scholastica curiosa præsertim, quæque ad ædificationem non faciunt, coram idiotis non tractabunt. Sæpe enim accidit, ut quia auditores neque dicta ob subtilitatem intelligunt, neque ob impensam subtilibus quæstionibus decidendis totam concionem audiunt convenientia captui suo, vacui, inanesque fructuum verbi Dei recedant, impleaturque illud Propheticum: Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.

Historias nonnisi probatas usurpent, a nugis autem, fabellis, facete dictis, pigmentis item ac cerussis verborum, quæ Evangelii gravitatem dehonestant potius, quam ornant, abstineant omnino; neque tam studeant demulcere audientium aures, quam commovere animos, & deterrere a vitiis, quibus nunc potissimum humanum genus infestatur, ut sunt inimicitiæ capitales, publicæ injuriæ, virginum constuprationes, adulteria, usuræ, furta, rapinæ, perjuria, calumniæ, blasphemiæ in Deum & Sanctos ejus, subditorum oppressio, violatio festorum, imprecationes, maleficia, præstigiæ, ebrietates, luxus incorrigibiles, perpetuum otium; contra vero hortari atque inflammare eosdem ad pietatem in Deum, observantiam in Superiores, benignitatem in subditos, honorem erga parentes, amorem in omnes, patientiam, humilitatem, castimoniam, sobrietatem, & alias id genus virtutes.

Quoties autem in scelera, præsertim familiaria, auditoribus invehuntur acrius, non hominum, sed peccatorum id odio faciant, neminemque expresse aut per circumlocutionem notent, & maxime constitutos in aliqua dignitate caveant, ne acerbi, aut nominatim objurgent, sed leniter, atque in genere tantum admoneant.

Inter concionandum non nisi Clericalibus pileis utantur. In recensendis sacræ Scripturæ testimoniis, ordinem librorum non confundant, similiter & capitulorum, sed suo ordine omnia producant.

Provideant denique, ne dum concio habetur, deambulationes per Ecclesiam, aut confabulationes fiant, sed nec Missæ Officium, quod turbare audientes possit, tunc celebretur, nec puerperæ in Ecclesiam introducantur, nec infantes ad Baptismum, vel Eucharistia cum Oleo sacro ad infirmos deferatur; nisi periculum mortis id omnino tunc fieri compellat.

Evangelia Dominicalia ad præscriptum Missalis Romani & Rubricarum, Diœcesis hujus, populo explicare, sub pœna Synodali tenebuntur.

De promulgationibus a Concionatoribus & Parochis faciendis.

COncione finita dies Festos, jejunia, & alia his similia, Jubileum, Indulgentias, censuras Ecclesiasticas denunciare debent Parochi, commendabuntque diligenter populo, tam publicas, quam privatas fidelium necessitates, ac denique Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam &c. prout superius statutum est, cum Confessione generali recitabunt.

De Festorum dierum cultu.

CUm eæ sint morum corruptelæ, ut Deo dicati dies, sanctisque rerum Officiis consecrati, ac Spiritus Sancti doctrina, tum ad recolenda Divina Officia; tum ad honores debitos Sanctis tribuendos; ad eorumque vitæ imitationem excitandam, instituti, non modo, ut oportet, sancte non colantur, sed, quod gravissimum est, nefarie operibus profanis, officiis, rerumque actionibus, ab eorum cultu, & Christianæ pietatis studio alienis violentur: Nos Sacrosanctis Sanctionibus & Concilii Tridentini inprimis Decretis, quibus corruptelas, a Christianæ pietatis usu, & a dierum festorum, præsertim cultu alienas, omni Pastora-

lis

lis vigilantiæ officio, tolli juſſum eſt, & noſtræ etiam curæ, officiique munere adducti, tantæ, tamque publicæ offenſioni, eo ferventius occurrere volentes, quo minus Anteceſſores noſtros poſt tot ſuſceptos & exantlatos labores; poſt tot Synodos coactas; poſt tot edicta publicata, profeciſſe animadvertimus: Inprimis mandamus Parochis, ut populo ſæpius inculcent, non propterea feſtos dies inſtitutos eſſe, ut comeſſationibus, ebrietatibus, impudicitiis, choreis, luſibusque indulgeant, temporeque, quod ſaluti, & placando DEO Optimo Maximo ſalubriter deſtinatum eſt, ad majorem ipſius offenſam, & ſuarum animarum perniciem abutantur, ſed ut cum tot aliis diebus curæ temporalium vacaverint, hiſce ſaltem ſpiritualibus, diligentius invigilent, ſeque ipſos colligant, recogitent beneficia Dei, & gratias pro illis agant, Sacrificio Miſſæ, & aliis Divinis Officiis interſint, concionem audiant, Sacramenta curandis animæ vulneribus adhibeant, liberiusque pietatis, & charitatis Chriſtianæ operibus vacent.

Quod, ut cum majori facilitate fiat, tam Præfectos, quam etiam Magiſtratus, & alios quoscunque Officiales noſtros hortamur, ut ſicuti dignitate alios præcellunt, & gubernationi præſunt, ita etiam bono ſuo exemplo, inferiores præeundo, provocent, ut ad perpetuum pie agendi ſtudium excitentur, & inflammentur.

Quia vero, experientia teſte, nulla alia re magis fideles ab ejusmodi pietatis officiis abſtrahuntur, quam quod eo potiſſimum tempore, quo Divina in Eccleſiis peragi conſueverunt, perverſa quædam conſuetudo, vinum ſublimatum, aliaque potabilia in tabernis, vendendi & propinandi inolevit. Idcirco abuſui huic occurrentes, ſtatuimus, ut ſi quis tabernator, vel alius quicunque tale quid attentaſſe convictus fuerit, ſimiliaque potabilia ante Sacra peracta propinaverit, vendiderit, vel alicui vendi (viatoribus & infirmis exceptis) permiſerit, gravi pœna arbitraria puniatur. Parochorum autem officium fuerit in id diligenter attendere, & ſimiles incorrigibiles propolas ad Nos, vel Officiales noſtros deferre.

Cumque non minor ſit muliercularum quarundam diebus prædictis, cum vino cremato per villas circumcurſitantium, & populum a cultu Divino abſtrahentium petulantia, eæ ſane, ut a Sculteris, & Officialibus villarum noſtrarum comprehendantur, & debitis pœnis ablatione cremati, & publica pœnitentia ad ſtipitem pœnalem, in collari ferreo facta coerceantur, harum Conſtitutionum authoritate decernimus & declaramus. Quod ſi Sculteti & Officiales, in officio ſuo, ſegniores inventi fuerint, debitam pœnam non evadent.

Et quoniam uſu jam in hac Provincia comparatum eſt, depravatis his temporibus & moribus ad choreas, tripudia, ſaltilationes, & id genus alia, nunquam fere in tabernis conveniri, ſine multis, iisque graviſſimis Dei offenſionibus, idque cum ob turpes cogitationes, obſcœna dicta, inhoneſtas actiones, morum corruptelas, & pernitioſas ad omnia carnis opera illecebras, illis perpetuo conjunctas: tum propter cædes, rixas, diffidia, ſtupra, adulteria, aliaque mala plurima inde conſequentia quam ſæpiſſime: His tot offenſionibus, & plurimorum malorum atque peccatorum ſeminariis, iis præſertim diebus, qui dies propitiationis ſunt, locum dari, & fideles pleroſque nefariis Satanæ blanditiis illectos, a Divinis Officiis abduci, avertique rudes a percipiendis fidei rudimentis, & alios ab aliis Chriſtianæ pietatis officiis, in quæ eo tempore religioſe incumbendum eſt, abſtrahi, graviſſimum ſane eſt, & in conſpectu Dei & Eccleſiæ. Nos itaque pro debito Paſtoralis curæ noſtræ plurimum eapropter ſoliciti, timenteſque, ne indignationem & offenſam Divinæ Majeſtatis in Nos tot ac tantis peccatis alienis provocemus, cupienteſque eadem radicitus evellere & exſtirpare, ea, qua par eſt, ſeveritate præcipimus, ut diebus Feſtis, iis ſaltem horis, quibus in Eccleſiis Divina celebrantur Officia, omnes & ſinguli ſub gravi arbitraria pœna a ſaltitationibus abſtineant, easque, ſi quando certis temporibus permittendæ ſunt, ultra

ultra horam nonam vespertinam protrahere minime audeant. Quod si quis huic nostro Decreto ausu temerario contravenire præsumpserit, præter arbitrariam pœnam, alias etiam graviores non evadet.

Porro nundinas diebus Dominicis & Festivis inchoari nullo pacto permittimus. Quod si in dies nundinis præfinitos Festum aliquod celebre ad populum inciderit, licitum quidem cuilibet erit, merces suas exponere, & venales habere, sed non ante, quam Officia Divina antemeridiana finita fuerint.

Fora hebdomadaria, si quando in similes dies inciderint, ea ad præscriptum Antecessorum nostrorum fœlicis recordationis LUCÆ & MARTINI CROMERI observari volumus, cujus etiam edictum de negligentibus Divina ad continendum in officio desides Christianos summopere necessarium approbantes, & harum Constitutionum vigore confirmantes, omnes & singulos Parochos monemus, ut sicubi per incuriam neglectum est, vel executioni non mandatur, ex nunc revocetur, & accuratissime nulla prorsus dignitatis, aut personarum habita ratione observetur, cum illi, qui in dignitatibus constituti sunt, ac propterea gravius peccant, non solum absolutionem vel excusationem non mereantur, verum etiam duplici pœna sint afficiendi.

Festa vero servanda in hac Provincia, denuntiandaque populo, præter Dominicos dies, sunt hæc: Nativitatis Domini cum duobus sequentibus, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Inventionis Sanctæ Crucis, Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Dedicationis Ecclesiæ, Michaelis Archangeli, Nativitatis Joannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum, Matthiæ, Philippi & Jacobi, Petri & Pauli, Jacobi majoris, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, Andreæ, Thomæ, Laurentii, Martini, Nicolai, Annæ, ut in ordinatione Rubricellæ Mariæ Magdalenæ, Catharinæ, Elisabethæ, omnium Sanctorum, Transfigurationis Domini, nec non proprii loci aut Parochiæ cujusque Patroni. Quæ omnia ac singula sanctificanda sunt, tam a populo, quam a Clero cultu & veneratione solenni. Si quæ tamen dictorum Festorum ex propriis diebus transferri contingat, tunc a Clero tantum celebrabuntur in Ecclesiis, labores autem & operas populi minime impedient, solennitate duntaxat Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis excepta. Hoc enim Festum translatum populus celebrare tenebitur.

Dies Sancti Marci Evangelistæ, & omnium animarum, Clerus quidem venerabitur duplici Officio, sed populus a prandio laboribus licite vacabit.

Festum Sancti Andreæ celebrabitur eo die, quo incidit.

Verum enimvero cum Ecclesia sit Mater non noverca, filiosque suos maternis semper visceribus prosequatur, scire debent Parochi ea, quæ de festorum dierum cultu, hic a Nobis statuta sunt, non adeo stricte intelligenda esse, ut aliquando, summo præsertim necessitatis tempore, etiam festivis diebus laborare fidelibus non liceat, tempore præsertim messium, quando adeo frequentes sunt inundationes, ut nisi diebus etiam ab Ecclesia alias prohibitis, aliquid fieret excrescentiæ in campis facile putrefierent, & non collectæ funditus perirent: dummodo id cum consensu Parochorum fiat, & non ante, quam Divina Officia omnia in Ecclesia finita fuerint, quorum conscientias hac in parte oneratas esse volumus, præcipimusque, ut nonnisi summo necessitatis tempore Parochianis eam facultatem neque aliter, atque a Nobis jam constitutum est, concedant.

Fieri etiam singulis ferme annis consuevit, ut ex nivium dissolutione, aquarumque inde descendentium inundatione, quædam flumina in tantam altitudinem exuberent, ut etiam pontes, per quos Parochiani ad Ecclesias suas Sacra audituri, & Parochi ad Parochianos suos Sacramenta administraturi alias venire consueverunt, earum impetu demoliantur, & disjiciantur, quo

quo caſu antequam reſtaurentur, ſubditi per aliquot ſeptimanas a perceptione Divinorum, & Parochi ab adminiſtratione Sacramentorum impediuntur. Nos huic incommodo etiam obviare volentes, præcipimus, ut durante illa inundatione, & incommoditate fideles ad ſalutem in rebus neceſſariis, ad Parochiam viciniorem recurſum habeant, qui eos pabulo Divini verbi paſcere, & Sacramentis debitis providere teneatur, & ſit obligatus. Diſcretionis autem fuerit, ut a Parocho eorum ordinario pro diuturnitate temporis & laborum pro ipſo ſuſceptorum ſufficienter contentetur.

Chartarum atque foliorum luſus, circa quos præter alia gravia peccata, blaſphemiæ ſcelus primas facile obtinet (dum ii, quibus fortuna non currit, maledicendi & pejurandi finem nullum faciunt) illis ipſis quoque Dominicis diebus & Feſtivis in tota hac Diœceſi noſtra, tam in tabernis, quam privatis ædibus omnibus interdictos eſſe volumus. Quod ſi qui ſunt, qui ex propoſito artem hanc profitentur, nihilque aliud faciunt, quam ut malis artibus homines ſimpliciores ſeducentes, eorum pecunias, quas longo tempore ſerviendo lucrati ſunt, dolo malo, & unico quaſi momento ſuffurentur potius, quam lucrentur, eos a Sculteti noſtris comprehenſos & vinctos ad Officiales viciniores transmitti volumus, ut operibus manuum ſuarum panem lucrari, non aliorum ſudoribus vivere diſcant.

De Jejuniis & Quadrageſimæ obſervatione.

CUm Sacroſancta Synodus Tridentina, per Sanctiſſimum Domini noſtri atque Salvatoris adventum Paſtores hortetur omnes, ut tanquam boni & ſtrenui milites, omnem adhibeant diligentiam ad fideles cohortandum, ut ea, quæ ad carnem domandam conducunt, præſertim vero delectum ciborum, & jejunium omni ſtudio amplectantur & obſervent, Nos attendentes graviſſimum peccatum eſſe, ac propterea nullo modo ferendum, ut quibus diebus Sancta Mater Eccleſia ad jejunium, pœnitentiam, omneque pietatis ſtudium, animos fidelium excitare & accendere ſtudet, in iis maxime hujus ſæculi filii, operibus Satanicis operam navent, diesque Bacchanaliorum uſque ad Dominicam primam ferme Quadrageſimæ comeſſationibus, ſaltitationibus, aliiſque tali tempore indignis & inconvenientibus operibus producant: hoc præſenti Decreto, ſub gravi in ſimiles Eccleſiaſticarum Conſtitutionum prævaricatores animadverſione, edicimus, ut in Diœceſi noſtra proxima quarta feria, quæ *Cinerum* nuncupatur, poſt *Quinquageſimam*, omnes & ſinguli Quadrageſimalis obſervantiæ initium faciant, nemoque audeat prædictos Bacchanaliorum dies ulterius extendere, neque quidquam religioſo illo tempore, a die videlicet *Cinerum* prædicto incluſive moliri, quod Sacroſanctum Quadrageſimale tempus, virtutum Chriſtianarum diſciplinæ atque exercitationibus dicatum ullo pacto dedeceat. Contrafacientes debitas pœnas arbitrarias non evadent.

Omnis itaque utriusque ſexus, quem urgens neceſſitas, vel imbecilla ætas, aut evidentis morbi debilitas a Quadrageſimali lege non eximit, quocunque etiam gradu, ordine, poteſtate, dignitateque præditus ſit, carne, cæteriſque omnibus, quæ a carne originem trahunt, utpote ovis, lacte, caſeo, butyro, & aliis id genus Quadrageſimali tempore abſtinere debet, ſciatque ſingulis Quadrageſimæ diebus, præterquam Dominicis, ſe jejunii lege obſtrictum, niſi facultatem ſcriptam habuerit, quæ plane extincta ſit, cum cauſa, ob quam data eſt, exſpirarit. Eos vero, quibus id negotii committendum duximus, paterne in Domino hortamur & monemus, ut, ſepoſito omni humano affectu, magna cum cautela qualitatem perſonarum ſecum diſpenſari deſiderantium conſiderent; cauſas, cur ab hac lege liberi eſſe velint, bene examinent, quin etiam Medicos, ſi opus fuerit, conſulant, nihilque agant, quod Deum & ipſorum conſcientiam hac in parte lædere poſſit. Quibus vero ob infirmam valetudinem, aut etiam juſtam cauſam permiſſum erit, Quadrageſimæ diebus carnibus, aut

aut aliis pro eo tempore vetitis cibis veſci, eos Parochi, vel illi, qui curam hanc ſubibunt, admoneant, ne publice, neve cum domeſticis, ſed ſeparatim in remotiori ædium loco ejus generis cibos capiant, ut ob corporis imbecillitatem, aut morbum, quo laborant, potius, quam ob ingluviem id facere cognoſcantur. Quin vero, ut Divus Auguſtinus monet, quodam intimi animi dolore cibos capiant, pro eo, quod aliis jejunantibus ipſi abſtinere non poſſint, aliosque ſuo exemplo ad violandum jejunium provocent. Quod enim uni duntaxat ob juſtam & rationabilem cauſam permiſſum eſt, aliis quibuscunque, impedimentum nullum habentibus, ſive vir, ſive mulier, ſive familiares ſint, permitti non debet.

Porro audaciam illam atque absque ulla lege liberius vivendi effrœnatam licentiam, qua nonnulli civium noſtrorum pro libidine ſua extra Epiſcopatum excurrentes, occaſionem prævaricandi quærere, & cibis ab Eccleſia interdictis apud hæreticos in ludibrium Catholicæ Religionis veſci conſueverunt, tanquam ſcandaloſam, & meræ pertinaciæ pleniſſimam cohibere omni conatu deſiderantes, præſenti Decreto ſtatuimus, ut ſi quis Præceptis Eccleſiæ hac in parte illuſiſſe deprehenſus, & per Parochos, vel alios fide dignos, ad Nos delatus, accuſatus, convictusque fuerit, primis duabus vicibus pœnis gravibus arbitrariis, aliisque Canonico jure & Pontificiis Conſtitutionibus, contra Quadrageſimæ violatores ſancitis afficiatur. Tertia vero vice tanquam hæreticus ex Diœceſi noſtra proſcribatur, & eliminetur.

Jejunia obligantia ex præcepto vel conſuetudine Parochi ſedulo denunciare curabunt. Magnus enim in ea re eſt abuſus, multique non jejunant, quando jejunandi eis impoſita eſt neceſſitas, & econtra jejunant, cum eos jejunare nullum Eccleſiaſticum præceptum, aut conſuetudo publice recepta cogit, ſed privata & indiſcreta tantum devotio ſuadet.

Jejunandum eſt igitur ex præcepto in Quadrageſima, quatuor anni temporibus, Vigiliis Nativitatis Domini, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. M. Virginis, & omnium Apoſtolorum, præter Vigilias Sancti Joannis Evangeliſtæ, Sanctorumque Philippi & Jacobi, item in Vigiliis Beati Joannis Baptiſtæ, Laurentii, & omnium Sanctorum. Denique omnibus feriis ſextis per annum, niſi ex antiquiſſima conſuetudine aliter obſervetur, & niſi in eas Dies Nativitatis Domini inciderit. Item ex conſuetudine antiqua etiam in Vigiliis Beatæ Mariæ Virginis, ſcilicet Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Viſitationis & Purificationis.

Dies Sancti Marci & Rogationum, ſic jejunantur, ut uſus ovorum, & lacticiniorum non ſit interdictus. Denique ad tempus inter Paſcha & Pentecoſten, quod attinet, etſi optaremus, ut & tunc fidelis dilectus curæ noſtræ commiſſus populus aliarum Provinciarum morem laudabilem conſectaretur, feriisque ſextis a lacticiniis, & ovis abſtineret, quia tamen id Anteceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus permiſſum eſt, adeoque in conſuetudinem antiquam jam abiiſſe videtur, in dubium quidem vocare nolumus, cuperemus tamen hoc totum tempus, quod inter Paſcha & Pentecoſten decurrit, eidem conſuetudini ſubeſſe & ſubjacere.

Verum enimvero cum ex Divinarum literarum ſcientia parum proſit vetitis cibis abſtinuiſſe, ſi animus in peccatis ſit intemperans, dumque caro ab alimentis abſtinet, mens pariter a culpa non jejunet, caveant diligenter jejunii cultores, ne dum a cibis abſtinent, aliarum rerum delitias, luxuriamque conſectentur, imo vero moderato cibo & potu carnis vitia coerceant, mentesque ad cœleſtium rerum amorem, & contemplationem erigant, & ad pietatis opera expediti exercenda promptiores inveniantur. Hoc eſt enim jejunium, quod Dominus Iſaiæ ore delegiſſe teſtatur.

De Sacramentis in genere.

PArochi, aliique Sacerdotes quicunque, quibus vel ex officio, vel ex delegatione Sacramentorum admini-

ministrandorum incumbit, meminisse debent, sancta se tractare, proindeque omnium temporum momento paratos se esse oportere, ad tam sanctæ administrationis munus.

Inprimis itaque, & ante omnia intime recogitabunt, an hoc tam sanctum opus aggressuri, sibi alicujus peccati mortalis sint conscii. Nam etsi Sacramenta Divinam illam virtutem, quæ illis inest, nunquam amittant, indigne tamen ea administrantibus sempiternam afferunt mortem. Itaque si reos se esse noscent, prius (nisi extrema necessitas accelerare cogat) Sacramentali confessione se expiare studebunt, vel in defectu Confessariorum, contritionem saltem sufficientem habere.

Cum autem accersentur, tantum abest, ut verbis, vel nutu, vel alio signo ostendant se gravate ituros, ut etiam illius, cui ministrare debent, salutis desiderio accensi, patrem se præbentes, verborum benignitate, vultuque hilari, &, ut possunt, celerrime se accessuros demonstrent.

In omni Sacramentorum administratione, cum ruri fit, semper superpelliceum decens & stolam adhibebunt, quæ ejus coloris erit, quem Sacramenti ministrandi ratio postulat.

Ministrabunt vero ea, ritu & cæremoniis in libris Agendorum, in hac Synodo approbatorum, præscriptis, materiamque & formam debitas adhibebunt, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.

In delatione Sacramentorum animi meditatione attenti erunt ad rem, quam sancte acturi sunt, pieque a salutationibus & colloquiis prorsus abstinentes, Psalmos pœnitentiales, vel aliquas alias devotas orationes, inter eundum recitabunt.

Cumque Sacramenta Ecclesiæ non solum sine Simoniæ labe, verum etiam sine omni avaritiæ suspicione sint administranda, cavebunt omnes, ne in eorum collatione quidquam verbis, nutibus, signis, directe vel indirecte petant, multo vero minus importune verbis exigant.

Consuetudo tamen pia & spontanea, fidelium largitione introducta, qua Ministro ad ejus consolationem aliquid porrigi consuevit, servanda erit omnino & retinenda.

Ut autem hæc Divina Mysteria venerentur fideles impensius, majorique illorum exardescant desiderio, non negligant Parochi, cum alias sæpe, tum in administratione, illorum præstantiam, atque dignitatem ex Catechismo Romano, vel etiam aliis probatis authoribus explicare.

Ante omnia vero sub interminatione Divini judicii, pœnisque gravissimis a Nobis infligendis caveant, ne vel sine Baptismo infantes, vel infirmos sine Pœnitentia, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis Sacramentis illorum culpa decedere permittant. Quod ut tanto efficacius præcaveatur, cum pleræque Parochiales Ecclesiæ, quæ partem populi sui extra mœnia Civitatum habent, in hac Diœcesi inveniantur, unde accidit, ut nocturno tempore, cum nemini aditus ad Civitatem portis clausis conceditur, multæ negligentiæ in Sacramentorum administratione subrepere possint, & de facto subrepant, Nos etiam huic malo, & omnium saluti prospicere cupientes, authoritate, qua in hac parte fungimur, mandamus, ut in his & aliis occurrentibus casibus (de quibus tamen populum a Parochis propriis inter concionandum, vel post concionem præmonitum esse volumus) ad viciniorem ruralem Parochum recursus habeatur, qui omni seposita excusatione, in necessitatis tantæ periculo, defectum proprii Parochi supplere tenebitur. Quod si requisitus, negligens in hac parte inventus fuerit, animadversionem nostram non evadet.

De Baptismo.

PArochi, antequam ad baptizandum accedunt, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitabuntur, an oblatus ad baptizandum suæ Parochiæ sit, an domi baptizatus, a quo, qua materia, qua forma, tum quem, vel quos elegerunt, ut baptizandum de sacro Fonte suscipiant, & eos, vel eum tantum, si tamen digni sunt, & rudimen-

ta fidei non ignorant (de quibus ignoti omnino examinandi ſunt, antequam admittantur) ad illum ſuſcipiendum admittant, eorumque nomina una cum infantis & parentum in libro ad id deſtinato, ipſimet, vel illorum Vicarii, ſtatim, ac infans baptizatus fuerit, deſcribant. In hunc modum: *Anno, menſe, die* &c. *Ego N. Plebanus, aut Vicarius N. Eccleſiæ Parochialis N. baptizavi Filium N. Conjugum legitimorum N. N. Patrini fuerunt N. & N.*

Neminem in privatis ædibus, extra caſum neceſſitatis baptizabunt, noſtra præſertim licentia non requiſita.

Animadvertent, ut aqua, quæ eſt materia hujus Sacramenti, non ſolum vera, naturaliſque ſit, ſed etiam eo ipſo anno, quemadmodum ſancte cautum eſt, Sabbato Sanctæ Paſchæ aut Pentecoſtes benedicta; quæ ſi infra annum corrupta caſu aliquo fuerit, vel defecerit, ex viciniore Eccleſia in vaſculo nitido accepta, & in fontem antea bene exterſum & mundatum, aliquantum aquæ puræ & recentis ſuperadditæ immiſſa, defectum ſupplebit.

Quoniam vero aquam baptismalem, puram illam quidem, mundam, nitidamque eſſe, ob tanti Sacramenti dignitatem convenit; ſane totum opus undique ita contectum teneri neceſſum eſt, ut nec pulveres, neque ullæ aliæ ſordes, multo vero minus muſcæ, & araneæ intus penetrent, quibus aqua corrumpi, aut impura fieri poſſit.

Et ne temeraria manus materiam hujus Sacramenti ad veneficia, ſuperſtitiones, incantationes diabolicas abutatur, Parochi fontem bene munitum, & cancellis, ubi commode fieri poteſt, bene ſeptum, ſera & clave claudent, quam, ne Clerico quidem committentes, apud ſe perpetuo cuſtodient, neminemque, cujuſcunque tandem conditionis ſit, ad ſpeculandum in ea admittent.

Erudiant populum, ac præſertim fœminas, quæ obſtetricantur, quomodo baptizare debeant in neceſſitatis caſu, ſi nimirum adeo debilem videant infantulum, ut neque deferri ad Eccleſiam, neque, dum Sacerdos vocatur, ſupervenire poſſe videatur; nempe ut fundendo ter aquam ſuper caput ejus, proferant hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ad quamlibet Trinitatis perſonam ſuper effuſionem iterando; ea tamen cautela adhibita, ut præſente Clerico laicus abſtineat, atque viro mulier (niſi forte vir formam Baptiſmi ignoret) hæreticus præſente Catholico, Chriſtiano Judæus vel gentilis, qui etiam hoc caſu baptizare poſſunt, modo aquam & verba debite adhibeant, & intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, habeant.

Quod, ſi ſic baptizatus periculum evadat, deferendus eſt poſtea ad Eccleſiam, ut ſolennes circa eum Baptiſmi cæremoniæ, prætermiſſis tamen exorciſmis, ſuppleantur.

Si vero re accurate inveſtigata exploratum habuerit Parochus, infantulum domi debita materia & forma, atque intentione adhibita baptizatum eſſe, caveat omnino, ne eum ſub conditione rebaptizet, cum ſacrilegium committat, ſi contrafecerit, & illud impedimentum contrahat, quod ſacri Canones irregularitatem appellare voluerunt.

Si vero dubitetur, an vel hujuſmodi, vel etiam expoſitus infans, aut etiam adultus baptizari cupiens, baptizatus ſit antea & debite, baptizanduſque propterea, diu atque multum re examinata, videatur Parocho, adhibeatur hæc forma: *Si non es baptizatus: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Id quod etiam ſervare oportebit, ſi fœtus ex utero matris, quæ in partu periculoſe laborat, vel manu, vel pede, vel alia aliqua parte extans, in ea ipſa parte ab obſtetrice, vel ab aliquo alio eſt baptizatus. Si vero in capite, quod primum ex utero prodiit, hoc Sacramento initiatus eſt, omnibus aliis ad integritatem Baptiſmi rite ſervatis, ad Eccleſiam, ſi ſupervixerit, deferatur, ut reliquæ cæremoniæ, quæ ad ſolennitatem Baptiſmi requiruntur, ex libris Agendorum ſuppleantur.

De materia etiam hujus Sacramenti, cum occaſio tulerit, populum diligenter

genter instituent, docebuntque eam esse omne naturalis aquæ genus, sive ea maris sit, sive fluvii, sive putei, sive fontis, sive alia quævis, quæ sine ulla admixtione, aqua pura dici & esse consuevit. Aliis autem liquoribus aut aquis, quæ e floribus, herbis, aliisque id genus rebus exprimuntur, vel eliciuntur, Baptismum confici non posse.

Et quamvis aquam, qua infantes baptizantur, puram semper, mundamque esse, pro tanti Sacramenti dignitate conveniat, in lutulenta tamen, necessitate urgente, baptizare licere, dubium nemini esse debet.

Verum quia interdum accidit, hyeme intensiori aquam baptismatis vi frigorum conglatiari, aut gelidam nimis fieri, tunc ut aliquo calore liquefacta usui ad baptizandum infantem esse possit (cum animadverti debeat, ne illa gelida infanti tenello noceat) aliam aquam vase mundo calefactam immiscere licebit, quæ tamen longe paucior erit, quam illa, quæ est benedicta.

Cæterum monstra humana, si quando Baptismo offeruntur, antequam baptizentur, Parochi diligenter videre debent, an una persona sit, an duæ; tum masculusne, an fœmina. Quod si monstro oculis subjecto dubium est, an sint duo, utpote quia duo capita non habet, nec pectora bina distincta, tanquam unus, intentione certa, neque vaga simpliciter baptizandus erit, alter vero, seu alii sub conditione. Si vero duo capita, duo pectora, aut corpora etiam distincta in monstro apparent, quia duos homines esse perspicuum est, singuli simpliciter (nisi in mora periculum fuerit) tunc vero in numero plurali: *Ego vos baptizo*: baptizandi erunt.

Si autem unam personam esse apparuerit, utpote quia unicum tantum caput habet, etsi alia membra plura, geminataque apparuerint, tanquam unus baptizetur.

Monstra, quæ hominis speciem non habent, nec præ se ferunt, bapzari non debent, sed sunt ad Nos deferenda, ut plena informatione, & descriptione per Parochos accepta, quid factu opus sit, videamus.

Gravissime peccant obstetrices, si quando mortis instantis necessitate non cogente, Baptismum infanti ministrare præsumunt; nec minus parentes, qui nullo periculo urgente, eas ad id faciendum compellunt; proinde huic excessui providere soliciti, volumus, ut Parochi singuli in suis Parochiis iterato tam obstetricibus, quam puerperis inculcent, ut extra præsentem necessitatis casum a Baptismo abstineant, neque nomina, dum baptizant, imponant, alias pœnas non evasuræ debitas.

Id quoque quod Sacrosancti Concilii Tridentini Decreto salubriter constitutum est, ne Patrini, Matrinæque ad levandos de sacro Fonte infantes, uno vel una, vel ad summum uno & una plures adhibeantur, sacrosancte ab omnibus tam Parochis, quam aliis observari volumus, declarantes præterea, nec virum, nec uxorem simul, nec hæreticos, nec excommunicatos, nec interdictos, nec publice criminosos, nec infames, nec amentes, nec pueros fidei rudimenta ignorantes, neque qui præcepto Ecclesiæ de Communione Paschali non satisfecerint, neque vero Monachos regulares, & qui Confirmationis Sacramento initiati non fuerint, ad suscipiendum de sacro Fonte infantes admitti nullo pacto debere.

Porro cum experientia doceat, propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia, in quibus vel non sine peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur, volens Sancta Synodus Tridentina huic incommodo providere, a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut inter baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem & matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur.

Cum infans, præsertim si iter longius est, ad Baptismum fertur; vasculum etiam aquæ portari monebunt Parochi, ut si quod fortassis mortis periculum (quod frequenter incidere potest) in itinere evenerit, etiam in via hoc Sacramentum ministrari possit.

Quod si quando in partu mulier obierit, hoc diligenter monebunt, ut uterus aperiatur, indeque fœtus eductus, si vivat, quamprimum baptizetur. Id vero cautione magna fiat, ut & is vivus ex utero extrahatur, & tunc inprimis, cum mater vere mortua est, ne pro filii salute occidatur.

Mulieribus tempori pariendi propinquis præcipient, ut si se mortali peccato aliquo gravatas sentiunt, tempestive confiteri, & Sacram Eucharistiam percipere non intermittant.

Ad usum eorum, qui baptizandi sunt, sal speciatim benedicatur, & sale Dominicis diebus ad aquæ benedictionem exorcisato non utantur (diversas enim habent exorcismi & benedictionis formulas) illud caute, ne ab omnibus haberi possit, asservetur.

Curabunt, ut infantibus proprio nomine in Baptismo appellandis, ea nomina non imponantur, quæ vel turpia, vel ridicula sint, quæque gentilium, atque adeo impurorum & impiorum hominum referunt memoriam, sed illorum, qui ob veræ pietatis & S. Religionis, virtutisque Christianæ laudem Sanctorum numero sunt adscripti, ut & in ipso vitæ ingressu cum Ethnicis ne nomen quidem commune fideles habere velle protestentur, & ipsimet infantes etiam, cum ætate processerint, nominum similitudine ad horum, a quibus illa accepta sunt, imitationem excitentur, & præterea, quos imitari student, eosdem frequenter precentur, ac sperent eos potissimum sibi ad salutem tum animi, tum corporis advocatos fore.

Monebunt etiam Compatres, docebuntque eorum officii esse partes, quas pro susceptionis, fidei jussionisve munere præstare debent, ut scilicet infanti solicitudinem veræ charitatis semper impendant, curentque, ut parentibus præsertim destituti, doctrinæ Christianæ rudimentis diligenter instruantur.

Baptizati ab hæreticis vel schismaticis rite baptizati esse censeri debent, si in baptizando legitima forma, & intentio faciendi, quod facit Ecclesia, servata fuit. Quod si sic baptizati adulti, Ecclesiæ Catholicæ incorporari velint, reliquæ etiam cæremoniæ (si tamen assentiantur) præter formam adhiberi possunt & debent, alias ad eam cogendi non sunt, quamvis hæresim abjurare teneantur, priusquam aliorum Sacramentorum participes fiant.

De Confirmatione.

CUm in Sancta Dei Ecclesia Sacramentum hoc a multis omnino prætermitti compertum habeamus, paucissimi vero sint, qui Divinæ gratiæ fructum, quem deberent, ex eo capere studeant, idcirco fideles de hujus Sacramenti materia, vi, atque dignitate, tum in die Pentecostes, quo præcipue administrari consuevit, tum aliis etiam diebus, cum id commode fieri posse, Parochi judicaverint, maxime vero, si quo in loco a Nobis administrandum est, ita docendi & instruendi erunt, ut intelligant non solum non negligendum esse, sed summa pietate & religione suscipiendum, ne ipsorum culpa maximoque malo eveniat, ut frustra in eos hoc beneficium Divinum collatum esse videatur. Quamvis enim hoc Sacramentum ejusmodi necessitatem non habeat, ut sine eo salvus quis esse non possit, a nemine tamen prætermitti debet, aut sub pœna peccati mortalis contemnere; neque in re sanctitatis plena, per quam nobis Divina munera tam large impertiuntur, aliqua negligentia committatur, præsertim cum id, quod Deus communiter omnibus ad sanctificationem proposuit, ab omnibus etiam summo studio sit appetendum & affectandum.

Docebunt autem ea, quæ sequuntur.

Ut semel confirmati Sacramentum hoc sacrilege non iterent.

Ut confirmandi non solum corpora, quasi templa Sancti Spiritus peculiariter dedicanda, præparent, sed etiam animos per præviam confessionem expurgent, præsertim si conscientia noxæ alicujus mortalis culpa teneatur. Quod si hoc ante Confirmationem fieri non poterit, saltem firmum quantocius confitendi propositum habere debent.

Ut quilibet habeat Patrinum vel Ma-

Matrinam, prout ipſi mares vel fœminæ fuerint, confirmatos jam, non tamen patrem aut matrem, vel vitricum, vel novercam, maritumque aut uxorem, qui tamen duos aut tres ad ſummum, una die tenere non poterunt, & quos tenuerint, inſtruere debent ad omnem pietatem, ac fidei rudimenta docere.

Ut pie, reverenter, & ſobrie (neceſſitate excepta) ad Sacramentum hoc ſalutare accedant, neque niſi Confirmationis actu finito, & Benedictione Epiſcopali accepta, deterſoque a Sacerdotibus, ſi præſertim remotius habitent, Chriſmate, de Templo diſcedant.

Ut linteola munda pro alligando ſibi in frontibus Chriſmate habeant.

Ut meminerint cognationem ſpiritualem in hoc Sacramento contractam confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egredi, omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis ſublatis.

Porro Confirmatorum omnium nomina & cognomina Notarius noſter cum expreſſione temporis & diei, in codice bene ligato, & huic uſui deſtinato, annotabit hoc modo: *Anno, menſe, die, confirmatus, vel confirmata eſt ab Illuſtriſſimo* &c. &c. *Filius, vel Filia N. & N. Patrinus, vel Patrina fuit N. N.*

Qui quidem libri, ſicut & alii tam baptizatorum, quam copulatorum, poſtquam impleti fuerint, inventario Eccleſiæ bene cuſtoditi inſcribantur, & alii novi in eorum locum ſubſtituantur, ut Parochi videre poſſint, quinam in Parochiis ſuis hoc Sacramentum negligant, & qui ob cognationis ſpiritualis in hoc Sacramento contractæ vinculum Matrimonium inire non poſſint.

De Pœnitentia.

PArochi, & alii Confeſſarii, cum ad audiendam confeſſionem vocantur, vel accedunt, ante accommodata brevi precatione, qua Divinæ gratiæ lumen in eo miniſterio recte peragendo ſibi poſtulent, tacitus utentur.

Cumque hoc Sacramentum animorum vulneribus medendis ſit inſtitutum, ipſimet videant, ne ſe proprio peccati mortalis alicujus telo configant, dum ad illud miniſtrandum accedunt, neve cenſura aliqua Eccleſiaſtica, aut alio Canonico impedimento ſint irretiti.

In qualibet Parochiali Eccleſia præparentur ſedes confeſſionales cum cratibus pro numero & frequentia Parochianorum, quot ad excipiendas confeſſiones videbuntur neceſſariæ, eæque non in angulis, ſed locis conſpicuis, ita ut tam pœnitens, quam Confeſſarius ab omnibus videri poſſint, non tamen nimis prope ſummum altare conſtituantur.

In confeſſionali hæc affixa ſint, ſacra Crucifixi, vel aliqua alia pia imago, literæ proceſſus die Cœnæ Domini quotannis edi ſolitæ, tabella caſuum, quos ſibi Epiſcopus reſervavit, & forma abſolutionis.

Porro quo frequentius in ſcopulos vitiorum impingunt fideles, eo ut ſæpius Sacramentum Pœnitentiæ, quæ eſt ſecunda poſt naufragium tabula, frequentent, admoneant Parochi, ſemel vero ad minus per annum, præſertim in Paſchate, confiteri & communicare, eosdem etiam compellant; non confeſſos & non communicatos notent, ad Nos, vel Archi-Presbyteros ſuos deferant, ac demum, ſi inviti parere noluerint, vivos aditu Eccleſiæ, mortuos Eccleſiaſtica ſepultura privent.

Accedentes ad confeſſionem caput aperire, ad pedesque Sacerdotis demiſſo in terram vultu, ac manibus ſupplicem in modum conjunctis, genuflexos ſe abjicere, & munire ſigno ſanctæ Crucis doceant. Deinde data eis benedictione in hunc modum: *Dominus ſit in corde tuo & in labiis tuis, ut digne confitearis omnia peccata tua in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* De ſtatu pœnitentium (ſi quos non norint) generatim inquirant, tunc hæc inter cætera; An ſciant neceſſaria ipſis ad ſalutem? quamdiu eſt, quod confeſſi non ſint? an integre, neque ſuppreſſo ullo de induſtria peccato? an pœnitentiam injunctam præſtiterint? an cenſuris Eccleſiaſticis innodati non ſint? an examinandæ ſuæ conſcientiæ, antequam ad

ad confessionem accesserunt, diligentiam, prout opus est, adhibuerint. Omnes enim super omnia doceri debent, ut lustratis & excussis diligenter conscientiarum suarum latebris, integre & aperte, nihil tacendo, vel palliando involucris verborum, cum interno animi dolore, saltem attritionis, quam vocant, & cum firmo proposito non peccandi amplius, ad hoc Sacramentum accedant, alias sacrilegam, irritam & nullam, ac proinde iterandam confessionem illorum esse.

His ita peractis, ad alia interroganda, si opus fuerit, procedent, ita tamen caute, discrete & prudenter, ne simplicioribus præsertim atque utriusque sexus rudioribus ad novum & nunquam auditum antea, multo vero minus attentatum scelus, occasionem ullam dent, vel aperiant.

Recensentes vero peccata sua, patienter, & attente audiant, timidos confirment, vacillantes instruant, nec si enormia, aut turpia peccata protulerint, signum ullum admirationis, abominationisve suspirando, spuendo, signando se signo sanctæ Crucis, corrugando frontem, caput agitando præ se ferant, sed ac si nihil audirent prorsus hujusmodi, ad finem usque confessionis dissimulent.

Caveant, ne eos, qui ad confitendum veniunt, tam prope ad confessionale admittant, ut quid inter Pœnitentiarium & pœnitentem agatur, facile a circumstantibus audiri & percipi queat.

Inhærentes Decretis sancti Concilii Tridentini ad confessiones audiendas, non nisi a Nobis, vel nostro Vicario, vel etiam Examinatoribus ad id deputatis, approbatos admittant.

Neque vero ipsimet in Ecclesiis aliorum, absque speciali ordinarii Parochi licentia, confessiones excipere audeant.

Sed nec Regularibus peregrinis, ignotis præsertim, neque Sacerdotibus alterius Diœceseos, eam facultatem concedant, nisi ipsis approbationem in scriptis exhibeant.

Attendant autem, ne inquirant nomina personarum, cum quibus pœnitens peccavit, sed de circumstantiis tantum mutantibus speciem, aut peccatum valde aggravantibus aut minuentibus.

Alienos, nisi de licentia proprii sui Parochi, non admittant.

Norint etiam, quibus casibus potest esse confessio, non integra, quibus casibus reiteranda, regulas discernendi peccatum mortale, a veniali, excommunicationes, a quibus non possunt absolvere, peccata quæ excommunicationem habent annexam, quæ peccata sint annexa restitutioni, qui contractus liciti vel illiciti, quæ sint impedimenta absolutionis dandæ, de quibus omnibus consulendi sunt Casistæ.

Non confitentes in specie peccata sua, non absolvant, sed doceant pro concione populum, de essentia veræ Sacramentalis Confessionis esse, & requiri necessario ad obtinendam absolutionem, ut quisque confitens peccata sua speciatim mortalia enumeret, & omnes circumstantias aggravantes delictum, vel minuentes, aut etiam speciem mutantes, sciens non reticeat.

Quod si pœnitentes peccata ipsi sua, ob pudorem, vel simplicitatem indicare nequeant, non contenti generalem Confessionem recitare cum illis, interrogent etiam sigillatim de commissis, omissisque contra Decalogum, Præcepta Ecclesiæ, misericordiæ opera, de peccatis clamantibus in cœlum, & contra Spiritum Sanctum, de peccatis mortalibus, adhibita peccatorum, cogitationis, verbi & operis distinctione.

Finitis interrogationibus, proponant oportuna peccatis quibusque remedia, arguant, obsecrent, increpent in omni patientia & doctrina, ut Divus Paulus docet, causas peccatorum præscindere, restitutionem, si quam habent, famæ, damni, aut rerum facere præcipiant, doloremque inprimis pro peccatis, ac detestationem eorundem propter offensam maxime Dei, cum summo proposito non peccandi ulterius, in animis confitentium excitare studeant, inculcando turpitudinem, & gravitatem peccati, ac damna illud consequentia.

Hor-

Hortandi præterea ſunt præſertim ii, qui rarius confitentur, ne confeſſiones differant in poſtremos illos dies Quadrageſimales, quibus Sacerdotes, vel ob myſteriorum celebritatem aſſiduam, vel Divinorum occupationem ab audiendis confeſſionibus, vel frequenti tunc concurſu fidelium defatigati, ita in eo ipſo munere præſtando opprimuntur, ut tantum, tamque ſalutare miniſterium, in confertiſſima multitudine, vix recte illis præſtare queant; ſed Anteceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus ſalutaribus inclinati primam quidem confeſſionem tempeſtive ante Dominicam *Lætare*, ſecundam vero de commiſſis vel revocatis in memoriam delictis paulo ante Communionem faciant.

Quod ſi qui ante mediam Quadrageſimam confeſſi non fuerint, in eos pœnis ab Anteceſſoribus noſtris ſtatutis animadverti a Parochis volumus, præcipimusque.

Qui plures villas extra civitatem, vel Parochias ſibi ſubjectas habent, Quadrageſimæ hebdomadas, vel dies, pro populi ſibi commiſſi ratione ſic partiri curent, ut quælibet villa ſciat, quo potiſſimum tempore ſe præſentem ſiſtere debeat, ne forte ab aliis impediti, rebus infectis tanto itinere domum redire cogantur, & vel confeſſionem intermittant, toties repulſam paſſi, vel ſaltem ad eam faciendum reddantur moroſiores & ſegniores.

In pœnitentiis & ſatisfactionibus injungendis ſint prudentes atque diſcreti, nec nimium mites, neque ſeveri nimium, conſiderando non ſolum peccatorum gravitatem, verum etiam qualitatem perſonarum, ita ut habita ratione ætatis, ſexus, ſtatus, & conditionis pœnitentium pœnas culpis quam maxime congruentes imponant, ipſæque pœnitentiæ peccatis commiſſis, quantum fieri poteſt, ſint contrariæ.

Carnis peccatum carnis maceratione, & caſtigatione ſpiritui ſubjiciatur, avaritia eleemoſynis expellatur. &c. Pœnitentias tales non injungant, ex quibus alii in cognitionem Confeſſorum criminum devenire facile poſſint.

In furto, uſura, rapina, fraude ante omnia injungant, ut, ſi poſſunt, ablata reſtituant, cum peccatum non dimittatur, niſi reſtituatur ablatum.

Conſiderabunt etiam perſonarum pœnitentium qualitatem, quantum videlicet quilibet exequi poſſit, & quidnam. Neque enim pauperibus eleemoſynæ, nec famulis peregrinationes, neque etiam quæ ſtatui, juribus, atque etiam diſpoſitioni pœnitentium repugnant, imponi debent.

Sciant bene & expedite proferre verba abſolutionis, juxta Agenda in hac Synodo approbata, caveantque, ne aliquid impertinens ſuperaddant, vel quod ad integritatem formæ neceſſarium eſt, omittant.

In abſolutione Laicorum omittant ſemper verbum illud: *Suſpenſionis*. Soli enim Clerici ad Ordines promoti hanc pœnam incurrunt.

In ſigillo quoque ſervando, fideliſſimos ſe ſemper præbeant, caveantque, ne peccata audita in confeſſione, verbo, ſigno, aut quovis alio modo, directe, vel indirecte extra illam prodant, ſub pœna depoſitionis, carcerisque perpetui, & excommunicationis ſententia.

Si quem forte ob reſervatum caſum, aut quia peccatum, vel ejus occaſionem dimittere, ſatisfactionemve, aut reſtitutionem præſtare recuſet, abſolvendum non exiſtimabunt, ſigno ſaltem Crucis cum precatiuncula aliqua propter circumſtantes, admonitum prius, benedicant, & ſic a ſe dimittant.

Ne vero & ſe ipſos, & alios Parochi decipiant abſolvendo a peccatis, a quibus revera ob defectum jurisdictionis non poſſunt abſolvere, noverint bene Caſus S. Sedi Apoſtolicæ, præſertim vero in Bulla: *Cœnæ Domini*, reſervatos, de quibus poſt alios optime Navarrus, tunc & eos, qui ordinariæ noſtræ poteſtati reſervantur. Sunt vero tales:

CASUS PAPALES.

QUi Clericum enormiter percuſſit, aut læſit, vel cauſam dedit, adjuvitque, ut fieret.

Perſo-

Perſequens Epiſcopum, vel qui auxilium, conſilium, vel favorem dedit.

Qui incendit Eccleſiam, vel effregit, aut adjuvit, poſtquam denuntiatus fuerit.

Hæreticus & Schiſmaticus monitus, & non reſipiſcens.

Excommunicatus a Papa, vel Delegato ejus: & qui cum eo in crimine participat.

Religioſus profeſſus apoſtata.

Falſarius literarum D. Papæ.

Impediens, ne Bullæ Apoſtolicæ ſuum ſortiantur effectum, aut ne Delegatus Papæ ſuo fungatur officio.

Arma, aut alia auxilia ſuppeditans infidelibus contra Chriſtianos.

CASUS EPISCOPALES.

PErcutiens Clericum levi percuſſione.

Percutiens parentes ſuos.

Homicida.

Procurans maleficia inter conjuges, ne coire poſſint.

Procurans abortum vel ſterilitatem in ſe, vel in alia.

Oppreſſor liberorum ſuorum.

Machinans in mortem uxoris, aut uxoricidium committens.

Clericus, qui bello interfuit.

Si corpore enormiter vitiatus ſine diſpenſatione celebravit Sacra, ſive irregularis.

Si quis Clericus coivit cum ea, quam baptizavit, vel in Confirmatione tenuit, vel cujus confeſſionem audivit.

Si Clericus fuit bigamus, vel in Sacerdotio contraxit Matrimonium.

Si quis committit peccatum contra naturam, ſive Sodomiticum.

Coitus in Eccleſia.

Contrahens Matrimonium poſt Sponſalia prius contracta & juramento firmata cum alia, vel alio.

Oppreſſor virginis.

Qui cum Monacha, vel quæ cum Monacho rem habuit.

Inceſtus ſeu copula carnalis vel Matrimonium inter propinquos, affines, & ſpirituales, conſanguineos, & compatres.

Mulier alienum partum marito pro ipſius, vel ſuo ſupponens.

Clericus excommunicatus majori excommunicatione celebrans, vel Sacramenta adminiſtrans.

Clericus admittens excommunicatum ad audienda Divina.

Clericus abſolvens excommunicatum ſine facultate vel in caſibus prohibitis, præterquam in mortis articulo.

Excommunicatus & cum eo ſcienter communicans in Divinis.

Sepeliens excommunicatum in Templo, vel cœmeterio.

Celebrans in altari non conſecrato, vel ſi celebrat ſine ſacris indumentis, aut ſine corporali, vel ſi celebrat non jejunus.

Celebrans in loco interdicto.

Bis baptizatus.

Baptizans proprium filium extra imminentem mortis neceſſitatem, vel tenens eundem ad Baptiſmum, aut Confirmationem.

Qui revelat confeſſiones aliorum.

Contrahens Matrimonium poſt votum caſtitatis.

Clericus ordinatus ſine licentia ſui Epiſcopi, vel per ſaltum promotus.

Si quis illegitimus ſine diſpenſatione Beneficium accepit, vel ad ſacros Ordines promotus eſt.

Abutens Sacramentis, vel rebus ſacris & Sacramentalibus ad profanos, vel illicitos uſus.

Fautores & receptatores hæreticorum, propagantium hæreſes.

Habentes & legentes ſcienter libros hæreticos.

Qui cum hæreticis in cultu Divino, vel circa adminiſtrationem Sacramentorum communicavit.

Simoniaca labes.

Rem ſacram pecunia comparans aut vendens.

Abſolutus in mortis articulo a caſu Epiſcopali, vel Papali, ſi, poſtquam convaluit, non repræſentavit ſe Ordinario ſuo, nec ejus authoritate denuo abſolutus eſt.

Sacrilegus & coadjutor ejus.

Raptor, aut uſurpator bonorum Eccleſiaſticorum.

Violans Eccleſias & Immunitates earum.

Incen-

Incendiarius etiam ante denuntiationem.

Publice blaſphemus.

Qui publice crimen uſuræ, perjuriive commiſit.

Falſarius literarum, & publicæ monetæ.

Incantatrices, ſortilegi, malefici.

A præmiſſis Caſibus Epiſcopalibus, quatenus occulti ſunt, omnibus approbatis Confeſſariis attribuitur poteſtas, omnes cujuscunque ſtatus & conditionis homines abſolvendi. (in quo puncto quidem diſcedimus a noſtrorum Prædeceſſorum ordinatione, ſed non absque gravibus cauſis) His tamen quatuor exceptis: nimirum Homicidis, opprimentibus pueros, excommunicatis, & hæreticis, qui tamen ultimus Papalis alioqui eſt: in his quatuor ad Epiſcopum omnino remitti oportet.

Porro in caſibus enormibus & dubiis, præſertim ſi qui accidant, qui ſupra non ſunt expreſſi, Sacerdotes debent conſulere Epiſcopum, vel ejus vices gerentem, vel alios ſapientes, quorum conſilio pœnitentem abſolvant, vel transmittant ad alium, abſolvendum, niſi immineat periculum mortis.

Denique ut nihil, quod ad animas Chriſti lucrandas omittere velle videantur, etiam iis dignam Sacerdotibus Domini exhibeant charitatem, qui ob crimina publica morte mulctandi, ad ſupplicii locum deducuntur, hortenturque, ut ad pie in Domino moriendum ſe diſponant.

Illud etiam ab omnibus tam Regularibus, quam ſæcularibus Presbyteris requirendum paterne eſſe duximus, requirimusque in Domino, ut, quo tempore Parochiani ex præcepto, ordinario ſuo Parocho, vel de ejus licentia alteri confiteri tenentur, nomina eorum, qui coram ipſis confeſſi fuerint, Parocho transmittant, ut ſcire poſſit (prout tenetur) qui præcepto Eccleſiæ, vel non ſatisfaciant.

Expedit autem, quin imo neceſſarium eſt, ad faciliorem pœnitentium cognitionem, ut Parochi non contenti ſigilli ſui appreſſione, etiam ſingulis ſchedulis, familias ſingulos, familiarumque ſingula nomina inferant, & adſcribant addito Anno, menſe & die. &c.

De Sanctiſſima Eucharistia.

Sicut inter omnia ſacra Myſteria, quæ nobis tanquam Divinæ gratiæ ſanctiſſima inſtrumenta Dominus Salvator noſter commendavit, nullum eſt, quod cum Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento comparari queat: ita etiam nulla gravior animadverſio a Deo metuenda eſt, quam ſi res omnis ſanctitatis plena, vel potius, quæ ipſum ſanctitatis Authorem & Fontem continet, neque ſancte, neque religioſe a fidelibus tractetur.

Ut igitur populus fidelis, ex hoc tam admirabili memoriali Divini amoris erga nos, Sacramenti hujus uberiores fructus capere, & juſtiſſimam Dei iram effugere poſſit, illa omnia a Parochis exponenda erunt, quæ ad Majeſtatem illius illuſtrandam & frequentandum, & digne hoc Sacramentum a fidelibus ſuſcipiendum, ſpectare videbuntur.

Monebunt itaque Parochianos ſuos, ut ad tanti beneficii memoriam recolendam ſolennioribus ſaltem Feſtivitatibus Domini noſtri & Beatæ Mariæ Virginis hoc Sacramentum frequentare non contemnant; quodque ad minus ſemel in anno, hoc eſt tempore Paſchatis, a Dominica videlicet Paſſionis, uſque ad Dominicam in Albis incluſive computando (juxta Diœceſanam conſuetudinem) Ordinario ſuo, vel de ejus licentia alteri confiteri, & communicare teneantur, quo tempore elapſo, ſi quos præcepto Eccleſiæ hac in parte non ſatisfeciſſe animadvertent, eorum nomina ſcripto, infra duarum ſeptimanarum decurſum, quilibet ad Archi-Presbyterum ſuum, vel ad Nos, expoſitis etiam cauſis, quas (extra confeſſionem tamen) cognoverunt, deferre teneantur, pœnas alias pro noſtro arbitrio ſubituri.

Quod ſi qui neceſſitate coacti, vel alia juſta cauſa a Nobis, vel etiam Parocho ipſo probanda, extra Parochiam ſuam, dicto tempore Paſchali Euchariſtiam ſe ſumpſiſſe affirmaverint, fidem de eo faciant, quam ſi probare non pote-

poterunt, in eos, ac si non communicassent, animadvertetur.

Nec obstant inimicitiæ, illatæ injuriæ, jura continuanda: petita namque ab offenso venia, & satisfactione oblata, semotaque penitus ex animo ira, cupiditateque vindictæ, habilem se quilibet ad eam reddere potest.

Excommunicati, interdicti, usurarii, concubinarii, ebriosi, blasphemi, & alii qualitercunque publice fornicarii, scandalosique homines, qui semel & iterum post promissam emendationem veluti canes ad vomitum revertuntur, computrescuntque, ut jumenta in stercoribus suis, ni eos postea vitam & mores reipsa emendasse Parochi perspexerint, ab hac cœlesti mensa arcendi, repellendique sunt.

Præterea furiosi atque amentes, præterquam cum vel lucida habeant intervalla, vel in mortis versantur articulo, exspurionisque aut irreverentiæ non est periculum, si tamen, antequam in amentiam inciderint, desiderio hujus Sacramenti tenebantur.

Adolescentes porro, qui primum Euchariftiam sumere voluerint, Parochi non admittant, ni eos ante examinaverint, & idoneos ad hoc Sacramentum suscipiendum judicaverint.

Docebunt autem frequenter & diligenter populum, quomode se ad tantum Sacramentum recipiendum præparare debeant, videlicet, ut examinatis conscientiarum suarum latebris sordes & maculas omnes, Confessione Sacramentali ex animis eluant, odia, rancores, atque offensas quascunque, si quas mentibus alunt, deponant, dimittantque ex cordibus confratribus suis, totosque se cordibus & animis ita præparent, ut dignum Majestate sua tantus hospes habitaculum in illis inveniat.

Quod antiquissimi instituti est, ut intra Missarum solemnia, post Sanguinis sumptionem Sacram Communionem Parochi præbeant, idipsum quoque imposterum observabunt; quamvis nonnunquam accidat, ut ea etiam extra Missarum solemnia sit administranda. Quod cum statim & immediate peracta Missa fieri necesse est, non in habitu, in quo celebratum est, fiat, sed cum alba, aut superpelliceo, adhibitis luminibus, genuflexionibus, campanarum tinnitu, & non nisi generali Confessione & Absolutione præmissa.

Accessuri ad hanc mensam Christi moneantur sedulo, ut attenta dignitate atque præstantia hujus Sacramenti probent se ipsos, & sic tandem de pane illo edant, & de calice bibant, ne (quod absit) rei Corporis & Sanguinis Domini peragantur.

Tempore Paschali non gregatim & tumultuarie omnes, sed tot, quot cancellorum, vel scamnorum in ipsorum defectu circumcirca altare æqualiter collocatorum, mappisque mundis instratorum circumferentia capere potest, ad communicandum admittant; quibus expeditis, alii (qui tamen non stantes, sed genuflexi Communionem exspectare debent) paulatim, illis ab uno latere recedentibus, his vero ab altero accedentibus, modeste atque graviter succedant.

Dispositis tandem rite in ordinem populis circum altare, Parochus generali Confessione per ministrantem latina lingua præmissa, conversus ad populum dicat: *Misereatur vestri Omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris perducat vos in vitam æternam.* Et respondente Ministro: *Amen. Indulgentiam, absolutionem & remissionem peccatorum vestrorum concedat vobis omnipotens & misericors Dominus.* Deinde versus ad Altare positis pro numero communicantium non quidem super patenam propter dejectionis, vento, insufflatione communicantium, aut motu aliquo incauto periculum, sed in calice consecrato, vel pixide gestatoria, ad hunc usum destinata, pluribus vel paucioribus hostiis, unam illarum summis dextræ manus digitis super vasculum tenens, denuo ad communicaturos conversus dicat: *Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi.* Et mox juxta qualitatem communicantium vel latina, vel vernacula lingua ter repetat subsequentia verba: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea,* singu-

ſingulisque ſingulas particulas porrigens proferat ſequentia verba: *Corpus & Sanguis Domini noſtri JESU CHRISTI cuſtodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.* Quæ verba dum pronuntiat, Crucem faciat ſuper communicantem cum Hoſtia, nihilque aliud vel dicat, vel agat.

Inter communicandum perſonarum reſpectus prorſus nullus ſit, ſed qui primo acceſſerit, primo expediatur.

Recedente ab altari populo, pro ablutione non calix, ſed vas peculiare habeatur, quod tamen ad formam calicis factum eſſe debet, ſitque in promptu ſtrophiolum nitidum pro abſterſione oris eorum, qui communicarunt, quam tamen ablutionem, nonniſi Clericus, ſi adſit, dare debet.

Tandem moneantur fideles, ne poſt ſuſceptam Euchariſtiam, comeſſationibus, atque conviviis indulgeant, ſed frugali refectione contenti, totum illum diem viſitandis Templis, aliisque pietatis officiis impendant.

Cumque in omnibus ferme Civitatibus hujus Diœceſis noſtræ, Sodalitates Sanctiſſimi Corporis Chriſti non minus pie, quam laudabiliter inſtitutæ, & ab Anteceſſoribus noſtris confirmatæ inveniantur, quæ charitate frigeſcente, quibusdam in locis, ita elanguerunt, ut præter nudum nomen vix aliquod earum extet veſtigium; idcirco præcipimus, ut Parochi eorum locorum omnium, in quibus ejusmodi Fraternitates erectæ inveniuntur, pro debito officii ſui prædicando, monendo, ſuadendo, obſecrandoque easdem in priſtinum vigorem revocare contendant, doceantque ejusmodi & ſimiles Congregationes, propter reverentiam & debitum huic Sacramento cultum præſtandum inſtitutas eſſe; maxime vero, ut illud Confratres certis majoris campanæ percuſſionibus convocati, ad ægros omni reverentia, omnique religioſi cultus ſtudio honorifice comitentur, ſummoque animi cum ardore, immenſa Divinæ largitatis beneficia, populo Chriſtiano, in hoc tam admirabili Sacramento exhibita recolentes, ſæpe ſæpius ad tam pretioſum, & omni ſanctitate plenum convivium accedant, atque in aliis piis operibus, circa venerationem & obſervantiam ipſius ſe ſe aliis fidelibus promptiores exhibeant.

Porro Parochi ad ægrotos cum hoc Sacramento vocati, accurate præmoneant eos, per quos vocantur, ut ægrotantis cubiculum ab omni ſorde, omnique inquinamento purgetur, & amota omni re prophana, pio apparatu, præſertim vero ſacris imaginibus, quam poteſt, exornetur, menſaque mappa nitida cum Cruce, candelabris, & candelis inſtructa præparetur, in qua ſuper corporali, pyxis cum Sanctiſſimo Sacramento conſtitui poſſit.

Cum autem ad infirmos deferri debet, quam honorificentiſſime a Sacerdote ſuperpelliceo nitido & integro, atque ſtola convenienti induto, capiteque (ſi quando aeris injuriæ non urgent) detecto, Eccleſiæque Miniſtris ſuperpelliceatis, cum vexillis elegantibus, laternisque integris & mundis cæreis ardentibus, nec non tintinabulo, atque adeo cantu (ubi poſſibile eſt) præcedentibus deferatur.

Quod ſi facultates Eccleſiæ ſuppetant, habeatur velum longum ſericeum, humeris Miniſtri deferentis circumpoſitum, cujus extremitatibus vas, in quo Sanctiſſimum Sacramentum defertur, contegatur.

Sed & illud Parochi circa delationem hujus Sacramenti ad infirmos exacte obſervabunt, ut & alias particulas conſecratas in Ciborio relinquant, & plures una ſecum ad communicandos deferant, quatenus etiam in reditu Hoſtiæ aliquæ pro adoratione in tabernaculo geſtatorio inveniantur.

Quod ſi remotius a villa vel oppido, ac proinde equitem ire oporteat Presbyterum; tunc omiſſo prædicto apparatu, unicaque tantum Hoſtia in perulam auro vel ſerico textam, quæ ex collo ejus cum nolula tinniente dependeat, aſſumpta proficiſcatur, lento & modeſto gradu, quantum infirmi neceſſitas poſtulabit, ubi tamen ad locum, in quo communicandus eſt æger, venerit, ſuperpelliceum & ſtolam adhibeat

beat, miniſtratoque Sacramento, occultata perula ſine ſonitu campanulæ revertatur: quæ tamen non in Sacriſtia, nec in Eccleſia prope ciborium, ſed in loco aliquo commodo & ſecreto, ubi a Laicis tangi non poſſit, diligenter aſſervari debet.

Pyxis, in qua Sacramentum hoc peregre ad infirmos defertur, a vaſculo Olei infirmorum ab intus omnino vacua ſit & libera.

Collocato denique ſupra menſam Sacramento, ſi ob diſtantiam loci, vel inſtantis mortis periculum, una eademque opera audienda ægroti fuerit confeſſio, primum excedere omnes cubiculo, atque extra paululum orare juſſis, foribus apertis id præſtet, deinde Sacram Communionem ei miniſtret. Porro alias ſemper, quando vicinitas loci, nec adeo afflicta infirmi valetudo patitur, aditum prius hoc nomine audiat, tuncque ad eam domum Sacram Synaxin ferat. Ad neminem autem deferatur, qui eam percepturus non eſt.

Quod ſi interea, dum defertur, ægritudo infirmi ita invaleſcat, ut ei tuto Sacramentum hoc miniſtrari non poſſit, tunc poſita ſupra menſam pyxide Parochus paululum immoretur, proſtratusque genibus una cum aliis, qui aderunt, Deum ſupplex oret: deinde conſolato ſalubriter ægroto, videndam, ſi optet, atque adorandam eidem Euchariſtiam exhibeat, aut ſaltem receſſurus incluſa in vaſculo benedicat.

Poteſt autem, imo debet hoc Sacramentum miniſtrari ægrotis, tam valde & repente vi morbi oppreſſis, ut periculum ſit, ne ſine Viatico decedant, quandocunque etiam noctu, poſtque cibum ab eis ſumptum, ſi nihil aliud obſtet.

Denique monendi ſunt Magiſtratus, ne mulctandos capite mori ſine Sacra Communione permittant, communicaturosque hujusmodi, vinculis exolutos carcere educi in liberiorem, ac decentiorem locum, pro reverentia tanti Sacramenti faciant, nec quenquam eo die, quo Euchariſtiam ſumpſit, ſupplicio affici patiantur.

De Sacrificio Miſſæ.

SAcerdotes celebraturi in primis & ante omnia videre debent, ne impedimentum aliquod habeant, quod ipſos ab altari arcere poſſit.

Et quia Divina Synaxis non Sacramenti tantum & alimenti cœleſtis fidelium, ſed etiam jugis, Chriſto ita ordinante, vereque propitiatorii pro vivis ac defunctis Sacrificii, vim ac nomen obtinet, provideant etiam atque etiam, ut quam ſanctam, auguſtam & tremendam Hoſtiam hanc eſſe ſciunt, tam pie & ſancte comparatis animis, locoque, & tempore atque modo convenientibus ad celebrationem illius accedant.

Ad præſcriptum Sacroſancti Concilii Tridentini, Anteceſſorumque noſtrorum nemo in privatis ædibus extra Eccleſiam, vel Oratorio ad hunc ipſum uſum deputato, probatoque a Nobis, quin & in Eccleſia non conſecrata, interdicta, prophanata, ſine licentia noſtra, aut interdicti, prophanationis, pollutionis, execrationis hujusmodi relaxatione celebrare audeat.

Rubricas Miſſalis Romani, de Miſſarum celebratione, nec non Decretum Concilii Tridentini de obſervandis & evitandis in Miſſa, diligenter non ſolum legant, verum etiam ad ipſarum præſcriptum uniformiter celebrare aſſueſcant.

Nullus excommunicatus, interdictus, vel ſuſpenſus ab Ordinum officio, publiceve & notorie criminoſus, niſi quem poſtea vitæ & morum honeſtas commendent, nullus item vagus, peregrinus, ignotusque ſine teſtimonio ordinationis, converſationisve ſuæ, tum etiam approbatione noſtra ad celebrationem Miſſæ admittatur.

Nemo niſi jejunus, recitatisque Horis Canonicis, ſaltem Matutinis, Confeſſione item Sacramentali, ſi ſibi ſit conſcius mortalis peccati, & copiam Confeſſoris habeat, præmiſſa, aut ſaltem contritus, firmumque propoſitum confitendi, quamprimum Confeſſarium nactus fuerit, habens, ad altare Domini ſacrificaturus accedat. Adſint & præterea ſequentia.

Altare

Altare consecratum, aut ejus loco portatile integrum, vel non enormiter læsum, neque violatum, quod calicis & patenæ sit capax.


Crux, seu Passio, in medio altari, nisi icona ipsam repræsentet, & tabula Secretorum, quæ finito Sacro sub corio aut panno recondetur.

Mappæ mundæ tres, quarum superior ex utraque parte usque ad planum defluat, reliquæ duæ, quæ divisæ sint, totam mensam contegant.

Pallium, seu antipendium pro qualitate temporis decens, bene & æqualiter stipiti altaris adstrictum.

Ampullæ cum vino & aqua. Vinum autem defecatum, verum non acidum, neque alias quomodolibet corruptum, atque ex instituto CROMERI non ab Æditius ruralibus, sed ab ipsis Parochis comparatum.

Hostia non parva nimis, ut in pluribus hujus Diœcesis Parochiis animadversum est, sed mediocris, quæ etiam a longe ab interessentibus Divinis commode pro adoratione videri possit, eaque triticea, pura, candida, illæsa, mediocriter subtilis, & recens sequentis ad minus magnitudinis.



Calix cum patena consecratus, tersus, nitidus, integer & mundus, non fractus, non ligneus, non æreus, sed argenteus, & ab intus ad minus deauratus. Vestes item non sordidæ, non pannosæ, non ex quampluribus coloribus emendicatæ, sed integræ, & quoad omnia conformes.

Corporalia triplici, vel quadruplici plicatura complicata. Purificatoria crucibus in extremitatibus ab aliis strophiolis distincta, bene lota, universa autem hæc consecrata ritu solenni & ab Episcopo, vel alio facultatem habenti benedicta.

Omnibus, ut indicatum est, præparatis, vestitusque decenter Minister Dei Sacerdos vultu & habitu totius corporis ad omnem devotionem composito, ad altare accedat, dicatque & faciat omnia juxta præscriptum Missalis, nihil addens, mutans, minuensve, neque fidens memoriæ, sed lecta in libro, secretiora quidem submisse, reliqua autem clare & distincte pronuncians.

Altari jam assistens non moretur alicujus expectandi gratia, neque Missa jam inchoata subsistat, multoque minus in gratiam alicujus, cujuscunque conditionis aut status sit, ab initio repetat, aut resumat.

Atque ut populus scire possit, quando Sacerdotes Sacrum facturi Sacristia exeunt supra vel prope portam ejusdem (in civitatibus præsertim) ubi plura in die Sacra fieri consueverunt, sit affixa campanula, qua fideles ad audiendum Sacrum signo dato convocentur.

Duo vero simul & semel, præsertim in Parochiis populosioribus, ubi Sacerdotes pauciores sunt, ad celebrandum non exeant, sed, quantum possibile est, propter fluxum & defluxum populi curent, ut unum Sacrum aliud excipiat, sicque Divina Officia pedetentim usque ad horam circiter meridianam Festivis diebus decurrant.

In omni extensione manuum ante pectus illud accurate observent, quod Missali Romano cautum est, ut palma unius manus alteram respiciat, digitorumque simul junctorum summitas, humerorum altitudinem, distantiamque non excedat.

Dum Hostiam vel calicem facta consecratione elevant, & populo adorandum exhibent, ipsimet in eam sint oculis intenti, caveantque, ne retro caput declinent, sed rectum utrumque elevent, fixosque in illos oculos habeant, & calicem suo loco reposituri non exosculentur.

Dum cantanda Miſſa habetur, videant Cantores, ut concinne, diſtinɛte, ac nonniſi propriam temporis cujusque, juxta Rubricæ Cathedralis & Miſſalis Romani præſcriptum, quantum quidem poſſibile eſt, decantent.

Kyrie eleiſon. Et in terra &c. *Credo* &c. *Sanctus* &c. *Benedictus* &c. aliaque ſimilia detruncari non debent, ſed integra decantari; prout Anteceſſores noſtri ſtatuerunt, nulloque alio alieno a Miſſali textu infarciant, & ſi vel arte, vel numero ſymphoniaco cantu ſint impares, choraliter potius devote pſallant, Miſſasque, prout cantando vel legendo cœptæ ſunt, ſive pro Defunctis, ſive aliæ fuerint, proſequendo finiant.

Et cum præceptum Eccleſiæ de Miſſa ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis audienda, neminem, niſi legitime præpeditum, excuſet, multæque Eccleſiæ in hac Diœceſi inveniantur, a quibus partim altera, partim etiam tertia qualibet Dominica vel Feſto Divina peragantur, unde populus in iis, quæ ad animarum ſalutem ſpectant, non ſolum negligitur, verum etiam adeo rudis exiſtit, ut de Deo, præceptisque ſuis parum admodum ſapiat: Nos attendentes Eccleſias aliquas vere filiales non eſſe, ſed ob penuriam duntaxat Sacerdotum, ut *Hoſiana* Conſtitutione manifeſtum evadit, quibusdam Parochis ad tempus eo fine tantum conceſſas, ne omnino fideles pabulo verbi Divini in tanto operariorum in vinea Domini defectu defraudarentur, conſiderantesq; ſubditis noſtris non parvam injuriam a Parochis fieri, qui tertia vel altera duntaxat ſeptimana in Eccleſiis ſibi commiſſis laborantes integras in ſolidum decimas, ac ſi ſingulis Dominicis & Feſtis laboraſſent, accipiunt, eos ad integrum miniſterium, ſingulis Dominicis, & Feſtis celebribus tam Miſſas celebrando, quam concionando, aliaque omnia Paſtoralia officia exercendo, vel per ſe, vel per Vicarios, aut Capellanos idoneos ſuos tamdiu obligatos eſſe decernimus, donec de Eccleſiis prædictis, aliud a Nobis ordinatum fuerit & conſtitutum.

Illud etiam malo quodam & inveterato uſu ex præterita viſitatione dicimus, in civitatibus inſignioribus quibusdam hujus Diœceſis ob votiva Sacra matutino tempore, vel ex fundationibus, vel etiam ex oblationibus piorum paſſim decantanda, ſummum & ordinarium Sacrum non absque ſcandalo Parochianorum negligi. Nos communis juris via incedentes, qua jubetur, ut, qui habet commodum, ſentiat & laborem, illud ſtatuendum eſſe duximus, ſtatuimusque, ut inpoſterum propter ſimilia votiva Sacra, ſive fundata, ſive conducta, ordinaria diei Miſſa nunquam negligatur aut intermittatur, idque Parochi diligenter obſervare tenebuntur, qui, ſi hac in parte negligentes inventi fuerint, Synodalem pœnam toties, quoties nullatenus effugient.

Moneantur fideles, ut devote, reverenter, & attente ſemper aſſiſtant Divinis Myſteriis, & inprimis, ne ſtatim poſt elevationem Sanctiſſimi Sacramenti non exſpectata Communione, ex qua præcipuus auditæ Miſſæ fructus, capi debet, anteque benedictionem a Sacerdote datam diſcedant, ſed ad finem uſque perſeverent, alioquin præterquam, quod ſe ſpirituali participatione, Sacramenti hujus privant, præcepto quoque Eccleſiæ, de audienda integra Feſtis diebus Miſſa, non ſatisfaciunt. Quod ſi Parochiani, ea de re per Parochum tertio moniti, rebelles & inobedientes fuerint, pro abſentibus habeantur, & ad præſcriptum edicti *Cromeriani*, abſentium pœnam deponere compellantur.

Non ſolum turpe, verum etiam ſcandaloſum eſt, & ab omni ſtatus ſpiritualis decentia prorſus alienum, ut Sacerdotes in ſortem Domini vocati, quique non ſolum moribus, ſed etiam habitu a laicis differant, veſtibus nihilominus quibusdam brevioribus, pileiſque ante & retro diſciſſis, vel etiam Galeis uti vocant, nec non aliis pannoſis & laceris indumentis, a vocatione ſua prorſus alienis utentes, ad altare celebraturi accedant, quod cum Sacerdotium regale, & genus a Deo electum minime deceat, nulloque pacto a Nobis tolerari queat, decernimus, ut tam intra, vel extra Eccleſiam veſtibus

bus non aliis, quam ſtatui ſuo convenientibus, ad altare vero acceſſuri, pro qualitate tamen temporis byretis & Clericalibus pileis, nec ante, nec retro diſciſſis, veſtiantur, eosque ſuper altare non projiciant, ſed alio loco commodo vel appendant, vel deponant.

Cumque in nonnullis Eccleſiis Diœceſis noſtræ apparamenta pretioſa non pauca inveniantur, quæ tamen ſtylo antiquo ita laborata ſunt, ut alterius potius rei quam caſularum aut planetarum formam referre videantur, confidimus, ut ſicut omnes in receptione officii & Miſſalis Romani promptiſſimos ſe erga Sedem Apoſtolicam præbuerunt, ita etiam in iis, quæ minutiora ſunt, quæque ad majorem Domus Dei decorem pertinent, ad apparamenta videlicet nonnulla, quibus pro qualitate temporum & Feſtorum Romana utitur Eccleſia, Romano ſtylo accommodanda, diligentiam ſuam tanto minus deſiderari patiantur, quanto plus ei Sedi, a qua Fidem & Religionem, quin & ſalutem animarum noſtrarum accipimus, quæve omnium Eccleſiarum Mater eſt & Magiſtra, obligatos nos eſſe videmus.

Quod mala conſuetudine quibusdam in locis eſt introductum, ut Æditui, ſeu Campanatores calicem ad altare portent, id Nos una cum Anteceſſore noſtro CROMERO improbantes, præcipimus, ut impoſterum Sacerdos ipſe celebraturus, prout Miſſalis Romani rubrica notatum eſt, & nemo alius calicem, ne linteo quidem involutum, ad altare deferre præſumat.

Cum Corpus JESU Chriſti Domini noſtri ſuſtollendum eſt in Miſſa, quam vocant majorem, vel quæ in unaquaque Parochiali Eccleſia quotidie celebrari conſuevit, tunc ſignum ſono campanæ alicujus, pro conſuetudine cujusque Parochiæ detur, cujus ſoni ſignificatione fideles, qui in Eccleſia Miſſæ Sacrificio non interſunt, admoniti ad tanti, tamque magni Myſterii ac beneficii recordationem, animum excitando, mente ſupplici religioſas preces pie adhibeant. Ad inſinuandum autem Miſſam jam finitam eſſe, ac propterea prandium accelerari debere, nemo ſignum ullum ſub pœna depoſitionis impoſterum dare audeat, aut præſumat.

De Proceſſione cum Sanctiſſimo Sacramento.

Solennitate Sanctiſſimi Corporis Chriſti, in qua ſummo cum apparatu Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum Muſicis Symphoniis undique perſtrepentibus, per vias publicas & plateas Civitatum, cum ad glorioſum Salvatoris Domini noſtri repræſentandum de morte triumphum, tum ad hæreticorum Chriſtum in hoc Sacramento præſentem negantium confuſionem, proceſſionaliter circumfertur, nulla major aut celebrior excogitari poteſt. Ea itaque, ut, quam fieri poteſt, religioſiſſime, decentiſſimeque, piiſſime atque ordinatiſſime tam in oppidis, quam villis peragatur, Parochi, & alii, ad quorum munus & officium id ſpectat, ſedulam operam navabunt.

Dominica ergo Solennitatem hanc proxime præcedente, ubi talem ac tantam ſolennitatem in proximo adeſſe denunciaverint, eandem quoque ut Chriſti fideles, orationibus & jejuniis, nec non piis miſericordiæ operibus, prævia peccatorum ſuorum confeſſione, Communioneque percepta, aliisque pietatis Chriſtianæ exercitiis proſequantur, & Proceſſionem comitentur, omnibusque etiam Divinis Officiis tam ipſo Solennitatis die, quam per totam Octavam intereſſe ſtudeant, exhortabuntur. Quod, ut tanto libentius atque ferventius a fidelibus præſtetur, ſtipendia ſpiritualia Apoſtolicis largitionibus ab URBANO IV. CLEMENTE V. MARTINO V. EUGENIO IV. hoc nomine conceſſa, publicare ſciant. Quicunque enim vere pœnitentes, & confeſſi matutinali Officio, Miſſæ, primis & ſecundis dicti Feſti Veſperis centum; qui vero Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, ac Completorio pro qualibet quadraginta; qui vero per totam Octavam Matutinalibus, Veſpertinis, Miſſæ, ac prædictarum horarum Officiis interfuerint, centum dies ſingu-

ſingulis Octavæ ipſius diebus, Indulgentias conſequentur.

Porro ad Proceſſionem ipſam, quod attinet, cum in ipſa Sanctiſſimum Domini noſtri Corpus per civitates & plateas religioſo cultu defertur, ne Reliquiæ ullæ, ſed illud ſolum, ut veteris inſtituti, Eccleſiæque Romanæ Matris conſuetudo eſt, deferatur.

Ubicunque plures exiſtunt Eccleſiæ, omnes reliquarum etiam Regularium Clerici, Officiis ſuis, ac Proceſſionibus circa eas primum tempeſtive factis, Euchariſtiam in locum aliquem decentem, & tutum delata, ad Cathedralem, Collegiatam, vel alias ad Parochialem Eccleſiam cum vexillis: Regulares quidem habitu Ordinis quisque ſui: Clerici minores ſuperpelliceis, Subdiaconi & Diaconi dalmaticis; Presbyteri caſulis pretioſioribus ſuper albam, non ſuperpelliceum; Prælati vero atque Canonici pluvialibus hora a Prælatis, vel Parochis illis aſſignata conveniant.

Egrediente ab Eccleſia Proceſſione, & ad illam revertente, omnes ejus pulſentur campanæ, reliquarum autem Eccleſiarum tunc, cum per vicina illius loca Proceſſio tranſibit. Atque primo quidem loco Sodalitia Laicorum præcedant, hos ſequantur pueri, ſeu ſcholares lineis induti, & coronas in capite, non calices tamen, ſed candelas accenſas, aut inſignia Paſſionis Domini, vel nolas in manibus portantes, & pulſantes; ſubinde Regulares, ſi adſunt, loco & ordine quisque ſuo; poſt hos Chorus, vel Muſica, & Clerus ſæcularis, ac demum Sacerdos cum Miniſtris Sacroſanctam Euchariſtiam in tabernaculo oſtenſorio, ſub baldachino deferens, quod ab honoratioribus loci illius perſonis, Proconſulibus, Conſulibusque (niſi id tamen quibusdam aliis ex officio aut privilegii ſpecialis prærogativa incumbat) magna devotione, atque fixis in illam continuo oculis portari conſuevit. Sed & alii omnes modeſte ac devote inter eundum ſe gerant, a colloquiis abſtineant, oculis curioſe hinc inde non vagentur, ſed orationibus, vel piis meditationibus vacent, Pſalmosque, Antiphonas, vel Hymnos pſallant, recitentque.

Conſtituantur duo viri maturi & graves, qui progredientes in Proceſſione ordinent, dirigant, &, ſi opus erit, jubeant ſubſiſtere, arceantque populum, ne immiſcens ſe Clero, filum & ordinem proceſſionis perturbet, ſed ut omnes a tergo Sacramentum ſequantur, primo quidem mares, poſterius fœminæ.

Viæ publicæ, per quas tranſeundum erit, pridie mundentur, ornenturque; nulla tamen in eis ſigna aut imagines prophanæ exponantur, nulla adhibeantur ſpectacula, vel repræſentationes, quæ oculos, aut animas transeuntium a ſancta Myſterii hujus cogitatione avertant.

Altaria quoque, quæ pro Stationibus parantur, ſtragulis cubilium, conopæis, & cæteris hujusmodi ad alios, quam ſacros uſus deſtinatis, non ornentur, ſed ab Eccleſiis accepta, omniaque circa illa modo & ordine in libro Agendorum præſcripto fiant.

Finita & reducta ad eandem Eccleſiam Proceſſione, omnes tam Clerici, quam laici, eo ordine, quo venerant, ad Eccleſias ſuas revertuntur.

In pagis vero vel oppidis, ubi una tantum eſt Eccleſia, per nobiliorem atque planiorem eorum partem, non tamen per campos & agros, quam decentiſſime juxta ſupra ſcripta, hæc eadem Proceſſio eſt facienda.

De Octava Corporis Chriſti.

ET cum nihil ſit, quod ad digne, frequenterque tanti Myſterii memoriam populo refricandam ſufficere poſſe videatur, omnes & ſingulos civitatum Parochos Diœceſis noſtræ paterne in Domino requirimus, atque monemus, ut ſacroſanctos hujus ſolennis Octavæ dies, omni, qua debent ac poſſunt, reverentia non ſolum obeant, verum etiam piorum operum exemplum ſemetipſos exhibentes, omnibus Horis Canonicis interſint, ſummaque cum diligentia ſingula faciant, quæ ad debitam huic Sacramento reverentiam exhibendam, & populorum ſuorum devotionem promovendam neceſſaria fore videbuntur.

Quod

Quod etsi ab aliis etiam ruralibus Parochis Diœcesis nostræ libenter fieri optaremus: quia tamen id ob distantiam Parochianorum a suis Parochiis, & eorum, qui Ecclesiæ viciniores sunt, domestica negotia difficulter præstari posse, animadvertimus, idcirco omnibus & singulis dictarum Ecclesiarum Parochis pro speciali, quo erga hoc Divinissimum Sacramentum tangimur, affectu præcipimus, ut Parochianorum suorum negligentiam pio fervore sarcientes, omnibus saltem & singulis præfatæ Octavæ diebus, Sacrsanctum Missæ Sacrificium, signo campanarum præmisso, Monstratorioque cum Hostia in altari exposito, celebrent, eoque finito, in locum suum restituant atque reponant.

De Missis votivis de Corpore Christi.

AD votivas autem singulis feriis quintis de hoc Sanctissimo Sacramento celebrari solitas, quod attinet, in iis, ut Monstratorium cum Hostia pridie conservata processionaliter, debitis adhibitis cæremoniis, cum cantu, cereis, vexillis Clero universo comitante, ad altare, in qua Missa celebrari debebit, deducatur, atque in eodem loco eminentiori, ita ut a populo commode videri & adorari possit, constituatur, finitoque Sacro, ad locum suum simili reverentia referatur, harum Synodicarum Constitutionum vigore, distincte præcipimus atque mandamus.

De Processionibus cum Sanctissima Eucharistia in orationibus quadraginta horarum.

POrro in orationibus, quæ per quadraginta horas continuantur, & coram Sanctissima Eucharistia super altare majus exposita fieri semper debent, Processio cum Sanctissimo Sacramento, sub initium & finem orationis exponendo videlicet, & reponendo illud intra Ecclesiam cum Litaniis de Nomine JESU, de Sanctissimo Sacramento, aliisque statis precibus, & antiphonis, & orationibus necessitati temporum accommodatis, & correspondentibus semper fiat.

De frequentiori Missarum celebratione.

QUanta cura adhibenda sit, ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium, omni religionis cultu ac veneratione frequenter celebretur, quivis facile existimare poterit: cum enim necessario fateri debeamus, nullum opus adeo sanctum, atque Divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum Mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur, satis etiam apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, ut, quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditie & puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie frequenter peragatur.

Cum igitur, charitate præsertim jam frigescente, multa irrepsisse videamus, quæ a tanti Sacrificii dignitate merito aliena esse deberent, maxime vero, quod nonnulli Sacerdotum ad sacrarum Missarum Officia celebranda (in suæ salutis ac animarum, pro quibus hujusmodi offerre tenentur Sacrificia, dispendium pro fidelium videlicet vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis) rarius, quam par est, & functio Sacerdotalis requirit, non sine gravi scandalo accedunt. Nos Concilii Tridentini in hac parte secuti authoritatem, volentes, Sacerdotes ad frequens Altaris Mysterium inducere, omnes & singulos, cujuscunque gradus, conditionis & dignitatis sint, per viscera misericordiæ Domini nostri obsecramus, ut ad peragenda veneranda sacrarum Missarum Officia tam reverenter, quam devote juxta doctrinam Apostoli se ipsos probando, semper parati existant, ac toties de pane illo edant, & de calice bibant, quoties id suæ ac proximorum saluti putaverint expedire, ita tamen, ut si non frequentius, saltem in Festis anni principalioribus Apostolorum, & aliorum præcipuorum San-

Sanctorum, atque Ecclesiæ Doctorum, Dominicis diebus,& quando ipsis Deus hoc inspiraverit, facere non prætermittant. Ii autem, qui curam animarum habent, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant.

De Matrimonio.

QUo gravius aliquando a plerisque circa magnum hoc Sacramentum Matrimonii peccari consuevit, eo ferventius a Parochis curandum est, ut illud a fidelibus digne suscipiatur.

Inprimis igitur habebunt bene cognita, & perspecta ea omnia, quæ in Matrimoniis recte stabiliendis ac conficiendis, præsertim autem de Matrimoniis clandestinis, Sacrosancta Tridentina Synodus decrevit.

Deinde monebunt fideles sibi subditos, ut ad hoc Sacramentum accessuri, se Sanctorum filios esse meminerint, ac proinde, prout Sanctos decet, cum timore Domini ad illud non aliter, quam ob prolis ad gloriam Dei procreationem, ac educationem, & ob adversorum simul ac prosperorum societatem individuam, nec non ob communionem inter se colendam, ut alter alterius ope adjutus, vitæ incommoda sustinere facilius queat, accedere debere.

Quia vero aurea libertas fundamentum est hujus Sacramenti, eam inviolabiliter in matrimoniali omni contractu, ut Concilium Tridentinum docet, observandam esse, tam Dominis temporalibus, quam Magistratibus sub anathematis interminatione inculcabunt frequenter, neve vi, aut metu, alioque quovis modo contrahentes impediant, vel cogant, admonebunt, quin vero a filiisfamilias sine consensu etiam parentum contracta, vera esse demonstrabunt.

Porro inter raptam & raptorem, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, Matrimonium consistere non posse, disertis verbis declarabunt. Quod si rapta a raptore separata, atque in loco tuto & libero constituta, raptorem in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem quidem habebit, verum tamen ita, ut & ipse, & omnes illi consilium, auxilium, aut favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, & perpetuo infames, ac omnium dignitatum incapaces.

Et quia non parva, eaque enormia peccata inde consequuntur, quod homines ignoti, peregrini & vagi, prout non raro contingit, nullo habito delectu & respectu, absque ullis literis testimonialibus,& prævia diligenti de ipsorum statu inquisitione ad contrahendum admittuntur, & ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam, & plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt, posteaque brevi tempore cohabitantes, dote, quam cum sponsa acceperunt, secum ablata turpiter profugiunt, & quas, conscientia reclamante, duxerunt, omni solatio destitutas relinquunt. Nos ejusmodi excessibus tam enormibus, pro debito officii nostri Pastoralis obviare, omnemque occasionem delinquendi circa hoc amputare volentes,Decretis Concilii Tridentini innixi, inprimis omnes, ad quos spectat, paterne monemus, ne hoc genus hominum vagabundorum ad Matrimonum facile recipiant; deinde vero Parochis sub pœna depositionis præcipimus, ut ignotos præsertim & externos non modo non copulent, sed eorum Matrimoniis ne intersint quidem, nisi prius certam aliquam & sufficientem informationem de ipsorum statu habuerint, quam ad Nos deferre teneantur, & licentiam eos conjungendi impetrare.

Sanguinis vinculo conjunctos, & cognatione aliqua spirituali sibi invicem connexos, in gradibus a jure prohibitis, ad contrahendum nullo pacto admittant, nisi dispensatione a Sede Apostolica super ea re obtenta, & a Nobis, vel Officiali nostro, vel eo, cui negotium de causis dispensationis examinandis a Sede Apostolica commissum fuerit, approbata.

Cognationem tam consanguinitatis, quam affinitatis legitimæ ad quartum usque gradum, affinitatem autem ex fornicatione contractam, ad secundam usque inclusive impedire & dirimere Matrimonia, idemque operari cognationem spiritualem, ex Baptismo

&

& Confirmatione inter certas perſonas provenientem, ſcire debent.

Cætera impedimenta qualiacunque, ut Parochis melius innoteſcant, Decretum Concilii Tridentini, quo jubetur, ut, antequam Matrimonium in facie Eccleſiæ contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus diebus continuis Feſtivis, non profanis in Eccleſia, inter Miſſarum, non Veſperarum ſolemnia denuncietur, inter quas Matrimonium ſit contrahendum, niſi forte Nos vel poſt Matrimonium contractum, denunciationes has differendas, vel omnino omittendas eſſe cenſuerimus, diligenter obſervabunt.

Alienæ Parochiæ incolas, niſi de licentia proprii eorundem Parochi, & de factis ab eo bannis, nec reperto tamen ullo impedimento, atteſtatione præhabita, conjungere non præſumant, ſciantque ſe ipſo jure tam diu, ſi hoc fecerint, ſuſpenſos manere, donec a Nobis abſolvantur.

Perſuadeant autem Sponſis, ut ſalutaribus Sanctionibus Concilii Tridentini obtemperantes, antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante conſummationem Matrimonii ſua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pie accedant, & ante Benedictionem Sacerdotalem, in una eadem domo non cohabitent.

Habeant Parochi librum, in quo conjugum & teſtium nomina, denique & locum contracti Matrimonii deſcribant, quem diligenter apud ſe in Sacriſtia cuſtodiant, inſertumque nominibus & inſcriptionibus, inventario Eccleſiæ inferant.

Sed & illud publicare non intermittant, ut meminerint contrahentes, Sponſalia per verba de præſenti, id eſt, Matrimonium ipſum nullum eſſe, niſi forma, a Concilio Tridentino præſcripta, de Parocho & teſtibus ad minus duobus adhibitis, obſervata fuerit.

Publicabunt præterea Concilii Tridentini Decretum, de clandeſtinis Matrimoniis, ad minus bis in anno.

Fidei rudimenta ignorantes ad contrahendum non admittant.

Et ſi quidem in hac Diœceſi non pauci inveniuntur, qui propriæ ſalutis ſuæ, & juramenti in facie Eccleſiæ præſtiti immemores, & ſeparatim ab invicem propria authoritate habitare non erubeſcunt, in perpetuo adulterio, altero adhuc ſuperſtite, viventes. Nos ſoliciti, quomodo huic malo mederi poſſimus, præcipimus, ut nemo, ſive ſpiritualis is ſit, ſive ſæcularis, ejusmodi perſonas ad ſervitia ſua domeſtica, ſub gravi arbitraria pœna recipiat, & ſi de facto domi ſuæ fovet, cum admonitione, ut ad uxorem, vel ſi uxor fuerit, ad maritum intra octiduum, a publicatione horum Statutorum redeat, dimittat; quod ſi obtemperare noluerint, negotium ad Parochum, vel ſi Parochus id fecerit, ad Archi-Presbyterum deferatur, qui vocatos ad ſe, ſerio ad mutuam animorum conjunctionem, & cohabitationem exhortabitur, parereque recuſantes, brachio ſæculari indicabit, qui rebelles carceribus vinctos tam diu detinebunt, quoadusque eos temeritatis ſuæ, atque perjurii pœniteat, & ad individuam vitæ ſocietatem continuandam revertantur.

Laudabilem illam conſuetudinem, pluribus in locis Diœceſis hujus, negligentia procul dubio Parochorum neglectam, & multo tempore intermiſſam, qua Statuto *Cromeriano* decernitur, ut in Sponſarum offertoriis, Parochi pro concionibus ad exoſculandas venerabiles Sanctorum Reliquias exhortentur, non ſolum approbantes, verum etiam in priſtinum uſum revocantes, edicimus, ut Pacificale, ſeu Reliquiarium, non per Ædituum & Scholarem, ſed per alium aliquem venerabilem Sacerdotem altari aſtantem, venientibus ad altare offeratur.

Quia vero ut in aliis, ita & in hoc Sacramento, gratia ſpiritualis fidelibus, debita animi præparatione illud ſuſcipientibus confertur, videlicet, ut vir & uxor mutuo charitatis vinculo conjuncti, alter in alterius benevolentia conquieſcat, alienosque, & illicitos amores atque concubitus non quærat, ſed in omnibus ſit honorabile connubium, & thorus immaculatus: quam gratiam minime conſequi poſſunt, qui

in peccato mortali accedunt, idcirco cupientes, ut omnes & ſinguli ad hoc Sacramentum acceſſuri, tantæ gratiæ participes efficiantur; ſtatuimus, ut Sponſi & Sponſæ, eo die, quo benedictionem matrimonialem accepturi ſunt, ornando ſe ſe, & alias perſonas (ut majori cum pompa in Eccleſiam deducantur) exſpectando inutiles moras domi minime nectant, ſed gratiæ potius illius, quæ in Divino hoc Sacramento datur, ſitibundi tempeſtive ſe expediant, & ad Templum, concionem audituri, Eccleſiæque præcepto ſatisfacturi, ſi tamen dies celebris fuerit, veniant, alias benedictionis omnis expertes domum reverſuri.

Nec obſtat nuptiarum (quod a plerisque obtrudi importunis verbis Parochis ſolet) qualiſcunque tandem etiam ſumptuoſiſſimus apparatus. Sin admonitio ſemel atque iterum ex ambona præceſſit, ſibi imputent. Quod ſi benedictione non accepta domum reverſi Solennitates nihilominus nuptiales celebrare, convivari, Muſicam exercere, choreas ducere, Sponſam Sponſo ad conſummandum Matrimonium tradere, aliasque cæremonias, pro patriæ more facere auſi fuerint, pœna gravi arbitraria per Nos irroganda, & piis locis applicanda, pro qualitate tamen & conditione perſonarum punientur. Parochus vero ejusmodi deinde copulans, vel copulari permittens absque Noſtro, vel Vicarii noſtri conſenſu, debitam quoque animadverſionem non effugiet.

Et quamvis ab Adventu Domini noſtri uſque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum, uſque ad Octavam Paſchæ incluſive, antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones, diligenter ab omnibus obſervari Tridentinum Concilium præcipit; in aliis vero temporibus nuptias ſolenniter celebrari permittit: Nos nihilominus veſtigiis Anteceſſorum noſtrorum ambulantes, Statutum ipſorum de nuptiis, a die etiam Rogationum, uſque ad feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis incluſive non celebrandis, juxta antiquam & laudabilem conſuetudinem Diœceſis hujus ratificandum eſſe duximus, ratificamusque, atque ordine Officii Divini Diœceſis hujus hanc noſtram Conſtitutionem inter cætera tempora, quibus Matrimonia celebrari non poſſunt, ab iis, quibus intereſt, inſeri volumus.

Grave peccatum eſt, homines ſolutos concubinas habere; graviſſimum vero eſt in hujus magni Sacramenti ſingularem contemptum, uxoratos quoque aliquando in hoc damnationis ſtatu vivere, & audere eas domi ſuæ alere, atque fovere. Nos itaque, ut huic tanto malo opportunis remediis provideamus, ſtatuimus hujusmodi concubinarios tam ſolutos, quam uxoratos cujuscunque ſtatus, conditionis & dignitatis exiſtant, ſi poſtquam ter ea de re moniti fuerint, concubinas non ejecerint, ſeque ab earundem conſuetudine non ſejunxerint, excommunicatione feriendos eſſe, a qua non abſolvantur, donec monitioni factæ reipſa paruerint.

Mulierum ſolutarum vitam corrigentes, decernimus, ut ſi mulieres ſemel lapſæ, & pro qualitate criminis etiam punitæ, iterum ad vomitum reverſæ fuerint, nullo etiam requirente, aut ex officio accuſante, ſine ulla forma, & juris ſtrepitu, ſed ſola rei veritate inſpecta, a Magiſtratibus & Officialibus noſtris, atque Sculteris, non ſolum extra oppida & villas, ſed etiam extra Diœceſim ejiciantur & propellantur, nulloque pacto ſub arbitraria pœna a Nobis infligenda, ad habitandum denuo admittantur.

Præterea magno noſtro cum mœrore, atque animi perturbatione non modica ingemiſcentes intelleximus, ſubditorum noſtrorum filias, in Catholica Religione natas & educatas, hæreticis paſſim nuptui tradi, & in Matrimonium collocari, filiosque bonorum temporalium cupiditate excœcatos domicilium nubendo extra Diœceſim noſtram ad loca hæretica frequenter transferre. (quod absque diſpendio & jactura animarum curæ noſtræ commiſſarum, magnaque Catholicæ Religionis injuria fieri non poſſe videmus) Parochis noſtris ea, qua par eſt, ſeveritate præcipimus, ut nullum finem ab hoc propoſito amovendi populum pro con-

concionibus faciant, oſtendantque, quam graviter peccent, quamve crudeliter parentes cum filiis & filiabus ſuis agant, dum, quos ex propriis viſceribus genuerunt, poſt tot annorum ſuſceptos pro ipſis in educando labores tandem in æternæ damnationis barathrum, miſerandum in modum præcipitent, non attendentes, nihil prodeſſe homini, ſi totum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur. Cavebunt ſub pœna ſuſpenſionis & interdicti, ne Sponſalia, aut Matrimonia cum hæreticis contrahenda ex ambona, ut *Cromeriana* Conſtitutione optime cautum eſt, denuncient, multo vero minus eos copulent, qui Sacram Euchariſtiam ritu Catholico confeſſi, prius non ſuſceperint.

Cum vero de Matrimonio cum hæreticis contrahendo aliquid certi mandaverint, & prout ſuperius a Nobis mandatum eſt, eos, ne id faciant, ſerio admonuerint, nec tamen proficere quidquam potuerint, Nobis quamprimum ſignificent, ut rationem & modum inire poſſimus, quo illos a propoſito ſuo dimovere, & ad ſaniorem mentem, quantum in Domino poſſumus, revocare, paternis noſtris admonitionibus & perſuaſionibus valeamus.

Puerorum oppreſſiones in hac Diœceſi ab ebriis, aut diuturno labore fatigatis mulierculis, infantes ſuos in cubili, nulla, vel ſaltem non ſufficienti adhibita cautione collocantibus, adeo frequentes eſſe reipſa compertum habemus, ut eas ſtudio a quibusdam potius, quam negligenti cautela fieri, merito ſuſpicari liceat, præſertim cum quædam inveniantur, quæ ſecundo ac tertio etiam ſolenni facta pœnitentia lapſæ in idipſum relabantur, Nos omnia ea, quæ ab Anteceſſore noſtro piæ memoriæ CROMERO ſalubriter ſtatuta ſunt, præſertim vero de pœnitentia publica, in vel ante Eccleſiam, per totam Quadrageſimam in loco, ubi ſimiles peccaverint, illis a Parochis imponenda, & publice peragenda confirmantes, ac pro expreſſis hic habere volentes, illud ſuperaddendum eſſe duximus, ut Magiſtratus civitatum & villarum, diligentiſſimam ea de re inquiſitionem, maxime circa illas, quæ frequentius in tali caſu oppreſſionis relapſæ fuerunt, inſtituant, circumſtantias omnes diligenter inquirant & conſiderent, attendantque, ne ipſorum culpa talia peccata impune perpetrentur, præſertim ſi ea temerarie & nulla adhibita cura commiſſa fuiſſe, animadverſum fuerit.

Neque vero illos tantum, qui vere & in effectu pueros oppreſſerint, puniendos eſſe his Conſtitutionibus noſtris declaramus, verum etiam eos gravi pœna coercendos eſſe decernimus, qui, vel quæ toties moniti, nihilominus infantulos in lecto habuiſſe, quamvis eos non oppreſſerint, deprehendentur & convincentur.

Porro cum incontinentiæ habenæ hiſce noſtris deplorandis temporibus adeo laxentur, ut puellæ partim dotis, partim etiam clandeſtini Matrimonii ſpe, promptiores ad ſtupra, & fornicationem efficiantur, ea, quæ a piæ memoriæ Anteceſſore noſtro CROMERO non minus prudenter, quam laudabiliter decreta ſunt, approbantes: Statuimus, quod puellæ per vim tantum ſtupratæ dote competenti gaudebunt. Eæ vero, quæ ultro, vel libidine ſua illectæ, vel ſub prætextu clam datæ fidei de Matrimonio contrahendo ſe deflorare paſſæ ſunt, præter mulctam pecuniariam, pœnitentia etiam publica illis a Parochis in loco, ubi peccaverunt, aſſignanda peracta, pro arbitrio noſtro aut modicum quid accipiant, aut omni dote careant. Stupratores vero pro delicti qualitate, conditionisque ſuæ, præter publicam pœnitentiam in loco, ubi peccaverunt, agendam, pœna etiam carceris, aut pecuniarum, per Nos, vel Officiales noſtros Fiſco poſtea Dominii inferendarum, puniantur.

De Extremæ Unctionis Sacramento.

EXtremæ Unctionis Sacramentum, non poteſt ſupremi illius diei memoriam conjunctam non habere; unde facile intelligitur ſæpius a Parochis de eo agendum eſſe, non ſolum ob eam cauſam, quod illarum rerum myſteria, quæ ad ſalutem pertinent, aperire &

& explicare maxime convenit, ſed etiam quia fideles moriendi neceſſitatem omnibus propoſitam eſſe animo repetentes, pravas cupiditates coercebunt, & ad virtutes conſectandas magis excitabuntur. Quare fiet, ut in ipſa mortis exſpectatione ſe minus perturbari ſentiant, ſed immortales Deo gratias agant, qui ſicut per Baptiſmi Sacramentum aditum nobis ad veram vitam patefecit, ita etiam, ut ex hac mortali vita decedentes, expeditiores ad cœlum viam haberemus, hoc Extremæ Unctionis Sacramentum inſtituit.

Quo ergo periculoſius venenatus ille ſerpens inſidiatur calcaneo hominum, ſæviusque, quam alias unquam in extremo agone poſitos aggreditur; eo diligentiores ſint Parochi in ſuppeditando fidelibus ultimo hoc præſidio, dum integris adhuc ſunt ſenſibus. Quod ſi quem illorum vel violentia morbi, vel repentinus aliquis caſus ita oppreſſerit, ut ſenſu & ratione penitus deſtituatur, confiterique propterea & communicare non valeat, inungendus erit nihilominus, præſertim ſi dum adhuc uſum rationis haberet, ſignificatione pii animi præ ſe tulit, confeſſusque in proximo Paſchate, Euchariſtiam percepit. At ſiquidem inter ungendum exſpiret, mittatur ulterior unctio: ſi vero non conſtet, vivusne ſit, an mortuus, terminetur hac cautione: *Si es vivus, per iſtam Unctionem indulgeat tibi.* &c.

Quod ſi infirmus compos ſit rationis, & audiat, quæ ei dicuntur, conſoletur eum præterea Parochus, ſuadeatque, ut ægritudinem illam patienter ferat, deponat curam rerum terrenarum, cœleſtia cogitet, mortem non timeat, quin potius bono & alacri ſit animo, miſericordiam Dei ſperet, evocarique ſe ex hac lacrymarum valle ad æternam felicitatem gaudeat.

Oret item & ipſe pro eo, & alios, qui aderunt, ut orent, admoneat, ſique illum animam agere perſpexerit, ne diſcedat, ſed præſto ſit agonizanti, cum omni charitate, commendetque Deo animam ipſius orationibus ſolitis, & maximo, quo poterit, Chriſtianæ pietatis affectu.

Oleum infirmorum in vaſculo, ab aliis ſacrorum liquorum vaſculis ſeparato, ad infirmos honeſte atque decenter, etiam intempeſta nocte, ſi neceſſe eſt, deferatur, gratisque & prompte, Confeſſione tamen generali præmiſſa, miniſtretur.

Scire debent Parochi, quibus in locis, & quomodo infirmi ſint ungendi. Membro enim aliquo, quod inungendum eſt, carentes in parte viciniori, Sacerdotum manus ab interiori parte unctæ, ab exterius, aliorum vero infirmorum ab intus injungi debent.

In membris, quæ in homine paria ſunt, hoc valde cavebunt, ut, cum utrumq; membrum unius tantum ſenſus ſit, utriusque itidem unctionem, unica tantum forma verborum abſolvat, dextrum primo, deinde ſiniſtrum inungendo.

Noverint, quibus Sacramentum ſit dandum, quibus non. Sicut enim adultis pericule ægrotantibus, propeque moribundis miniſtrandum eſt: ita pueris uſu rationis carentibus, amentibus, niſi interdum uſum rationis habeant, furioſis, excommunicatis, interdictis, impœnitentibus, ad bellum proficiſcentibus, navigantibus, peregrinantibus, ultimo ſupplicio afficiendis, miniſtrari nullo pacto debet.

Porro in una eademque ægritudine, ſemel tantum inungendus eſt infirmus, idque in extremis, qui, ſi convaleſcat, repetatur unctio, quoties in ſimile vitæ diſcrimen inciderit.

Cum ad ægros, qui a Parochiali Eccleſia longius abſunt, Sanctiſſimum Corpus Domini deferunt, ne, ubi ad Parochiale domicilium redierint, mortem ille prius obeat, quam ad Extremæ Unctionis Sacramentum eidem miniſtrandum reverti poſſit, vaſculum etiam illius ſacræ Unctionis ſecum ferant, illam ei, poſtquam communicarit, miniſtraturi, ſi tamen ita pro morbi ingraveſcentis ratione, mortisque periculo faciendum eſſe cenſuerint.

Caveant autem, ne in eo miniſtrando negligentiam, ullamve moræ culpam contrahant. Quod ſi quis ad illius

illius adminiſtrationem requiſitus ire neglexerit, præter rationem, quam DEO Opt. Max. redditurus eſt, etiam arbitrariam pœnam non evadet.

Quia vero quam plurimi nefaria quadam ſuperſtitione laborantes, exiſtimant, ſe ſtatim atque hoc ſalutari remedio uſi fuerint, ex hac vita neceſſario migraturos, explicandæ ſunt accuratius utilitates, quas ex hoc Sacramento capimus, ut ſi nihil aliud fideles ad ejus uſum poſſit allicere, ipſa ſaltem utilitate ducantur, cum ita comparatum ſit, ut omnia fere noſtris commodis metiamur.

Docebunt igitur hoc Sacramento gratiam tribui, ac peccata leviora, &, ut communi nomine appellantur, venialia remitti, animam a languore & infirmitate, quam ex peccatis contraxerunt, curari, & a cæteris omnibus peccati reliquiis liberari, arma & vires, quibus vim & impetum hoſtis infringere poſſimus, ſubminiſtrari, ſanitatemque corpori, ſi ita expediat, reſtitui.

Quod ſi ægroti eo tempore eam minus conſequuntur, id quidem non Sacramenti vitio, ſed ob eam potius cauſam evenire dicendum eſt, quod eorum magna pars, vel qui ſacro Oleo unguntur, vel a quibus adminiſtratur, fides infirmior ſit, quæ tali tempore maxime excitanda eſt; utcunque enim, quod ad corporis valetudinem attinet, Dei conſilio & voluntate, ceciderint, certa ſpe niti debent, ſe hujus ſacri Olei virtute, ſpiritualem ſanitatem conſecuturos eſſe, futurumque, ut ſi eos vita decedere contingat, præclaræ iſtius vocis fructum percipiant, qua ſcriptum eſt: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Una eademque ſtuppa, vel panniculo plura loca uncta, non detergant, ſed ad quamlibet unctionem aliam ſemper adhibeant.

Quibus in Eccleſia Cathedrali, vel alibi, id muneris datum eſt, ut Oleum, aut Chriſma ſacrum Archi-Presbyteris, vel Plebanis diſtribuant: ii in librum eo nomine confectum, illarum Eccleſiarum nomina referent, quibus dederunt, nihilque prorſus quocunque titulo, niſi Simoniæ crimini, pœniſque eorum ſuccumbere velint, exigant.

Pari ratione Archi-Presbyteri, Plebani, Capellanive Epiſcopales libro notent eas Eccleſias Parochiales, quibus ſingulis annis Olea ſacra diſtribuerunt. Ii vero omnes, ne illa aliis, quam Presbyteris, vel ad minus in Sacris conſtitutis deferenda dent, prout Conſtitutionibus LUCÆ & HOSII optime eſt conſtitutum. Deferre autem debent in vaſculis mundis, bene terſis & ſtudioſe clauſis, atque theca lignea corio obducta incluſis, non ſtola involutis.

Ii, qui ad ea accipienda mittuntur, moras inutiles, & minus neceſſarias, in loco, ubi ea accipiunt, non nectant, multo vero minus iis acceptis, tabernas, vel alia loca profana frequentent, ſed ſtatim atque ea receperunt, ad Eccleſiam, vel ad locum, unde ad Eccleſiam ſolenni ritu, cum cereis, cantu, campanis, vexillis deducenda ſunt, referant, & ſuo loco deponant.

Vaſcula Olei infirmorum, ſicubi ob paupertatem Eccleſiarum argentea eſſe non poſſunt, ad minus ex ſtanno puro Anglicano eſſe debent tantæ altitudinis, ut etiamſi vaſcula inclinari vel inverti contingat, Oleum tam facile effluere non poſſit. Ærea quoniam omnis generis ſordes attrahunt, omnino ſint interdicta.

Denique poſt novi Chriſmatis conſecrationem, nemo ſub depoſitionis pœna, ut ab Anteceſſoribus noſtris ordinatum eſt, veteri Chriſmate in ullis cæremoniis utatur, ſed eo ſuper altari, vel portatili aliquo antiquo combuſto, recens currentis anni die Cœnæ Domini conſecratum adhibeat.

De Ordinatione Clericorum.

PArochi Dominico illo die, qui quatuor ſtata jejunii tempora, quibus Ordinis Sacramentum miniſtrari conſuevit, proxime antecedit, ſolenne illud jejunium hujus rei cauſa inſtitutum accurate denunciabunt, ſupplicationesque & Litanias in ſua unusquisque Parochiali Eccleſia pie & religioſe inſtituent, ut Dei, Sanctorumque ope implorata, tum Ordinans in eorum delectu, quibus Ordines conferet, Spiritus

Sancti

Sancti lumine illustretur; tum illi, quibus conferuntur, in vitæ sanctitate, doctrina, religiosisque virtutibus proficiant.

Quicunque autem nuncupari deinceps Ecclesiastico ministerio volent, caveant, ne aliquod Canonicum impedimentum habeant, quod illos ab Ordinibus suscipiendis arcere possit.

Deinde ne gratia cujusquam vel metu, vivendique licentius, aut sæcularis judicii fugiendi animo, vel quod sæpe accidit, temporalis commodi, lucrive intuitu quæstum facientes, pietatem, vel, quantum in eis est, ostentui Divina habentes, eligant hoc sanctum vitæ atque Angelicis humeris formidandum officii genus, quin potius id sibi propositum habeant, ut pie & caste viventes in hoc sæculo, Deo fidelem cultum, Ecclesiæ obsequium, proximorum saluti sedulam operam navent.

Sint deinde scientia & literatura instructi competenti.

Prima Tonsura non initiabuntur, qui Confirmationis Sacramentum non susceperint, & Fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciunt. Ad minores Ordines promovendi, bonum a Parocho & Magistro Scholæ habeant testimonium, linguamque latinam saltem intelligant, & fidei rudimenta norint.

Cumque hinc ad altiores gradus, & sacratissima Mysteria sit ingressus, nemo iis initiabitur, quem non scientiæ spes majoribus Ordinibus dignum ostendet. Porro admittendi ad majores, præter bonum testimonium, quod habere debent, sint etiam mediocriter saltem in literis versati, Breviarium habeant, noverintque recitare Horas Canonicas. Sciant item reddere rationem Sacramentorum omnium in genere: speciatim vero pertinentia ad naturam & exercitium Ordinis ejus, ad quem promoveri cupiunt: Presbyterandi autem idonei sint præterea ad docendum populum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & ad ministranda eidem Sacramenta, atque ita pietate ac castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint exspectari. Et quidem ad majores singulos evehendi uno mense ante ordinationem Archi-Presbyterum quisque suum adeant, exposituri illis nomen, cognomen, parentes, & patriam, in qua nati sunt, vel ubi domicilium habeant, ut desiderio illorum publice in Ecclesia proposito, de natalibus, ætate, moribus & vita ipsorum perquirant, literasque testimoniales bene clausas, & sigillo suo munitas inquisitionem hujusmodi continentes, ad Nos, aut ad Officialem nostrum tempestive transmittant, vel ejusdem ordinandis (qui feria quarta ordinationem proxime præcedente præsentare se Nobis pro examine debebunt) deferendas tradant.

Quicunque aliquem Ecclesiasticum Ordinem suscepturi sunt, de iis periculum fiat, non solum in literarum scientia, verum etiam in cantus peritia ad Ordinis, quem tunc suscipient, functiones rite, recteque obeundas necessaria.

Cum autem inquisitio fiet de vita & moribus atque scientia ordinandorum, Parochi, vel Archi-Presbyteri investigent etiam, perscribantque, an promoti jam ad aliquos Ordines, si ulterioribus insigniri cupiunt, modeste, ut Ministros Dei, vocatosque in sortem ejus decet, vixerint: num in ministeriis Ecclesiæ assidui fuerint: reverentiamque Presbyteris, & aliis Superioribus exhibuerint: ante omnia vero, an Sacramentum Pœnitentiæ & Communionis crebrius, quam antea, usurpaverint.

Viderint autem isti, quibus & quomodo testimonium perhibeant, quamque si (quod absit) inhabiles aut scandalosos commendent, præter gravissimum falsæ attestationis crimen, quod incurrunt, impii sint etiam in Deum, atque Ecclesiam, dum Superioribus tales ordinandos in dedecus Ordinis Clericalis, ruinamque & perniciem multorum obtrudunt.

Atque ætas quidem in assumendis ad primam Tonsuram & tres minores Ordines septem, ad Acolythatum duodecim completorum, ad Subdiaconatum viginti duorum, ad Diaconatum viginti

viginti trium, ad Presbyteratum viginti quinque annorum requiritur: istos sufficit tamen inchoatos esse.

Et quoniam prohibet Apostolus, ne cuiquam manus cito imponamus; nemo se inposterum a susceptione ultimi minorum Ordinum gradus ad majorem, vel ab uno majorum ad alterum promovendum speret, qui in ante suscepto annum saltem unum in Ecclesia, cui asscriptus est, non ministraverit, nisi forte vel causa studiorum absit, vel Ordinarius loci expedire aliter ob necessitatem, aut utilitatem Ecclesiæ existimaverit.

Verum ne ii, qui Divino Ministerio adscripti sunt, cum dedecore Ordinis sui mendicare, vel sordidum aliquem quæstum exercere, sedibusque incertis hinc inde vagari cogantur, nullus sæcularis Clericus, quamvis alias idoneus sit, & omnia requisita habeat, ad Ordines sacros admittendum se sciat, nisi prius juxta Concilii Tridentini Decretum legitime constet, eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere, vel in aliqua Ecclesia certam provisionem habere, quod Beneficium resignare non poterit, nisi facta mentione, quod ad titulum ejus sit promotus, neque ea resignatio admittetur, nisi constito, quod possit aliunde commode vivere. Sed etiam Ecclesiam, in qua provisus est, absque speciali nostra, vel Officii nostri permissione & scitu non dimittet, nisi interdictum sibi esse propterea exercitium Ordinum velit.

Neque vero illi, qui patrimonium, vel pensionem aliquam obtinent ordinari post hac poterunt, nisi quos Nos pro necessitatibus & commoditatibus Ecclesiarum nostrarum assumendos esse judicaverimus; eo quoque prius perspecto patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint; atque deinceps sine licentia nostra alienari vel extingui, vel remitti nullatenus possint, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint.

Caveant autem Parochi, & alii quicunque assignantes illis provisiones in suis Ecclesiis, ne quod interdum fieri solet fictis atque ementitis pro tempore provisionibus Nobis, vel Officiali nostro imponere conentur; alias scienter & in fraudem provisi, hoc pacto ab executione susceptorum Ordinum sint ipso facto suspensi, speque & facultate omni aspirandi ad superiores careant, providentes autem pœnam excommunicationis incurrant.

Alienæ Diœcesis Clerici, nisi vel per triennium Nobiscum fuerint commorati, vel domicilium saltem firmum a decem annis sine voluntate redeundi ad locum originis in Diœcesi nostra habuerint, vel alias domicilium contraxerint, juxta juris dispositionem ordinari absque dimissoriis Ordinariorum suorum literis (in quibus præter facultatem suscipiendi Ordines causæ etiam legitimæ, ob quam a propriis Episcopis ordinari non possint, exprimantur, examinatosque illos de natalibus, ætate, scientia, moribus ac probatos esse, & beneficium, aut patrimonium, vel provisionem sufficientem in aliqua Ecclesia habere constet) nullo pacto poterunt.

Noverint denique ad sacros Ordines non admittendos esse citra obtentam legitime atque exhibitam Nobis, vel Officiali nostro dispensationem, aut nisi alias idonei, & habiles reddantur, illegitimos, hæreticis parentibus non conversis postea natos, aut quandoque in hæresin lapsos neophitos, bigamos, irregulares, suspensos, interdictos, excommunicatos majori excommunicatione, minores natu, non confirmatos, rudes, atque ignaros, criminosos, & solenniter pœnitentes, homicidas, adulteros, perjuros, usurarios, manifestos & ebrietati deditos, infames, obligatos ratiociniis, servos, vitiatos corpore, insigniter deformes, peregrinos, & ignotos, hermaphroditas, amentes, morbo caduco laborantes, energumenos, non examinatos & probatos, & alios id genus quibuscunque Canonicis impedimentis irretitos.

De

De Sacramentalibus, Cæremonialibusque, & abuſu eorum tollendo.

CUm, quæ ad propulſandas artes Satanæ, animique & corporis ſanitatem benedictione Domini tuendam ſalubriter inſtituta ſunt, fidelem populum in propriam animarum ſuarum pernitiem abuti minime conveniat; Parochi iis Feſtivitatibus, quibus res nonnullæ, puta, cerei, cineres, palmæ, herbæ, & ſimilia pro temporis qualitate juxta vel inſtitutum Eccleſiæ, vel conſuetudinem hujus Diœceſis, non absque ſacratiſſima plurimorum myſteriorum ſignificatione benedicuntur, ut Parochiani frequenter adſint, aliquot diebus ante ſedulo exhortabuntur, docebuntque, ut, ſicut pium valde ac utile eſt, Sacramentalibus, Cæremonialibusque religioſe uti, ita econtra ſacrilegum prorſus aliter illis, quam qualiter inſtituta ſunt, ad ſuperſtitiones, veneficia, & incantationes adhibere. Proinde quid prædictæ cæremoniæ & benedictiones ſibi velint, & quid circa eas Eccleſia a DEO Opt. Max. precetur, pie ac diligenter populo explicabunt, enarrabuntque, atque ut in cæremoniis uniformitas ubique per Diœceſim in prædictarum rerum benedictionibus obſervetur, Cathedrali Eccleſiæ omnes ſe ſe conformabunt, ita tamen, ut quando ex Miſſali Romano haberi poſſunt, aliis non utantur, ſed tunc tandem ad librum Agendorum hujus Diœceſis recurſum habeant, quando ibi non inveniuntur.

Circuitus, ſeu Proceſſiones circa fontem Baptiſmalem in triduo Paſchatis fieri conſuetæ impoſterum non fiant: orationes Paſchales, obequitationes ſegetum, ereptionesque ſacrarum ab invicem imaginum, repræſentationem Aſcenſionis Domini in cœlum, ſimulacrorum dœmoniacorum in hebdomada ſancta, ex fornice dejectiones, aliaque ſimilia Chriſtianis hominibus indigna prorſus, excitationes item ignium in Vigilia Sancti Joannis Baptiſtæ, arborum erectiones, & choreas, quæ circa illas fiunt, tanquam ab Ethnicis introducta (a quorum moribus & vita Chriſtianus populus quam longiſſime abeſſe debet, eoque malitia procul dubio & fraude Diaboli directa, ut fideles a recolendis noſtræ Redemptionis myſteriis, cultuque & obſervantia Feſtorum debita, ad nugas vel ludicra avertantur, omnino abrogata, ſub pœna viginti Ducatorum Ungaricorum eſſe hiſce Synodalibus Conſtitutionibus volumus, & declaramus præcipiendo Officialibus noſtris, ac Magiſtratibus, ut in ſimiles exceſſus ſevere animadvertant, neminemque inobedientem in hoc paſſu impunitum abire permittant.

Cæterum cum puerperas fornicarias, qualescunque in templum poſt partum introducere nihil aliud ſit, quam illorum peccatis communicare, & crimen earum cæremoniis ab Eccleſia inſtitutis approbare, idcirco, ne ſimiles inhoneſtæ mulieres impoſterum introducantur, ſub excommunicationis pœna interdicimus & prohibemus.

Ad preces vero, quæ ſupra puerperam funduntur, quando poſt partum illa gratias Deo actura ad Eccleſiam ſe confert, domum puerperæ Parochi non ingrediantur, etiamſi mulier ob adverſam valetudinem Eccleſiam adire non poſſit.

Denique conſuetudinem illam, vel potius ſuperſtitionem abominabilem, qua puerperæ in partu mortuæ, & poſtmodum ante illationem in Eccleſiam reconciliatæ, opera mulierum per portam ſpecialiter ad id ordinatam, ter circum altare feruntur, ac tandem aliis vanitatibus non paucis expeditis extra Eccleſiam prope parietes ſub ſtillicidiis ex tecto decidentibus in lintre ſepeliuntur, tanquam vanum & ſuperſtitioſum abrogantes, præſenti Statuto interdicimus, neve Parochi ſub pœna Synodali id impoſterum fieri permittant, ſerio inhibemus.

De vita & honeſtate Clericorum.

UNus ædificans, & alius deſtruens, quid prodeſt? Cum igitur Parochi, & alii, quibus cura animarum incumbit, non tam ſæpe doctrina atque accurato officii ſui exercitio in reſurrectionem, quam vita corrup-

ta & malo exemplo positi sint in ruinam multorum, caveant, ne quod Pharisæis exprobravit Dominus: Dicunt & non faciunt, voxque quidem illorum sit vox Jacob, sed manus, manus Esau, quin potius exhibeant se in omnibus sicut Dei Ministros, nemini dantes ullam offensionem, ne vituperetur ministerium illorum, & nomen Dei propter illos blasphemetur.

Ac inprimis, ut ex habitu etiam corporis externo interior compositio mentis, animique appareat, coronam, seu tonsuram in vertice capitis suo quisque Ordini congruentem deferat, barbas, comasque nimis prolixas non nutriant, quin imo frequenter præscindi, faciant superioris labri lanuginem, capillos non calamistrent, nec eminentiores supra frontem gerant.

Vestitu utantur nigro, talari modesto, non sordido tamen, ac pro conditione quisque sua pileis non utantur ante & retro discissis, nihil sectum, nihil acu pictum, nihil elaboratum ad corporis cultum exteriorem exhibeant.

Niteant potius, quam splendeant, absint sordes, adsit mundities, annulos sub & amissione eorundem, & alia juxta valorem illorum pecuniaria pœna, distribuenda in pauperes, non gestent, nisi Prælati sint, aut quibus hoc competit ex officio, dignitate, gradu, vel privilegio speciali.

Horas Canonicas singulis diebus tempestive, integre, attente ac devote recitent ex Breviario Romano, juxtaque Rubricam hujus Diœcesis, ad cujus præscriptum etiam reliqua Divina Officia dirigant.

Denique in suo quilibet officio ac ordine, Deo, Ecclesiæ, ac populo fideliter serviant, otiumque inprimis, quod multa docuit mala, imo malorum omnium est seminarium, cane pejus & angue oderint, ac proinde in altam non stertant diem, sed quidquid illis ab oratione, Ecclesiæ cultu, sacris Officiis, cura animarum, reique etiam familiaris necessaria inspectione temporis supererit, totum id lectioni, & meditationi sacrarum Literarum tribuant, quo potentiores sint, exhortari in doctrina sacra, eosque, qui contradicunt, arguere.

Vitam deinde domi pie, caste, sobrie instituant, & imprimis supellectilem domesticam, non pompòsam, neque exquisitam, mundam tamen, & decentem habeant, quæque ut ab omni superfluitate & vanitate abesse debet, ita dignitati & statui vocatorum in sortem Domini maxime respondeat.

Familiam quoque non alant superfluam, nec discolam, sed bene & laudabiliter moratam, & quæ in vestitu, cultu, & omnibus actionibus honestatem præ se ferat, sicut decet ministros Ministrorum Dei.

Accubituri mensæ benedicant, & post eam gratias agant, lectionemque sacram, si qui legat, non desit, comestioni adhibeant, gulæ & ebrietati nec ipsi indulgeant, nec hospites, si quos apud se habebunt, ad eam invitent, sed temperantiam & frugalitatem colant in omnibus, colereque alios mensa sua doceant.

Ex altera autem parte avaritiam, quæ est idolorum servitus, fugiant, caveantque, ne proventus Ecclesiasticos, qui post provisas competenter ipsorum necessitates ornamentis Ecclesiæ, pauperumque eleemosynis debentur, pro ditandis consanguineis coacervent, vel surripiendos alienis, abusuris illorum labore relinquant.

Simoniæ item & usuræ filiarum rabiosæ hujus cupiditatis abominentur turpitudinem, & gravissimas pœnas perhorrescant. Ante omnia vero indignam, quæ etiam ne nominari quidem debet in bajulis Christi, libidinem, suspicionemve, ac occasionem ejus omnem vitent, neque concubinas, aut alias suspectas mulieres, præsertim juvenes, vel in quarum obsequio aut familiaritate juniores versantur, domi suæ tenere, vel extra fovere, ullamque cum eis consuetudinem habere audeant, multo vero minus cum illis ad civitates & alia loca in eodem curru assidentes proficiscantur, aut propriis suis Sacerdotalibus vestibus indutas ad civitates, & mercatus tam intra, quam extra Episcopatum mit-

mittant, ſub pœnis a Concilio Tridentino, & Conſtitutionibus Synodalibus piæ memoriæ CROMERI, quas hic pro inſertis haberi volumus, expreſſis.

Licitum tamen erit Sacerdotibus provectas jam annis & moribus fœminas habere pro honeſto ſervitio, dummodo de turpi conſuetudine ſecum ante ſuſpectæ non fuerint, & in ſeparatis ab invicem cubiculis manſerint.

Curent præterea, ut teſtimonium habeant bonum, etiam ab his, qui foris ſunt, ſicque inter homines verſentur, ne in opprobrium incidant, & laqueum diaboli, & cum Apoſtolo bonus odor ſint Chriſti. Et ideo tabernas compotandi gratia non adeant, comeſſationes & convivia ſæcularium etiam rogati, præſertim ubi fœminæ adſunt, non frequentent, prophanis ſpectaculis tam in publico, quam in ſecreto non interſint, a choreis, luſu chartarum, & aleæ abſtineant, aves & canes venaticos non alant, nec venationibus clamoroſis utantur.

Non ſint etiam iracundi, maledici & percuſſores, quin ne arma quidem ulla offenſiva deferant, vel deferri a famulis poſt ſe faciant, niſi quando ſunt in itinere.

Non arent item in bove ſimul & aſino, neque militantes Deo, implicent ſe ſæcularibus negotiis, mercaturam proxeneticam, tabernariam, & alias indignas ſtatu ſuo lucri artes non exerceant, negotia laicorum & tutelas absque licentia noſtra non gerant, neque cauſas in foro ſæculari advocent, niſi forte ſuas & Eccleſiarum ſuarum, propinquorumve, aut miſerabilium perſonarum.

Fidejuſſiones, excepta Eccleſiæ neceſſitate, non faciant, Clericos ad Judicem ſæcularem, omiſſo Pontifice, non pertrahant, neque citent, ſub pœna depoſitionis & amiſſionis cauſæ judiciis capitalibus non interſint, quin nec ſpectaculis ſuppliciorum, niſi confortandi puniendos gratia.

In ſermone ſint pauci, graves, modeſti, prudentes, non mordaces, vaniloqui, mendaces, ſeminantesque inter fratres diſcordias, in actione vero omni humiles ſe ſe manſuetos, patientes, benignos, cumque opus fuerit, fortes, invictos, atque zelum Domini zelantes præſtent.

Denique ita vitam domi, moresque ſuos & foris componant, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſtudiis, ſermone, & actibus omnibus nihil, niſi grave, modeſtum, moderatum, ac religione plenum præ ſe ferant, ſicque doctrina & exemplo luceant omnibus, ut debitam ſibi & Ordini concilient venerationem, normamque eis ac vivum exemplar pie & ſancte vivendi ſe ipſos exhibeant.

De modo acceptandi Beneficia Eccleſiaſtica.

NEmo reſignanda ab aliis Beneficia, priusquam revera reſignentur, etiamſi ſub clauſula reſignaturus eſt, impetrare audeat, cum ejusmodi præſentationes & collationes contrariæ ſint juri, ac proinde irritæ ac nullæ.

Nullus item paciſci cum Patronis, aut tranſigere quovis modo audeat, de alienandis hoc nomine, vel non repetendis ab eis bonis aut juribus Eccleſiæ, decimisque frumentariis in pecuniarias in præjudicium Succeſſoris convertendis vel locando, vel minuendo earum pretio, ſub pœnis a jure in taliter proviſos ſimoniace, latis.

Sint vero Plebani omnes inſtituti, teneanturque Nobis, vel Vicario noſtro, aut etiam Viſitatoribus noſtris requiſitis, literas Inſtitutionis ſuæ oſtendere; quod ſi inſtitutio eorum ad inferiores pertineat, ab Epiſcopo tamen juxta alia Statuta a Sacroſancta Tridentina Synodo examinari debet, alioqui inſtitutio irrita ſit, & inanis, licebitque præſentatos taliter a Patronis, ſi idonei reperti non fuerint, repellere.

Si quis autem eo temeritatis proceſſerit, ut Parochialem Eccleſiam, vel aliud quodcunque curatum, aut non curatum Beneficium, adminiſtrationemve, vel detentionem ejus ſine inſtitutione, commendationeve canonica reperire, aut recepta quovis colore, aut prætextu tenere auſus fuerit, præterquam quod jure & authoritate adminiſtrandi

ſtrandi in eis Sacramenta carebit, fructusque non faciet ſuos, etiam ad reſtitutionem tenebitur, ad Beneficium quoque illud, & aliud quodcunque obtinendum reddetur inhabilis, aliisque, ſi quæ habet, canonice obtentis, privatus ſit eo ipſo.

De Canonicis, & eorum officio.

DIgnitates in Eccleſiis, præſertim Cathedralibus, ad conſervandam, augendamque Eccleſiaſticam diſciplinam inſtitutas eſſe, ut, qui eas obtinent, pietate præcellant, aliisque exemplo ſint, atque Epiſcopos opera & officio juvent, ſicut Concilium Tridentinum diſertis verbis docet. Cum igitur Canonici primi ſint poſt Epiſcopum, prima quoque cura ipſorum, & præcipua eſſe debet, ut ſuo nomini reſpondeant, ſicque in omnes partes oculos convertant, nihil ut ſit inter eos, quod fieri non debeat, quodque Eccleſiaſtica diſciplina cohiberi oporteat, ſed ſicut primi ſunt poſt Epiſcopum, præſtantque dignitate Sacerdotibus cæteris, ita exemplo, doctrinaque ſua præluceant aliis, eisque ad pietatem & vitam cum honeſtate tranſigendam duces exiſtant.

De Archi-Presbyteris, & ipſorum officio.

ARchi-Presbyteri dignitatem(*) imprimis habere debent notitiam limitum Archi-Presbyteratuum ſuorum, numerumque Eccleſiarum ad eosdem pertinentium, & quibus in locis ſitæ ſunt, ſub quibus Patronis, quot villas, quotque Parochias ad ſuam jurisdictionem ſpectantes habeant.

Semel in anno, viſitatione videlicet Archi-Presbyterali prius peracta, Eccleſiarum Parochos in locum aliquem commodiorem convocabunt, præmiſſaque Miſſa cantata de Spiritu Sancto, atque exhortatiuncula aliqua facta, Conventum Archi-Presbyteralem celebrabunt, in quo de ſcandalis amovendis, ac de occurrentibus negotiis Eccleſiaſticis mutuo cum Parochis conferent, & ſi qui ſcandaloſi, atque reprehenſione digni reperti fuerint, eos diligenter monebunt. Majora vero ſcandala, ſi quæ fuerint, quibus ipſi obviare non potuerint, Nobis, vel Vicario noſtro Generali deferre ſint obligati.

Ipſorum erit etiam in ſuo diſtrictu Archi-Presbyterali Viſitatoribus generalibus a Nobis deputatis comites ſeſe exhibere, & executioni omnia, quæ in memoratis viſitationibus ab ipſis, vel potius a Nobis ordinata fuerint, diligenter mandare, quod ſi ex Parochis in executione dictorum negligentes, vel contumaces fuerint, aut etiam ordinationes præfatas gloſſis quibusque impertinentibus & injurioſis notare in margine, ac maculare auſi fuerint, præter pœnam carcerum, quam ad beneplacitum noſtrum ſubire debebunt, etiam arbitrariis pecuniariis pro qualitate verborum, & injuriarum irremiſſibiliter ſubjicientur.

Mandata noſtra, & quoſcunque proceſſus ad ipſos directos Parochis vicinis intimare, & executioni omnia opportune demandari curabunt.

Semel in anno Eccleſias & Parochias viſitantes, intelligent, quomodo per ſuos Parochos cultus Divinus peragatur, an circa Eccleſiam Ciborium, Baptiſterium, Olea ſacra, & ſimilia ſuo ordine & decore omnia ad præſcriptum Viſitatorum noſtrorum conſiſtant; Quomodo Sacramenta adminiſtrentur, an forma, & materia rite ſervetur, an pueri ſine Baptiſmo, & adulti, absque aliis Sacramentis neceſſariis moriantur, an in adminiſtratione Sacramentorum, & aliis ritibus Agendis Diœceſis, & libris a Nobis approbatis utantur; an Miſſæ, quas concio, & proceſſio præcedere debent, Dominicis & Feſtivis etiam celebribus pro more & conſuetudine Eccleſiarum habeantur; an aliqui ex Parochianis in Paſchate Confeſſionem, Communionemque Sacram intermiſerint, an in confeſſionibus excipiendis cautiones debite adhibeantur, an Officia Divina ad præſcriptum Miſſalis Romani & Breviarii decurrant. Secus enim ſi quos feciſſe animadverterint, ad Nos, vel Officialem noſtrum deferant.

[*] Addendum videtur: *adepti*, aut quid ſimile.

Item curabunt, ne Parochiani ſignum Sanctæ Crucis, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum, & Decalogum ignorent.

Intelligent etiam de vita & moribus Parochorum, de frequenti ipſorum celebratione, & an debita reverentia & confeſſione, quantum probabile eſt, opus eſſe, præmiſſa faciant Sacra: an in conſecratis Eccleſiis, vel cum indulto in non conſecratis celebrent, portatilibusque in altaribus violatis, aut enormiter factis in defectu Conſecrationis utantur, & an Horas Canonicas debito tempore, etiam in itinere recitent. Denique etiam eorum erit Parochorum ſibi ſubjectorum confeſſiones excipere, vel alicui alteri viciniori & doctiori id ipſum committere, ita ut omnibus de idoneis Confeſſariis proſpiciatur, in quo ipſorum conſcientias oneratas eſſe volumus.

Curabunt ſemper de ſucceſſu, de curſu viſitationum Archi-Presbyteralium ſuarum informationem debitam, & ſufficientem habeamus, & ſi quæ graviores exorbitantiæ currunt, literis ſuis aut viva voce Nos certiores faciant.

Inquirent etiam de Parochorum proventibus, an librum reddituum, & proventuum ſuorum, atque bonorum, beneficiorumque in Eccleſia ſua fundatorum habeant, an Vicarii & Beneficiati officio ſuo ſatisfaciant, an aliquid ab Eccleſia ſit alienatum, quo tempore, & per quem.

Inſpicient etiam Parochialia ædificia, an ſarta tecta Parochis tradita in debito eſſe conſerventur, an Parochiani hac in parte ultra debitum & poſſe ab ipſis graventur, an ea perire omnino permittant, & collabi.

Inventaria domorum Parochialium exhiberi ſibi curabunt, videbuntque, an omnia inventario illata ſalva & integra exiſtant, & ſi quæ ſunt nulli uſui, vel quæ diu durare non poſſunt, taxatione per viros præcipuos Parochiæ facta pecuniis diſtrahant, easque inventario inſcribant.

Fraternitatum tam ſæcularium, quam ſpiritualium Statuta videant, & examinent, & ſi qui articuli fuerint ejusmodi, ut non videantur eſſe ferendi, de iis, ut eos aboleamus, & alios in ipſorum locum ſubſtituamus, ad Nos referant.

Quod ſi forte in aliqua Eccleſia confluxus hominum & frequentia certis anni temporibus ex conſuetudine vel indulgentiis, aut miraculorum in eo factorum gratia fieri ſolet, moneant Parochos, ut, quam fieri poteſt, diligentiſſime ad concionandum ſe præparent, vel ſi ſibimet ipſis inſufficientes ad hoc videbuntur, ſaltem de aliquo idoneo & docto Concionatore tunc temporis provideant.

De Confeſſariis, & eorum officio.

MAgnum profecto Confeſſariis incumbit onus purgando Sacramento Pœnitentiæ animas confitentium. Quamobrem cum Judicis & Medici perſonas ſuſtineant, gravitatem benignitate temperatam habeant, neceſſe eſt, ſciantque, quæ ad judicium faciendum & ad morbos fugiendos pertinent, ut inter peccatum & non peccatum, inter lepram & non lepram, inter veniale & mortale, commiſſum & omiſſum diſcrimen facere poſſint, atque ſic ægro condoleant, ut magis indulgentes Patres, quam ſeveri Judices videantur.

Oportet autem Confeſſarios poteſtate præditos eſſe, ſive ordinaria ea ſit, ſive delegata, qua ſi caruerint, nihil agent, fruſtraque laborem capient.

Scientia deinde ſint inſtructi ſufficienti, ut, cum opus eſt, caſus incidentes prudenter expendere, nodosque conſcientiarum recto judicio diſſolvere queant, vel ſaltem in dubiis ad Doctores recurſum habere.

Etiam atque etiam videant, qualem confitentes contritionem, ſive attritionem ſecum afferant, tum quale ſit peccatum, quod confeſſione exponitur, quibus ſepiatur circumſtantiis, & an eæ mutent ſpeciem peccati, num habeant excommunicationem annexam, & reliquas cenſuras Eccleſiaſticas: qui ſint caſus Pontifici Maximo & Nobis reſervati, an ſit reſtitutioni locus,

cus, an ſit integra confeſſio, & quibus caſibus repeti debeat.

Et cum de iis quisque pœnitens peculiariter quærendus ſit, in quibus verſatur ipſius officii ratio, ſciant etiam pro ſtatu cujusque perſonæ accommodandum eſſe examinandi modum, ut aliter eorum, qui ſunt liberi, aliter Laicorum, aliter Clericorum exploretur conſcientia.

Propter Sacerdotes vero confitentes neceſſarium etiam videtur, ut Confeſſarius etiam caſus noverit, ex quibus contrahitur irregularitas, vel ſaltem, ut in his dubitare ſciat, quo poſſit uti peritiorum conſilio.

Neque tamen exiſtiment ad eorum munus rite obeundum ſummam illam & exquiſitam ſcientiam requiri, ſed ſatis eſſe ſciant, ſi ea ſufficiens fuerit, & ſi conjunctam prudentiam habeat.

Verum hoc non propterea dictum eſſe volumus, ut ſuum in perdiſcendis conſcientiæ caſibus, & aliis ad hanc rem neceſſariis, ſtudium remittant, ſed ne animum abjiciant, & pondere hujus muneris abſterreantur.

Videant autem, ut pro peccatis occultis ſecretam, pro manifeſtis vero publicam pœnitentiam pœnitentibus injungant, ut, ſi quos exemplo ſuo ad malos mores provocarunt, eosdem emendationis ſuæ teſtimonio ad rectam revocent vitam.

Nobis tamen licebit, ſi res popoſcerit, hoc publice pœnitentiæ genus in aliud quodvis ſecretum mutare.

Fœneratorum, & qui illicitis contractibus, atque iniquis operam dant, peculiarem gerant curam, eorumque conſcientias verbo Dei, & ſceleris magnitudine terreant, neque abſolvant, niſi in quantum jura communia concedunt.

De Parochis, & ipſorum munere.

PRæter ea, quæ de prædicatione verbi Dei ſuperius a Nobis ordinata ſunt, Parochis etiam ea cura incumbit, ut agnoſcant pecoris ſui vultum, ut ante oves vadant, & paſcant in lætis & pinguibus paſcuis, ab omni hæreſi & errore avertant, nec permittant, ut in aliquam pravam opinionem, a Dei verbo, & Eccleſiæ Catholicæ doctrina abhorrentes (quod abſit) incidant.

Quia vero vultum pecoris ſui agnoſcere minime poſſunt, niſi oves, quas pabulo verbi Divini & Eccleſiaſticis Sacramentis paſcendas ſuſceperunt, nominatim vocare didicerint, idcirco omnium non ſolum villarum ſuarum Parochialium, ſingularumque familiarum tam intra, quam extra oppidum exiſtentium, verum etiam perſonarum utriusque ſexus catalogum habeant, videantque, ut omnia recte in iis, quæ ad ſalutem ipſorum ſpectant, promovendis, obeant, & exequantur.

Quantum quidem poſſibile eſt, & per alias graviores Eccleſiæ occupationes licebit, ipſimet per ſe animarum ſibi concreditarum curam agant, nihilque eorum intermittant, quæ ad officium bonorum Paſtorum pertinere videbuntur.

Originale fundationis Eccleſiæ ſuæ ſemper apud ſe in promptu habeant, illudque ad Acta Heilsbergenſis Cancellariæ, ni alias ipſius copia ibidem habeatur, ingroſſari facient.

Conſcribent inventaria tria omnium ſuorum agrorum, bonorum, redditcuum & proventuum, quorum unum ſibi reſervabunt, alterum vitricis Eccleſiæ tradent, tertium vero ad Cancellariam noſtram remittent.

Exhibebunt ſe magis liberales erga Eccleſias Sponſas ſuas, quam hucusque feciſſe videntur, ſingulisque annis de redditibus propriis menſæ ſuæ Parochialis aliquid ſaltem inventario Eccleſiæ inferant, videlicet de qualibet caſta 6. groſſos (prout ipſemet ſe ſponte facturos in hac præſenti Synodo promiſerunt) ſalva tamen Conſtitutione *Cromeriana* de inventariis agendis, præſertim cum collectæ Eccleſiarum eo uſque ſe non extendant, ut ſingulis & omnibus Eccleſiæ neceſſitatibus ſufficere poſſint.

Quod ſupereſt, in omnes & ſingulas Eccleſiæ ſuæ neceſſitates quam diligen-

gentiſſime ſemper intendent, providebuntque tanquam ſoliciti & prudentes Patres familias, quæ vel proficua eidem, vel etiam nociva ſucceſſu temporis eſſe poſſint.

Habebunt Vicarios ſufficienter literatos, & circa Sacramenta adminiſtranda bene exercitatos, quos monebunt, ut Sacramenta adminiſtranda vocati nullam tam ſanctis exercitiis moram interponant, ſed ſemper quavis hora, etiam noctis, parati exiſtant.

In adminiſtratione Sacramentorum ſequantur Agendorum in hac Synodo receptorum præſcriptum, nec ab illis vel latum unguem quidem diſcedant, nec ullas cæremonias prætermittant (quæ non carent ſuis peculiaribus myſteriis, quarum contemptus non eſſet futurus absque gravi peccato) modo abſit neceſſitas.

Cum exorciſant, ſeu catechiſant, cum liniunt, cum abluunt, cum ungunt, cur, cum abſolvunt, enarrabunt omnia & ſingula, quæ ad rem præſentem pertinent, non obiter, non præcipitanter, non veluti fugientes, & alio intendentes, ſed graviter & reverenter faciant, ut populus eos religioſe agere videns, tangatur, & ipſe religione magis magisque rapiatur in Sacramenti amorem. Ebriis autem ad ſimiles actus exercendos ne fas ſit omnino accedere.

Vitricos Eccleſiæ, ſi ſingulis annis rationem facere contempſerint, aut frivole omiſerint, trina admonitione facta Archi-Presbytero ſuo, vel Nobis denuntiabunt, quod etiam de aliis Parochianis exceſſivis & incorrigibilibus facient.

In Eccleſiis ſuis cœmiteriio, atrio, veſtibulo, & porticu, foribusque non permittant, ut quis venale quid (candelis exceptis) habeat, ne ſi ad uſum quidem Sacrificii, vel Eccleſiæ ſit futurum. Qui admoniti a Parochis contrafecerint, mercibus, quas expoſuerint, careant, ipſe vero Parochus, in hoc præcavendo ſi negligens fuerit, arbitraria pœna punietur.

Libros hæreticos apud ſe non habeant, nec legant, quin vero, quoad fieri poterit, omnem ſolertiam & induſtriam adhibeant, ut ſi qui apud Parochianos inveniuntur, eosdem auferant, & comburant, neceſſarios vero ad exequendum officium ſuum, ut Agenda Sacramentalis & Cæremonialis, Concilium Tridentinum, Catechiſmum Romanum, Navarri Manuale, vel ejus Compendium, Directorium Polanci, Caſus conſcientiæ Toleti, vel alterius probati, neoterici Authoris in prompu ſemper habeant; pro concionibus vero, ut in titulo: *De Prædicatoribus.*

Non ſolum diebus Dominicis & Feſtivis ad populum celebribus per annum, quibus tenentur ex obligatione, ſed etiam ferialibus aliquibus diebus Sacra facere non prætermittant, ita ut Parochus quiſque ruralis ſaltem plures, quam unam Miſſam, ſingulis quibuscunque ſeptimanis in ſua Eccleſia vel per ſe, vel per alium idoneum Sacerdotem faciat, niſi ad plures, vel ex conſuetudine, vel ex fundatione ſit obligatus.

In rudimentis Chriſtianæ pietatis Parochianis explicandis, nullam operam, ſtudium & diligentiam prætermittant.

Populum ad Miſſam cum devotione & attentione audiendam, quo uberiorem fructum ex tremendis Myſteriis hujus propitiatorii Sacrificii referat, hortentur, inſtruant, atque capacem reddant, pernicioſoque illo more, quo ſtatim poſt Hoſtiæ & Calicis elevationem ex Eccleſia defluere, atque potiorem ejus partem deſerere ſolent, ſublato, de præcipuo horum Myſteriorum fructu, ſedulo & frequenter moneant, diligenterque inculcent.

Proceſſuum omnium tranſumpta apud ſe habeant, & obſervent, eaque decedentes vel incedentes, una cum inventariis Succeſſori relinquant.

Juxta Catechiſmi Concilii Tridentini præſcriptum, certis anni temporibus, ſalutaria dogmata, & Religionis Chriſtianæ teſſeras, eisdem temporibus accommodata, ſuis ovibus proponant, ita ut a die Epiphaniarum ad Quadrageſimam uſque in Decalogi explicatione verſentur. In Quadrageſima de Pœnitentia & Euchariſtia diſſerant. Tem-

Tempore Paſchæ de Baptiſmo, Confirmatione, & Extrema Unctione verba faciant; circa Pentecoſten Orationis Dominicæ ſenſum aperiant, ac demum poſt Trinitatis feſtum in duodecim Symboli Apoſtolici articulis occupentur, niſi tempus & occaſio aliter fieri ſuadeat.

Bis ut minimum in anno, primis ſcilicet Adventus & Quadrageſimæ Dominicis, præcipua quædam Bullæ *Cœnæ Domini* capita, quanta poſſunt, diligentia explicent, maxime vero, quæ de excommunicatione eorum, qui jurisdictionem Eccleſiæ violant, & Chriſti patrimonium diſcerpunt, habent, eademque occaſione in uſurarios & inceſtuoſos invehantur.

Quæ de Feſtorum dierum cultu & jejuniis ſuperius determinata ſunt, ſæpius & frequentius populo inculcabunt.

Noverint Caſus Papales, eosque in tabula aliqua deſcriptos, ante oculos ſemper habeant, cum confeſſiones excipiunt, ſciantque, a quibus peccatis & cenſuris abſolvere, ipſis ſit a jure, & a Nobis permiſſum.

De ædibus Parochorum, & ſepibus.

MAgnæ eæque perpetuæ controverſiæ circa ædificia Parochialia ſarta tecta tenenda inter Parochos & Parochianos oboriuntur, illis pro arbitrio ſuo ea, quæ Anteceſſoribus placuerunt, diruentibus & disjicientibus, his vero acerbioribus lachrymis & ſuſpiriis conquerentibus, quod præterquam ab ædificiorum tam novorum ædificandorum, quam etiam antiquorum ſarciendorum moleſtiis nunquam liberi exiſtant, etiam ea, quæ ſarta tecta Parochis conſignata fuerint, conſervare detrectent. Nos etſi ſciamus multa, eaque laudabilia ad ſopiendas, tollendasque hujusmodi controverſias inter Parochos & Parochianos ab Anteceſſoribus noſtris ſancita & conſtituta eſſe (quæ omnia hic pro expreſſis & inſertis habere volumus) quia tamen ipſos parum hac in parte profeciſſe videmus, Parochis videlicet in ſuo propoſito perſeverantibus, & omnia interire permittentibus, ſed ne clavum quidem parieti aliquando infigentibus, exiſtimantibusque tunc tandem ad ſarta tecta ſervanda ſe teneri, cum ſibi ædificia non fruſtatim, ſed omnia ſimul ac ſemel, quod impoſſibile factu eſt, integra, ſartaque tecta a Parochianis tradita, ac conſignata fuerint.

Decernimus & declaramus, Parochianos ad nulla alia ædificia nova, qualiacunque tandem ea fuerint, quin vero ne ad antiqua quidem diruenda, vel mutanda, aut renovanda ante teneri, quam ad Nos re delata, informatione que ab Archi-Presbyteris habita, id ſcripto fieri debere, permiſerimus, & conceſſerimus, quodque Parochi ædificia, quæcunque etiam fruſtatim, & per partes ſibi, vel a vitricis, vel ab ædilibus integra conſignata, in debito ſuo eſſe conſervare, & manu tenere perpetuis temporibus teneantur. Id quod etiam de ſepibus tam campeſtribus, quam circa domos extendi omnino volumus. Quod ſi quis auſu temerario hanc noſtram Ordinationem & Conſtitutionem infringere & contemnere auſus fuerit, cedens Parochia, non antea ad Beneficii alterius inſtitutionem, & poſſeſſionem capiendam admittetur, decedens vero teſtatus, non antea ſciat ſe confirmationem teſtamenti ſui a Nobis obtenturum, quam de damnis illatis plene & integre, tam Eccleſiæ, quam Parochianis fuerit ſatisfactum. Id quod conſcientiæ vicinorum Parochorum, & Archi-Presbyterorum noſtrorum, nec non vitricorum Eccleſiæ committimus, qui ſtatim atque Parochia ſua quis ceſſerit, vel deceſſerit, de ſtatu ædificiorum, & aliorum damnorum illatorum Nobis ſufficientem informationem absque ulla mora vel oretenus, vel ſcriptis dare tenebuntur, derelictis defuncti interim ſalvis & integris in omnibus manentibus.

Porro (quod etiam Conſtitutionibus Anteceſſoris noſtri piæ memoriæ CROMERI cautum eſt) ne vitrici de Eccleſiaſtica pecunia in fabricam domus Parochialis, vel aliorum conferant ædificiorum, id etiam Nos gratum & ratum habentes, confirmandum eſſe duximus, confirmamusque, ita tamen, ut

ut liberum illis ſit cum conſenſu Archi-Presbyteri ſui, pro faciliori expeditione ædificiorum mutuo ad tempus aliquid dare, ex communi Parochianorum contributione recompenſandum. Verum quia circa contributiones prædictas multæ in præterita viſitatione querimoniæ ſunt allatæ, eo quod nulla in eis proportio & juſtitia obſervetur, ſed æqualiter omnes, ſive divites, ſive pauperes ſint, de domibus & familiis ſolvere teneantur, non attento, quod aliqui pauciores, alii plures manſos habeant.

Nos pro paterna erga omnes affectione ſoliciti, ne ultra debitum & poſſe quiſpiam gravetur, ſed juxta facultatum proportionem, alii plus, alii minus contribuant; præſentibus hiſce Conſtitutionibus noſtris declaramus atque decernimus, quod ſi quæ contributiones, in neceſſitates Eccleſiæ impoſterum faciendæ ſunt, non de domibus & familiis, ſed de numero manſorum, quos quis excolit, ſimiles collectæ fiant.

De Inventariis Parochiarum.

QUæ de Inventariis Parochialium ædium ab Anteceſſoribus noſtris diverſis Synodicis Conſtitutionibus ordinata fuere, talia ſane ſunt, ut illis aliquid addi poſſe vix videatur. Quia tamen non idem ſolet eſſe perpetuo rerum ſtatus, quod fit perſæpe, ut quæ bene cœpta ſunt, progreſſu temporis langueſcant, nec eum, quem oporteret, quique fuit præpoſitus a principio, exitum conſequantur, Noſque ex decurſu viſitationis præteritæ didicerimus multa, quæ partim Parochorum, partim etiam vitricorum inadvertentia hac in parte irrepſerunt, emendatione digna, tum quod quædam res ad prædicta inventaria ſpectantes, nec aſſervatione quidem dignæ, aliæ vero diuturnitate temporum conſumptæ, putrefactæ, & etiam a vermibus corroſæ; aliæ vero in unum aliquem angulum a Parochis comportatæ & abjectæ, rubigine ita exeſæ inveniantur, ut nullis uſibus deſerviant. Nos tot ac tantis damnis obviare, & bono Parochiarum conſulere cupientes, ſequentia circa dicta inventaria decernimus.

Inprimis, ut Archi-Presbyteri in prima futura viſitatione Archi-Presbyterali omnia inventaria ædium Parochialium diligenter revideant, & quæ inventaria tali digna ſunt, relinquant, quæ non, abjiciant; quæ vero temporum diuturnitate facile abſumi & putrefieri poſſunt, pecuniis a duobus vel tribus præcipuis bonæ fidei viris, aut vitricis æſtimari & diſtrahi faciant, atque pecunias pro iis acceptas inventario inſcribant.

Cæterum ad pecora, equos videlicet, boves, vaccas, oves, porcos, & his ſimilia, quod attinet, quia nonnulli Parochorum bonorum ſuorum privatorum magis, quam publicorum ſtudioſiores, & ad res domeſticas ſuas, ſuorumque magis, quam Eccleſiæ augendas attentiores, poſtquam iis longo tempore uſi fuerint, & fructus inde non contemnendos perceperint, plerumque debiliora, & quæ neque incedere, neque loco ſe movere poſſunt, tam poſt ceſſum, quam deceſſum Succeſſoribus ſuis relinquere conſueverunt; idcirco ne ſucceſſu temporis inventaria hæc dolo malo minuantur, & pereant, ſtatuimus, ut Parochi non ante Parochiis ſuis cedant, neque a Nobis inſtitutionem ad aliud Beneficium tranſeundi petere audeant, quam teſtimonium in ſcriptis propria manu Succeſſoris, vel ejus, cui id a Nobis committetur, ſubſcriptum attulerint, ſe in omnibus ac ſingulis, inventario Eccleſiæ & domus ſufficienter non ſolum ſatisfeciſſe, verum etiam illud ipſum pro poſſe & diuturnitate temporum auxiſſe, atque ampliaſſe, & nihil Succeſſori, quod ad rem domeſticam promovendam inutile foret, obtruſiſſe. Id, quod etiam decedentium teſtamentorum Executores obſervare diligenter tenebuntur, nihilque de rebus defuncti diſponere & ordinare, antequam confirmato a Nobis teſtamento, ſimilibus inventariis, in omnibus punctis & clauſulis ſatisfactum accurate fuerit. Reliqua de inventariis duplicatis, mox poſt adeptam poſſeſſionem a Parochis de omnibus inventis coram vitricis & notabilioribus Parochiæ faciendis, a LUCA quondam Epiſcopo conſtituta, & a MARTINO CROMERO aucta,

ﬅa, ſuum eſſe, & robur habere volumus.

De rebus poſt obitum Clericorum relictis, Teſtamentis & piis Legatis.

MUlta & laudabilia de Teſtamentis ab Anteceſſore noſtro piæ memoriæ LUCA Epiſcopo Synodalibus Decretis conſtituta ſunt, quæ cum emendatione non indigeant, ſalva & intacta ab omnibus Clericis ſemper obſervari volumus. Illud tamen adjiciendum duximus, ut meminerint Parochi, dum teſtamenta condunt, ſe illorum confirmationem nullo pacto a Nobis obtenturos, ni Executores, vel hæredes ipſorum, ſufficiens ab Archi-Presbytero ſuo teſtimonium attulerint, de inventario Eccleſiæ integre relicto, de domeſtico vero pro diuturnitate temporis, & poſſe aucto; de ædificiis in ſuo eſſe conſervatis, & damnis Eccleſiæ non illatis, atque debitis eidem ſolutis. Quod ſi factum non fuerit, diſpoſitio de relictis, quantum ad prædicta, apud Nos remanebit.

Cum itaque Parochus aliquis e vivis exceſſerit, ne ſubinde Eccleſia detrimentum aliquod patiatur, diuque opportuno ſolatio careat, teneatur ſtatim alius vicinior, vel etiam, ſi aderunt, Executores teſtamenti, proprium Archi-Presbyterum, per literas, aut nuntium certiorem ea de re facere, addito, teſtatusne, an inteſtatus deceſſerit.

Porro Sacerdos vicinior, vel Executores teſtamenti, ſi adſunt, adhibitis in civitate Conſule, Judice, alibi vero in villis Sculteto, & aliquot viris Parochiæ fide dignis, nec non hæredibus, vel amicis defuncti, conficiant inventarium tam jurium, quam ſupellectilis Eccleſiæ, & rerum defuncti, omniaque illa tuto & idoneo loco deponant, retento apud ſe inventarii exemplo, quod poſtmodum, cui vel de jure competet, vel nos mandaverimus, conſignabunt.

Tenentur autem hæredes defuncti Parocho Succeſſori libros, ſcripturas, inſtrumenta, & jura quæcunque ad Parochiam vel Beneficium illud ſpectantia, ac in bonis mortui reperta, etiamſi propriis ipſius impenſis confecta, vel ex Archivo Epiſcopali extracta fuerint, gratis omnino ſub excommunicationis pœna conſignare.

Cæterum de bonis poſt obitum Rectoris relictis, parentes & conſanguinei defuncti utriusque ſexus, nihil omnino exigere poterunt, niſi coram vitricis, & aliis perſonis fide dignis inventarium ſub acceſſum ſuum ad Parochum fecerint, de bonis per eos ad Parochum introductis.

Concubinis vero aliquid teſtamento relinquere in tantum interdicimus, ut ejusmodi teſtamenta irrita prorſus, & nulla eſſe declaremus.

Et cum nonnulli hominum eo temeritatis deveniant ſæpe, ut Clericorum mortuorum bona invadere, & temerario auſu illa etiam, quæ Eccleſiæ Miniſtris in locum mortui ſuccedentibus, & Eccleſiæ item debentur, ſacrilege diripere non ſubvereantur, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ vetamus, ne quisquam Clerici alicujus Parochive bona, præſertim vero ad Eccleſiam, ejusve Miniſtros pertinentia temere, citra vel voluntatem teſtatoris in teſtamento expreſſam, vel arbitrium, & diſpoſitionem noſtram invadere, multo vero minus auferre audeat, aut præſumat.

Ex inteſtatorum bonis abſoluta ſepultura, perſolutis debitis, expedita familia, conſolatis propinquis, fabricaque Eccleſiæ & anima defuncti procuratis, quod reliquum eſt, arbitrio noſtro, & Succeſſorum noſtrorum diſpenſabitur.

Hæredes, & ultimarum voluntatum Executores, ſi quæ piarum cauſarum nomine legata, relictave ſunt, intra anni unius ſpatium ad ſummum, aut tempore ab ipſo teſtatore præſcripto non præſtiterint, pœnis ipſo jure conſtitutis omnino cogantur, piam teſtatorum voluntatem explere.

Neque vero præſcriptum illud, vel a jure, vel a teſtatore tempus prorogetur, ni conſtiterit, quæ earum cauſarum nomine relicta aut legata fuerunt, vere præſtari non potuiſſe.

Quod ſi Parochi hac in parte negligentes fuerint, & ſimilia legata, intra præſcriptum a jure vel teſtatore tempus non exegerint, aut coram Nobis de negligentia hæredum conqueſti non fuerint; ipſimet ad damni refuſionem teneantur.

Meminerint autem in teſtando Eccleſiæ Sponſæ ſuæ, a qua plurima bona receperunt, ejusque conditionem, quantum poſſunt, ex acquiſitis meliorem faciant, quæ, ſi præterita fuerit, juxta antiquam CROMERI ordinationem, teſtamentum totum irritum ſit & nullum.

Denique ad pia legata Eccleſiis facta, quod attinet, etſi nonnulla a piæ memoriæ MARTINO CROMERO Prædeceſſore noſtro jam pridem ordinata fuerunt.

Nos tamen temporum modernorum rationem ſpectantes, & Eccleſiarum noſtrarum neceſſitates, impenſasque circa eas faciendas conſiderantes, ita ſtatuendum eſſe duximus, ut quicquid Eccleſiæ Parocho prætermiſſo, legatum fuerit, id totum Eccleſiæ cedat, quod vero Parocho Eccleſia ſuppreſſa, id totum Parochus habeat.

De ſatis, pratis, pabulis, &c.

CUm variæ paſſim ſuboriantur lites, & controverſiæ inter Parochos ſibi invicem quodammodo ſuccedentes, nec non teſtamentarios Executores vita defunctorum, vel vitricos Eccleſiarum de ſatis, pratis, pabulis, &c. in Parochia relictis, ſive relinquendis. Hac Synodica Conſtitutione occaſiones earundem ſuccidentes, ſequentia ſtatuenda eſſe duximus.

Inprimis, quod ſi facta conſeminatione Hyemali, Parochus in Septembri, Octobri, Novembri deceſſerit, quartam creſcentiæ partem habeat; ſi vero in Decembri, Januario, Februario, mediam; ſi in Martio, Aprili, Majo, tres partes: ſi in Junio, Julio, Auguſto, totam conſeminationem Hyemalem tollat.

Porro ad Æſtualem, quod attinet, ſi quis poſt conſeminationem factam, in Majo aut Junio ceſſerit, vel deceſſerit, mediam partem habeat, qui vero in Julio vel Auguſto, totum pro ſe accipiat, ea tamen conditione, ut inde demigrans, vel decedens obligatus ſit utriusque conſeminationis tam æſtualis, quam hyemalis ſegetem relinquere.

Fœnum, ſi nullus labor per cedentem, vel decedentem adhibitus fuerit circa illud, totum Succeſſori obveniat, ſi vero tantum ſectum fuerit, & non invectum, tunc impenſas & mercedem ſectionis ei reſtituat Succeſſor, ipſe vero fœnum accipiat. Sin autem ſectum, collectum & invectum fuerit, ex æquo intercedentem, vel decedentem & Succeſſorem dividatur, ſalva medietate mercedis, quam Succeſſor Anteceſſori reſtituere tenebitur, & erit obligatus.

Idem de ſtramine obſervabitur.

Ligna ex manſis Parochialibus cæſa & convecta, ſine ulla recompenſatione Succeſſori ſunt relinquenda.

Idem de fimo obſervabitur.

Circa oblationum & decimarum partitionem ſervabitur antiqua CROMERI Conſtitutio, videlicet, ut tantum quisque accipiat, quantum pro rata temporis deſervivit.

De viſitatione Parochiarum.

QUia plurimum ad bonum regimen refert, præter providentiam mentis, corporis etiam ſenſus adhibere, & cuncta præſenti luſtrare intuitu, non contenti publice, & in Eccleſia tantum ſaluti ſuorum inſervire Parochi privatim, etiam domi, ſtatum, vitam & mores cujusque cognoſcere ſtudeant.

Deinde per ſe, vel Vicarios ſuos ad pietatem, non ad quæſtum, nec quærendo, quæ ſua ſunt, ſed quæ JEſu Chriſti, domos ſingulorum, præſertim in vigilia Nativitatis Domini, pro conſuetudine Diœceſis noſtræ, viſitent, ingreſſique juxta Domini præceptum dicant: Pax huic domui, vel alia quapiam benedictionis formula utantur.

Convocata deinde tota domo, examinent eos de neceſſariis ad ſalutem, & an ſciant, munire ſe ſe ſigno ſanctæ Cru-

Crucis, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam inquirant, deque vita, moribus, occupationibus, studiisque, & necessitatibus singulorum perscrutentur. Ac siquidem alios ebriosos, perjuros, fures, fœneratores, fornicarios, adulteros, homicidas, blasphemos, festorum violatores, maleficiis & incantationibus deditos, aut quovis alio peccati, & criminis onere obstrictos repererint, primum eos charitate atque lenitate verborum, qua maxime poterunt, inter se & ipsos solos corripiant, deinde, si nihil profecerint, unum vel alterum probos & prudentes peccatoribus familiares adhibeant, quod si ne tum quidem resipuerint, nomina & excessus ipsorum ad Nos, vel Officialem nostrum deferre teneantur.

Exhortentur etiam pro ætate & conditione quemque sua, Senes, ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide & patientia: Anus in habitu sancto, non criminatrices, non ebrietati, præstigiis, lenociniisque deditæ: Viduas, ne circumeant vicos ociosæ, verbosæ, curiosæ, loquentes, quæ non oportet, sed ut regant domos suas, filiis & nepotibus bene præsint, mutuamque vicem parentibus reddant; Maritos, ut diligant uxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam; filios ad iracundiam non provocent, sed educent illos in disciplina, & correptione, necessitatibus eorum provideant. *Qui enim suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit & infideli est deterior.* Uxores, ut viros suos ament, subditæque sint illis, castas & sobrias se præstent, curam domus habeant, & ne secum infantes propter suffocationis periculum noctu in lectis collocent; filias, ut obediant parentibus; servos & subditos, ut ministrent Dominis in cordis simplicitate, sicut Christo, non ad oculum servientes, nec fraudantes, sed finem bonum ostendentes, placentesque in omnibus; Dominos, ut remittant ruinas, scientes, quia utrorumque Dominus est in cœlis, & personarum acceptio non est apud Deum.

Postremo si sint ibi aliqui pupilli, virgines, mendici, infirmi, aliæve personæ miserabiles, quæ tam spirituali, quam corporali ope indigent, consolentur eos, ineantque rationem, qua illarum orbitati, pudicitiæ, egestati, valetudini consulatur, & tum demum, postquam seminaverint spiritualia, non erit magnum, si corporalia metant, strenasque, quas vocant, vel porrectiones ab offerentibus ultro accipiant.

De Vicariis.

Cum ea, quæ ab Antecessoribus nostris pie ac laudabiliter circa reformationem Ministrorum Ecclesiæ, maxime vero Vicariorum constituta sunt, parum admodum vel nihil prosint, nisi debitum in omnibus effectum sortiantur: Eapropter Vicarii Ecclesiæ nostræ Cathedralis omnia, quæ illis Statutorum Capitularium, & propriorum vigore præscripta sunt, accurate & diligenter & observent, & executioni mandent, serio præcipimus atque mandamus.

Discant omnes & singuli, etiam Parochorum Vicarii ad præscriptum & ordinem Missalis Romani, sub pœna suspensionis ab officio uniformiter celebrare, & Missæ solenni inservire, studeantque omnibus iis satisfacere, quæ inferius de observandis & evitandis in Missa sunt ordinata.

In Officiis Divinis frequentandis diligentiores se se exhibeant, diebusque Dominicis, & Festivis celebribus ad populum (legali impedimento cessante) omnes & singuli sub pœna trium grossorum, locis piis applicandorum, superpelliceati interesse teneantur.

Et cum servire Deo regnare sit, adeoque veritas ipsa disertis verbis testetur, eos ex Deo non esse, qui verba Dei non audiunt. A concionibus quoque se nullo pacto subducant, sed bonum exemplum semetipsos populo exhibentes, a principio usque ad finem intersint.

Si qui sunt, qui confessiones Prælatorum & Canonicorum, aut etiam aliorum tam Laicorum, quam Clericorum excipiunt, approbationem a Nobis, vel Vicario nostro Generali habeant, caveantque, ne flexis genibus quenquam absolvant.

De Scholis, & Scholarum Magistris.

QUoniam ad Christianam pietatem hoc valde interest, ut instituendæ pueritiæ atque adolescentiæ munus committatur viris, vita, moribusque probatis; ad Scholarum regimen nemo assumendus erit, nisi nostro, vel Capituli, aut Officialis nostri, vel saltem Parochi judicio probatus, quique literas non habeat testimoniales conversationis suæ ab eo, apud quem simili muneri præfuit, & professionem fidei fecerit, Catholicumque se esse docuerit. Non enim expedit juventutem in eorum disciplinam tradere, qui corruptores magis sunt, quam Præceptores, & ea doceant, quæ postea sunt magno labore dediscenda.

Assumpti ad hoc officium, pro captu eorum, quibus præsunt, nullos tamen impudicos & impuros Scriptores, quique moribus puerorum officere possunt, sed optimos tantum & Catholicos, eosque a Parochis approbatos, prælegere debent.

Cumque non minor pietatis, quam doctrinæ ratio sit habenda, quæ ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ, idcirco certis quibusdam diebus rudimenta Christianæ fidei in septimana non solum perlegere, verum etiam lingua patria explicare tenebuntur.

Si quæ profana aliquando exponent, omnia ad rectam disciplinam, egregiamque morum indolem præclaris interpretationibus traducere studeant, quod facile assequentur, si quid perpetuo in suis explicationibus interponent, quod ad institutionem Christianæ pietatis studiis dignam pertineat.

Sacrosanctum Missæ Officium singulis diebus, eos, quos erudiunt, integre audire faciant, maxime vero Dominicis & Festivis, quibus etiam magis capaces & ingeniosiores ad conciones audiendas mittent.

Præcepta scientiarum pro captu uniuscujusque tradant fideliter, ita ut non tantum eas pueri memoriæ commendent, verum etiam sciant, quis ex eis fructus petendus, & quomodo ad praxin accommodanda.

Porro ad hæc omnia bene & feliciter cum fructu præstanda, vita Præceptorum non parvum affert emolumentum, nimirum si talis ea fuerit, in quam nulla possit cadere justa reprehensio. Sicut enim infantes nutricum; sic pueri vitam & mores Præceptorum sæpe referunt.

Itaque sint bono exemplo iis, quos erudiendos in suam curam susceperunt, videantque, ut omnes in ea innocentia, in qua fidei ipsorum commendati sunt, semper conservent. Tabernas, compotationes, nocturnas divagationes, & digladiationes, aliaque similia, quæ Ecclesiæ Ministros minime decent, omnino devitent, memores, quam gravis pœna incumbat iis, qui unum ex istis pusillis scandalisaverint.

Habitu in Ecclesia utantur Clericali statui suo convenienti, collaribusque non crispatis, sed simplicibus, in processionibus intersint. Habeant autem peritos, quantum possibile est, utriusque cantus Cantores, sobrios & diligentes, quique pueros singulis diebus per horam ad minus in Musica instruere teneantur.

Quotidianas ludi exercitationes ac studia inchoent, ac finiant pia aliqua oratione & prece, quæ, antequam absolvatur, pueri e ludo, sine urgenti causa ne missi fiant. Quo autem exploratiores vitæ, disciplinæque Christianæ, mores Magistrorum, Præceptorumve sint, Parochi eam cautionem semper adhibeant, ut cum illos moribus probant, hujus probationis facultas literis exarata, ne diutius cuique eorum suffragetur, quam per annum.

Quo tempore confecto, cum ipsum audierit, qui illam proroget, tunc maxime de eorum moribus, vita, ac etiam docendi, instituendique ratione diligenter denuo perquirat, sique illos interim nec præstare, quæ debent, & insuper scandalosos & inquietos fuisse animadverterit, nullo dato conversationis testimonio statim expediat atque dimittat.

Deni-

Denique ad jurisdictionem talium, & etiam aliorum Ecclesiæ Ministrorum, quod attinet, eam Nobis, & Parochis, coram quibus solis conveniendi & judicandi sunt, reservamus.

Id, quod etiam de Ludimagistrorum ruralium stipendio ampliando, & de vectura lignorum jam pridem in deliberatione etiam apud Prædecessores nostros fuit, in proximo futuro Conventu Statibus proponendum, & decidendum erit, & quod communi Ordinum consensu statutum fuerit, Parochis atque Ludirectoribus significabitur.

Scholarum Parochialium curam penes Parochos esse volumus, qui eas quater in anno visitando, diligentem operam dabunt, ut ætas tenera, quæ ibidem instituitur, ita erudiatur, ut spes optima effulgeat, eam feliciter jactis ibi fundamentis, ad magnam per Dei gratiam & uberem postea frugem perventuram.

Quia vero in proxime præterita visitatione compertum est, vitricos ex collectis Ecclesiarum ad eas non solum sarciendas, & manutenendas, verum etiam ædificandas nullo solido fundamento a Magistratibus cogi, cum justum & æquum sit, ut, quorum juventus ad pietatem & bonos mores in ipsis informatur, ii quoque grati animi significationem ostendentes, onus hoc in se suscipiant, idcirco earum ædificationem & conservationem ad Parochianos, non ad vitricos spectare, præsentibus hisce decernimus & declaramus, præsertim cum ne Ecclesiæ quidem necessitatibus singulis collectæ eleemosynariæ sufficiant.

Quod si nonnullæ pecuniæ ad importunam instantiam, vel potius imperium Magistratus, a vitricis expositæ in hunc usum sunt, juxta Constitutionem CROMERI mutuo Parochianis pro faciliori & expeditiori ratione ædificii erigendi, ad tempus datæ esse censeantur, adeoque publica contributione facta, vitricis, vel potius Ecclesiæ ex integro remunerandæ atque solvendæ. Schola nulla sit, quæ Sanctissimi Crucifixi, vel alterius alicujus Sancti, vel Sanctæ imaginem piam non habeat parieti affixam, vel in pariete depictam; ante quam pueri mane convenientes, & vesperi recedentes paululum orent: debet esse a pulveribus & aliis immunditiis omnibus, atque aranearum operibus libera, scamnisque & mensis decentibus, pro numero puerorum frequentantium sufficienter instructa.

De Organistis.

ORganistarum oppidanorum præsertim, magna sub decursum visitationis nostræ generalis inventa est negligentia, eo quod non modo mentibus Fundatorum in Missis votivis organo ludendo non satisfaciant, verum etiam a Matutinis, Vesperarum precibus, & aliis quibusdam Officiis Divinis, quibus ex officio interesse tenentur, multoties se absentent, & tamen integram sibi pensionem seu mercedem annuam consignari a vitricis velint. Quod cum æquitati sit contrarium, statuimus, ut quotiescunque aliquis Organistarum, in officiis, quibus interesse tenetur, se præsentem non exhibuerit, vel alium idoneum non substituerit, & officio suo non satisfecerit, toties, quoties ei ab illis, quibus interest, tantum detrahatur, & in usus Ecclesiæ necessarios convertatur, quantum ipsi die ista pro rata obvenire debuisset.

De Vitricis.

VItricis singulis annis suffragiis Consulum & Proconsulum, accedente tamen ad id consensu Parochi, deponi, eligi, vel confirmari debent.

Esse debent viri discreti, prudentes, bonæ famæ ac fidei, bene possessionati, ac inter alios cives non postremi.

Omnium bonorum Ecclesiæ, redituum, proventuum, censuum, obventionum perceptorum & expositorum, duplicia conscribere & servare tenentur regestra, quorum unum apud se retinebunt, aliud vero in Ecclesiæ thesauro recondent, cistas & truncos eleemosynarios soli nunquam aperient, sed vel Parocho, vel aliquo alio Sacerdote ab ipso constituto præsente, unamque ei clavem consignabunt.

Ceden-

Cedente vel decedente Parocho, præſentes eſſe debent cum primoribus Parochiæ, ad conſcribendum inventarium omnium pecorum, jumentorum, frumentorum, ſupellectilium, & aliarum rerum quarumcunque ad Parochiam pertinentium, ejusdemque inventarii atque etiam Eccleſiæ copias, vel apud ſe, vel in theſauro Eccleſiæ aſſervare.

In rebus ad Eccleſiæ decorem & ornamentum ſpectantibus, a judicio & præſcripto Parochi ſui, non a Magiſtratu dependeant, cum Magiſtratus officium ſit civitates & cives, non Eccleſias & Sacerdotes regere, eisque regulas, quæ in Eccleſiis fieri debent, quæ non, præſcribere.

De Ædituis & Campanatoribus.

ETſi optimum foret Ædituos, qui in Eccleſia quotidie circa Altaria, Capellas, Sacriſtiam, in qua tota ſupellex Eccleſiaſtica ſervatur, verſantur, Clericos ab omnique vinculo Matrimonii ſolutos eſſe, quia tamen in hac Diœceſi difficile tales inveniri poſſunt; idcirco ii, qui huic officio præſunt, ſequentia diligenter obſervabunt.

Pulſabunt ſingulis diebus ter, mane, meridie, & veſperi tribus interpolatis vicibus, mane quidem & veſperi una ex campanis, juxta temporum qualitatem, nunc majori, nunc minori, ita tamen, ut ab omnibus per civitates & villas audiri poſſit, meridie vero tangendo duodecim vicibus majorem campanam, & ſolenniorem, pro pace a DEO Opt. Max. impetranda.

Id ipſum facient pulſantes tempore Elevationis Sanctiſſimi Sacramenti in ſumma Miſſa, ut ii, qui in Eccleſia præſentes non ſunt, ſaltem animum erigant, & pro beneficio inſtitutionis tanti Sacramenti, quantum poſſunt, maximas gratias agant.

Ad Templa reſeranda & claudenda, ad campanas item in Eccleſia pulſandas, vel ignem in Templum inferendum, ipſimet in propria perſona veniant, & uxores ſuas nullatenus ſub pœna depoſitionis ſubſtituere audeant. Templum, Ciborium, Altaria, Sacriſtiam in omnibus munda & nitida ſemper conſervare debebunt. Ad Miſſas nonniſi ſuperpelliceati inſervient.

Dum Sacerdotes Sacra facturos veſtiunt, videant, ut decenter omnia accommodent, albaque æqualiter circa terram defluat.

Calices ne ſacculis quidem involutos ad altaria ne deferant.

Parocho ſuo, & aliis Sacerdotibus in omnibus licitis & honeſtis, non Magiſtratui, vel vitricis contra Parochum, vel Viſitatorum ordinationes obedientes erunt.

Collaribus criſpatis, dum in Eccleſia officium ſuum faciunt, more hæreticorum non utantur, ſintque ſemper, dum in Eccleſia miniſtrant, ſuperpelliceo & veſte talari induti.

De Matutinis, Concionibus, & Veſperis.

OMnes inferiores Eccleſiæ, quæcunque illæ ſint, Divinorum Officiorum rationem dirigant, juxta ordinem Officii Cathedralis Eccleſiæ a Nobis præſcriptum, ita tamen, ut habeatur ratio locorum, atque Feſtorum principalium anni.

Cum omni enim pietatis ratione conjunctum eſt, in oppidis & civitatibus ſaltem majoribus, ubi magnus populorum concurſus fit, ut quædam ſaltem Divinarum precum horaria Officia, ad excitandam populi majorem devotionem, anniverſariis præſertim ſolennitatibus celebrandis, per Parochos præſtentur.

Itaque integrum Matutinum in iis præſertim Parochialibus Eccleſiis, ubi id decenter præſtari poſſe cenſuerimus, ſolenni ritu canatur, videlicet die Nativitatis Domini, Feſto item Circumciſionis, Epiphaniarum, Paſchalis, Pentecoſtes, Aſcenſionis, Corporis Chriſti, Annuntiationis, & Aſſumptionis B. M. V., dieque Natali S. Joannis Baptiſtæ, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & in ſolennitate omnium Sanctorum, ac feſto die Sancti, Sanctæve, cujus nomine Eccleſia nuncupatur, ſub pœna Synodali hac noſtra Conſtitutione diſtricte mandamus.

Rura-

RuralesParochi ad ordinem in Rubricella præſcriptum ſe ſe accommodabunt, ita tamen, ut Solennitatibus prædictis, ad primas & ſecundas Veſperas præmiſſo ſemper debito pulſu, & earum loco diebus Dominicis & Feſtivis celebribus per annum Antiphonas aliquot cum orationibus de Beata Maria Virgine, Patrono, pace, & aliis neceſſitatibus decantandas, ſub pœna Synodali teneantur.

Porro Lectiones, quæ in Matutinali Officio, pro ratione temporum ac Feſtorum legi conſueverunt, non a Cantoribus, vel Ludimagiſtris in Choro, neque ab iisdem in ſedibus Templi communibus, ſed a Sacerdotibus ſolis ante ſummum altare ſtando, ea, qua par eſt, devotione, clara, intelligibilique voce impoſterum cantari debebunt.

Verum ne Parochorum quoque noſtrorum ruralium ſocordiam ſicco pede pertranſiiſſe, & quaſi approbaſſe ſubticendo videamur, qui præterquam, quod ad laudes Deo debitas dicendas, ſomno in altum diem producto, in Eccleſiam non veniunt, etiam eam perpetuis temporibus more clauſtrorum clauſam relinquunt, domique potius inter ſtrepitus curarum domeſticarum, quam in ædibus Deo dicatis, in conſpectu Altiſſimi, & in corona innumerabilium S. Angelorum penſum ſuum Horarium abſolvere malunt. Nos conſiderantes Oratoria non alium in finem ædificata eſſe, quam ut in illis DEO Opt. Maximo debitus cultus quotidie exhibeatur, ſcientesque, officium potiſſimum Sacerdotum, inprimis Curatorum in eo conſiſtere, ut non ſolum verbo, verum etiam vita, moribus & exemplo, alios ad pietatem & devotionem inducant, omnes & ſingulos Parochos rurales ſub gravi arbitraria pœna monemus, ut, quo tempore in æſtate, ſignum ad Salutationem Angelicam dari mane conſuevit, in hyeme vero ſub aurora, Eccleſias non ſolum aperiri faciant, verum etiam in iisdem ad Officia nocturna & diurna recitanda, præſentes ſe exhibeant, conveniantque, ut alii videntes ipſorum bona opera, glorificent Deum Patrem, qui in cœlis eſt, & ipſorum exemplo ad frequentandum quotidie Templum provocentur, atque incitentur.

De Sodalitatibus & Fraternitatibus tam Sacerdotum, quam Sæcularium.

SOdalitates in oppidis inſtitutæ ſunt Eccleſiæ, proximorumque re opera, conſilio, ope, precibus adjuvandorum cauſa, non ut Fratres ſua privata commoda ſectentur.

Itaque ſi quis ex Fratribus fortuna iniquiore premitur, ſi cui res eſt anguſta, ſi diſſenſio quoque intercedit, ſi pax & concordia turbatur, Sodalitatis eſt ejusmodi curare, & ut quiete Fratres vitam tranſigant, providere. Denique habent etiam Sodalitates prædictæ in Eccleſia partes ſuas, quæ in diſciplina inter Fratres, ad præſcriptum articulorum ſibi conceſſorum, & a Prædeceſſoribus noſtris confirmatorum retinenda, in viſendis & ſolandis ægrotis, in ſepeliendis mortuis, in frequentanda Euchariſtia, & aliis Divinis Officiis peragendis verſantur.

Eas ergo Fratres, qui ſunt, diligenter obſervent, & quæ ex officio debent, graviter præſtent, Parochoque ſuo, cum opus eſt, adjumento ſint in omnibus.

Qui ſunt in Fraternitate fortunæ pinguioris, abjectorum & pauperum curam gerant. Qui conſilio & ſapientia valent, oppreſſos, errantes, indoctos, quibus poſſunt, rationibus juvent.

Omnibus vero in commune ſit hoc propoſitum, diligenter ut caveant, ne quis eſuriat, vel rebus neceſſariis egeat, & omnis poſtremo ſimultas, odium, atque inimicitia tollatur e medio, & ſit unum cor omnium, & anima una.

Habent etiam quibusdam in locis ſuas Sodalitates Presbyteri, qui certis anni temporibus peragunt conventus ſuos, quibus mandamus, ut quotiescunque id factum fuerit, ita ſe gerant, quo poſſint exemplo eſſe Sæcularibus, omninoque ab ebrietate & choreis abſtineant. Orent autem pro defunctis Fratribus, Vigilias cantent, Sacrificia cele-

celebrent, conciones habeant, populum ad pietatem colendam, & ad mortis recordationem hortentur.

Diſpiciant etiam in conventibus prædictis, num quid ſit inter Fratres, quod tolerari non oporteat, conſulant de modo Fraternitatis propagandæ, alter alterum in bono vincere ſtudeat, infirmum fortior confirmet, peritior indoctiorem doceat, ſenior juniorem inſtruat, & informet.

Si quid non recte fit, a Fratribus emendetur communi conſilio, ſi cujus vita obeſt fidelibus, caſtigetur, ut objurgantibus multis, in melius vitam & mores mutare cogatur.

Pecunias, ſi quas habent, eas in bonum communitatis pro cenſu reemptitio emendo exponere non tardent, ita tamen, ut ea, quæ ad Miſſarum celebrandarum & Altarium apparatum pertinent, prius pro modo facultatum Fraternitatis decenter expediantur, & procurentur.

Singulis annis de expoſitis & perceptis ſemel in præſentia omnium Fratrum rationes deducant, deque illis ſufficientes codicillos exhibeant.

Bonorum ſuorum omnium, proventuum, cenſuum, & obventionum triplicia regeſtra conficiant, quorum unum apud ſe Seniores ſervabunt, aliud in theſaurum Fraternitatis reponent, tertiam vero ad Cancellariam mittere non negligant. Ex proventibus autem prædictis, ne quidquam ad inſtruenda convivia, aut ad exhauriendos calices giganteos, accipiant, ſed ſi quid præſtare volunt, ex propriis faciant, ita tamen frugaliter, & moderate, ut ſtatum Clericalem deceat, & nemo ſcandaliſetur.

De fabrica Eccleſiarum, & earum cultu.

Eccleſiam novam, ſcripta facultate non obtenta ædificare, prout & altare erigere, vel demoliri nemo præſumat.

Porro, ut quisque ſuam quaſi Sponſam excolat, vel exornet, diligatque decorem domus Dei, & locum habitationis gloriæ ejus, inter multa, quæ curam & ſtudium Parochorum, & aliorum Sacerdotum decent, haud eſt poſtremum. Nihil enim invenitur, quod eos chariores reddat, vel populum ipſum ad devotionem & pietatem moveat, atque magis excitet.

Dabunt operam Parochi, cum iis, quorum intereſt, ut Eccleſiæ, quibus præſunt, ſarta tecta habeant, probeque ſint tam ab intus, quam ab extra clauſæ, parietes mundos, firmosque nullis ſciſſuris hiantes, feneſtras ſufficientes, integras, vitro clauſas, fornicemque decentem.

Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum teneatur in Tabernaculo competenti ſuper altare majus (ſi & in quantum poſſibile eſt, & ubi commode fieri poteſt) ſeraculis ſufficientibus firmiter munito, cujus clavis caute a Parocho, vel ab eo ſolo, cui cura hujus Sacramenti incumbit, cuſtodiatur, nulloque pacto vel Æditius, vel Vitricis ad reſerandum Tabernaculum detur.

Recondatur autem (præſertim ubi res Eccleſiarum non adeo anguſtæ ſunt) in pyxide argentea bene clauſa, in burſula de tela ſpiſſa, nitida & munda, nullo tamen ſerico vel ſtricta, vel picta, & renovetur octavo quolibet, aut quindecimo ad ſummum die, ſitque ante illud aut lampas ordinaria, vel cereus, ſi non perpetuo, ſaltem diebus Feſtis ardens, dum populus ad audiendum Divina concurrit.

Quoties ad infirmos deferendum erit, deferatur honeſtiſſimo atque decentiſſimo modo, cum cereis, laternis integris atque mundis, nec non vexillis, nola & cantu, ſi fieri poteſt, & ad minus Æditúo præcedente, particulæque aliquot in civitatibus præſertim in alia pyxide relinquantur, propter ingredientes interim in Eccleſiam, ne flectendo ante Sacrarium, cultumque latriæ exercendo errorem committant.

Olea ſacra cum Chriſmate in Eccleſia in loco bene clauſo & decenti, extra tamen tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, in quo nihil præter illud conſtitui debet, aut collocari, inque terſis ac nitidis vaſculis ſtanneis ad minus, non æreis, infirmorum autem

etiam

etiam in ſeparato ab aliis collocentur, neque ad Baptiſmum, vel infirmos, ni a ſuperpelliceatis Sacerdotibus, atque cum lumine deferantur.

Nova ſingulis annis tempeſtive poſt diem ſanctæ Cœnæ Domini per Clericos, non Laicos (ut titulo: *De S. Extremæ Unctionis,* ſuperius meminimus) ex Eccleſia Cathedrali, vel Archi-Presbyterali afferantur, ac modice, ubi neceſſitas exiget, mundo, & recenti oleo olivarum diluantur, vetera autem extra caſum neceſſitatis, ne adhibeantur a Parocho, ſed quotannis in lapide deſtinato ad hunc uſum comburantur.

Fontes baptiſmales nitide atque ſub clauſura tenere ſemper debent Rectores Eccleſiæ, vasque fontis, quod circumferentiæ interiori undequaque ſtrictim adhærere neceſſe eſt, ſæpius intra annum mundent, aquam ejusdem per pannum lineum mundum, in novam ollam colando, qua refuſa in vas ſuum ſic mundatum, pannus ille comburatur. Quando vero renovanda erit ſtatis ab Eccleſia præſcriptis temporibus, aqua, quæ ſupererit, nemini prorſus in quoscunque dari uſus debet, ſed tota in Sacrarium projici.

Reliquiæ, ſi quæ ſunt approbatæ, in Eccleſia loco decenti, tuto, neque humido, non tamen immediate prope Ciborium, ſed in loco aliquo remotiori ſervari debent, quæve & quorum ſint Sanctorum, ſupraſcriptis eorum nominibus pateat, quin & catalogi illarum, cum Antiphonis, Verſiculis & orationibus ſuorum Sanctorum in tabellis deſcribantur, quæ in loco, ubi illæ aſſervatæ fuerint, pro oraturis ante eas fidelibus appendantur.

Quoties autem venerandæ populo exponentur, fiat id per Sacerdotem ſuperpelliceo & ſtola indutum, & non ni cereo præcedente.

Si quæ inventæ ſunt, & inſcriptione carent, non oſtendantur publice, ſed reverenter, vel in Sacrario, vel in alio quovis loco honeſto ſub ſeraturis bonis cuſtodiantur.

Imagines non niſi Sanctorum, eæque decentes, non nudæ, & quæ ore, affectu, habituque corporis religionis ſpeciem præ ſe ferant, ac ad pietatem animos intuentium provocent, in templis & altaribus collocentur, ejicianturque ſub pœna Synodali, quæ in locis hæreticis, cum textu hæretico ſunt impreſſæ, & parietibus affixæ.

Imago autem Sanctiſſimi Crucifixi loco eminenti inter populum & altare in omnibus Eccleſiis ſit, tanto decentior & elegantior, quanto Eccleſia eſt inſignior.

Altaria ſint omni tempore munda, cooperianturque tribus ad minus mappis mundis, conſecratis, nulloque laneo filo intertextis, quarum ſuperior utrinque æqualiter ad planum uſque defluat.

Porro ea, quæ a Viſitatoribus noſtris circa apparamenta Eccleſiæ, & alia uſibus Sacrificii neceſſaria, atque altaribus ordinata ſunt, adamuſſim ab omnibus etiam obſervari volumus.

Et ne Sacerdotes hinc inde in angulis latitantes confeſſiones pœnitentium excipere cogantur, confeſſionalia etiam tot in publico & aperto loco, remotiori tamen ab altari majori extruenda erunt, quot pro Confeſſariorum & pœnitentium numero ſufficiunt.

Pulveres tormentarii, trabes, frumentum, merces, feretra, resque aliæ qualescunque profanæ, etiam in ciſtis, ſcriniis, valiſiis, vel doleis non aſſerventur in Eccleſia, ni forte id belli, aut incendii neceſſitas poſtulet, qua ceſſante, Parochi ea inde amoveri, ab iis, quibus intereſt, ſtatim faciant. Quod ſi ter moniti, ea amoveri neglexerint, ac contempſerint, extra Eccleſiam ipſis invitis ejiciantur.

Ne animalia, piſces grandiores, eorumve membra in Eccleſiis appendantur, ſed ea tantum, quæ voti, aut piæ ſignificationis cauſa Epiſcopus permittenda eſſe cenſuerit.

Qua in Parochiali porticus non eſt, neque præ inopia, vel loci incommoditate extrui poteſt, hoc in ea omnino curetur, ut ante januam majorem, veſtibulum ædificetur, quod duabus tantum columnis aut pilis aliquantulum ab ea diſtantibus extructum, Parocho in Baptiſmi adminiſtratione uſui eſſe poſſit.

Feneſtræ in Eccleſiis, in tanta præſertim prædonum frequentia clathratæ exiſtant, niſi præalte ita extructæ ſint, ut ſine clathris etiam ab omni violentia & furtivo, aliove per eas ingreſſu tutæ admodum exiſtant.

Altare unumquodque lapideum ſit, vel ſaltem lateritium cum tabula lapidea, ipſi ſtipiti altaris medio æqualiter inſerta. In eo feneſtella, foramenve nullum appareat, ubi quidquam aſſervari aut recondi poſſit, ni forte Reliquiæ Sanctorum, aut res aliæ conſecratæ ſint, & uſibus Sacrificiorum deſerviant.

Quia vero paſſim in Eccleſiis ſub altaribus ſordes, quiſquiliæ, ſcopæ, lateres, candelabra antiqua, aliæque immunditiæ, tali loco indignæ inveniuntur, eæ ut quamprimum eruantur & ejiciantur, neque ullo pacto amplius inferantur, ſerio præcipimus atque mandamus. Quod ſi Parochi & Æditui, quibus decor & nitor ſacrorum locorum cordi eſſe debet, negligentes in hoc negotio fuerint, Parochi quidem pœnis Synodalibus irremiſſibiliter ſubjaceant, Æditui vero tanquam in officio ſuo negligentes deponantur, & alii diligentiores in eorum locum ſubſtituantur.

Suggeſtus pro prædicando verbo Dei, loco eminenti atque conſpicuo, quo melius videre omnes Prædicator, viderique ipſe poſſit, & audiri ab omnibus valeat, ad parietem Septentrionalem, ſi commoditas erit, collocetur, tegaturque laqueari ligneo, quo ſenſibilibus vox Concionatoris diffundatur. Conveniens enim eſt, ut, ex qua parte Evangelium in Miſſa decantatur, ab eadem populo prædicetur & explicetur.

Labrum, ſeu vas aquæ benedictæ intus in Eccleſia ad oſtium a latere ingredientium dextro exiſtat, habeatque appoſitum aſpergillum decens pro aſperſione ab intrantibus facienda.

Nemo præterea vaſa, veſtes, vel alia ornamenta Sacris addicta, aut omnino quidquam a ſacra ſupellectili, profanis hominibus, aut ad profanum uſum accommodare audeat, Sacriſta, qui id fecerit, ab officio deponetur, alii vero graviter arbitrio noſtro punientur.

Et ut controverſiis ac rixis, quæ ex ſedium muliebrium in Eccleſiis collocatarum oriri perpetuo ſolent, occurratur, Synodicam Conſtitutionem CROMERI piæ memoriæ Anteceſſoris noſtri confirmantes, ſtatuimus, quod poſtquam ea ſemel empta fuerint, ad hæredes perpetuo tranſire non debent, quamvis aliis in redimendo jure ſint potiores.

Magnam etiam Vaſallorum noſtrorum quorundam intelleximus eſſe præſumptionem, & negligentiam, quod in Eccleſiis loca potiora & ampliora ſibi ſemper uſurpent, ad ſtructuram autem & reparationem tam Eccleſiarum, quam cœmeteriorum, parum omnino vel nihil prorſus conferre dignentur. Eos itaque, ut in officio contineamus, ſtatuimus, ut quicunque Vaſallorum & Nobilium, ad ea, quæ de jure vel conſuetudine circa Eccleſias & cœmeteria præſtare tenentur, tertio ex ambona a Parochis moniti non præſtiterint, locis ſuis, quæ in Eccleſiis obtinuerunt, absque ulla ſpe reſtitutionis excidant, & aliis, qui talia onera diligenter atque libenter ſuſtinent, conſignentur.

De iis, quæ pertinent ad bonorum & jurium Eccleſiaſticorum conſervationem.

Eccleſiarum res quam plurimæ aut deſtitutæ defenſoribus, aut etiam ab iis, quibus earum procuratio concredita fuit, neglectæ, ita quibusdam in locis hujus Diœceſis interierunt, ut nulla jam quaſi ſpes reliqua videatur, illas in priſtinum ſtatum ſuum vendicandi & recuperandi.

Quod ne deinceps accidat, neve quisquam in patrimonio Chriſti negligentior ſit, quam in ſuo merito reprehendi poſſit, ſtatuimus, ut Parochi jura imprimis Eccleſiarum, quæ ſunt quaſi baſes, & ſeges rerum agendarum, manuteneant, & conſervent, juxtaque juramentum, quod inſtituendi ad Beneficia, in noſtris, vel Anteceſſorum noſtrorum manibus præſtiterunt, bona &

& redditus Ecclesiasticos non modo non alienent sine speciali & expresso Sanctæ Sedis Apostolicæ, nostroque, & omnium, quorum interest, assensu, quamvis id evidens Ecclesiæ videatur suadere utilitas, quin potius alienata ab aliis recuperare studeant, & contendant.

Deinde ut Hospitalium, ac quorumcunque piorum locorum Gubernatores, seu Administratores, & alii, qui Beneficia Ecclesiastica cum cura vel sine cura, quocunque nomine nuncupentur, nunc obtinent, ab hujus Decreti publicatione; qui vero in futurum quomodocunque obtinuerit, ab adeptæ possessionis die, quisque intra spatium unius mensis omnium & singulorum bonorum mobilium, & immobilium, jurium, annuorum censuum, & redditũum debitorum, & aliorum quorumcunque proventuum ad Ecclesias, vel eorum administrationem quocunque jure pertinentium, rationem diligentissime conquirentes, inventarium, in quo locorum etiam fines, conditionesque omnes sigillatim describantur, per publicum Notarium diligenter conficiendos curent, ex quo exempla duo, Notarii publici authoritate munita, conficiantur, quorum unum apud se habeant, alterum ad Archivum Episcopale mittant.

Parochi ne locare quidem possint bona Ecclesiastica ad breve etiam tempus, præsertim anticipata solutione, vel compensatione faciendarum a locatore meliorationum ad exitum usque locationis in præjudicium Successorum rejecta, aut iis, qui fundum contiguum Ecclesiastico habent, ne fines propterea turbari & subjici litibus contingat.

Et quia nonnullis in locis bona Ecclesiastica certis quibusdam familiis, hæreditario quasi jure, vilique admodum pretio, a Patronis Beneficiorum, & Fraternitatum Senioribus, nostro consensu non requisito conceduntur, ita ut parentibus filii, filiis alii ejusdem lineæ personæ succedant, sibique vicinitatis cujusdam titulo, utpote a proavis, abavis Ecclesiæ donata & inscripta, ea sibi præ cæteris deberi persuasum habeant: Nos errorem hunc pro debito officii nostri Pastoralis emendantes, ne bona Ecclesiastica hæreditaria laicis efficiantur: decernimus, ut nemini imposterum Beneficiorum Ecclesiasticorum & Fraternitatum bona propinquis suis, vel etiam Fundatorum consanguineis, ad cujusvis spacium temporis, etiam per suppositas personas locare liceat, nisi vel mens Fundatoris ea fuerit, vel evidens & magna Ecclesiæ utilitas, judicio & consensu nostro, præter alia juris requisita, illud postulare videatur. Si aliter factum fuerit, nulla sit locatio, & qui locarint, debitas arbitrarias pœnas non effugient.

Quibusdam in civitatibus decimarum solutio ex aratris dependet ita, ut ab uno aratro, quod quatuor mansos includit, unicus tantum siliginis, & alter avenæ modius, ab uno vero, duobus, tribus, medio manso tantundem solvatur. Quæ res cum intricata valde sit, & ditiores nonnulli, ut integrum aratrum habere possint, ab aliis mansos coemunt, tantundem de uno manso, quantum de toto aratro solutum, unde fit, ut Ecclesiis decimæ auferantur & pereant, Parochique debitam & honestam sustentationem habere non possint. Nos ordinationes similes seu contractus Ecclesiæ valde nocivos esse animadvertentes, cupientesque, ut Ecclesiis non subtrahantur, & minuantur, quin potius augeantur, & in dies crescant decimæ: decernimus, ut aratris sublatis, Parochis imposterum decimæ ex singulis mansis, per unum modium siliginis, alterum avenæ, ab omnibus juxta antiquissimam hujus Diœcesis consuetudinem persolvantur, & in ipsorum ædes invehantur.

Porro, ne decimæ frumentariæ, pensione aliqua pecuniaria, perpetuis, vel ad vitam Parochi duraturis temporibus commutentur, severe interdicimus. At vendere eas, & pecunias pro iis accipere, sine præjudicio Successoris, non inhibemus.

Quod si qui Sæculares, perfractis omnium Divinarum atque humanarum Legum, quæ decimas statuunt, repagulis, persolvere easdem recusent, mo-

moneantur a Parochis, ut tremendum anathematis fulmen, quo propterea feriuntur, exclusionemque a Sacramentis & Ecclesiastica sepultura horreant; quin & illud Prophetæ vereantur: Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus. Experimur enim quotidie eos, qui debitam Ministris Ecclesiæ decimam subtrahunt, reliquas omnes novem partes perdere infeliciter, mittereque mercedem in sacculum pertusum, seminare multum, & inferre parum, prohibitis super eos cœlis, ne dent rorem, & terra, ne det germen suum, vel si aliquid pullulare atque excrescere cœperit, oriente subinde vento, ærugine, vel grandine percuti a Deo. Cum econtra alibi protestetur Dominus: inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis omnem benedictionem usque ad abundantiam. Quæ & alia similia inculcare non negligent Parochi.

Jura præterea, privilegia, literas fundationum Ecclesiarum, & quorumcunque Beneficiorum Ecclesiæ suæ, in libro speciali exacte descripta habeant, & quominus fortuitis casibus subjaceant, & custodiantur securius, eorum Copias ad Archivum nostrum Episcopale, una cum descriptione seu regestro omnium bonorum, fructuumque sui quisque Plebanatus, & Beneficiorum servandas deferant & mittant, aut saltem Actis officii nostri inscribi curent.

Denique ne quidquam de bonis tam mobilibus, quam immobilibus, aut juribus ad Ecclesias, Sacerdotia, Hospitalia, aliaque loca pia spectantibus, alienetur, donetur, vendatur, aut obligetur, sicuti CROMERI Constitutione sancitum est, severe interdicimus.

Quod si quid simile, sine authoritate & consensu nostro attentatum fuerit, pro irrito habeatur, & alienatum ad locum suum revocetur, pretium vero, si quod pro tali exolutum fuerit, emens semper amittat, & alienantes pœnis sacrorum Canonum subjaceant.

Neque vero cuiquam posthac liberum erit absque speciali & expresso nostro consensu, ædificia in fundis Ecclesiæ & Hospitalium erigere. Quod si quis ausu temerario, huic nostræ inhibitioni contravenire ausus fuerit, omnia, quæ extruxerit, ipso facto amittat, locis, in quibus ædificata fuerint, perpetuo applicanda.

De cura & administratione Hospitalium, eorumque & aliorum piorum locorum Provisoribus.

QUicunque piorum locorum administrationem, procurationemve sustinent, illud sæpe meminisse debent, se pauperum, viduarum, senum egestate & ægritudine laborantium, & aliorum id genus hominum, aliena videlicet ope indigentium curam gerere, quidquidve in illos misericordiæ, vel beneficii, vel operæ, vel officii, vel opis conferunt, id omne Dominus sæpe in Evangelio in se collatum, aut illatum esse, ac propterea in die judicii, prout illis benefactum, aut neglectum, omissumve in eorum necessitatibus sublevandis fuerit, retributurum.

Quare primo id valde curent, ut omnibus suscepti muneris partibus satisfaciant: deinde videant, ut nihil a curæ, quam gerunt, ratione alienum, ullo pacto admittant: tum id solicite studeant, ut, quæ illis officia, pro administrationis susceptæ munere incumbunt, ea obeant, atque præstent omni pietatis affectu, non suis, sed eorum, quorum curam susceperunt, commodis atque utilitatibus servientes.

Magnus quippe census pauperum est, fidelium charitas, & diligens atque ordinata Hospitalium administratio, quæ cum Pastoralis non postrema sit pars officii, dent operam Parochi, ut non solum ipsi ex frugalitate & parsimonia sua illorum necessitatibus subveniant, sed & alios, quibus forte cura eorum incumbit, inducant ad id faciendum, & ad explendum sedulo officium suum.

Volu-

Volumus autem, ut Hoſpitalium, & aliorum piorum locorum adminiſtratio viris bonis, providis, induſtriis quolibet triennio permutandis, non tamen id ambientibus, vel debito aliquo Hoſpitali obſtrictis, a Parochis, vel Magiſtratibus conjunctim committatur, qui inventarium omnium rerum conficere, exhibereque Nobis, vel Viſitatoribus noſtris, ſed & clavem unam Parocho conſignare, & rationem acceptorum, datorumque quotannis reddere teneantur.

Qui vero ad hoc officium electi fuerint, provideant, ne Mendici, qui vel opera manuum ſuarum ſibi victum poſſunt quærere, vel alias habent, unde vivant, recipiantur ad Hoſpitalia, prætextuque eleemoſynæ, inertia otioſorum hominum foveatur, ſed confecti tantum morbo, vel ætate, mutilive, & ad labores minime idonei, ac præſertim incolæ civitatis illius admittantur. Vagi autem & validi mendicantes, ſi laborare noluerint, prohibeantur a Parochis mendicare apud Eccleſias, & a Magiſtratu ſæculari ex villis & oppidis expellantur.

Porro in quolibet Hoſpitali cubicula atque hypocauſta virorum diſtincta ſint a fœminarum habitationibus, neque unquam converſari ſimul, multo vero minus condormire permittantur.

Si qui ſunt contagioſo morbo aliquo laborantes, ſeparatim a cœtu, & contubernio aliorum maneant.

Neque interim, dum corpora illorum curantur, animi negligantur, ſæpeque a Parocho, vel proprio Sacerdote informentur ad patientiam, & de neceſſariis ad ſalutem doceantur, orationi etiam vacent aſſidue, atque principalioribus ſaltem Feſtis ad Sacram Synaxin confeſſi accedant.

Moneantur fideles, ut præter quotidianas eleemoſynas, quas vel ad januam Eccleſiæ mendicis diſtribuunt, vel Collectori ad id deputato, in arculam, pyxidemque ſeratas imponunt, liberaliores interdum mittere per ſuos, aut ipſi deferre, viſitareque Hoſpitalia, & ibidem pauperibus, aut Chriſto potius in illis ſervire aſſueſcant.

Quo autem maturius & majori ordine iſta peragantur, volumus, ut Conſules, vel alii locorum Magiſtratus cum Adminiſtratoribus, ſive Præpoſitis Hoſpitalis, Parochisve etiam ipſis ſemel ſaltem in menſe, vel potius, prout neceſſitas poſtulabit, diebus Feſtis in loco ad id deſtinato conveniant, acturi de rebus, ad rectum regimen Hoſpitalis pertinentibus, & ſi quæ alia occurrunt pro tempore, quæ conſilio, ſubſidio, vel opera indigere exiſtimabunt, in medium afferant, conſultent, atque opportuna adhibeant remedia, & inprimis provideant, ne in diſpenſandis eleemoſynis, aut proventibus, Hoſpitalis defraudentur viſcera Chriſti.

Quia vero ex actis præteritæ viſitationis intelleximus, pecunias quasdam Hoſpitalium, Capellarum, & aliorum quorundam piorum locorum contra mentem Fundatorum a Magiſtratibus quibusdam in prætoriis, nulla requiſita noſtra licentia, nulla etiam clave Parocho conſignata detineri; propterea omnes & ſingulos Eccleſiaſticarum pecuniarum detentores monemus, ut menſe uno a publicatione præſentium lapſo, eas in locum ſuum inferant, vel ſaltem una clave Parocho conſignata, eas apud ſe retineant, neque tamen ciſtam, niſi Parocho præſente, ſub excommunicationis ipſo facto incurrendæ pœna aperire præſumant.

Porro Hoſpitalium Adminiſtratores, qui reipſa hoſpitalitatem non exercent, quin vero ædificia pauperum habitationibus deſtinata, mercenariis quibusdam contra mentem Fundatorum elocare non ſubverentur, ſub pœnis in Concilio Tridentino expreſſis interdicimus & inhibemus, ne perſonas, quæ ex eleemoſynis vivere (in fraudem Hoſpitalium videlicet, ne ipſorum derelicta Hoſpitalibus cedant) nolunt ad Hoſpitalia impoſterum recipiant, ſed eas tantum, quæ cum gratiarum actione eleemoſynis Chriſti fidelium uti volent.

Et cum quibusdam in locis, ex privato affectu Magiſtratuum, paſſim absque ullo delectu, nulloque Parochi, aut Proviſorum requiſito conſenſu, non modo

modo validi, sed etiam, quibus alias victus & amictus sufficiens suppetit, recipiantur. Præcipimus, ne quisquam omnino ad Hospitalia admittatur, qui non antea a Parocho de rudimentis fidei examinatus, peccatorum suorum confessionem fecerit, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserit.

De Cœmeteriis & Campanilibus.

Cœmeteria sint undequaque bene septa, habeantque janùas sufficientes, bene clausas, ne brutorum incursionibus pateant, nullæque sint in illis immunditiæ, lignorum strues, aut cementorum acervi, sed & spinæ, frutices, urticæ, si quæ excreverint, succidantur, arbores tamen ob tuendas a circumvicinis incendiis Ecclesias, sini poterunt, dummodo tecto & lumini, propinquitate sua non officiant.

Et quia in illis passim domicilia sunt, quæ ab Ædituis, atque aliis Sæcularibus aliquando inhabitantur, in quibus multa inhonesta, & tali loco indigna projiciuntur, idcirco adhibeatur diligentia, & gravi pœna, mulctaque agatur, ut ejusmodi loca ab excrementis, aliisve cujusvis generis sordibus munda conserventur.

Porro ii, qui in dictis cœmeteriis habitationes suas, ratione officii alicujus, quod in Ecclesia præstant, habent, eas non nisi honestis personis, idque de consensu Parochi & Vitricorum elocare audeant, vel potius ipsimet, si possunt, ita inhabitent, ne clamores, quibus quies Ministrorum Ecclesiæ impediri possit, ulli audiantur. Ad reparationem vero fenestrarum, fornacis, & aliorum similium minutiorum, sibi sarta tecta consignatorum, quæque valorem unius marcæ non excedunt, omnino teneantur.

Nec in cœmeteriis sartagines, a hena cerevisiaria custodiri, nec frumenta quasi in area ventilari, neque siccari, quin vero nec vestes profanæ, telæ, pannive linei, lixivio & aqua madefacti soli ibidem exponi, nec lecticalia pulvinaria inungi, neque in eo mares, fœminæque colo quidquam laborare, nere, aut aliud præterea opus facere debent, sub amissione rerum ibidem expositarum.

Nemini etiam in profanis rebus, oneribusque transportandis, hac & illac, quasi per viam publicam transeundum usui esse debent, sed clausa semper teneri & observari. Quod si Vitrici, quibus ea cura imposita est, negligentes ad decursum unius mensis, a publicatione harum fuerint inventi, debitis pœnis & mulctis, a Nobis ad id omnino præstandum compellentur. Magistratibus vero sub pœna depositionis mandamus, ne posthac falcem suam in alienam messem immittant; Vitricisque quo minus ea, quæ a Visitatoribus nostris ordinata sunt, præstent, impediant, vel interdicant, cum ipsorum officium sit in prætorio temporalibus & sæcularibus negotiis incumbere, non Parocho, Vitricis, aliisve Ecclesiæ Ministris, hæretico quodam eoque temerario ausu imperare.

Sint etiam Ossoria, ubi nova ædificanda sunt, a parietibus Ecclesiæ separata, in quæ ossa mortuorum ordine optimo inferantur, habeantque cancellos, si pressa nimis fuerint, ne bestiæ ascendere intus queant, & inscriptionem aliquam piam exterius, literis majusculis exaratam, diei extremæ vel resurrectionis testificativam, ab intus vero imaginem Crucifixi parieti affertam, vel depictam.

Campanæ non appendantur in trabibus parieti Ecclesiæ innixis, sed sublimes in campanili erigantur, sintque omnes benedictæ, antequam in altum eleventur.

Turres campaniles clausæ ubique sint, nec quisquam ad pulsandum sine consensu & licentia Parochi admittatur, qui etiam una cum Vitricis attendere debent, ne pro mortuis frequenter & nimis diu, sed bis, vel ad summum ter, idque per dimidium horæ quadrantem tantum, certo soluto pretio a Parocho, Magistratibus, Vitricisque pro funibus tractoriis, aliisque rebus ad eas spectantibus, constituto pulsentur.

Nimbis, procellisve imminentibus, sicut Ecclesiasticæ consuetudinis est, campanis sonetur, tum ad tempestates depel-

depellendas, tùm ad Dei misericordiam Christianæ pietatis orationibus implorandam.

Quod si fideles tunc campanarum sono excitati, ad orandum in Ecclesiam venire non possunt, saltem ubicunque sunt, sive domi, sive foris Deum exorent, Clerici vero Psalmis, Lytaniis, precibus & orationibus, quæ ex ritu Sanctæ Matris Ecclesiæ ad arcendas tempestates dicuntur, Dei misericordiam deprecentur.

De Funeribus, Exequiis, & Sepulturis.

UT vetus institutum Ecclesiæ, mortuorum funera, piis precibus & officiis, solenni ritu prosequendi, multis locis, avaritia, ambitione, vel negligentia depravatum, ad pristinam pietatis rationem revocemus, hæc servanda proponimus.

Primo, ut Exequiarum, sepulturæ, vigiliarum, & anniversariorum causa, nemini paciscì quidquam aut exigere liceat, neque etiam petere, vel quid aliud committere, quod Simoniacæ labis aut sordidæ avaritiæ suspicionem habeat. Pias tamen & laudabiles consuetudines aliquid dandi non rejicimus, nec improbamus.

Secundo, ut miserabiles personæ, quibus mortuis aut nihil superest, aut ita parum, ut sua impensa humari non possint, gratis omnino & debita cum solennitate processionaliter cum cruce & cantu sepeliantur.

Tertio, ut caveant Parochi, ne, quod pietate adducti, suadere debent mortuorum videlicet hæredibus, ut vigilias in die depositionis & anniversaria officia illorum causa celebranda curent, id cupiditate inducti, molestius etiam ab iis flagitent, quibus res domesticæ adeo angustæ sunt, ut id commode facere non queant.

Quarto, ne ad funus ducendum, aut Officia pro mortuis celebranda, alios pro se mittant, ipsimet emolumentum, aut ejus aliquam partem percepturi, neque secum pueros aut Clericos ea spe perducant, mittantve, ut eleemosynæ, quæ illis dandæ foret, participes efficiantur, nullo vero pacto, etiam consuetudine immemorabili non obstante, aliquid funeris deducendi nomine accipiant, si personaliter processioni & deductioni non interfuerint; scriptum est enim: Qui non laborat, non manducet.

Quinto, ne eleemosyna, quæ ob funus curandum Clero, aliisque Ecclesiæ Ministris datur, in Ecclesia spectante populo inter cantandum, sed alio remoto & separato loco finitis exequiis distribuatur.

Sexto, ut omnis prorsus avaritiæ suspicio, ab hoc tam pio exercitio omnino amoveatur; statuimus, ne Parochi unicis exequiis & vigiliis decantatis, eleemosynam pro pluribus accipere ausint, prout in quibusdam Parochialibus, mala quadam introducta consuetudine fieri compertum habemus. Quod si quis hanc consuetudinem nostram Synodalem, temerario ausu infringere non subverebitur, in triplo, quod accipit, restituet, & a perceptione similium eleemosynarum, per tres menses suspensus erit.

Septimo, ut totis duplicibus Festis, tam Fraternitatum, seu Anniversariorum, quam recentium funerum exequiæ non peragantur, etiamsi plures sint Sacerdotes, qui absque fraude & diminutione summi Sacri, debita munia pro defunctis exolvere queant. Idipsum quoque observetur diebus Dominicis & Festis, qui Ecclesiæ præcepto coluntur, ruralibus duntaxat Ecclesiis exceptis, in quibus, dum similia Anniversaria, vel recentium funerum exequiæ incidunt, Missa de tempore cum impositione Collectæ pro defunctis fieri poterit.

Octavo, ne præter licentiam nostram, vel Vicarii nostri Parochi defunctum alterius Parochiæ intra vel circa Parochialem Ecclesiam suam sepelire sub pœna Synodali præsumant.

Nono, ut eorum defunctorum hæredes, qui in Ecclesiis sepeliuntur, sepulchra ita complanari & exæquari curent, ne quid tortuosum post sepulturam in pavimento appareat.

Decimo, Statutum de quarundam personarum gratuita in Ecclesiis sepul-

ſepultura, ab Anteceſſore noſtro laudabilis memoriæ CROMERO ſancitum, approbamus, quod ſic habet: "Gratuitam ſepulturam in Eccleſiis habeant, "non niſi earum Parochi, Capellani, & "Beneficiati, Patroni, Patronæve, qui, "quæve diſceſſerunt in fide Catholica & "a jure Eccleſiaſtica ſepultura non prohibentur, atque Vitrici in eo officio "mortui, ſi ipſi, eorumve hæredes id "deſideraverint."

Undecimo, ne cuique, cujuscunque ſtatus & conditionis ſit, vexilla, haſtæ, & ſimilia in Eccleſia ſuſpendantur absque Noſtra, vel noſtri Vicarii Generalis licentia & conſenſu.

Duodecimo, ut ſiquidem ultimum charitatis officium impendendæ populo a Parochis funus eſt, atque oratio pro defunctis, cum primum obiiſſe aliquem ex ſuis cognoverint, Pſalmos: *Miſerere mei Deus*, aut *De profundis* &c. pro anima illius Parochi orent, recordenturque ejus in Miſſa, quam primam habebunt.

Decimo tertio, ut perſuadeant hæredibus & amicis defunctorum, ne diu cadavera inſepulta teneant, oppreſſos tamen aliquo repentino morbo aut caſu ante expletas viginti quatuor horas, vel quamdiu de vita illorum ſpes ſupereſt, ſepulchro ne inferant.

Decimo quarto, ut Vigiliarum cantus more Romano fiat ad Cathedralis Eccleſiæ imitationem.

Decimo quinto, ut conciones funebres ſic inſtituantur, ut non tam mortuorum in illis celebrentur encomia, quam vivi ad imitationem, mortis recordationem & vitæ emendationem inducantur.

Decimo ſexto, ut quarta funeralis juxta ſacros Canones ſalva & integra maneat Parochiali defuncti Eccleſiæ, ubicunque is tandem extra illam electione etiam ſua ſepeliatur.

Decimo ſeptimo, ut Parochi, & Fraternitates, etiam Sacerdotum Rectores provideant, ne pias fidelium voluntates, qui fundando aut dotando ſuffragandi pro ſe onus Miniſtris aut Fratribus impoſuerunt, deperire ulla ratione, defraudarive patiantur, nec perfunctorie, ſed diligentiſſime juxta mentem Fundatorum omnia adimpleant, & a Vicariis ſuis adimpleri faciant.

Decimo octavo, ut ſepulchra in templis prope altaria nullo pacto fiant, ſed duobus ad minus cubitis ab iis remota.

Decimo nono, prohibendi autem & arcendi ſunt ab Eccleſiaſtica ſepultura, præter Paganos, Judæos, & hæreticos, parvuli abortivi, & ſine Baptiſmo defuncti, excommunicati excommunicatione majori; interdictique nominatim, ni reconcilientur Eccleſiæ, decedentesque item in torneamentis vel duellis; conſciſcentes mortem ſibi ipſis, niſi id ex amentia, vel contra intentionem ſuam fecerint; vel ſi quis volens fugere, præcipitet ſe in fluvium, & pereat; injicientes violentas manus in Eccleſiaſticas perſonas, non confeſſi & non communicati in Paſchate, ni de conſilio Parochi a Communione abſtinuerint; blaſphemi in Deum & Sanctos; uſurarii manifeſti, ni pœniteant, & faciant ſaltem cautionem de reſtituendo; Monachi inventi proprietarii; impœnitentes; ac denique quilibet notorius peccator, in ipſo notorio mortali decedens, nec confeſſus, aut ſigno ſaltem voluntatis confitendi, vel contritionis non exhibens.

His adjiciendum duximus Statutum HOSII Cardinalis, quo interdicitur, ut Parochiani cujuscunque linguæ fuerint, ſi diebus Dominicis & Feſtivis fideliter ad ſuam Eccleſiam confluere, Divinaque & prædicationem ad ædificationem fidei audire neglexerint, & per ſuos Parochos moniti, emendare ſe non curaverint, careant Eccleſiaſtica ſepultura.

Nemo tamen ob debita, aut non ſolutas obſequii, operæve mercedes, ſepulturam cujuspiam impedire audeat.

Quod ſi in aliquibus Eccleſiis, vel tam magnus Miſſarum celebrandarum hoc nomine impoſitus eſt numerus, ut omnibus præſcriptis diebus celebrari nequeant, vel adeo tenues pro Celebrandis illis aſſignatæ ſunt eleemoſynæ, ut non facile inveniantur, qui ſubire hoc munus velint, quam primum id Nobis ſignificent, ut de his ſtatuamus,

mus, quod magis ad Dei honorem & Ecclesiæ utilitatem expedire viderimus, quemadmodum Concilium Tridentinum statuit.

Convivia funeralia etsi non omnino improbamus, si sobria & moderata fuerint; mallemus tamen pauperes & egenos illis interesse potius cum piis Ecclesiæ Ministris, quam quoscunque alios profanos, quibus venter magis solet esse curæ, quam defuncti spiritus.

Actum Heilsbergæ in Templo nostro Parochiali, præsentibus Reverendis &c. Dominis Prælatis &c. ut supra. Anno MDCX. XVII. XVIII. XIX. Novembris.

Ex Codice impresso Brunsbergæ in 4to. apud Georgium Schönfels MDCXIII., commodato a Reverendissimo & Illustrissimo D. Zaluski, Episcopo Kiovienfi.

ARGENTORATENSIS de A. 1610. SYNODUS LEOPOLDI Archi-Ducis Episc., in Programmate adnotata, desideratur.

SYNODUS DIOECESANA COLONIENSIS

Sub FERDINANDO, (*) Bavariæ Duce & Ernesti Coadjutore, LXII. Archi-Episcopo,

Anno Christi MDCXII. Pauli V. PP. VIII. Matthiæ Imp. I.

Statuta Synodi Diœcesanæ Coloniensis de Dat. Fer. 3. post: INVOCAVIT A. 1612.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

NOS FERDINANDUS, DEI gratia S. Coloniensis Ecclesiæ Electus & Confirmatus Archi-Episcopus tot. tit. Legatusque Sedis Apostolicæ natus, ad DEI Omnipotentis gloriam, Beatæque Mariæ semper Virginis, SS. trium Regum, ac Beati Petri, Felicis, Naboris, S. Gregorii Patronorum nostrorum laudem, Sacrosancta Missa per Reverendissimum Patrem Theodorum, Cyrenensem Episcopum, de Spiritu Sancto decantata, & Synodali Oratione

(*) Obierat in arce Arensbergensi XIII. Kal. Martias anno 1612. piissima inter suspiria Ernestus, annum ætatis agens octavum & quinquagesimum, *Ligæ* a. 1609. contra Protestantes conditæ author, *Religionis*, ut habet epitaphium Metropolitano in Templo, ubi conquiescit, æri incisum, *Columen, & publicæ pacis Assertor, patriæ Pater laudabilis*, (de quo jam egimus *Tom. præc. a pag.* 532.) &, quem pluribus modo annis Adjutorem sibi esse voluit, Successorem habebat FERDINANDUM, ex fratre Wilhelmo V. Bav. Duce nepotem, ex Renata Principe Lotharingiæ anno 1577. Non. Oct. natum, Ecclesiæ Coloniensis Præpositum, datum sacris Leodiensi, Monasteriensi, Hildesiensi, ac Paderbornensi Sedibus Episcopum. Præclaræ hic erat indolis, maximæque expectationis Princeps. Celebratis Patruo suo exequiis, & Synodo, quam hic damus, absoluta, Francofurtum ad novi Cæsaris electionem

tione in Choro recitata, ad fidem orthodoxam omnibus finibus nostræ Diœceseos propagandam, & præcipue ad Cleri, populique fidei nostræ concrediti mores reformandos, adsistentibus Nobis, prædicto Cyrenensi Episcopo, cæterisque Abbatibus, Prælatis, Decanis, Archi-Presbyteris, seu Christianitatum Decanis, & hujus Urbis Pastoribus, de consilio & assensu Venerabilis Capituli nostri decernimus, statuimus, sancimus, ac per Notarium nostrum specialiter ad hoc deputatum, promulgamus Constitutiones & Decreta, quæ sequuntur.

DE

---

insigni cum Procerum comitatu profectus est. Urbem XIV. Kal. Junii primus omnium cum Joanne Sweicardo, Moguntino Archi-Episcopo ingressus, toto, quod supererat, tempore ad exeuntem usque Junium Matthiæ Rom. Regis, & electi Imperatoris honoribus, *Strunckio Annal. Paderb. P. III. narrante*, communi Imperii saluti, Catholicæque Religioni inprimis consultum ivit.

Magno illum plausu & apparatu excêpere Monasterienses, sacramentum solenne dicturi; magno Eburones: Patruum in Nepote optimum utrique desiderantes. Hæc ab illis facta gratulatio: *Maxime Princeps, magnam initure urbem salveto. Lætus in illam, faustus in illam, Felix intrato. Subjectos populos justitia rege, paceque protege. Si quæ forte jacent, legibus erige, menteque dirige: Quæque erecta vides, jugiter imperans conserva & auge. Sic te regat, sic te tegat feliciter; Qui nos tibi dedit regendos & tegendos magnus DEUS.* Legiam ingredienti obviam se stitit eximiæ formæ virgo, triplicique sermone Latino, Hispanico & Gallico felicem adventum gratulata, auream clavem obtulit. Post hæc quatuordecim civitatum, quas Principatus iste numerat, Oratores, suum quisque bovem una cum aliis muneribus, largiebantur. Juratum deinde ab utriusque urbis S. P. Q. in verba ac vota Principis fuit.

Sub ejusdem regimine Patres de monte Carmelo, quos *Discalceatos* vocant, anno 1613. VII. Kal. Dec. & Virgines dicti Ordinis, Sylva Ducum extorres, Kal. Jul. a. 1630. domicilium apud Ubios fixerunt; ab eoque impensis tum restituendo fidei orthodoxæ Aquisgrano, tum paci Juliacenses in Provincias reducendæ curis, primus templo Societatis nostræ surrecturo lapis collocabatur Leodii a. 1614., ubi malevolorum in nos convitia gravi hoc responso dispulit, diluitque: *alieno vel judicio, vel authoritate nihil mihi opus est in Societatis æstimanda innocentia, cujus a puero probationem haustam habeo quam exploratissimam.* Cum, Matthia Imperatore XIII. Kal. April. anno 1619. Viennæ sine liberis defuncto, innumeris propemodum difficultatibus obseptum videretur novæ electionis negotium, mira Ferdinandi tum prudentia, tum magnitudo animi eluxit: ringentibus enim Bohemis, lusisque spe sua Calvinianis unitis, atque ut remoras, quas possent, Comitiis injicerent, vehementer connitentibus, Ferdinandum Austriacum V. Kal. Sept. Francofurti cum cæteris Electoribus ad dignitatis Cæsareæ fastigium evexit; commodamque in Conventu Mulhusiano navavit operam, ut Friderici Palatini, Regnum Bohemiæ invadentis frangeretur superbia & progressus rei Catholicæ admodum infesti præpedirentur. Victus hic ad Pragam fuit & VIIvirali dignitate a Ferdinando II. Imp. exutus: suffectum in illam, aliorum pariter Electorum ex sententia, a. 1623. Maximilianum, fratrem suum vidit Ferdinandus Princeps ut æqui tenax; ita cultui & amoribus Sanctorum, Civitatis potissimum & Archi-Diœcesis suæ, quos inter SS. Engelbertus Ep. Martyr, Bruno Ordinis Cartusianorum Fundator, & Hermannus Josephus Steinfeldiæ Angelus eminebant, addictissimus. Officia illorum propria typis mandari jussit a. 1648. Ex eo, quod *Wilmii ex Chronico MS.* adjicio, in B. V. MARIAM, sine labe originis conceptam, quam porro reverens ac religiosus fuerit, elucescet. Hæc ille ad annum 1629. "Fortunatissimus ad hunc " usque annum Ferdinandus Imp. ab anno hujus Sæculi undevicesimo nobilissimas " & quidem viginti numero obtinuerat de variis hostibus victorias. . . Has quia " religiosissimus Princeps in acceptis referebat post Deum patrocinio Virginis Ma- " tris, quam castrorum suorum GENERALISSIMAM nuncupare consueverat, " petiit a totius Germaniæ Antistitibus, ut in gratiarum actionem, & honorem " fortunatissimæ suæ Propugnatricis, diem, quo illam sine labe conceptam pie cre- " dimus ac colimus, suis quam solennissimum esse juberent. Paruit præ cæteris " pio desiderio Cæsaris pius Coloniensium Archi-Episcopus Ferdinandus, ac datis " in subjectis sibi Diœcesibus Coloniensi, Leodiensi, Paderbornensi, Monasteriensi " ac Hildesiensi ad Ecclesiarum Rectores, & Religionum Præsides literis, jussit

ob

DE CLERICORUM VITA ET HONESTATE, EORUMQUE BENEFICIIS.

TITULUS I.

CAPUT I.

Renovantes, (**) & Archi-Episcopali authoritate, qua fungimur, confirmantes ea, quæ præcedente Synodo hac de re constituta sunt; ut a nobis iram & flagella Dei avertamus, censemus ante omnia domum ejus ab omnibus impudicitiæ sordibus ac immundo concubinatu esse purgandam. Quod, ut pro munere & provincia Nobis credita præstemus, Prædecessorum nostrorum vestigiis insistentes, præcipimus Prælatis & Decanis omnibus, ut pro ea, quam Deo ac Nobis debent, pietate ac obedientia satagant; ne Clerici sibi subjecti, cujuscunque fuerint Ordinis, concubinas, aut alias mulieres, de quibus haberi potest suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant; alioquin pœnis a sacris Canonibus, vel Diœcesanis, aut Provincialibus Statutis impositis, puniantur. Qui vero a Superioribus suis moniti, ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum ac proventuum Beneficiorum suorum quorumcunque, etiam pensionum ipso facto sint privati: quæ fabricæ Ecclesiæ, unde provenerant, vel alteri pio loco applicentur. Hi autem, qui in delicto eodem, cum eadem, vel alia fœmina perseverantes, secundæ monitioni non paruerint, vel postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, Nobis, aut Officialibus nostris denuncien-

" ob causas jam memoratas, ut hortarentur fidelem populum, quam maxima religione diem illum habere celeberrimum, in pervigilio abstinere ab esu carnium, Confessionis Sacramento perpurgare animum, Sacrosancto Christi Corpore pasci, Deoque debitas gratiarum actiones persolvere, simulque ejus Matri, quæ a Filio tanta Cæsari, tanta Catholicæ Ecclesiæ beneficia impetrasset. Inde Clerum, Religiososque admonuit, eo ut die in suis quique Templis quæsitissimo apparatu facerent rem Divinam, integroque octiduo repetitis Sacrificiis, & precum horariarum pensis Virginem ab originaria culpa divinitus præservatam, ac tot victoriarum Conciliatricem venerarentur. Manet inde hodieque pluribus in locis ejus Festivitatis inusitata celebritas monumentum insignis utriusque Ferdinandi erga augustissimam cœli Reginam pietatis." *Ita Scriptor Chronici Coloniensis cit.*

Cessit e vita Ferdinandus Arensbergæ anno 1650. Id. Sept., Leodio domito, Pace Germanica confecta, Diœcesibus suis omnibus (Mindensem, Metropoli subtractam, si excipias) ne Acatholicis darentur in prædam, fortiter, sapienterque conservatis. Opera Ipsius factum legimus, ut paucos intra menses duodeviginti hominum millia, ejurata hæresi, avitæ fidei nomina darent. Vixit Princeps optimus annos tres supra septuaginta, minus diebus quatuor & viginti. Archi-Diœcesi Coloniensi ceu Coadjutor annis fere 16.; ut Archi-Episcopus annis 38. mensibus 7. diebus 5. præerat. Pari temporis spatio Monasterienses rexit; pari Leodienses ac Hildesienses: Paderanæ vero Ecclesiæ clavum annos 21. menses 9. dies 20. moderabatur. Verissime de illo P. Joannes Heim S. J. Orator panegyricus: *Quasi Sol refulgens, sic Ille effulsit in Templo Dei.*

Cadaver prudentissimi, fortissimi, piissimique Præsulis devectum Coloniam, & in æde Metropolitana reconditum fuit, parentantibus meritissimo Principi totius Archi-Diœcesis Ordinibus; ac Solem pudicitiæ, Religionis, Justitiæ, aliarumque virtutum suæ ereptum patriæ, collacrymantibus.

Vide præter AA. cit., Michaëlis Mörkensii Conatum Chronol. Archi-Ep. Colon. typis Krakampianis Col. Ub. 1745., Joan. Bapt. Castillionii Sacr. Belgii Chronol., Joan. Erhardi Fullonii S. J. Historiam Leodiens. & alios.

(**) Vide Statutum Friderici cap. 8. & D. Nicolai Cusani Cardin. Concil. Trid. Sess. 25. cap. 14. de Reformatione.

cientur, ut, quod muneris noſtri eſt, contra eos, ſecundum Canonum, ac Synodalium & Provincialium Statutorum rigorem, ſeverius procedere poſſimus.

II. Haud minus curæ Nobis eſt, (***) ut Clerici noſtri per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatem intrinſecam oſtendant. Eos igitur a ſuis Superioribus moneri volumus, & urgeri, ut habitum deferant Clericalem, Ordini ſuo, forma, colore, ac modeſtia congruentem. Refractarii autem per ſuſpenſionem ab Ordinibus, ac officio & beneficio, ac fructibus, redditibus & proventibus ipſorum Beneficiorum a ſuis Decanis: & qui ſemel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem Officiorum & Beneficiorum hujusmodi a Nobis ſe noverint eſſe coercendos.

III. Similiter confirmamus & renovamus Sereniſſimi ERNESTI Archi-Epiſcopi Colonienſis, Prædeceſſoris noſtri Decretum, quod eſt tale:

" Omnes Diaconi, Subdiaconi & " Clerici, pro tempore exiſtentes Ca- " nonici, aut Vicarii, ſi Sacerdotes " non fuerint, confiteantur in Sacra- " tiſſimo feſto Paſchæ, Pentecoſtes, Aſ- " ſumptionis Beatæ MARIÆ, omnium " Sanctorum, Natalis Domini, Domi- " nica prima in Quadrageſima, & in " ſumma Miſſa, per Venerabilis Eu- " chariſtiæ ſumptionem, Deo ſe recon- " cilient, &, ut alias frequentius, his " item temporibus Coronas, pro Or- " dinis ſui decentia, ſibi renovari cu- " rent, & comam tonderi. Sacer- " dotes iisdem diebus celebrabunt, " ſub pœna ſuſpenſionis a fructibus Be- " neficii. "

IV. Publicamus & Synodali authoritate promulgamus Decretum noſtrum de pluribus Vicariis, in unam contrahendis, anno 1602. 6. Auguſti emanatum, quod eſt tale:

" Quandoquidem indecens, & pio " Fundatorum inſtituto repugnans eſt, " quod ex tam multis Canonicis, at- " que Vicariis, admodum pauci in Ec- " cleſiis ſuis reſidere conſpiciantur; id- " circo Collegiatarum Decanis, Abba- " tiſſis, & Patronis Eccleſiaſticis, juxta " ſalutares Statutorum Colonienſium " definitiones, diſtricte mandamus: ut " omnes ſuos Canonicos, Canoniſſas, " atque Vicarios, ſub privationis pœ- " na ad reſidentiam in ſuis Eccleſiis, " infra certum tempus, citari faciant, " quo fidei profeſſionem, à Ss. Tri- " dentino Concilio præſcriptam, edant: " & apud ſuas Eccleſias reſidendo, " emolumenta legitime ſua faciant: in- " obedientium, & non parentium fru- " ctus, Eccleſiarum ſuarum fabricæ, " ſeu etiam ornamentis, prout Statuta " earundem Eccleſiarum ferunt, ap- " plicent. Quia vero quarundam Vi- " cariarum dotatio, tam exilis, ac te- " nuis eſt, ut ex ea Poſſeſſor pro Sta- " tus ſui dignitate honeſte vivere, ac " proinde ad reſidentiam adigi neque- " at: itaque Decani, Abbatiſſæ, & Pa- " troni Eccleſiaſtici, quorum intereſt, " vocatis cum conſenſu, ac diſpoſitio- " ne Superiorum, ipſius videlicet Or- " dinarii, ſeu ejus in Spiritualibus " Vicarii Generalis, per duarum, aut plu- " rium Vicariarum unionem, Beneficia " quidem pauciora, ſed ita dotata con- " ſtituent, quo eadem poſſeſſorem ſu- " um, pro iſtorum temporum difficul- " tate, alimentare queant: & proinde " ipſe ad Eccleſiaſticam reſidentiam in " fundationis ac beneficii loco De- " cani, aut Superioris legitimi authori- " tate ſub privationis aut arbitraria pœ- " na obligetur."

DE OFFICIO DECANORUM *CHRISTIANITATUM.*

TITULUS II.

CAPUT I.

I. OMnes Decani Profeſſionem fidei, (juxta præſcriptum Concilii Tridentini & formulam in fine hujus Synodi appoſitam) faciant, & ab Ordinario confirmentur.

De

(***) Concil. Provinc. ſub Conrado Archiep. c. 4. & c. 9. Statut. D. Sifridi c. 1. Statut. D. Henrici cap. 1. §. 3. & 4. & c. 5. Statut. D. Friderici c. 9. Concil. Provinc. ſub Henrico 5. Parte 2. c. 6. Concil. Trid. Seſſ. 14. c 6. de Reform.

De Synodis.

CAPUT II.

II. Synodos annue celebrent, & a suis Pastoribus, si ipsi adesse non poterunt, celebrari procurent, a Scabinis & Juratis autenticam mulctarum tabellam & copiam, vulgo Frag-Zettel, sibi exhiberi procurent.

Viri in Religione zelosi, ac sine ulla suspicione integri, Scabini Synodales eligantur.

Communia puncta & interrogatoria Decani Scabinis communicent, super quibus inquisitionem facere, & informationem dare tenebuntur.

Necessarios in Synodis sumptus, si ex mulctis haberi non poterunt, loci Pastores & fabricæ Magistri curabunt.

Decani exceptis criminibus aliis gravioribus, contra delicta in Synodis denunciata, procedent.

De Visitatione.

CAPUT III.

III. Singulis annis a Decanis, si pro temporum ratione fieri potest, visitatio instituatur.

Visitatio autem talis ab iis, juxta præscriptam in Statutis Synodalibus formam, salubriter instituatur.

Advigilabunt Decani, ut curæ suæ commissi Pastores, ab Ordinario debito tempore investiantur & instituantur.

Neque permittent, ut a Laicis, Ecclesiæ Pastoribus occludantur.

Si Pastores, aut alii Beneficiati non satisfaciant Divino Officio, reditus non meriti, juxta ratam temporis, ex dispositione Ordinarii, vel Archi-Diaconi ad reparationem Ecclesiæ, Beneficii, vel Altaris, aut ad pios usus per Decanos applicabuntur.

Decani singulariter & serio in eos animadvertent, qui Pastores vel Clericos contumeliose, verberibus, aut aliis illicitis modis tractant.

Diligenter etiam & cum zelo Decani curabunt, ut singuli Pastores, Vicarii, Sacellani, Altaristæ, commisso sibi officio fideliter & decenter incumbant.

Omnibus vero Pastoribus serio mandabunt Decani, ne Communionem sub utraque specie, sine auctoritate & consensu Sedis Apostolicæ administrent.

Pastores insuper moneant, ut computationibus Ecclesiæ Confraternitatum & pauperum quotannis intersint, & sumptuosas convivationes in iis habere solitas amoveant.

Decani in visitationibus, & alias, quando ipsis visum fuerit expedire, de reditibus Ecclesiæ, pauperum, Vicariarum, Altarium, Confraternitatum exigent.

Decani mandabunt Pastoribus, ne patiantur obliterari reditus: panes etiam exigent, & ubi hactenus soluti non sunt, non obstantibus ullis contractibus, aut pactionibus sine legitimo Superiorum consensu factis, per debita media solvi curabunt. Denique Decani, Divina favente gratia, officio suo, quanta poterunt diligentia maxima, satisfacient. Ut & Deus benedicatur, Ecclesia honoretur, & denique Christi fideles ædificentur.

DE OFFICIO PASTORUM.

TITULUS III.

De Pastorum institutionibus.

CAPUT I.

Ad deservitionem Parochialium Ecclesiarum, Altarium, aut qualiumcunque Ecclesiasticarum functionum nulli assumantur aut admittantur Religiosi, nisi expressum & legitimum consensum habeant Superiorum & Ordinarii.

In Ecclesiarum aut Altarium administratione, parentibus filii non succedant.

Pastores a suis Parochialibus Ecclesiis, in quibus instituti sunt, citra consensum & præscientiam sui Decani non recedant.

Quos Libros habere debeant.

CAPUT II.

Breviarium omnes habeant approbatum, Horasque Canonicas juxta Coloniensis Diœcesis consuetudinem quotidie diligenter legant.

Omnes

Omnes habeant Latina Biblia, & Germanica Dietenbergii, vel Eckii. Expediet etiam, ut, quibus per facultatem licet, habeant ac diligenter legant Catechiſmum Tridentini Concilii, Directorium Polanci, Paſtorale Binsfeldii, Caſus Toleti, Compendium Concionum Fuichtii, item libellum Sodalitatis Patris Coſteri, & ejusdem Enchiridion controverſiarum poſtremæ editionis.

Hæreticorum libros nulli habeant, nec eos absque conſenſu Superioris legant.

Omnes habeant indicem librorum prohibitorum.

Paſtores a ſuis auferant libros hæreticorum, quos aut comburent, vel Decanis ſuis tradent, nec patiantur libros hæreticos venales proſtare.

De Celebratione Miſſarum, & Divinis eorum Officiis.

CAPUT III.

Paſtores ad minimum bis in hebdomada celebrent, ratione Paſtoratus, ſi etiam alia Sacra ipſis impoſita ſint, ea diligenter curent.

Inſtruant Paſtores populum, quid ſit Sacrificium Miſſæ, explicent Cæremonias, & quod omnes teneantur diebus Dominicis & Feſtis ſub pœna peccati audire integrum Sacrum.

Sæpius pro concione explicent præcepta Eccleſiæ, dividantque conciones, ut una parte Contenta Catechiſmi doceant.

Dominicis & Feſtivis diebus ſub Sacrificio Miſſæ concio fiat.

De Sacramentorum adminiſtratione.

CAPUT IV.

In confeſſionibus Paſtores confitentes examinent, & eos non abſolvant, qui particulariter peccata confiteri nolunt.

Non audiant plures una vice, excipiant confeſſionem non in ædibus, aut tabernis, ſed in Templo, non tamen in Sacriſtia, aut alio loco clauſo vel obſcuro, niſi neceſſitas alicujus ſurdi, vel infirmi aliud poſtulet: Nec audiantur ſtantes vel ſedentes, ſed genu flectentes; Neque ante, vel poſt confeſſionem cum pœnitentibus bibant.

Utantur ſtola, & ſuperpellicio, aut honeſta toga vel alba, dum confeſſiones excipiunt.

Secretum confeſſionis inviolabiliter Paſtores ſervent.

Curent Paſtores pueros adduci ad confeſſionem circa medium Quadrageſimæ, ne impediantur adulti.

Doceant & diligenter explicent in Quadrageſima, quæ ad Pœnitentiam & Communionem ſunt neceſſaria.

Adhortentur ſuos ſerio, ut ad confeſſionem diligenter ſe præparent, nec procraſtinent uſque in ultimam horam.

Nomina pœnitentium aſſignent.

Parochiale, ſive Paſtorale ſuæ Diœceſis, Paſtores in adminiſtratione Sacramentorum ſequantur.

Miſſali ſuæ Diœceſis utantur, ſi autem ordinationem Miſſalis Romani ſequantur, id in privatis tantum, non in ſolennioribus Sacris fiat.

Paſtores ultro infirmos viſitent, eosque, ut Sacramenta petant, ſalubriter inducant, & in concionibus ad hoc ſuos adhortabuntur, & Extrema Unctio, quam ſit neceſſarium Sacramentum, explicabunt.

Monebunt diligenter ſuos, ne in infirmitate admittant hæreticos.

Nullo modo patiantur hæreticos in Templis, aut cœmeteriis ſepeliri, ſub gravi pœna: multo vero minus ipſi hujusmodi ſepulturis interſint.

Non patiantur infantes ſine Baptiſmo mortuos, in loco ſacro ſepeliri, curentque, ut certus & abſtractus ſit locus, pro talium puerorum ſepultura.

In ſepultura conſuetas Diœceſis ſuæ cæremonias obſervent. Nullus alterius Parochiæ infantes ſine proprii Paſtoris licentia baptizare præſumat, ſola neceſſitatis cauſa excepta.

Et ſimiliter non, niſi extrema neceſſitate cogente, infantes in ædibus baptizent.

Nec baptizabunt Paſtores infantes Nobilium in ædibus ſine juſta cauſa, & licentia expreſſa Decanorum.

Nul-

Nullus alterius Parochianos absolvat, sine consensu proprii Pastoris.

Neque conjungantur Matrimonio ulli, nisi per proprium Pastorem, aut de ejus licentia.

Dimissoriales Pastores diligenter custodiant.

Pastores diligenter moneant suos, ne contrahant cum hæreticis, nec conjungant, aut copulent Catholicas personas cum hæreticis, nisi spes conversionis moraliter loquendo certa sit.

Sponsalia contrahantur ad modum in Agenda Coloniensi præscriptum.

Quando Sponsalia, in præsentia amicorum contracta sunt, absente Pastore, mittantur duo, qui referant Pastori Sponsalia contracta, petantque fieri proclamationes, quas Pastores examinabunt, an illis de impedimentis constet.

Non patiantur Sponsos verberari in Ecclesia, & omnem insolentiam & petulantiam impediant.

Nullos admittant ad Matrimonii solennizationem, absque præviis tribus proclamationibus. Nisi Superiores ex causis in his dispensent.

Contracturi Matrimonium prius confiteantur, atque communicent.

Nulli copulentur extra Ecclesiam, aut etiam tempore interdicto, sine expressa & in scriptis habita Superiorum licentia.

Non copulent in gradibus prohibitis, sive affinitatis, sive consanguinitatis, neque etiam conjungant eos, qui spiritualiter sibi conjuncti sunt, & discant diligenter ex Auctoribus Casus conscientiæ, qui sint gradus affinitatis, & quæ Matrimonii impedimenta existant.

Moneant suos, ne Matrimonium, sine parentum & amicorum consensu contrahant.

Contrahentes Matrimonium prævio Sacro, aut sub Sacro, aut post Sacrum solenniter conjungant.

Quale sit tempus interdictum Matrimonii suos commoneant.

Adhortentur suos, ne nuptias celebrent, aut instituant circa dies quatuor temporum, vigiliarum, aut jejunii.

Prægnantes, ut confiteantur & communicent, moneant Pastores, ut post purificationem Templum ingrediantur, benedictionem a Pastore petant, &, si fieri potest, puerperæ Sacrum audiant.

Pastores peculiarem librum habeant, in quo scribant nomina infantum, parentum, patrinorum; neque plures duobus admittant, aut, si adsint, tantum duas personas annotent, eisque declarent, quam cognationem contrahant. Et hunc librum apud Ecclesiam relinquant.

Præterea librum habeant, in quo assignent nomina copulatorum, annum, diem, & duos testes; Item librum, in quo conscribant Testamenta. Quos libros relinquent Ecclesiis. Pastores non proficiscantur foras, nisi aliquo constituto, qui in absentia eorum suppleat vices.

Ab omnibus illicitis & inhonestis cantilenis, & ab Ecclesia non approbatis, Pastores abstineant.

Ut gerant tonsuram, habeant coronam ac habitum Statui Ecclesiastico convenientem, dissectis & coloratis vestibus non utantur.

Omnes Pastores, Vicarii, Altaristæ, quotannis rescriptiones suas, secundum præscripta interrogatoria Decanis suis tradent in Capitulo generali, quod in Autumno celebratur, sub pœna quinque Dalerorum, quoties omiserint.

Diligentissime caveant Pastores, ne sint Nigromantici, venefici, divinatores, & similibus superstitionibus innodati, quarum si rei comperiantur, juxta præscriptum Canonum, acerrime puniendi erunt.

Et tales nullatenus in suis Parochiis admittent, sed suis Decanis eos denunciabunt.

Nullo modo Pastores divinatores, aut similes superstitiosos consulant. Neque ab aliis id fieri permittent.

Nulli Pastores Chirurgiam, aut artem medicam exerceant, nisi in quantum sacri Canones hoc ipsis permittant.

Communes aut speciales cæremonias non omittant.

Parochianos suos in certo libro conscribant, & cujus Religionis assig-

nent, quique convertantur, avertantur, dificiant & moriantur.

Paſtores a Capitulis generalibus ſe non abſentabunt, ſub pœna in Statutis aſſignata, niſi habita expreſſa licentia, quam mature petent.

Excuſati, nihilominus ſolvant pro Symbolo, ſicut præſentes.

Falſo excuſati duplici pœna puniantur, juxta arbitrium Decani.

Novelli Paſtores non acceptentur, nec admittantur ad Capitulum, niſi ſecundum Statuta.

Nulla teſtamenta Paſtorum, & aliorum Eccleſiæ Miniſtrorum valida ſint, quæ per Ordinarium non fuerint confirmata; Itaque poſt defunctorum mortem hæredes, vel Executores eadem, cum inventario bonorum, juxta formam in Synodalibus Statutis præſcriptam, Sigillifero majori præſentabunt.

Non celebrent, niſi in Altaribus conſecratis. Curent Calices, albas, capſulas, mappas altarium, corporalia debite conſecrari ab Ordinario, aut ab alio poteſtatem habente; neque celebrent, niſi habitis neceſſariis ad Officium Miſſæ. Quæ omnia munda eſſe curabunt.

Diligenter curent circa Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ut locus ſit mundus & clauſus, Hoſtiæ conſecratæ non ſint antiquæ, ſæpius renoventur, & ſemper adſit lumen continuum, quoad fieri poteſt, & colligant potius eleemoſynas pro lumine, ne deſit.

Item curent, ut habeant Oleum ſacrum, Chriſma, & Oleum infirmorum. Et, antequam exſiccetur, adjungant oleum olivarum.

Baptiſterium curent, ut ſit clauſum.

Paſtores habeant claves Baptiſterii, & domunculæ Sanctiſſimi Sacramenti, nec eas permittant Matriculariis.

Nullæ fiant computationes, concernentes fabricam Eccleſiæ, aut bona pauperum, niſi in præſentia Paſtorum, qui curabunt, ne Officiati ſint rigoroſi, aut proprium quærant commodum, ex ipſis bonis Eccleſiæ, vel pauperum.

Purificatoria & Corporalia antequam tradantur aliis, a Paſtoribus abluantur, & aqua illa in Sacrario, aut aliquo angulo Templi effundatur.

Paſtores non patiantur ornamenta, cultui Divino ſemel dicata, in profanum uſum converti.

Ut publicent Paſtores jejunia ab Eccleſia præſcripta, & ſervari mandent.

Declarabunt populo in tribus Rogationum diebus, & in feſto S. Marci, omnibusque diebus Sabbatinis, etiam infra Nativitatem Domini & Purificationem occurrentibus, abſtinentiam eſſe a carnibus.

Feſta ſuæ Diœceſis promulgent, & obſervari curent.

Quod ſi Paſtores in præſcriptis punctis non ſatisfaciant, ea negligant, aut alias ſuo officio fideliter non reſpondeant, juxta qualitatem delicti, & exceſſus, a Decanis mulctabuntur.

De Cuſtodibus.

TITULUS IV.

Non admittantur Cuſtodes, niſi Catholici, & probæ vitæ, ac prævia fidei profeſſione: neque aſſumantur, niſi de conſenſu Paſtoris: & non niſi prævio ejus, aut Decani examine.

Sciant, quæ ſui officii ſunt, nec non cantum Gregorianum; ſingulis annis Cuſtodes ſuis Decanis tradant reſcriptiones ſuorum proventuum, ſub pœna duorum Dalerorum.

Emittant etiam juramentum fidelitatis, ac præſtent ante admiſſionem, debitam ac ſufficientem cautionem.

Tradatur Cuſtodibus inventarium.

Panes, & alios reditus Cuſtodibus debitos, fideliter, & irremiſſibiliter exigant ſub pœna privationis.

Lampades & luminaria Eccleſiæ teneant, curentque, ut Eccleſiæ altaria, candelabra, vaſa, imagines, & alia ornamenta ſint munda, & aliquoties auferant aranearum telas.

Ut ter in die, juxta morem Eccleſiæ, pulſent, & cætera fideliter faciant, quæ antiquitus & de jure Cuſtodibus incumbunt.

De

De Ludimagistris.

TITULUS V.

NUlli admittentur vel tolerabuntur Ludimagistri, nisi cum præscientia & examine Decani.

Ante admissionem faciant Professionem fidei Catholicæ.

Jurabûnt quoque se non admissuros, aut docturos hæreticorum libros, sed tantum a Decano & Pastore approbatos.

Debitam Decanis & Pastoribus obedientiam spondebunt.

Dominicis & Festivis diebus, pueros ad Sacrum & concionem adducant.

Quater ut minimum in anno eosdem confiteri faciant.

Prælegent Catechismum Romanum, aut alium cum Decani & Pastoris consensu.

Nullas exhibebunt comœdias, nisi a Decanis & Pastoribus approbatas.

Sabbatinis & profestis diebus, quantum fieri potest, pueros in cantu Gregoriano instituant.

De Magistris fabricæ.

TITULUS VI.

SInt Catholici, & professionem fidei, ac fidelitatis juramentum edant.

Necessaria Ecclesiæ, & ad eandem spectantia procurabunt, diligenterque curabunt, ne bona fabricæ in alium usum controvertantur.

Nihil novi procurent vel ædificent, citra Pastoris consensum. Ut computum quotannis non sine præsentia Pastoris ac requisiti, parati sint reddere rationem omnium redditnum Archi-Diaconis, aut suis Commissariis visitantibus, aut alias exigentibus.

De Magistris pauperum.

TITULUS VII.

SInt Catholici.

Non distribuant eleemosynas aliis personis, quam Catholicis, & quibus ex fundatione debentur.

Agnoscant Archi-Diaconos & Pastores, tanquam generales Provisores pauperum & perpetuos, quibus cura pauperum præcipue incumbit.

De Hospitalibus.

TITULUS VIII.

HOspitalia, sicubi profanata, restituantur; & Divina Officia ibidem, juxta fundationes peragantur.

Rectores Hospitalium non assumantur, nisi Catholici sint.

Et qui se benevolos erga pauperes demonstrent.

Præstent juramentum fidelitatis.

Advigilent diligenter, ne infirmi sine Sacramentis Ecclesiæ vita discedant.

Professio Fidei juxta formulam a PIO IV. Pontifice Maximo præscriptam.

EGo N. firma fide credo & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, &c.

Ein offentliche Bekantnuß des Catholischen Glaubens.

Jm Nahmen der Allerheiligsten Dreyfaltigkeit, des Vatters, vndt des Sohns, vndt des Heiligen Geistes. Jch N. glaub und bekenne mit bestendigem Hertzen alle vnd jede Stück, so in dem Christlichen Glauben, den die heilige Römische Kirch auff diese Weiß gebrauchet, verfast seyndt. Nemblich.: Jch glaub in einen Gott Vatter den Allmechtigen Schöpffer, ꝛc.

Lünig Spicil. Eccles. Contin. II. pag. 186.





CONGREGATIO CAPITULARIS

CONCILII GELDONIENSIS,

DIOECESIS NAMURCENSIS.

Eodem anno Christi MDCXII.

DECRETA FACTA

Per Reverendissimum Dominum FRANCISCUM BUISSERET, (*) Episcopum Namurcensem

In Capitulari Congregatione Concilii Geldoniensis in Gallica Brabantia, *Eodem Reverendissimo Domino præsente, nec non Reverendis Dominis Archi-Diacono & Archi-Presbytero Ecclesiæ Cathedralis, & Decanis aliorum Conciliorum, cum sibi adjunctis Pastoribus ab eorum Concilio deputatis die quarta mensis Junii, anno Millesimo sexcentésimo duodecimo.*

FRANCISCUS BUISSERET, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA Episcopus Namurcensis. Dilectis nobis in Christo Decanis & Pastoribus totius nostræ Diœcesis Salutem in Domino.

JAm dudum deprehendimus, plurima Decreta valde utilia pro reformatione Cleri & populi Nobis subjecti, in Synodo nostra Diœcesana facta & publicata, aut in totum hactenus fuisse neglecta, aut valde imperfecte observata, & ab eo tempore multa etiam occurrerunt, quæ nostrum officium & authoritatem requirunt; idcirco dum propter causas animum nostrum moventes, similem Synodum solemnem totius Cleri nostri congregare differimus, de consilio & assensu Rever. Dominorum Vicariorum nostrorum Generalium, nec non Decanorum & Pastorum, qui nostra ordinatione Congregationi Capitulari Concilii Geldoniensis hodie interfuerunt, vobis præscribenda duximus, quæ sequuntur.

De observatione Decretorum Synodi Diœcesanæ.

IMprimis absque ulla dissimulatione curetis Ludimagistros Parochiarum vestrarum facere Professionem fidei suæ, juxta formulam C. 3. Tit. *De fidei Professione*, Synodi nostræ Diœcesanæ præscriptam; & si qui non intelligant linguam Latinam, faciant illam sub hac verborum forma:

Je N. croy fermement, & sans aucun doute, tous les Articles, qui sont contenus au Symbole de la Foy, duquel use la Sainte Eglise Romaine, & tout ce qu'a esté enseigné, defini & declaré par les Saints Canons & Conciles generaux, & principalement par le Sacré & Saint Concile de Trente. Aussi je promets & jure vraye obedience au Pape de Rome, Souverain Vicaire de JEsus-Christ sur la terre, & toutes les heresies, qui ont esté condamnées & rejectées par l'Eglise, je les condamne & rejette pareillement. Ainsi m'ayde Dieu, & les Saints Evangiles de Dieu.

A Scabinis vero pagorum, & aliis personis publicis in Edicto Regio super executione Decretorum Concilii Provincialis Cameracensis nominatis, in iisdem pagis habitantibus, Pastores, tanquam nostri hac in parte Deputati, in ipsorum Scabinorum creatione, aut cum alii suas commissiones recenter acceperint, exigant Fidei professionem, juxta formulam eidem Edicto articulo secundo insertam, & Decani in visitationibus suis se informent, an illam fecerint; & quos non fecisse repererint, ad illam in manibus ipsorum, etiam tanquam Deputatorum nostrorum, faciendam hortentur: & si qui eam facere recusent, Nos statim certiores reddant.

Quia

(*) Vide Tom. CC. VIII. præc. pag. 633. Illmi Viri elogium.

Quia vero a publicatione induciarum deprehendimus hæreticos, ex iis locis, ubi libere degunt, ſub prætextu ſuorum commerciorum, aut diſponendi de ſuis bonis, ad loca noſtræ Diœceſis venientes, variis artibus, ſemini bono, quod nos, & vos, ac Prædicatores a Nobis deputati ſeminavimus, ſuperſeminare zizania, contra expreſſas conditiones tractatus dictarum induciarum, vobis præcipimus, & ſub pœna trium Scutorum aureorum mandamus, ut quamprimum aliquid ejusmodi fieri intelligitis in Diſtrictibus aut Parochiis veſtris, hoc ſtatim Nobis ſignificetis, quo, juxta literas a Sereniſſimis Archi-Ducibus Nobis ſcriptas, de opportuno remedio providere valeamus.

Ad eundem finem totum Titulum: *De Scholis Parochialibus & Dominicalibus*, dictæ noſtræ Synodi a vobis, & unoquoque veſtrum diligenter relegi jubemus; & ubi dictæ Scholæ nondum fuerint erectæ, adhibito conſilio eorum, qui ſunt de Magiſtratu, & præcipuorum Parochianorum uniuscujusque loci, eas, quamprimum fieri poterit, erigi cupimus & mandamus.

Quæcunque vero ordinata fuerunt in dicta noſtra Synodo *de Officio Divino, de Sacramentorum adminiſtratione, de vita & honeſtate Clericorum, de Decanis ruralibus & Paſtoribus*, & Cap. 8. 9. & ſequentibus Titul. *de bonorum Eccleſiaſticorum conſervatione*, cum præcipue vos concernant, ea diligenter a vobis legi, &, quantum in vobis eſt, in praxim deduci præcipimus, ſub pœna arbitrio noſtro in eos, qui prima viſitatione negligentes deprehenſi fuerint, decernenda, niſi cauſas ſufficientes Nobis expoſuerint, ob quas executio non ſit in eorum poteſtate, ſed noſtro, aut etiam brachii ſæcularis indigeant auxilio, quod Nos impendemus, aut impendi procurabimus.

Porro ultra prædicta, & alia in dicta noſtra Synodo contenta, adjicienda, & vobis præcipienda duximus, quæ ſequuntur.

De Diſtributione Sacrorum Oleorum.

PRimo, ut ſacra Olea, quæ cum pulcherrimis cæremoniis ab Epiſcopo, aſſiſtente præcipuo Clero & populo ſolemniter benedicuntur, & conſecrantur; magno etiam cum honore & reverentia diſtribuantur, & ad ſingulas Parochias deferantur: præcipimus Decanis, ut præfigant diverſis Paſtoribus diverſas horas ad ea deferenda, ne ipſis ſimul cum ſuis Parochianis, qui honoris cauſa eos comitantur, ad eundem locum convenientibus occaſio detur altercationum & potitationum in tabernis vicinis, non absque ſcandalo aliorum.

Et quamprimum aliqui advenerint, aliis non expectatis primo venientibus ſuas portiones diſtribuant, ſicque continuent, donec omnibus ſit ſatisfactum. Paſtores autem ſerio moneant ſuos Parochianos, ne amplius comitentur cum ſclopetis & bombardis, quod ex abuſu tempore belli introductum eſt, ex quo etiam homicidia ſecuta ſunt, ac proinde deinceps fieri ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis eorum Paſtorum, qui ſuos Parochianos hoc facere non prohibuerint, & excommunicationis Laicorum, qui monitioni non obtemperarint, omnino interdicimus: comitentur potius Parochiani, qui honorem dictis ſacris Oleis, tanquam ſanctificationis & ſalutis noſtræ inſtrumentis impendere voluerint, cum tædis & candelis ardentibus, vel Roſariis B. Mariæ Virginis in manibus ſuis; & Paſtores cum aliis Sacerdotibus, ſi qui ſint in eorum Parochiis reſidentes, & Matriculariis ſuis Antiphonas, ac Pſalmos & Hymnos in Eccleſiis uſitatos, devote per viam decantent.

Cum autem æquum non ſit Decanos ſuis ſumptibus nomine ſuorum Paſtorum iter conficere, ut Nobis eadem Olea conſecrantibus in die Cœnæ Domini quotannis aſſiſtant, eaque de manu Domini Archi-Presbyteri ſuis Paſtoribus deferenda accipiant, ſuaque ipſi jura perſolvant, declaramus, ad evitandas omnes oblocutiones, Paſtores teneri ad ipſis refundendum ſuas expenſas, idque pro rata longitudinis itineris, ſeu diſtantiæ locorum ſuæ reſidentiæ, a loco, ubi per Nos ſit, aut imposterum fiet ipſa conſecratio, ita quod Paſtores locorum magis diſtantium ſuis Decanis amplius refundere teneantur.

De Sacramentorum administratione.

QUia ſcimus magnis fraudibus uti hæreticos noſtri temporis, Diabolo patre eorum inſtigante, ut fructum Sacramenti Baptiſmi impediant, adeoque ſæpius variare formam ejusdem; decernimus, infantes expoſitos baptizandos eſſe ſub conditione, etiamſi reperiatur ſchedula continens nomen aliquod, & aſſertionem, quod fuerint baptizati, cum hoc relinquatur incertum, quamdiu per teſtes dignos aliter non conſtat juxta Cap. 8. ſecundi Concilii Provincialis Cameracenſis Tit. *De Baptiſmo.* Imo hoc ipſum fieri expedit de infantibus, per obſtetrices, aut alias mulieres baptizatis, ſi examinatæ a Paſtore deprehenſæ fuerint, aliquem errorem admiſiſſe in materia, vel in forma, juxta Caput ſeptimum ejusdem Tituli Concilii Provincialis. Illegitimorum autem non minus, quam aliorum nomina deſcribi volumus, & mandamus in libro Paſtorum, ſub pœna unius Philippici, pro medietate Decanis viſitationes ſuas facientibus, & pro altera Seminario noſtro applicandi, ſi non deſcripſiſſe inveniantur.

Ne contingat detegi aliqua impedimenta Matrimonii, poſt conceſſam a Nobis bannorum remiſſionem, ſignificent Paſtores e ſuggeſtu noſtræ Synodi Decretum Tit. *De Sacramentorum adminiſtratione*, Cap. 18. quod qui eam obtinere voluerint, habere debent teſtimonium ab ipſis, quod nullum ſciant Canonicum impedimentum, præſertim quando contrahere volentes, ſunt diverſarum Parochiarum; alioquin declaramus Parochum unum non teneri eos conjungere, niſi viſis literis teſtimonialibus alterius Paſtoris.

Nullum Sacerdotem admittant Paſtores ad audiendas confeſſiones in ſuis Eccleſiis, niſi viſis literis ſuæ admiſſionis: & faciant Paſtores regiſtrum, in quo annotent omnes, qui docuerint de ſua admiſſione; idque ad evitandos multos, quos deprehendimus, abuſus.

De Prædicatione verbi Dei, & catechizanda juventute.

PAſtores per ſe ipſos inſiſtant prædicationi verbi Dei, nec toti dependeant a religioſis Terminariis, quos non convenit e ſuis Monaſteriis majori parte anni abeſſe, ſed tantum tempore ſuarum ſtationum Adventus & Quadrageſimæ, & aliquot diebus ſolemnioribus, quibus conſueverunt a Paſtoribus evocari. Et ſi qui Paſtores nequidem in catechizanda juventute operam navare voluerint, ultra mulctam unius floreni, Cap. 8. Tit. *De Scholis Parochialibus & Dominicalibus*, noſtræ Synodi ipſis impoſitam, pro prima vice, qua deprehenſi fuerint in tanta negligentia, unius Scuti aurei; pro ſecunda duorum Scutorum dicto Seminario applicandorum pœna mulctentur; pro tertia, ab Officiali noſtro ad tres menſes ab exercitio ſui muneris Paſtoralis amoveantur, aliique Sacerdotes, qui catechizare poſſint & velint, ſumptibus eorum præficiantur.

Extra tempus dictarum ſtationum Paſtores prædictos Terminarios ad prædicandum in ſuis Eccleſiis admittere non teneantur, niſi, antequam ipſi ſe præparaverint, ex juſta cauſa obtinuerint eorundem conſenſum ad prædicandum.

Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum, ob varias cauſas animum noſtrum moventes, deinceps portari prohibemus in iis Proceſſionibus, quæ fiant per agros ſeu campos, ad aliquot miliaria, & durant ad multas horas, ordinamusque, ut vel in illis deferatur imago Patroni, aut Patronæ Eccleſiarum, ſeu aliorum Sanctorum, quorum Reliquiæ in ipſis aſſervantur, vel certe turnus ſeu via Proceſſionis abbrevietur, nec unquam, præſente eodem Venerabili, cibus aut potus ſumatur.

De Ornamento Altarium.

SIngula Altaria conſecrata, ultra telam ceratam, quæ immediate cooperit tabulam lapideam, ad minus duas tobaleas ſeu mappas habere debent,

bent, quæ a lateribus notabiliter & æqualiter dependeant, & cum purgandæ erunt, aliis duabus ſimilibus altaria contegantur, quo fit, ut quatuor mappæ pro ſingulis altaribus conſecratis neceſſariæ ſint, ideoque provideat Paſtor cum mamburnis Eccleſiæ ſuæ, ut præter illas, ad quas groſſa decima tenetur, aliæ ſumptibus fabricæ, aut collectis ſeu eleemoſynis Parochianorum comparentur; alioquin ſciant ſua altaria a Nobis, præſertim ſummum altare cujusque Eccleſiæ impoſterum non eſſe conſecranda. Ut autem dictæ mappæ a pulvere & ſordibus diutius puræ conſerventur, unumquodque altare alia groſſiore tela alterius coloris ſemper ſit coopertum, præterquam Miſſæ & Divini Officii tempore.

In majori altari ſint ſemper ad minus candelabra duo, quæ ſuper pedem ligneum, vulgo paſſetum dictum, collocentur, ne mappas lacerent, aut cera aut aliis ſordibus inficiant: nec liceat Paſtoribus, aut aliis Sacerdotibus celebrare in dicto altari, niſi duabus candelis accenſis, quarum una, ſi Decimator eam præſtare noluerit, ſumptibus ipſius Eccleſiæ ſuppeditetur.

In medio candelabrorum ſemper ponatur Crux cum imagine Domini noſtri JESU Chriſti eidem affixi, quæ ſit ænea, ſi facultates Eccleſiæ ferant; ſin minus, lignea, ſed pulchre cælata & depicta.

Quæ autem ad ornamenta Altaris non faciunt, ea in altaribus poni omnino prohibemus, qualia ſunt pilei, galeri, aut libri alii a Miſſali, quin etiam caſulam cum alba, amictu & cingulo, quibus uſus eſt Sacerdos in ſacra oblatione, ibidem relinqui vetamus, ſed ad Sacriſtiam referri, & ſingula honeſte replicari, & in menſa aut armario recondi præcipimus, ſub pœna unius floreni a Paſtore ad opus fabricæ ejusdem Eccleſiæ ſolvendi, quoties dicta ornamenta in altari reperta fuerint, quæ duplicabitur, ſi ſuperius dicta, vel alia quæcunque ad ornamentum altaris non pertinentia in illo reponi, etiam extra tempus Divini Officii, patiatur.

Caſulæ dicto majori altari ſubſervientes ſint diverſæ, &, quantum fieri poteſt, accommodatæ iis coloribus, quibus Romana Eccleſia utitur, applicatis ad eum finem ultra eas, ad quas groſſa decima tenetur, bonis fabricæ aut Parochianorum eleemoſynis.

Albæ non minus ſint duæ, quæ altari majori ſoli deſerviant, ac ſingulis menſibus mutentur, ut nomen ſuum vere tueantur; & poſt duos annos ab iis, qui ad illas ſubminiſtrandas tenentur, tertia petatur, ne ſimul detritæ inveniantur; amictus vero non ſint pauciores numero, quam quatuor.

Corporalia pro ſummo altari ſint ad minus duo, ex candida & tenui tela confecta; & ſemper, ac omni ex parte amylo, ſeu amydo, non tamen cæruleo indurata, non ſerico, aut alio artificio multum elaborata, & ſi facultates ferant, juxta antiquos Canones expedit ea eſſe duplicia, & competentis longitudinis ac latitudinis, videlicet trium quartarum ulnæ Namurcenſis in quadro.

Purificatoria etiam conficiantur ex candida tela, ſed paulo ſolidiori, non tamen rudi, quadrangula forma, ab omni latere. Quartam ulnæ partem cum dimidia quartæ continentia. Sint pro ſummo altari ad minus ſex, quæ ſimul atque ex frequenti calicis ablutione notabiles maculas contraxerint, ab ipſo Paſtore, prout etiam corporalia laventur, & aqua lotionis in baptiſterium aut piſcinam mittatur, antequam ulli mulieri lavanda tradantur.

Burſæ pro corporalibus in eis recondendis ſint ad minus duæ, in quibus corporalia decenter replicata, ſtatim poſt Communionem, aut ſaltem poſt finitam Miſſam ſemper recondantur, nec unquam ſuper ipſo altari relinquantur, prout nec Miſſale, quod præcipimus (prout ſupra dictum eſt de ornamentis Sacerdotis) ad Sacriſtiam aut armarium reportari, & ſemper ſuis clauſtris, ligulis, ſeu funiculis claudi, ut diutius mundum & integrum conſervetur.

Mantilia vero ad abſtergendas manus ſint ad minus ſex, quæ cum fuerint ſicca,

ſicca, a Matriculario decenter replicentur, & ad Sacriſtiam reportentur. Quia vero non debent aliis uſibus profanis deſervire, prout nec mappæ, nec purificatoria, præcipimus, ut juxta antiquam Eccleſiæ conſuetudinem, mappæ in extremitatibus, mantilia vero & purificatoria in medio Crucis ſigno rubei aut cærulei coloris muniantur, ut ab aliis profanis linteis dignoſcantur. Et ſi quis Paſtor, aut alius Sacerdos, vel etiam Matricularius auſus fuerit in domo privata, iisdem uti ad alios fines, a Decano in ſua viſitatione, ad aliam novam mappam aut mantilia ſuis ſumptibus præſtanda, condemnetur.

Multo magis pro arbitrio ejusdem Decani ad opus fabricæ mulctetur, ſi quis deprehenſus fuerit (quod abſit) alba, aut mappa, vel mantili altaris uſus fuiſſe ad emungendas nares; quod ſæpius fuiſſe factum, & ipſi olim vidimus, & a Laicis cum queremonia audivimus. Habeant ergo, qui ea neceſſitate premuntur, ſinguli ſua ad eum finem ſtrophiola, ſeu ſudaria honeſta & candida.

Omnes etiam Sacerdotes deinceps velo utantur, ad cooperiendum calicem, quod, quo pretioſius, eo erit convenientius: poteſt tamen eſſe lineum, dummodo ſit ex candida tela, & extremitates habeat artificioſe elaboratas.

Omnes Paſtores habeant ſuperpelliceum, quod certe etiam Nobis non præcipientibus ſemper habuiſſe debuerunt. Eſt enim primum Clericorum ornamentum, quo uti ipſi debent, cum ſtola collo appenſa, dum confeſſiones audiunt, aut Sacroſanctæ Euchariſtiæ, vel Extremæ Unctionis Sacramentum ægrotis deferunt, ad eas autem actiones eos alba uti plane interdicimus, niſi tamen jam parati ad celebrandam Miſſam ab aliquo pœnitente pro confeſſione audienda interpellentur. Sint autem ſuperpellicea ex candida tela, & ejus longitudinis, ut veſtem uſque ad genua cooperiant.

De Officio Divino.

DEcretum primum noſtræ Synodi Tit. *De Officio Divino*, quo ad Paſtores regulares, quos hactenus illi non paruiſſe intelleximus, ſub pœna decem Scutorum aureorum arbitrio noſtro applicandorum, ſi ante proximas viſitationes non ſe conforment Eccleſiæ noſtræ Cathedrali, & cæteris noſtræ Diœceſis, innovamus.

Sint omnes Paſtores tam hujus Civitatis, quam oppidorum & pagorum noſtræ Diœceſis uniformes in Cæremoniis Eccleſiaſticis, præſertim iis, quæ concernunt adminiſtrationem Sacramentorum, & inhumationem corporum defunctorum, & exequias eorumdem, nec omittatur cantus lugubris aliquorum Pſalmorum, Reſponſoriorum, aut Antiphonarum per vias aut plateas, cum ad ſepulturam deportantur, ſub pœna trium florenorum fabricæ Eccleſiæ Cathedralis applicandorum. Quia vero difficile eſſet taxare jura Paſtorum, pro dictis exequiis per totam Diœceſim noſtram, ſingula Concilia diſpiciant, quæ fuerit hucusque ordinaria & laudabilis conſuetudo, tam ſuper dictis, quam Paſchalibus & aliis juribus, quam Nos approbabimus, & executioni demandari curabimus.

Nullus Paſtorum præſumat ea officia exercere, quæ per Decreta Synodi noſtræ Diœceſanæ ad Decanos pertinere declaravimus, niſi accedente eorum licentia & conſenſu, & ſervatis eorumdem juribus, ſub pœna duplicium jurium, quorum tertia pars ipſi Decano, reliquæ duæ noſtro arbitrio piis uſibus applicentur.

Similiter cum incolæ alicujus loci invitant Abbatem, ſeu alium Prælatum ad benedicendas campanas, aut hæredes defuncti ad celebrandas ejusdem exequias alioquin ad officium Decani pertinentes, ſerventur ipſi ſua jura, non ſecus ac ſi ipſe Officium celebraret, niſi aliter inter eos convenerit.

Ubi ſunt plures Capellæ ſub una Eccleſia, ſolvantur jura viſitationis pro rata bonorum earundem.

Non tam ex conſuetudine, quam ex abuſu introductum putamus, quod in plerisque locis puellæ nobiles in ſupplicationibus generalibus, maxime ſacra-

ſacrarum Rogationum, præeunt Crucem geſtantes, ac parva cum reverentia ac ædificatione munus illud obeuntes, proinde hoc fieri impoſterum prohibemus; & præcipimus Paſtoribus, ut deputent aliquem virum honeſtum, qui cum gravitate Crucem deferat. Si autem dictæ puellæ deferre voluerint imaginem B. MARIÆ Virginis, ſeu alterius Virginis, non impediantur, dummodo decenter ac modeſte incedant, loco per Paſtores ipſis deſignato.

De Capitulis, ſeu Conciliis Paſtorum.

DEclaramus, omnes Paſtores teneri intereſſe Capitulo, ſeu Concilio, niſi ob legitimam cauſam, quam ante Decano ſignificaverint, excuſentur, & abſentes debere contribuere ſumptibus, qui fiunt a Confratribus, juxta antiquas & laudabiles conſuetudines, ſive propter convivium, ſive propter jucundum ipſorum adventum.

Ut autem ſumptus minuantur, contenti ſumus, ut unum tantum Concilium annuatim celebretur, in quo ea, quæ Nos in Capitulari Congregatione Decanorum (quæ Synodi loco erit) ſtatuerimus, publicentur. Et ſi Paſtores tunc a convivio excuſari velint, per Nos licet, dummodo hoc fiat de communi omnium conſenſu, & refundantur Decano eæ, quas ſuſtinuerit, expenſæ.

In Congregatione Paſtorum indecens eſt Laicos eſſe præſentes, ideoque, Miſſa finita, jubeat Decanus omnes recedere, quos negotia ibidem tractanda non tangunt, etiamſi ſint Eccleſiaſtici.

Conſuetudinem, qua in plerisque congregationibus dictorum Conciliorum ante Miſſam de Spiritu Sancto cantatur alia Miſſa pro Confratribus defunctis, & qua unusquisque Paſtor in ſua Parochiali Eccleſia annuatim unam Miſſam celebrare ſolet pro ultimo Confratre defuncto, plurimum laudamus, & generatim ab omnibus Conciliis & Paſtoribus obſervari mandamus.

De morum reformatione, ultra ea,
quæ Decretis Synodi noſtræ Diœceſanæ continentur.

DIem Primitiarum novorum Sacerdotum cum omni modeſtia, reverentia ac devotione peragi, ſeu abſolvi convenit; & ideo luſores adhiberi, & tripudia poſt convivium fieri, omnino prohibemus: ipſosque novos Sacerdotes hortamur, ut cum parentibus & amicis ſuis, loco ejusmodi temporalium recreationum, ad Eccleſiam, in qua ſuas Primitias Deo obtulerint, ſtatim poſt prandium revertantur, & Veſperas ſolemnes decantent. Quod ſi poſt noſtram prohibitionem luſores admittere, aut tripudia permittere, ſub prætextu, quod non ipſi, ſed parentes eorum hoc faciant, præſumpſerint; Nos eosdem ex nunc, prout ex tunc a celebratione Miſſæ, cui in ipſis initiis tantam injuriam fecerint (quod abſit) ad unum menſem ſuſpendimus.

Similiter interdicimus, ne Paſtores, aut ipſorum Capellani, ſeu alii Sacerdotes interſint conviviis, quæ in quibusdam locis parantur, in camera puerperæ, poſt reportatos a Baptiſmo infantes; Conviviis vero nuptialibus raro interſint, & tunc omnino egrediantur peractis gratiis, antequam tripudia incipiant, ſub pœna duorum Scutorum aureorum, arbitrio noſtro piis uſibus applicandorum.

Decreta Synodi noſtræ Diœceſanæ de habitu Clericali deferendo, tonſura ſingulis menſibus, & præcipuis anni feſtivitatibus renovanda, barba honeſte præſcindenda, armis, & ſpecialiter bombardis, & ſclopetis non geſtandis, tabernis non ingrediendis, mulieribus male famatis in ſuam familiam non recipiendis, non ſolum innovamus, ſed etiam Promotoribus noſtris ſerio injungimus, ut contravenientes absque ulla diſſimulatione citari faciant coram Officialibus noſtris, quibus mandamus, ut ſummarie cognita rei veritate, eos condemnent, in notabiles emendas, quarum quartam partem, deducta tertia ipſius Promotoris, ſecretis denuntiatoribus ex nunc, prout ex tunc applicamus.

Nullus Paſtor abſit unquam a ſuo Paſtoratu, niſi ſubſtituto aliquo idoneo Sacerdote, per Nos ad Sacramentorum adminiſtrationem admiſſo, teneaturque hoc indicare ſuo Decano, qui poterit, cognita cauſa, abſentiam per-

permittere ad ſex dies tantum, pro longiore vero abſentia, ſi cauſa ſubſit, ad Nos, aut Vicarium noſtrum Generalem recurratur; nec unquam licentia, niſi in ſcriptis detur, quam etiam dicto Decano ſuo oſtendere teneatur.

Habeant ſinguli Paſtores & Rectores altarium, ſeu Beneficiorum ſimplicium regiſtrum, in quo bona ad ſuos Paſtoratus aut Beneficia pertinentia particulariter ſint deſcripta, & in quo ipſi ſingulis annis annotent ſolutiones ſibi factas, ſpecificando nomina debitorum, qui ipſis ſolverunt, ut futuris temporibus de dictis ſolutionibus fides fieri poſſit, quod multum faciet ad conſervationem dictorum bonorum; curentque etiam ſingulis ſuum regiſtrum per aliquem Notarium publicum cum antiquis regiſtris collationari, & ſubſignari.

De Matriculariis.

QUia intelligimus Matricularios Eccleſiarum Parochialium hactenus negligentes fuiſſe in ſervandis Decretis Synodi noſtræ, quæ ipſos concernunt, ſub prætextu, quod cum ipſis diſpenſaverimus, declaramus noſtræ intentionis eſſe, nulli eorum noſtras diſpenſationes ſuffragari, niſi illas habeant in ſcriptis, & oſtenderint Decanis, & nihilominus eos in cæteris ad dicta Decreta obſervanda obligari.

Similiter ad diligenter purgandum ſingulis diebus Sabbatinis per ſe, vel alios, Eccleſias, quibus deſerviunt, ab omnibus immunditiis, tam in pavimento, quam in feneſtris & muris, & ab aranearum telis ſub pœna emendæ, quam eorumdem Decanorum arbitrio relinquimus.

Ipſorum etiam eſt Eccleſias diebus ſolemnioribus ornare floribus & frondibus, ſi alia ornamenta haberi non poſſint, nec non ampullas ſingulis quindenis purgare intus & foris, & campanam Parochianorum ſonare diebus Sabbati & Profeſtis, in meridie & veſperi, prout ante bella fieri ſolebat; & ipſas campanas ſæpius viſitare, & ſi quid confractum, vel confractioni obnoxium deprehenderint, hoc mamburnis ſignificent, ut antequam damnum aliquod emergat, reſtauretur.

Ad eos etiam pertinet juventutem docere, quod, ut faciant omnibus in locis, optamus, & iisdem Matriculariis ordinamus, ſub pœna privationis ſui officii: ut autem ſua mercede non fruſtrentur, mamburnis permittimus, ut contemplatione pauperum, quos docebunt gratis, aliquam ipſis portionem ſuper bonis pauperum, vel reditibus Eccleſiæ perſolvant. Si tamen Paſtor ipſe juventutem docere voluerit, dummodo diligenter faciat, Matriculario præferatur.

Porro ut ipſi Matricularii animentur ad diligentem operam in prædictis omnibus, & aliis, quæ ipſos concernunt, præſtandam, declaramus ipſos habere debere pro ſuis laboribus tertiam partem omnium jurium, quæ per conſuetudinem debentur, aut impoſterum taxabuntur pro funeralibus, Miſſis votivis, & aliis officiis, ad ratam honorarii ipſorum Paſtorum.

Lecta & publicata fuerunt hæc Decreta in Eccleſia Parochiali S. Medardi oppidi Geldonienſis, die 4. *menſis Junii, anno Domini* 1612. *omnibus ſupra in principio nominatis, ac Nobis infra ſcriptis præſentibus.*

Henricus Cocquelet, loco Secretarii.
Joannes Des Foſſez, loco Scribæ.



ULTRA-

ULTRAJECTINUM CONCILIABUL.
STATIBUS HOLLANDIÆ PRÆSIDIBUS,
SEU,
(*ut alibi habetur*,)
SYNODUS PROVINCIALIS
DIOECESIS ULTRAJECTINÆ, (*)
CELEBRATA

a Nobilibus & Potentibus Dominis Statibus ejusdem Provinciæ, 24. *Aug. Anno* 1612. *Ultrajecti:*

Ex idiomate Belgico in Latinum versa, ac brevibus illustrata Notis a R. D. P. CUTSEMIO.

HAGIOPOLI Anno 1614.

INDEX CAPITALIUM PUNCTORUM
ISTIUS SYNODI. (**)

(*) Cl. & Exim. D. Petrus de Cutsem, cujus elogium, scriptaque polemica videre est in *Hartzhemii Bibliotheca Coloniensi pag.* 271., mentem de hac Synodo suam explicat, ita ad Georgium ab Austria, apud Lovanienses S. Petri Præpositum scribens: "Existimo te, ut hoc dicam liberius, simile quid, qualis est hæc Dominorum Statuum "Provinciæ ac Diœcesis Ultrajectinæ Synodus, nec legisse, nec vidisse, nec observasse unquam. Sæpius quidem Hæretici, *Catholicorum Simiæ*, & antiquis & "modernis temporibus Conciliabula concitaverunt, ac instituerunt. Sed tamen in "quibus potiores dicendi, agendique partes ipsimet Prædicantes, ipsorumque "Pseudo-Ecclesiastici obtinuerunt & administrarunt. In hoc vero Synodali Conventiculo docendi, pascendique munus totum ac integrum DD. Status, Civilis "nempe istius loci Magistratus, sibi usurpant, vendicant, arrogant. In quo Apostolico officio nullum prædicti DD. Status agnoscunt, præter Deum summum & "altissimum, a quo, si perplexi dubiique uspiam hæreant, immediate illuminari "debeant, se superiorem &c. . . . Unde quid prædicandum &c. . . id omne ipsi "suos docent Prædicantes, sui ipsorum revera *verbi Ministros*. Nihil dico amplius &c. Titulum porro Synodi: *Christianæ Ecclesiarum Ordinationes Civitatis, Oppidorum, & Diœcesis Ultrajectinæ, conclusæ Ultrajecti die* 24. *Aug. anno* 1612. *& editæ a Nobilibus ac Potentibus DD. Statibus ejusdem Provinciæ*, considerans Vir doctissimus collacrymatur primum, Cathedralem Provinciæ Ultrajectinæ Ecclesiam, adeo venerabilem, nobilem, antiquam misere dirutam jacere atque subversam; tum refert, primum, qui eam erexerit, fuisse S. Willibrordum; defuncto suffectum S. Bonifacium, Germaniæ Apostolum & Martyrem, atque ab eo deinceps ad Fridericum a Tautenberg, primum post novarum aliquot Cathedrarum in Belgio erectionem, designatum Archi-Episcopum, continuam fuisse per annos octingentos & amplius Ultrajectinorum Antistitum successionem; denique ex tota istius Synodalis conventus structura hæc eruit: "Oves itaque in hac Synodo pascunt & regunt suos Pastores;

" ſtores; diſcipuli ex cathedra docent in ſubſelliis Magiſtros; auditores concio-
" nantur Prædicantibus, & qui Comitia ſolebant, nunc Concilia celebrant: quod
" quid eſt aliud, quam ſurſum deorſum vertere, miſcere cœlum terra & ſacra pro-
" fanis?"

(**) Indicem duntaxat Punctorum Synodi Capitalium, non ipſam in extenſo Synodum communicandam duximus, ne Synodis aliis, ad Hierarchiæ Germanicæ ſplendorem facientibus, locum præriperemus.

SYNODUS DIOECESANA COLONIENSIS,

Sub eodem FERDINANDO, Archi-Epiſcopo, ET Eodem anno Chriſti MDCXII.

2. OCTOBRIS CELEBRATA.

TENOR COMMISSIONIS ISTE EST.

FERDINANDUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, tot. Tit. Reverendis in Chriſto Patri & Generoſo devote Nobis Dilectis Theodoro, Epiſcopo Cyrenenſi, & Joanni Gerhardo, Comiti in Manderſcheid & Blanckenheim, Domino in Keil, Daun & Bettingen, Majoris & Collegiatæ Eccleſiarum S. Gereonis, Civitatis noſtræ Colonienſis reſpective Decano & Presbytero Canonico &c.
Salutem in Domino.

CUm imminenti Synodo Diœceſanæ in Civitate noſtra Colonienſi ſecunda die proximi menſis Octobris celebrandæ, ob graviſſimas occupationes, quibus exteris in partibus adhuc detinemur, Nobis intereſſe perſonaliter haud quaquam liceat: Vobis, de quorum legalitate ſingulariter confidimus, per præſentes in Domino committimus, ut per vos ipſos, aut alios, quos ad id elegendos duxeritis, præmemoratam Synodum Diœceſanam accedatis, eidemque noſtro nomine præſideatis, procurantes inibi ſedulo, ut morum reformatione ſolicite proſpecta, vitiorum vepres de cordibus fidelium diſcretionis veſtræ ſtudio ſuccidantur, ac virtutum ſemina, Divina cooperante gratia, uberius creſcant. Eapropter Synodales haſce, quas vobis transmittimus, Conſtitutiones & Decreta debite promulgari, ac rite deinceps obſervari, nec non omnia & ſingula alia faciatis, quæ de jure vel conſuetudine uſitata, quæque in præmiſſis & circa eadem neceſſaria fuerint, & quomodolibet opportuna, prout vobis in Domino concedimus. Datæ ex oppido noſtro Bonnenſi, die vigeſima nona Septembris, anno Milleſimo ſexcenteſimo duodecimo.

Ad Mandatum Revdiſſimi & Sereniſſimi Dni Electoris
proprium.
PETRUS HULSMAN.

IN NOMINE SACRO-SANCTÆ ET ADORANDISSIMÆ TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI, AMEN.

NOS FERDINANDUS, DEI gratia Electus & Confirmatus Archi-Epiſcopus Colonienſis, S.R.I. per Italiam Archi-Cancellarius & Princeps Elector *tot. Tit.* Ad honorem & cultum DEI Omnipotentis, Eccleſiaſticæ diſciplinæ reformationem, ac fidelis populi Nobis commiſſi ædificationem & æternam ſalutem, de conſilio & aſſenſu Venerabilis Capituli noſtri conſtituimus, decernimus, & ordinamus.

TITU-

TITULUS I.

De Officio Archi-Presbyterorum.

CAPUT I.

ARchi-Presbyteris, sive Decanis ruralibus secundo mandamus, ut Statuta suorum Decanatuum revidenda Nobis tradant. Capitula sua bis in anno convocent, & in eodem Canones & Statuta Synodalia publicent; nec non contra ea delinquentes, severitate, qua dignum est, corripiant & puniant. Ad tribunal Archi-Episcopale, vel Archi-Diaconale, pro ea, qua illis etiam juramento adstricti sunt obedientia, remittant causas omnes Ecclesiasticas; quales sunt, quibus de institutione vel destitutione Clericorum, seu jure præsentandi, instituendi, conferendi, seu providendi agitur, vel super decimis, rebus, bonis, facultatibus, proventibus & obventionibus Ecclesiasticis; & testamentis ad pias causas conditis, vel cum de conjugiorum nexu & vinculis, vel de usuris, aliisque similibus spiritualibus negotiis contradictorie & contentiose disceptatur.

II. Archi-Presbyteri diligenter curabunt, ut Catechisticæ lectionis institutio ubique introducatur & frequentetur, juxta tenorem Mandati subsequentis:

FERDINANDUS, DEI *Gratia Electus & Confirmatus Archi-Episcopus & Princeps Elector tot. Tit. Universis & singulis Decanis ruralibus, Ecclesiarum quarumcunque Rectoribus, Pastoribus, Plebanis, Vice-Plebanis, Presbyteris & Sacellanis per totam Diœcesin nostram Coloniensem constitutis, aliisque quibuscunque hasce literas nostras visuris, lecturis, seu legi audituris, salutem & gratiam nostram.*

POstquam antehac Nos, & piæ recordationis quondam proximus Antecessor & Patruus noster dilectissimus, Catechisticam lectionem & institutionem Juventutis, tanquam summe fructuosam, salutiferam, & hisce turbulentis temporibus maxime necessariam, plurimis in locis hactenus neglectam & intermissam per vos resuscitari, promoveri, & in pristinum florem ac statum reduci gratiosissime demandaverimus, inque eum finem Catechismum minorem P. Petri Canisii nuperrime Coloniæ impressum, tanquam puerorum & adolescentum institutioni bene accommodatum, iisdem prælegendum esse ordinaverimus, ac deinde quandam generalem institutionem Catechisticam praxin ad usum Pastorum, aliorumque curam animarum gerentium, ac subditorum eorundem Parochianorum colligi & typis demandari, nec non diversimodas a Sanctitate Pontificia gratiose in favorem ejusmodi pii exercitii non ita pridem concessas Indulgentias (quarum Bulla Apostolica infra subjicitur) denunciari ac publicari fecerimus: Hinc est, quod Nos eidem erudiendæ juventutis, & Diœcesanorum nostrorum factæ ordinationi insistentes, vobis omnibus & singulis supra dictis, & vestrum cuilibet, maxime iis, quibus animarum cura incumbit, & qui Ecclesiis Diœcesis nostræ Coloniensis quomodolibet præesse tenentur, serio per præsentes mandamus, quatenus deinceps sine ulla intermissione omnem diligentiam in hoc impendatis, ut dicta institutio puerorum & Catechistica lectio, ubi necdum juxta prioris Mandati præscriptum cœpta est, absque longiore mora fideliter introducatur, observetur & promoveatur. Volumus item, & sub pœna quinque florenorum aureorum unicuique Pastori, & Plebano, sive Vice-Curato injungimus, ut infra mensis post publicationem harum immediate sequuturi spatium, quilibet eorum supra tactam Catechisticam praxin per Bernardum Walteri Typographum Coloniensem impressam, cujus exemplar unum sex albis currentibus venditur, sibi comparet. Et quo tanto certius & fidelius in hac re procedatur, necessitate summa id ipsum postulante, universis & singulis dictæ nostræ Diœcesis Drostatis, Ambtmannis, Præfectis, Prætoribus & Officiatis nostris Ecclesiasticis & sæcularibus gratiosissime præcipimus, ut quovis loco sui districtus unusquisque eorum strenuam curam atque inspectionem adhibeat, quo hæc nostra ordinatio undequaque suum sortiatur debitum effectum, & nullus in ea parte irrepat torpor aut negligentia, eosque, qui eidem decenter parere detrectaverint, Nobis pro condigna ipsis incutienda pœna significent, insuper quoque omnes & singulos subditos nostros, quibus illi præfuerint, remediis & pœnis congruis adhibitis eo constringant & impellant, ut ad Catechisticam hanc puerorum institutionem, suos liberos & domesticos simplices & ignaros, pro capienda bona & Christiana instructione tempestive mittant, & nullatenus eosdem in hoc pio opere impediant:

quin potius iisdem liberis & domesticis suis, ut singuli, qui legere possunt præmentionatum libellum Catechismi minoris Petri Canisii ad manum habeant, pro posse (cum exiguo pretio vendatur) procurent. In quibus omnibus mens nostra & voluntas adimplebitur. Datum in Civitate nostra Bonnensi, die vigesima tertia Novembris, anno Millesimo sexcentesimo undecimo.

PAULUS PP. V.
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

CUm Fidei Catholicæ rudimenta & Christianos mores accurate rudes docere tantopere Christianæ Reipublicæ intersit, ut hujusmodi negotium ab iis, ad quos spectat, ardenti studio & charitate peragatur; Idcirco pro Pastoralis officii nostri munere, de Omnipotentis DEI misericordia, Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus Christi fidelibus Civitatis & Diœcesis Coloniensis auctoritate ordinaria deputandis, qui inposterum pueros, seu adultos quoscunque doctrinam Christianam approbatam, & juxta Sacri Concilii Tridentini Canones & Decreta docere consueverint, & vere pœnitentes & confessi Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, in die Festo, ab Ordinario designando, refecti fuerint, plenariam: nec non iisdem Christi fidelibus, qui etiam vere pœnitentes & confessi, dictum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut si id facere nequiverint, saltem contriti, Nomen JESU, ore si potuerint, aut corde, in mortis articulo devote invocaverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Eisdem & Christi fidelibus, qui pariter vere pœnitentes, & confessi, semel quolibet mense idem Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, septem annos, & totidem quadragenas: Qui vero in causa fuerint, ut pueri, famuli, aut quævis aliæ personæ, ad discendam doctrinam Christianam eant, ducentos dies: Ii autem, qui diebus Stationum Urbis, hanc doctrinam in Ecclesiis, aut Oratoriis, vel Scholis docuerint, ac & illi, qui ad eandem discendam accesserint, easdem consequantur Indulgentias, quas consequerentur, & consequi possent, si Ecclesias Stationum ejusdem Urbis personaliter visitarent. Præterea eisdem, qui diebus feriatis doctrinam Christianam hujusmodi aut publice, aut privatim explicaverint, centum dies: nec non omnibus & singulis Magistris, qui diebus Festis discipulos suos ad doctrinam Christianam prædictam duxerint, illosque eam docuerint: quique diebus ferialibus in propriis Scholis eandem doctrinam explanaverint, centum dies: Omnibus vero Patribus, & Matribus familias, qui in suis domibus liberis, famulis, & familiaribus utriusque sexus, doctrinam Christianam approbatam, ut prædicetur, similiter explanaverint, qualibet vice id egerint, centum dies: item iis, qui per civitatem viros, mulieres, aut pueros ad eandem doctrinam Christianam docendi causa circumiverint, septem annos: ac etiam, qui extra Civitatem ad illam docendam per castra & villas exierint, decem annos: omnibus etiam & singulis Christi fidelibus, qui per mediam horam doctrinæ prædictæ, aut docendi, aut discendi causa studuerint, aut eidem doctrinæ interfuerint, centum dies: eisdem etiam, qui prædictam doctrinam docere solent, si infirmos visitaverint, quoties id fecerint, ducentos dies, de injunctis eis, seu alias, quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta, relaxamus, præsentibus ad septennium tantum valituris, non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut sic alias Christi fidelibus prædictarum Civitatis & Diœcesis præmissa peragentibus, aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duratura, per Nos concessa fuerit, præsentes nullæ sint, utque etiam præsentium transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris, die XVI. Julii M. DC. X. Pontificatus nostri anno sexto.

S. Cobellutius.

FERDINANDUS, DEI

Gratia Ecclesiæ Coloniensis Electus & Confirmatus Coadjutor &c. Comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariæ Dux &c. Universis & singulis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Canonicis, Plebanis, cæterisque Ecclesiarum tam Collegiatarum, quam Parochialium Rectoribus Civitatis & Diœcesis Coloniensis, salutem in Domino sempiternam.

HAs præscriptas S. D. N. Papæ PAULI V. literas, quibus doctrinam Christianam

nam privatim aut publice profitentibus, aut tandem quavis ratione promoventibus, certas Indulgentias paterne largitur, mandamus typis mandari: & e suggestu sub concionibus, aut aliis Divinis Officiis, ad DEI Omnipotentis gloriam, & doctrinæ Christianæ propagationem publicari, & explicari, omnes & singulos tam Collegiatarum, quam Parochialium Ecclesiarum Præfectos, Superiores, atque Rectores in Domino cohortantes, summam ut diligentiam pie, ac ferventi zelo adhibeant, ut Catholicæ Religionis doctrina, iis in locis, in quibus hactenus in usu non fuit, introducatur, ut pulsis ignorantiæ tenebris, omnes Christi fideles de ea, quæ in ipsis est fide, rationem dare possint. Datum Bonnæ, Anno Domini M. DC. X. die 30. mensis Augusti.

III. Cum experientia doceat, nonnullos Sacerdotes, tam sæculares, quam Regulares, nulli hujus Civitatis & Diœcesis Ecclesiæ, Ordini, vel Monastrio adscriptos, in ea publice divagari, extra immunitates Ecclesiarum, & claustra Monasteriorum habitare, cultui Divino, Altaris ministerio & Sacrosanctæ Missæ Sacrificio cum animarum suarum periculo, & publico scandalo, temerario ausu se ingerere & immiscere, priusquam de ordinatione sua rite adepta, deque vita, moribus, eruditione, titulo, ac dimissione, per Ordinarii sui literas aut publica instrumenta fidem fecerint. Hinc est, quod nos ad majora scandala, pericula, & inconvenientia præcavenda, volentes prohibitiones in Concilio Provinciali (a) de anno 1536. & in Synodo Diœcesana, (b) de anno 1598. de vagis & peregrinis Sacerdotibus, sancte desuper editas, & emanatas innovare, omnibus & singulis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archi-Diaconis, Pastoribus, Parochialium aut ruralium Ecclesiarum Rectoribus, & reliquis eorum locum tenentibus, sub suspensionis a Divinis & excommunicationis majoris pœnis præsentium vigore serio, ac districte præcipimus, & prohibemus, (c) ne quisquam de cætero post publicationem & insinuationem harum, ullum Sacerdotem peregrinum, vel extraneum, aut etiam qualemcunque alium, tam Sæcularem, quam Regularem Ecclesiis, aut Monasteriis hujus Civitatis & Diœcesis non adscriptum, nisi qui prius de sua Ordinatione & qualificatione legitimam fidem fecerit, & a Nobis, seu nostro pro tempore Vicario in Spiritualibus Generali licentiam desuper in scriptis habuerit, & illam in forma authentica ostenderit, ad cultum Divinum, Altaris ministerium, & Missæ Sacrificium, illiusque celebrationem, aut alios actus sacros exercendum in Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Sacristiis, Oratoriis, aut Capellis publice, vel occulte, sub quovis quæsito colore, vel prætextu admittere, vel recipere audeat, seu præsumat. Alioquin & si secus per quenquam factum, præmissisque in ullo contraventum fuerit, contra eos, qui contrarium attentare præsumpserint, ad censuram & pœnarum præinsertarum declarationem procedemus.

TITULUS II.

De Canonica Institutione, & concessione Præbendarum.

ITem volumus, ut omnes per Diœcesin Coloniensem, de sua jurisdictione, & Canonica institutione, sive investitura, coram suo quisque Archi-Presbytero, sive, ut vocant, Decano rurali, per legitima instrumenta fidem faciant. Deinde ad manus eorundem Professionem fidei edant, secundum formam, a Sacrosancta Tridentina Synodo præscriptam. Qui sine Canonica Institutione curam animarum administrare præsumpserint, aut fidei professionem edere detrectaverint, eos dicti Archi-Presbyteri ad proximam Synodum Nobis scripto denunciabunt.

TITULUS III.

De Qualitate Ordinandorum.

REcipimus, & respective innovamus, ac per nostros Vicarios & Examinatores observari mandamus Decreta

(a) Adolph. 3. (b) Herman. 5. Part. 1. cap. 31. Wigbal. cap. 3. Philip.
(c) Conc. Trid. Sess. 22. de observ. in celebr. Missæ.

creta Concilii Tridentini, (*d*) nostrorumque Antecessorum, quæ de forma & qualitate Dimissorialium literarum, & ætate Ordinandorum, continentur subsequetibus Capitulis.

I. Facultates (*e*) de promovendo a quocunque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis Episcopis ordinari non possint, in literis exprimendam.

II. Episcopi (*f*) subditos suos non aliter, quam jam probatos & examinatos, ad alium Episcopum ordinandos mittant.

III. Unusquisque (*g*) a proprio Episcopo ordinetur: quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur: si secus fiat, Ordinans a collatione Ordinum per annum, & ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.

IV. Nec Abbates, (*h*) & alii exempti, aut Capitula quæcunque, etiam Ecclesiarum Cathedralium (excepto casu Sedis vacantis) literas Dimissorias, aliquibus Clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant. Concedentes autem Dimissorias contra formam Decreti, ab officio & beneficio per annum sint ipso jure suspensi.

V. Nullus inposterum (*i*) ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum tertium; ad Diaconatus ante vigesimum secundum; ad Presbyteratus ante visimum quintum ætatis suæ annum promoveatur.

VI. Prohibemus quoque, (*k*) ne Officiales nostri, literas Dispensatorias, quæ vulgo Licentiatoria ordinandi vocantur, alicui temere concedant.

VII. Statuimus, (*l*) ut nemini posthac (ubi digna & justa causa non est) dentur Licentiatoria Ordines extra suam Diœcesin recipiendi, nisi prius sit juxta modum præscriptum in sua Diœcesi examinatus. Ad hoc enim comperimus quosdam Licentiatoria petere, ut examen subterfugiant.

TITULUS IV.
De supellectili Sacra.

CONfirmamus subsequens Mandatum: *De munditie supellectilis sacræ*, editum Anno Millesimo Sexcentesimo tertio, quod est tale:

" Quandoquidem innotuit in multis, tam Collegiatis, quam Parochialibus & Regularium Ecclesiis, supellectilem sacram & actionum Divinarum instrumenta pro Christianæ Religionis dignitate, non satis reverenter conservari: Præterea ad Divina Officia necessaria, ab iis, quibus hoc ex officio incumbit, & quibus eorum procuratio concredita est, minus commode subministrari; idcirco in Domino expedire judicatum fuit, antequam per nostros Deputatos, peculiarem visitationem & inspectionem desuper instituamus, omnes & singulos Decanos, Parochos, ac Monasteriorum Superiores præmonendos esse, ut solicite provideant, quo in Sacramentorum administratione, & Sacro Missæ Officio (in quo placens Deo Patri hostia JESUS Christus in odorem suavitatis offertur) omnia decenter & summa cum veneratione religiose peragantur, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quo nihil habet Ecclesia sublimius, pro dignitate, reverenter cum lumine, loco honorato conservatum, juxta Synodalia Archi-Episcoporum Statuta sæpius renovetur. Eumque in finem sedulo, ac solicite curabunt, ut supellex Ecclesiastica, veluti Baptisteria, mappæ, mantilia, telæ lineæ, corporalia, & cætera actionum sacrarum instrumenta, vestium, & Altarium apparatus, albæ, cortinæ, laterales alæ, propendicula, & omnia tegumenta sint nitida, a putredine

(*d*) Cap. 11. Sess. 7. cap. 3. 8. 10. & 12. de ætate. Sess. 23. de Subd. (*e*) Sess. 1. c. 10.
(*f*) Concil. Trid. Sess. 23. c. 3. (*g*) Ibid. 23. cap. 3. (*h*) Cap. 10. Sess. 23.
(*i*) Cap. 12. Sess. 22. (*k*) Concil. Provinc. Colon. sub Herm. VI. c. 29. part. 1.
(*l*) Concil. Provinc. sub Adolph. III. Medio 2. c. 2.

" dine & ſitu præſervata, caſulæ non " ſint laceræ, aut ruptæ; pyxides, vaſa " repoſitoria, tabernacula Sanctiſſimi " Euchariſtiæ Sacramenti ſine fuligi- " ne, & pulvere munda; ac pro Ec- " cleſiarum facultate, bene & conve- " nienter ornata: vinum Sacrificii pu- " rum, candelæ cereæ ſufficientes, " libri integri, Æditui & Eccleſiarum " Cuſtodes aquam benedictam puram, " in mundis vaſis, uſui fidelium, con- " ſervari procurent. Sint demum om- " nia tali decore compoſita, ut cultus " elegantia, adminiſtrationis devotio, " & ſolicita conſervationis cura, Re- " ligionem ac Dei zelum conteſten- " tur."

TITULUS V.

De Matrimonio clandeſtino, aliisque impedimentis.

CAPUT I.

ITerato quoque recipimus, recipi, & in ſingulis Parochiis debite publicari, & obſervari mandamus Decretum Concilii Tridentini, *de Clandeſtinis Matrimoniis*, quod publicatum & promulgatum a Nobis eſt in Synodo præcedenti, anni Milleſimi quingenteſimi nonageſimi octavi, die 2. Octobris celebrata, verbis ibidem extantibus, addentes tamen & declarantes hoc Decreto comprehendi Illuſtres etiam ac Nobiles cujuscunque ſtatus perſonas, niſi ex cauſis legitimis in quibusdam ſecus faciendi facultatem, & diſpenſationem a Nobis, vel a noſtro in Spiritualibus Vicario in ſcriptis obtinuerint.

II. Præterea cum inter impedimenta Matrimonii, latiſſime pateant Cognationis ſpiritualis, conſanguinitatis & affinitatis, ac denique publicæ honeſtatis juſtitiæ, volumus, ut *Cap.* 2. 3. & 4. Trident. *Seſſion.* 24. *de Reformat. Matrimon.* in Parochiis vobis concreditis, ſumma providentia cuſtodiantur & obſerventur, eorumque vis & uſus populo publicentur & explicentur, ne ob ignorantiam, negligentiamve talia diſſimulentur, vel contemnantur: cum citra peccatum, ſcandalum, periculumque quotidianum diſſimulari & contemni nequeant. Capitulorum vero prædictorum tenor eſt hujusmodi:

" Docet experientia propter multitudinem prohibitionum, multo- " ties in caſibus prohibitis, ignoranter " contrahi Matrimonia: in quibus vel " non ſine magno peccato perſevera- " tur, vel ea non ſine magno ſcandalo " dirimuntur. Volens itaque ſancta " Synodus huic incommodo provide- " re, & a cognationis ſpiritualis impe- " dimento incipiens, ſtatuit, ut unus " tantum ſive vir, ſive mulier, juxta " ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad " ſummum unus & una baptizatum de " Baptiſmo ſuſcipiant: inter quos, ac " baptizatum ipſum, & illius patrem " & matrem, nec non inter baptizan- " tem & baptizatum, baptizatique pa- " trem ac matrem tantum ſpiritualis " cognatio contrahatur. Parochus an- " tequam ad Baptismum conferendum " accedat, diligenter ab iis, ad quos " ſpectabit, ſciſcitetur, quem, vel quos " elegerint, ut baptizatum de ſacro " Fonte ſuſcipiant, & eum, vel eos " tantum ad illum ſuſcipiendum ad- " mittat, & in libro eorum nomina " deſcribat, doceatque eos, quam " cognationem contraxerint, ne igno- " rantia ulla excuſari valeant. Quod " ſi alii, ultra deſignatos baptizatos " tetigerint, cognationem ſpiritualem " nullo pacto contrahant: Conſtitutio- " nibus in contrarium facientibus, non " obſtantibus. Si Parochi culpa vel " negligentia ſecus factum fuerit: ar- " bitrio Ordinarii puniantur.

" Ea quoque cognatio, quæ ex " Confirmatione contrahitur, confir- " mantem & confirmatum, illiusque " patrem & matrem, ac tenentem non " egrediatur: Omnibus inter alias per- " ſonas hujus ſpiritualis cognationis " impedimentis omnino ſublatis.

" Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi Sponſalia quacum- " que ratione valida non erunt, San- " cta Synodus prorſus tollit; ubi au- " tem valida fuerint, primum gra- " dum non excedant: quoniam in ulte- " rioribus gradibus jam non poteſt hu- " jusmodi prohibitio absque diſpendio " obſervari.

" Præterea Sancta Synodus eis-
" dem & aliis gravissimis de causis ad-
" ducta impedimentum, quod propter
" affinitatem ex fornicatione contra-
" ctam inducitur, & Matrimonium po-
" stea factum dirimit, ad eos tantum,
" qui in primo & secundo gradu con-
" junguntur, restringit: in ulteriori-
" bus vero gradibus statuit, hujusmo-
" di affinitatem Matrimonium postea
" contractum non dirimere. "

TITULUS VI.

De Regularibus, Monachis, & Sanctimonialibus.

CAPUT I.

Confirmamus & innovamus ea, quæ Cap. I. II. IV. & V. Synodi, sub Reverendissimo Prædecessore nostro ERNESTO, Nobis præsidentibus, celebratæ: *de Confessariorum & Concionatorum approbatione*, tum *Sanctimonialium clausura*, convenienter Decretis Conc. Tridentini statuta & promulgata sunt.

II. Proinde renovantes Decretum *de non recipiendis Laicis Convictoribus*, iterum prout alias statuimus, si a sacris Canonibus salubriter cautum est, ne laicis cognatis, aut cæteris, accessus ad Religiosos, habitu & professione a mundo separatos, nimis frequens permittatur, ne animæ in virtutum officina devotioni, orationi, ac meditationi diu, noctuque operam dantes, per talem conversationem a recto virtutum tramite, in devia deturbentur: multo magis parentum, cognatorum, aut aliorum Laicorum, cum Religiosis in ipsis Monasteriis cohabitatio, & detestabilis consuetudo improbanda venit, qua tales ad certum annorum tempus, vel ad dies vitæ in convictum, atque adeo in communem refectorii mensam pro certa pecunia admittuntur.

Unde cum præter distractionem, multa alia oriantur incommoda, & Monasteria Laicorum habitacula fieri videantur, quod sacris Canonibus vehementer improbatur, idcirco omnes & singuli, cujuscunque sexus, aut conditionis Monasteriorum Superiores, sub pœna excommunicationis, aut depositionis ab officio, sibi interdictum & prohibitum esse noverint, ne ullos, aut qualescunque Laicos, vel cognatos, tam intra, quam extra Monasterii septa in culinam, refectionem, vel aliam privatam mensam, tanquam convictores, posthac unquam admittant. Ubi vero tales, ante hanc Constitutionem quacunque ratione sunt recepti, quibus melioribus modis ac rationibus poterunt, sedulo laborabunt, ut restituta pecunia eosdem bona occasione dimittant.

Quod si vero contingat, ut viri aliqui boni Deum timentes, vel piæ fœminæ mundo renunciare, & quod ipsis superest vitæ, Dei servitio consecrare, & substantiam suam, aut potiorem ejus partem, ad Monasterium aliquod transferre, & in modestia ac simplicitate, citra Regulæ ac Monasticæ disciplinæ impedimentum, in Monasterio aliquo, vitam traducere velint, tali casu Monasteriorum Superiores, prius tractent cum nostro in Spiritualibus Vicario, aut cum iis, quos ad hoc specialiter deputabimus, qui in tali convictorum admissione, quod sacris Canonibus honestati, commodo, & utilitati Monasteriorum maxime conveniet, statuent, atque definient. Hisce tamen non prohibemus honestam, & piam puellarum in Monasteriis educationem, & institutionem hactenus usurpatam.

III. Observari quoque volumus, quæ *de Regularibus, & Monialibus* Concilium Tridentinum (*m*) salubriter præcipit, ut sequitur:

" Libertati professionis Virginum
" Deo dicandarum, prospiciens Sancta
" Synodus, statuit atque decernit, ut
" si puella, quæ habitum regularem
" suscipere voluerit, major duodecim
" annis sit, non ante eam suscipiat, nec
" postea ipsa, vel alia professionem
" emittat, quam exploraverit Episco-
" pus, vel, eo absente aut impedito,
" ejus Vicarius, aut aliquis eorum
" sumptibus ab eis Deputatus, Virginis
" voluntatem diligenter, an coacta, an
" seducta sit, an sciat, quid agat. Et
" si voluntas ejus pia, ac libera cognita
fuerit,

(*m*) Sess. 25. cap. 17. de Regular.

" fuerit, habueritque conditiones re" quisitas juxta Monasterii illius, & Or" dinis Regulam, nec non Monaste" rium fuerit idoneum, libere ei pro" fiteri liceat. Cujus professionis tem" pus, ne Episcopus ignoret, teneatur " Præfecta Monasterii eum ante men" sem certiorem facere. Quod si Præ" fecta certiorem Episcopum non fece" rit, quamdiu Episcopo videbitur, ab " officio suspensa sit.

"Anathemati Sancta Synodus sub" jicit omnes & singulas personas, cu" juscunque qualitatis, vel conditionis " fuerint, tam Clericos, quam Laicos " sæculares, vel Regulares, atque etiam " qualibet dignitate fulgentes, si quo" modocunque coëgerint aliquam Vir" ginem, vel Viduam, aut aliam quam" cunque mulierem invitam, præter" quam in casibus in jure expressis, ad " ingrediendum Monasterium, vel ad " suscipiendum habitum cujuscunque " Religionis, vel ad emittendam pro" fessionem: quique consilium, auxi" lium, vel favorem dederint: quique " scientes eam, non sponte ingredi " Monasterium, aut habitum suscipere, " aut professionem emittere, quoquo " modo eidem actui, vel præsentiam, " vel consensum, vel authoritatem in" terposuerint. Simili quoque ana" themati subjicit eos, qui sanctam Vir" ginum, vel aliarum mulierum volun" tatem vel accipiendi, vel voti emit" tendi, quoquo modo sine justa causa " impedierint."

IV. Decernimus porro, nulla ratione Superioribus, Abbatibus, Visitatoribus, Generalibus, Provincialibus, aut Commissariis Regularium, etiam exemptarum, vel qualiumcunque Congregationum, hanc licentiam & potestatem esse permittendam, ut ullis Monialibus, sive in dignitate, sive extra eam constitutis, qualicunque de causa etiamsi Medici suadeant, facultatem & veniam dare possint, Monasterio exeundi, aut ex professionis loco, in qua stabilitatem voverunt, in aliud Monasterium commigrandi; multo vero minus religionis habitum deponendi, nisi Ordinarii & Diœcesani consensus impetratus accedat. Quod si vero contingat aliquam propria temeritate locum aut Monasterium suum mutare, habitu religionis deposito, sæcularem assumere, ejus Superior, sub quo votum emisit religionis, eam, ad professionis suæ locum, & habitum sacrum, ad certum temporis terminum, præfixum revocet. Quod si facere neglexerit, arbitraria, & Nobis reservata pœna punietur: Si vero legitime monita, parere recuset, ad Ordinarium recurratur. . . . . . .

V. Mandamus insuper, ut singuli Visitatores, infra anni spatium Monasteria sibi subjecta visitent, & Apostatas, vel fugitivos utriusque sexus, Vicario nostro in Spiritualibus scripto exhibeant.

VI. Confirmamus etiam Decretum: *De reformatione Investituræ, & sacræ Professionis Religiosæ*, a Nobis, & Prædecessore nostro bene & salubriter constitutum, Sedisque Apostolicæ authoritate confirmatum per Bullam, quam videsis *Tom. præced. pag.* 764.

Hæc erat Bullæ Inscriptio:

Venerabili Fratri Archi-Episcopo Coloniensi, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

Hisce non obstantibus, remittimus omnes Prælatos & Superiores quocunque nomine censentur, ad Decreta a Prædecessoribus nostris hactenus salubriter edita, eos in Domino serio monentes & hortantes: Ut eadem justo pietatis zelo, pro Dei honore, & animarum ac Ecclesiarum sibi commissarum salute, suæque conscientiæ exoneratione fideliter exequantur.

Ut demum hæc omnia in præsenti Synodo, salubriter constituta, innovata & confirmata strictius observentur, mandamus & præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, ut omnes Archi-Diaconi, Abbates, Præpositi, Decani, cæterique Ecclesiarum quarumcumque & Monasteriorum Prælati & Superiores in suorum subditorum vitam ac mores solicite animadvertant, & quos in prædictis culpabiles offenderint, debitis pœnis coerceant: Considerantes Heli Sacerdotem pro filiorum iniqui-

iniquitate fuiſſe condemnatum, alioquin Nos illorum negligentiam ſupplentes, ad cenſuras & pœnas Canonicas procedemus.

His itaque de mandato benememoratorum Dominorum Commiſſariorum in Scholis Theologorum publicatis & prælectis, conſequenter in domo Capitulari Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis *M. Bernhardus Schikelingh*, Curiæ Archi-Epiſcopalis Colonienſis Procurator Fiſcalis, recitatis nominibus Citatorum, reproduxit citationem legitime ad effectum inſertum executam, ac petivit & obtinuit contra abſentes contumaces ulteriora. In quorum fidem, robur & teſtimonium eadem non ſolum a Notario Publico jurato prædictæ Curiæ Archiepiſcopalis Colonienſis munita, ſed & ſigillata ſunt. Anno reparatæ ſalulis 1612. die quidem Martis ſecunda menſis Octobris.

Jacobus Wilich, Curiæ Archi-Epiſcopalis Colonienſis Sententiarius præſcript. Synod. Notarius publicus ſubſcripſit.

Lünig Contin. II. Spicil. Eccleſ. pag. 193.

ARCHI-DIACONALE CONCILIUM HASBANIÆ (*) IN ECCLESIA LEODIENSI,

CELEBRATUM

Eodem anno Chriſti MDCXII.

Sub ARNOLDO *de* BOCHOLTZ, *Præpoſito & Archi-Diacono.*

ARNOLDUS, PRÆPOSITUS HILDESHEMENSIS, ET *Tungrenſis Canonicus, & Archi-Diaconus Hasbaniæ in Eccleſia Leodienſi, &c. Dominus temporalis de Bocholtz, Corteſchem, &c. Univerſis, & ſingulis Presbyteris, Clericis, Eccleſiarum Parochialium Rectoribus; Deſervitoribus, Capellanis, Beneficiatis, Matriculariis, Officiatis, aliisque omnibus & ſingulis in Archi-Diaconatu noſtro prætacto Nobis ſubditis, Salutem.*

QUoniam docet experientia, quantum præteritorum injuria temporum (cauſantibus bellorum calamitatibus) boni pridem & ordinati regiminis in Ditione, ac Diœceſi hac Leodienſi, & nominatim Archi-Diaconatu noſtro prætacto, facies immutata ſit, & quam exiguus antiquæ diſciplinæ appareat color, qui nec aliter poſſit reſtitui, niſi ſublata primitus omni (quæ invaluit) confuſione, bonarum deinceps legum & conſuetudinum integritas revocetur, incertæ ad regulam, obſcuræ ad lucem, & ſingulæ demum ad obſervantiam reducantur: hinc eſt, quod Nos dignitatis noſtræ Archi-Diaconalis (qua fungimur) exigentia poſtulante, prævio diligenti omnium, quæ ad hæc facere videbantur, ſtudio, & examine, ad DEI imprimis honorem, & pro communi ſubditorum noſtrorum pace, tranquilitate, & ſalute, fœlicique diſciplinæ Eccleſiæ redintegratione, ſequentia (hactenus per Nos adhuc licet in Conciliis publicata) ex integro duximus declaranda, decernenda, ſtatuenda, mandanda, & publicanda, eaque in eodem Archi-Diaconatu noſtro, ſub cenſuris alioquin, & pœnis juris, & ſtatutariis, aliisque comminatis, etiam gravioribus arbitrariis (ſi opus erit) inviolabiliter obſervanda, prout illa harum ſerie declaramus, decernimus, ſtatuimus ac publicamus, & ab omnibus in eo Nobis ſubditis obſervari volumus, & mandamus.

Prin-

(*) De Hasbania, vel *Haſpinga*, uti in Diplomate Henrici Regis, qui Leodienſi illam Eccleſiæ anno MXL. donavit, Nithardo Epiſcopo LI. deprecante, legitur, adiſis *Chapeavilli Geſta Pontif. Leod. Tom. I. pag.* 279., *Fullonii Hiſt. Leod. Tom. I. Lib. IV. pag.* 225. & *Dictionaire de Trevoux Tom. III.*

Principio igitur, ut Paſtores omnes, & cæteri, qui animarum curam ſuſtinent, pro officii ſui munere ſuſceptum ſolicitudinis onus circa ovium ſibi commiſſarum cognitionem, cuſtodiam & paſtum, ac ſuarum Eccleſiarum ſtatum, debite exſequantur, quod certe ab eis præſtare minime poteſt, qui in Eccleſiis ſuis magno ſcandalo, nec minore animarum periculo, propriæque ſalutis diſpendio non reſident; hinc eſt, quod Canonum & Sacri Concilii Tridentini, aliasque Apoſtolicas inſequendo Sanctiones, & nominatim Conſtitutionem Sanctiſſimi D. N. PII Papæ V. ſuper reſidentia facienda in Parochialibus per obtinentes eaſdem, incipientem: *Cupientes*, ſerio mandamus omnibus & ſingulis Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, ut infra menſem proximum a publicatione hujus Decreti noſtri, ſub pœna alioquin centum florenorum Brab. in pios uſus applicandorum, ipſo facto, aliiſque tum Eccleſiaſticarum cenſurarum, tum privationis pœnis incurrendis, perſonaliter deinceps in ſuis Eccleſiis reſideant, & ibi in Divinis deſerviant, omninoque debito ſuo fungantur officio.

Et ne quiſpiam Pontificiæ Conſtitutionis prætactæ ignorantiam prætendere valeat, eam huic noſtræ paginæ cenſuimus inſerendam, quæ talis eſt:

PIUS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI, AD PERpetuam rei memoriam.

CUpientes pro noſtri Paſtoralis officii munere Chriſti fidelium animarum ſaluti, quantum cum Deo poſſumus, ſalubriter conſulere, & Parochialibus Eccleſiis ab earum Parochis, prout tenentur, in Divinis debite, & laudabiliter deſerviri, inhærendo etiam Decretis Sacri Concilii Tridentini, motu proprio, & ex mera deliberatione, certaque ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulos Rectores Parochialium Eccleſiarum, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis. & conditionis, & præeminentiæ fuerint, in quibuſcumque Regnis, Provinciis, Civitatibus, Diœceſibus, ac aliis Chriſtiani Orbis partibus conſiſtentes, qui Parochialem Eccleſiam, ac Canonicatum, aut dignitatem, etiam poſt Pontificalem majorem, ſeu principalem in quibuſvis Patriarchalibus, aut Metropolitanis, vel Cathedralibus, ſeu Collegiatis Eccleſiis, ſeu aliud quodcumque Beneficium Eccleſiaſticum, etiam quarumcumque diſpenſationum a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, ſeu etiam a Nobis hactenus quomodolibet impetratarum, ac Literarum Apoſtolicarum deſuper expeditarum titulo (quas omnes hac præſenti Conſtitutione abolemus, & revocamus) ſeu quocumque alio prætextu obtinent, cum prima & præcipua debeat eſſe cura animarum, eos ad reſidendum in Eccleſia Parochiali, & ibi in Divinis deſerviendum, debitoque eorum officio fungendum omnino, Ordinarios, etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatos, ſub ſententiis, & cenſuris Eccleſiaſticis, ac pecuniariis arbitrio eorum declarandis, ac etiam privationis dictarum Parochialium, quorumcumque Beneficiorum pœnis, quacumque appellatione remota, cogi, & compelli poſſe, & debere, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus, præcipimus, & ordinamus. Eos tamen ſic reſidentes in Eccleſiis Parochialibus, omnes & ſingulos fructus, redditus & proventus, etiam Canonicatus ſui vel dignitatis, ſeu alterius cujuſcumque Beneficii (exceptis dumtaxat quotidianis diſtributionibus, & aliis, quæ ex juſta cauſa abſentes percipere non ſolent) lucrari volumus. Sicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, interpretari, judicari & diffiniri debere. Nec non irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel inpoſterum contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis diſpenſationibus & exemptionibus, literiſque Apoſtolicis deſuper confectis, nec non Apoſtolicis, in Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, ordinationibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis quibuſvis perſonis in genere, vel in ſpecie, alias quomodolibet conceſſis, & approbatis, impoſterumque concedendis, & approbandis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ad hoc ſervandum foret,

ret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris (hac vice dumtaxat) ad effectum præsentium specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod harum literarum transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ abolitionis, revocationis, statuti, præcepti, ordinationis, decreti, declarationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo, sexagesimo octavo, 8. Idus Julii, Pontificatus nostri anno tertio.

CÆ. GLORIERIUS.

H. CUMIN.

Registrata apud Cæsarem Secretarium. Anno a Nativitate Domini Millesimo, quingentesimo, sexagesimo octavo, Indictione undecima, die vero decima quinta mensis Julii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri D. PII Divina providentia Papæ V. anno tertio, retroscriptæ Literæ Apostolicæ lectæ, affixæ, & publicatæ fuerunt, ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi floræ, dimissis ibidem præsentibus literis per aliquantulum temporis spatium (ut est moris) affixis, & deinde amotis per nos Joannem Borvotum & Julium Parinum, prælibati Sanctiss. D. Papæ Cursores.

Antonius Clerici, Mag. Curs.

Cujus quidem Pontificiæ Constitutionis tenore attento, volumus, quod si Pastores aliqui habeant gratias, seu dispensationes (etiam Apostolicas) de non residendo; Nobis, seu Officiali nostro, illarum authenticam copiam, cum exhibitione Originalis, infra proximam quindenam tradant, ut his visis, juxta Sacri Concilii Tridentini Decreta & Constitutionem prætactam, certius & specialius quippiam quoad easdem diffinire possimus: easdem alioquin pœnas, nisi infra mensem (his etiam non obstantibus) resederint, incursuri.

Ad hæc, præcipimus singulis Parochis, ut pro necessaria sui gregis cognitione, in quo boni Pastoris consistit solicitudo, habeant etiam infra mensem proximum commodo & expensis Communitatis codicem, seu registrum authenticum, debite compactum, in quo capitatim, Primo quidem Capite adnotent nomina Nascentium, & Baptisatorum, Patris & Matris, ac Susceptorum eorundem; Secundo Capite nomina eorum, quos in suis Parochialibus Matrimonio jungi contigerit, quosque ipsi conjunxerint; mensem item, & diem conjunctionis; & duorum ad minus testium, qui adfuerint; Tertio, Confirmatorum, & Patrinorum eorundem; ac postremo singulorum subditorum nomina per familias conscribant.

Ac primum quidem Caput Baptisatorum nomina complectetur, hoc modo:

Anno... mensis... die... fuit a me N. Rectore Parochialis Ecclesiæ... baptisatus filius N. & N. Conjugum natus die... eique fuit Nomen impositum N. Susceptores illius fuerunt Petrus, filius N. & Maria uxor N. filia N.

Quod si proles illegitima fuerit, Matris dumtaxat nomen (si tamen de ea constiterit) registretur.

Alterum nomina contrahentium Matrimonium comprehendat, hoc tenore:

Anno... mensis... die... N. filius N. contraxit per verba de præsenti Matrimonium cum N. filia N. in Ecclesia Parochiali loci de... præsente me N. Rectore dictæ Parochialis, & N. atque N. testibus præsentibus, & aliis plerisque.

Quod si remissis (puta per rubrum sigillum) aut præmissis una, vel pluribus proclamatorialibus, Matrimonium fuerit celebratum, hoc ipsum exprimatur hac forma: *Idque una, duabus, vel omnibus remissis, aut præmissis inter Missarum solemnia denuntiationibus; quæ, vel quarum*

quarum prima facta est die Dominico vel Festivo Sancti N. mense... die... altera vero &c.

Et concludatur hoc modo: *Et præmissis attentis, nullo prorsus detecto impedimento, quo minus libere contrahere possent.*

In tertium Caput, Confirmatorum nomina referantur, hoc pacto:

Anno... mensis... die... confirmatus est N. filius N. & N. per Reverendiss. Dominum N. Suffraganeum Leodien., cujus Susceptor fuit N. & filius N.

Quod vero ad mulieres, si nuptæ fuerint, tam quæ suscipiunt, quam suscipiuntur, præter ipsarum, & Parentum earundem nomina & cognomina, addantur etiam nomina & cognomina virorum seu conjugum, hoc modo:

N. filia N. & filius N.

Quartum denique Caput distinctas continebit familias, hoc modo:

N. filius N. Paterfamilias	*annorum...*
N. ejus uxor, filia N.	*annorum...*
N. eorum filius,	*annorum...*
N. eorum filia,	*annorum...*
N. eorum famulus,	*annorum...*
N. eorum ancilla,	*annorum...*

Ex hoc Capite, diem obitus, vel recessus cujusque à Parochia: item anne eo anno in festo Paschæ singuli confessi fuerint, & communicarint, marginaliter adnotabitur, hoc modo:

Obiit vel recessit anno... mensis... die... confessus est, & communicavit (vel) confessus est tantum.

Habeant etiam Pastores magnam exterorum aliunde ad Parochias suas adventantium rationem, ac de vita, & eorum moribus se se informent; tum vel maxime inquirant, anne suspecti sint de hæresi, vel publici, & notorii gravioris alicujus criminis rei? Quod Seren. Episcopo, aut Nobis, Officiatisve nostris per literas, vel aliter, secreto declarare tenebuntur. Nec tales deinceps recipient in subditos, nisi cum authentico fidei, & probitatis morum testimonio. Qui, si mulierem comitem habeant, diligenter quoque investigent, anne uxor sit legitima, an scortum vel concubina?

Ad custodiam porro, & gregis sibi commissi pastum, quod attinet, diligentem cum primis curam adhibeant circa juventutis tam in moribus Christianis, quam literis institutionem.

Ideoque, quantum fieri poterit, singuli per se, vel alium, fidei rudimenta, literarumque elementa doceant.

In oppidis vero, & locis frequentioribus, & aliis, in quibus solemniores Scholæ sunt, vel esse ab antiquo consueverunt, curent Pastores cum Magistratu loci, ut diligens Ludimagister, non fidei modo puritate, sed etiam vitæ, morumque integritate, & doctrina præstans habeatur, qui hanc ætatem in modestia, & pietate instruat, & ad altiora literarum, & virtutum studia promoveat.

Ad quam juventutis disciplinam, si res, bona, seu proventus (uti plerisque in locis esse constat) spectare dignoscantur, curent Pastores, ne bona hujusmodi in alios usus convertantur, aut depereant, quamvis ab institutione, etiam primæva, alii forent designati eorundem Administratores; sed re ad Nos, vel Officiatos nostros delata, seu Visitatoribus detecta, suæ, & Administratorum consulant conscientiæ.

Summopere etiam advigilent, ut Dominici, & Festi dies Divino cultui dicati recte colantur, & observentur, atque in officiis pietatis, ac Religionis transigantur; eoque magis, quod hac in parte videre est, ex eorum frequentissima, & quasi consuetudinaria violatione, Divino cultui nedum plurimum decessisse, sed iis ipsis populum passim ad graviora etiam quæque scelera committenda, Divinamque iram incitandam abuti.

Ideoque Festa multoties jam in Conciliis nostris publicata, ac sacra jejunia ex præcepto Ecclesiæ observanda, in singulas hebdomadas inter Missarum solemnia denunciare populo non omittant, ne quis imprudens Pastoris culpa, in præmissis discrimen incurrat.

Repetant porro frequenter, & inculcent totos illos dies in Dei cultu, Sancto-

Sanctorumque laudibus celebrandis, & Dei in nos beneficiis recolendis religiose transfigendos esse; ita videlicet, ut quilibet fidelis non solum Missæ, sed etiam Prædicationi, Vesperarum Officio, aliisque piis exercitiis, pie, soliciteque intersit.

Ideoque mandamus omnibus Ecclesiarum Rectoribus & Matriculariis, ut Dominicis ac Festis diebus, populo per campanæ pulsum convocato, deinceps Vesperas in suis Ecclesiis, aut (ob adjuvantium forsan paucitatem) saltem Laudes Deiparæ Virginis devote canere non omittant; exhortantes omnes & singulos, ut ad eas conveniant; Pastoribus, quoties hoc neglexerint, decem stupherorum Brab., in Festis autem solemnioribus unius floreni consimilis, Matriculariis vero (quorum culpa intermittentur) arbitrariis pœnis propositis, & per Fiscos nostros irremissibiliter exigendis.

Festa autem, quæ præcipiuntur per totum annum celebrari, sunt hæc: videlicet præter Dominicalia, Festum Circumcisionis Domini, Epiphaniæ, Conversionis Sancti Pauli, Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, S. Mathiæ Apostoli cum jejunio, Annunciationis Beatæ Mariæ, Festum Paschæ, cum feriis secunda, & tertia sequentibus, Sanctorum Philippi & Jacobi, Inventionis Sanctæ Crucis, festum Ascensionis Domini, festum Pentecostes cum jejunio, & feriis similiter secunda, & tertia sequentibus, festum Venerabilis Sacramenti, festum Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ cum jejunio, Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum cum jejunio, Visitationis Beatæ Mariæ Virginis, Sanctæ Mariæ Magdalenæ, festum Sancti Jacobi Apostoli cum jejunio, Laurentii Martyris cum jejunio, festum Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis cum jejunio, Bartholomæi cum jejunio, festum Nativitatis Beatæ Virginis, S. Mathæi cum jejunio, Sancti Michaelis Archangeli, Sanctorum Simonis & Judæ cum jejunio, festum omnium Sanctorum cum jejunio, Sancti Andreæ cum jejunio, festum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, Thomæ Apostoli cum jejunio, Nativitatis Domini cum jejunio, Sancti Stephani, Sancti Joannis Evangelistæ, & denique festa Patroni, & Dedicationis cujuslibet Ecclesiæ in & sub ipsa Parochiali & districtu ejusdem, quorum omnium, & singulorum, talis erit observatio, ut populus dictis diebus ab operibus suis servilibus cesset, & ea, quæ suæ fuerint salutis, devote operetur.

Festa porro Sanctorum Lamberti, Dionysii, Huberti, Leonardi, Martini, Nicolai, si aliquibus in locis servari consueverunt, servabitur consuetudo.

Et quoad ultimos dies Paschæ, Pentecostes, & Nativitatis Domini, nec non Sanctorum Servatii, Leonardi, Ægydii, S. Catharinæ, Cathedræ S. Petri & Vinculorum ejusdem, servabitur (donec temporis exigentia melius suadente aliud statuendum videbitur) Ordinatio Serenissimi, & Reverendissimi bonæ memoriæ Episcopi, & Principis nostri ERNESTI, data Junii die secunda, anno Domini 1608. cum repetita exhortatione, ut illi, quibus [illegible] labore manuum, benignissimus Deus vivendi facultatem concessit, cultum, quem Deo imprimis, & Sanctis ejus his præfatis diebus impendere solent, non remittant, sed potius augeant: alios vero, quibus ea vivendi facultas non suppetit, rursum monemus, ut si quid de cultu Deo, Sanctisque ejus debito, exterius per opera manualia remittant, hoc animi candore, innocentia vitæ, frequentioribusque ad Deum precibus, aliisque consimilibus rationibus compensare studeant.

Dominicis igitur & Festivis diebus præscriptis, nominatim prohibita hæc: Mercatus, agrorum cultus, aut messis, fabrorum, aurigarum, coctorum cerevisiæ, sartorum, sutorum, aliorumque mechanicorum operæ, vecturæ plaustrorum, ac in universum manualia ejusmodi exercitia.

Quæ, ut quantum fieri potest, tollamus, omnemque deinceps diem Festum violandi occasionem præscindamus, omnibus mercatoribus lanariis, linariis, vestiariis, aromatariis, aliisque, qui merces venales habent, inhibemus, ne prætactis diebus ante fores, vel

vel in feneſtris domorum ſuarum, vel alibi illas venales exponant; Piſtoribus & lanionibus, ne publice (officinis videlicet ædium ſuarum apertis) eſculenta ſua diſtrahant: Oenopolis, cauponibus, ac tabernariis, ne iisdem diebus, tum vel maxime tempore Divinorum, puta ſummæ Miſſæ, & Divinorum, œnopolia, vel tabernas aperiant, comeſſationes, aut compotationes permittant.

Fruges etiam, cupedia, bellaria, aliaque ſimilia in oppidorum foris venditioni palam exponi conſueta, deinceps tempore ſummæ Miſſæ non exponantur, nec publice diſtrahantur; ſaltem impune.

Urgente vero aliqua notabili neceſſitate, meſſium tempore, vel alias, poſt audita Miſſarum ſolemnia, & cauſa primitus per Paſtorem loci intellecta, ejusque in ſcriptis, & quidem in præſentia duorum teſtium (ſi toti communitati fiat permiſſio) conceſſa & accedente licentia; permittimus pro hujusmodi neceſſitatis exigentia operis manualis exercitium; inhibentes Fiſcis noſtris, & Curiæ noſtræ negotiorum Procuratoribus, ne præmiſſis accedentibus, ſubditos noſtros quoquo modo moleſtent: ideoque tenebuntur ante, quam citationem ſeu articulos deſuper emittant, litemve ulterius proſequantur, an præmiſſa intervenerint, perquirere; ipſique viciſſim citati, in termino ſervientis citationis, de hujusmodi in ſcriptis licentia fidem facere; in expenſis alioquin proſecutionis, ſeu oppoſitionis indebite, reſpective condemnandi.

Quo etiam dies ſacri uberiore fructu traducantur, meminerint Paſtores, & alii curam animarum habentes, ut juxta Sacri Concilii Tridentini Decretum, nec non ejusdem Sereniſſimi & Reverendiſſimi fel. record. Epiſcopi & Principis noſtri ERNESTI Edictum, Dominicis & Feſtis diebus plebes ſibi commiſſas certa ad hoc & opportuna arbitrio ſuo ſelecta, præfixa, & denuntiata hora catechiſent, eaque diligenter obſervent, & obſervari faciant pro viribus, quæ latius dicto Edicto continentur, quod eſt tale:

ERNESTUS, DEI GRATIA Archi-Epiſcopus Colonienſis, Sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, Princeps Elector, Epiſcopus & Princeps Leodienſis, Adminiſtrator Monaſterienſis, Hildesheimenſ. Friſingenſ. & Stabulenſis; Comes Palatinus Rheni, Dux utriusque Bavariæ, Weſtphaliæ, Angariæ & Bullonenſis, Marchio Franchimontenſis, Comes Loſſenſis, Lognenſ. Hornenſis, &c.

Univerſis & ſingulis Paſtoribus, Vice-Paſtoribus, & aliis animarum curam per Diœceſim noſtram Leodienſem habentibus, Officiatis quoque & aliis Nobis ſubditis quibuscunque, Salutem in Domino.

CUm inter alia ab Oecumenico Concilio Tridentino laudabiliter inſtituta, mandetur Epiſcopis, ut curent diligenter pueros in ſingulis Parochiis fidei Rudimenta, & obedientiam erga Deum, & Parentes ab iis, ad quos ſpectat, ſaltem Dominicis, & Feſtivis diebus doceri, &, ſi opus ſit, eosdem etiam per cenſuras Eccleſiaſticas compellant, non obſtantibus privilegiis, & conſuetudinibus: & ſpeciatim Parochis omnibus præcipiat, ut eisdem diebus populo inter Miſſarum ſolemnia, aut Divinorum celebrationem ſacra eloquia, & ſalutis monita, vernacula lingua explanent, eademque in omnium cordibus, poſtpoſitis inutilibus quæſtionibus, inſerere, atque eos in lege Domini erudire ſtudeant: tum vero viſa ſunt Nobis ſalutaria hujusmodi præcepta eo magis hiſce locis amplectenda, quo per hæreticorum circumquaque graſſantium viciniam, facilior eſt ab orthodoxa fide defectio. Quocirca nos eisdem præceptis inſiſtentes, moneri vos ejusmodi officii non raro curavimus, editis etiam Catechiſmis, & aliis libris ad id opportunis. Et licet apud nonnullos fructum aliquem feciſſe videamur, nihilominus quia animadvertimus multos adhuc Parochos, aut deſidiæ & torpori, aut ſublimioribus concionibus plerumque ad Parochianorum ſuorum captum parum accommodatis, poſtpoſitis fidei, & pietatis rudimentis, ad ſalutem maxime neceſſariis, vacare. Hinc eſt apud Nos, eadem Concilii Tridentini Mandata, ut par eſt, exequi, & ſubditorum noſtrorum ſaluti, opportune, quantum in Domino poſſumus, providere cupientes, vobis univerſis curam animarum habentibus ſuprafatis diſtricte præcipiendum, mandandumque duximus, prout præſentium tenore præcipimus & mandamus, quatenus ſtatim & indilate, ſaltem

intra tres hebdomadas a publicatione præsentis nostri Mandati computandas, diebus saltem Dominicis, & Festivis inter Missarum solemnia, postpositis difficilioribus & subtilioribus concionibus plebes vobis commissas, & maxime pueros, pro vestra & eorum capacitate catechisetis, docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate, & facilitate sermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cælestem gloriam consequi valeant: sub pœna suspensionis ab omnibus officiis, & beneficiis vestris, & privationis fructuum eorundem pro tertia parte irremissibiliter a vobis (si muneri vestro defueritis) exigendorum ad ejusmodi instructionem applicandorum, aliaque arbitraria; non obstantibus quibuscumque vestris, aut Ecclesiarum vestrarum exemptionibus, aliisque, quæ idem Concilium voluit, non obstare. Vobis autem eorundem Parochianis omnibus & singulis sub pœna arbitraria similiter applicanda mandamus, ut toties, quoties a Parochis vestris moniti fueritis, præsertim vero prætactis diebus, liberos vestros, & alios curæ vestræ commissos, ad Ecclesiam instruendos & catechisandos pari diligentia mittatis. Et ulterius vobis omnibus Prætoribus, Consulibus, & aliis Officiatis Nobis subditis mandamus, ut in eventum, quo prætacti Parochiani in iis mittendis moram fecerint, eosdem ad id, & ipsosmet pueros ad eundum, & obtemperandum, realiter, & cum effectu cogatis, & compellatis, sub pœna excommunicationis, aliaque arbitraria. Vehementer vero hortamur in Domino, & requirimus omnes, qualicumque demum conditione, aut dignitate præfulgeant, ut tam pio & salutari instituto, favorem & auxilium, etiam per præsentiæ suæ exhibitionem conferant; Archi-Diaconos vero, ut & ad præmissa, & illorum observationem diligenter per suos Archi-Diaconatus attendant, & contra rebelles, vel alias inobedientes ad pœnas, & censuras supratactas procedant, prout & Nos procedemus justitia mediante. In quorum fidem præsentes literas fieri, & per Vicarium nostrum in Spiritualibus Generalem subscribi curavimus. Datum in Civitate nostra Leodiensi anno a Nativitate Domini 1611. *decima nona Novembris.*

Nos certe, ad hujusmodi Mandati observantiam diligenter attendemus, & contra defectuosos, rebelles, & inobedientes, ad censuras & pœnas inibi, & per Sacrum Concilium Tridentinum comminatas, sine dissimulatione procedemus.

Et quia in plerisque locis Parochiales Ecclesiæ, seu Capellæ, Divino cultui, & Sanctorum venerationi sacræ, superiorum annorum motibus & miseriis destructæ, profanatæ, labefactatæ, spoliatæ, necessariisque ad sacra Ministeria destitutæ comperiuntur, quarum reficiendarum, & restituendarum onera, pro casuum & defectuum diversitate multiplicia sunt & distincta, suosque juxta laudabiles & antiquissimas Archi-Diaconatus nostri consuetudines, concordias, & statuta, diversos habent obligatos Reparatores, & Provisores; ne gravissima Divini Numinis offensa, summoque fidelis populi scandalo, ipsis vel ignorantiam prætendentibus, eorumve tergiversationibus, quæstionibus & controversiis, tam piæ & necessariæ reparationes, & necessariorum exhibitiones ulterius differantur, sed Ecclesiarum status ex dignitate conservetur, dicimus & declaramus, majorem imprimis cujusque Parochialis in Archi-Diaconatu nostro decimam, illiusque possessores, de usu & consuetudine prætactis, teneri per omnia, & obligari ad integralem summi altaris erectionem, ejusque consecrationem, nec non casu postulante ejusdem reparationem, & reconciliationem, omniumque & singulorum ad Missæ celebrationem requisitorum præstationem; videlicet ad tabulam decentem, tapetum, seu mappam crassiorem lapidi altaris contiguam, ad tres honestas mappas, & ad coopertorium, quo sordes ab altari arceantur, ad manutergia quatuor, ad antipendium, cortinas decentes, syndonem, sive corporale, ejusque thecam honestam, ad calicem cum cratere & patena argenteis, iisque recludendis honestum sacculum, ad cereos duos ordinariis & consuetis Missis celebrandis (juxta Ecclesiæ qualitatem) necessarios, cum eorum candelabris, ad vinum, vinique & aquæ ampullas, ad hostias, & pyxidem qua recludantur, ad Missale integrum & approbatum, tabulam pacis, ad albas duas cum cingulis, & ad amictus totidem, ad manipulum, stolam, casulam, Psalterium, Matutinale, Graduale, & his omni-

omnibus aſſervandis ciſtam ſufficientem, cum debita clauſura; item ad navim Eccleſiæ a primo lapide fundamenti ad cacumen uſque cum teſtitudine, ſeu tabulato, & feneſtris vitreis a lateribus utrimque imaginis Crucifixi; ad principalem feneſtram orientalem in Choro; ad campanam bannalem tantæ magnitudinis, ut per totum decimæ circuitum facile audiri poſſit, & ad omnia eidem campanæ incumbentia, illiusque pulſum neceſſaria, cum ligneo, ex quo ſecure dependeat ædificio, ad turrim, ſi in illa muris ipſius navis innitatur, & inſiſtat (alioquin ſi illa ſeparatim a fundamentis exſtructa ſit, & per ſe ſtet, ad eandem tenetur communitas) ad taurum & verrem in commodum Parochianorum, a quibus dicta decima percipitur. Denique ad alia onera, quæ ex Sacri Concilii Tridentini Decreto, illi præſcripta eſſe dignoſcuntur, & nominatim quoad competentias Paſtorum. De quibus & juribus ſupra & infra ſcriptis, in filialibus Eccleſiis, nullis ut plurimum, aut forte exiguis gaudentibus decimis & redditibus, nec non in quartis capellis (Sacri juxta ejusdem Concilii Tridentini Sanctiones) quod Beneficiorum unione primitiarum, & decimarum aſſignatione, aliave commodiore ratione fieri non poterit, per Parochianorum ſymbola & collectas, pro Rectorum, & Parochiarum neceſſitate, quantum decenter ſuffecerit, provideri curabimus, &, quantum in Nobis erit, providebimus.

Quod ſi Parochiani ornamentis ordinariis ex parte majoris decimæ ſubminiſtratis, decentiora habere velint, hæc proprio ære, non vero ex bonis fabricæ comparabunt: niſi tamen fabrica, ſeu luminare redditibus abundet, pecuniamvè habeat otioſam; ita quod absque præjudicio, de oneribus ipſi fabricæ incumbentibus idonee, & commode arbitrio Domini Paſtoris (nec aliter) proviſum eſſe poſſit.

Ad Chorum vero inſtaurandum vel reſtaurandum, iis in locis, quibus Paſtores, loco portionis congruæ, majorum decimarum ſuæ Parochiæ tertiam partem poſſident, ipſos Paſtores, in aliis vero minorem decimam, ejusve poſſeſſores obligari declaramus.

Et ſi Paſtores in ſuis Parochiis ultra tertiam majoris decimæ partem, ulteriores poſſideant, tenentur pro quantitate, quam ultra tertiam prætactam poſſidere dignoſcuntur, cum cæteris Decimatoribus in reparationes & neceſſariorum præſtationem, ad ratam concurrere, privilegiis ſemper & pactis notoriis in contrarium ſalvis.

Paſtore autem ratione tertiæ partis groſſæ decimæ, quam poſſidet (aliasve quando tenebitur) Chorum Eccleſiæ ſuæ, ædesve ſuas Paſtorales reparante, debent, & debebunt Parochiani, ligna, & lapides, & alia materialia ad ædificationem, reparationemve requiſita (cum oportunitate tamen eorundem) vehere, mediante potu vectoribus ſobrie per Paſtorem, pro ſua qualitate miniſtrando.

Porro defectibus, quorum reparatio majori decimæ incumbit, & de quibus per viſitationem, aliasve ſummarie conſtiterit, Decimatoribus ipſis, ſeu decimæ Poſſeſſoribus intimatis, & ad reparationem, ſuppletionemve gratioſe requiſitis, nec parentibus; mandamus ex tunc Officiatis noſtris, ut juxta Diœceſana Synodalia Statuta, ad arreſtrum & imbannitionem decimarum procedant, nec recedant ab arreſto (oblata licet per Decimatores cautione de parendo judicato) niſi defectibus imprimis recognitis, iisque ad noſtrum, ſeu Officialis noſtri Decretum reſtaurari oblatis: quibus proinde per Decimatores negatis, ad ſententiam nihilominus proviſionalem de reparando ſufficient viſitationes, & ſummariæ inquiſitiones, nec non probationes, quæ a novo incontinenti (arreſto interim manente) fient, & compertis defectibus, eorundem adſtatim ex arreſtatis proviſionalis reparatio decernatur, & plenarie executioni demandetur.

Eccleſiarum vero fabricas, declaramus obligari ad exhibitionem Ciborii Venerabilis Sacramenti, una cum decente pyxide, in qua reponatur, & ad Tabernaculum, ejusdem depoſitioni, exhibitioni, & conſervationi cum debita clauſura, opportunum, ad vaſa ſacri

Chrismatis, five Olei facri, & Unctionis Extremæ cum honefto Sacrario, quo ad infirmos deferatur, & ad lucernam, quæ huic deportationi fubferviat, ad librum Baptismalem, & infirmorum ordinarium, ad facrum Fontem cum decente coopertura, & firma claufura, ad vafa aquæ benedictæ fixæ, & portatile cum afperforio, ad nolam, ad fedem in choro pro Sacerdote facrum Miffæ Officium in fummo altari celebrante, ad honorabilem imaginem Ecclefiæ Patroni, ad tapetum Cruce fignatum, quo imago Crucifixi quadragefimali tempore veletur; nec non ad tapetum funerale; ad præftationem aliorum cereorum ultra duos, ad quos tenetur major decima, extraordinariis fcilicet Miffis in fummo altari pro cujusque devotione celebrandis paratos, ad vexillum proceffionale, ad lampadem cum oleo ante Auguftiffimum Sacramentum, quam volumus & mandamus deinceps in fingulis Parochiis, diu, noctuque continuo lumine fplendere.

Quod fi fabricæ proventus præmiffis non fufficiant, ad defectuum fupplementum tenentur Parochiani.

Beneficiatos teneri declaramus ad totalem reparationem fuorum Altarium, nec non omnium & fingulorum ad Miffæ celebrationem requifitorum præftationem; item ad decentem imaginem Divi Patroni ipfius altaris: monentes ferio Beneficiatos omnes, ut defectus in præmiffis quantocius fuppleant per arreftum alioquin fimiliter fructuum, & aliter (juftitia mediante) compellendi.

Aftructas Parochialibus Ecclefiis Capellas, ceffantibus in contrarium particularibus notoriis confuetudinibus, conftitutionibus, aut pactis, reftaurare tenentur Fundatores earundem, eorumve hæredes, tum vel maxime hujusmodi Capellis utentes; qui, fi noti non fint, altarium Rectores obligari declaramus. Si tamen altaris proventus exigui funt; utpote qui fex modios annuos ultra onera debita non excedant, Parochianorum auxilium poteft Rector invocare.

Si vero Capellæ fint extra Ecclefiam Parochialem, feu continentia ejusdem (quales multis in locis ad ufum commodiorem Parochianorum extare comperiuntur) nec fint Fundatores cogniti, incolas (fi quos habet) ad reparationem teneri declaramus: falvo, quod fi Capella amplos, & fufficientes habeat proventus, utpote ultra onera confueta duodecim modios annuos, Rector de tecto & feneftra orientali providere tenetur.

Interveniente tamen in præmiffis, Noftro, feu Officialis noftri debite informati arbitrio, omni femper meliore modo pro rerum comperiendarum occurrentia, fervata Sacri Concilii Tridentini forma, intereffe habentium indemnitati provifuri.

Denique, Incolas, Parochianos, feu loci cujuslibet Communitatem, ultra onera præfcripta obligari declaramus ad cancellos chorum a nave feparantes, eorumque debitam claufuram, ad reftaurationem appendicum feu laterum navis, fi quæ fint, vel deinceps habuerint, ad fecundam campanam cum omnibus ad illius pulfus neceffariis, ad veftibulum Ecclefiæ inftaurandum, vel reftaurandum, ad cœmiterium muris cingendum, illiusque confervationem, & claufuras.

Tenetur etiam Communitas fuo Paftori ad procurationem & affignationem fundi feu hæreditatis dotalis juxta Ecclefiam Parochialem, aut faltem intra villam, eamque liberam, ac in eadem inftruere domum honeftam & commodam, cum coquina, cubiculis faltem duobus, granario, penario, cæterisque hac in parte pro qualitate Paftoratus, & proventuum ejusdem arbitrio noftro neceffariis.

Statuimus autem & ordinamus, quod fi ædes hujusmodi Paftorales defuncti Paftoris negligentia deftructæ, feu labefactatæ comperiantur, hoc totum expenfis hæredum & hæreditatis reftitui debere; ita tamen, quod infra annum ab obitu Paftoris per Juftitiarios loci (quos ad hoc tenore præfentium deputamus) fiat domus vifitatio, quando videlicet prævia Reverendiffimi Epifcopi licentia Paftor fuerit teftatus: Quod fi inteftatus deceflerit, fiet vifita-

visitatio mox a sepultura defuncti, vel saltem antequam ipsius bona per Officiatos ejusdem Reverendissimi præhendantur. Alioquin Parochiani in querela non audiantur.

Qui quidem Parochiani poterunt toties, quoties ex evidente aliqua justa causa, necessarium erit, domum Pastoralem (suis tamen impensis) visitare, procurareve, ut domus per Justitiarios, adhibitis etiam expertis, visitetur, ut exinde comperti defectus, authoritate nostra reparentur.

Quoties autem nulla Pastoris culpa, sed aliena, casuve fortuito, aut militari, hostilive insolentia domum sic destrui, aut labefactari contigerit, declaramus Parochianos ad reparationem, saltem provisionaliter teneri, salvo sibi semper contra noxios, & eos, qui damno causam dederint, regressu.

Et quoniam circa nominationes Mamburnorum Ecclesiæ & pauperum, & bonorum eorundem administrationem, nec non rationum de his redditionem, multi plerisque in locis irrepserunt abusus: Hinc est, quod iis tollendis, declaramus imprimis, præcipuam prætactarum functionum curam (uti debite administrentur) Parochis similiter incumbere, & nominationem prætactorum Mamburnorum, præcipue ad eosdem (Superiorum authoritate salva) spectare; nisi ex contraria legitime præscripta consuetudine, aut in largitionum fundatione secus fuisse constitutum, appareat evidenter: quibus rursum casibus, nihilominus Pastores nominationi, seu electioni nedum interesse, sed & ut rite singula procedant, advigilare volumus; tum vel maxime, ut administrationes prætactæ nonnisi viris providis, idoneis, & boni testimonii, ac sub ipsa Parochia dumtaxat residentibus, & literarum (quantum fieri poterit) non ignaris committantur, qui sciant, velint, & valeant Ecclesias, & pauperes, bona & jura eorundem utiliter regere, & fideliter dispensare, deperdita & indebite alienata recuperare, & quos in alios usus bona prædicta conversuros præsumptio verisimilis non existat.

Qua in re, ut major cautio adhibeatur, fient deinceps ejusmodi Mamburnorum nominationes seu electiones, populo imprimis Dominico vel Festivo die immediate diem electionis præcedente, inter Missarum solemnia præcertiorato, & in termino per campanæ pulsum specialiter convocato, ut is interim dispiciat cum Pastore, de magis idoneis eligendis, & ab electis cum Justitiariis loci recipiat juramentum, tam de bonis fideliter & diligenter sub obligatione suorum bonorum quorumcumque administrandis, & perditis pro posse recuperandis, quam & quotannis coram Communitate ipsa, & Nobis, seu Officiatis nostris (quoties ad hoc fuerint interpellati) rationibus, & reliqua respective, reddendis.

Qui quidem sic per Pastorem, eosve, ad quos spectabit (Pastore electionem approbante) nominati, aut etiam per Nos (in discordia Pastoris cum ipsa Communitate) assumpti, onus recusare non poterunt; sed adstatim, vel saltem infra quindenam acceptare & subire, aut Nobis excusationis causas infra eundem terminum approbandas, vel improbandas, infra octiduum ab electione, seu nominatione exponere tenebuntur: pœnam alioquin sex florenorum aureorum in usus membri, ad cujus administrationem fuerint assumpti, applicandorum, omnisque damni & interesse periculum incursuri, & nihilominus ad muneris subitionem (si sic videbitur) ulterius compellendi.

Ideoque si inter Pastorem & Communitatem, aliasve quomodolibet, in denominatione Mamburnorum, aut etiam redditione computuum eorumdem, aliqua emerserit difficultas, super qua partes contendentes convenire non poterunt, volumus per Pastores infra terminum sex dierum ab ipsa nominatione, seu computuum redditione (sub pœna alioquin gravi arbitraria) Nobis, aut Officiali nostro scripto difficultatis seriem exponi; quo sic exorturis, verisimiliter piorum membrorum dispendiis, & aliis incommodis occurratur, & quod ratio postularit, opportune decernatur.

Eritque hoc munus dumtaxat biennale.

ennale, plane ut hoc termino elapſo, nemo invitus continuo illud ſubire cogatur; ſed deficientibus aliis qualificatis Parochianis, ſubſequente biennio ſuccedet Paſtor, qui coram Nobis, aut Officiali noſtro, ad dicta munia imprimis authorandus, literas noſtras admiſſoriales obtenturus comparere, & debitam cautionem præſtare tenebitur.

Fietque cautionis per Mamburnos (uti præfertur) præſtandæ authenticum inſtrumentum, quod in capite rationum per eos reddendarum priore adminiſtrationis anno regiſtrari volumus, Originali penes Nos, aut loci Juſtitiarios (qui obligationem recipient) remanente.

Mamburnos porro (debitis oneribus ſalvis) quidquam elargiri aut diſtribuere, citra expreſſum Paſtoris conſenſum, nolumus: ideoque hoc ipſum in redditione rationum exprimere tenebuntur, hoc vel ſimili modo: *Item expoſui* (vel) *item curavi de conſenſu Domini Paſtoris* &c.

Unde inhibemus omnibus piorum ejusmodi membrorum debitoribus, ne ipſi per ſe, pro ſua voluntate, ea, ad quæ tenentur, pendant, aut diſtribuant; ſed deputatis deinceps dumtaxat Mamburnis debitum omnino ſolvant, ſi ſecus faxint, ratum non habeatur.

Advertant porro diligenter Paſtores, ut in diſtribuendis bonis pauperum, fideles reperiantur, ne uni plus nimio tribuant, & alterum defraudent, ſed prout cujusque popoſcerit neceſſitas, omni pravo depoſito affectu juxta facultates ipſius membri procedat diſtributio.

Injungimus adhæc dictis Mamburnis Eccleſiæ, & pauperum, ut bonorum omnium ſuarum ejusmodi adminiſtrationum (earundem, aut aliorum, quorum fuerit expenſis) legitima procurent ante inſtans trimeſtre relivia ſeu recognitiones cum earundem limitibus, & jungentiis annotatione: mandantes omnibus Paſtoribus, ut quid hac in parte Mamburni præſtiterint, Nobis infra quartum menſem ſubſequentem fideliter, ſub pœna trium florenorum Brab. reſcribant, & ita de decenio in decenium obſervari faciant.

Computus, & rationes eorundem, palam deinceps & publice coram Paſtore, & Communitate, per campanæ pulſum ad hoc ſpecialiter convocata, quotannis reddantur.

Qui ſi juſti, & legales comperti fuerint, non in corrupto folio, ſed in regiſtro authentico debite conſcripti per Paſtorem, aut Notarium ſubſignentur, & penes eundem Paſtorem, aut in Archivis publicis conſerventur, reſervata Mamburnis eorundem copia ſumptibus ipſorum reſpective membrorum conficienda, & ſimiliter ſubſignanda.

Habeant etiam dicti Mamburni aliud regiſtrum authenticum, in quo omnium & ſingulorum bonorum, redituum & proventuum annua & ordinata fiat deſcriptio, cum pertinenti hypothecarum, & jungentiarum deſignatione, poſſeſſorum earundem nominatione, & ſolutionum, ſeu reſtantiarum marginali annotatione tali: *ſolvit*, vel *reſtat*; finita Mamburnorum adminiſtratione, ſimiliter penes Paſtorem, aut in Archiviis conſervandum.

Comeſſationes & compotationes, in redditionibus dictorum computuum pleriſque in locis ſumptibus Eccleſiæ, aut pauperum fieri conſuetas, diſtrictius interdicimus; propoſita in contraventores ſingulos dupli totius, quod ſic conſumptum fuerit, pœna, per Fiſcum irremiſſibiliter exigenda.

Inſuper curent diligenter Paſtores, & Mamburni prælibati, ut regiſtra, documenta, munimenta, chartæ & notulæ ſuarum adminiſtrationum bene conſerventur, ne vetuſtate, locive, in quo aſſervari conſueverint, incommoditate, aut aliter corrumpantur, aut depereant, ſed deperdita omni diligentia requirant, & corrupta faciant authoritate noſtra per Notarium noſtrum qantocius fideliter extrahi, cum authographo in archiviis reponenda, & vetuſtate vel aliter conſumpta regiſtra, curent caute a novo compingi, & ſecure omnia collocari; alioquin Nos contra defectuoſos in viſitationibus, & alias, pro demeritis animadvertemus.

Quia vero nedum fabricarum & pauperum in Parochialibus Eccleſiis, ſed

ſed & aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum, & piorum locorum bona & proventus, in Archi-Diaconatu noſtro, regiſtrorum & munimentorum defectu, hactenus temporum calamitate, aut aliter perierunt, & in dies veriſimiliter pereunt; quibus incommodis pridem Sanctiſſ. D. N. Papa GREGORIUS XIV. & de Mandato ejusdem, Reverendiſſ. & Sereniſſ. q. Epiſcopus & bon. mem. Princeps noſter ERNESTUS, voluerunt & mandarunt per Superiores, & nominatim Archi-Diaconos, remediis debitis provideri, in expeditis deſuper ejusdem Sanctiſſ. D. N. Brevi Apoſtolico, nec non dicti Reverendiſſ. q. Epiſcopi & Principis conformibus Literis, & Mandato latius reſpective comprehenſis; ad quorum omnium executionem ingraveſcentibus abinde bellis, & tumultibus, aliisque ſupervenientibus impedimentis, uti debuimus, & optavimus, procedere nequivimus: Hinc (quod jam factum pridem oportuit) ad dictarum literarum Apoſtolicarum executionem (quantum Deo dante poterimus) Nos accingentes, omnia, & ſingula dictarum Literarum & Mandatorum textu comprehenſa, renovamus, publicamus, & repetimus ſub infra ſcripto tenore:

ERNESTUS, &c.

NOtum ſit omnibus & ſingulis præſentes noſtras literas viſuris, & lecturis, quod præſentatis Nobis nuper Sanctiſſimi Domini N. Papæ GREGORII XIV. Literis in forma Brevis, ſub annulo Piſcatoris expeditis, quas cum ea, qua decuit, reverentia recepimus, & legimus hujusmodi ſub tenore, videlicet:

VENERABILIS FRATER, SALUTEM & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut nuper ad aures noſtras pervenit, compertum fuerit, fructus, reditus & proventus Beneficiorum Eccleſiaſticorum, & piorum locorum Civitatis & Diœceſis Leodienſis, propter defectum regiſtrorum & publicorum documentorum, quia partim propter bella evaneſcunt, partim propter negligentiam Rectorum non conſervantur, nec reſtaurantur, deperdi, & perire, & licet ſæpius provideri tentatum ſit, ut Rectores, & Beneficiati, ſua exhiberent regiſtra: Nihilominus propter varia impedimenta, nihil hactenus fuerit ſequutum: Nos præmiſſis incommodis de opportuno remedio providere cupientes, Fraternitati tuæ per præſentes injungimus, & mandamus, quatenus omnes & ſingulos Rectores, & Beneficiatos quorumcunque Beneficiorum & locorum piorum Civitatis & Diœceſis Leodienſis, cujuscunque illi fuerint dignitatis, ſtatus, gradus & conditionis, ordinis, exhibenda in Curia tua Epiſcopali, vel alio loco Tibi bene viſo, intra certum tempus eis per Te arbitrio tuo præfigendum regiſtra ſua autboritate noſtra cogas, & compellas, nec non alia, quæ ad conſervationem bonorum Eccleſiaſticorum neceſſaria, & opportuna eſſe judicaveris, facias, & exequaris. Nos enim Tibi adverſus quoscumque renitentes, contradictores & contumaces, primo per pœnas & mulctas pecuniarias, deinde per ſubtractionem fructuum unius anni, demum uſque ad Beneficiorum privationem procedendi, appellatione poſtpoſita, plenam, liberam, & omnimodam facultatem & poteſtatem concedimus: Non obſtantibus quibusvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus & ſtatutis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, exemptionibus quibuscumque, etiam Clero ſecundario, & quibusvis aliis, nec non privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis, ſub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clauſulis & decretis in genere vel ſpecie, etiam alias in contrarium quibuslibet conceſſis, approbatis, & innovatis: Quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes (illis alias in robore permanſuris) hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die vigeſima octava Aprilis, Milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo, Pontificatus noſtri anno primo.

M. Veſtrius Barbianus.

Hæc erat inſcriptio:

Venerabili Fratri Epiſcopo Leodienſi.

Impreſſio ſupra plicam a tergo earundem: *Annuli Piſcatoris.*

Ut autem præſentium rerum ſtatus, quo calamitatibus diuturni belli noſtra Leodienſis Diœceſis, ac Patria, ac etiam tota ditio Belgica, graviter attrita, & afflicta dignoſcitur, admo-

admodum expostulat easdem Sanctissimi D. N. Papæ præinsertas literas debitæ executioni ad Ecclesiæ utilitatem, Divinique cultus in eadem conservationem demandari; & cum variis ac multiplicibus gubernandis Provinciis nostræ curæ, & solicitudini a Deo commissis distrahamur, usque adeo quod rei tam necessariæ & utili intendere, & ad supratactarum literarum executionem (quod dolenter dicimus) commode procedere non valeamus: hinc est, quod vobis Reverendis, Venerabilibus, & Eximiis Nobis sincere dilectis Dominis, Præposito, Decano, ac septem Ecclesiæ nostræ Cathedralis Leodiensis Archi-Diaconis, Confratribus nostris, nec non omnibus, & singulis Præpositis, Abbatibus, Decanis, Capitulis, Collegiis, Conventibus, Commendatoribus quorumcumque Ordinum, & Militarium, cæterisque omnibus, & singulis utriusque sexus Collatoribus in vel extra dignitatem constitutis, Communitatibus, Congregationibus, Administratoribus tam laicis, quam Ecclesiasticis, quocumque titulo, vel nomine, collationes, vel nominationes Beneficiorum, etiam de Jure Patronatus laicalis, tam conjunctim, & vestrum singulis, nec non Officiali nostro Leodiensi in casu infra limitato, hanc curam demandavimus, & demandamus, vos, & vestrum quemlibet, ac etiam Officialem nostrum prædictum tam conjunctim, quam divisim ad executionem dictarum perinsertarum Literarum Apostolicarum subdelegavimus, & subdelegamus, vicesque nostras in eo commisimus: & committimus per præsentes, cum ea exhortatione, ut vestrum singuli jurisdictionem habentes, & non habentes authoritate Officialis nostri prædicti, infra limites suarum quisque jurisdictionum, sub quibus Beneficia, & Officia Ecclesiastica, vel alia pia loca sita sunt, per Vos, vel alios Magistratus inferiores Vobis, & singulis vestrum subditos Rectores, Administratores, & Officiatos omnes & singulos Civitatis, Patriæ, & Diœcesis nostræ Leodiensis, cujuscunque illi fuerint dignitatis, status, gradus, & conditionis, authoritate nostra, imo verius Apostolica compellatis ad exhibenda locis opportunis, ubi singulis vestrum videbitur infra certum terminum arbitrio vestro limitandum, registra sua, ac alia, quæ ad conservationem bonorum Ecclesiasticorum necessaria, & opportuna esse judicabitis cum vera & authentica copia, sub expurgationis juramento, & sub pœna duodecim florenorum Brab. pro prima vice, ac alias successive gravioribus in supradictis Literis Apostolicis comminatis, arbitrio singulorum vestrum juxta rebellium contumaciam moderandis, & in pios usus applicandis. Et insuper vobis omnibus, & singulis authoritate Apostolica prædicta Nobis in hac parte commissa mandamus, ut in præmissis seriam vestram operam impendatis, quo ex hac prima omnium & singulorum vestrum opera libri stipales, qui contineant designationem omnium & singulorum bonorum, & proventuum cum eorum hypothecis, releviis, & recognitionibus quorumcumque Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, ac piorum locorum, per singula Concilia ruralia, & per singula alia loca, exempta, & non exempta, in authentica & probante forma fieri, atque confici possint; idque singulorum Beneficiatorum, Officiatorum, & piorum locorum Administratorum sumptu, & impensa, quos in Archivis vestris, vel aliis locis tutioribus conservandos reponi, asservarique curabitis. Ad quos libros occurrente defectu registrorum particularium, recursus, eisque tam extra, quam in judicio fides habebitur. Super quibus omnibus & singulis, per vos, & vestrum quemlibet in, & circa præmissa gestis, rationes suo tempore sumus exacturi. Quo etiam Nos vicissim Sanctissimo D. N. Papæ de hac cura Nobis demandata respondere, vestramque hac in re præstitam operam commendare possimus. Datum Leodii sub sigillo nostro ad causas, & signatura Notarii sigilli majoris Curiæ nostræ Leodiensis, anno a Nativitate Domini Millesimo, quingentesimo, nonagesimo primo, die secundo mensis Octobris.

Ne igitur in præmissis muneri nostro defuisse arguamur, omnibus & singulis Pastoribus, Vice-Pastoribus, Vicariis, Beneficiatis, Matriculariis, Mamburnis, Hospitalariis, & quovis nomine censeantur Officiatis Ecclesiasticis, & piorum locorum Administratoribus, Beneficia, vel Officia Ecclesiastica, in, & sub Archi-Diaconatu nostro possidentibus, Officiantibus, Administrantibusve Nobis subditis, authoritate Apostolica, qua fungimur hac in parte, præscriptorum Mandatorum vigore, aliasque omnimoda jurisdictione Nobis competente, & quomodolibet attributa, in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus omnes & singuli prædicti, infra proximum quadrimestre a publicatione hujus nostri Decreti seu Mandati

dati in Conciliis ruralibus, quibus dicta Beneficia, & Officia subesse, vel sub quorum districtu consistere dignoscuntur, sub pœna duodecim floren. Brab. ipso facto in pios usus applicandorum, pro prima vice incurrenda, exhibeant, & quilibet eorum exhibeat, ad manus fidelis Notarii & Sententiarii nostri *Franconis Bommerschom* (cui omnimodam extractionem, & Registrorum stipalium confectionem committimus) omnia & singula registra, munimenta, documenta, relivia, & recognitiones cum designatione hypothecarum, limitum, & jungentiarum, ac denominatione possessorum earundem; dimittendo ad manus ejusdem Notarii, & Commissarii nostri veram, & authenticam sic exhibitorum copiam sub expurgationis juramento, quod præter sic exhibita aliud non habeant, aut habentem sciant, dolove habere desierint; quodque nihil ulterius vel amplius declarandum habeant, quod ad conservationem jurium & bonorum, beneficiorum, administrationum, & officiorum suorum, aut deperditorum recuperationem cedere possit, & valeat.

Quo quidem primo termino elapso per arrestum fructuum, & alias omni expeditiore modo ad executionem pœna prætactæ, & deinde ulterius crescente contumacia, gradatim ad alias graviores in dictis mandatis comminatas, irremissibiliter exigendas, & executioni demandandas, de quadrimestri in quadrimestre respective procedemus, & procedi faciemus incunctanter.

Adhæc, aliis difficultatibus tum vel maxime quoad exorbitantes jurium quorumcumque exactiones, modum, & multis multorum hac in parte querelis remedium adhibere satagentes, ad inducendam in his æquitatem, ne Ecclesiarum Rectores, & Officiati, debitis, & condignis juribus defraudentur, aut in his subditi prægraventur, statuimus imprimis, ut antiquam laudabilem insequendo consuetudinem, Pastores a qualibet familia suæ Parochiæ singulis tribus anni Festivitatibus majoribus, videlicet: Nativitatis Domini, Paschæ, & Pentecostes, pro debita recognitione, loco quadrantis, seu orchini debiti, seu solvi consueti, percipiant deinceps, propter diminutum in quadruplum, & amplius verum, & intrinsecum pecuniæ valorem, unum stupherum Brab. constituentes quotannis tres consimiles currentis monetæ, seu medium Regalem.

Quod si amplius, insuperve aliud quippiam, utpote panes, ova, vel aliquid simile pendi solitum sit, servabitur nihilominus iis in locis consuetudo.

Pro celebratione Sponsalitiorum, habebit Pastor duos Regales, Matricularius unum, si a contrahentibus adfuerit vocatus.

Pro unaquaque proclamatione, seu banno, Matrimoniali realiter proclamato, assignamus Pastori proclamanti unum Regalem.

Et pro juribus Matrimonialibus quartam partem Coronati aurei, & unum par chirotecarum, hoc sensu videlicet, ut si ambo contrahentes sint unius, ejusdemque Parochiæ, percipiat Pastor medium Coronatum, si duarum, singuli Pastores singulos habeant quadrantes cum pari chirotecarum, Matricularii vero medietatem, scilicet octavam partem unius Coronati.

Quod si non coram proprio alterutrius contrahentium Pastore, puta in vim rubri sigilli, coram tertio (propriis Pastoribus posthabitis) Matrimonium solemnisari (uti alias frequenter vidimus) contigerit; eo casu, dictis Pastoribus jura duplicia (justæ recognitionis loco) assignamus; ut si ejusdem sint Parochiæ contrahentes, habeat Pastor unum aureum Coronatum, si diversarum, quilibet medium Coronatum, aut verum valorem, cum pari chirothecarum, Matricularii tertiam partem.

Pro administratione Sacramentorum Baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis, quippiam exigi vetamus, sed hoc totum discretioni, & beneplacito eorum, quibus ejusmodi Sacramenta administrantur, aut Parentum, aut propinquorum eorundem respective relinquimus: salva quod ubi consueverunt Susceptores, seu

ſeu Patrini certa jura ſolvere, ſervetur conſuetudo; alioquin itidem ex eorum libero dependeat arbitrio.

Pro regiſtratione vero Matrimoniorum, Baptiſatorum, & Confirmatorum, & earum qualibet, habeant Paſtores medium Regalem.

Pro purificatione Puerperarum, tantundem, Matricularii medietatem.

Pro Sepultura, Exequiis, Tricenario, & Commemoratione, quæ Dominicis aliquot, & Feſtivis diebus, toto pendente ab obitu defuncti quadraginta dierum ſpatio ad tumbam, ſeu ſepulturæ locum haberi ſolet, habebit Paſtor unum Philippi Dalerum, Matricularius medietatem: Tricenarium autem vocamus Miſſam pro defunctis, cum aliqua parte Officii defunctorum, poſtridie exequiarum celebrari, & haberi ſolitam.

Et pro tertia Miſſa de defunctis cum ſimili parte aliqua Officii defunctorum (vulgo Quadrageſimum vocant, tertii ſiquidem vel quadrageſimo die ab obitu defuncti celebrari conſuetum) habebit Paſtor duos Regales, Matricularius medietatem.

Percipient etiam tantundem pro Anniverſario, quod eſt ſimile Officium pro defunctis, quod anno ab obitu revoluto celebratur.

Pro ſepultura infantum, & puerorum, qui ad annos diſcretionis non pervenerunt, & officio tunc impendi ſolito, ſimile erit honorarium.

Cereos duos, aut quatuor (pro ratione facultatum defuncti) in funeris proceſſu deferri ſolitos, fabricæ Eccleſiæ cedere volumus: ſi vero (pro ditioribus forte aut honoratioribus) plures candelæ adhibebuntur, dictis quatuor fabriæ cum una teda (ſi etiam tedæ adfuerint) ceſſuris; quod reliquum fuerit, ſibi hæredes, vel ad quos ſpectabit, recipient.

In locis tamen, quibus Paſtores cum fabrica concurrere in præmiſſis conſueverunt, ſervabitur conſuetudo.

Quod ſi Parochianum quempiam alibi, quam in propria Parochiali ſepulturam eligere, ſeu etiam propinquorum voluntate ſepelire contigerit, volumus Eccleſiæ, Paſtori, & Matriculario jura manere ſalva.

Sepulturas Laicorum in choro, aliter, quam prævia noſtra licentia, (Nobilium tamen, & aliorum, qui ab antiquo notorie illas habere dignoſcuntur, exceptis) penitus interdicimus.

In Eccleſia, & Capellis fient de conſenſu Paſtoris, & erunt hoc caſu jura fabricæ (ultra præſcripta) tres Philippi Daleri.

Ab his excipimus ipſarum Capellarum Fundatores, & alios, qui proprias in Parochialibus, & avitas habent ſepulturas, aſſignato eapropter in uſum Eccleſiæ ſeu fabricæ aliquo reditu, noſtro, aut etiam Paſtorum arbitrio competente, ſed quoad hos ſervabitur Eccleſiarum conſuetudo.

Monemus porro Paſtores omnes, ut in exactione jurium modeſte & diſcrete ſeſe habeant, & ne tenuioris fortunæ ſubditos, plus æquo gravent, à pauperibus autem quidquam exigi prohibemus: an vero pauperes fuerint, nec ne, ad evitandas controverſias, conſcientiæ Paſtorum & Mamburnorum (noſtro ſemper moderamine ſalvo) relinquimus, quorum etiam voluntati, & determinationi acquieſcere tenebuntur.

Jura etiam Decanalia ſubinſerta volumus illæſa permanere: mandantes ſerio Paſtoribus, & aliis Sacerdotibus, ne falcem in meſſem mittant alienam; ſed ſuis contenti, ab officiis, & juribus prætactis (ſub pœnis arbitrariis) penitus abſtineant; ſubditis vero, ut ejusmodi jura ſine contradictione præſtent, & perſolvant.

Imprimis igitur declaramus, ad Decanos ſpectare celebrationem omnium Exequiarum, & ſingulorum ſuorum defunctorum Paſtorum, Vice-Paſtorum, & Sacerdotum, ſub ſuis reſpective diſtrictibus, & Conciliis degentium, Nobilium etiam, & aliorum, in quorum exequiis, armorum faſtus adhibetur; & leproſorum: ita plane, ut debeant imprimis opportune certiorari, vocari, & requiri, quam alius quiſpiam (illis invitis) ſeſe dictis officiis ingerat.

Jura vero funeralia prætactorum Paſto-

Paſtorum, Vice-Paſtorum, & Sacerdotum, declaramus eſſe duos florenos aureos cum ſuperpelliceo, Breviario, & Miſſæ funeralis oblatione, ſeu offertorio: Nobilium autem, florenos totidem aureos, cum oblatione, & una ex candelis majoribus, aut teda una: leproſorum denique duos florenos conſimiles.

Et horum quidem leproſorum expoſitionem etiam ad Decanos ſpectare declaramus, pro qua debetur eis a loci communitate unus florenus aureus.

Morte vero eorundem, domunculam, cum bonis illorum mobilibus, etiam ad Decanos devolvi declaramus: illam tamen ob contagionis periculum demoliri, & mobilia inficientia comburere tenentur.

Ad Decanos etiam ſpectat campanarum benedictio, pro quo honorantur uno floreno aureo.

Et ſi vel omnes Decani, vel eorum aliqui legitime præſcripta conſuetudine, optimum, vel ſecundum mobile defunctorum Paſtorum, & Sacerdotum ſuorum reſpective Conciliorum ſive vendicare conſueverunt, ſervabitur conſuetudo.

Pro juribus deſervituræ unius Miſſæ ſeptimanalis percipiet deſervitor annuatim quinque Philippi Daleros, ex quibus tamen vinum, hoſtias, & cereos ſubminiſtrare tenebitur.

Matriculario vero inſervienti aſſignamus pro Miſſa ſeptimanali medium Philippi Dalerum.

Et ſic in præmiſſis ad ratam proportionalis erit jurium aſſignatio.

Obſonia porro Cathedratica, & placetorum abſentiæ jura, ſtatis temporibus, ſub pœnis juris & ſtatutariis ab omnibus perſolvantur.

His ita conſtitutis & declaratis patet, quod licet in præmiſſis diverſa ſint diverſorum munia, & onera, ſpecialem tamen, & præcipuam omnium curam ad Paſtores pertinere; utpote qui non ſolum circa cultum Divinum, & plebis ſibi commiſſæ cuſtodiam, & paſtum, ſed etiam temporalium bonorum Eccleſiæ, fabricæ & luminaris, nec non pauperum, & piorum membrorum conſervationem, externam etiam munditiem Eccleſiæ, altarium, ornamentorum, & vaſorum, miniſtrandis & conſervandis Sacramentis, & rebus ſacris neceſſariorum, & circa ipſius Eccleſiæ ſtructuram, ut nullus in ea ſit defectus, ſic advigilare debent, domique & foris, ſe ſuaque ita componere, ut commiſſus ſibi populus ab iis diligentiæ, pietatis, frugalitatis, munditiei, honeſtatis, gravitatis, cultusque & reverentiæ, quæ Deo & rebus ſacris debetur, exempla petere poſſint.

Caveant igitur diligenter, ne qui exemplo eſſe debent ſubditis, fiant ſcandalo; cum vero abſtineant vel maxime a frequentationibus tabernarum, quibus Sacerdotalis ſtatus in notorium contemptum adducitur; alioquin ſæpius alias in Concilium comminatam unius floreni aurei, toties, quoties ſine cauſa legitima Domino Decano opportune declaranda in his compotarint, & alias graviores pœnas incurſuri.

Concubinas, aut ſuſpectas de incontinentia mulieres, ſi qui penes ſe domi, vel alibi habeant, quantocius a ſe dimittant, & ab omni colloquio, conſortio, & familiaritate ſuſpectis cum iisdem abſtineant; alioquin tam contra easdem per incarcerationem, & aliter, juſtitia mediante, quam contra concubinarios ipſos, & ad hujusmodi ſuſpectas ventitantes, & cum iis conſuetudinem habentes, juxta Canonicas Sanctiones, & Sacri Tridentini Decreta procedatur.

Et quidem hac in parte, & præmiſſis omnibus, Decanorum officium, & ſedulitatem potiſſimum deſideramus, quos ſuorum Paſtorum & Sacerdotum vitam & mores ita perſpectos habere convenit, ut de his Nobis reſpondere, & fideliter reſcribere valeant.

Ideoque, quo de ſingulis debite informari, & juxta rerum comperiendarum exigentiam decernere poſſimus, ſerio mandamus omnibus Curatis, ut (quomodo Statutis Synodalibus cavetur quotannis oportere) reſcribant ſuis Decanis nomina imprimis, & cognomina Beneficiorum curatorum, & non

non curatorum, ac officiorum Ecclesiasticorum intra Parochias suas consistentium, una cum vero annuo valore Beneficiorum, vel officiorum ejusmodi juxta communem æstimationem, vel prout melius sciverint, ac nominibus, & cognominibus Rectorum eorundem, residentium atque absentium ab eisdem, & deservitorum eorundem, & anne debite iisdem deserviatur, rursum anne circa Ecclesiam & Altaria sit aliquis defectus; Num sub suis Parochiis sint aliquæ notoriæ meretrices, concubinarii, vel adulteri manifesti.

Mandamus denique Decanis, & Pastoribus omnibus, ut Conciliis annuis per Nos celebrandis intersint; pœnam alioquin geminandæ solutionis jurium, & alias statutarias, & arbitrarias incursuri, si causa cessante legitima (quam per Confratrem aliquem viciniorem significare in ipso Concilio tenebuntur) abfuerint, & tam necessarium, & salubre institutum fraudulenter, aut malitiose subterfugerint.

In quorum præmissorum fidem, robur, & testimonium, præsentes nostras manu nostra signatas, sigilli Archi-Diaconatus nostri jussimus impressione communiri. Datum Leodii anno a Nativitate Domini Millesimo, sexcentesimo, duodecimo, Mensis Septembris die decima quinta.

Sic signatum:

ARNOLDUS a BOCHOLTZ, Præpositus & Archi Diaconus.

Publicatæ sunt præinsertæ Ordinationes, & Statuta per me Notarium infrascriptum, in præsentia admodum Reverendi, & Illustris Domini ARNOLDI a BOCHOLTZ, *Præpositi, & Archi Diaconi præfati, Domini mei observantissimi, in Concilio Trudonensi, die vigesima quarta mensis Septembris; in Concilio Hasselensi, vigesima quinta, & Tongrensi, vigesima septima mensis ejusdem, ac denique Trajectensi, prima Octobris anni prætacti, præsentibus Venerabilibus Dominis Decanis dictorum Conciliorum, videlicet Concilii Trudonensis, D.* Friderico Sasseno, *Hasselensis, D.* Henrico Duyskens, *Sacræ Theologiæ Licentiatis, D.* Joanne Thurino, *Tongrensis, & D.* Nicolao Jamart, *Trajectensis, nec non Dominis* Arnoldo Raymundi, *Officiali, & Canonico S. Petri Leodiensis, &* Joanne Belteno, *Canonico Cortesсhemensi, locum tenente Archi Diaconatus ejusdem, Jurium Licentiatis.*

Ita esse testor,

Franco Bomerschom, Sacris, Apostolica & Cæsarea, authoritatibus, nec non Venerabilium Leodiensis, & dicti Archi-Diaconatus Hasbaniæ, respective Curiarum, & quoad publicationem præscriptam Notarius subsignavi.

Vid. Lünig *Spicil. Eccles. Contin. III. a pag.* 1123. *ad pag.* 1136.

Cl. D. de Louvrex Dissertat. Canon. Append. pag. 32. *Typis Guilielmi Barnabé a.* 1729.



SYNO-

SYNODUS *Secunda* DIOECESANA BUSCODUCENSIS

Eodem anno Christi MDCXII.

SUB

Reverendissimo in Christo Patre ac Domino,
D. GISBERTO MASIO, (*)
IV. Episcopo Buscoducensi.

ORATIO

a Reverendissimo Domino EPISCOPO BUSCODUCENSI,
Habita ad Clerum Buscoducensem in Synodo Diœcesana
IX. Octobr. MDCXII.

CAusa convocationis hujus Synodi, Reverendi ac Venerabiles Domini, est Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Tridentinum, (*a*) in quo Spiritus Sanctus præsedit; quod districte mandat omnibus Metropolitanis, ut singulis trienniis Concilia Pro-

(*) Post Clementem Crabelium, sub quo solennis anno 1590. die Januarii 27. facta est Abbatiæ Tongerloensis, ab Episcopatu Buscoducensi separatio, ex aliis bonis, quæ ad octo florenorum millia tum æstimabantur, Episcopatui attributis non ingrata, ad Sedem, duobus abhinc annis suo destitutam Pastore, venit GISBERTUS MASIUS, ortus Bommeliæ, parvo in Betavia Ducatus Geldriensis oppido, Ss. Theologiæ Licentiatus. Annis jam fere septemdecim Plebanum Cathedralis Ecclesiæ ad S. Joannem Evangelistam egerat ante, quam ejusdem Episcopus renunciaretur. Hac dignitate anno 1594. die 7. Martii Bruxellis insignitus, suamque postpaulò deductus in Ecclesiam, nihil, quod ab optimo Præsule desiderare posses, prætermisit. Vir numeris omnibus absolutus & celeberrimi nominis Ecclesiastes audiit. Sermones, quos singulis prope Dominicis, majoribusque per annum celebritatibus frequentem ad populum habebat, singulari condire gratia, ipsi solenne fuit. Quotquot illum accedebant Confirmationis Sacramentum suscepturi, tanto votis eorum satisfaciebat promptius, quanto cognoscebat luculentius, sacro ejusmodi robore inter gravissima temporum illorum pericula opus esse. Pro sua in Deum ejusque Domum religione, pravam illam Cathedrali in Ecclesia sub Officio Divino & alias obambulandi consuetudinem Buscoduci penitus abrogavit, magnam inde laudem promeritus: immortali porro fama nominis dignissimus eò, quod salutem animarum rebus omnibus anteponendam ratus, tres Anno 1607. die 19. Nov. ex authoritate Ss. Conc. Trid. suppresserit Ecclesiæ suæ *Canonicatus*, eorumque reditus bono Parochialium Ecclesiarum Ss. Petri & Pauli Apostolorum, S. Jacobi Apostoli & S. Catharinæ, in Fidei Catholicæ conservationem deinceps impendendos prudentissime decreverit, etsi concesso sibi ab Alberto Archi-Duce, omnes primo decennio *Præbendas* conferendi jure gauderet.

Synodi hujus ab ipso celebratæ Statuta primum edita Coloniæ apud Joannem Kinckium sub Monocerote anno 1613. in 8., recusa curis *Martini Stejartii*, Ss. Theol. Doct., Vicarii Gen. Apost. Sylvæducensis, Lovanii Typis Petri de Vadder anno 1692. Iterum Lovanii apud Ægidium Denique anno 1703.

Transiit Præsul egregius Buscoduci anno 1614. die 11. Julii ad immortalitatem, laborum suorum, quibus frangi pro veri Numinis gloria infracto animo voluit, mercedem consecuturus.

Arnold. Havens. Commentar. de erection. Novor. in Belg. Episcopat. pag. 85.
Joann. Bapt. de Castill. Sac. Belgii Chronolog. P. II. pag. 534.
Joann. Franc. Foppens Biblioth. Belgica Tom. I. pag. 367.

(*a*) Seff. 2. cap. 2. de Reform.

Provincialia: Episcopis autem, ut quotannis Synodos Diœcesanas celebrent, & in iis, quæ ab Oecumenico Concilio Trident. & sacris Canonibus (*b*) ad horum temporum levandas calamitates, sedandas de Religione controversias, coercendas linguas dolosas ac depravatorum morum abusus corrigendos laudabiliter sancita sunt, publicent, repetant, reiterentque: Voluit autem hujusmodi Synodis Diœcesanis omnes personas Ecclesiasticas, etiam exemptas, interesse, ne quisquam, maxime in Clero, horum tam salubrium Statutorum ignorantiam prætendere queat: quo autem sæpius renovantur, ac auribus nostris inculcantur, eo magis culpandi erimus, & gravius offendemus, si vitam & mores nostros ad eorum præscriptum non corrigamus. Scriptum est enim Lucæ 12.: *Servus, qui cognovit voluntatem Domini, & non fecit voluntatem ejus, vapulabit multis.* Quod ne nobis aliquando eveniat, quid facto opus sit, præsenti oratione ostendere decrevi, si primum breviter demonstravero, quam grave nobis judicium immineat, si hujus Synodi & Divinæ visitationis rationem non habuerimus. Equidem nostis, quoties, & quam acriter Dominus reprehendat Judæos, quod cum legem accepissent, Prophetas & Scripturam haberent, ex qua voluntatem Dei cognoscerent; imo ipsum Deum jam hominem factum, atque inter eos conversantem, prædicantem, miracula operantem, eos ad pœnitentiam provocantem, vitamque æternam offerentem, audissent & vidissent, & tamen malitia excœcati noluerint intelligere, ut bene agerent: Quoties etiam illud horrendum, Væ, auribus eorum occlamaverit, dicens: (*c*) *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ* (d) *Væ tibi Corozaim, Væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis, quia Tyro & Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis.* Sed nec hoc ignorare potestis ipsum Dominum, cum appropinquasset & vidisset civitatem (*e*) Hierosolymam, flevisse super illam, eo quod non cognoverit tempus visitationis suæ, & toties provocata pertinaciter Dei misericordiam spreverit. In quam sententiam multa passim in Evangeliis legimus, quibus Dominus rebellem illum & incredulum populum, & omnes obstinatos peccatores severe admonet, & extremum malum comminatur, nisi conversi pœnitentiam egerint. Quæ sane ad doctrinam & correptionem nostram scripta sunt, nimirum ut cogitemus, quid nobis exspectandum erit, si ad Ecclesiæ præcepta, Superiorumque Statuta surdi & obdurati permaneamus, Judæis nihilo meliores, quippe quorum peccata, vel æquamus, vel superamus: cum tamen tanto meliores, & perfectiores illis esse deberemus, quanto majorem & pleniorem de Deo, de Divina voluntate, de Scripturis Sanctis accepimus cognitionem. Neque enim dumtaxat Legem & Prophetas habemus, ut illi: sed potius a servitute legis per Christum liberati, suscepimus suave illud Evangelicæ legis jugum & onus leve, & cum hoc Spiritum Sanctum, qui nobis bene viventibus omnia suggerit, omnia docet, omnia quæ videntur aspera, seu difficilia, mitigat & condulcat, qui consolatur nos in omni afflictione nostra. Taceo hic Apostolos Christi, & Apostolicos viros, tot Sacrosanctæ Ecclesiæ Doctores, qui nos præcesserunt, qui nos verbo pariter & exemplo docuerunt, qui nunc etiam scriptis & libris suis loquuntur: ita ut post tantam illuminationem & cognitionem Dei, post tot præclara Sanctorum Virorum exempla merito deflenda sit hujus nostri sæculi inexcusabilis cœcitas & ingratitudo; præsertim in nobis Sacerdotibus, qui non considerantes Ordinis Sacerdotalis, quem amplexi sumus, dignitatem, tamquam homines sæculares, sæculariter ac fere carnaliter vivimus, nihil amantes, nihil mirantes ac meditantes, nisi terrena, mundana, & caduca, ad omne opus bonum lenti, tepidi, frigidi, ne dicam præfracti. *B. Apostolus Paulus* in Epistol. ad Romanos cap. 1. scribit Gentilium Philosophos damnatos esse, *quod cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se sapientes, stulti facti sunt.* Quod si arguuntur & condemnantur illi, qui post tenuem quandam & modicam admodum de Deo cognitionem, quam cum multo labore per creaturas invenerant, se ad Deum non converterunt, nec illum pro dignitate glorificaverunt, alioqui ethnici ex ethnicis nati, in paganismo educati, qui nec verbum Dei audierant, nec Prophetas viderant, nec legem acceperant, cogitate, cogitate obsecro, Fratres mei, quid tandem de nobis futurum sit? Quæ ratio reddenda? quale judicium exspectandum? qui Christiani ex Christianis parentibus procreati, & in fide Catholica enutriti, ex ore Filii Dei, ac deinde ex eruditione Spiritus Sancti palam ac nude omnium mysteriorum cognovimus veritatem? Adhæc facti Sacerdotes Christi & Ministri Altaris Dei viventis: Cogitate [inquam] quid eventurum sit nobis, si tanta accepta Dei cognitione, eum non sicut Deum glorificaverimus, nec gratias egerimus, sed evanuerimus in cogitationibus

(*b*) Sess. 17. (*c*) Matt. 23. (*d*) Matt. 11. (*e*) Luc. 19.

nibus & ſtudiis noſtris, alii dediti voluptatibus carnis & pompis mundi, alii impliciti negotiis ſæcularibus, alii dediti quotidianis compotationibus & comeſſationibus, alii ludis & jocis intenti, nec non curioſa ſectantes? Nam hæc ſunt ferè ſtudia Sacerdotum præſentis temporis, inter quos (proh dolor) paucos videas ſanctè & ſacerdotaliter vivere: pauciores, qui guſtum habeant ac deſiderium rerum cœleſtium: pauciſſimos, quos delectet ſtudium S. Scripturæ, & meditatio legis Dei, quæ unicum ſolatium & ſingularis Sacerdotum & Eccleſiaſticorum virorum deberet eſſe occupatio.

Et cujus rei gratia ac intentione putatis primum eſſe erecta Capitula, fundata Beneficia Eccleſiaſtica relictos redditus, ac datos proventus, quibus Eccleſiæ Miniſtri ſuſtentarentur? Utique ut expediti rerum temporalium curis, tranquillo, libero, pio, prono libentique animo Deo militarent. Quod Regius ille Vates palam oſtendit, etiam de Sacerdotibus veteris legis loquens: *Dedit* (inquit) *illis Dominus regiones gentium, & labores populorum poſſederunt, ut cuſtodiant juſtificationes ejus, & legem ejus requirant.* Quid, obſecro, ſunt proventus Eccleſiaſticorum Beneficiorum, quid decimæ frumentariæ, & quævis alia emolumenta, quæ percipimus, quam labores populorum? Quam [ut rem ipſam dicam] ſudor & ſanguis pauperum? Nos metimus, quod non laboravimus: illi laboraverunt, & nos in illorum labores introivimus: horum tamen labores Dominus nobis dedit, non ſane ut in otio vivamus, non inde luxuriemur, Veneri ac ventri ſervientes; non in ambulando, ludendo, venando, aucupando, in tabernis deſidendo optimam pretioſiſſimi temporis noſtri partem turpiter conſumamus, non etiam ut avare theſaurizemus, & de Patrimonio Chriſti carnem & ſanguinem ditemus. Ad quid ergo? ut cuſtodiamus juſtificationes Domini, & legem ejus requiramus. Cuſtodiamus, inquam, non negligamus, non diſſipemus, non transgrediamur, non laceremus, ſed cum omni timore, ſolicitudine, ac diligentia præcepta Divinæ legis obſervemus, & in conſpectu Altiſſimi vigiliis, orationibus, Pſalmodiis, Miſſis, ac pœnitentiæ operibus jugiter inſiſtamus, non ſolum ut pro delictis propriis, verum etiam pro fundatorum, amicorum ac benefactorum, populorumque peccatis, quorum laboribus paſcimur, indefeſſe oremus, ac Deo ſatisfaciamus. Æquum enim eſt, imo neceſſarium, ut pro alienis delictis pœnitentiam operemur, qui aliorum peccata comedimus, aliorum culpas bibimus, aliorum defectibus veſtiti, & calceati incedimus. Qui habet aures ad audiendum, audiat. Iterum dico, quia Chriſtus in Evangelio magna voce clamavit: (*f*) *Qui habet aures audiendi, audiat.* Nam quæ dico, non ex cerebro meo effingo, ſed ex Sacra Scriptura ſic me docente loquor. Sic enim Dominus per Prophetam de nobis ait: *Peccata populi mei comedent.* Ozeæ 4. Et ſignanter Regius Vates addit: *Ut legem ejus requirant.* Quo ſignificatur non ſatis eſſe, ut Legem & Scripturam raptim ac tumultuarie ſemel legendo percurramus, quod tamen, heu nimium pauci adhuc faciunt Sacerdotes, ſed inquiramus, *hoc eſt*, ſtudioſe ſolicite, totoque ingenio & viribus eam ſcrutemur, aſſidue legamus, & imbibamus, ut videre & cognoſcere poſſimus, quomodo juxta vocationem noſtram, nos vivere & ambulare deceat, quod ſola nos docet S. Scriptura. Quod ſi qui rudes & parum docti (ut multi ſunt) per imbecillitatem ingenii ad legendum Prophetas, aliasque difficiliores Scripturas minus idonei erunt, faciant illi, quod B. Virginem & Martyrem Cæciliam feciſſe legimus, quæ Evangelium Chriſti ſemper in pectore portabat, & non diebus, neque noctibus a colloquiis Divinis & oratione vacabat. Compenſent, inquam, illi inſcitiam ſuam frequentibus & devotis ad Deum orationibus, compunctionibus, meditationibus, ſimul legant, evolvant, & ediſcant Evangelium Chriſti, a quo nemo Chriſtianus, nedum Sacerdos, qualiscumque ſit, excuſare ſe unquam poterit: nam omnibus citra exceptionem clamat & prædicat Chriſtus: [*g*] *Pœnitemini & credite Evangelio.* Jam quis Evangelio credere poterit, niſi illud ante cognoſcat? Quomodo cognoſcere poterit, niſi didicerit? diſcere autem non poteſt, niſi aſſidue legat, audiat, imo inquirat, *hoc eſt* ut dixi, ſumma diligentia ſcrutetur, meditetur, & ad illud, tanquam ad regulam aliquam, vitam & mores ſuos applicet, & inprimis Domini Canonici, [*h*] de quibus eleganter ſcribit Cardinalis Nicolaus de Cuſa, eos a Canone, hoc eſt, a regula nomen habere: Omnis, inquit, Chriſtianus Evangelica regula dirigitur, ne dominetur concupiſcentia in ipſo, ſed in ſuo Ordine plus Canonici, qui ſe voto particularius ad Canones aſtrinxerunt, & ut Divinis laudibus tantum vacent, Sacrario operari ſtatuerunt, & ideo de illo edunt.

Dicet forte aliquis: literarum ſum ignarus, juvenis aut ſenex ſum, atque aliis occupatus, nec meditationi aſſuetus. Quisquis ſic cogitat, revertatur ad cor, dum tempus habet, & relictis vanis, ſæcularibus & inutilibus occupationibus aſſueſcat melioribus, ut ſalvare poſſit animam ſuam, ne aliquando horribile illud verbum a Domino audiat:

(*f*) Lucæ 8. (*g*) Marci 1. (*h*) Lib. 1. exercit.

audiat: [*i*] *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te a me, ne Sacerdotio fungaris mihi,* ex quo manifeſtum eſt opera Sacerdotis, ſive legat, ſive pſallat, ſive celebret, ingrata eſſe, ac diſplicere Deo, ſi notitiam Scripturarum negligat, nimium mundanis negotiis immerſus. Quam multi ſunt hodie Sacerdotes & Eccleſiaſtici viri, qui mundana ſapientia tumidi, noverunt de quibusvis rebus prophanis ingenioſe & facunde diſſerere, qui interim muti ſunt, cum de Scripturis Sanctis, de Evangelio Chriſti, de præceptis Dei, & iis, quæ ad ſalutem animæ prorſus neceſſaria ſunt, ſermo eſt: imo ſi interdum alios narrantes audiunt, cum tædio & faſtidio audiunt. Nunquid eſt iſta magna cœcitas? c. 2. Malachias Propheta de Sacerdotali Ordine loquens, vult eos labia habere erudita, & ita inſtructa in lege, ut populo laico de Scripturis & Divinis mandatis interroganti apte reſpondere poſſint. Plures certe hoc tempore reperies, qui facilius interrogati, denunciare poterunt, qua taberna melior cereviſia aut præſtantius vinum promatur, aut ubinam lepus aliquis lateat, aut quibus rebus, artibusque aves capiendæ ſint: uſque adeo alieni ſumus atque averſi ab iis, quæ honeſtatem atque profeſſionem noſtram decent. Et hoc eſt, quod idem Propheta eodem capite *Malachiæ* 2. queritur: *Vos* [inquit] *receſſiſtis de via & ſcandalizaſtis plurimos in lege. Propter vos nomen meum blaſphematur inter gentes.* Rom. 2. Quis non videt his corruptis temporibus ob indiſciplinatam, deformem ac perditam multorum Sacerdotum vitam plurimos ſcandalizari, ſeduci ad vitia & hæreſes pertrahi? Quæ cauſa eſt, quod nunc deſpecti ſint Sacerdotes, ac veluti digito demonſtrentur, ac nulla pene illis relicta ſit reverentia, obedientia, authoritas, quos olim omnis populus propter doctrinam & vitæ puritatem reverebatur, admirabatur, laudabat, magnificabat.

Sed dixerit aliquis: quo pertinet iſta ad Sacræ Scripturæ ſtudium, verboſa adhortatio? huc pertinet Auditores: Quia ſi vobis, adjuvante Deo, perſuadere poſſem, ut interdum domi taciti vobiſcum pio, humili, ac devoto animo verba Sacræ Scripturæ legeretis, expenderetis, ac ſcrutaremini, dictu mirum, quantum brevi in via Dei proficeretis; viveretis certe, timorate, caſte, Sacerdotaliter atque exemplariter coram hominibus. In Horis Canonicis, aliisque Precibus legendis & decantandis, non eſſetis tam frigidi, tepidi, diſtracti; nec tam corrupte, neque cum tanto tædio, triſtitia, & feſtinatione ſine fide & reverentia Divinæ Majeſtatis, ſanctam Pſalmodiam, & cantum Eccleſiæ præcipitaretis: ſed potius diſtincte, attente, devote, alacriter & mature Divinum Officium perſolveritis: rurſus ad Altaris tremenda Myſteria, atque ad immolandam, ſumendamque ſalutarem illam ac Sacroſanctam Hoſtiam, non tam diſſoluto & impræparato animo, atque impœnitenti conſcientia, interdum etiam ore heſterna crapula fœtente, ſed reverenter, ſed cum timore, ſed cum ſumma animi & corporis puritate, & firmiſſimo melioris vitæ propoſito accederetis. Deinde poſt jam lectas ac decantatas Horas Canonicas, poſt acceptum in Altari Sacroſanctum Corpus & Sanguinem Domini, non luberet reliqua parte diei otiari, nugari, ludere, in tabernis deſidere, & calicem Chriſti in calicem dœmoniorum commutare: quod fit comeſſando, potando, ſe ingurgitando, intempeſtive ac diſſolute ridendo, ſcurriliter fabulando, rixando, pugnando, ſimiliaque exercendo; quod ſupra modum ſcandaloſum eſt, & damnabile, & eo damnabilius, quo ſæpius fiat. Ut interdum extra cauponam cum amicis honeſtam ſumatis recreationem, quis ſanæ mentis inhibeat? Verum in publico & extra neceſſitatem prophano loco cum laico, ac promiſcuo & ſæpe ignobili vulgo vos miſcere, qui paulo ante nempe inter ſacrificandum ſocii fuiſtis Angelorum, nequaquam tolerabile eſt, ſed ſacris Canonibus, ſacris ſanctorum Patrum Conciliis, Decretis, ac Ordinationibus noſtris, imo & Capitulorum omnium Statutis vetitum ac prohibitum eſt. Poſtremo futurum eſſet, ut longe diligentius & alacrius Chorum frequentaretis, ac Divinis Officiis intereſſetis, neque cogitaretis vos minus aſtrictos, quia diſtributiones non accipitis, ſed exſpectaretis mercedem a Domino. Qui enim omnem oculum ad diſtributiones convertunt non venturi, niſi compendium exſpectarent, indubio mercenarii ſunt, audituri a Domino: *Amen dico vobis, quia recepiſtis mercedem veſtram.* Matt. 6. Agite ergo Fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi *Philipp.* 4. *Gaudium meum & corona mea*, ſic ſtate in Domino chariſſimi, Cooperarii mei eſtis? fideliter ergo & prudenter mecum in Evangelio laborate. 1. *Mach.* 3. Erigamus Fratres, erigamus cum Machabæis dejectionem populi noſtri, & pugnemus pro populo noſtro & Sanctis noſtris. *Curate vos probabiles exhibere Deo operarios inconfuſibiles recte tractantes verbum veritatis;* 2. *Tim.* 2. Fidem prædicate, & quod ore prædicatis, vivis operibus exponite, Eccleſiam defendite, lupos arcete, oves cuſtodite, mores corruptos reformate, tabernas, quantum authoritatem veſtram amatis, vitate, ſuſpecta contubernia fugite: ſectamini (*k*) *juſtitiam, fidem, ſpem, charitatem, & pacem*

(*i*) Ozeæ 4. (*k*) 2. Cor. 6.

pacem cum iis, qui invocant Dominum de corde puro, *ut non vituperetur ministerium nostrum:* (l) *Abjicite opera tenebrarum & induite arma lucis, sicut in die honeste ambulate: non in comessationibus, & ebrietatibus, non in contentione, & æmulatione, non in cubilibus, sed induite Dominum JESUM CHRISTUM, & carnis curam ne feceritis in desideriis.* Caste vivite, qui in tremendis mysteriis Filium Virginis manibus vestris tractatis: Denique sic agite, ut, quod dicimini, vere esse possitis, *Lux mundi, Sal terræ*, Pastores, Sacerdotes, Reges, Canonici. Lux mundi estis? *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Deum Patrem, qui in cœlis est.* Sal terræ estis? Col. 4. *Sit sermo vester semper in gratia sale conditus, ut sciatis, quomodo vos oporteat unicuique respondere.* 1. Pet. 4. Pastores estis? *Pascite, qui in vobis est gregem Dei, non dominantes in Clero.* Sacerdotes estis? *Sacerdotaliter vivite*, ut non solum tonsum verticem, & vestem talarem geratis [quamvis & illa etiam ad ornamentum & decentiam Status Sacerdotalis pertineant] sed & Angelicam conversationem ducatis. Sacerdos siquidem *Angelus Domini exercituum est. Malach.* 2. Regale Sacerdotium estis? Prius vobis ipsis, quam aliis imperate. Canonici estis? Canones a Romana Ecclesia Matre nostra nobis datos [a quibus etiam vocabulum sumpsistis] amplecti in omnibus, & imitari debetis: Nam (ut eleganter ait Wernherus (*) Carthusianus Coloniensis) Canonicus idem est, quod Regularis, unde qui non vult regi, aut dirigi, non est Canonicus, ideo enim appellari estis Canonici, quod Canonicas regulas vos velle servare, cæteris arctius devovistis: Quare etiam major a vobis, quam ab aliis Sacerdotibus requiritur perfectio & devotio. Incipite ergo Fratres mei, incipite; bonus Deus pro sua benignitate vobis aderit, adjuvabit, illuminabit, perficietque. Audite, quid per Prophetam pollicetur, vere pius & misericors. *Intellectum tibi dabo: instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos: nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Psal. 31. Ne negligamus tam obviam Dei benignitatem tam dulciter nos vocantis, auxilium suum tam efficaciter promittentis. Quod si hactenus tamquam effrenes more brutorum ac pecudum carnis sensum secuti sumus, resipiscamus. *Venite adoremus & procidamus ante Deum, & ploremus coram Domino, qui fecit nos.* Psal. 94. & renuntiantes mundo, illiusque pompis, *serviamus illi in sanctitate, & justitia omnibus diebus nostris. Lucæ* 1. Quod per suam Misericordiam nobis donare dignetur, qui est benedictus in sæcula, *Amen.*

INDEX TITULORUM SYNODI.

STA-

(l) *Rom.* 13.
(*) De Viro hoc, libris tum editis, tum ineditis clarissimo, agit in Bibliotheca sua Coloniensi *Exim. Hartzhemius* pag. 314.

STATUTA SYNODI DIOECESANÆ BUSCODUCENSIS

ANNO DOMINI MDCXII. DIE IX. ET X. MENSIS OCTOBRIS CELEBRATÆ.

Præsidente in ea Reverendissimo in Christo Patre ac Domino, D. GISBERTO MASIO, Episcopo Buscoducensi.

QUandoquidem laudatissima sit & tanto Imperatore dignissima sententia, quam magnum illum Constantinum protulisse, scribit Eusebius Cæsariensis in vita Constantini libro 1. cap. 18. *Quidquid in sanctis Episcoporum Conciliis decernitur, id universum Divinæ voluntati debet attribui; adeoque vigilanter impleri, ut ea, quæ tam in Generali & Oecumenica Synodo Tridentina, quam Provinciali Mechliniensi, potissimum posteriori, recte & Catholice ad Ecclesiæ bonum & utilitatem ordinata sunt, facilius in nostra Diœcesi in usum deducantur, hæc, quæ sequuntur, decernenda & statuenda judicavimus.*

TITULUS I.

De Fide & Doctrina Religionis Catholicæ.

CAPUT I.

CUm sine Fide, (a) *quæ est rerum sperandarum substantia, & rerum non apparentium argumentum*, impossibile sit placere Deo, nec nobis spes æternæ beatitudinis ulla certa esse possit: mandamus omnibus Ecclesiasticis nostræ Diœcesis, quocumque gradu & dignitate præfulgeant, & præsertim Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, ut doctrinam veræ fidei juxta verbum Dei, receptam Sanctæ Matris Apostolicæ & Catholicæ Romanæ Ecclesiæ traditionem solide teneant, & Symbola tam Apostolorum, quam Niceni Concilii & Athanasii probe norint, eaque pro ingenii modulo & captu intelligere conentur: ac denique quæcumque ex Sacrosanctis Conciliis Ecclesia Catholica de S. Trinitate & Orthodoxa Fide credenda tradidit, sequantur & credant, quo & se & pias mentes adversus omnes Hæreticorum technas, & conatus impios muniant.

CAPUT II.

Proinde Decretis Concilii tam Generalis Tridentini (b) quam primi Provincialis Mechliniensis (c) inhærendo, ordinamus, ut omnes, qui ad hanc Synodum Diœcesanam convenerint, & Decretorum dicti Concilii Tridentini receptionem, & obedientiæ professionem hactenus non fecerint, veram obedientiam Summo Romano Pontifici spondeant, simulque Hæreses omnes a Sacris Canonibus & Generalibus Conciliis, præsertimque a Sancta Synodo Tridentina damnatas, detestentur & anathematizent.

CAPUT III.

Et ut, quantum in Nobis est, Orthodoxa Fides integra per Diœcesim nostram conservetur, disciplina Ecclesiastica, ubi collapsa est, restituatur; restituta vero in debita observantia stabiliatur; Volumus, ut non solum juxta præscriptum Concilii Tridentini (d) provisi de Beneficiis curam animarum habentibus, & de Canonicatibus, & dignitatibus in Ecclesia nostra Cathedrali, sed etiam omnes, qui posthac ad aliquod Beneficium seu Officium Ecclesiasticum admittentur, in eorum institutione coram Nobis, aut nostro in ea parte Deputato. Quique in Collegiatis Ecclesiis Canonicatus & Sacellanias obtinebunt, in pleno Capitulo coram suo Decano, seu Vice-Decano dictam

(a) Heb. 11. (b) Sess. 25. de Reform. c. 2. (c) In principio.
(d) Sess. 24. c. 12. de Reform.

dictam fidei Professionem & Decretorum receptionem faciant.

CAPUT IV.

Presbyteri vero, ac alii omnes Beneficia aut Officia Ecclesiastica in nostra Diœcesi obtinentes, qui dictæ Synodo non interfuerunt, eandem Professionem coram suis Decanis Christianitatis, aut aliis nostra authoritate eorum Ecclesias visitantibus, quandocumque requisiti fuerint, juxta formam a PIO IV. præscriptam, facere teneantur.

CAPUT V.

Quæcumque insuper in postrema (e) Synodo Mechliniensi de professione fidei a Professoribus, Concionatoribus, Confessariis, Typographis, Bibliopolis, Ludimagistris, & ab hæresi redeuntibus emittenda, decreta sunt, hic pro insertis habeantur.

CAPUT VI.

Porro cum hoc nostro sæculo hæreseon feracissimo, vel maxime locus sit illi B. Hilarii ad Constantium querimoniæ, qua deplorat, tot esse fides, quot voluntates, tot doctrinas, quot mores, dum autem ita fides scribuntur, ut volumus, aut ita, ut volumus, intelliguntur, diligenter moneant Parochi subditos, ne per liberiorem hisce induciis cum Hæreticis conversationem aut familiaritatem, Religionis Catholicæ naufragium faciant. Quos memores esse convenit salutaris præcepti, quod morti proximus (f) B. Antonius, teste Athanasio, discipulis suis dedit: *Hæreticorum & Schismaticorum venena vitate, meumque circa eos odium sectamini; scitis ipsi, quod nullus mihi nec pacificus sermo cum eis umquam fuerit.*

CAPUT VII.

Videant proinde Parentes, ne temere vel linguæ, vel mercaturæ discendæ causa, filios in partes hæreticorum ablegent, ne forte sæcularis commodi gratia cum fidei Catholicæ jactura pretiosæ subeant animæ detrimentum.

CAPUT VIII.

Meminerint etiam Catholici patriam hæreticorum peragrantes, non licere quovis prætextu cum dissimulatione suæ Religionis alienam simulare, aut Ecclesiæ præcepta de observantia jejuniorum, Festorumque præterire, cum scriptum sit: *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* Et contravenientes Pastores crebro de gravitate hujus criminis in concionibus informent.

CAPUT IX.

Cum vero longo temporis experimento observatum sit, disputationes cum adversariis super materiis fidei initas, non tantum nullum Religionis profectum, sed sæpius ejusdem detrimentum operari, magnamque animorum exacerbationem parere, atque (ut dicebat Theodosio Imperatori Sisinnius (g) *non solum schismata non unire, sed magis dividere:* (h) omnibus Laicis ejusmodi disputationes inhibemus sub pœna excommunicationis in jure expressa. Quod si Hæretici ad certamen super Religione solicitent, respondeant ipsi talem conflictum non ad se pertinere; sed ad eos, qui exercitatos in Scriptura sensus habent: Deinde insanum esse ea in disputationem vocare, quæ multis retro centuriis in plenariis Conciliis toto spectante orbe disputata fuerunt, & usu conformata, secundum celebrem illam Augustini Regulam: (i) *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, id quin ita faciendum sit, disputare velle, insolentissimæ insaniæ est.*

CAPUT X.

Quoniam pestilentius est venenum, quod auribus, quam quod ore hauritur: istud enim corpus, quod nobis cum belluis commune est, inficit; illud vero animas Dei imagine insignitas interimit: districte omnibus subditis inhibemus tam Ecclesiasticis, quam Laicis, ne quovis prætextu conciones hæreticorum adire præsumant: cum illorum sermo, ut cancer serpit, & per dulces sermones seducant corda innocen-

(e) Tit. 1. cap. 1. 2. & 3. (f) In vita Antonii. (g) Lib. 9. Histor. Tripart. c. 18.
(h) 2. §. Inhibemus, de Hæret. in 6. (i) Epistola 118.

centium. Idemque de eorum ſectæ exercitiis, judicium eſto, quibus nulli Catholico intereſſe liceat, ſub interminatione maledictionis æternæ.

CAPUT XI.

Pari ratione libros Hæreticorum, aut ex profeſſo lubricos ſubditis nec legere, nec retinere licere, Paſtores diligenter admoneant, pœnasque contravenientibus conſtitutas in indicibus librorum prohibitorum crebro eisdem inſinuent, doceantque ſub libris interdictæ lectionis etiam comprehendi omnes eos, qui etſi ex profeſſo de hæreſi non tractent, tamen ſub alio argumento indifferenti pernitioſa dogmata inſpergunt: item parva iſta miſſiva, quæ Hæretici in Fidei Catholicæ ſugillationem edere conſueverunt: quæ licet mole & quantitate ſint exigua, ſcommatibus tamen, ſcurrilitatibus, calumniis, & Religionis opprobriis, maximis etiam voluminibus non cedunt.

CAPUT XII.

Statuto Synodi Provincialis, (k) ut nemo præter Typographos & Librarios juratos, ullos libros excudere, aut venales exponere præſumat, refragantur, qui paſſim ſine licentia Superiorum quoscumque libros, cantilenas, ephemerides, aut ſimilia venalia exponunt, aut plateatim circumferunt. Dent itaque operam Prætores, aliive poteſtatem id impediendi habentes, ut ſanctio Sereniſſimarum ſuarum Celſitudinum, quæ conformis eſt edicto CAROLI V. a. 1550. edito, & a PHILIPPO II. anno 1556. confirmato, inviolabiliter obſervetur, procedendo etiam ad ejusmodi librorum, cantilenarum, aut ephemeridum confiſcationem.

CAPUT XIII.

Qui ab hæreſi ad fidem Catholicam convertuntur, facta errorum omnium abjuratione, & fidei juxta formam a PIO IV. præſcriptam profeſſione, libros, quos penes ſe habent, tradant Confeſſariis, & paulatim ad Sacri Chriſmatis ſuſceptionem: item Euchariſtiæ, Pœnitentiæque frequentationem ſacris concionibus audiendis, piorumque librorum lectione ſedulo præparentur. Item quicumque patriis hæreticorum relictis, fixum apud Catholicos domicilium quærunt, id eis concedi, niſi facta prius Catholicæ fidei profeſſione, omnino prohibemus, ſerio requirentes locorum Magiſtratus, ne hac in re operam ſuam Nobis deeſſe patiantur.

CAPUT XIV.

Nefaria eſt eorum temeritas, qui Sacræ Scripturæ verbis vel ſententiis ad jocos, ſcurrilitates, ſuperſtitiones, libellos famoſos, aut ad quosvis profanos ſenſus abutuntur: ideoque, ut qui in hoc genere deliquerunt, tamquam temeratores & violatores verbi Dei, juxta præſcriptum Concilii Trid. (l) puniri queant: Nobis eos volumus denunciari.

TITULUS II.

De Sacramentis in genere.

CAPUT I.

SAcramenta novæ Legis cum inſtrumenta ſint ſalutis noſtræ, per quæ omnis vera juſtitia incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur, magnam in miniſtrante ſanctitatem requirunt, cum ſcriptum ſit; (m) *Mundamini, qui fertis vaſa Domini.* Et licet ipſa per indignam adminiſtrationem non contaminentur, neque a probitate conferentis, eorum virtus & efficacia dependeat; multum tamen apud infirmos in fide per indebitam adminiſtrationem, eorum honori decedit. Monemus propterea, & in Domino hortamur omnes Paſtores, cæterosque Sacramentorum Miniſtros, ut ea reverenter mente, manuque pura petentibus impendant, ne dum aliis Cœlum aperiunt, ipſi ſibi viam muniant ad gehennam. Et inter adminiſtrandum ſingulorum inſtitutionem, utilitatem, neceſſitatem, & efficaciam, prout occaſio permittet, exponant. Ipſaque verba Sacramentalia, tractim, graviter, & diſtincte proferant.

CAPUT II.

Si quis (quod abſit) potus, vel aliter indiſpoſitus & inidoneus ad Sacramentum

(k) Poſt cap. 3. Tit. 1. (l) Seſſ. 4. in fine. (m) Iſaiæ c. 52.

mentum administrandum accesserit, sive is Pastor, aliusve Sacerdos, aut Custos fuerit, pro delicti enormitate puniatur.

CAPUT III.

Requisitus Pastor ad Sacramenta ministranda, statim se paratum, facilemque exhibeat, neque tergiversetur, aut se sub prætextu horæ importunæ, temporis intempestivi, alteriusque occupationis, multo vero minus convivii excuset, aut durioribus verbis Sacramenta petentes excipiat.

CAPUT IV.

Quod administraturis Sacramenta in (n) Provinciali Synodo præscribitur, ne videlicet sine superpelliceo, vel alba ea administrent, omnino præcipimus observari.

CAPUT V.

Volumus etiam, ut in Sacramentorum ministerio approbati Ecclesiæ ritus, & cæremoniæ adhibeantur, declarantes, eos gravissime peccare, qui hujusmodi ritus & cæremonias rejiciunt aut mutant, aut iisdem aliquid addunt vel demunt.

CAPUT VI.

Statuimus item, ne ullus Sacerdos, cessante mortis articulo, extra limites suæ Parochiæ, aut alienis Parochianis intra suos limites Sacramenta, sine Parochi loci, aut nostra speciali licentia unquam administrare præsumat, sub pœnis arbitrio nostro infligendis. Quod præcipue in Sacramentis Pœnitentiæ & Matrimonii observetur, cum nullæ & invalidæ sint alienorum Parochianorum extra casum necessitatis absolutiones, invalida etiam conjugia coram alieno Parocho contracta; ipsique Sacerdotes, qui Matrimonio sic conjungunt, ipso jure suspensi, quamdiu ab ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, non absolvuntur.

CAPUT VII.

Nullus a Judice Ecclesiastico nominatim excommunicatus & denunciatus, aut etiam notorius Clerici percussor ad Ecclesiastica Sacramenta, extra verisimile mortis periculum admittatur, nisi prius literatorie, seu alias per legitimum ac fide dignum testimonium constiterit, eum ab eodem Judice, aut suo Superiore in foro exteriori debitam ab ejusmodi excommunicatione absolutionem obtinuisse.

CAPUT VIII.

Nullus etiam hæreticus, aut publice facinorosus absque legitima pœnitentia, nec ullus publice usurarius, etiam in mortis periculo constitutus, nisi usuris prius restitutis, aut saltem de iisdem restituendis, sufficienti juxta sacrorum Canonum dispositionem cautione constituta: (o) nullus etiam concubinarius, vel concubina, nisi se tanta loci intercapedine separaverint, ut cesset omnis incontinentiæ suspicio: nulli demum, qui in statu illicito, aut crimine notorio publice vivunt, aut vitam turpiter transactam non detestantur, ad Ecclesiastica Sacramenta recipiantur.

CAPUT IX.

Occasione administrationis Sacramentorum nihil exigatur ante administrationem, post eam tamen, vel quod sponte offertur, vel quod consuetudine laudabili tamquam debitum præstari solet, velut vitæ stipendium accipi potest. Imo si quis illud solvere noluerit, id Nobis significetur, ut eum, veritate cognita, ad pie introductam consuetudinem perpetuo retinendam ex Canonum jure compellamus.

CAPUT X.

Parochi materias Sacramentorum fideliter, soliciteque custodiant, & nemini umquam, etiam prætextu medicinæ, vel tollendi maleficii eas tradant: neque Medicis hunc earum usum ægrotis commendantibus fides adhibeatur.

TITULUS III.

De Sacramento Baptismi.

CAPUT I.

SAcerdos baptizaturus primum, quam actionem suscepturus sit, diligenter ipse animadvertat, & ad tanti muneris functionem non leviter & per-

 functo-

(n) Post Tit. 2. cap. 2. (o) Can. Quamquam. tit. de Usuris in 6.

functorie, sed sancte, graviterque accedat: Deinde Patrinos moneat & Matrinas baptizandum ad templum comitantes, ut jocis omnibus, fabulis, nugisque semotis, pie ac religiose quid agatur, attendant, Deoque gratias agant, qui filium iræ & hæredem gehennæ, benigne ad Sacramentum regenerationis admittit, ut fiat filius Dei, & hæres vitæ æternæ.

CAPUT II.

Videat Parochus, ubi primum infans Baptismi causa ad se delatus est, an suæ Parochiæ sit: quem si alienæ esse norit, non nisi instante necessitate baptizet, sed ad proprium Parochum deferri jubeat. Quod vel maxime observandum erit, quando proles ex illegitimo complexu procreatæ, baptizandæ veniunt, quas, parentes ut crimen suum proprium Pastorem celent, qui eos correcturus esset, in alienam Parochiam, ubi incogniti sunt, deferri curant.

CAPUT III.

Nullus, nisi prævia licentia Pastoris, prolem suam extra Parochiam, etiam in loco privilegiato baptizari procuret; & ubi baptizata fuerit, de Baptismo collato testimonium Pastori ferat.

CAPUT IV.

Præcipimus item, ut antequam Presbyter ad conferendum Baptismum accingatur, nomina Patrinorum, parentum & baptizatorum registro inscribantur, annotato simul anno, mense, & die Baptismi: sic enim & ætas pueri, & ejus conditio, & inter quos spiritualis cognatio contracta sit, facile dignoscetur. Quod quidem registrum quotannis in visitatione Archi-Presbytero Pastor exhibeat, & futuris temporibus diligenter in Archivis templi custodiat.

CAPUT V.

Non admittantur ad susceptionem prolium ii, qui ebrii sunt, aut hæretici, aut ex partibus hæreticorum oriundi, nisi de sinceritate fidei prædocuerint, aut qui sunt scandalosæ vitæ, ut publici usurarii, & concubinarii, &c. Item notorie excommunicati: aut denique minores duodecim annis, quive per inopiam mentis notitiam non habent ejus fidejussionis, ad quam se offerunt.

CAPUT VI.

Moneant Pastores, ut quicunque viri, quæcunque fœminæ proles de sacro Fonte spiritualiter susceperunt, cognoscant se fidejussores pro eis apud Deum exstitisse, & ideo super eos solicitudinem veræ charitatis impendant, & admoneant, ut castitatem custodiant, virginitatem usque ad nuptias servent, cantica turpia, vel luxuriosa ex ore non proferant, non superbiant, non invideant, a maledicto & perjurio linguam custodiant, & cætera, quæ fuse persequitur Augustinus, (*p*) ad quem Pastores remittimus.

CAPUT VII.

Fideles in Baptismo filiorum eos potius Patrinos & Matrinas eligant, qui eorum animæ consulere, quam qui inopiæ subvenire possint.

CAPUT VIII.

Observent quoque Parochi id, quod in (*q*) Concilio Generali Tridentino, de numero Patrinorum admittendorum constitutum est, ne videlicet plures, quam unum vel unam, vel ad summum unum & unam ad suscipiendum permittant. Et si qui alii ad tangendum infantem instar Patrinorum se ingerant, declaretur aperte ante Baptismum, nec eos, nec alios præter descriptos, seu designatos ullam cognationem spiritualem contrahere: qualis nec inter susceptorem nec susceptricem, nec etiam inter baptizatum vel confirmatum & susceptum, & suscipientis conjugem contrahitur, sed tantum inter baptizantes, & baptizatum, baptizatique patrem & matrem: Item inter suscipientes & baptizatum, ejusque patrem & matrem.

CAPUT IX.

Monachi, etsi Abbatiali fulgeant dignitate, de Baptismo aliquem suscipere, compatresve, aut commatres habere, sacris Canonibus prohibentur. (*r*) Quare nec per Procuratorem ejusmodi cognationem contrahere ipsis licet.

CA-

(*p*) Serm. de Resur. (*q*) Sess. 24. c. 2. de Refor. (*r*) Dist. 4. Can. 101. & 102.

CAPUT X.

Inhærentes declarationi Congregationis ſacræ interpretum Concilii Tridentini: docemus, cum quis per procuratorem, infantem e ſacro Fonte ſuſcipit, non procuratorem, ſed ipſum cognationem contrahere, eoque caſu uterque tam mandans ſcilicet, quam mandatarius libro baptizatorum inſcribatur hoc modo: *N. nomine N.*

CAPUT XI.

Cenſuit eadem Congregatio in Baptismo, qui domi in neceſſitate datur, cognationem contrahi, non etiam cum cæremoniæ, quæ tunc defuerunt, in Eccleſia adhibentur. Quare Baptismus infantis, qui domi ob neceſſitatem baptizatus eſt, in librum baptizatorum ita referatur, ut ſi alius domi ad Baptismum, alius in Eccleſia ad Catechiſmum, Exorciſmumque adhibitus ſit Patrinus, utriusque nomen in hunc modum ſimul annotetur: *Suſceptor in Baptismo N. Suſceptor in Catechiſmo & Exorciſmo N.*

CAPUT XII.

Sciant Catholici, non licere ſibi ſuſcipere infantem, nec per ſe, nec per procuratorem, qui ab hæretico miniſtro baptizatur, *cum ſit Suſceptor apud Deum fidejuſſor de adhibenda cura prolis ſuſceptæ in vera fide inſtituendæ*; Nec Catholicis cum hæreticis in Sacramentis communicare liceat. Quinimo tenentur Patrini laborare, ut ad fidem Catholicam convertantur ii, quos in Eccleſia Catholica ſuſceperunt, ſi in hæreſim fuerunt prolapſi.

CAPUT XIII.

Ab hæreſi converſi, ſi baptizandi ſunt, aut cæremoniæ Eccleſiæ adhibendæ, priusquam id fiat, hæreſim abjurent.

CAPUT XIV.

Quoniam autem Baptismus omnibus neceſſarius eſt ad ſalutem: Volumus, ut ejus ſuſceptio, nulla de cauſa diutius, quam ad tertium diem differatur, nec quisquam aut ſuſceptorum exſpectandorum, aut alterius rei gratia per laicas perſonas prolem ſuam baptizari curet, aut permittat. Illud enim ſine ſummo ſalutis periculo non accidit: iſtud vero extra neceſſitatem factum, Eccleſiæ traditioni & dignitati Sacramenti repugnat.

CAPUT XV.

Quia ſal appoſitum pueris expoſitiis non eſt ſufficiens & infallibile ſignum Baptiſmi adhibiti; ideo ſemper & indiſtincte pueri tales ſub conditione baptizentur, ſive ſal iis appoſitum fuerit, ſive non.

CAPUT XVI.

Prohibemus præterea, ne quis Paſtorum Baptismi Sacramentum ſine cæremoniis Eccleſiæ adhiberi ſolitis, aut alio in loco, quam in illis Eccleſiis, in quibus ſacri fontes conſtituti & conſecrati ſunt, exceptis caſibus in jure expreſſis, conferre audeat ſub pœna ſuſpenſionis a Paſtoralibus, & alia arbitraria.

CAPUT XVII.

Quod de obſtetricibus ordinavit Synodus Provincialis Mechlinienſis poſtrema, hic tanquam inſertum habeatur. Quas etiam ſerio monitas volumus, ne aliquem infantem extra caſum neceſſitatis baptizare præſumant. Baptizatum autem prima opportunitate ad Eccleſiam deferant, ſi ſupervixerit, ut Eccleſiaſticæ cæremoniæ circa eum ſervari poſſint: niſi forte juſta ſuſpicio Paſtori oboriatur non rite adminiſtrati Sacramenti, quo caſu ſub conditione Baptismus adhibendus erit, & cæremoniæ ſimul ſupplendæ.

CAPUT XVIII.

Adhæc mandamus, ut in locis omnibus Diœceſis noſtræ, in quibus certæ ſunt obſtetrices conſtitutæ & admiſſæ, una illarum, ut minimum ab omnibus puerperis in partu adhibeatur: Inhibentes, ne ulla nutrix in poſterum prolem alienam lactandam ſuſcipiat, quam non conſtet per atteſtationem Paſtoris baptizatam fuiſſe.

CAPUT XIX.

Quod de vitandis conviviis ruri poſt Baptismum infantis celebrari ſolitis, ſtatuit Synodus Provincialis, (*s*) Paſtores in uſum deducere annitantur.

CAPUT

(*s*) Poſt. de Baptiſmo cap. 9.

CAPUT XX.

Quoniam in Baptismo unusquisque pie ac religiose pollicetur operibus Satanæ renunciare, ejusque pompas deserere, id Parochus, cum usu venerit, populum doceat, quam simplici & Christiano habitu infans ad illum deferendus sit; Nihilque adhibendum, quod hujus mundi pompam præ se ferat; cum minime deceat in ipso vitæ Christianæ limine iis rebus studeri, quibus potissimum solemni sponsione renunciatur.

CAPUT XXI.

Curet denique Parochus, ut infantibus, proprio nomine in Baptismo appellandis, ea nomina non imponantur, quæ turpia, quæ ridicula sunt, quæque gentilium, atque adeo impiorum memoriam referant; sed illorum, qui ob veram pietatis ac sanctæ Religionis, virtutisque Christianæ laudem Sanctorum numero adscripti sunt, ut in ipso vitæ ingressu cum ethnicis ne nomen quidem commune fideles habere velle protestentur, & ipsi infantes etiam cum ætate processerint, nominum similitudine, ad illorum, a quibus ea accepta sunt, imitationem excitentur, & præterea quos imitari studeant, eosdem quoque sæpius precentur, ac sperent eos potissimum sibi ad salutem, tum animi, tum corporis Advocatos fore.

CAPUT XXII.

Parochi ob id, quod infans baptizandus sit illegitimus, vel ex parentibus pauperibus ab exteris casu illic natus, nullusque pro ejus alimentatione fideijussor se se offerat, ipsum baptizare non recusent, aut differant, etsi Magistratus loci, vel alii quicumque ob prædictas, vel alias similes causas infantem baptizari prohibeant.

TITULUS IV.

De Purificatione Puerperarum.

CAPUT I.

INjungimus omnibus Parochis id, quod in Concilio Provinciali Mechlinienfi, primo de purificatione puerperarum in usum revocanda, recte constitutum est, suis Parochianis diligenter inculcent, & observari curent: cui Constitutioni id, quod sequitur, addendum putavimus: nempe, ut nulla omnino puerpera ad purificationem ante 25. a partu diem, admittatur, eaque nonnisi à proprio Parocho, ejusve Vicario in Ecclesiam introducatur, & benedicatur, volumusque, ut Missæ Sacrificio intersint, aut contra eas, tamquam piæ consuetudinis violatrices, procedatur.

CAPUT II.

Non licet etiam scienter ulli Presbytero sub pœna suspensionis, quam eo ipso incurrat, mulieres, quæ ex illicito concubitu pepererunt, ad purificationem admittere, nisi facultate ab Archi-Presbytero loci ad hoc literatorie obtenta.

TITULUS V.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

SAcramento Baptismatis succedit aliud, quod a Patribus nunc Confirmatio, nunc manus impositio, vel Sacramentum Chrismatis, aut Unctio, quæ sit Divinæ generationis sacrosancta perfectio, nominatur: in quo quidem Sacramento plenitudo datur Spiritus S. & auxilium, roburque singulare, quo fidem Christianam coram Principibus mundi, & toto orbe sine pudore constanter profiteri valeamus; de qua re ita Sanctissimus ille Pater Christianæ plebis Papa MELCHIADES: (*t*) " In fonte Deus plenitudinem tribuit ad innocentiam: in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam: In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam: In Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. "

CAPUT II.

Mandamus itaque omnibus nostræ Diœcesis Pastoribus, ut parentes crebro adhortentur, quatenus suos liberos nondum confirmatos ad suscipiendum hoc Sacramentum adducant; non quidem omnes, sed qui saltem sint septem, aut plurium annorum, ut melius

(*t*) In epist. ad Episcop. Hisp.

lius Sacramenti suscepti memores esse possint: si vero duodecimum annum attigerint, aut 10. natu majores sint, dolique capaces, Confessionem Sacramentalem præmittant.

CAPUT III.

Jejuni ad Confirmationem accedant, ut olim in Concilio Aurelianensi statutum fuit, (u) cujus salutarem monitionem expedit observari.

CAPUT IV.

Moneantur Parentes, ne suas proles in Confirmatione teneant, sed adjungant ipsis aliquem alium, qui illas Episcopo offerat, atque teneat: inter quem & ipsum confirmatum, ejusque parentes contrahitur cognatio spiritualis, quæ Matrimonium contrahendum impedit & dirimit contractum. Ideoque consulendum est parentibus, ne multiplicentur Matrimonii impedimenta, ut pro præsentantibus, aut tenentibus, quantum fieri poterit, consanguineos, vel affines, aut in sacris Ordinibus constitutos assumant. Et cum ordinarius hujusce Sacramenti Minister sit solus Episcopus, illud a nullo alio absque Sedis Apostolicæ licentia, etiam in mortis articulo conferri potest.

CAPUT V.

Christianæ fidei rudimenta non edoctus, non se ingerat ad percipiendum hoc Sacramentum, vel ad tenendum confirmandum.

CAPUT VI.

Non confirmatus, nec ad susceptionem primæ tonsuræ admitti, nec patrinus esse potest: & generatim, qui in Baptismo patrinus esse prohibetur, hic quoque esse non poterit.

CAPUT VII.

Dum Sacramentum hoc ministratur, non modo qui illud suscepturi sunt, quique eos offerunt, sed quotquot etiam præsentes sancto illi Ministerio adsunt, sancte, pieque orent, ac summa animi intentione spectent, quod in ea solemni Ministerii celebritate peragitur: Tum vero mente reputent cœlestia illa Spiritus S. dona, quæ illius Sacramenti virtute fidelibus impenduntur: Inprimisque tacita meditatione videant, quas in illis progressiones habeant, & an vitam agant tanta cœlestium donorum ubertate dignam. Curent etiam parentes, aut patrini, ut qui ridiculum, vel gentilitium nomen habet, neque conveniens homini Christiano, illud mutet, sumatque nomen alicujus, quem vitæ, pietatis & sanctæ Religionis laude floruisse constat.

CAPUT VIII.

Confirmati tertio die post susceptum hoc Sacramentum fascias deponant, & tum eorum frontes sale & aqua a Sacerdote laventur & abstergantur: porro fasciæ conserventur in Sacrario, aut alio loco honesto comburendæ ad sacros cineres: aqua vero lotionis in piscinam mittatur.

CAPUT IX.

Denique, quia hujus Sacramenti utilissima susceptio nequaquam negligenda, aut parvipendenda est; mandamus Parochis, ut de fructu & utilitate ejus suos Parochianos frequenter informent, & præsertim in festis Pentecostes, ac quandocumque Episcopum ad ipsorum loca venturum esse audierint. Et quia hæretici nostri spiritu humilitatis destituti, & ridere soliti, quod non intelligunt, hoc Sacramentum ludibriis ac cachinnis excipere consueverunt, doceant in concionibus Parochi, tam ex Scripturis, quam Patrum Scriptis & Conciliorum definitionibus, Confirmationem pro Sacramento novæ Legis semper habitam fuisse, usumque ejusdem in florentissima Ecclesia viguisse, & hæresiarcham Novatum (quia signaculo hoc consignari contempsit) in graves errores incidisse, ut refert ex Cornelio Eusebio Cæsariensis *libro 6. capite 35. alias 33.*

TITULUS VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

QUod nondum regeneratis est unda Baptismatis, hoc relapsis & candidam

(u) Can. Ut jejun. dist. 5. de Consecr.

didam justitiæ vestem mortali crimine sordidantibus est Sacramentum Pœnitentiæ: sine quo, vel saltem sine cujus voto, nemo in nova lege lethaliter peccans salvari potest. Quapropter diligenter docendus est populus, ut post mortalis peccati reatum tempestive de eo conteratur, deinde coram proprio Sacerdote illud Sacramentaliter confiteatur, & salutarem pœnitentiam sibi injunctam adimpleat: nec confessionem ad Festum usque Paschæ differat, sed sæpius in solemnioribus saltem Ecclesiæ festis animæ peccatis contaminatæ per confessionem & Eucharistiæ sumptionem medeatur.

CAPUT II.

Doceant Parochi diligenter suos Parochianos institutionem, partes, & effectum hujus Sacramenti, quodque summa humilitate & animi dolore, ac magna spe misericordiæ Divinæ ad latebras conscientiæ detegendas unumquemque accedere oporteat, declarentque remissionem & expiationem peccatorum, quæ in confessione per Sacerdotis Dei Vicarii absolutionem impenditur, merito Sanguinis Christi præcipue inniti, & ab eo pendere.

CAPUT III.

Abusus est minime tolerandus nihil confiteri velle, nisi de quo pœnitens interrogetur: nec ad absolutionem percipiendam idoneus est, qui aliter confiteri renuit: est enim id velle tacere peccata, de quibus non interrogabitur. Recte nihilominus & pro officii sui ratione faciet Sacerdos, si pœnitentem, quem examinandæ conscientiæ vacasse videt, sua diligentia & prudenti interrogatione adjuvet, ubi aliqua in parte confessionem ejus deficere animadvertit.

CAPUT IV.

Moneant etiam Parochi subditos, & numerum peccatorum, quantum fieri potest, & circumstantias eorumdem speciem mutantes, aut etiam enormiter aggravantes, in confessione explicari debere.

CAPUT V.

Adhortentur eosdem, ut tempore Quadragesimali, statim in principio peccata confiteantur, & nihilominus confessionem resumant, antequam ad Sacræ Eucharistiæ sumptionem festo Paschæ accedant. Quare injungimus Pastoribus, ut se dicto tempore, tam in principio, quam in fine Quadragesimæ, & circa solemniora Festa ad confessiones audiendas paratos exhibeant.

CAPUT VI.

Ne quis ignorantiam Capituli: *Omnis utriusque sexus*, Ext. *de Pœnitentiis & Remissionibus*, prætendere queat, volumus idipsum Dominica *Passionis* publicari, & post Dominicam *in Albis* advigilare Pastores, quinam defuerint officio: eosque moneri, alioqui extra Ecclesiam ejiciendos, & ad Ecclesiasticam sepulturam non admittendos, & ad Nos, vel Officialem nostrum deferendos.

CAPUT VII.

In pagis, qui se allegabunt, in Paschate alibi confessos esse, testimonio Confessarii id docere teneantur; si non docuerint, agatur contra eos, ac si confessi non essent.

CAPUT VIII.

Cæterum, cum Sacerdos non hominis, sed Dei judicium exerceat, idque in animas pretioso Christi Sanguine emptas, dum confessionibus pœnitentium intendit: ne quis idoneus huic tam Sacrosancto & periculoso Ministerio se ingerat, prohibemus sub pœnis suspensionis a Divinis Officiis, & aliis nostro arbitrio infligendis, ne quis deinceps confessiones sæcularium audiat, aut Parochiale Beneficium obtineat, nisi a Nobis, nostrisve in ea parte Vicariis approbatus sit; prout in Concilio Trid. (*x*) decretum est, & in Concilio Provinciali (*y*) repetitum. Nec is omnes promiscue ad se venientes audiat, sed eos dumtaxat, in quos ordinariam, vel subdelegatam habet jurisdictionem.

CAPUT IX.

Ut autem confiteri volentibus, Sacerdotes idonei non desint, curent, ad quos

(*x*) Sess. 21. c. 15. de Reform. (*y*) De Sacram. Pœnit. c. 1.

quos hoc pertinet, ut tot Confessarii deputentur, quot, spectata temporis ratione & numero, confiteri volentium in quaque Ecclesia audiendis confessionibus necessarii videbuntur.

CAPUT X.

Sint Confessarii prudentes ac circumspecti, non solum in injungendis pœnitentiis: (ideoque etiam pro peccato occulto pœnitentiam publicam non imponant, ne dum Medici animarum videri volunt, peccatorum proditores fiant) verum etiam in examinando pœnitentes, præsertim circa vitia carnis, ne indiscretis interrogationibus eos doceant peccata, quæ ignorant, vel aliter scandalizent.

CAPUT XI.

Meminerint etiam propinquas occasiones peccandi mortaliter vitandas esse, easque vitare nolentibus, beneficium absolutionis non esse impendendum, ut nec iis generatim, quos cognoscunt evidenter, non habere propositum abstinendi a peccatis, aut nullam in confessione admissorum peccatorum habere contritionem.

CAPUT XII.

Exquirant omnes Confessarii, dum rudiores audiunt, utrum in rudimentis nostræ Religionis sint instructi; & an Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam, cum Symbolo Apostolorum ac Decalogo teneant.

CAPUT XIII.

Examinent etiam, an tituli illi, quibus pœnitentes se pecuniam cum assecuratione sortis & certo lucro mutuam dedisse dicunt, sint veri; an tantum imaginarii & usuræ pallia: Et si solido fundamento contractus usurarios esse deprehenderint, non prius illos absolvant, quam usuris prius restitutis, aut saltem pro prima vice firmiter restitutione promissa. Si secundo redierint, non absolvantur, nisi reipsa restituerint: in quem finem diligenter legant Bullam SIXTI V. *Execrabilis*, contra usuras hujusmodi palliatas editam. Quod item superius de concubinariis, & aliis facinorosis dictum est generatim, id specialiter in hoc Sacramento a Confessariis observetur.

CAPUT XIV.

Nemo quoque a Casibus Sedi Apostolicæ, aut Episcopo reservatis, quemquam, nisi in mortis articulo, absolvere præsumat. Cum enim Sacerdos in dictis Casibus, non sit legitimus Judex, nullam ab iis absolvendi auctoritatem habet; ideoque absolutio, quam impendit, invalida est, prout hæc tam in Generali Tridentino, (z) quam primo Provinciali Mechliniensi (a) Conciliis aperte declarata sunt. Casus autem reservati Episcopo sunt ii, qui in prætacto Mechliniensi Concilio numerantur: Raptus Virginum, homicidium, &c. & omnia delicta prædictis graviora; illis tamen, quæ Sedi Apostolicæ reservantur, eidem Sedi semper salvis.

CAPUT XV.

Quod si quis a dictis Casibus Episcopo reservatis absolvendi potestatem, vel ea majorem a Romano Pontifice obtinuerit, inhibemus, ne is ulla utatur in nostra Diœcesi, nisi prius eam Nobis examinandam exhibuerit: ne sub ovina pelle, lupi sub hoc prætextu se insinuent, & gregem nostrum corrumpant. Quod si legitime constiterit, de data tali facultate, ne tamen is super irregularitatibus, aut votis dispensare præsumat, nisi alium specialem potestatem ad hoc habuerit. Quod etiam locum habet, quantum in Jubilæis facultas a gravissimis peccatis, censurisque absolvendi, concedi solet.

CAPUT XVI.

Tolerari non debet, ut qui confitentur, sive Laici sint, quacumque etiam dignitate præfulgeant, sive Ecclesiastici, Confessario assideant: sed requiritur, ut animo contrito, non quasi hominis, sed Dei sententiam super suis sceleribus audituri, ipsi humiliter ad genua provolvantur, non subjectis pulvinaribus; discincti gladiis: Sacerdos vero confessiones excepturus decenti habitu induatur, nec vultus austeri-

(z) Seff. 14. cap. 7. de Sacram. Pœnitentiæ.

(a) De Sacramentis, cap. 6.

ſteritate, aut verborum aſperitate pœnitentes deterreat: ſed potius magna cum manſuetudine ad veram peccatorum confeſſionem invitet.

CAPUT XVII.

Non permittat Presbyter, ut, dum unius confeſſionem audit, alii etiam confiteri cupientes, nimis appropinquent, ne & ipſe confitens, dum ab aliis audiri metuit, peccata reticeat, & Confeſſarius minus libere confitentes examinet: caveatque, ne in audiendis confeſſionibus ea in medium proferat, quæ materiam confeſſionis non concernunt, neve ab ipſis confitentibus aliena a confeſſione adduci permittat.

CAPUT XVIII.

Mandamus etiam omnibus onus audiendi confeſſiones habentibus, ut confitentes, præſertim mulieres, in loco publico ac aperto, & non in tenebris, niſi adhibito lumine, neque extra Eccleſiam audiant, niſi neceſſitate aut infirmitate hoc exigente.

CAPUT XIX.

Prohibemus ſub pœna arbitraria, ne quis Sacerdos confeſſionem mulieris, cum qua peccatum incontinentiæ commiſit, aut ſocii, aut fautoris peccati, niſi in neceſſitate, excipiat: ſed tales ad alium idoneum Confeſſarium remittere teneatur. Sicut & illos graviviter ad noſtrum arbitrium puniendos cenſemus, qui aliquos ad ſibi ſolis confitendum voto obligare præſumpſerint, votum hujusmodi tamquam irrationabile, & indiſcretum, irritum declarantes.

CAPUT XX.

Abſtineant Confeſſarii ab interrogatione & inquiſitione tali, per quam in notitiam perſonarum, cum quibus peccata commiſſa ſunt, devenire poſſint. Imponat autem pœnitentias ſalutares peccatis admiſſis contrarias: pro peccato luxuriæ jejunium, pro avaritia largitatem, pro furto primo reſtitutionem, deinde opera miſericordiæ, &c.

CAPUT XXI.

Meminerint Confeſſarii ſigillum confeſſionis ſtrictiſſime ſibi ſervandum eſſe, ſub pœnis a jure præſcriptis, (*b*) idque etiam poſt mortem pœnitentis, cum is per eam famæ ſuæ jus non amiſerit, neque confeſſio ejus, propterea minus confeſſio eſſe cœperit, quam prius. Ideoque non ferenda quorumdam Judicum ſacrilega interrogatio, qua poſt latam in reum mortis ſententiam, inquirunt ex Confeſſariis, ſitne juſte damnatus reus, an non: Quo caſu nec minimum confeſſi veniale delictum, quibuslibet etiam tormentis præpoſitis, Confeſſariis divulgare liceat. Obſervent etiam, ne cum pœnitentibus, quorum confeſſionem audierunt, agant extra confeſſionem de iis peccatis, quæ ipſis in illa manifeſtata ſunt; niſi forſitan petita venia, ob incommoda alias ſecutura.

CAPUT XXII.

Cum autem res, ad quemcunque tranſit, tranſeat cum ſuo onere, & Confeſſio Sacramentalis habeat illud onus annexum: ut, quod ea continetur peccatum, ſacro ſigillo obſignetur, & conſequenter ſine ſacrilegio aperiri non poſſit: Non ſolus Confeſſarius hoc ſigillo tenetur, ſed omnes omnino, qui peccata alterius ex ſola confeſſione noverint, ſive Clerici, ſive Laici, ſive licite, ſive illicite, etiam illi, quibus confeſſio a Confeſſario ſacrilego detecta fuerit: ideoque omnibus iſtis diſtricte præcipimus, ne peccata ſic cognita ulli propalare præſumant: qui contra fecerint, graviſſime noſtro arbitrio puniantur. Pœnitentes quoque non facile eliminent, quæ Confeſſarius dixerit, præſertim ſi per ea aliis ridiculus videri queat.

CAPUT XXIII.

Hortamur in Domino omnes Medicos, ut tanquam viri boni ac Catholici in viſitatione infirmorum, Conſtitutioni INNOCENTII Tertii, & Bullæ PII V. quæ incipit: *Supra gregem*, ſe conforment, qua ſancitur, ut infirmos in lecto jacentes ante omnia admoneant, ut idoneo Confeſſario peccata confiteantur, neque tertio die ulterius eos viſitent, niſi longius tempus infirmo Confeſſor ob aliquam rationabilem

(*b*) Concil. Lateran. cap. 21.

bilem causam concesserit, & eis per fidem a Confessore factam, constiterit, quod infirmi peccata sua confessi fuerint: Eosdemque rogamus, ut si quos fidei Catholicæ non satis addictos, tergiversari animadverterint, Pastori ex charitate statim velint denuntiare.

CAPUT XXIV.

Denique cum in Capitulo: *Omnis utriusque sexus*, generatim omnibus præcipiatur conscientiæ coram proprio Sacerdote purgatio, & annua Communio, sequitur, quod neque prætextu diffidii, quod quis cum proximo habet, ab ea excusari possit: Idem enim Dominus, qui semel tantum in anno confitendum & communicandum per Ecclesiam præcipit, etiam dixit: *Sol non occidat super iracundiam vestram:* &, *Diligite inimicos vestros, & benefacite istis, qui oderunt vos.* Et ideo eos, qui prætextu dicti diffidii (quod per annum deponere negligunt) proprio Sacerdoti, ultra annum confiteri differunt, præsenti Statuto declaramus, pœnis in dicta Constitutione expressis, subjacere; cum nemini sua malitia debeat patrocinari.

TITULUS VII.

De Sacramento Eucharistiæ.

CAPUT I.

QUod inter septem Planetas est splendidissimum jubar Solis, hoc inter Ecclesiæ Sacramenta est Sacrosancta Eucharistia, ipsum purissimum & lucidissimum justitiæ Solem substantialiter in se præsentem comprehendens, ad quam accedendum non est, nisi pura conscientia, & corde bene probato. Declarat autem Ecclesiastica consuetudo eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat: quam consuetudinem simul & Ecclesiæ præceptum inviolabiliter a Laicis communicaturis, majorique ratione a Sacerdotibus sacrificantibus præcipimus observari: excepto casu a Concilio Tridentino expresso, videlicet concurrente defectu Confessarii.

CAPUT II.

Si quis autem Presbyter pridie temulentus, aut in crimen incontinentiæ, aliudve notorium lapsus, rem Divinam facere non vereatur, is pro illata Sacramento, & Sacrificio irreverentia, & dato scandalo, gravissime se sciat nostro arbitrio puniendum.

CAPUT III.

Cum etiam Episcopi ex ordinatione Concilii Tridentini (c) curare debeant, ne quis publice criminosus Sacerdos, aut sacro Altari ministrare, aut Sacris interesse permittatur: Mandamus omnibus Capitulorum & Christianitatum Decanis, ac aliis universis curam habentibus Regularibus, & Sæcularibus, ut auctoritate nostra, publicos Concubinarios, Usurarios, Simoniacos, aliosque notorie criminosos Presbyteros ab Altaris Ministerio arceant, alioqui tam illi, qui in statu peccati publici celebrant, quam qui ad illa connivent, severe a Nobis punientur.

CAPUT IV.

Mandamus itaque omnibus Presbyteris, ut non nisi probati & mundi cum mundis, honestisque Altaris ornamentis, calicibus integris & consecratis Missam celebrent, eamque in vultu inter sacrificandum præ se ferant maturitatem, eamque in cæremoniis peragendis gravitatem, quam tantum Mysterium requirit; totumque Missæ Officium distincte & attente pronuncient.

CAPUT V.

Adhæc mandamus Parochis, ut Hostias conservandas in usum infirmorum, in loco & vasculo accurate custodiant, & ante tabernaculum Sacramenti jugiter lumen ardere procurent. Quod si quæ fundationes in eum usum relictæ sint, ea stricte impleantur: & iis obligati satisfacere si recusent, Nobis, aut Vicario nostro insinuentur: & singulis hebdomadis, aut circiter, species Sacramentales Pastores renovent, seduloque advertant, ne in Paschate, aliisque solemnioribus Festis (quando populus

(c) Sess. 22. in Decret. de evit. in celebr. Missæ.

pulus communicare solet) plures Hostias consecrent, quam pene esse necessarias judicaverint.

CAPUT VI.

Insuper cum notorii percussores Clericorum, etiam non denuntiati, & alii excommunicati post publicam denuntiationem, ab omnibus vitari debeant; & id maxime in Missæ celebratione: caveant Sacerdotes, ne scienter illis præsentibus, rem sacram peragere præsumant sub pœna suspensionis a Divinis, eo ipso incurrenda, ac alia arbitraria. Quod si moniti ab Ecclesia decedere noluerint, id statim Officiario loci intimetur.

CAPUT VII.

Similiter quæ de Missis in loco profano in privatis domibus, atque omnino extra Ecclesiam non celebrandis, in Generali Tridentino (*d*) & Provinciali Mechliniensi primo (*e*) Conciliis recte statuta sunt, ea in nostra Diœcesi diligenter & inviolabiliter præcipimus observari.

CAPUT VIII.

Porro quia sicut corpus pane materiali, ita & anima spirituali cibo sæpius reficienda est: ideo diligenter hortentur subditos Parochi, ut frequenter, aut saltem in Festis celebrioribus Sacrosanctum Corpus Christi reverenter sumant, & Sacramenti hujus sublimitatem, usum ac fructum iisdem crebro exponant.

CAPUT IX.

Moneantur etiam parentes, ut liberos, postquam ad legitimam ætatem, & usum discretionis pervenerint, ad Eucharistiæ sumptionem inducant, & Ecclesiæ offerant, ut hoc cœlesti cibo pasti, in omne opus bonum suscipiant incrementa.

CAPUT X.

Mandamus item, ne Pastores, aut eorum Vicarii Eucharistiam publicis peccatoribus, ut meretricibus, usurariis, excommunicatis & denunciatis administrent: sicut nec amentibus & rationis usu carentibus, nisi lucida habeant intervalla: nam tum illis Corpus Christi porrigere licebit, si pio animi affectu illud sumere desiderent. Eandem etiam de energumenis rationem haberi volumus. Cum autem in administratione Sacramenti Eucharistiæ nulla debeat adhiberi fictio: prohibemus, ne Presbyteri Hostiam non consecratam pro consecrata, quacumque ex causa administrare præsumant, ne dum honori Sacramenti consulere videri cupiunt, adhibeant falsa remedia, quæ vere periculis sunt graviora.

CAPUT XI.

Districte observari volumus, ut juxta Edictum Regiæ Majestatis in hac patria promulgatum, quando Sacerdos ad administrandum ægrotis Sacramenta accersitur: semper duo ut minimum ex ipsius ægroti vicinis Presbyterum cum Custode a Templo ad ægrotum deducant, & inde ad Ecclesiam reducant, volumusque, ut comitantes Sacramentum una cum Custode aperto capite procedant, & ab omnibus fabulis inter eundum abstineant.

CAPUT XII.

Ægrotis quoque Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis distinctis temporibus administrentur, nisi necessitas aliud exegerit, cureturque, ut ægrotantis cubiculum ab omni prius sorde purgetur, & mensa, si non nitida mappa, saltem alio linteo mundo honeste constrata, & Cruce, luminaribus, ac vasculo aquæ benedictæ instructa præparetur, in qua pyxis cum Sancto Sacramento poni possit.

CAPUT XIII.

Sacra Communio ad ægrotum non deferatur, nisi ad eum, qui vere eam sumpturus est: si vero aliquando fiat, ut dum ad eum Parochus venit, morbi vi ita illum affectum inveniat, ut eam tunc illi rite administrare non possit, cum aliis, qui adsunt, sancte oret: & si ægrotus optet Sacramentum, aperta pyxide liceat ostendere adorandum. Frequenti quoque vomitu laborantibus Corpus Christi non Sacramentaliter, sed spiritualiter, dumtaxat fide ac devotione, animæque desiderio administretur.

(*d*) Sess. 22. in Decret. de evit. in celebr. Missæ. (*e*) Tit. de cultu Divino, cap. 13.

CAPUT XIV.

Cum quis Sacerdoti ad ægros Euchariſtiam deferenti, aut cum eadem inde redeunti obviam fit, dum vel equo, vel curru vehitur, ubi primum eam ferentem viderit, inde ſtatim deſcendat, humique flexis genibus tamdiu in adoratione permaneat, quoad ille cum Sacramento tranſierit. Quod, dum fit, nihil cujusquam dignitate indignum committitur, & plurimum reverentiæ accedit Sacramento.

CAPUT XV.

Abuſus, qui frequens eſſe ſolet, ut ad ægros deferatur Euchariſtia ſub Veſperam, tollatur, moneaturque populus, ut, quantum fieri poteſt, non niſi jejuni hoc Sacramentum ægri percipiant, nec exſpectent tempus ultimæ neceſſitatis. Nunquam tamen Paſtor tempore nocturno, aut alias quantumvis importuno vocatus, cum id infirmi ſtatus poſtulat, ab officio faciendo ſe excuſet, graviſſime puniendus, cujus culpa infirmus non munitus Sacramentis e vita exceſſerit.

CAPUT XVI.

Quoniam in Proceſſionibus, quas vocant Dedicationum, multas inſolentias fieri contingit, & quædam inepta ac laſciva immiſceri (quæ tamen non eſſe toleranda decernimus) omnino prohibemus in illis Venerabile Sacramentum circumferri.

CAPUT XVII.

In Parochia quemque ſua in Paſchate ad Sacram Synaxim accedere cum oporteat, non ſatisfaciunt communicantes in aliis Eccleſiis quorumcumque, etiam Ordinum privilegiatorum, ut declaravit ſacra Congregatio, Laici proinde famuli quicumque Regularium Monaſteriis operam navant, tametſi in illis habitent, ſtato Paſchatis tempore in ſua quique Eccleſia Parochiali Sacram Communionem ſumant, niſi ex ſpeciali concordia aliud ipſis ſit permiſſum.

CAPUT XVIII.

Cum abuſus iſte quibusdam locis inoleverit, ut puerperæ, quibus ante Dominicam *in albis* purificari non licuit, citra licentiam Paſtoris Euchariſtiam ſumere negligant: Statuimus, ut tales tempeſtive *C. Omnis utriusque ſexus*, ſatisfacere, & Paſchalem Communionem domi ſumere teneantur, neque dum in Eccleſiam introductæ ſunt, eam differre poſſint, niſi Parocho aliud videatur.

TITULUS VIII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT I.

Inſtitutionem & effectus Sacramenti Extremæ Unctionis promulgavit Apoſtolus Jacobus: (*f*) Ideoque populus tam publice in concionibus, quam privatim a Paſtoribus frequenter moneatur, ut adultus quisque in veriſimili mortis periculo propter infirmitates conſtitutus, dum adhuc ſenſus vigent, ratioque integra eſt, tempeſtive hoc exeuntium Sacramento muniatur.

CAPUT II.

Si Paſtor quempiam ex ſuis infirmum eſſe reſciverit, de quo veretur, ne forte negligentia aut malignitate domeſticorum, aut propinquorum non munitus Sacramentis moriatur, adibit ædes infirmi, etiam non vocatus, dicetq; ſe ex charitate & officii ſui ratione tanquam bonum Paſtorem oviculam ſuam inviſere, monebitque infirmum de cura ſalutis ſuæ gerenda, & Sacramentorum ſuſceptione, frequenterque infirmum viſitabit, & ſi per occupationes non liceat Paſtori adeſſe morituro, ſubmittat ipſe aut moneat infirmum, ut advocetur alius Sacerdos & vir Religioſus, qui morti propinquum in lucta contra ſerpentem calcaneo inſidiantem adjuvet, diligenterque ſoletur & hortetur, ut bono animo ſit; & a curis vitæ, ad cœleſtis beatitudinis cogitationem ita eum erigat, ut abjecto mortis metu, ſe a Deo in æternam requiem vocari gaudeat. Sciantque Paſtores ab hujusmodi charitatis officiis præter meritum apud Deum, plurium ſibi ſubditorum animos conciliari, ſicut ſcriptum eſt Eccleſ. 7.: *Non te pigeat viſi-*

(*f*) Jacob. 5.

visitare infirmum: ex hoc enim in dilectione firmaberis.

CAPUT III.

Declaretur quoque per Pastores merito eos reprehendi debere, qui ex contemptu, aut timore parum Christiano, quo sibi videlicet persuadent sese, si inungantur, eo citius morituros, ad extremum vitæ spiritum, hoc Sacramentum differre volunt, quique eo suscepto testamentum non posse condi, stulte opinantur.

CAPUT IV.

Ut vigilanter Pastor hoc Sacramentum infirmis impendat, non tantum officii sui ratio eum excitare debet, sed etiam exemplum B. Malachiæ Episcopi, de quo scribit Bernardus in ejus vita: " Quod cum ad nobilem fœmi-
" nam Oleo sacro unguendam vocatus
" esset, & illa tamen sine hoc Sacra-
" mento exspirasset; ita vir sanctus ani-
" mo consternatus est, ut juxta eam
" stans, pro Oleo S. largissimo lachry-
" marum imbre mortuam perfuderit,
" totaque nocte gemitibus consump-
" ta, non prius animo quietem resti-
" tuerit, quam defuncta ad vitam revo-
" cata gratia hujus Sacramenti, qua
" caruerat, frueretur. "

CAPUT V.

Admoneatur etiam populus Sacramentum hoc toties utiliter reiterari posse, quoties quis in gravem & periculosum morbum relabitur, præmissa tamen Sacramentali Confessione, si fieri queat: in una autem & eadem infirmitate iterari non posse. Nec preces adhiberi consuetæ omittantur, & omnibus sensuum organis inunctio adhibeatur, juxta formam Pastoralis; nisi vel mortis periculum, vel morbi genus obsistant.

CAPUT VI.

Dum sacrum Oleum ad infirmos defertur, Custos superpelliceo indutus lumen præferat, non etiam nolam sonantem.

CAPUT VII.

Prohibemus Pastoribus, ne in hebdomada S. antiquum Oleum sacrum & Chrisma comburant, priusquam novum receperint, ne quis, si aliter fiat, absque hujus Sacramenti perceptione & fructu e vivis excedat.

CAPUT VIII.

Administraturus hoc Sacramentum ægroto, explicet fructus & effectus ejus a D. Jacobo Apostolo expressos.

CAPUT IX.

Indignum est, tum demum de testamento condendo cogitari, cum infirmus muniendus est Sacramentis, & coram pacis Principe in Mysterio Eucharistiæ præsente, de bonis temporalibus difficultates, rixas, & jurgia inter hæredes & legatarios concitari: Ideo serio monemus omnes animarum Curatores, ut, antequam cum Venerabili Sacramento ægrotum adeant, eum ad bonorum dispositionem tempestive inducant, quo sic animo pacatiori Sacramenta recipere mereatur.

CAPUT X.

Cum autem multis in Diœcesis nostræ locis pravus ille mos inoleverit, ut cadaver defuncti pridie quam ad sepulturam deferatur, a vicinis adolescentulis utriusque sexus, vespere & nocte tota custodiri soleat: qua occasione multæ levitates, petulantiæ, lasciviæ, & aliæ enormes impertinentiæ committi consueverunt; quæ omnia indigna sunt Christiano, eo præsertim tempore, quo is cadaver custodire videri vult, cujus præsentia ad mortalitatis suæ recordationem excitetur: Præcipimus Pastoribus, ut serio tales nocturnas vigilias, aut custodias impediant, doceantque expedire magis defunctum ab una, aut altera gravi persona custodiri, quæ preces pro anime ejus ad Deum fundat, quam specie probitatis tot scandala committi. Contravenientes etiam volumus Curiæ nostræ insinuari, graviter puniendos.

TITULUS IX.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

Accurate complexa est Sancta Tridentina Synodus Generalis, & utraque Provincialis Mechliniensis, quæ in

in suscipiendis Ordinibus requiruntur. Quare ordinandos duximus admonendos, ut idem studium in exequendo præstent, quod in præcipiendo adhibitum esse omnes intelligunt, sequentia breviter exprimentes.

CAPUT II.

Ad minores Ordines admittendi, a Parocho & Magistro Scholæ, in qua studuerunt, probitatis & literaturæ testimonium habeant: Ad singulos autem majores promovendi, feria quarta, vel quinta ante ipsam ordinationem tempestive in civitate, aut loco, ubi Ordines conferentur, adsint super ætate, vita, doctrina, proclamationibus, natalibus, nec non valore Beneficii, patrimonii, pensionis (cujus titulo intendunt ordinari) a Nobis, seu Deputatis examinandi.

CAPUT III.

Et ut Clericus sæcularis sacris Ordinibus initiandus, ante docere debet sibi provisum esse de titulo sufficienti, Beneficiali, vel patrimoniali, & insuper jurare, quod titulum illum, quem pro futura sua promotione exhibet, vere possideat: ita etiam Clericus regularis testimonio sui Superioris ante docere debet, se Religionis, cui adscriptus est, professionem emisisse: Et insuper jurejurando affirmare, se eam sponte fecisse, aut ratam habuisse, illudque in registro ordinandorum diserte exprimatur.

CAPUT IV.

Ordinibus sacris insigniendus examen subeat, quantum possit in horariis precibus recitandis: Ordinatus vero sciat se obligatum ad istas preces quotidie persolvendas sub pœna peccati mortalis, & si Beneficiatus est, amissionis insuper fructuum illius diei, quo Officium non implevit.

CAPUT V.

Ordinati Sacerdotes intra quadraginta dies, juxta antiquam consuetudinem Primitias celebrent.

CAPUT VI.

Ordinandi titulo patrimoniali copiam ejus authenticam penes nostrum Secretarium relinquant. Idemque fiat de præsentationibus Capitulorum & Monasteriorum.

CAPUT VII.

Cum omnia Christianorum convivia frugalia & honesta esse deceat, & sobrietatem sapere, tum ejus præcipue, qui Primitias celebraturus est; Ideoque ad evitandum immoderatum luxum, & ea, quæ luxum comitari solent, pericula, insolentias, cædes, &c. omnemque immodestiam & confusionem: Mandamus, ut Sacerdos primitus Sacris operaturus, non plures, quam quinquaginta convivas invitari patiatur, sub pœna quinquaginta florenorum Seminario applicandorum, & alia arbitraria.

CAPUT VIII.

Ad tollendum quoque abusum, qui apud nonnullos frequens esse solet, ut videlicet oblationes ad Primitias conferri solitæ, in ædibus privatis super mensam communem reponantur, manifestando palam, quod quisque obtulerit, unde varia incommoda oriri notum est: districte mandamus, ne prætactæ oblationes alibi, quam in templo super altare sacrum fiant, ut non in necessitate sit munus offerentium, sed ex libera voluntate, & pia erga Sacrificantem charitate proficiscatur, sub pœna oblationum, & alia arbitraria.

CAPUT IX.

Denique nemo nostræ Civitatis aut Diœcesis ad primam Tonsuram, aut Ordines coram alieno Episcopo præsentetur, nisi de speciali nostra licentia literatorie obtenta: Neque etiam, qui alterius Diœcesis est, absque sui Diœcesani literis dimissorialibus Nobis præsentetur.

TITULUS X.

De Sponsalibus, & Sacramento Matrimonii.

CAPUT I.

Docet quotidiana experientia Matrimonia temere & præcipitanter contracta infinitas parere difficultates, & infelices sæpe exitus sortiri; ideo recte ordinatum est, ut Sponsalia de futuro, quæ Matrimonii quædam præ-

ludia ſunt, præmittantur. Quæ cum a Sacro Concilio Tridentino intacta ſint, & relicta in diſpoſitione & terminis juris communis, præterquam quod per copulam carnalem non tranſeant in Matrimonium, certum eſt ea valida eſſe, & ſervari debere, etiamſi coram Parocho & teſtibus contracta non fuerint: & cum multi aliter perperam ſentiant, error ille a Concionatoribus & Confeſſariis debita opportunitate eximatur.

CAPUT II.

Volumus nihilominus, & ſtricte præcipimus ad evitandas varias difficultates, ut ea non niſi coram duobus teſtibus & proprio Parocho, (cujus eſt Matrimonium celebrare) deinceps contrahantur: non in privatis ædibus, multoque minus in diverſoriis, ſed in loco ſacro. Qui contra tenorem hujus noſtri Statuti Sponſalia de futuro contraxerint, incurrant pœnam trium florenorum irremiſſibiliter ſolvendorum, & menſæ Sancti Spiritus loci applicandorum: Ipſe vero Parochus, aut Sacerdos, ſi ejusdem noſtræ ordinationis violator exſtiterit, pœna duplici & ſuſpenſionis a Divinis puniatur: Cui etiam ſtricte inhibemus, ne proclamationes ſuper Sponſalibus aliter, quam prædictum eſt, contractis, aut ad Matrimonii ſolemnizationem procedat, niſi illa præſcripto modo iterentur.

CAPUT III.

Ebriis Sponſalia contrahere volentibus Paſtor operam ſuam non impendat: Inquirat etiam de conſenſu parentum, quos ſi ſponſalibus obluctari videt, non temere procedat: ſed liberos moneat, ne pietatem erga parentes deſerant, ſed eorum conſilio & arbitrio ineant conjugia: Malintque Jacob virum electum, quam profanum Eſau imitari, quem ſcriptura uxores duxiſſe, ſcribit, quæ offenderant animum Iſaac. Neque tamen parentes iras gerant irreconciliabiles, ſed attenta liberorum humilitate & petita venia, bonoque regimine, benigne eos in gratiam recipiant. Quod a Parochis ex Ambr. *Ep.* 43. poterit pulchre doceri.

CAPUT IV.

Moneantur identidem Parentes, ne per vim filios adigant ad hoc, illudve Matrimonium, & irrita eſſe etiam Sponſalia de futuro, quæ per parentes ſine liberorum conſenſu expreſſo, vel tacito contrahuntur: Ideoque declarent contracturi, an libere, an coacte conſentiant.

CAPUT V.

Etiamſi Deſponſi rudimenta Religionis ignorantes, ob id a Matrimonio contrahendo arceri non debeant, Parochi tamen ſuaviter & bono modo, quando contrahentes non inſtabunt, brevi tempore eos retinere poterunt, donec doctrinam neceſſariam addiſcant. Et hoc obſervari præſtat.

CAPUT VI.

Grave eſt peccatum, quod poſt contracta Sponſalia Deſponſi ſe carnaliter cognoſcant, antequam legitime Matrimonium contraxerint, ideoque Parochus Sponſalia contrahentes admoneat, ut ad periculum incontinentiæ evitandum intra ſex ſeptimanas, niſi obſit impedimentum, ad Matrimonium procedant. Et ſi præſcripto tempore non proceſſerint, eos Curiæ noſtræ inſinuet, ſimulque mandet, ut ante Sacerdotalem Benedictionem in templo ſuſcipiendam, ſub eodem tecto non cohabitent, ſub pœna arbitrio noſtro infligenda.

CAPUT VII.

Anteqnam Sponſi ad ſolemnizationem admittantur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus Dominicis, aut Feſtivis diebus diſcontinuis in Eccleſia publice denuncientur, niſi per Nos, vel Sigilliferum noſtrum ex cauſa deſuper diſpenſatum fuerit. Semper autem inter ultimam proclamationem & Matrimonii ſolemnizationem, unus ſaltem dies intercedat.

CAPUT VIII.

Mandamus proinde Parochis, ut, quando aliquos ad contrahenda Sponſalia admittunt, diligenter ab eis exquirant nomina, cognomina, Parentes, & patriam utriusque, & ſub qua Parochia pro majori parte vitæ, maxime

me poſt pubertatis annos, ſi adoleſcentes ſint, ſi vero aliquando conjugati fuerint, poſt mortem conjugum habitaverint: & veritate rei probe intellecta, illis exponant, quo in loco, vel in locis eorum proclamationes fieri oporteat, & quibus atteſtationibus indigeant, antequam ad Matrimonii celebrationem procedere poſſint: declarando, quod ubi ſeptem annis poſt pubertatem, vel mortem conjugum habitaverint, ibi proclamationes fieri debeant. Quod ſi forte quatuor annis, vel circiter in una, & tribus, vel quatuor in alia Parochia habitaverint, eo caſu in utraque proclamatio fieri debeat.

CAPUT IX.

Quandocumque Matrimonium contrahentes, ſunt diverſarum Diœceſium, Decanatuum, aut Parochiarum, id obſervetur, quod in poſteriori Concilio Provinciali (*g*) ordinatum eſt, ad quod Lectorem remittimus.

CAPUT X.

Si quando ſuper una trium proclamationum a Nobis diſpenſetur, eo die, quo poſterior reliquarum duarum facta fuerit, Matrimonium contrahi prohibemus. Idemque multo magis ſervetur, quando unica tantum proclamatio facienda eſt, reliquis duabus a Nobis remiſſis.

CAPUT XI.

Admoneant ſedulo Parochi Matrimonio copulandos, ut juxta Concilium Tridentinum (*h*) antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante Matrimonii conſummationem ſua peccata confiteantur, pieque communicent: & ipſi Parochi non niſi confeſſos ſaltem ad ſolemnizationem Matrimonii admittant ſub pœna arbitraria.

CAPUT XII.

Laudabilis eſt conſuetudo noſtræ Diœceſis, quod Matrimonia & in Eccleſia, & inter Miſſarum ſolemnia contrahantur. Quare cum (*i*) Concilium Tridentinum ejusmodi conſuetudines retineri optet: Præcipimus, ne quis absque ſpeciali licentia ei contravenire audeat, alioqui arbitrio noſtro graviter puniendus.

CAPUT XIII.

Verum cum experientia didicerimus quosdam Parochos in dignoſcendis Matrimonii impedimentis parum eſſe verſatos: ſerio ab iis requirimus, ut attendant, quod in Concilio Trid. (*k*) de cognationis ſpiritualis ex Baptiſmo & Confirmatione contractæ, & juſtitiæ, publicæ honeſtatis impedimentis recte præſcriptum eſt: caveantque ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio, ne quos ſcienter ad Sponſalia aut Matrimonium admittant, qui ſibi conſanguinitate, vel affinitate conjuncti ſunt, & invicem attinent: niſi ea affinitas ex fornicatione ortum habeat, quæ tum ultra ſecundum gradum, juxta ejusdem (*l*) Concilii Tridentini ordinationem, Matrimonium non impedit. Reliqua vero Matrimonii impedimenta, qualia ſunt inter cætera: Frigiditas, votum ſolemne, Sacer Ordo, crimen, cultus diſparitas, error perſonæ, vis ſeu coactio, ligamen ex Canonibus & Summiſtis quærenda relinquimus. Quæ omnia, cum non ſolum Matrimonium impediant, ſed etiam dirimant contractum, diligenter a Parochis obſervari volumus ſub graviſſimis pœnis noſtro arbitrio imponendis.

CAPUT XIV.

Qui falſum impedimentum ſciens, prudensque attulerit, quo Matrimonium futurum impediat: quique verum impedimentum ſciens reticuerit, excommunicationis pœna, aliaque arbitraria caſtigetur.

CAPUT XV.

Qui quarto & quinto conſanguinitatis, vel affinitatis gradu juncti ſunt, cum citra diſpenſationis beneficium licite contrahere poſſint, nemo illis deſuper difficultatem moveat.

CAPUT

(*g*) De Sponſal. & Sacram. Matrim. cap. 3.
(*h*) Seſſ. 24. de Reform. cap. 1.
(*i*) Ibidem.
(*k*) Ibidem capite 2.
(*l*) Ibidem capite 4.

CAPUT XVI.

Statuimus, ut ſi futuro Matrimonio ſe quispiam opponat, aut Canonicum impedimentum denunciet, aut etiam dubium ſit & controverſum, an Matrimonium de jure ſubſiſtat, nec ne, non prius per Parochos ad ulteriores proclamationes procedatur, quam re ad Nos, vel Officialem noſtrum delata: & quid de ea fuerit ordinatum, per patentes noſtras literas ipſis legitime conſtiterit. Nec permittimus Parochis, ut de cauſis hujusmodi oppoſitionis, juſtæne ſint, an injuſtæ, cognoſcant, aut de illis inquirant, ſed volumus id totum noſtro, vel Officialis noſtri judicio relinqui. Ipſi vero Parochi denunciatorem impedimenti, ac deſponſos coram Nobis, ac dicto Officiali noſtro ad certum diem ad allegandam oppoſitionis cauſam citare, illisque literatoriam atteſtationem hujusmodi citationis cum cauſæ declaratione concedere teneantur.

CAPUT XVII.

Præterea, ſi poſt oppoſitionem ſuper futuro Matrimonio ſemel factam, partes inter ſe convenire, & impedimenti denunciatorem in ulteriores proclamationes, aut Matrimonii celebrationem conſentire contingat: non tamen ob id Parochus ad Matrimonii hujusmodi contractum procedat, donec illi authoritatem noſtram ea in re interveniſſe, literatorie ſignificatum fuerit.

CAPUT XVIII.

Similiter non permittimus, ut Paſtores conſentiant, ſi qui legitima Sponſalia contraxerint, ſe mutuo a facta promiſſione futuri Matrimonii abſolvant: ſed illos volumus Curiæ noſtræ denunciari.

CAPUT XIX.

Quoniam autem intelligimus Parochos quosdam in ſolemnizatione Matrimonii nullam facere diſtinctionem inter primas nuptias & ſecundas: ſtatuimus, ut ſecundum laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem, & doctrinam ſecundæ nuptiæ non benedicantur, ſicut primæ benedici debent.

CAPUT XX.

Decretum (*m*) Conc. Trident. de Matrimoniis annullatis aliter contractis, quam coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia & duobus teſtibus ſæpe populo inculcetur, & Archi-Presbyteri in viſitatione ſerio inquirant, num id præſtitum ſit: & in actis ſingularum Eccleſiarum annotent, an ſit huic mandato ſatisfactum, & inobedientes puniri queant, & eorum defectus ſuppleri: nec patiatur Parochus quempiam cujusvis gradus & conditionis hominem, qui ſibi ignotus in ſuam Parochiam ex aliena Diœceſi commigrat cum muliere, quam ſecum uxoris nomine duxerit, in ea habitare, ſi modo ex infamia, vel alia ſuſpicione legitima conjicere poſſit, illam habere in concubinam, niſi ſufficienter probaverit, ſe illi legitimo connubio conjunctum eſſe.

CAPUT XXI.

Sciant etiam Parochi, non ſufficere licentiam proprii Paſtoris ſolum præſumptam: ut non ſuos Parochianos Matrimonio conjungere poſſint; quemadmodum id ſacra Congregatio declaravit.

CAPUT XXII.

Cum ex longa conjugis abſentia non reſultet certitudo de ejus obitu, & mors non præſumatur: ſed probanda ſit (quilibet enim vivere præſumitur) ad ſecundas nuptias tranſire volens Matrimonio non jungatur, niſi habita prius legitima certitudine mortis prioris conjugis, etiamſi non ſeptem tantum, ut multis perſuaſum eſt, ſed & viginti, triginta, aut plures etiam annos abfuiſſe conſtiterit.

CAPUT XXIII.

Favore prolis ſuperſtitis concedimus, ut absque debitis ſolemnitatibus, etiam nulla proclamatione facta, in duorum teſtium præſentia concubinam cum viro, non ſine periculo mortis ægrotante, Matrimonio jungat Parochus: ſed ſi forſan convaluerit, proclamationes fieri volumus, & jubemus, niſi aliter Nobis faciendum videatur.

CAPUT

(*m*) Seſſ. 24. de Reform. cap. 1.

CAPUT XXIV.

Propter evidens ſalutis animarum periculum Paſtores ſæpius in concionibus ſignificent, præter legem naturalem & Divinam eſſe etiam Eccleſiæ prohibitionem, ne fideles cum hæreticis Matrimonia ineant, ejusque impedimenti rationem habeant ſingularem. Quomodo enim poteſt congruere charitas, ſi diſcrepat fides? cum verum ſit illud Hieronymi: *Nuſquam fidus affectus, ubi diverſa fides*; pro hac materia legant Parochi inſignem D. Ambroſii Epiſt. ad Virgilium Epiſcopum Tridentinum.

CAPUT XXV.

Præterea, ut Sacramento Matrimonii ſuus honos conſervetur, ineptas illas conſuetudines, in quibusdam locis noſtræ Diœceſis introductas, de Sponſo poſt Sponſalium, & Matrimonii contractum magna cum petulantia & Sacramenti dehoneſtatione, manibus tundendo, eodemque Sponſo & Sponſa, dum finito Sacro apud altare flexis genibus ſub Miſſali procumbunt, attollendis, abrogamus ſub pœna unius floreni a transgreſſoribus irremiſſibiliter exigendi, & menſæ Sancti Spiritus loci applicandi, aliaque arbitraria.

CAPUT XXVI.

Similiter, quia nonnullis in locis dictæ noſtræ Diœceſis mos iſte per abuſum irrepſit, ut adoleſcentes cereviſiam, aut illius loco pecuniam, quam ipſi *Donſ-gelt*, *Bal-gelt*, *Schat-gelt*, appellant, a deſponſis exigant, unde contentiones & pugnæ cum magna Sacramenti irreverentia non raro oriuntur: Mandamus ſub ſimili pœna, ne id deinceps a quoquam fiat, requirentes ſerio locorum Magiſtratus, ut eadem ſub ſimilibus vel majoribus pœnis prohibeant.

CAPUT XXVII.

Quod item in Concilio Tridentino (*n*) de tempore clauſo durante ab Adventu Domini, uſque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum, uſque in octavam Paſchæ incluſive: & de Matrimoniis, nuptialibusque conviviis, & choreis, & ſimilibus inſolentiis dicto tempore in utroque Mechlinienſi Concilio prohibitum eſt ſub pœnis arbitrariis, id inviolabiliter volumus obſervari: mandantes Parochis, ut ſi a quoquam huic Statuto contraventum fuerit, id ad Nos, vel noſtrum Promotorem deferatur.

CAPUT XXVIII.

Diſtricte quoque inhibemus ſub pœna arbitraria, ne ulli conjuges auctoritate propria, non intercedendo Eccleſiæ judicio, etſi ſubſit cauſa legitima, & jure permiſſa, divortium attentent, aut ſe mutuo repudient, aliquosque contractus, aut vota de ſeorſum vivendo inire præſumant: ſi autem ſecus a quoquam fiat, id Nobis, aut Officiali noſtro per Parochos denuncietur.

CAPUT XXIX.

Denique meminerint Paſtores frequenter docere populares ſuos tria in Matrimonio novæ legis bona, ſecundum B. Auguſtinum reperiri (*o*) Fidem, prolem & Sacramentum, Fidem quidem, quæ jus conjugii conſervet indiſſolubile, prolem, ut Dei beneficio ſuſcepta mutua benevolentia nutriatur, religioſeque inſtituatur: Sacramentum autem, ut exemplo Chriſti & Eccleſiæ connubii indiviſibilitate retineatur.

TITULUS XI.

De Cultu & Officio Divino.

CAPUT I.

Quod a Nobis Paſtoralis officii ratio poſtulat, hoc exoptamus, ut omnes noſtræ Epiſcopali curæ ſubjecti in Divino cultu & officio uniformes ſint, & unitatem ſemper obſervent. Quare omnia, quæ de cæremoniis ac ritibus Eccleſiaſticis in Tridentino & Mechlinienſibus (*p*) bene decreta ſunt, ea, tanquam hic inſerta, mandamus exacte obſervari, iis, quæ ſequuntur, ſuperadjectis.

CAPUT II.

Sicut una eſt Chriſti Eccleſia, ſic omnia Eccleſiæ membra unitatem ſervare

(*n*) Seſſ. 24. cap. 10.
(*o*) Lib. 1. de Nupt. & concup. cap. 11. & 17.
(*p*) Seſſ. 24. cap. 12.

vare necessum est; maxime autem in Sanctissimo Corporis & Sanguinis Christi Mysterio. Quare ante omnia prospiciendum judicamus, ne privatis affectibus ducti Pastores, aut alii Sacerdotes, aliis cæremoniis ac ritibus in Missa utantur, quam in Missali Romano præscribuntur, sed tremendum illud Missæ Sacrificium reverenter, pie & devote ab iis peragatur.

CAPUT III.

Cum in Synodo Mechliniensi ultima (q) statutum sit, ut in Capitulis tam Collegiatis, quam Cathedralibus, ac singulis Decanatibus, cujuscumque Diœcesis aliqui deputentur cæremoniarum ac rituum Romanæ Ecclesiæ periti, qui Primitias celebraturos dictis cæremoniis, ac ritibus devote instruant. Et deinceps nemo sæcularis Sacerdos Primitias celebrare præsumat, nisi ab aliquo ex dictis Deputatis easdem cæremonias & ritus se perfecte didicisse, Capitulo, vel Archi-Presbytero, cui subest, testimonio Instructoris sui debite probaverit sub pœna arbitraria: Volumus, & ordinamus, ut Capitula eosdem quamprimum; Archi Presbyteri vero in primo Capitulo Pastorum celebrando designent.

CAPUT IV.

Ut autem omnis irreverentia circa Missæ Sacrificium evitetur, ante omnia quod ad hanc rem attinet, quæcumque Sacrum Oecumenicum Concil. Trident. (r) statuit, observari mandamus, atque omnibus modis interdicimus, ne quis vagus, aut peregrinus Clericus, aut Sacerdos, etiam Regularis, sine commendatitiis sui Ordinarii literis ad Divina celebranda, & Sacramenta administranda, aut etiam ad prædicandum verbum Dei, admittatur: Tenebuntur autem Pastores eas literas exigere sub pœna in negligentes nostro arbitrio statuenda.

CAPUT V.

Ne ex Sacerdotum sordibus res, quæ Sacrosancta est, in contemptum abeat, maledictus namque, qui opus Dei facit negligenter, volumus & ordinamus, ut, dum Sacrificium Missæ offertur, numquam sebaceis solis, sed & cereis candelis, iis ad minimum duabus utantur secundum festi solemnitatem augendis, vasis & ornamentis, calice, patena, corporali, palla, vestibus sacris utantur mundis, & integris. Integre etiam absque Symboli Apostolici, Præfationis & Orationis Dominicæ per organa, aut chorum abbreviatione celebretur & decantetur. Organis, aliisque instrumentis ita psallatur, ne modulatione lascivas cantiones imitentur: & ea, quæ voce canuntur, procul ne sint a mente.

CAPUT VI.

Cum inter Christianæ Religionis mysteria Missa magnam contineat populi Christiani eruditionem, ut populus eorum, quæ in ea leguntur, ex verbo Dei notitiam, ac gustum aliquem habeat: injungimus Parochis, & quibuscumque Sacerdotibus, ut eam clare, distincte & exacte legant, usque ad Offertorium; Secreta vero & Canon submisse pronuntientur, nihilque in eis, etiam pietatis, vel devotionis prætextu, unquam addatur, vel mutetur.

CAPUT VII.

Ubi is abusus irrepsit, ut, ubi a pluribus simul in eodem templo ad diversa Altaria sacrificatur, populus ab Altari ad Altare ad Sacræ Hostiæ elevationem discurrat, ut ad Orationem Dominicam, vel etiam ad pacem datam, sicut plerisque moris est, perinde ac si absolutum esset Sacrificium, Templum egrediatur, plane tollendus est: In Templis etiam nunquam circumambulent, uti nec in Cœmiteriis, præsertim sub Divino Officio, donec ad Hostiæ Elevationem signum datur, qua e longinquo conspecta intermissæ tantisper inambulationes ne resumantur; ut populi etiam distractioni occurratur, pauperes per Ecclesias eleemosynas petere non permittantur.

CAPUT VIII.

Cum in ultima Mechliniensi Synodo statutum sit, (s) ut in omnibus Provinciæ pagis Missa Parochialis Dominicis

(q) De cultu Divino. cap. 18.
(r) Sess. 22. Decret. de evit. in celebr. Missæ.
(s) De cultu Divino. cap. 16.

cis & Festis diebus, certa & eadem hora semper fiat, quacumque ratione in contrarium non obstante sub pœna arbitraria: Volumus & ordinamus, ut in omnibus Ecclesiis Parochialibus, non Collegiatis, Missa, quam Summam vocamus, diebus tam Dominicis & Festivis, quam Feralibus, in hyeme quidem hora nona, in æstate vero hora octava; Missa autem matutinalis in hyeme hora sexta, in æstate hora quinta peragatur. Qua finita, soliciti sint Pastores, ut pauperes mendici, famuli, ancillæ, atque alii mechanici catechizentur & erudiantur in his, quæ sine salutis suæ periculo ignorare non possunt. Caveant Sacerdotes, ne tempore concionis hujus matutinæ, sive etiam Pastoralis audeant Missam legere, ne hac occasione auditores a catechisatione audienda avocentur.

CAPUT IX.

Ut major sit populo serviendi Deo quotidie occasio, curabunt Pastores, aut eorum vices gerentes, ubi magna est Missarum frequentia, ut per singulas horas, aut semihoras Missa fiat; sic enim & Mysteriis major redibit reverentia, & populo erit gratior ad Templum veniendi occasio. Idipsum & in Monasteriis fieri optamus, ne simultanea illa plurimorum Celebrantium turba decori domus Dei, aut Mysteriorum venerationi & gravitati aliquid decedat; sed omnia ordine, ac summo cum decore, dignitateque fiant in Dei Ecclesia.

CAPUT X.

Romana Catholica Ecclesia non sine gravi & justa ratione singulis diebus Dominicis, ac Festis, singula ac peculiaria appropriavit officia: quare ordinamus & statuimus, ut non obstante contraria fundatione aut institutione, quæ Ecclesia peculiaria ordinavit, singulis Dominicis Officia celebrentur & observentur.

TITULUS XII.

De Festis & Jejuniis.

CAPUT I.

Dies Festi Deo colendo, pietatique augendæ & fovendæ instituti, etiam sanctis exercitiis sanctificentur & transigantur solito plenius & accuratius.

CAPUT II.

Improbæ hominum cupiditati modum ponere volentes, serio prohibemus, ne imposterum in locis nostræ jurisdictioni subjectis, diebus Dominicis, aut aliis Ecclesiæ festivitatibus mercatus (nisi forte earum rerum, quæ ad usus quotidiani victus necessariæ sunt) exerceantur; aut ne subditi nostri ulli operi servili, quod sine evidenti periculo differri potest, manum admoveant, uti panno laneo, vel lineo lavando, aut dealbando, aut tingendo, oves & boves mactando, aut saliendo: merces etiam suas dictis Festis ante fores, vel in fenestris domorum, vel alibi venales non exponant. Transgressores autem hujus nostræ ordinationis, Pastores, & animarum Curatores Nobis, aut Officiali, seu Promotori nostro denuncient, arbitrio nostro pro qualitate delicti graviter puniendos. Officiali nihilominus & Promotori nostro injungimus, ut in tales, etiam non moniti a Pastoribus, inquirant.

CAPUT III.

Ut populus Dei, a rebus vanis, otio & compotationibus ad salutaria suæ salutis æternæ negotia revocetur, & ad preces præsentissima pietatis ac spei cœlestis fomenta frequentius excitetur, ac frequentet: Hortamur in Domino Pastores omnes, & obsecramus, ut Festis diebus cultum Dei in Templis potissimum a prandio instaurent, & Vesperas suo cum Custode & Scholasticis celebrare studeant: post Vesperas vero Catechizationem instituant pro juventute, ut adolescentiores in doctrina Christiana diligenter educati, & instructi, a vitiis & multis aliis erroribus retrahantur: Breve Apostolicum PII Quinti super hac re sæpius publicent, in quo hortatur locorum Ordinarios, ut in suis Civitatibus & Diœcesibus Ecclesias, seu alia loca, in quibus pueri in doctrina Christiana erudiri debeant, deputent, cum facultate Christi Fidelium Confraternitates in Ecclesiis, seu locis hujusmodi erigendi, ac indulgentiis pro Confratribus & pueros docentibus.

CAPUT

CAPUT IV.

Sicut ab omni illicito opere Dominica die & Festis abstinendum est; ita prohibemus sub pœna trium florenorum, ad usum Ecclesiæ applicandorum, omnibus Oenopolis ac Tabernariis, ne iisdem diebus tempore, quo Divinum Officium peragitur, aut verbum Dei prædicatur, pro ullis, nisi viatoribus œnopolia, aut tabernas aperiant; volentes etiam omnes & singulos, qui prætacto tempore tabernas & œnopolia potandi, aut aleis, chartis ludendi causa frequentaverint, eandem pœnam qualibet vice incurrere.

CAPUT V.

Similiter prohibemus, ne iisdem diebus Scholæ gladiatorum, aut tripudiorum aperiantur; aperientes & frequentantes, iisdem pœnis subjiciendi: Histriones etiam, comœdi, empyrici, sive errones & impostores non admittantur ad agendum, seu exhibendum: requirentes Magistratus locorum, ut eadem etiam prohibeant sub pœnis ipsorum arbitrio imponendis, in quibus præstandis eo magis Magistratus Catholici desideramus officium, quod ad magnam Catholicorum confusionem, quid in his a vigilanti Magistratu servari possit, odiis, ac inimicitiis incensa æmulatione ostendant, ubi rerum potiuntur hæretici.

CAPUT VI.

Qui autem sint dies Festi, quibus in hac Diœcesi ab opere servili cessandum est, standum est Statutis Concilii Mechliniensis, ac consuetudini singularum Parochiarum, in quibus festum Patroni celebratur.

CAPUT VII.

Festum Cathedræ S. Petri, vel festum Sancti Matthiæ in diem Cinerum incidens, in diem sequentem tam in populo, quam in Ecclesiis celebrandum transferatur: si vero festum Matthiæ incidat in feriam tertiam post Dominicam *Quinquagesimæ*, jejunium servetur Sabbato immediate præcedenti, insequentes ea in re antiquam desuper observatam consuetudinem.

CAPUT VIII.

Jejunia ab Ecclesia indicta reverenter observari volumus, admonendusque populus, cur sint instituta, nempe in expiationem, castigationemque peccatorum, & ut corpus per intemperantiam cibi ac potus luxurians, castigetur, in servitutem redigatur, quo animus vegetior, ac liberior Divinæ voluntati sese subjiciat.

CAPUT IX.

Vigiliæ singulis annis per nostram Diœcesim Buscoducensem ab universis pro rata, ac ratione suæ ætatis, nec legitime excusatis sub periculo peccati mortalis jejunandæ, in locis ab Ultrajectensi & Leodiensi Ecclesiis dismembratis præter Quadragesimam & quatuor anni tempora sunt Vigiliæ Pentecostes, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, & omnium Apostolorum (præter vigilias Ss. Philippi & Jacobi, & B. Joannis Evang.) Sancti Laurentii Martyris, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, & Nativitatis Domini: quibus postremis tribus vigiliis a lacticiniis ex observata & antiqua consuetudine abstinendum esse mandamus.

CAPUT X.

Ut Pastoribus, & animarum Curatoribus, aliisque nostris subditis augendæ pietatis demus occasionem: mandamus & injungimus, ut in iisdem illis locis illam laudabilem consuetudinem jejunandi pridie festorum Deiparæ Virginis Mariæ solemniter celebrari indictorum receptam servent, populo publicent, ut piam consuetudinem observent.

CAPUT XI.

Cum uno, eodemque Ecclesiæ Dei præcepto omnibus feriis sextis & Sabbatis, uti & toto Quadragesimæ tempore, carnium esus interdictus sit; districte inhibemus, ne quis etiam Sabbatis intra Natalem Domini, & Purificationem Beatæ Mariæ Virginis occurrentibus esum carnium attentare præsumat, aut viatoribus, etiam alterius Diœcesis proponat.

CAPUT XII.

Quod a THELESPHORO Papa olim decretum fuit, ut Clerici aliquot dies jejunando Laicos excederent: volumus & mandamus omnes Clericos Nobis ſubjectos feria ſecunda & tertia ante carniſprivium, carnibus abſtinere, ut ita religioſæ vitæ exemplo Fideles ad obſervantiam ſacrorum Canonum, & præceptorum Eccleſiæ inducant.

TITULUS XIII.

De Superſtitione.

CAPUT I.

VAria genera Divinationum recenſens Scriptura demonſtrat, non ſolum condemnandam eſſe eam Divinationem, ubi expreſſe Dœmon invocatur, ut fit in necromantia, & conſultatione Pythonis; ſed etiam eam, ubi tacite dumtaxat, advocatur, ut fit in auguriis, ubi ex garritu, vel volatu avium prædicuntur futura.

CAPUT II.

Neque vero hi ſolum, qui prædictis ſuperſtitionibus & maleficiis dant operam, graviſſime peccare cenſendi ſunt, ſed & illi, qui in ejusmodi rebus talium hominum auxilium implorant, ſolicitant, pecunia redimunt, eosque ſuper amiſſis rebus, aut occulta veritate cognoſcenda, vel ſolvendis maleficiis conſulunt. Quare ad excludendos abuſus nemo, exceptis Archi-Presbyteris, ſine noſtra licentia in ſcriptis obtenta exorcizare præſumat, ſub pœna arbitraria.

CAPUT III.

Ut deteſtabili ſuperſtitionum, & illicitarum divinationum, artiumque magicarum ſtudio certius occurratur: prohibemus omnes & ſingulos libros, opera & tractatus aſtrologiæ judiciariæ, qui de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitisve caſibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certi aliquid affirmare audent; in hisque omnibus ſervetur Bulla SIXTI V. anno 1585. edita, contra exercentes aſtrologiæ judiciariæ artem, prout & in ultima Mechlinienſi Synodo declaratur Tit. *de Superſtitione*, eaque omnia ab ea ibidem ordinata, hic pro inſertis habeantur.

TITULUS XIV.

De vita & honeſtate Clericorum.

CAPUT I.

VEhementer Eccleſiam Dei deſtrueret, ſi Laici meliores eſſent, quam Clerici; Quare ut vere Clerici ſint, & peculiari quadam ratione Dominum poſſidentes, & a Domino poſſeſſi, terrenis cupiditatibus & voluptatibus non deſerviant; cujus eos admonet regale decus Clericalis Tonſura Chriſti Domini Regis noſtri, noſtræque militiæ & immarceſſibilis gloriæ inſigne, quam omnes Ordini & gradui ſuo convenientem, perſpicue gerant, eamque ſæpius renovent. Nulli barbam nutriant, aut eam geſtent alatam, aut ultra ſupremum labrum in os propendeat, ne Corpus & Sanguinem Dominicum accepturi in peccatum irreverentiæ incidant.

CAPUT II.

Veſtibus utantur coloris dumtaxat nigri, aut ſubnigri, non diſſectis, non etiam ſuperfluo cultu ornatis, aut aliqua levitate, vel ſingularitate notandis, ſed quæ Clericalem modeſtiam præ ſe ferant; Ab odorum ſuavitatibus ſe contineant: eorumque fumis, nec veſtes, nec corpus imbuant.

CAPUT III.

Veſte non utantur, niſi Clericali & talari, niſi forte itineris cauſa. Nec larvati, aut perſonati unquam publice, aut privatim conſpiciantur. Delinquentem pro prima vice duorum menſium fructibus Beneficii ſui privamus; quod ſi contumacia meruerit, carceris etiam pœnæ ſubjiciatur.

CAPUT IV.

Tabernas non adeant, niſi ſola itineris cauſa. Compotationes quoque pomeridianas, vel domi ſuæ, vel apud alios, & conſortium quorumvis intemperantium, & male moratorum ſtudioſe declinent. Choreas non ducant aut ſaltent; Taxillis, aleis, multo minus gladiis, haſtis, ſclopis non ludant.

CAPUT V.

Non conducant alienos agros, nec eos quæstus causa colendos accipiant, neve cujusvis personæ domus, aut familiæ sæcularis patrocinium, tutelam, curam, aut administrationem suscipiant. Quomodo enim, inquit D. Hieronymus, (t) Procuratores & Dispensatores domorum alienarum atque villarum esse poterunt Clerici, qui proprias jubentur contemnere facultates.

CAPUT VI.

Nulli suspectam cum muliere consuetudinem habeant, de qua quis monitus, si non reliquerit, juxta Decreta Canonum & Concil. Trident. rigorose puniatur. Reliqua omnia generaliter quæcumque in Generali Tridentino & postremo Mechliniensi Conciliis de luxu, incontinentia, lusibus, ac aliis quibuscumque vitiis vitandis sancita, ac salubriter constituta sunt, eadem omnia sub iisdem pœnis, tanquam hic repetita, servari mandamus.

TITULUS XV.

De Ministris Ecclesiæ, & eorum Residentia.

CAPUT I.

SCiant omnes, qui Divinis mancipati sunt Officiis, se ideo de Altari vivere, & populi peccata comedere, ut Officium Ecclesiasticum pure & strenue peragendo, totius humani generis apud Divinam Clementiam causam agant, totiusque congemiscentis Ecclesiæ vota, preces & laudes Deo offerant.

CAPUT II.

Quare mandamus omnibus Beneficia, vel Officia Ecclesiastica in hac nostra Diœcesi obtinentibus, aliisque in sacro aliquo Ordine constitutis, ut Horas Canonicas devote, tractim & attente singulis diebus legant sub pœnis in Canonibus expressis, aliisque arbitrariis; declarantes eos graviter peccare, suoque officio non satisfacere, nec fructus facere suos, qui non per se, sed per alium, aut alias Horas Canonicas, aut alio modo legunt, quam a PIO V. præscriptum est.

CAPUT III.

Quorum fundationes personalem residentiam requirunt, illi ipsi resideant, aut si neglexerint, ipso facto a proventuum perceptione suspendantur, & adversus eos ad sacrorum Canonum, ac Sancti Concil. Trident. præscriptum procedatur.

CAPUT IV.

Plerique Beneficiatorum suæ obliti fundationis altaria sua destructa restituere negligunt, & sic sese a persolutione officii excusare nituntur: Quare mandamus, ut intra tres menses proxime subsecuturos omnia altaria instaurata sint, debite instructa atque ornata, prout honestas & loci pietas postulaverit, alioquin impensis eorum, qui ad hoc tenentur, Pastores exequantur.

CAPUT V.

Cum ab omnibus semper judicatum sit ordinem Ecclesiasticum vehementer perverti, quando unus plura occupat Beneficia, certumque sit animarum periculum, præsertim si sine legitima auctoritate & dispensatione fiat; volumus & mandamus, ut omnes plura Beneficia possidentes, ante Natalem Domini Nobis sese præsentent, aut privandi, aut si alterum ad honestam sustentationem non sufficiat, in eo, vel iis tolerandi.

TITULUS XVI.

De Archi-Presbyteris, & eorum Districtu.

CAPUT I.

CUm ex præscripto primæ Synodi Provincialis Mechliniensis, & vigore Bullæ: *Limitum Episcopatus nostri*, a Prædecessore nostro Reverend. D. METSIO Episcopatus noster in decem Decanatus distributus sit, atque divisus, nempe Civitatensem, Ortensem, Bœmelensem, Beeckensem, Eyndhoviensem, Offensem, Montis Sanctæ Gertrudis, Huesdensem, Ghelensem, Helmondensem; hinc est, quod attendentes ejus divisionis & distinctionis commoditatem, eam auctoritate Nobis in dicta Bulla: *Limitum*, data confirmemus,

(t) Epist. ad Nepot.

mus, eamque, prout sequitur, ab omnibus Archi-Presbyteris servandam esse statuamus.

SUB CURA ARCHI-PRESBYTERI CIVITATENSIS *erunt hæ Ecclesiæ Parochiales:*

1. *Plebania S. Joannis.*
2. *Ecclesia Parochialis Ss. Apostolor. Petri & Pauli.*
3. *Ecclesia Parochialis Divi Jacobi.*
4. *Ecclesia Parochialis Divæ Catharinæ.*
5. *Ecclesia Parochialis Baginagii.*
6. *Ecclesia Parochialis majoris Hospitalis, cum universis Sacellis in Civitate Buscoducensi constitutis.*

SUB DECANATU ORTENSI.

1. *Alem.*
2. *Berlicom.*
3. *Boextel.*
4. *Dunghen.*
5. *Dynther.*
6. *Empel.*
7. *Essche.*
8. *Engele.*
9. *Gestel prope Herlaer.*
10. *Gemonde.*
11. *Helvoert.*
12. *Haren.*
13. *Heeswyck.*
14. *Lyembde.*
15. *Orten.*
16. *Oosterwyck.*
17. *Roosmalen.*
18. *Schyndel.*
19. *Vlymen.*
20. *Vucht Sancti Petri.*
21. *Vucht Sancti Lamberti.*

SUB DECANATU BOEMELENSI.

1. *Aelst.*
2. *Amersfoeden.*
3. *Boemel.*
4. *Braeckel.*
5. *Brueckem.*
6. *Driel.*
7. *Gameren.*
8. *Hermaerden.*
9. *Hedel.*
10. *Hemert.*
11. *Horwenen.*
12. *Herwyck.*
13. *Nyewael.*
14. *Poderoyen.*
15. *Rossem.*
16. *Swlichem.*
17. *Wel.*

SUB DECANATU BEECKENSI.

1. *Arendonck.*
2. *Beke.*
3. *Bladel.*
4. *Berse Monachi.*
5. *Berse Canonici.*
6. *Best.*
7. *Casteren.*
8. *Netersel.*
9. *Diessen.*
10. *Duyssel.*
11. *Eerssel.*
12. *Gestel prope Oosterwyck.*
13. *Ghoirle.*
14. *Hulsel.*
15. *Hapaert.*
16. *Hoogheloon.*
17. *Mierdt superior.*
18. *Mierdt inferior.*
19. *Oirschot.*
20. *Poppel.*
21. *Ruesel.*
22. *Tilborght.*
23. *Wyntelre.*
24. *Vessem.*

SUB DECANATU EYNDHOVIENSI.

1. *Aelst.*
2. *Bergheyck.*
3. *Breughel.*
4. *Blaerthem.*
5. *Dommelen.*
6. *Eyndhovia.*
7. *Ghestel.*
8. *Geldorp.*
9. *Heeze.*
10. *Knechsel.*
11. *Leendt.*
12. *Meresfeldt.*
13. *Nederwetten.*
14. *Oerle.*
15. *Roye.*
16. *Rythoven.*
17. *Strathum.*
18. *Stryp.*
19. *Steensel.*
20. *Sonderwyck.*
21. *Tongelre.*
22. *Waelre.*
23. *Weerdt.*
24. *Woensel.*
25. *Westerhoven.*
26. *Zeelst.*
27. *Zon.*

SUB DECANATU OSSENSI.

1. *Berchem.*
2. *Dieten.*
3. *Demen.*
4. *Derenberch.*
5. *Doerne.*
6. *Geffen.*
7. *Heessche.*
8. *Haren.*
9. *Huesselingen.*
10. *Herpen.*
11. *Kessel.*
12. *Lith.*
13. *Lithoyen.*
14. *Loon.*
15. *Langel.*
16. *Maren.*
17. *Megen.*
18. *Macharen.*
19. *Nulant.*
20. *Nistelroye.*
21. *Os.*
22. *Oyen.*
23. *Ravensteyn.*
24. *Tefelen.*
25. *Uden.*
26. *Velpen.*

SUB DECANATU MONTIS S. GERTRUDIS.

1. *Baerdwyck.*
2. *Besoyen.*
3. *Capelle.*
4. *Druenen.*
5. *Druymelen.*
6. *Mons S. Gertrudis.*
7. *Raemsdonck.*
8. *Sprange.*
9. *S'grevenmoer.*
10. *Sevenberge.*
11. *Swalve.*
12. *Waelwyck.*
13. *Venloon.*
14. *Waesbeeck.*

SUB DECANATU HUESDENSI.

1. *Autheusden.*
2. *Almkercke.*
3. *Aelborch.*
4. *Borchoven.*
5. *Broeck.*
6. *Doeveren.*
7. *Dussen.*
8. *Eeten.*
9. *Emmichoven.*
10. *Ghysen.*
11. *Gheenderen.*
12. *Huesden.*
13. *Heesbeen.*
14. *Herpt.*
15. *Hedickhuysen.*
16. *Meeuwen.*
17. *Neerael.*
18. *Opael.*
19. *Ryswyck.*
20. *Sleewyck.*
21. *Worcom.*
22. *Veen.*
23. *Wyck.*
24. *Wercken.*
25. *Witwyck.*
26. *Werckendam.*
27. *Weert-huysen.*

SUB DECANATU GHEELENSI.

1. *Balen.*
2. *Bel.*
3. *Desschel.*
4. *Gheel.*
5. *Loemel.*
6. *Mol.*
7. *Millinghen.*
8. *Oevele.*
9. *Oosterloe.*
10. *Postel.*
11. *Rethy.*
12. *Samale.*
13. *Tongerloe.*
14. *Westerloe.*

SUB DECANATU HELMONDENSI.

1. *Asten.*
2. *Aerle.*
3. *Beeck prope Aerle.*
4. *Bakel.*
5. *Buedel.*
6. *Doerne.*
7. *Erp.*
8. *Gemert.*
9. *Gerwen.*
10. *Helmont.*
11. *Lierop.*
12. *Liesbout.*
13. *Mierloo.*
14. *Maerheeze.*
15. *Nuenen.*
16. *Rixtel.*
17. *Stiphout.*
18. *Someren.*
19. *Vechel.*

CAPUT II.

Sicut autem ad Archi-Presbyterum Civitatenſem authoritate dictæ Bullæ finium nominavimus *D. Balthazarem Boncium,* Decretorum Licentiatum, Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Canonicum; Ita nunc ad hos Decanatus Chriſtianitatis perſonas ſubſequentes, tanquam aptas & idoneas, aſſumimus, & primo ad Ortenſem, Bœmelenſem, & Huesdenſem *D. Jacobum Caſſaijer,* Sacræ Theologiæ Baccalaureum, Paſtorem S. Petri Buſcoducenſis; Ad Beeckenſem *D. Mattbæum Langecrucium,* Sacræ Theologiæ Baccalaureum, Paſtorem ibidem; Ad Eyndhovienſem *D. Jacobum Franciſci a Liesbout,* Sacræ Theologiæ Baccalaureum. Ad Oſſenſem *D. Joannem Ghisberti*, Sacræ Theologiæ Baccalaureum, Paſtorem Marenſem. Ad montis S. Gertrudis *D. Arnoldum Olerinum,* ibidem Decanum & Canonicum. Ad Gheelenſem *D. Antonium Wilſium,* S. Theologiæ Baccalaureum, Paſtorem in Mol. Ad Helmondenſem *D. Franciſcum Snoecx,* S. Theologiæ Baccalaureum, Paſtorem in Vechel.

CAPUT III.

Dictos Archi-Presbyteros tanquam noſtros in ſuo quemque Decanatu Vicarios conſtituimus, eosque ab omnibus ſibi ſubditis volumus honorari, & in Eccleſiis Parochialibus primum ſemper locum obtinere, veluti Paſtorum, & totius Cleri ſui diſtrictus Paſtores. Quorum officium imprimis erit, ſingulas diſtrictus ſui Eccleſias in propria perſona obire & viſitare ſuper exceſſibus, erroribus, vitiis, & criminibus inquirere, eaque corrigere, ac Curiæ noſtræ Promotori indicare.

CAPUT IV.

Dicti etiam Archi-Presbyteri, ſeu Decani Parochias ſibi commiſſas cum Xenodochiis, Capellis & Confraternitatibus, aſſumpto ſecum Notario, vel ſaltem aliquo Presbytero, quotannis ſecundum inſtructionem illis dandam, authoritate noſtra viſitent, ac de vita, fide & moribus Parochorum, Sacellanorum, Cuſtodum, Ludimagiſtrorum, Ædituorum, ac Gubernatorum menſæ Sancti Spiritus, reliquorumque incolarum ſeſe diligenter informent, ac advertant, an piis fundationibus, eleemoſynis & oneribus Beneficiorum & Officiorum Eccleſiaſticorum laudabiliter ſatisfiat, itemque utrum Eccleſiæ reparatione egeant, & cœmiteria bene occluſa ſint: nec Sacramentalium & ornamentorum Eccleſiæ, atque Scholarum viſitationem prætermittant. Denique obſervent, an Conſtitutiones Conciliorum tam Generalis Tridentini, & Provincialis Mechlinienſis, quam noſtri Diœceſani debitæ executioni demandentur; mandantes iisdem Archi-Presbyteris, ut juxta ordinationem Concil. Trid. acta ſuæ viſitationis nitide deſcripta, infra menſem Nobis exhibere teneantur.

CAPUT V.

Capitula Paſtorum ſinguli Archi-Presbyteri quotannis celebrent, præciſe illo die, quem illis præfigemus, ut ita ſi expedire judicaverimus, vel perſonaliter intereſſe, vel iis ſignificanda perſcribere poſſimus: In iis vero Capitulis poſt Miſſam per eos de Sancto Spiritu decantatam, Statuta Synodalia, præſertim Parochos concernentia, legi curabunt, eosdemque ad illorum obſervantiam, ac diligentem munerum ſuorum adimpletionem, & defectuum ſuorum Parochianorum declarationem pia & ſeria oratiuncula adhortabuntur, & ſi quæ Nos illis ſignificata, aut dicta voluerimus, ea noſtro nomine exponent: Deinde locum & tempus ſingulis Paſtoribus concedent, ad ſuas difficultates in medium adferendum; & ſi quid inter eos diſſidiorum ſit, ad mutuam benevolentiam adducere conabuntur. Si quis autem eorum mandatis minus obtemperaverit, is Nobis, aut Officiali noſtro denuncietur, graviter puniendus.

CAPUT VI.

Hæc Capitula ſic celebrentur, ut ea non ad comeſſandum, ſed ad tractandum de rebus Eccleſiæ indicta eſſe omnibus innoteſcat, prandiaque in tabernis ſeu diverſoriis fieri vetamus, tamque frugalia ſint & moderata, ut nemo ſumptibus, vel potu gravetur; Extranei quoque præter eos, qui fortaſſe a Nobis mittentur, ab his conviviis

viviis prorſus excludantur; quo majore cum fructu inter ſe Paſtores de rebus Eccleſiæ colloqui & conferre poſſint: declaramusque ad ſumptus dictorum conviviorum ferendos Paſtores abſentes, etiamſi legitime excuſaverint, perinde ac præſentes æqualiter obligari, & contribuere debere.

CAPUT VII.

In prima Mechlinienſi Synodo (*u*) ſtatuitur, ne Chriſtianitatum Decani alibi, quam in Templo, aut loco ſaltem decenti & honeſto, neque aliis, quam perſonis Eccleſiaſticis, & in mundis & diſtinctis capſulis ſacrum Chriſma, & reliqua Sacramentalia diſtribuant, aut deferenda committant, nec etiam pro traditione novi Chriſmatis aliquid accipiant, niſi forte ſumptus ejus cauſa factos arbitrio noſtro pro pagorum numero, & locorum a noſtra Sede Cathadrali diſtantia, taxandos; In via etiam in tabernis non potitent, nec aliud, quod ſanctitatem in hac Chriſmatis & Oleorum ſacrorum portatione non decet, committant: Novis autem acceptis Oleis ac Chriſmate vetera ſuper piſcinam comburant, aut in fomentum lampadis convertant, ac conſumant.

CAPUT VIII.

Cum dignum ſit & juſtum, ut qui ſubditorum obſequiis addicuntur, illorum ſuſtententur ſtipendiis: volumus, ut Archi-Presbyteri exequias Parochorum, & reliquorum Eccleſiaſticorum, ac Nobilium ſui diſtrictus celebrent, & jura funeralia juxta taxationem per Nos faciendam recipiant; ſunt enim Archi-Presbyteri Parochorum & Sacerdotum ſui diſtrictus Paſtores, quare ſoliciti de eorum ſalute, ubi aliquem e ſui diſtrictus Paſtoribus, aut Sacerdotibus periculoſe laborare intelligent, ſtatim ad eum excurrant, moneantque, ut ſuæ ſaluti conſulat, eique, ſi opus eſt, Sacramenta adminiſtrent; quod ſi eum ex ea ægritudine decedere contigerit, etiamſi regularis alicujus inſtituti ſit, ſtatim curabunt fieri Inventarium omnium bonorum relictorum, ut piis legatis, aliisque creditoribus de ſolutione debitorum cautum ſit, atque omnia munimenta Fabricæ Eccleſiæ, vel menſæ pauperum apud eum reperta, fabricæ eidem vel menſæ pauperum reſpective curent reſtitui. Quæ vero ad Paſtoratum, aut fundata ibi Beneficia ſpectabunt, ac ſpeciatim defuncti enchiridium, ſeu manuale, in quo redituum a ſe receptorum rationes deſcripſit, ſecum deferent: neque ulla hujusmodi monumenta relinquent in manibus aliorum, etiam ſub prætextu, quod iis forte indigeant ad executionem teſtamenti. Si tamen aliquo revera opus ſit, dabunt exemplum ſeu copiam iſtiusmodi documenti, quo ſe indigere aſſerent. Curam etiam gerent Archi-Presbyteri, ut infra annum in Curia noſtra Eccleſiaſtica domus mortuariæ computus & rationes exhibeantur & peragantur.

TITULUS XVII.

De Paſtoribus.

CAPUT I.

CUm ſalus & incolumitas Chriſtiani gregis a Paſtoribus, ſeu Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, aliisque omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, magna ex parte dependeat, valde Nobis curæ eſt, ut in oculis Dei hoc eſſe inveniantur, quod humano ore dicuntur, omnesque, quotquot in noſtra Diœceſi hiſce nominibus cenſentur, digni ſint atque idonei, quibus cura animarum tuto credi poſſit, & forma facti gregis ex animo ſcientia & doctrina illum paſcant, & in viam dirigant ſalutis æternæ.

CAPUT II.

Quare mandamus Examinatoribus a Nobis ad examen Paſtorum juxta diſpoſitionem Concilii Trident. (*x*) aſſumendis, ut diligenter intendant, ne inidoneos, indoctos, aliosque, qui magis deſtructuri, quam ædificaturi ſint domum Dei admittant; ſcientes, quod non ſolum coram Nobis, ſed coram Deo præcipue, & Paſtore Paſtorum Chriſto ejus rationem reddere teneantur, ſi in admiſſione talium laxiores fuerint. Ad examen vero Parochorum aſſumimus, & nominamus Venerabiles Viros Dominos

(*u*) De Archi-Presbyt. cap. 5.

(*x*) Seſſ. 24. cap. 18.

minos, D. *Gisbertum Cœverinx*, Decanum Ecclesiæ nostræ Cathedralis & Episcopum Daventriensem nominatum, D. *Antonium Bruyninex*, Archi-Diaconum, D. *Joannem Kievitz*, Pœnitentiarium, D. *Everardum a Ravenstein*, Officialem, & D. *Joannem Hermans*, Vicarium, Ecclesiæ nostræ Cathedralis Canonicos. Præfati autem Examinatores non singuli, sed ut minimum tres simul cum Episcopo, juxta ordinationem dicti Concilii Tridentini, hanc examinandi potestatem habeant, caveantque, ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant, sub pœna in eodem Concilio expressa.

CAPUT III.

Cum non tantum Pastoribus, sed etiam eorum Vicariis, Capellanis, eorumque Adjutoribus cura animarum incumbat, iique etiam de sufficientia docere debeant, districte inhibemus, ne cujusquam ceu Vicarii, Capellani, Adjutoris opera in Pastorali functione utantur, qui non Examinatorum suorum testimonium in scriptis exhibuerit, in quo testimonio & locum designari volumus, cum pro diversitate locorum aut personarum, quibus quis præficiendus erit, diversum esse possit, de præficiendi qualitate judicium.

CAPUT IV.

Volumus etiam & mandamus, ut omnes Ecclesiarum Parochialium Rectores, sive Pastores, cum ad Pastoratus possessionem admittentur, ultra Professionem fidei, etiam Juramentum, prout in ultima Synodo Mechliniensi, præstent, quod est tale: *Ego N. juro & promitto obedientiam, reverentiam & honorem Summo Pontifici Romano, ac Reverendissimo Domino Episcopo N. eorundemque Successoribus. Item juro & promitto Ecclesiæ meæ Parochiali de N. fideliter deservire secundum oneris illi annexi exigentiam; & in eo personaliter residere. Bona Pastoratus, vel Ecclesiæ meæ non alienabo, & indebite alienata, quantum in me erit, fideliter recuperare studebo. Specificationem omnium fructuum Pastoratus mei cum debita designatione Hypothecarum, limitum, & terminorum intra annum a festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ proxime venturo Archi-Presbytero tradam; fructus anni, in quo me mori, aut meam Ecclesiam dimittere continget, subjicio & obligo ad laudabilem deservituram, usque ad festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ mortem vel dimissionem meam proxime subsecuturum. Sic me Deus, &c.*

CAPUT V.

Cum ex dilata vel suspensa Parochialis Ecclesiæ collatione, provisione & institutione salus populi in periculum veniat, omnia, quæcunque in Constitutione PII V. anno 1566. xv. Kal. Aprilis, anno ejus secundo edita, quæ incipit: *In conferendis Beneficiis Ecclesiasticis*, ad hujus periculi & incommodi cautelam statuta, decreta, & ordinata sunt, in usum ducenda publicamus; declarantes omnes ad collationem, provisionem & institutionem, intra tempus ibidem præscriptum faciendam esse obligatos, diesque ibidem præscriptos nullatenus esse prorogandos.

CAPUT VI.

Intelligant Pastores omnes, quibus animarum cura commissa est, præcepto Divino sibi mandatum esse, ut oves suas agnoscant, pro his Sacrificium offerant, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascant, & pro earum salute, quandocumque opus est, animam suam ponant, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerant, piorum legatorum diligentem rationem habeant, & feriis monitionibus satagant, ut ante finem anni piis Fundatorum voluntatibus satisfiat, & in cætera Pastoralia munera incumbant.

CAPUT VII.

Ad implenda & præstanda hæc Pastoralis officii debita, ad assiduam apud oves suas residentiam se jure Divino obligatos esse intelligant Pastores, nec ab ovibus suis sine licentia Decani ruralis, ac, nisi alteri approbato, ab Ordinario cura commissa, ultra octiduum absint.

CAPUT VIII.

Pastor domui suæ erit bene præpositus, ut non tantum ipse, sed & ejus familia irreprehensibilem vitam agat: Qui enim domui suæ præesse nescit,

ſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit. Si vero familiam non alat, habitationem eligat, non procul tamen ab Eccleſia, nullo autem modo in diverſorio, aut in domo malæ famæ.

CAPUT IX.

Serio mandamus Parochis, ut diligentiſſime advigilent, ut notorios exceſſus & ſcandaloſa crimina ſuorum Parochianorum: qualia ſunt hæreſes, aliique in doctrina Chriſtiana errores, adulteria, incæſtus, blaſphemiæ, uſuræ, & ſimilia, aliaque omnia, quæ ad cognitionem & correctionem Eccleſiæ pertinent, Nobis, ſeu Decano ſuo Chriſtianitatis, aut Curiæ noſtræ Promotori absque diſſimulatione, aut conniventia denuncient.

CAPUT X.

Paſtorali ſolicitudine & diligentia providendum eſt, ne ſimplices in hæreticorum libros ignoranter incidant, & incauti ex venenato eorum calice mortem imbibant, ut libri hæretici & a veritate diſcordes in nullo uſu habeantur, ſub pœnis a Sancta Sede Apoſtolica & ſacris Canonibus conſtitutis, noſtriſque arbitrariis, præter eas etiam, quas ſuper hoc Regia Catholica Majeſtas juſte edidit, & promulgavit.

TITULUS XVIII.

De Cuſtodibus.

CAPUT I.

CUm Cuſtodes oſtiariorum in Eccleſia munus gerant, decernimus, & ordinamus, ut inpoſterum ad Cuſtodum miniſterium non alii admittantur, quam viri Deum timentes, religioſe pii, non bigami, aut tonſura Clericali non inſigniti, boni nominis & famæ, honeſtæ etiam converſationis, periti etiam cantus, qui ſi Sacerdotes haberi poſſint, præ cæteris ad officia Cuſtodum aſſumantur, ut hac commodiori ratione Officium Divinum honeſtius peragi poſſit.

CAPUT II.

Habiles ad id muneris & idonei inventi, atque ad miniſtrandum Deo & Eccleſiæ aſſumendi Decano rurali præſentabuntur, ab eo cum Paſtore examinandi, & admittendi. In admiſſione præſtent juramentum de obedientia in his, quæ officii ſui ſunt, exhibenda Paſtoribus. Promittant etiam, quod perſonaliter reſidebunt, & officium & miniſterium per ſe præſtabunt; quod ſi ob juſtam rationem per ſe non poſſint, ſubſtituere teneantur debite qualificatum a Decano rurali, & Paſtore loci examinandum, ac cum aſſignatione honeſtæ competentiæ admittendum.

CAPUT III.

In adminiſtratione Sacramentorum, & Officio Divino ſuperpelliceo induti Paſtoribus aſſiſtant, alioqui officio privandi; Oſtia Eccleſiæ diligenter cuſtodiant, eaque debitis temporibus aperiant. Baptiſterii ſingularem curam habeant, ne apertum relinquatur.

CAPUT IV.

Ex antiqua & laudabili Eccleſiæ conſuetudine mane, meridie, & veſperi ad innovandam Incarnationis ac Paſſionis Dominicæ, nec non Reſurrectionis memoriam campanæ majoris pulſu dent ſignum, ut & in omni ſumma Miſſa Elevationis Sacratiſſimæ Euchariſtiæ: concitata etiam tempeſtate campanas pulſare non omittant.

CAPUT V.

Qui tabernas aperiunt, aut officium Prætoris, Foreſtarii, Procuratoris ſubeunt, aut aliqua officia ſordida exercent, nullatenus in officio ſunt tolerandi, ſed ipſo facto privati exiſtant, poſſetque ſtatim alteri de officio Cuſtodis provideri.

TITULUS XIX.

De Scholis.

CAPUT I.

JUventutis inſtitutio tanti momenti eſt, ut ab ea totius propemodum Reipubl. Chriſtianæ ſalus dependeat; quare id curent Paſtores omnes, ut quamprimum Scholæ in urbibus, oppidis & pagis Diœceſis noſtræ, ſi collapſæ fuerint, reſtituantur, ſi conſervatæ, colantur & augeantur. Hoc, ut cum effectu fiat, Scholæ Scholaſticis Capitulorum, vel etiam ipſis Capitulis tan-

tanquam Scholaſticis ſubjectæ, ab iisdem Scholaſticis, vel a Capitulis deputandis, cæteræ omnes ab Archi-Presbyteris, vel aliis ad id a Nobis deputandis, ſingulis ſaltem ſemeſtribus ſerio viſitentur.

CAPUT II.

Chriſtianam juventutem ante omnia optime inſtitui volumus in Orthodoxa Fide, & fundamentis Chriſtianæ Religionis, uti & in cantu Gregoriano, ac doceri modum orandi, Sacerdoti ſacrificanti inſerviendi, peccata ſua confitendi; utque a teneris omnes diſcant immaculatam ſemper habere conſcientiam, quatuor anni Feſtivitatibus omnes Scholares ad Confeſſionem ducantur; quod & in Scholis Dominicalibus inviolabiliter ab earum Rectoribus obſervandum ſtatuimus.

CAPUT III.

Quæcumque de Scholis Dominicalibus inſtituendis, in utraque Synodo Mechlinienſi (y) authoritate Concil. Trid. (z) conſtituta ſunt, ad effectum deducantur: Et ne juentus a viſitandis ejusmodi Scholis avocetur, requirimus Magiſtratus locorum, ut adhibitis Parochis, primo quoque tempore earum erectioni, ſeu inſtitutioni diligenter ac ſerio incumbant: eoque tempore, (a) quo juventus in Scholis inſtituitur, a tripudiis, & aliis inſolentiis, quibus juvenes a Scholis avocentur, omnino abſtineatur.

CAPUT IV.

Omni querelæ & executioni pauperiorum obviando, quo minus filios ad Scholas mittant: decernimus & ſtatuimus, ut Rectores menſæ S. Spiritus ſolvant Ludimagiſtris dimidium didactri ejus, quod ditiores pendunt, & ex eleemoſynis menſæ ejusdem ſuppeditent eis libros ad diſcendum neceſſarios, curentque, ne unquam deſint ipſis Catechiſmi, & præmiola in Catechizatione pauperibus diſtribuenda.

CAPUT V.

Nullus poſt hac Ludimagiſter ad docendum publice vel privatim aſſumatur, niſi per Nos, aut Decanum ruralem ad hoc a Nobis deputandum examinatus & idoneus repertus fuerit: Volentes, ut antequam quisquam admittatur, Fidei profeſſionem in Synodo prima Mechlinienſi expreſſam faciat, & ante omnia literas teſtimoniales vitæ & converſationis ſuæ exhibeat.

CAPUT VI.

Nullus etiam Cuſtodum, ſeu Ludimagiſtrorum libros a Nobis, vel Archi-Presbyteris noſtris non viſitatos, aut approbatos in Scholis prælegere Scholaribus præſumat, alioqui officio ſuo privandus, ſi contrarium attentaverit.

TITULUS XX.

De Bonis Eccleſiarum & Beneficiorum.

CAPUT I.

CUm ſpiritualis dignitas ſine bonis temporalibus haud facile poſſit conſiſtere, maxima ſane eſt cura adhibenda, ut a quibus ſacra Myſteria dependent, debite conſerventur: Mandamus itaque univerſis Parochis, aliisque Beneficiorum & Officiorum Rectoribus, ut fructus, proventus, aliaque bona ad ſuas Eccleſias, & Beneficia, ac Officia pertinentia, ſarta & tecta teneant, multo magis abſtineant ab eorum venditione, permutatione, oppignoratione, & alia quavis alienationis ſpecie, niſi ad hoc Decretum noſtrum in ſcriptis ſigillo noſtro munitum habuerint, quod ſine cauſæ cognitione, & aliis de jure requiſitis elargiri non ſolemus: Injungentes iisdem, ut ſi quæ bona illegitime & indebite alienata ſint, repetant & recuperent ſub pœna ſuſpenſionis ab Officio & Beneficio, aliaque arbitraria.

CAPUT II.

In illum finem Archi-Presbyteri incumbant non tantum, ut Beneficiorum, omniumque Eccleſiaſticarum fundationum ſui diſtrictus notitiam habeant; ſed etiam eorundem qualitates, valorem videlicet & onera norint, an hæc perſolvantur, & an ipſa bona juxta verum valorem elocentur: Num etiam alienationes perpetuæ, aut ultra tempus

(y) 1. Tit. de Schol. Dom. (z) Ibid. cap. 2. (a) Seſſ. 24. c. 4. de Reform.

tempus legitimum de iis fiant: & si quos in hujusmodi possessionibus male versari cognoverint, Nobis nominatim transmittant.

CAPUT III.

Et quia experientia cognovimus, Ecclesiarum res quam plurimas destitutas defensoribus, hac diuturna belli injuria, munimentis suppressis, vel perditis ita periisse, aut certe ignorari, ut vix spes ulla superfit, illas in jus suum vindicandi: Nihilominus ne officio nostro, quantum in Nobis est, deesse videamur, ex intimo charitatis affectu requirimus omnes Secretarios, Graphiarios, antiquorum censuum & jurium Dominicalium Receptores, aliosque, quibus similis est professio, Notarios, ut si quæ bona Ecclesiastica occasione officiorum, negotiorumque in domibus mortuariis, vel aliter quocumque modo occurrerint, & de præsenti occurrunt, de quibus est suspicio, inique supprimi, & detineri, Nobis amore Dei & zelo, quem debent Ecclesiæ, suggerere non graventur, beneficio præstito semper salvo.

CAPUT IV.

Ut autem populus intelligat, quam sit grave & enorme facinus Christi patrimonium, & suorum Ministrorum alimoniam injuste possidere: monemus Pastores, ut Decretum Concilii Tridentini (*Sess.* 32. *Cap.* 2. *de Reformatione*) insertum ultimo Concilio Mechliniensi Provinciali hoc Titulo, cum edicto Serenissimorum Principum *art.* 21. 22. oblata occasione, suis frequenter inculcent, declarando non tantum peccare malæ fidei possessores, sed etiam conscios injuste detinentium, nisi tales ab iis revelentur.

CAPUT V.

Similiter promulgari sæpius volumus, quæ in eodem Concilio Trid. *Sess.* 25. *Cap.* 12. *de Reform.* de reddendis Decimis decreta sunt, & in eandem sententiam adduci edictum PHILIPPI secundi.

CAPUT VI.

Curent Pastores, Custodes, & Matricularii Ecclesiarum, ut antiqua & consueta jura sibi solvantur a Parochianis, ut sunt inter cætera panes præbendales, oblationes Paschales, & certa quota seu mensura siliginis pro agrorum, quos colunt, quantitate, & numero equorum, & alia similia emolumenta, curis & matriculariis pro anniversariis, aut alia de causa legata vel debita, utque iis in locis, ubi eorum solutio in dissuetudinem venit, negligentia Pastorum, aut alia ratione, rursum in usum revocetur, implorato, si est necesse, nostro auxilio. Quoad illa vero jura, quæ post Sacramentorum administrationem Parochis dari consueverunt, observentur ea, quæ in Concilio Provinciali Mechliniensi primo (*De Deca. Christ. Cap.* 12.) hac de re decreta sunt.

CAPUT VII.

Ne autem prædictis juribus, & aliis quibuscumque Curiæ nostræ commissis, solutione præjudicium generetur: præcipimus, ut census in specie debiti, ac reditus quorumcumque granorum & leguminum, nec non halecum, vini, olei, ceræ, & similium in specie quotannis persolvantur, aut saltem in pecunia juxta præsentem fori æstimationem, non autem in certa semper pecuniæ quantitate: redimi vero non patiantur, absque nostro decreto, & causa a Nobis mature examinata: sed nec si originarie eos pecunia emptos docuerint debitores (quibus, si se onere illo exolvere prætendant, id demonstrare incumbit ex edicto Regiæ Majestatis anno 1571. super reductione & redemptione redituum promulgato, ac sententia & declaratione facta in Concilio privato, habita aliorum Conciliorum deliberatione, inter Status Ecclesiasticum & sæcularem Namurcensem 26. Octob. anno 1573.) sine scitu tamen nostro pecuniæ capitales recipi non possunt, cum in redemptione similium redituum, præsertim antiquorum, multa ad emolumentum, aut jacturam piæ causæ spectantia attente & industrie perpendi debeant. Quoad Decimas autem, ne loca, termini & jura earum deperdantur, aut saltem obscurentur: Pastores, & omnes, qui eas intuitu Ecclesiæ possident, omnino advigilent, ut illæ curru decimali cir-

tumeunte, colligantur, prohibentes venditiones, elocationes earum, aliosve contractus, per quos collectioni ejusmodi præstatur impedimentum.

CAPUT VIII.

Si quæ bona ad Parochiales Ecclesias, aut quæcumque Beneficia, sive Officia spectantia, ob non solutionem censûs ab ipsis Pastoribus aut Beneficiatis evincantur, non propterea liceat pignora sic evicta sibi reservare, aut ea transmittere in suos hæredes, sed ipsis Ecclesiis, Beneficiis aut Officiis acquisita habeantur. Si quis aliter se fecisse deprehendatur, ultra notam malæ suspicionis arbitrio nostro puniatur, & contra hæredes, tamquam detentores Ecclesiasticorum bonorum, procedatur.

CAPUT IX.

Cum Ordinarius in sua Diœcesi omnium Beneficiorum, bonorumque Ecclesiasticorum sit Curator, & Rector supremus: ordinamus, quod tempore vacationis ac litispendentiæ deservituræ Ecclesiarum ac Capellaniarum, Beneficiorum, officiorumque Ecclesiasticorum, ac etiam ob temerariam Rectorum absentiam, ab iisdem videlicet, quando illi Nobis literas privilegii & dispensationis, quibus a residentia excusari volunt, tempestive ante festum S. Ægidii non exhibent, nec juxta ordinationem Concilii Provincialis Mechliniensis primi, docent, quod extra locum residentiæ Clericaliter, & convenienter Ordini suo incedant & vivant, tunc dispositio servitii, seu deservituræ, ac omnium fructuum ejusmodi Ecclesiarum & Beneficiorum, ad Nos juxta antiquam & laudabilem consuetudinem habentem in Jure Canonico fundamentum spectet & pertineat.

CAPUT X.

Cum usu & diuturna consuetudine sit compertum, quantum Ecclesiis detrimenti importetur ad longum tempus rerum Ecclesiasticarum locatione: ordinamus & statuimus, ut Decimæ ultra triennium non elocentur; prata quoque, quando separatim elocabuntur, non ultra sexennium, & terræ arabiles ac domus non ultra novem annos. Nec (*b*) contractus ejusmodi elocationum renoventur, nisi finito biennio prioris contractus: quoad decimas quadriennio, quoad prata sexennio, quoad domus & terras arabiles, nec quis umquam prædictos terminos excedat, nisi observatis solemnitatibus, quæ ad alienationem rei Ecclesiasticæ, de jure requiruntur, sub pœna arbitraria, & nullitatis totius contractus.

CAPUT XI.

Elocationes Bonorum Ecclesiasticorum, quæ anticipatis solutionibus fiunt, a Concilio Trid. (*c*) reprobatas, præsenti Statuto reprobatas declaramus: ulterius statuentes, ne Ecclesiarum Rectores, aut Beneficia Ecclesiastica quomodolibet obtinentes, pendentes Beneficiorum fructus, aut proventus currentes, quovis prætextu, vel causa vendant, aut elocent, nisi dilata in id tempus pretii, vel mercedis solutione; quo fructus erunt a solo separati, aut annus cessit, ne illis cedentibus aut decedentibus fraudatis successoribus, Ecclesia debitis muneribus destituatur sub pœna arbitrio nostro infligenda.

CAPUT XII.

Actu quoque comperimus, a nonnullis fieri elocationes cum facultate conductoribus data in elocandis fundis ædificandi & plantandi, & cum onere ædificata & plantata, æstimatione peritorum termino elocationis finito, per Possessores acceptandi, aut elocationis terminum prolongandi. Quæ cum plurimum detrimenti & difficultatis secum sæpissime ferant causam perpetuæ elocationis, aut obligationis generantes, etiam cum præjudicio Successorum: omnibus bonorum Ecclesiasticorum Possessoribus inhibemus, ne peragant elocationes suas, cum dictis, & aliis ejusmodi conditionibus, sub pœna arbitraria, & damna atque interesse recuperandi.

CAPUT

(*b*) Edictum Sereniss. Principum art. 20. in calce Concil. Mechlin. post.
(*c*) Sessione 25. capite 11.

CAPUT XIII.

Hoc etiam ſerio mandamus univerſis Parochis, aliisque Beneficiorum & Officiorum Rectoribus, ut in locum arborum cæduarum, quæ vel vetuſtate, vel alio modo pereunt vel cæduntur (quas tamen nonniſi congruo & debito tempore pro locorum conſuetudine cædi volumus) alias plantent: quoad arbores vero incæduas, illæ absque noſtra ſpeciali licentia non cædantur, ac pretium inde proveniens ad augmentum,& utilitatem Beneficiorum, aut reparationem ædificiorum eorundem applicetur, & nihilominus in locum earum aliæ ſubſtituantur, ſub pœnis arbitrio noſtro imponendis.

CAPUT XIV.

Ut ſaluberrimum Decretum Concilii Provincialis Mechlinienſis ult. *Cap.* 3. *hoc Tit.* primo quoque tempore ob juſtas cauſas huc uſque intermiſſum, executioni mandetur: mandamus omnibus & ſingulis Beneficiorum Poſſeſſoribus, curatis & non curatis, reſidentibus & non reſidentibus, ut ſecundum illius Capituli tenorem, munimenta, literas originales fundationum earundem, & omnium bonorum ad Beneficia ſpectantium, intra trimeſtre a concluſione præſentis Synodi, una cum claro & diſtincto inventario ſive regiſtro eorundem bonorum, cenſuum, omniumque proventuum, & onerum cum plena & determinata deſignatione limitum & hypothecarum, illoque, ſi a quindecim annis factum eſt, renovato & authorizato Decanis Capitulorum, vel Archi-Presbyteris, quorum viſitationi ſubſunt, exhibeant in Archivis Epiſcoporum, vel Capitulorum aſſervandis ſub pœnis ibidem contentis arbitrio noſtro applicandis: ubi vero prædictæ literæ & munimenta ſunt conſumptioni proxima, in authenticam formam tranſumantur, expenſis Poſſeſſorum: eodem modo ſi nulla, aut imperfecta ſunt regiſtra, ſtatim confici & perfici procurentur.

CAPUT XV.

Prædicti autem Poſſeſſores ſibi reſervabunt copias authenticas dictorum regiſtrorum, illaque quotannis Archi-Presbyteris viſitantibus tempore ab iis præfigendo exhibebunt, & juncto noviſſimo & legali ſtatu bonorum dictarum fundationum, illaque regiſtra in dicta qualitate, gratis Succeſſoribus relinquent.

CAPUT XVI.

Ut conſervationi munimentorum & regiſtrorum ad Beneficia ſpectantium magis ſit proſpectum: mandamus omnibus Eccleſiaſticis, ut dum teſtantur ſemper aliquam perſonam Eccleſiaſticam, Executorem ſui teſtamenti nominent, aut alioqui per Ordinarium, vel Capitulum, cui immediate ſubſunt, adjungetur Executor Eccleſiaſticus, ſub pœna arbitraria, ſi eundem non admiſerit.

TITULUS XXI.

De Bonis Fabricæ, & Menſæ Sancti Spiritus.

CAPUT I.

FAbricis Eccleſiarum, Capellis, menſis Sancti Spiritus, Zenodochiis, aliisque piis locis præficiantur viri providi, idonei, & boni teſtimonii, nullo modo de hæreſi ſuſpecti, qui ſciant, velint, valeantque loca ipſa, bona eorum ac jura ſub juramento fidelitatis, inſtar Tutorum, & Curatorum coram Parocho præſtando, antequam adminiſtrationi ſeipſos immiſceant, utiliter regere, & teneantur ſingulis annis, vel ſaltem ſingulis bienniis, ubi tenuiores ſunt proventus,Decano Chriſtianitatis, aut ſaltem Paſtore loci, tamquam noſtris hac in parte Deputatis, præſentibus, aliisque in edicto Sereniſſimorum Principum nominatis *Cap.* 23. legalem computum ſine fautis & reſtantiis reddere, qui de decennio in decennium plenam contineat ſpecificationem, juxta Concilium Mechlinienſe (*d*) noviſſimum.

CAPUT II.

Pro illis autem reſtantiis, quæ a multis retro actis annis ceſſerunt, aſſumatur per Optimates cujusque loci Receptor, qui illas absque ulla diſſimulatione

(*d*) De elocat. & conſil. bon. Eccleſ. cap. 8.

latione ſub certa mercede exigat, & colligat, ac computum de eisdem modo præmiſſo præſtet.

CAPUT III.

Cum autem adminiſtratio illorum bonorum ſuſcipiatur, ſub juramento fidelitatis inſtar Tutorum & Curatorum: nolumus, ſi quæ damna patiantur ejusmodi bona, culpa regentium, aut alii fiant ſumptus immoderati in bonis elocandis, aut cum venditoribus candelarum cerearum, aliarumque rerum Divinum cultum concernentium, ut in computu faciendo illorum diſpendiorum, & ſumptuum inutilium, ratio habeatur. Et ut de computibus ejusmodi bene confidamus: mandamus prædictis Magiſtris, ut Decanis viſitantibus ex noſtra parte deputatis, debite illos exhibeant.

CAPUT IV.

Si quæ bona reddantur litigioſa, & agatur de notabili præjudicio eorundem, nihil litis attentetur a Magiſtris abſque conſenſu Paſtorum, & magis notabilium, aut potius Nos requirant, ut prudens conſilium, evitatis expenſis, ſuggeramus.

CAPUT V.

Fructus, qui pauperibus addicti ſunt, vere pauperibus frugi & Catholicis, & diebus Dominicis & Feſtivis poſt ſummum Sacrum & Concionem (quibus omnes intereſſe debent ſub privatione eleemoſynæ) ſine humano affectu diſtribuantur. Notabiliter ante feſtum Nativitatis JESU Chriſti & Paſchæ, Magiſtri S. Spiritus, dabunt nomina Paſtoribus gaudentium ſubſidio S. Spiritus, ut Fidem eorum & Religionem cognoſcant: non enim eleemoſynis gaudere poterunt, niſi de confeſſione & communicatione in Paſchate docuerint.

CAPUT VI.

Ad minimum duo ſint eodem tempore Magiſtri fabricæ, menſæ S. Spiritus, Confraternitatum, aliorumque ejusmodi locorum, & illi non ultra biennium in officio continuentur, niſi rurſus renovatis juramentis legitime reſumantur, & quolibet anno unus deſtituatur, & alius aſſumatur, ita ut ſenior, cui in omnibus junior auxilio eſſe debet, ſolus rationem & computum reddat, & reſtantias ſui anni exigat, & recipere teneatur, ſimiliter junior anno ſequenti, & ſic conformiter.

CAPUT VII.

In omnibus Parochiis fiat regiſtrum (ſi nulla ſint authentice conſcripta) in quo deſcribantur omnia bona, legata, cenſus, aliaque emolumenta, & proventus ad illas Parochias, ſive fabricas, Capellas, menſas S. Spiritus, & ejusmodi loca pia pertinentia, cum diſtincta & determinata deſignatione, ut Titulo: *De bonis, Benef. & Eccleſ. C.* 16. fieri voluimus. Hoc autem regiſtrum cum aliis munimentis originalibus, in tutiore parte Templi Parochialis in firmo ſcrinio ad hoc parato, recludatur, ſub tribus clavibus diverſimode fabricatis, quarum unam habet Paſtor, alteram primarius Mamburnus fabricæ, & tertiam Rector S. Spiritus. Si quando ſcrinium ejusmodi erit aperiendum, clavium Cuſtodes ipſi perſonaliter compareant, niſi ægritudine, aut legitima abſentia excuſentur, & tunc non aliis claves ſuas credant, niſi dignioribus & ſenioribus poſt ſe, aut aliis probatiſſimæ fidei.

CAPUT VIII.

Cum bona Beneficiorum, Officiorumque quocumque nomine appellentur, & fabricarum, menſarum Sancti Spiritus, Confraternitatum, aliorumque piorum locorum tamquam paris conditionis, eadem ſolicitudine conſervari debeant, quæcumque Tit. *De bonis Benef.* præſertim *Cap.* 1. 7. & 8. fieri mandavimus circa venditiones, alienationes, cenſuum ac proventuum ſolutiones, elocationes, hoc etiam Magiſtri, ſive Adminiſtratores fabricarum, menſarum S. Spiritus, Confraternitatum, & ejusmodi locorum facere teneantur.

TITULUS XXII.

De Eccleſiis & Cœmiteriis.

CAPUT I.

QUia Domum Dei mundities maxime decet, præcipimus, ut Eccleſiæ, Sacella, & alia loca Deo ſacra

cra per eos, quibus id oneris incumbit, frequenter mundentur, ac eadem in tectis, campanis, fenestris vitreis, pavimentis, ostiis, seris, aliisque similibus debite interteneantur. Altaria tribus, aut ad minus duabus mappis mundis benedictis cooperiantur, & antipendiis, cortinis, ac aliis necessariis ornentur: in Sacristiis lavacra cum aqua, & munda manutergia ad usum Presbyterorum celebraturorum semper appendeant, & in iisdem Ecclesiis, præsertim Parochialibus, aqua lustralis suis locis numquam desit. Præcipue autem Sacratissima Eucharistia, & Olea sacra sub fideli custodia, & in loco tuto, vasis mundis serventur, ita ut impiis & sacrilegis hominibus non facilis ad ea accessus pateat: Et ob reverentiam tanti Sacramenti perpetuum lumen (quo significetur præsens esse, qui lucem habitans inaccessibilem mentium nostrarum tenebras illustrat) ante Sacratissimam Eucharistiam ardeat. Denique Fons Baptismalis sera & operculo, cancellisque occludatur, & mundus adservetur, atque aqua cum mantili ibidem etiam in promptu sit, ut post Baptismum collatum Parochus digitos abluat & abstergat.

CAPUT II.

Et cum Templa Dei piis atque honestis ornamentis illustrari & adornari debeant, quæ popularium animos non ad lasciviam atque gentiles cogitationes alliciant, sed ad devotionem, & religionem excitent: pro executione Concilii Tridentini (e) mandamus, ne quis in illis ornandis adhibeat aulæa aut imagines lascivas procaces, & ob pudendam nuditatem, vel aliter obscenas, & quæ vel ethnicorum hominum, vel aliarum rerum, quæ a Religione, aut a rei veritate & loci sanctitate alienæ sunt, speciem referunt.

CAPUT III.

Quoniam Ecclesiarum proventus tam sunt exigui, ut necessariis non sufficiant expensis, multo minus ornamentis earundem, Æditui, aut Præfecti Ecclesiarum, juxta antiquam & laudabilem consuetudinem diebus Dominicis & Festis solemnioribus collecturi eleemosynas per Ecclesias ad illarum usum circumeant, & receptorum curam habeant, reddituri rationem earundem tempore generali computui præfinito: Ad eundem finem in dictis Ecclesiis Parochialibus ponatur capsula sive vasculum sub claustro duarum clavium diversi fabrilis operis; quarum una teneatur a Pastore, altera a seniore Æditua.

CAPUT IV.

Ecclesiæ & Cœmiteria non sint usui res profanas, onerave asportantibus, sacraque loca per viam quasi publicam transeuntibus: neque in iis frumentum, hordeum, aut leguminum genus, instrumenta ad prædiorum rusticorum usum comparata, aut quæcumque supellex profana recondantur, aut asserventur. Neque similiter in dictis cœmiteriis frumenta, quasi in area ventilentur, frugesque expandantur.

CAPUT V.

Præterea stricte mandamus, ne in dictis Ecclesiis & cœmiteriis judicia sæcularia serventur, neque ludi histrionum, & jaculatorum exhibeantur, nec forum rerum venalium, prandia publica, compotationes, tripudia teneantur, nec banna seu edicta sæcularium Judicum proclamentur; requirentes locorum Magistratum, ne hæc sub certa pœna fieri permittant: nec deinceps abusum, qui in nuptiis, dedicationibus, aut aliis sagittariorum conventibus in cœmiteriis per tympanorum pulsationem, bombardarum ejaculationem, & alias ejus generis insolentias contingere solet.

CAPUT VI.

Ut Ecclesiæ, vel Cœmiteria sanguinis effusione, vel aliter polluta, diabolo suadente, & instigante, sub tanta diu non maneant fœditate: statuimus & mandamus Custodibus, Matriculariis, Pastoribus, & quibuscumque, ad quorum notitiam pervenit, ut illam profanationem statim Archi-Presbyteris suis insinuent. Curati, in quorum Parochiis præmissa contingent, ita solicite in hoc se mandato habeant, ne possint de negligentia deprehendi.

(e) Sess. 25. de Invocat. &c.

CAPUT VII.

Quia occaſione confugientium ad Eccleſias jura aſyli irreverentiæ ſubinde comitantur, convivia & compotationes agendo ; Præcipimus Paſtoribus, ut ſi ab illis in loco ſacro talia fiant, eos authoritate noſtra moneant, ut intra triduum poſt monitionem ipſis factam, recedant, alioqui privilegiis & immunitatibus indigni judicabuntur; Nam ratio non permittit illos gaudere privilegiis & immunitatibus Eccleſiæ, qui in eam ſcelera & inſolentias committere non verentur. Ut evitetur omnis difficultas & occaſio litis, quæ circa immunitatem præſtandam confugientibus ad Eccleſias, exoriri ſolet, obſervetur Conſtitutio GREGORII XIV. quæ incipit: *Cum alias nonnulli,* &c.

CAPUT VIII.

Cœmiteria, quæ a belli tempore adhuc fortalitii ſpeciem tenent, ſtatim compleantur, & muris, foſſis, aut ſepibus ita muniantur, ut nec contentioſis ac diſſolutis hominibus, qui eadem ſæpius profanant, nec feris aut fœdis animalibus pateat ingreſſus, ſed nec in hortos redigantur, nec beſtiæ in illis paſci ulla ratione permittantur: etiam inhibentes, ne dicta loca Fidelium ſepulturæ deputata, hominum excrementis conſpurcentur; requirentes locorum Magiſtratum, ut ejusmodi profanationes pœnis ipſorum arbitrio imponendis coerceant.

TITULUS XXIII.

De Teſtamentis.

CAPUT I.

CUm in officiis charitatis & piæ remunerationis, iis primo loco deceat beneficium impendere, in quorum gratiam beneficium noſcitur datum & acceptum; ardentius monemus omnes Eccleſiarum noſtrarum Clericos, ut de iis, quæ ex juſta rerum ſuarum diſpenſatione ſupererunt, ſupremæ voluntatis declaratione non ſecundum carnem & ſanguinem, ſed utilitatem Eccleſiæ Dei diſponant. Licet enim requirentibus indulgeatur, ut de acquiſitis etiam per Eccleſiam teſtari poſſint, ſcire tamen debent ejusmodi indulto, non permitti libertatem legandi, teſtandique in quosvis fines & uſus inſtar patrimonialium.

CAPUT II.

Quoniam in omnibus piis voluntatibus ſit per locorum Epiſcopos providendum, ut ſecundum defuncti deſiderium omnia fideliter fiant, licet etiam a Teſtatoribus contingeret interdici: diſtricte mandamus ſub pœna condigna omnibus ejusmodi teſtamentorum Executoribus, ut omni diligentia, omnibusque viis & modis, quibus poſſunt, ſanius pias decedentium voluntates executioni demandent, & infra annum a die mortis Teſtatorum coram Nobis, vel noſtris Deputatis de ſolutione piorum legatorum legitime edoceant, ſub pœna in jure expreſſa, aliaque arbitraria, Nobisque teſtamenta, codicillos, & alia munimenta ad hoc neceſſaria ſine dolo & tergiverſatione exhibere teneantur.

CAPUT III.

Omnes Notarii, & quicumque ultimas voluntates conſcribendi poteſtatem habentes, Nobis, ſeu noſtris Deputatis intra trimeſtre a morte teſtantium extractum authenticum de piis legatis exhibeant : Mandantes eisdem, ut pia legata, quæ a Teſtatoribus conſueverunt Cameracenſi, Leodienſi, Trajectenſi aſſcribi, deinceps Eccleſiæ noſtræ Buſcoducenſi aſſcribi.

CAPUT IV.

Et ut prædicta circa Notarios ſuper miſſione extractus firmius obſerventur, duximus ſubjungendum, ut omnes & ſinguli Curati locorum, ubi Teſtatores decedunt, Notarios ejusmodi ſuper extractu mittendo Nobis, ut præmittitur, noſtra authoritate moneant diligenter, ac Nobis, aut noſtris Deputatis inſinuent ipſorum Teſtatorum & Notariorum nomina, & utrum ipſos Notarios monuerint, & eorum monitioni parere parati fuerint.

TITULUS XXIV.

De Sepultura Eccleſiaſtica & Exequiis.

CAPUT I.

MAnifeſtum uſurarium, niſi ſecundum Decretum LEONIS X. de uſuris

usuris restituendis (f) cautionem præstiterit, hæreticum, veneficum, sortilegum, & eos, qui sibi manus violentas intulerunt, aut in duello mortui sunt, eosque, qui tempore Paschali confiteri peccata sua, & Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ recipere contempserunt, ac postmodum subita morte præventi sunt, nec non etiam eos, qui cum antea fuerint suspecti de hæresi, Pastorem ad se in morbo advocare neglexerunt, usque in extremam vitæ horam, qua ipsis jam rationis usu & officio privatis a parentibus & amicis Pastor advocatur (nisi eodem Pastore præsente signum aliquod notabile pœnitentiæ dederint) Ecclesiastica sepultura privandos declaramus, sicuti omnes alios, qui juxta Ecclesiæ Constitutiones ad mortem more fidelium digne se non præparaverint.

CAPUT II.

Pastores, casu necessitatis excepto, neminem ad sepulturam admittant nocturno tempore, sed ab iis servetur antiqua & laudabilis consuetudo, quæ postulat corpora Defunctorum efferri ad sepulchra ante meridiem, Missasque pro iis celebrari servata precum & aliarum cæremoniarum solemnitate.

CAPUT III.

Ne sepulta Defunctorum corpora aerem inficiant, aut gravem per Templa, aut cœmiteria effundant odorem, & liberata sint a bestiis & canibus, fossores sepulchrorum ad quatuor pedes profunda fodiant, sub pœna arbitraria per Nos infligenda: pro infantibus sine Baptismo decedentibus, in aliqua cœmiterii parte locus profanatus, deputetur, in quo soli illi sepeliantur, ut impediatur etiam abusus illos in parentum hortis & domibus sepeliendi.

CAPUT IV.

Exequiæ Defunctorum non protrahantur ultra sex septimanas, a die mortis absque consensu nostro. Quod si dictis septimanis elapsis, hæredes, vel consanguinei defuncti, etiam postquam ad hoc a Pastore præmoniti & requisiti fuerint, illas persolvi non curent: Injungimus Pastoribus, ut eos Nobis, aut nostro Promotori enuncient. Item, ut serio moneant Parochianos suos, eisdemque authoritate nostra præcipiant, ne quod per eorum corruptelam irrepsit, convivia exequiarum in multas horas protrahant, potuque nimio excedant.

CAPUT V.

Quoniam Ecclesiasticæ est Constitutioni contrarium, & a rationis tramite alienum, ut quis falcem mittat in messem alienam: nullus defunctum alienæ Parochiæ, in Parochia sua sepelire præsumat, cum secundum BONIFACII VIII., & ALEXANDRI III. Constitutionem, corpus defuncti & omne emolumentum occasione illius receptum, debeat restitui, graviter eum puniemus, si secus factum fuerit, nisi tamen defunctus salvo jure Parochiali libere & non inductus fide interposita ab alieno Parocho, ibidem elegerit sepulturam, aut fuerit peregrinus, sive occasione parentum, aut alio jure sepulturam habuerit.

CAPUT VI.

Si qua controversia de efferendis aut sublatis Defunctorum corporibus, vel aliqua alia re, eo spectante, oriatur, ad nostrum judicium referatur. Nec non inhumata semel corpora sine expressa licentia exhumari interdicimus.

TITULUS XXV.

De Seminario.

CUm juxta Oecumenici Concilii Tridentini, & primæ Synodi Provincialis Mechliniensis Decreta, (g) ac serias admonitiones Catholicæ Majestatis gloriosissimæ memoriæ desuper subsecutas, Seminarium Clericorum in hac Diœcesi per Reverendissimum Dominum LAURENTIUM METSIUM piæ memoriæ, secundum Episcopum Buscoducensem, alias fuerit institutum detractis a fructibus mensæ Episcopalis, tum Capitulorum tam Cathedralis, quam Collegiatorum, Abbatiarum, Monasteriorum, Pastoratuum, & aliorum Beneficiorum certis portionibus: iisque

(f) Cap. 2. de Usur. in 6.

(g) Sess. 23. cap. 18. de Ref. Tit. de Seminario.

iisque ad opus ejusdem Seminarii assignatis, quæ etiam per aliquot annos pro majori parte ita fuerunt persolutæ: Atque cum postmodum supervenientibus præteritis intestinorum bellorum in hoc afflictissimo Belgio tumultibus, aliisque calamitatibus inde secutis, idem Seminarium paulatim omnino interierit: Nos igitur dictum Seminarium restituere cupientes, illud ipsum Seminarium cum consilio duorum de Capitulo nostro Cathedrali, & duorum de Clero hujus Civitatis Deputatorum authoritate Nobis per dicta Concilia attributa denuo erigimus, & similes fere portiones juxta modum & formam præscriptos detraximus, & eidem Seminario assignavimus: Statuentes insuper, ut omnes mulctæ & jura absentiarum ad usum ejusdem Seminarii deinceps revertantur & applicentur.

TITULUS XXVI.

De Judicibus delegatis.

CUm ex designatis per Concilium Provinciale *Tit.* 25. *Cap.* 5. ad delegationem causarum in partibus mortuus sit Reverendus Pater *D. Arnoldus Vessemius*, Abbas Monasterii Bernensis, in ejus locum hæc Synodus nominat & designat Reverendum Patrem *D. Joannem Vercuylen*, Prælatum dictæ Abbatiæ: nec non, ut plenius Decreto Concilii Tridentini satisfiat, Reverendum Dominum *Judocum Vossium*, Juris Utriusque Licentiatum, Ecclesiæ Cathedralis Buscoducensis Canonicum & Cantorem.

Lecta & publicata fuerunt hæc Decreta in Refectorio Fratrum Dominicanorum Buscoducensium præsentibus Synodi Patribus, de mandato Reverendissimi Domini Episcopi, eidem præsidentis, Anno a Nativitate Domini 1612. *Mensis vero Octobris die* 10.

JUDOCUS VOSSIUS,
Synodi Secretarius.

G. KEMPEN, *Scriba dictæ Synodi.*

SYNODUS DIOECESANA GANDAVENSIS,

Anno Christi MDCXIII. Pauli V. Papæ IX. Matthiæ Imp. II.

SUB

HENRICO FRANCISCO van der BURCH (*),
V. Gandavensium Episcopo,

UNDECIMA DIE MENSIS SEPTEMBRIS ABSOLUTA.

HENRICUS FRANCISCUS van der BURCH, DEI & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Gandavensis, omnibus Clericis & potissimum Ecclesiarum Rectoribus suæ Diœcesis Salutem.

UT novissimum Concilium Provinciale Anno Millesimo sexcentesimo septimo celebratum, & anno sequenti a Sua Sanctitate confirmatum, in hac nostra Diœcesi debite publicaretur Rmus D. DAMANTIUS piæ memoriæ Diœcesanam Synodum non diu post indixe-

(*) HENRICUS FRANCISCUS VAN DER BURCH, patre Joanne, Viro peritissimo & integerrimo, sanctioris apud Belgas Concilii Præside, ac Belgicis de rebus quam optime merito, Gandavi natus, ibidemque in Parochia D. Nicolai, ubi magnificum

indixerat conformiter plane sacris Canonibus, qui in Conciliis Episcopalibus Statuta Provincialia publicari mandant C. Sicut olim. De Accusation. *Sed per ejus mortem paulo post subsecutam, & diuturnum languorem, ac mortem quoque non diu dilatam Rmi D. MASII immediati ejus Successoris evenit, ut sub neutro eorum celebrata fuerit. Et ut paucis mensibus, quibus hic resedimus, de abusibus & defectibus, ac statu hujus Diœceseos plene informari nequivimus, ita quoque prætacti Concilii celebrationem ad menses aliquot differre non injuste potuissemus, sed persuasi plus damni emersurum ex dilata publicatione Concilii Provincialis, quam sperari queat utilitatis ex dilatione & exactiori celebratione Synodi Diœcesanæ, eam diutius differre noluimus. Ut autem ea, quæ reformanda sunt, minus nos laterent, non solum Archi-Presbyteros nostros, & diversos alios, qui de statu hujus Diœceseos notitiam aliquam habent, desuper audivimus, ac serio examinavimus; sed ipsi quoque quanta potuimus diligentia Diœcesim nostram percurrimus, & præcipua loca visitavimus. Contra defectus, abusus, corruptelas & scandala, quæ partim personali nostra visitatione, partim ex fide dignorum relatione cognovimus, per convenientes Ordinationes, & Decreta, quæ concepimus, opportuna remedia adhibere conati sumus. Ea quoque adjecimus, quæ ad faciliorem executionem Concilii Provincialis facere judicavimus. In omnibus (quantum potuimus) laudabilibus consuetudinibus, & Statutis Sedis Archi-Episcopalis (cui subsumus) & Diœcesis Mechliniensis nos conformare studuimus, amore concordiæ & uniformitatis multis de causis merito semper expetendæ. Eo etiam magis uniformitatem istam amplexi sumus, quod ut Diœceses istæ, Mechliniensis scilicet & Gandavensis, sunt contiguæ, ita quoque paria utrobique vitia, iidemque abusus & defectus iisdem modis & rationibus, paribusque remediis curari debere videantur. Et quia multi Pastores & Confessarii Statutis præcedentis Concilii Diœcesani, quod sub Reverendissimo Domino JANSENIO piæ memoriæ celebratum fuit, passim destituuntur, & illud ipsum Concilium venale haud reperiri conqueruntur, ne iterato excudi debeat, & diversorum Conciliorum libellis Pastores & alii graventur, præcipua illius Statuta in hoc nostrum Concilium transtulimus, omissis iis omnibus, quæ vel per Concilium Provinciale abrogata sunt, vel ei inserta reperiuntur, vel ob mutationem temporum utiliter servari nequeunt. Cæterum superest, ut unusquisque juxta*

cum postea Baptisterium erexit, sacro ablutus ac renatus fonte, eas in spes adolevit, quas æqui rerum æstimatores de ipso conceperant. Candidi semper apertique pectoris erat, ad voluntatem aliorum nihil, ad veritatem loquens omnia: pietatem, ac morum integritatem tanto semper & amavit, & coluit studio, ut ne latum quidem unguem ab illa discederet. Religiosum fuerat agere quidquam aut alteri consulere, quod cum recti honestique legibus adamussim non consensisset. Optimo vitæ exemplo tam domi, quam foris prælucebat. Juris utriusque Licentia, quem sibi gradum honoris tum felici, quo suos inter socios præstabat, ingenio, tum suapte industria pepererat, exornatus, Atrebatensibus primum Canonicis adcensebatur; inde ad Decani in Ecclesia Mechliniensi ac Vicarii Generalis anno 1591. provectus dignitatem, nihil quæsivit studiosius, quam gloriæ Divinæ ubivis propagandæ, animorumque cœlo lucrandorum occasionem. Hanc reperisse videatur, cum Gandavensis ipsi anno 1612. Ecclesia ac triennio post Archi-Episcopalis Cameracensis crederetur regenda. Utramque Provinciam magna prudentiæ, ac pietatis laude administravit. Non reticendum, quod novem & octoginta dedicarit Ecclesias, ampliarit novis magnificisque ædificiis Episcopale Palatium, & alia, præter dotatas liberaliter pauperum Scholas, plurima munificentiæ suæ monumenta posteritati reliquerit. Obiit Montibus Hanoniæ, plenus meritis Antistes anno 1644. die 23. Maji, ætatis annum agens septuagesimum septimum. Breve istius, ibidem in templo Societatis nostræ tumulati, elogium legitur; longius apud Rev. & Cl. D. Ludovicum Fulonium in libro, cui titulus: *Epitome vitæ & virtutum Illustrissimi & Reverendissimi Domini D. FRANCISCI van der BURCH, Archi-Episcopi & Ducis Cameracensis, S.R.I. Principis, Comitis Cameracesii, &c. auctore R. D. LUDOVICO FOULON, Ecclesiæ Metropolitanæ B. Mariæ Cameracensis Canonico*, Insulis edito in 4to. ex Officina Nicolai de Rache M.DC.XLVII.

Vide *Anton. Sanderum de Gandavensib. eruditionis fama clariss. Lib. I. pag.* 56. *Joannem Bapt. de Castillion in sacra Belgii Chronolog. P. II. pag.* 358. & *pag.* 512.

juxta vocationem suam cum hæc nostra, tum Provincialia Statuta, quæ omnia magno omnium applausu legitime publicata fuerunt, executioni mandare pro virili conetur. Valete, & Omnipotentem DEUM pro nobis orate.

INDEX TITULORUM HUJUS CONCILII.

DECRETA ET STATUTA
SYNODI DIOECESANÆ GANDAVENSIS.
TITULUS I.
De Professione Fidei, ac his, quæ ad ejusdem Fidei integritatem conservandam pertinent.

CAPUT I.

Cum postrema Synodus Provincialis statuat, & decernat, ut omnes omnino Concionatores, & Confessarii faciant Fidei professionem juxta Bullam PII IV. Religiosi ad excipiendas confessiones, aut concionandum deinceps admitti volentes, facient eam singuli coram Superiore suo regulari, & de ea facta docebunt, dum se Nobis sistent pro admissione obtinenda.

CAPUT II.

Cuicumque deinceps de Canonicatu in Ecclesia Collegiata providebitur, is quoque ante faciet Fidei professionem in Capitulo suo, quam ad residentiam admittatur.

CAPUT III.

Quæ in novissima Synodo Provinciali de Fidei professione a Ludimagistris utriusque sexus, Typographis, Bibliopolis, ac Librariis emittenda, decreta sunt, æque præsentes ac futuros Ludimagistros, Typographos, Bibliopolas, ac Librarios concernunt: Ea propter quicumque eorum, debitam Fidei professionem hactenus non fecerunt, eam sibi faciendam superesse, non ignorent, & jussi facere non detrectent, ne quid durius alioquin in eos statuere cogamur.

CAPUT IV.

Fidei professionem emittere obligatus, opera Procuratoris non utetur, sed per seipsum id præstabit, & super Fide Catholica uniuscujusque professionem emissuri, is, qui eam excipiet, summariam informationem ante capiet, si & quatenus id requiri, aut expedire judicaverit.

CAPUT V.

Statuto Concilii Provincialis, ut nemo præter juratos Typographos, Biblio-

Bibliopolas & Librarios juratos, ullos libros excudere, aut venales exponere præsumat, contravenire censendi sunt, qui passim absque licentia, & permissione Superiorum quoscumque libros, cantilenas, ephemerides, aut similia ante fores Templorum, aut in aliis publicis locis venalia exponunt, vel plateatim circumferunt. Et reipsa compertum est, complures venenosos libros hac ratione per Diœcesim sparsos fuisse magno multorum malo. Ideoque instantissime rogat hæc Synodus omnes Prætores, ac Præfectos Justitiæ & Magistratus, ut ad id impediendum, authoritate sua viriliter utantur, etiam quoad confiscationem ejusmodi librorum, cantilenarum, & ephemeridum, prout olim CAROLUS Quintus Augustæ admodum memoriæ, edicto sancivit Anno 1550. quod & Anno 1556. a Rege PHILIPPO Secundo confirmatum est.

CAPUT VI.

Regulares, quibus de libris Religiosorum sui Ordinis censere ex privilegio, aut concessione Superioris permittitur, eam potestatem non extendant. Et nemo omnino sæcularis vel regularis prætextu solius gradus, quem in Universitate adeptus est, censendi facultatem sibi vendicet.

CAPUT VII.

Cum absque legitima licentia (*a*) Episcopi vel Inquisitoris, nemini sacra Biblia vulgari lingua legere, seu habere liceat, & aliter ea legere seu habere præsumens, peccatorum absolutionem percipere non possit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, Bibliopolæ exacte observent, quod Regula 4. Indicis librorum prohibitorum ipsis mandatur, ut scilicet nemini, prædictam facultatem non habenti, Biblia idiomate vulgari conscripta vendant, vel alio quovis modo concedant, sub pœnis in eadem Regula contentis: Et sciant omnes non modo integra Biblia lingua vulgari legere, legendique potestatem non habenti vendere illicitum esse, verum etiam non permitti lectionem aut venditionem, solius veteris, vel novi Testamenti absque simili licentia, &c, quatenus opus est, idipsum prohibemus.

TITULUS II.

De Sacramentis in genere.

CAPUT I.

Claves Tabernaculi Sanctissimi Sacramenti, & armarii, in quo recluduntur sacra Olea, nec non seræ, qua concluditur sacer fons, nunquam relinquantur in summo altari, vel Sacristia, vel penes Custodem, aut quemcumque alium non constitutum in Ordine sacro.

CAPUT II.

Ex sacra materia cujuscumque Sacramenti, nullus unquam Parochus aliquid tradet alicui, vel tradi permittet prætextu medicinæ, vel maleficii tollendi, neque ipse ad alium usum ea utatur, quam ad quem ab Ecclesia destinatur, sub pœna arbitraria, eaque gravi.

CAPUT III.

Constat hæreticis in more esse, ut etiam ad periculosissime laborantes non curent advocari Pastorem antequam agonizent, vel usum linguæ cum intellectu amiserint, atque ita omnis admonitionis sint incapaces, & ad Sacramenta rite suscipienda se disponere non possint: tum vero Pastor accersitur, ut morientium famæ consulatur, qui propriæ saluti consulere noluerunt, & ne indigni videantur Ecclesiastica sepultura. Ut his periculosissimis fraudibus utcumque obvietur; Pastores singuli, simul atque aliquem subditorum de hæresi non temere suspectum ægrotare cognoverint, mox ægrotum accedent, etiam non vocati, & aperte & candide cum eo agent, non celantes suspicionem hæreseos, qua laborat, & discrete proponentes, quæ ad resipiscentiam & contritionem excitandam facere judicabunt, debitam Fidei professionem ab eodem exigent, & ad piam Sacramentorum susceptionem ipsum inducere conabuntur. Et si quis forte ita monitus debitam Fidei professionem emittere, ac Sacramenta suscipere pertinaci-

(*a*) Regula 4. Indicis Librorum prohibitorum.

tinaciter recuſaverit, eidem morienti Eccleſiaſtica denegetur ſepultura.

CAPUT IV.

Si dum ægrotis Sacramenta adminiſtrantur, irriſione, geſtibus ludicris, vel aliter quomodocumque notabilem irreverentiam ab aliquo fieri contingat, is Nobis, ſeu Curiæ noſtræ denuncietur, in exemplum & terrorem aliorum puniendus.

CAPUT V.

Dum ſacro Chriſmati, vel aliis ſacris Oleis deficientibus admiſcendum eſt oleum non conſecratum, guttatim hoc fiat, ita ut quantitas ejus, quod infunditur, ſemper minor ſit, vel certe non notabiliter major quantitate Olei conſecrati.

CAPUT VI.

Occaſione adminiſtrationis Sacramentorum nihil exigatur ante ipſam adminiſtrationem, poſt eam tamen, vel quod ſponte offertur a fidelibus, vel quod laudabili conſuetudine tamquam debitum præſtari ſolet, velut vitæ ſtipendium, recipiatur, imo & jurium ſolutio juridice exigatur, cum eam ſubditos ex malitia recuſare conſtat.

TITULUS III.

De Sacramento Baptiſmi.

CAPUT I.

SI forte alicubi aqua ſacri Fontis corrumpi, vel lapideum vaſculum Fontis tempore gelu, vel aliter quomodocumque findi, atque ita ipſas aquas effluere contigerit, Parochus non expectet Sabbatum ſanctum, vel vigiliam Pentecoſtes, ut novas aquas conſecret, ſed faciat id, quam fieri poterit, citiſſime, oſtiis tamen clauſis, & excluſis laicis, ipſo vaſculo debite antea mundato, &, ſi neceſſe fuerit, curet quoque illud ipſum ære, vel plumbo antea obduci, aut aliud integrum & honeſtum comparari.

CAPUT II.

Ubicumque juxta ſacrum Fontem necdum extructa eſt piſcina, citra moram extruatur, & in eam, dum aqua Fontis renovanda eſt, vetus aqua infundatur.

CAPUT III.

Liber, in quo ſcribuntur nomina & cognomina baptizatorum, & patrinorum ac matrinarum, continere inſuper debet nomen & cognomen utriusque parentis, hoc eſt, patris & matris uniuſcujusque baptizati, & quando completus fuerit, ſervabitur in archivis Eccleſiæ, quemadmodum in noviſſimo Concilio Provinciali ordinatum eſt de libro Matrimonio junctorum.

CAPUT IV.

Infantes ſine Baptiſmo morientes nec in loco ſacro, nec in parentum, vel aliorum privatorum hortis ſepeliantur, ſed communis aliquis locus juxta cœmeterium eorum ſepulturæ deputetur.

CAPUT V.

Quandocumque infans ſub conditione baptizandus eſt, eum baptizaturus hac forma utetur: *N. Si es baptizatus, ego te non baptizo: Si autem non es baptizatus, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et antequam dicere inceperit: *Ego te baptizo*, aquam infanti non ſuperfundat.

CAPUT VI.

Pueri expoſititii ſemper & indiſtincte ſub conditione baptizentur, ſive ſal iis appoſitum fuerit, ſive non: ſiquidem poſt celebrationem Concilii Provincialis, reipſa compertum eſt, ſubinde ſal pueris expoſititiis apponi in ſignum Baptiſmi non conferendi, ſed collati.

CAPUT VII.

Parochus ob id, quod puer baptizandus ſit illegitimus, vel ex parentibus pauperibus, & exteris caſu illic natus, nullusque pro ejus alimentatione fidejuſſor ſeſe offerat, ipſum baptizare non recuſet, nec differat, etſi Magiſtratus loci, vel alii quicumque, ob prædictas vel alias ſimiles cauſas, puerum baptizari prohibeant. Et generaliter quandocumque infans baptizandus offertur, vel Parochus ad baptizandum vocatur, is officio ſuo fungi non differat, & nullo modo in diem Dominicum, vel Feſtum proximum, Baptiſmum rejiciat ſub pœna arbitraria. Et moniti, ut infantes ſuos baptizari curent,

curent, si intra triduum non obedierint, denuncientur.

CAPUT VIII.

Monachi & Moniales, etiam Monasteriis Præfecti, ut per se, ita quoque per Procuratorem, infantem e sacro Fonte suscipere prohibentur.

CAPUT IX.

Alieno nomine infantem suscipiens, cognationem spiritualem non contrahit, sed is, a quo mandatum habuit: uterque tamen libro baptizatorum inscribatur hoc modo: *Susceptor N. nomine N.*

CAPUT X.

In periculo mortis domi baptizatus, si postea ad Ecclesiam deferatur, ut omissæ cæremoniæ a Parocho adhibeantur, nullam omnino cognationem contrahit cum patrino ad Catechismum vel exorcismum in Ecclesia adhibito. Quare nec nomen ejusmodi patrini libro baptizatorum & susceptorum inscribendum est. Et si forte inscriptio urgeatur, hoc modo ea fieri debet: *Susceptor in Catechismo & exorcismo N.*

CAPUT XI.

Convivia puerperiorum, quibus Parochi per novissimum Concilium Provinciale interesse prohibentur, non ea tantum intelligimus, quæ fiunt ipso die Baptismi, sed illa quoque omnia, quæ ante purificationem puerperarum occasione Baptismi, aut patrinorum celebrantur: Et ut cæteri omnes Sacerdotes ab iis abstineant, mandamus.

CAPUT XII.

Advigilent Pastores, ut, quod de obstetricibus in novissimo Concilio Provinciali *Tit.* 3. *Cap.* 7. & in edicto Serenissimarum suarum Celsitudinum pro observatione ejusdem Concilii *Art.* 8. ordinatum est, debitæ executioni mandetur.

TITULUS IV.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

Pastores singuli sub id temporis, quo Episcopus in iis locis hoc Sacramentum administraturus est, subditos suos plene instruant de iis omnibus, quæ ad Sacramentum hoc digne suscipiendum pertinent, nec non de multiplici utilitate, ac effectibus ejusdem, simulque serio eos adhortentur, ne illud suscipere differant.

CAPUT II.

Consulant etiam confirmandis, eorumve parentibus, ut Sacerdotes, aut in aliis sacris Ordinibus constituti, vel patrui, avunculi, amitæ, aut materteræ, aut similes consanguinei, aut affines in patrinos, aut matrinas potius assumantur, quam extranei, ne cognatio spiritualis, quæ est impedimentum Matrimonii dirimens, inter eos contrahatur, qui aliquando forte Matrimonio jungi optarent.

CAPUT III.

Dubitantes, num aliquando Sacramentum hoc susceperint, illud ipsum dubium, & rationes dubitandi Nobis exponant, ut sub conditione confirmentur, si ita fieri debere judicaverimus.

CAPUT IV.

Confirmandi septennio non sint minores, nisi ex rationabili causa Confirmanti aliud videatur.

CAPUT V.

Non confirmatus, vel Christianæ fidei rudimentis non instructus, ad tenendum confirmatum non se ingerat.

TITULUS V.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

Cum Decreto novissimi Concilii Provincialis de erigendis confessionalibus, quæ Confessarium a pœnitente asserculo cancellato, ac pœnitentem a sequentibus alio asserculo disjungant, in plerisque locis necdum satisfactum sit: intra quatuor menses ubique illi satisfieri mandamus, iisque elapsis extra ejusmodi confessionalia fœminarum, etiam religiosarum, confessiones a quoquam excipi prohibemus extra casum necessitatis, sub pœna suspensionis ab officio Confessarii, & alias arbitraria.

CAPUT II.

Ut quis in hac Diœcesi confessiones excipere possit, non sufficit eum a

quocunque Episcopo examinatum, & admissum esse, sed ab Ordinario loci, seu Episcopo Gandavensi admissus esse debet: & asserenti se a Nobis, aut aliquo Prædecessorum nostrorum admissum esse credi nolumus, nisi idipsum in scriptis doceatur. Ita quoque admissus aliorum confessiones excipere non præsumat, quam in quos ordinariam, vel subdelegatam habeat jurisdictionem. Et si forte aliquibus ab aliquo Prædecessorum nostrorum data sit potestas admittendi Confessarios, vel absolute, vel in certo loco, vel ad certum tempus, eam morte concedentis extinctam esse declaramus, &, quatenus opus est, revocamus.

CAPUT III.

Sacerdotes sæculares non nisi superpelliceo, vel alba induti sæcularium non ægrotorum confessiones excipiant: Pastores vero & Vice-Pastores etiam stolam superaddant, & nullus omnino Confessarius regularis vel sæcularis, cujuscumque personæ confessionem aliter excipiat, quam sedens, nec aliter, quam cooperto capite Sacramentalis Absolutionis sententiam ferat.

CAPUT IV.

Nemo etiam vota obedientiæ a filiabus confessionis exigat, vel admittat, sub pœna arbitraria. Et ut perversis & reprobis hominibus omnis calumniandi occasio, quantum fieri potest, subtrahatur, mandamus, ut, dum tenebræ sunt, nemo, nisi adhibito lumine, fœminarum confessiones excipiat.

CAPUT V.

Casus in Diœcesi Gandavensi Episcopo reservati sunt hi: Sodomia, cum aliis delictis ejusdem generis gravioribus, raptus virginum, homicidium voluntarium, incendium ex deliberata voluntate procuratum, Simonia, hæresis, apostasia, incestus cum consanguineis aut Sanctimonialibus, injectio manuum violenta, deliberato proposito, cum læsione in parentes facta, sortilegium, adulterium notorium, & omnia delicta, quæ excommunicationem Ordinario reservatam, annexam habent.

CAPUT VI.

Qui ab his casibus absolvendi potestatem accepit, non ad destructionem, sed ædificationem ea utatur, exponendo pœnitentibus peccatorum gravitatem, & convenientes satisfactiones, prout spiritus suggesserit, prudenter injungendo.

CAPUT VII.

Pro peccato occulto pœnitentia publica non imponatur; & occasiones propinquas peccandi vitare nolentibus, beneficium absolutionis non impendatur.

CAPUT VIII.

Caveant etiam Confessarii in examinandis pœnitentibus, præsertim circa vitia carnis, ne indiscretis interrogationibus eos doceant peccata, quæ ignorant, vel aliter scandalizent: & in cæteris omnibus prudentes sint ac circumspecti, eaque sinceritate ac ædificatione munere suo fungantur, quemadmodum & Sacramenti sanctitas postulat, & animarum salus deposcit.

CAPUT IX.

Male admodum faciunt, qui absolventes non dicunt simpliciter: *Ego te absolvo a peccatis tuis*, sed addunt, *confessis, contritis & oblitis*. Quare deinceps ab hujusmodi additione quilibet abstinebit. Pœnitentia quoque ante imponatur, quam detur absolutio.

CAPUT X.

Quod in Generali Concilio Lateranensi sub INNOCENTIO III. *Can.* 21. salubriter decretum est, & in Cap. *Omnis utriusque sexus.* Extra *de Pœnit. & Remiss.* repetitur, frequenter in Ecclesiis publicari debet, atque ideo etiam ad commoditatem Pastorum, & Confessariorum illud ipsum Decretum de verbo ad verbum hic inserendum censuimus.

" Omnis utriusque sexus fidelis, " postquam ad annos discretionis per- " venerit, omnia sua solus peccata, fal- " tem semel in anno fideliter confitea- " tur proprio Sacerdoti, & injunctam " sibi pœnitentiam, studeat pro viribus " adimplere, suscipiens reverenter ad " minus in Pascha Eucharistiæ Sacra- " mentum, nisi forte de consilio pro-

prii

" prii Sacerdotis ob aliquam rationa-
" bilem causam ad tempus, ab ejus per-
" ceptione duxerit abstinendum. Alio-
" quin & vivens ab ingressu Ecclesiæ
" arceatur, & moriens Christiana ca-
" reat sepultura."

Unde hoc salutare Statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate, velamen excusationis assumat: Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ipse illum non possit solvere vel ligare. Sacerdos autem sit discretus & cautus, ut more periti Medici, superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi consilium debeat exhibere, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum. Caveat autem omnino, ne verbo aut signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem: sed si prudentiorum consilio indiguerit, illud absque ulla personæ expressione caute requirat. Quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum.

CAPUT XI.

Quicumque ex mensa Sancti Spiritus eleemosynas percipiunt, apud Pastorem suum, & Magistros mensæ quotannis legitime doceant se Decreto prætacti Canonis, *Omnis utriusque sexus*, quoad annuam Confessionem, & Communionem in Paschate satisfecisse, & idipsum non docentes, prima vice ad tres menses, secunda vero vice in perpetuum omni subsidio mensæ Sancti Spiritus priventur.

CAPUT XII.

Si (quod absit) Sacerdotem cum filia spirituali, quam baptizavit, vel de sacro Fonte levavit, vel in Confirmatione tenuit, aut cum muliere, cujus Sacramentalem Confessionem audivit, fornicari contingat: sciat quicumque hoc scandalum dederit, se mox deponendum, & insuper juxta sacros (b) Canones sine conniventia puniendum.

CAPUT XIII.

Statutum est ab INNOCENTIO III. in Concilio Generali, ut Medici ad ægros in lecto decumbentes vocati, antequam illorum curam suscipiant, eos moneant de advocando Confessario, & intra quatriduum non parentium curam deserant, sub pœna excommunicationis, nisi æger paulo ante morbum confessus sit. Hanc salutarem admodum Constitutionem, a Medicis omnibus exacte observari, præsertim quoad ægros, qui aliquo modo de hæresi suspecti sunt, vel liberius vixerunt, singulariter optamus. Vel si hoc durius fortassis videatur, aut timoratis Medicis damno fore metuatur; Parochum saltem moneri curabunt quilibet Medici, quam primum aliquem ægrum in ejus Parochia visitaverint. Idemque facient Religiosæ, quæ ægrotis assistunt; & Pastor sic monitus, ægrum ipsum accedere non differet, eumque ad suscipiendum hoc salutare Pœnitentiæ Sacramentum modis omnibus inducere, & in cæteris omnibus officio suo debite persungi conabitur.

CAPUT XIV.

Antiquam consuetudinem confitendi in initio Quadragesimæ in usum revocari summopere optamus, ut futura jejunia, & alia pietatis opera in statu gratiæ fiant, & meritoria existant. Quare & Pastores Dominica *Sexagesimæ*, vel *Quinquagesimæ*, subditos suos ad Sacramentum Pœnitentiæ in capite jejunii rite suscipiendum serio hortabuntur.

TITULUS VI.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

CAPUT I.

NOn sufficit, ut quis in aliquo Monasterio, vel alio pio loco in Paschate communicet, sed quilibet in Ecclesia

(b) Can. Si quis Sacerdos. & Can. Non debet. 30. quæst.

clesia sua Parochiali Eucharistiæ Sacramentum suscipere tunc tenetur: Et quicumque id non præstiterit, cum tamen a Parochia sua non abesset, Curiæ nostræ denuncietur, etsi extra Ecclesiam Parochialem se communicasse asseruerit.

CAPUT II.

Ordinatio ultimi Concilii Provincialis, ac præcedentis Synodi hujus Diœcesis, ne unica dumtaxat sacra Hostia ad ægrotum deferatur, regulariter servanda est ab omnibus. Quando tamen vel nimia loci distantia, vel itineris, temporisve difficultas, vel alia justa causa impedit, quo minus id præstari possit, tum licebit Parocho, eam Sanctissimæ Eucharistiæ particulam solum deferre, quam æger percepturus est, quo casu tamen inane vasculum occulte, silente campanula, & sine lumine ad Ecclesiam referetur; Illis etiam, qui Sanctissimum Sacramentum comitati fuerunt, præmonitis, unicam dumtaxat sacram Hostiam pro ægroto delatam fuisse.

CAPUT III.

Ut plures passim hoc Sacramentum, dum ad ægrotos defertur, comitentur, vel lumen ei præferant, aut præferri curent, singulis eorum, qui illud devote comitabuntur, indulgentias decem dierum: iis vero, qui facem aut tædam ardentem præferri curabunt, aut ipsimet præferent, viginti dierum indulgentias in Domino elargimur.

CAPUT IV.

Quandocumque hoc Sacramentum ad ægrotum deferendum est, ægroti cubiculum ab omni sorde prius purgandum esse, ac mensam nitida mappa, vel alio mundo linteo honeste constratam, & Cruce, luminaribus ac vasculo aquæ benedictæ instructam, in qua pyxis cum Sanctissimo Sacramento collocari possit, præparari decere, Pastores subditis suis data occasione inculcare non omittant.

TITULUS VII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT I.

SAcrum Oleum infirmorum cum debita reverentia ad ægrotum deferatur, Custode, qui & honesto superpelliceo semper sit indutus, lumen præferente, absque sonitu tamen nolæ.

CAPUT II.

In dubio an is, ad quem inungendum Parochus vocatus est, adhuc vivat, vel non, hac conditione Parochus inungendo utatur: *Si es vivus, Per istam sanctam Unctionem, &c.*

CAPUT III.

Nec pueris, qui rationis usum necdum habent, nec amentibus, aut furiosis, qui lucidum circa mortem non habent intervallum, nec iis, qui bene valent, etiamsi mortis periculo se brevi exponere debeant, vel etiam ad ultimum supplicium jam sint damnati, ulla ratione conferendum est hoc Sacramentum.

CAPUT IV.

In una quoque & eadem ægritudine, etiam ad plures menses perdurante, iterato conferri hoc Sacramentum nemini debet.

TITULUS VIII.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

AD primam Tonsuram nemo se præsentet, qui non sit confirmatus, Fidei rudimenta edoctus, legendi & scribendi peritus, ac debito vitæ testimonio munitus.

CAPUT II.

Ordinandi titulo Patrimoniali, copiam authenticam ejusdem tituli penes Secretarium nostrum relinquent.

CAPUT III.

Ut Clericus sæcularis sacris Ordinibus initiandus, ante docere debet, sibi provisum esse de sufficiente titulo Beneficiali, vel Patrimoniali, & insuper jurare, quod titulum illum, quem pro futura sua promotione exhibet, vere, & sine ulla fraude possideat: Ita quoque Clericus regularis, testimonio sui Superioris ante docere debet, se Religionis, cui adscriptus est, professionem emisisse, & insuper affirmare se eam sponte fecisse, aut ratam habuisse, illudque in registro ordinandorum disserte exprimatur.

CAPUT

CAPUT IV.

Ordinati Sacerdotes Primitias celebrare non differant ultra sex septimanas, nisi ex causa legitima a Nobis approbanda.

TITULUS IX.

De Sponsalibus & Matrimonio.

CAPUT I.

Laudabilem consuetudinem, ut coram proprio saltem alterius contrahentium Parocho, & duobus testibus Sponsalia de futuro contrahantur, nullo modo abrogare intendimus, at potius inviolabiliter ab omnibus servari vehementissime cupimus. Nihilominus tamen, si aliter ea contracta fuerint, valida esse ac servari debere declaramus, & ne quis Concionatorum, aut Confessariorum aliter docere præsumat, prohibemus.

CAPUT II.

In tabernis, aut aliis locis minus honestis Sponsalia de futuro contrahere volentibus, Parochus operam suam non impendat; in honestis tamen ædibus libere sine consensu Decani Christianitatis, vel cujuscumque alterius id facere poterit.

CAPUT III.

Cum impedimenta Matrimonii a plerisque hominum ignorentur, & non raro contingat, impedimentum aliquod vere subesse, quod tamen ipsos contrahentes bona fide lateat: periculosum videtur, ut a Sponsalia, vel etiam Matrimonium contrahere volentibus exigatur juramentum, quo absolute affirment non subesse Canonicum impedimentum: atque ideo etiam deinceps id fieri vetamus, & sufficere volumus, ut Sponsalia & Matrimonium contracturi declarent se non scire, quod subsit aliquod ejusmodi impedimentum.

CAPUT IV.

Ebriis aut potu captis Sponsalia contrahere volentibus, Parochus non assistat, sed eos rejiciat in aliud tempus, quo sobrii erunt.

CAPUT V.

Ad periculum incontinentiæ, aliaque inconvenientia evitanda, moneant Parochi Sponsalia coram se contrahentes, ut intra sex septimanas, Canonici impedimenti denunciatione cessante, ad Matrimonii solemnizationem procedant; utque ante Sacerdotalem Benedictionem in Templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent.

CAPUT VI.

Decretum Concilii Tridentini irritans & annullans Matrimonia, quæ aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus contrahuntur; in omnibus & singulis Ecclesiis Parochialibus totius Diœcesis iterum publicetur intra sex menses proximos, & Archi-Presbyteri in prima visitatione serio ubique inquirant, num id præstitum sit, & in actis visitationis singularum Ecclesiarum expresse annotent, an huic mandato satisfactum sit, nec ne; ut inobedientes, si qui fuerint, debite puniri, eorumque defectum suppleri curemus.

CAPUT VII.

Ubi quis vere habitat, ibi Matrimonio jungi potest, etsi brevi tantum tempore ibidem egerit: nihilominus tamen in Parochia, in qua prius habitavit, ubi verosimilius est fore, ut impedimenta sciantur, denunciationes omnes fieri volumus.

CAPUT VIII.

Impedimento aliquo denunciato, etsi postea illud a denunciante fuerit revocatum, nolumus tamen Parochum ad Matrimonii solemnizationem ante procedere, quam re ad Nos, aut Officialem nostrum delata, debitam licentiam in scriptis ab altero nostrum receperit, cum reipsa compertum sit ejusmodi revocationes, subinde fieri a pecunia, vel favore corruptis, contra veritatem.

CAPUT IX.

Cum ex longa conjugis absentia non resultet certitudo de ejus obitu, & mors non præsumatur, sed probanda sit; (quilibet enim vivere præsumitur) ad secundas nuptias convolare desiderans, Matrimonio non jungatur, nisi habita prius legitima certitudine de morte prioris conjugis, etiamsi non

ſeptem tantum, ut multis falſo perſuaſum eſt, ſed etiam viginti, triginta, aut plures annos continuos eum abfuiſſe conſtiterit.

CAPUT X.

Tribus continuis Dominicis, vel Feſtivis diebus deinceps proclamationes fieri poterunt, juxta Decretum Concilii Tridentini. (c) Quare & revocamus, quod aliquando de die intermedio ordinatum fuit.

CAPUT XI.

Sponſalia contrahentes, ſi non ſint confirmati, moneantur a Parocho, ut ſe confirmari curent, antequam ad Matrimonium procedant; Idemque allaboret, ut doctrinæ Chriſtianæ rudimenta prorſus ignorantes, ſaltem Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum & Decalogum antea teneant, quam Matrimonio jungantur.

CAPUT XII.

Erronea eſt multorum opinio exiſtimantium Matrimonium conſiſtere non poſſe inter ſuſceptorem & ſuſceptricem unius & ejusdem infantis, ſi tempore Baptiſmi nullus inter eos ſteterit medius. Nec minus falluntur, qui impedimentum cognationis ſpiritualis, quod eſt inter ſuſcipientem & baptizatum, ejusque patrem & matrem, ad uxorem ſuſceptoris, vel maritum ſuſceptricis extendunt. Quare de utraque hac, & aliis ſimilibus erroneis perſuaſionibus, ſubinde Parochi ſubditos ſuos publice inſtruant.

TITULUS X.

De Doctrina & prædicatione Verbi Dei.

CAPUT I.

QUod in noviſſimo Concilio Provinciali ſtatutum eſt, ut Paſtores neminem omnino in Eccleſiis ſuis concionari permittant, qui de licentia Ordinarii in ſcriptis non prædocuerit; de licentia Ordinarii non perſonæ, ſed loci intelligi debet. Itaque in hac Gandavenſi Diœceſi, Epiſcopi Gandavenſis licentia requiritur.

CAPUT II.

Mandato noviſſimæ Synodi Provincialis, ut unus & idem modus in docendo, & diſcendo doctrinam Chriſtianam ubique teneatur, quantum in Nobis eſt parentes, Catechiſmum Mechlinienſem, cui major Catechiſmus editus lingua vernacula pro Catechiſtis, & inſcriptus: *Den Schat van de Chriſtelijcke Leeringhe*, correſpondet, per totam noſtram Diœceſim deinceps, ſaltem a proximo feſto Nativitatis Domini, doceri jubemus.

CAPUT III.

Cumque hodie nihil æque ſit neceſſarium, quam juventutem debite catechiſari; & tamen hoc ipſum plurimis in locis vel omittatur omnino, vel neglectim admodum peragatur, omnes & ſingulos Parochos, & quoscumque alios, quos ea cura tangere debet, rogamus & obſecramus per viſcera miſericordiæ Dei, & cum obteſtatione Divini judicii, ut huic officio ſuo ſerio ſatisfaciant.

CAPUT IV.

Dominos etiam quorumcumque locorum, & Magiſtratus, ac quoscumque alios authoritate, ac jurisdictione ſæculari pollentes, obteſtamur in Domino, ut in hanc ipſam rem ſedulo incumbant, neceſſaria ſubſidia Catechiſtis procurando, & juventutem ad Catechiſmum venire compellendo.

CAPUT V.

Paſtoribus per ſe in propria Eccleſia concionari volentibus, (d) ſciant cæteri omnes ſe illis cedere debere.

CAPUT VI.

Regularium Terminariorum quoscumque Superiores in Domino monemus & requirimus, ut omnis diſſolutionis cauſam ſuis ſubditis adimant, ne Nos illos, qui ſua converſatione plus deſtruunt, quam prædicatione ædificant, tamquam inutiles in vinea Domini operarios, a ſuis terminis, & a munere prædicandi amovere debeamus.

CAPUT VII.

Repleta eſt patria validis mendicantibus, & multi paſſim pœnam potius,

(c) Seſſ. 24. Cap. 1. de Reform. Matrim.
(d) Sacra Congregatio Concilii Tridentini ſup. Cap. 4. Seſſ. 24. de Reform.

tius, quam commiserationem merentes, fidelium eleemosynas non modo impudenti importunitate, sed falsis etiam, vel subreptitiis, aut obreptitiis commendationum literis extorquere conantur, cum gravissima injuria eorum, qui vere pauperes sunt. Atque ideo hujusmodi fraudibus, quantum in Nobis est, obviare cupientes, ut Nos ipsi neminem omnino, Fidelium eleemosynis per Pastores & Concionatores commendari mandabimus, quem non fide dignis testimoniis gratiam istam mereri cognoverimus: ita quoque sine nostro consensu in scriptis, ejusmodi commendationem cujuscumque extranei e suggestu fieri nolumus.

TITULUS XI.

De Officio Divino, Cæremoniis, Locis sacris, & Exequiis Defunctorum.

CAPUT I.

QUia in novissimo Concilio Provinciali ordinatum est, ut in omnibus pagis totius Provinciæ Missa Parochialis Dominicis & Festis diebus, certa & eadem hora semper fiat, eam determinantes quoad hanc nostram Diœcesim, mandamus, ut Missa Parochialis semper celebretur hora nona, vel circiter.

CAPUT II.

Ut similiter satisfiat Statuto prætacti Concilii Provincialis, quo mandatur, ut Ordinarii in singulis Decanatibus suæ Diœceseos aliquos deputent cæremoniarum, & rituum Ecclesiæ Romanæ peritos, qui Primitias celebraturos iisdem cæremoniis ac ritibus debite instruant: singuli Archi-Presbyteri in proxima congregatione Pastorum diligenter dispiciant, qui ad hoc erunt aptissimi, eosque Nobis præsentent, & facta per Nos eorum designatione, nemo deinceps sæcularis Sacerdos Primitias celebret, qui se ab aliquo illorum cæremonias usus Romani edoctum esse, testimonio ipsius Instructoris Archi-Presbyterum suum non prædocuerit.

CAPUT III.

Cum Altarium portatilium usus ob urgentem necessitatem hactenus permissus, in consuetudinem trahi non debeat: mandamus omnibus, quorum interest, ut Altaria sua profana, vel profanata mox consecrari curent; a festo Pentecostes proxime venturo, Altarium portatilium usum omnibus iis, quibus eum ex rationabili causa interim non permiserimus, prohibentes.

CAPUT IV.

Conscientiarum tranquillitati consulentes, antiquum Statutum, quo præcipitur, ut nullus Sacerdos, nisi Horis suis Canonicis, Matutinis & Prima perlectis, celebrare præsumat, abrogamus.

CAPUT V.

Ubicumque tam longi sunt Processionum circuitus, ut occasionem præbeant in itinere bibendi, vel ipsæ Reliquiæ aut Statuæ Sanctorum commode a peditibus circumferri nequeant, vel etiam populi devotio languescat; eos ita contrahi & abbreviari volumus, ut omnis scandali & irreverentiæ tollatur occasio, & viarum longitudine devotio non tepescat.

CAPUT VI.

Optamus in singulis saltem Ecclesiis Parochialibus introduci consuetudinem signo campanæ ter de die, scilicet mane, meridie, ac vesperi, populum excitandi, ad recordandum Resurrectionis, Passionis, & Incarnationis Dominicæ, & in gratam memoriam tantorum beneficiorum convenientes oratiunculas recitandum.

CAPUT VII.

Exorta quoque aeris tempestate, campanæ pulsentur, tum ad tempestatem illam vi Divina, quæ ex solemni prece, sacraque benedictione illis inest, depellendam; tum ut Fideles ad orandum, & Dei misericordiam piis orationibus implorandam excitentur.

CAPUT VIII.

Cum Altaria sint sepulchra Martyrum, & in magna reverentia merito haberi debeant; non est permittendum, ut ab aliqua parte pateant, & rerum vilissimarum, imo & sordium receptacula fiant. Quare & mandamus, ut non modo a fronte, sed a posteriori quo-

quoque parte, & utroque latere, ubique obſtruantur.

CAPUT IX.

Dum Miſſæ Sacrificium celebratur, duæ ſemper candelæ cereæ in Altari ardeant, nec umquam ei per mulierem inſerviatur; Celebrans quoque nec purificatoriis Calicum ad emungendum nares ſudoreſve abſtergendum abutatur, nec pileum, biretum, chirothecas, claves, cæteraque hujusmodi in Altari ponat.

CAPUT X.

Cœmeteria diligenter ſepiantur, & claudantur; & equi, vaccæ, aut porci in iis non paſcantur; nec liba, vel placentæ, aut ſimilia in iis vendantur; & ubi arbores in iis plantatæ, vel per radicum dilatationem parietum fundamentis, vel per ramorum diffuſionem, tectis aut feneſtris officiunt, excidantur. Hedera quoque Eccleſiarum parietibus adhærens prorſus evellatur.

CAPUT XI.

Eos, qui ſibi ipſis manus violentas intulerunt, aut in duello mortui ſunt, quique in Paſchate non communicarunt, nemo in loco ſacro ſepeliat ſub pœna ſuſpenſionis.

CAPUT XII.

Nemo etiam pro iis, quorum cadaveribus Eccleſiaſtica denegata eſt ſepultura, officium Exequiarum celebrare attentet, ſub eadem pœna, & alias arbitraria.

CAPUT XIII.

Extra duellum occiſorum corpora in loco ſacro humari licite poſſunt; nec eorum exequiæ differendæ ſunt, uſque dum inter homicidam, & defuncti hæredes transactum ſit: & ubi contraria eſt conſuetudo, eam ut irrationabilem & irreligioſam abrogamus.

CAPUT XIV.

Uſum Calicum cupreorum abſolute prohibemus; ſtanneorum vero poſt feſtum Paſchatis omnibus interdictum eſſe volumus, quibus ob probatam Nobis paupertatem, ſpecialiter non permiſerimus.

CAPUT XV.

Etſi jura funeralia per totam Diœceſim nequeant eſſe uniformia, quod ea in multis locis ſint magna pars congruæ portionis Paſtorum, alibi vero absque iis, honeſte Paſtoribus ſit proviſum: curent tamen Archi-Presbyteri, ut eadem, & quævis alia jura Paſtoralia, ſint certa in ſingulis Parochiis, agendo deſuper cum Paſtore, & Magiſtratu loci, ac Æditiuis, & Rectoribus menſæ pauperum: & ſi alicubi communi conſenſu illa determinari non potuerint, idipſum Nobis ſignificetur.

CAPUT XVI.

Dum Eccleſiæ verruntur, non aſpergatur pavimentum aqua benedicta; neque etiam illud aſperſurus utatur vaſe aquæ benedictæ, vel aſperſorio.

TITULUS XII.

De Feſtis & Jejuniis.

CAPUT I.

A Fermento hæreticæ pravitatis originem traxit corruptela, quæ paſſim invaluit, præſertim in pagis, non audiendi Sacrum diebus Feſtivis. Quare Paſtores, & Concionatores omnibus modis eam eradicare ſtudeant, docendo auditionem Miſſæ æque præcipi ſub peccato mortali diebus Feſtivis, ac Dominicis.

CAPUT II.

Doceant etiam non ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, qui partem tantum Miſſæ audiunt, ante Elevationem, aut paulo poſt Eccleſia exeundo. Et ne ipſimet aliquam ejus occaſionem præbeant, ſtatis ſemper horis Officium inchoent, & numquam diutius, quam per horulam concionentur.

CAPUT III.

Per totam Diœceſim obſervari debent Feſta ſequentia, ſcilicet: Nativitatis Chriſti, S. Stephani, S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, Sanctorum Innocentium, Circumciſionis Domini, Epiphaniæ, Converſionis S. Pauli, Purificationis Beatæ Mariæ, Cathedræ S. Petri, Sancti Matthiæ Apoſtoli, Annunciationis Beatæ Mariæ, Feſtum Paſchæ cum Feria II. & III. ſequente, S.

Marci Evangelistæ, Sanctorum Philippi & Jacobi, Inventionis Sanctæ Crucis, Festum Ascensionis Domini, Festum Pentecostes cum feria II. & III. sequente, Trinitatis, Venerabilis Sacramenti, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Sanctorum Petri & Pauli, Visitationis Beatæ Mariæ, Sanctæ Magdalenæ, S. Jacobi, S. Laurentii, Assumptionis B. Mariæ, S. Bartholomæi, Nativitatis B. Mariæ, S. Matthæi Apostoli, S. Michaelis, S. Lucæ, Sanctorum Simonis & Judæ, Omnium Sanctorum, S. Martini, Sanctæ Catharinæ, S. Andreæ Apostoli, S. Nicolai, Conceptionis Beatæ Mariæ, S. Thomæ Apostoli, & denique omnes dies Dominici.

CAPUT IV.

Festa Sancti Bavonis, & Sancti Livini Episcopi & Martyris, non per totam Diœcesim, sed per totam Civitatem Gandensem observanda sunt, illud Kalendis Octobris, hoc vero XII. Novembris. Idemque fit de festo Decollationis Sancti Joannis Baptistæ, Festum vero præcipuum Patroni cujusque Ecclesiæ Parochialis, in ipsa tantum Parochia celebrari debet.

CAPUT V.

Festum Cathedræ S. Petri, vel festum Sancti Matthiæ Apostoli, quando incidet in diem *Cinerum*, transferetur in diem sequentem, tam in populo, quam in Ecclesiis celebrandum.

CAPUT VI.

Sanctus Rumoldus, Archi-Episcopus & Martyr, ac Patronus Metropolitanæ Ecclesiæ Mechliniensis, tertia Julii per totam hanc Gandavensem Diœcesim, honorabitur Officio novem Lectionum, juxta præscriptum primi Concilii Provincialis; & Sanctus Bavo Kalendis Octobris Officio duplici.

CAPUT VII.

Pie faciunt Pastores, qui diebus Dominicis, & Festivis celebratione Vesperarum, & Laudum de Sanctissimo Sacramento, & de Beata Virgine, subditos suos a tabernis, & illicitis occupationibus ac otio, ad Ecclesiam & res Divinas pertrahere conantur, &, ut cæteri omnes Pastores idem præstent, vehementer optamus & obsecramus in Domino, ac, quantum possumus, mandamus.

CAPUT VIII.

Iisdem diebus agros, prata, reditus, equos, vaccas, aut similia vendentes aut ementes, aut sub concione, summo Sacro, vel Vesperis in tabernis potitantes, aut publicis lusibus, vel tripudiis vacantes, denuncientur, pro qualitate personarum, & modo scandali puniendi.

CAPUT IX.

Jejunari debet in hac Diœcesi, non modo per totam Quadragesimam, & in Quatuor Temporibus; verum etiam sequentibus Vigiliis, scilicet: Nativitatis Christi, Pentecostes, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Sanctorum Petri & Pauli, S. Laurentii, Assumptionis Beatæ Mariæ, S. Matthæi, Sanctorum Simonis & Judæ, Omnium Sanctorum, & S. Andreæ. Et insuper in festo S. Marci, & totis tribus Rogationum diebus, festum Ascensionis Domini immediate præcedentibus, abstinendum est a carnibus, & jejunandum usque ad prandium.

CAPUT X.

Festo Nativitatis Domini (*e*) in Feriam sextam incidente, carnes comedere omnibus licitum est, qui voto, vel professione non impediuntur. Ab eodem etiam festo, usque ad festum Purificationis, diebus Sabbatinis esum carnium permittit consuetudo; Idemque licet ipso festo Purificationis, incidente in diem Sabbati. Reliquis quoque diebus Sabbatinis totius anni, quando non jejunatur, permittitur esus adipis, & jusculi carnium: at nullo modo farciminum, intestinorum & extremitatum animalium. Et ut Nos contrariam consuetudinem, quæ in aliis quibusdam locis est, non damnamus; ita illi, qui ex hujusmodi locis huc commigrarunt, vel quacumque occasione hic agunt, consuetudini hujus Diœcesis se interim conformare, & ab esu farciminum, intestinorum & extremitatum animalium abstinere merito debent; & si quem forte contra fecisse

 cogno-

(*e*) Cap. ult. De observat. Jejunii.

cognoverimus, fine conniventia & acceptione perfonarum, eum pro meritis in aliorum exemplum puniri curabimus.

CAPUT XI.

Ipfo die Cinerum, Feria VI. Quatuor Temporum in Quadragefima, & Feria VI. in Parafceve, non modo jejunandum eft, fed abftinendum infuper a lacticiniis. Cæteris vero diebus Quadragefimæ ufus lacticiniorum ita permittitur, ut ea gratia uti volentes, finguli offerant unum ftuferum in cifta, quæ in qualibet Ecclefia Parochiali ad id deftinata eft, applicandum pro media parte eidem Ecclefiæ, & pro altera medietate Seminario noftro. Qui vero iftam erogationem facere non volent, legent quotidie ter Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam.

CAPUT XII.

Quibus efum ovorum, vel etiam carnium in Quadragefima, aut aliis prohibitis diebus, judicio Medicorum neceffarium effe cognofcemus, non erimus difficiles in eo permittendo. Sed videant Medici, ne vel eorum, qui de hærefi fufpecti funt, fimulationibus decipiantur (fæpe namque hujusmodi homines morbos fingere folent, ut ova & carnes comedendi licentiam extorqueant) vel nimia facilitate atteftandi, alienorum peccatorum fe reddant participes.

CAPUT XIII.

Caveant etiam, quantum poterunt, qui ob legitimam caufam a jejunio excufantur, quibusve ovorum, vel etiam carnium ufus permittitur, ne alios fuo exemplo ad violandum jejunium, vetitosve cibos comedendum provocent.

TITULUS XIII.

De Sanctorum Reliquiis, & Imaginibus.

CAPUT I.

NOvæ Reliquiæ publicæ venerationi non exponantur, antequam a Nobis, juxta præfcriptum Sacri (*f*) Concilii Tridentini, recognitæ & approbatæ fuerint. Porro inter eas computandæ, feu jure illarum cenfendæ funt, quæ antiquorum quidem Sanctorum effe dicuntur, fed jam recens ad eas Ecclefias, in quibus jam funt, delatæ fuerunt.

CAPUT II.

Paftores, & alii Concionatores diligenter rudem populum inftruant, non ratione materiæ, formæ, vel ornatus, Sanctorum imaginibus cultum & venerationem exhiberi; fed propter eos, quos Nobis repræfentant; atque ita Nos in fignis prototypa venerari, ut in ipfis fignis feu imaginibus, neque Divinitatem aliquam ineffe credamus, neque ullam fiduciam collocemus.

CAPUT III.

Statuæ & imagines falfi aliquid fignificantes, ut nullibi tolerari debent, ita omnium minime tolerandæ funt in locis facris. Atque ideo etiam, ubi aliquæ ejusmodi effe deprehenduntur, fi periti Sculptoris, aut Pictoris manu debite corrigi, & ab omni falfitatis fignificatione vindicari nequeant, ab Ecclefiis efferantur & deleantur.

CAPUT IV.

Tabulæ quoque ac ftatuæ ab Iconomachis ruptæ aut mutilatæ, interim dum decenter reparatæ non funt, ab Ecclefiis tollantur, & extra confpectum populi ponantur.

TITULUS XIV.

De Exorcifmis.

CAPUT I.

OB juftiffimas rationes ftatutum eft in noviffimo Concilio Provinciali, ut nemo exorcizare præfumat fine licentia Ordinarii in fcriptis obtenta. Et ob easdem rationes, revocamus omnes licentias exorcizandi, ab aliquo Prædecefforum noftrorum quibusvis, etiam in fcriptis, datas.

CAPUT II.

A Nobis ad exorcizandum admiffi, & deinceps admittendi, utentur exorcifmis Paftoralis Mechlinienfis, & non aliis, fine fpeciali noftra permiffione.

CAPUT

(*f*) Seff. 25. De Invocat. Venera. & Reliquiis Sanctorum.

CAPUT III.

Nemo etiam eorum, ulli umquam fœminæ exorcismum adhibebit aliter, quam in præsentia duarum personarum probatæ fidei.

TITULUS XV.

De Usuris.

CAPUT UNICUM.

OB invalescentem passim corruptelam dandi pecuniam pupillarem ad usuram seu mutuo, cum pacto percipiendi lucrum ad ratam denarii decimi sexti, retenta facultate sortis pro arbitrio vel certo tempore repetendæ; antiquum Statutum primi Concilii Provincialis, Titulo: *De usuris*, innovantes, de verbo ad verbum illud ipsum hic inserendum duximus, & observari mandamus.

" Quoniam usura Jure Divino & " Canonico omnibus Christianis sub " pœna peccati mortalis interdicitur, " neque facienda sunt mala, ut eveniant " bona; Synodus statuit, & ordinat, ne " quis Tutor, aut Curator sub prætextu augmentandi patrimonii pupillo- " rum, aut sub eorum curatela existen- " tium, pecunias illorum sub certo lu- " cro singulis annis ultra sortem reci- " piendo mutuo dent, retenta facul- " tate repetendæ sortis, quando ad ma- " jorem ætatem pervenerint, aut Ma- " trimonium contraxerint, aut alias ad " illorum voluntatem & arbitrium, de- " clarando omnes hujusmodi contra- " ctus usurarios; & contra (ut præ- " mittitur) mutuantes, tamquam con- " tra usurarios ad pœnas juris proce- " dendum."

TITULUS XVI.

De Archi-Presbyteris, Pastoribus & Custodibus, eorumque officiis.

CAPUT I.

ARchi-Presbyteri & Pastores Decreta Concilii Tridentini, & utriusque Provincialis, & hæc nostra sæpe, diligenterque legant, & quæ passim in iis ponuntur officium ipsorum concernentia, quam diligentissime exequantur.

CAPUT II.

Archi-Presbyteri Ecclesias Decanatus sui quotannis intra Pascha & Pentecosten serio visitabunt, juxta instructionem suam, tempore, quod visitationi destinabunt, Pastori tempestive præsignificato. Et ne occasione visitationum comessationes ullæ fiant, serio cavebunt. Acta quoque suarum visitationum nitide descripta & a se subsignata, quotannis ante Kalendas Julii ad Nos transmittent.

CAPUT III.

Quotannis etiam prima Feria II. Augusti, & si Kalendæ Augusti in Feriam II. inciderint, ipsis Kalendis, aderunt omnes Gandavi, & altero die mane hora octava in Sacello nostro domestico se sistent, gratiam Spiritus Sancti nobiscum invocaturi, ac deinde audituri, quæ post mutuam collationem, maturamque deliberationem pro utilitate animarum statuenda & ordinanda duxerimus.

CAPUT IV.

Præterea singuli Archi-Presbyterorum celebrabunt annuatim Capitulum Pastorum sui districtus, ordine ac tempore hic designato: Archi-Presbyter Gandavensis celebrabit Capitulum suum prima Feria II. post festum Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis; Feria IV. immediate subsequente celebrabitur Capitulum Teneramundanum; huic Feria II. proxima succedet Capitulum Wasianum; deinde Feria IV. subsequente, Hulstense; post illud prima Feria II. celebrabitur Capitulum Everghemiense; ac deinde Feria IV. Aldenardense; & subsequenti septimana Feria II. Capitulum Donzanum; & Feria IV. Tiletanum. Porro aliquo festo in Feriam II. vel IV. incidente, celebrabitur Capitulum postridie.

CAPUT V.

Hæc ipsa Capitula sic celebrentur, ut ea non ad comessandum, sed ad tractandum de rebus seriis indicta esse, omnes intelligant; proinde in illis initium rerum agendarum sumatur ab invocatione Spiritus Sancti, quo dirigente

gente de rebus Ecclesiæ conferatur; prandium vero non fiat, nisi frugale & moderatum, ut nemo sumptibus vel potu gravetur; nec umquam illud in taberna vel diversorio instituatur; extranei quoque, per quos tractatio de rebus Ecclesiæ possit impediri, ab eo excludantur.

CAPUT VI.

Archi-Presbyteri singuli in suo districtu provisos de Personatu, Pastoratu, Capellania vel Matricularia in possessionem introducent, ac debitum juramentum a singulis excipient; novas campanas benedicent; a Sacellanis non residentibus exigent quotannis exhibitionem licentiæ non residendi, & attestationem impleti oneris Missarum, & persolutorum censuum, quibus forte bona Beneficiorum gravantur; & hanc ipsam attestationem etiam requirent a Beneficiatis residentibus.

CAPUT VII.

Cui deservitura dumtaxat cujuscumque Pastoratus est commissa, is quotannis uno mense ante festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ literas suæ deservituræ Archi-Presbytero suo tradet, ab eo deinde cum cæteris deservitorialibus ad Nos transmittendas, & a decimis, aliisque bonis Pastoratus elocandis abstinebit: ab Archi-Presbytero enim ob justas causas idipsum præstari volumus.

CAPUT VIII.

Quoad cætera omnia officium Archi-Presbyterorum concernentia, sequentur singuli commissionem & instructionem suam, & quæcumque in eis, aut his Statutis nostris non continentur, ea sibi non permitti sciant: etsi forte aliquando permissa fuerint.

CAPUT IX.

Sæpe recogitent Pastores, se ad ovium suarum salutem, omnes suas actiones & functiones Pastorales dirigere debere, & sibi aliquando pro animabus earum reddendam rationem in strictissimo judicio Dei: atque ideo etiam earumdem salutem continuis precibus & quotidianis Sacrificiis Deo ferventer commendent; omnibus rite dispositis non minus prompte ac benigne, quam reverenter Sacramenta administrent; atque ita grandiores pascant verbo Dei & salutaribus monitis, ut parvulis quoque panem frangere non omittant; & in omnibus præbeant se ipsos exempla bonorum operum, facti forma gregis ex animo.

CAPUT X.

Nullum quoque Sacerdotem in Ecclesia sua confessiones excipere permittent, vel in cura animarum sustinenda, gerendave sibi adjungent, ne quidem ad brevissimum tempus, qui se a Nobis approbatum esse in scriptis non prædocuerit.

CAPUT XI.

Decretum (g) sacri Concilii Tridentini de solvendis decimis, in Ecclesiis ruralibus ab unoquoque Pastore paulo ante messem e suggestu publicetur.

CAPUT XII.

Collectoris vectigalium, cauponis vel tabernarii, vel aliud vile, & sordidum officium exercens, ad deservituram Custodiæ non admittatur, nec bigamus sine legitima dispensatione.

CAPUT XIII.

Non modo diebus Dominicis & Festivis, sed cæteris etiam omnibus, Pastori Missam celebrare volenti Custos assistet, & in habitu decenti inserviet.

CAPUT XIV.

Interest animarum; atque ideo etiam ordinamus, ut Pastoratus Abbatiis, vel aliis quibuscumque Monasteriis uniti, aut ab iis dependentes, & per Regulares regi & administrari soliti, certam habeant dotem, ut Prælatis forte neminem ad eorum regimen Nobis præsentantibus, Nos jure devoluto, vel quovis alio meliore modo, eorum defectum supplendo, iisdem Ecclesiis de idoneis Pastoribus providere possimus, nullo modo idipsum præstare valentes, quamdiu incertitudo competentiæ unumquemque arcebit.

TITU-

(g) Seff. 25. Cap. 12. de Reformat.

TITULUS XVII.
De vita & honestate Clericorum.

CAPUT I.

MEminerit unusquisque Clericus vocationis suæ, & sciat se non ad ignaviam, desidiam, aut iners otium, sed ad salutares Ecclesiasticæ militiæ labores vocatum esse. Atque ideo etiam cum Officiis Divinis obeundis, & frequentandis Ecclesiis debitum tempus impenderit, quod reliquum est, non in vanis & inutilibus colloquiis, profanisque actionibus, sed in Divinarum literarum studiis, & cœlestium rerum meditationibus, & sanctis, piisque officiis traducat.

CAPUT II.

Clericos beneficiatos habitum Clericalem juxta præscriptum sacri Concilii Tridentini, & novissimi Concilii Provincialis non deferentes, Archi-Presbyteri singuli in suo districtu, nostro nomine & authoritate, legitime desuper moneant, mandentque iis, ut mox habitum decentem, juxta præscriptum dictorum Conciliorum, assumant & gestent, sub pœna suspensionis ab officio, & fructibus, reditibus & proventibus ipsorum Beneficiorum, & non obedientium intra duos menses mox fructus, reditus & proventus omnes arrestent, ac iterato iis mandent, ut habitum honestum juxta Decreta dictorum Conciliorum deferant, sub pœna privationis officiorum, & beneficiorum. Et si nec tunc quidem obedierint, denuncientur, ut per Officialem nostrum, prævia unica citatione, declarentur privati beneficiis & officiis, &, quatenus opus est, de novo priventur. Porro si ejusmodi Beneficiati extra Diœcesim agant, vel locus habitationis eorum ignoretur, fiant prædictæ monitiones & mandata per edictum publicum, affigendum ad valvas Ecclesiarum, ubi Beneficia fundata sunt, & si sciatur, ubi Beneficiati agant, mittatur eis copia literarum edicti.

CAPUT III.

In fraudem Canonum & Decreti novissimi Concilii Provincialis, quosdam tabernas frequentare compertum est, prætextu contractuum ibidem celebrandorum, ad quos tamquam Notarii, vel alias publicæ personæ vocantur. Quare id deinceps fieri prohibentes, mandamus, ut nullus omnino Clericus beneficiatus, vel in Sacris constitutus, tamquam Notarius, vel quacumque alia qualitate, aut prætextu deinceps intersit contractibus, qui in tabernis fiunt.

CAPUT IV.

Notarii quoque, Tabellionis, Advocati, vel Procuratoris officio non aliter fungatur, quam in causis, & casibus a jure permissis.

CAPUT V.

Ut in hac hominum malignitate omnis Cleri suggillandi occasio adimatur, & scandalis tempestive occurratur; non tantum incontinentiam; sed omnem quoque ejus speciem unusquisque caveat. Ideoque si quis ancillam habeat, vel cum alia muliere sic conversetur, ut obloquium inde vel scandalum oriatur, ad monitionem nostram, vel Capituli, sub quo quisque degit, hanc ancillam abdicare, seu ab hujus mulieris familiaritate se subtrahere mox teneatur, sub pœna arbitraria.

CAPUT VI.

In Primitiarum solemnitate a tripudiis & choreis, omnique alia insolentia abstineatur.

CAPUT VII.

Quilibet Clerici beneficiati necdum in Sacris constituti, in quatuor saltem majoribus anni Festivitatibus, Sacram Eucharistiam reverenter ac devote sumant. Porro Diaconi & Subdiaconi meminerint Decreti (b) Concilii Tridentini, & ei satisfaciant.

CAPUT VIII.

Sacerdotes vero, ne tanti, tamque pretiosi talenti sibi frustra crediti severissimo Judici magno suo malo rationem sint reddituri: nullos dies Dominicos, Festave solemnia, nisi ex legitima gravique causa impediti, abire sinant, quibus Sacrosanctum Missæ Sacrifi-

(b) Sess. 23. Cap. 13. de Reformat.

crificium Deo pro ſuis, ac totius populi peccatis non offerant, prout a ſacro (i) Tridentino Concilio præſcribitur.

CAPUT IX.

Omnibus & ſingulis Beneficia Eccleſiaſtica tam ſæcularia, quam regularia obtinentibus, ſæpe recogitandum eſt, quod quæcumque ultra honeſtam ſuſtentationem ipſis ſuperſunt, non ad ditandos amicos, vel alios profanos uſus expendi poſſint, ſed pauperibus diſtribui, aut in alias pias cauſas erogari debeant.

CAPUT X.

Scandaloſum eſt Paſtores, aliosque Sacerdotes ad pſittacum jaculari, aut in locis publicis ludere pila palmaria. Ideo etiam quilibet deinceps ab eo abſtinebit, ſub pœna arbitraria.

CAPUT XI.

Sacerdotes, Diaconi & Subdiaconi (qui nuptiarum evitare convivia antiquo Canonum (k) jure tenebantur) dum iis, aliisque conviviis interſunt, ita ſe gerant, ut ſui Ordinis ſint memores, & exemplo ædificent; enixeque dent operam, præſertim Paſtores, & qui auctoritate aliqua pollent, ne ſeſſio ſit nimis longa, vel in potu excedatur, aut inhoneſti aliquid fiat, aut dicatur; & dictis gratiis mox recedant, & ne umquam ſecundo aut tertio die, nuptiarum conviviis interſint, hortamur.

TITULUS XVIII.

De Beneficiis & Officiis Eccleſiaſticis, & Beneficiatorum reſidentia, ac oneribus Beneficiorum adimplendis.

CAPUT I.

ID merito ſpectare debet, quicumque Beneficia collaturus eſt, ut ea, cum ſint patrimonium Chriſti, non carni aut ſanguini, vel amicorum precibus, ullave alia, quam Eccleſiæ utilitatis habita ratione conferantur. Juſtum quippe, ac rationi conſentaneum eſt, ut non perſonæ de Beneficiis, ſed ut Beneficiis de idoneis Miniſtris provideatur.

CAPUT II.

Reipſa compertum eſt, per Beneficiatorum abſentiam, fructus Beneficiorum deperdi, & onera negligi; eapropter licentiam abſentiæ, & literas de non reſidendo nemini ſuffragari volumus, qui non conſtituerit legitime Procuratorem, & quidem virum Eccleſiaſticum Nobis ſubjectum, ad Nos, ſeu Archi-Presbyterum noſtrum quotannis in viſitatione, vel ſaltem ante feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ ſufficienter docendum de Miſſarum, & aliorum onerum adimpletione, ac de cenſibus, & reditibus, quibus bona ipſius Beneficii gravantur, plene perſolutis, aliiſque ſimilibus.

CAPUT III.

Beneficiatis ſive reſideant, ſive non reſideant, per ſe, vel Procuratorem ſuum non docentibus onera Miſſarum adimpleta eſſe, Archi-Presbyteri fructus omnes ipſius Beneficii, cujus onera neglecta ſunt, arreſtari, & ipſum Beneficiatum, ſeu ejus legitimum Procuratorem coram Officiali noſtro citari curabunt, ad videndum dictos fructus arreſtatos Eccleſiæ pro implendis oneribus adjudicari.

CAPUT IV.

Cum jure Divino Parochi ad reſidentiam teneantur, nec ab ea ob paucitatem ovium, defectum ædium Paſtoralium, aut conſuetudinem excuſentur: mandamus omnibus & ſingulis necdum reſidentibus, ut ſine mora ad reſidentiam ſe conferant, ſub pœnis Concilii Tridentini, & aliorum ſacrorum Canonum.

TITULUS XIX.

De Scholis.

CAPUT UNICUM.

NOviſſimum Concilium Provinciale tam plene ſtatuit de iis omnibus, quæ ad Scholas & Ludimagiſtros quoquo modo pertinent, ut nihil iis addi debere videatur. Sola illorum executio deſideratur; quam ut procurare non differant, quibus ex officio, vel mandato Sereniſſimarum ſuarum Celſitudinum, vel ordinatione Concilii

(i) Seſſ. 23. Cap. 14. de Reformat.

(k) Can. Presbyteri. Diſt. 34.

lii onus illud incumbit, eosdem, quam possumus, enixissime rogamus, & monemus in Domino.

TITULUS XX.

De Seminario.

CAPUT I.

CUm quilibet Episcopus per sacrum Concilium Tridentinum, duos Canonicos ex Capitulo suo eligere jubeatur, quorum consilio in constituendis regulis, electione puerorum singulorum in Seminarium, introducendorum, expulsione dyscolorum, Magistris constituendis, visitatione, ac similibus semper utatur: ad Decreto illi satisfaciendum, elegimus, & elegisse Nos declaramus Dominum *Franciscum Del Rio*, U. J. Licentiatum, Ecclesiæ nostræ Cathedralis Decanum; & Dominum *Georgium Chamberlain*, Juris Canonici Licentiatum, dictæ Ecclesiæ nostræ Archi-Diaconum.

CAPUT II.

Similiter cum ex quatuor illis, quorum consilio in tota temporali administratione, Beneficiorum unionibus, cæterisque ejusmodi utamur, duo a Nobis sint eligendi, unus scilicet e Capitulo nostro Cathedrali, & alter e reliquo Clero Civitatis, idipsum præstantes, elegimus prætactum Dominum Archi-Diaconum *Chamberlain*; & Dominum *Marcum Bardeloos*, J. U. Licentiatum, Canonicum Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ Pharahildis: declarantes, quoad duos reliquos, a Capitulo electum esse Dominum Decanum, a Clero vero Civitatis, Dominum *Adrianum Plettincx*, Pastorem Sancti Nicolai in Civitate Gandensi, & Sigilliferum nostrum.

CAPUT III.

Sumptu Seminarii in illud assumendi, excessisse debebunt annum ætatis decimum octavum, & eum in studiis fecisse profectum, ut idonei sint ad audiendam Theologiam moralem.

CAPUT IV.

Omnes & singuli in sua ad Seminarium assumptione, inscribent registro Seminarii, penes illius Præsidem asservando, sequentem declarationem & promissionem, eamdemque propriæ manus signatura confirmabunt.

Ego N. N. die mensis Anni in hoc Seminarium assumptus, declaro in his scriptis, me habere animum ad Statum Ecclesiasticum, & promitto me, cum idoneus inveniar, id muneris in Ecclesia suscepturum & obiturum, quod a Rmo Domino Episcopo Gandensi mihi injungetur, aut refusurum expensas omnes, quibus Seminarium affecero. Promitto insuper me gratum fore & memorem beneficii a Seminario accepti, si quando ad meliorem fortunam devenero.

CAPUT V.

Per ætatem, scientiam, & alias idonei, ut fiant Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotes, ad eosdem Ordines suscipiendos se component, & jussi suscipient, & in susceptis diligenter ministrabunt.

CAPUT VI.

Ex omnibus & singulis bonis Ecclesiasticis, quæ secundum sacrum Concilium Tridentinum ad contributionem pro Seminario tenentur, circiter sexagesimum nummum annuatim contribuendum censemus, & contribui mandamus, donec alia ratione ita Seminario provisum esse constiterit, ut prætactam portionem in totum, vel ex parte remittendam esse judicaverimus.

TITULUS XXI.

De elocatione & conservatione bonorum Ecclesiasticorum.

CAPUT I.

UT adeptus Pastoratum, antequam ejus possessionem, vel curam animarum accipiat, jurare debet inter alia, se traditurum Archi-Presbytero suo intra certum tempus, specificationem omnium fructuum ejusdem sui Pastoratus, cum debita designatione hypothecarum, limitum & terminorum, prout in novissimo Concilio Provinciali *Tit. XVII. Cap. II.* præscribitur: ita quoque adepturus deinceps quodcumque Beneficium non curatum, intra sex menses a capta possessione, tradet Archi-Presbytero suo, plenam & perfectam specificationem omnium bonorum, & fructuum ejusdem sui Beneficii, cum debita

debita designatione hypothecarum, limitum & terminorum, & idipsum se præstiturum ante jurabit, quam possessio ei dabitur. Omnes etiam & singuli quæcumque, & qualiacumque Beneficia curata, vel non curata in præsentiarum obtinentes, si plenam & perfectam designationem omnium bonorum & fructuum, intra decem annos ultimo elapsos, Archi-Presbytero suo non tradiderint, ut intra sex menses proximos id præstent, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna arbitraria pro modo culpæ & negligentiæ mandamus.

CAPUT II.

Ut bona Beneficiorum, quæ annuis censibus, & reditibus, aliisque oneribus gravata sunt, defectu solutionis non evincantur; quodcumque Beneficium curatum vel non curatum modo obtinentes, vel deinceps obtenturi, dum tradent Archi-Presbytero specificationem fructuum sui Beneficii, simul etiam tradent specificationem censuum, redituum, & aliorum quorumcumque onerum, quibus bona illa subjecta sunt; & illa ipsa onera omnia persoluta esse tempore visitationis per apochas, vel aliter sufficienter docebunt, sub pœna arbitraria, prout superius Tit. *de Archi-Presbyteris*, *Cap. VI.* indicatum est.

CAPUT III.

Porro singuli Archi-Presbyteri, ubi habuerint debitas specificationes omnium bonorum & fructuum singulorum Pastoratuum, & quorumcumque aliorum Beneficiorum sui Decanatus, non different sibi conficere debitum registrum cum expressione onerum tam Missarum, quam censuum ac redituum, & quorumcumque aliorum, ipsis Beneficiis incumbentium; & illud ipsum registrum mox Nobis exhibebunt, ut descriptam copiam, in Archivis nostris conservemus.

CAPUT IV.

Authorisamus etiam Archi-Presbyteros nostros, ad petendum nostro nomine a Possessoribus quorumcumque Beneficiorum, Patronis, & quibusvis aliis, literas originales, vel copias authenticas quarumcumque fundationum, & bonorum Ecclesiasticorum habentibus, easdem sibi exhiberi, & exhibere nolentes ad id debite compellendum, juxta *Art. XXII.* edicti Serenissimarum suarum Celsitudinum, pro faciliore executione novissimi Concilii Provincialis anno 1607. emanati. Porro literæ originales, vel copiæ authenticæ quæcumque exhibebuntur, mox nitide & correcte describentur, & facta debita collatione, authenticabuntur, ut optime poterunt, sumptu Beneficii, vel fundationis, cui servient.

CAPUT V.

Ubicumque nulla, vel imperfecta bonorum fabricarum, mensarum S. Spiritus, aliarumque piarum fundationum sunt registra, ut ea quam citissime fiant, aut perficiantur, recta administrandi ratio requirit, & non tantum quantitas terrarum arabilium, pratorum, sylvarum, hortorum, vivariorum, & cæterorum hujusmodi declaranda est; sed designandæ quoque hypothecæ cum earum Possessoribus quoad census & reditus, ac in omnibus exprimendi limites & contermini. Ubi vero registra quidem sunt, sed non renovata intra quindecim annos, fiat eorum debita renovatio, juxta mandatum novissimi Concilii Provincialis *hoc Titulo*, *Capite quarto*.

CAPUT VI.

Census ac reditus quorumcumque granorum & leguminum, nec non vini, olei, halecum, ceræ, & similes Collegiis Ecclesiasticis, Beneficiis, fabricis Ecclesiarum, mensis pauperum, ac quibuscumque piis locis debiti in specie quotannis persolvantur, saltem non in certa semper, & eadem quantitate pecuniæ solvi permittantur.

CAPUT VII.

Quilibet Beneficiati, in legitimis manualibus, quæ ex præscripto ultimi Concilii Provincialis sibi conficere jubentur, dum annuas solutiones annotant, simul etiam causam, seu contractum, cujus virtute singulæ solutiones receptæ sunt, nec non numerum annorum adscribent, præsertim quoad bona data in emphyteusim, exempli gratia:

Tali die, *mense & anno*, *recepi a N. ratione talium bonorum* (ea hic exprimenda cum

cum justa eorumdem quantitate, & conterminis) *ei datorum in emphyteusim, canonem viginti quatuor solidorum, qui cessit Kalendis Augusti anno* 1613. *& hic annus est vigesimus secundus talis emphyteuseos.*

CAPUT VIII.

Bona piarum fundationum ad certos & determinatos usus relicta, aliis etiam piis usibus per Administratores eorum, propria ipsorum authoritate non applicentur: sed si quæ fundationes, ob earum tenuitatem, juxta voluntatem Fundatorum adimpleri nequeant, ideoque reductione opus sit, vel bona illarum ad alios meliores, aut magis necessarios usus converti expediat; ad Nos, aut Sanctam Sedem Apostolicam, juxta sacros Canones, recurratur.

CAPUT IX.

Inventarium omnium ornamentorum, & utensilium, quod in singulis Ecclesiis Parochialibus, & Sacellis, fieri mandat novissima Synodus Provincialis, non solum a Pastore, vel Rectore Sacelli, ac Ædituis; sed ab eo quoque, cui illorum custodia committitur, subsignabitur: qui & idoneam cautionem præstabit de illis fideliter custodiendis. Et quandocumque nova ornamenta comparabuntur, vel suppellectili Ecclesiæ aliquid accedet, mox ea omnia inventario debite inscribentur.

CAPUT X.

Gazophylacia, sive (*l*) trunci (ut vocant) oblationum, tribus distinctis seris firmentur, & clavis una sit penes Pastorem.

CAPUT XI.

Elocationes bonorum ad quæcumque Beneficia spectantium, anticipatis solutionibus non fiant: & si fiant, nullatenus Successores obligent, quocumque privilegio vel indulto fulciantur. prout a (*m*) sacro Concilio Tridentino decretum est.

CAPUT XII.

Post tres demum proclamationes debite factas, bona spectantia ad Pastoratus, Capellanias, fabricas Ecclesiarum, mensas S. Spiritus, aliasque pias fundationes ac pia loca, elocari volumus; neque tunc quidem aliter, quam publice, & plus offerenti, & danda idonea cautione a conductoribus: casu quo tamen publicam elocationem propter collusionem incolarum loci, vel ob aliam causam rationabilem, elocantibus fore damno verosimiliter appareat, omissis proclamationibus, secreto, seu e manu, ut vocant, prætacta bona elocari poterunt; non minoris tamen, quam bona vicina ejusdem naturæ & qualitatis elocantur, nec aliter, quam accepta idonea cautione.

CAPUT XIII.

Decimæ ad Capitula, Monasteria, aliaque pia loca, vel Beneficia spectantes, ultra triennium non elocentur: prata quoque, quando separatim elocabuntur, non ultra sexennium, & terræ arabiles ac domus non ultra novem annos; nec contractus ejusmodi elocationum renoventur, nisi finito biennio prioris contractus quoad decimas, quadriennio quoad prata, & sexennio quoad domus, & terras arabiles. Nec quis umquam prædictos terminos excedat, nisi observatis solemnitatibus, quæ ad alienationem rei Ecclesiasticæ de jure requiruntur, sub pœna nullitatis ipsorum contractuum, juxta edictum Serenissimorum Principum, pro faciliore executione Concilii Provincialis anno 1607. editum *Art. XX.* & alias arbitraria.

CAPUT XIV.

Non expedit Pastores vel Deservitores ita cum Ædituis, vel Communitate quoad competentiam convenire, ut ipsi Æditui, vel Scabini, vel quicumque alii, omnes fructus Curæ, & fundationum recipiant in subsidium honorarii Pastori vel Deservitori annuatim persolvendi: inde enim fit, ut diversi fructus Curarum & fundationum passim pereant, & plures indies perituri merito timeantur, nisi opportuno remedio tempestive occurratur. Quare deinceps quilibet Pastores & Deservitores, si quoad competentiam cum Ædituis, vel aliis convenire voluerint, ita tantum id facient, ut ipsimet omnia bona ad Pastoratum suum, & Anniver-

(*l*) Edicto Caroli V. de anno 1531. Art. 16.

(*m*) Sess. 25. Cap. 11. de Reform.

ſariorum, aliasque fundationes ſpectantia, per ſe recipiant, oneraque fundationum expleant, & cenſus ac reditus, quibus bona gravantur, debite ſolvant; & id tantum, quod ad juſtam competentiam deeſt, ab Æditiuis, Communitate, vel aliis, ipſis numeretur.

TITULUS XXII.

De Regularibus & Monialibus.

CAPUT I.

QUæ in hac, & in Provinciali Synodo de Sacramentis, doctrina, & prædicatione verbi Dei, ac Officio Divino, bonorumque Eccleſiaſticorum conſervatione, & elocatione, & alias conſtituta ſunt; ea omnia, quatenus Regulares tangunt, ab iis diligenter ſerventur.

CAPUT II.

In omnibus & ſingulis Monaſteriis utriuſque ſexus, Regulæ & Statuta Novitiis ante profeſſionem ſæpe legantur, & explicentur.

CAPUT III.

Archi-Presbyteri ſinguli in ſuo diſtrictu diligenter explorabunt voluntatem ſingularum Virginum Deo dicandarum, tam ante ſuſceptionem habitus, quam ante profeſſionem; non modo in Monaſteriis Nobis ſubjectis, ſed & in cæteris omnibus.

CAPUT IV.

In veſtitione Religioſorum aut Monialium, non fiant ſumptus: in profeſſione vero frugales tantum & moderati, nec aliquid in ea fieri permittatur, quod offendere poſſit.

CAPUT V.

Dum Confeſſarii Sacramenta ægrotis Monialibus adminiſtrandi, vel moribundas conſolandi gratia, vel quicumque alii ex neceſſitate ſepta clauſuræ ingredi coguntur: eoſdem ingredientes & egredientes, ac interim dum intra clauſuram hærent, duæ Moniales ex ſenioribus ſemper comitentur.

CAPUT VI.

Nullus, etiam ex Confeſſariis, vel eorum ſociis, munus aliquod, etiam eſculentum aut poculentum, vel quod Altari ſerviat, ut Corporali vel Purificatorium, a Moniali, quæ Præfecta non ſit, citra ipſius expreſſum conſenſum recipere audeat.

CAPUT VII.

Si penſio vitalis, aut etiam reditus perpetuus, alicui Monialium, a parentibus, vel aliis quibuſcumque datus aut relictus fuerit; ipſa eum recipere non permittatur, ſed Præfecta vel Procuratrix Monaſterii eumdem recipiat, & inde ante omnia ſubminiſtret neceſſaria Religioſæ, ex cujus parte reditus, vel penſio illa proceſſit; & ſi quid ſuperfuerit, in communes uſus Monaſterii convertatur.

CAPUT VIII.

Quibus diebus Moniales Sacram Euchariſtiam ſumpſerint, cum nemine externo colloquantur, niſi neceſſitas ita poſtulet; ſed manentes apud ſemetipſas, & ſedentes ſolitariæ, levent ſe pennis piarum meditationum ſupra ſe, & præſtolentur ſalutare Dei, ac Divinam conſolationem in ſilentio.

CAPUT IX.

Regularis promotus ad Beneficium curatum Monaſterio ſuo non unitum, nec ei ſubjectum, invitus ſine noſtro conſenſu domum revocari, & Paſtoratu privari non poſſit; niſi Prælatus contrarium tentans, legitimo privilegio fulciatur.

CAPUT X.

Nemo cujuſcumque ſtatus, vel conditionis fuerit, Religioſos fugitivos, & extra Superiorum ſuorum obedientiam vagantes recipere, fovere, aut ad Sacramenta, vel Eccleſiaſtica miniſteria admittere audeat, ſub pœna excommunicationis.

TITULUS XXIII.

De Judicibus delegatis, & Examinatoribus.

CAPUT I.

DEſignatis per noviſſimum Concilium Provinciale ad delegationem cauſarum in partibus, addit hæc Synodus R. P. Dominum *Guilielmum de Caſtillo*, Abbatem de Baudelo, Dominum

num *Leonem de Meyere*, J. U. Licentiatum, Protonotarium Apoſtolicum, nec non Præpoſitum Eccleſiæ Collegiatæ Sanctæ Pharahildis, & Dominum *Georgium Chamberlain*, Juris Canonici Licentiatum & Archi-Diaconum Gandavenſem, item Dominum *Joannem Wilgiers*, J. U. Licentiatum, Scholaſticum & Canonicum Eccleſiæ noſtræ Cathedralis.

CAPUT II.

Similiter ad ſatisfaciendum Decreto Concilii Tridentini (n) de conſtituendis Examinatoribus, Synodo huic propoſiti, & ab ea approbati ſunt, qui ſequuntur:

D. ac Magiſter Adrianus Vareus, S. T. Licentiatus, Cathedralis Eccleſiæ S. Bavonis Præpoſitus.

D. Franciſcus Del-Rio, U. J. Licentiatus, ejusdem Eccleſiæ Decanus, & Officialis Gandavenſis.

D. Georgius Chamberlain, J. Canonici Licentiatus, & ejusdem Eccleſiæ Archi-Diaconus.

D. Joannes Wilgiers, U. J. Licentiatus, dictæ Eccleſiæ Cathedralis Canonicus & Scholaſticus.

D. Guilielmus Arents, S. T. Licentiatus, & ejusdem Eccleſiæ Pœnitentiarius.

D. Antonius Smets, S. T. Licentiatus, ejusdem Eccleſiæ Canonicus.

CAPUT III.

Meminerint hi juramenti, quo ſe obſtrinxerunt, videantque, ut omni humana affectione depoſita, munus a ſe ſuſceptum recte curent, atque adminiſtrent; & nihil prorſus occaſione examinis ante vel poſt accipiant, ſub pœnis Concilii Tridentini, nec quis eorum aliquem, de quo examen periculumque fiet, Collegis, aut Collegæ ſuo, ulla ratione commendet.

CAPUT IV.

Non ſolum uniuscujusque eorum, qui examinantur, ſcientia, ſed etiam uſus, judicium, ingenii vis, ac ſolertia ſpectanda ſunt, & præferendus minus doctus (modo idoneus) quando ejus mores ſunt noti, & approbati, doctiori, cujus vita ignoratur.

TITULUS XXIV.

De Synodo Provinciali, & Diœceſana.

CAPUT UNICUM.

Statuta noviſſimi Concilii Provincialis, & hæc noſtra Synodalia, quæ omnia legitime promulgata, & publicata fuerunt, ab omnibus & ſingulis, quos concernunt, obſervari debere declaramus, obſervarique mandamus.

F I N I S.

Recuſa hæc Decreta typis Petri de Goeſin Gandavi, juſſu Illmi ac Revmi D. Philippi Erardi van der Noot, XIII. Gandavenſis Epiſcopi.



STA-

(n) Seſſ. 24. Cap. 18. de Reformat.

STATUTA & DECRETA Generalia VISITATIONIS

Pro Prælatis, Ecclesiarum Rectoribus, Parochis, Curatis, & Clericis quibuscunque

Sub MARCO SITTICO, (*) LIV. Salisburgensi Archi-Episcopo

Anno Christi MDCXVI. Pauli V. Papæ XII. Matthiæ Imp. V.

NOS MARCUS SITTICUS, DEI GRATIA, ARCHI-EPISC. & Princeps Salisburg. Sedis Apostolicæ Legatus &c.

Omnibus & singulis nostræ Archi-Diœceseos Prælatis, Ecclesiarum Rectoribus, Parochis, Curatis & Clericis quibuscunque, quocunque nomine ac dignitate fulgeant, Salutem & obedientiam in Domino sempiternam.

UT qua majori decet ac potest reverentia & industria tum Sacra omnia administrentur, tum Clerus universus sui, suorumque munerum & Ecclesiarum, juriumque ac dignitatis earundem rationem quam exactissimam habeat: Decreta Visitationis per Nos institutæ generalia antehac sub ejus initium edita, (†) hoc ipsius progressu pro ejusdem faciliori, feliciorique fine assequendo, non modo confirmanda, verum etiam quorundam aliorum accessione augenda, secunda hac editione operæ pretium judicavimus. Quæ proinde omnia & singula, nec non si quæ particularia a nostris Visitatoribus Generalibus, quibuscunque vestrum, quando & qualitercunque decerni contigerit, in virtute sanctæ obedientiæ, sub pœnis tam Canonicis & Synodalibus, quam arbitrariis, per vos & vestrum quemlibet, juxta statum & ordinem suum, quanta maxima diligentia observari, debitumque effectum consequi volumus & mandamus: ita tamen, ut quæ moram aliquam temporis vel sumptus & expensas majores exigunt, successive, juxta locorum facultatem, data opportunitate, infallibiliter executioni demandentur. Ea, ut sublata omni confusione & difficultate, commodius inveniri, & præ manibus haberi possent, in hanc formam sub tribus distinctis Titulis generalibus, Personarum scilicet, Rerum & Locorum, in sua Capita subdistinctis redigi ac reduci curavimus. In quorum executione, si quas forte difficultates, impedimenta, controversias, contumacias, aut negligentias deprehendi, sive & exoriri contigerit, Consistorium nostrum, aut locorum Archi-Diaconi diligenter consulantur & admoneantur, ut tempestive & canonice quibuscunque illis occurratur, atque provideatur, ad laudem DEI Omnipotentis: cui honor & gloria in sæcula. Datæ ex Civitate nostra Metropolitica Salisburg. die 7. Mense Octobr. Anno 1616.

TITU-

(†) Prima hæc Decretorum editio præsto non erat.

(*) Brevi, quod *Tom. CC. VII. pag.* 420. extat, MARCI SITTICI elogio pauca hæc adjungenda videbantur: Anno 1612. XV. Cal. Apr. eundem, Salisburgensem antea Canonicum ac Præpositum Constantiensem, ob illustrem virtutum, quibus præcellentissimus erat, perennemque famam, sacer Senatus elegit Archi-Episcopum, electum, atque a Wolfgango Ratisbonensium Antistite VIII. Id. Octobris inauguratum, altero mox die Salisburgenses ex Majorum instituto, solenni pompa in urbem deduxere.

Angusta Pontificatus sui tempora ad memoriam nominis sui non intermorituram, rebus præclare gestis ampliavit. Author fuit celeberrimi, florentissimique illius Gym-

TITULUS PRIMUS.
DE PERSONIS.

De Archi-Diaconis.
CAPUT I.

ARchi-Diaconi, juxta Canonum Sanctiones, diligenter visitent sibi subditas Ecclesias & personas: ejusque visitationis rationem Nobis accuratam, quotannis transmittant.

Iidem in Synodis Archi-Diaconalibus curent, ut Parochi suorum Cooperatorum nomina, status & vitæ testimonia scripto deponant: inquirantque, quam prompte ab eorum singulis Visitationis Decretis tam generalibus, quam particularibus satisfiat, & quo ære alieno sint obstricti; Nostrumque Consistorium diligenter & sincere desuper informent, transcribantque puncta per ipsos in Synodis proposita & conclusa.

Officio suo fungantur diligenter, suaque sint jurisdictione contenti, neque temere ampliorem sibi quovis respectu aut prætextu arrogent, nec umquam crimina subditorum multa pecuniaria punire præsumant, sed aliis debitis, & a jure constitutis pœnis coerceant.

Archi-Diaconis, ut suis Parochis & Sacerdotibus, qui ad id tenentur, Steurarum annalem solutionem, ac legitimum sufficiensque præstitæ solutionis testimonium quotannis sibi ab iisdem exhibendum imponant & procurent, districtius mandamus.

De Decanis, & quasi.
CAPUT II.

DEcani non solum assidue in suo Decanatu resideant, verum etiam impediti legitime a principio usque ad finem Divinis semper in Ecclesia intersint Officiis, eaque non cursim ac festinanter, sed sensim ac pedetentim, non truncate, sed integre, distincte, devote ac reverenter a suis Sacerdotibus persolvi curent.

De

Gymnasii, justam in Academiam Anno 1623. a Paride Archiep. erecti, e quo quot viri, tot scientiarum lumina, ac veræ Fidei decora hueusque prodierunt. Cathedralis Basilicæ, quæ Salisburgi hodie conspicitur, muros principes, mole sua spectabiles, ad coronidem perduxit. Ecclesiam S. Marci cum adjacente Monasterio, Templum Corporis Christi, perelegans Sacellum avunculo suo inprimis caro, D. Borromæo non minori condidit religione ac liberalitate: quæ Juvavienses etiam limites superavit, atque, ut ædiculam D. Virginis Thaumaturgæ in Eremo Helvetica percelebrem, magnis licet impensis, exornandam, aramque egregii operis in aula Lycæi nostri Constantiensis ponendam curaret, eundem impulit.

Migravit e vita, postquam de Provincia Salisburgensi universa heterodoxos proturbaverat, VII. Id. Oct. anno 1619. sacri Regiminis septimo. Hoc ipsi Cathedrali in Ecclesia monumentum Successor posuit:

MARCO SITTICO
Ex Com. ab Hohenems Archiep. & Principi Salisb. Sed. Apost. Legato, Hæresum Profligatori, hujus Templi a fundamentis prope ad tecta usque Conditori, aliarumque multarum Ecclesiarum Restauratori, Patrono literarum et Mæcenati, pauperum Perfugio, Antecessori suo de Ecclesia, de Repub., de Literis, de omnibus optime merito
PARIS.

Ex Com. Lodron. Successor Archiep. posuit, fatis functo, cœloque recepto M.DC. XIX. IX. Octob., postquam rebus præfuit An. VII. Mens. VI. dieb. XXI.

Bucelini German. sac. P. I. Metzgeri Histor. Salisburg. Lib. V. Cap. XVI. Hansitzii nostri Germ. sac. Tom. II. Kropfii pariter nostri Histor. Provinc. German. Super. Decad. VIII.

De Parochis, Cooperatoribus, & Vicariis.

CAPUT III.

PArochi tot ſemper Cooperatores & Vicarios alant, quot vel ex fundatione, vel laudabili conſuetudine pro onerum atque obligationum qualitate & quantitate requiruntur.

Cooperatores vel Vicarii, neque aſſumantur a Parochis, neque ex quavis cauſa dimittantur ſine Noſtra, ſive & noſtrorum Officialium approbatione & licentia.

De Concionatoribus.

CAPUT IV.

COnciones, diebus Dominicis & Feſtivis ad populum habeant, nec eum, dum habentur, in foribus, aut extra Eccleſiam, absque neceſſitate, commorari patiantur.

Sint Concionatores in concionando diligentes, cauti, orthodoxi, prudentes, & Catholicorum, approbatorumque Doctorum ſenſus & opiniones ſequantur: hæreticorum doctrinas falſas & argumenta apud imperitam multitudinem, niſi loci ac temporis conditio contrarium requirat, minime referant, aut ineptas & ridiculas fabulas, aut hiſtorias apogryphas: vitaque, moribus & exemplo cæteris præluceant, quodque verbis alios docent, factis ipſi præſtent.

De vita, honeſtate, ac officiis Clericorum & Sacerdotum.

CAPUT V.

CLerici tam domi, quam foris, honeſto & cujusque gradui competente habitu Clericali ſemper utantur, & coronam ſeu tonſuram deferant.

Horas Canonicas quotidie, ad Breviarii Romani novi, nec non Officii proprii Salisburgenſis præſcriptam methodum, quam diligentiſſime perſolvant.

Comeſſationes, compotationesque quascunque, atque maxime choreas domi, ſeu alibi, in hoſpitiis præſertim ac tabernis quibuscunque fieri ſolitas, etiam Baptiſmi, & nuptiarum ſeu Matrimonii occaſione inſtitutas, conſortiaque intemperantium quorumcunque & male moratorum evitent & declinent.

Ebrii officiis publicis intereſſe, aut ipſa peragere, nullo modo præſumant.

Nullus aliorum prædia lucri cauſa conducat.

Nullus domi ſuæ, ſeu in ædibus Parochialibus cauponam vel tabernam per ſe, vel alios exerceat: neque vino, vel rebus aliis, mercatorum more, emendis & vendendis, aut aliis quibuscunque negotiationibus, ſeu quæſtibus ac lucris ſæcularibus inhiet, & inſiſtat: ſalva Conſtitutione Synodali Salisburgenſi, 21. Cap. XI.

Nullus concubinas, unam vel plures aut detineat, aut recipiat: quin ſi qui habeant, ad ſex minimum milliaria eas ſtatim ablegent, nec ullo umquam prætextu ac colore easdem aut alias reaſſumant; neque vel eas ipſi accedant, vel ad ſe accedere patiantur: prolesque ex illis ſuſceptas, nullo modo apud ſe cohabitare, ſine ſpeciali noſtra in ſcriptis licentia permittant.

Suſpectarum fœminarum familiaritates, ſervitutes & colloquia, veluti peſtem fugiant.

Abſtineant ab omni incontinentia, intemperantia, crapula, ebrietate, luxu, armorum delatione, vetitis luſibus, venationibus illicitis, blasphemiis, rixis, percuſſionibus, tumultibus, ſcandalis, aliisque vitiis quibuscunque & actibus, qui vitæ & honeſtati Sacerdotum repugnant, eosque dehoneſtant; diligenter in ſuis Eccleſiis, qui tenentur, reſideant.

De Medicis.

CAPUT VI.

NUllus Medicorum, antequam coram noſtris Officialibus Fidei Catholicæ profeſſionem emiſerit, artem medicam exercere præſumat.

Medici infirmos decumbentes ante omnia admoneant, ut peccata ſua idoneo Confeſſario confiteantur: quod ſi intra triduum, ceſſante cauſa rationabili, id minime præſtiterint, eos amplius non viſitent.

De

De Vitricis Ecclesiarum.

CAPUT VII.

VItrici nulli ad Ecclesiarum administrationem absque sufficienti & idonea fidejussione, nec nisi Catholici recipiantur: & quotannis suæ administrationis rationem coram Parocho & loci Præfecto reddant.

Iidem curent diligenter, ne Ecclesiarum jura ac proventus annui defraudentur, diminuantur, aut penitus subtrahantur.

De Æditui̇s.

CAPUT VIII.

ÆDitui, quantum fieri potest, modum ministrandi Missæ discant: Ecclesiam & Sacristiam diligenter expurgent; aranearum telas ubicunque sedulo dejiciant: Salutationem Angelicam suis temporibus ter quotidie, nec non semel sub noctem signum pro defunctis pulsent: Ecclesiarum januas clausas, beneque munitas conservent, earum claves penes se tuto detineant: & Parochis omnem reverentiam atque obedientiam debitam exhibeant: idoneamque cautionem præstent, de supellectili Ecclesiastica sibi credita diligenter custodienda.

De Ludimagistris.

CAPUT IX.

LUdimagister quicunque, antequam munus suum exerceat, Catholicæ Fidei professionem emittat: suos discipulos non minus pietatem & bonos mores, quam literas, & semel saltem in hebdomada Catechisticam doctrinam doceat: utatur vero in docendo libris neque turpibus & obscœnis, neque hæreticis aut hæreticorum, seu alias quomodolibet a Sac. Concil. Trident. prohibitis.

TITULUS II.

DE REBUS.

De Sacramentis in genere.

CAPUT I.

MAteriæ Sacramentorum fideliter, soliciteque ac loco congruo custodiantur, & nemini umquam, etiam medicinæ vel tollendi maleficii prætextu concedantur.

In Sacramentorum administratione quilibet tam Constitutiones Synodales, quam Agenda nova Salisburgensia, exactissime observet, superpelliceoque & stola competenti semper utatur.

Nullus in mortali peccato existens, Sacramentum ullum, nisi vel necessitas subsit, vel copia Confessoris desit, & ne tunc quidem sine contritione administrare præsumat.

Quoscunque Sacerdotes ulla Sacramenta administrare, aut concionari, antequam a Consistorio nostro, aut locorum Archi-Diaconis sint approbati, vel Missam celebrare, nisi legitimum, sufficiensque admissionis testimonium exhibuerint, quavis causa & prætextu non permittant.

Requisiti a suis subditis pro Sacramentis administrandis, promptos se ac faciles, nec morosos, pro loci, temporis, personarum, reique exigentia exhibeant, infirmosque etiam non vocati, sæpius invisant, & eorum animabus solicite consulant. Sacramenta hæreticis ministrare nullus umquam præsumat.

Pro qualiscunque Sacramenti, vel Sacramentalis, aut etiam sepulturæ administratione, Sacerdotes nullo modo paciscantur de danda sibi certa pecunia, vel alia re quavis: post administrationem tamen, quod juris & laudabilis consuetudinis est, discrete exigere non prohibentur.

De Baptismo.

CAPUT II.

BAptisteria in Ecclesiarum medio erecta, qua commode possunt, transferantur, vel, illis sublatis, nova ex marmore, vel petra solida cum operculo seu turricula, quæ in medio dividi seu aperiri possit, in Ecclesiæ ingressu ad sinistrum latus erigantur, & cancellis muniantur.

In ipso Baptisterio, sive turricula locus paretur aptus ad sacra Olea, munda absterforia, vas pro infundendo, & librum baptizatorum commode ac tuto conservanda.

Obſtetrices Curati inſtruant diligentiſſime, in quibus caſibus, quomodo & ſub qua verborum vulgarium forma Baptiſmum impendere valeant.

Cum infantes domi ex neceſſitate baptizati ad Eccleſiam catechizandi deferuntur, Sacerdos diligenter inquirat, an rite baptizati fuerint.

Provideant pro fonte Baptiſmatis, ne manibus aqua contrectetur, de vaſculo condecenti, quo baptizandis ſuperinfundatur.

Procurent, ne aquá baptismalis capiti infantis infuſa in eundem fontem recidat, ſed in piſcinam profluat, vel vaſe excepta in eam poſtea mittatur.

Baptizati infantis caput, antequam abſterſorio fuerit abſterſum, non patiantur ab ullo tangi.

Curent omnino Curati, ut infantium Baptismus, niſi ex rationabili aliqua cauſa & ſua licentia, ultra octavum a nativitate diem non differatur, iisdemque Sanctorum nomina imponantur.

Baptismum ſemper in Eccleſia tantum, nunquam in Ædituorum aut Parochorum ædibus, quantumvis Eccleſiis ipſis contiguæ fuerint aut annexæ, nec alio ullo in loco, extra neceſſitatem adminiſtrent.

Patrinos hæreticos, minores quatuordecim annis, necdum confirmatos, transgreſſores præcepti Eccleſiæ de Confeſſione & Communione, ignorantes Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum fidei & præcepta Decalogi, aliosque jure prohibitos & inhabiles nullos, habilium vero nunquam plures, quam unum, vel ad ſummum unum & unam admittant.

Baptizatorum, parentum, ac patrinorum, nec non mandantium, & mandatariorum nomina atque cognomina, diemque collati Baptiſmi, ad modum in Formulario adnotatum, certo in libro deſcribant, eumque tuto aſſervent.

De Confirmatione & Extrema Unctione.

CAPUT III.

POpulum frequentius in concionibus & confeſſionibus ad Sacramenta hæc ſuis temporibus rite ſuſcipienda commoneant, inſtruant, inducant.

Admoneant, ne Confirmationis Sacramentum iterare quis temere præſumat.

Librum habeant, cui Confirmatorum nomina, juxta præſcriptam formulam, inſcribant.

Infirmorum Oleum in vaſe a cæteris diſtincto, & ſacculo violaceo cooperto, tuto ac diligenter conſervent.

Cum Extrema Unctio ad infirmos deferenda eſt, detur ſignum campanæ, diſtinctum a ſigno Euchariſtiæ deferendæ: deferatur autem ſine luminibus, præterquam forte de nocte, prævia cruce minori & vaſe cum aqua luſtrali & populus moneatur, ne, cum defertur, genua flectat, ſed tantum aperto capite condignam ei reverentiam exhibeat.

Sacerdos ægrotos longe diſſitos communicaturus, ferat ſecum etiam vaſculum ſacræ Unctionis, ut poſt Euchariſtiam infirmo adminiſtratam, ſi neceſſe judicaverit, Unctionem quoque adminiſtret.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT IV.

SAcerdotes ſæpius Sacramentaliter confiteantur.

Confeſſiones non plurium ſimul & promiſcue, ſed ſingulorum ſingulas excipiant: eodemque modo in Abſolutione Sacramentali ſe habeant.

Diligentiſſime populum inſtruant & admoneant, ut peccatorum circumſtantias & intelligat, & confiteatur. Nec confeſſione generali, in qua nulla fit alicujus commiſſi peccati mentio ſpecialis, ſint contenti, aut taliter confeſſos abſolvant.

Confeſſionis Sacramentalis ſigillum quam exactiſſime ſervent.

Cathedras confeſſionales convenienter fabrefactas, earumque feneſtellas lamina ferrea perforata, vel cancellis ligneis munitas, unam, vel plures, pro Eccleſiarum neceſſitate, loco commodo ac patente in ipſis Eccleſiis erigi curent: nec extra eas, etiam in Sacriſtia, mulierum præſertim confeſſiones excipiant,

piant, nisi exigente necessitate, vel alia rationabili causa.

Habeant in confessionalibus affixas piam aliquam imaginem, & tabulas continentes Canones Pœnitentiales, formam Absolutionis, & Casus tum Summo Pontifici, tum Nobis de jure & consuetudine reservatos : a quibus sine Canonica facultate neminem absolvere quovis prætextu, extra mortis articulum, ac ne tum quidem, nisi servatis de jure servandis, præsumant.

Singulis Quadragesimæ diebus Dominicis publicent suis subditis, & publice ex suggestu, vel altari intiment præceptum Ecclesiæ, & obligationem confitendi & communicandi in Paschate, prout in Formulario.

Quotannis debito tempore suos nuncios pro deferendis auctoritatibus a reservatis absolvendi ad nostrum Consistorium, vel suos Archi-Diaconos, diligenter transmittant.

De Eucharistia.

CAPUT V.

Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, ubi & quamprimum commode potest, ad altaris summi medium in condecenti & elevato tabernaculo, quod intus panno serico circumquaque vestitum sit, & substratum habeat mundum corporale, supra quod pyxides collocentur, reponi ac transferri, idque mundum ac optime munitum semper conservari curent.

Sacramentum hoc rationis usu carentibus, & amentibus, nisi cum forte lucida habent intervalla, ac frequenti vomitu laborantibus, aut tempore ac personis a jure prohibitis non administretur, nec nisi iis, de quorum Sacramentali Confessione præmissa certo constiterit.

Advertant diligenter, ne aliqua ex Hostiis communicantium sufflatu, vel suspiriis e Ciborio vel patena ejiciatur.

Laicis nullo modo ablutionem per calices subministrent, sed per alia convenientia vasa, sive pocula, quæ calicis formam non repræsentent.

Curati, antequam juniores ad hoc Sacramentum admittant, eos diligenter instruant tum de ipsius dignitate, virtute, excellentia, tum de fide requisita, & modo se ad digne suscipiendum præparandi.

Cum Venerabile Sacramentum ad infirmos deferendum est, dato prius campanæ signo, populus ad Ecclesiam & ad concomitandum invitetur.

In ejusmodi delatione adsint semper duæ minimum sacræ Particulæ in pyxide sive vasculo: aut certe si vel distantia loci, vel alia ratio id non patiatur, sine pulsu, lumine, stola ac superpelliceo revertendum.

Administraturus ægroto hoc Sacramentum, deferat secum in bursa corporale mundum pyxidi super mensam substernendum, nec non purificatorium ad digitos abstergendos.

Eucharistia, quantum fieri potest, ad ægros mane, non sub vesperam, vel noctem, ut a jejunis sumi possit, deferatur.

Communicantium mento Sacerdos pyxidem, vel patenam apte supponat, ne particularum fragmenta in terram, aut super linteum, quod mundum semper substernatur, decidant.

Sacerdos ægroto Eucharistiam allaturus curet ac præmoneat, ut ejus cubiculum ab omni sorde, indecorisque imaginibus expurgetur, instruaturque mensa, mappa nitida, sacris imaginibus, candelabris & candelis accensis, nec non aliquo poculo, seu vase cum vino, vel aqua ad usum ablutionis.

Umbella, ubi commode potest, comparetur pro Venerabili Sacramento, cum ad infirmum non longe dissitum defertur, contegendo: quod nihilominus semper velo condecenti ex utroque Sacerdotis humero composito demisso cooperiatur.

Vas aquæ lustralis cum aspersorio, & tintinnabulum, quod interpollatim eundo & redeundo pulsetur, semper Sacerdos portari curet; & lumen prævium, cum Sacramentum hoc defert ad infirmos.

Sodalitas Sanctissimi Sacramenti, ubicunque potest, erigatur.

Habeant librum, de quo in Formulario, in quo capaces Communio-

nis ſibi ſubditos omnes diligenter deſcribant.

Inobedientes indifferenter notent: tum confecta Regeſta tempore debito noſtro Conſiſtorio, ſive & ſuis Archi-Diaconis transmittant.

De Pyxidibus & Vaſculis.

CAPUT VI.

DUæ in quavis Eccleſia curata pyxides habeantur argenteæ, intus deauratæ, foris competentibus palliolis veſtitæ: major una continuo in Tabernaculo pro Communione populi aſſervanda: altera minor pro communicandis infirmis: quas ſæpius Curati a particularum fragmentis purgent, hasque renovent ac mutent novis & recentibus ſingulis menſibus ad minus ſemel, aut pluries, ſecundum earum, locorumque ac temporum exigentiam & opportunitatem. Quod ſi nullam pyxidem cum Sacramento in Tabernaculo ſive hebdomada ſacra, ſive alio quovis tempore eſſe contigerit, ad tollendam omnem idololatrandi occaſionem; Tabernaculum apertum ac patens omnino dimittant.

Particulæ in vaſculis, non ſuper corporale nudum, quantum commode poteſt, conſecrentur.

Nullæ pallæ vel pulvinariola in pyxide Euchariſtiæ ſubſternantur.

Vaſculum præterea rotundum argenteum intus deauratum pro Auguſtiſſima Euchariſtia ad infirmos longe diſſitos commodius deferenda, ubi opus, comparetur, quod mundum & ſericis cordulis inſtructum, ut collo ſuſpendi poſſit, conſervetur.

Monſtrantia pro Venerabili Sacramento in proceſſionibus circumferendo, vel minimum ejus lunula ſit argentea, atque hæc ita accommodetur, ut facile claudi & aperiri poſſit.

Vaſculum decens, ligneum ſaltem, in quo Hoſtiæ pro Sacrificio conſerventur, in Sacriſtia habeatur.

De Lampade & Cereo Paſchali.

CAPUT VII.

LAmpas ſemper ante Tabernaculum accenſa Venerabili Sacramento ita præluceat, ut ejus ſplendor conſpici aliquo modo poſſit.

Cereus Paſchalis juxta Miſſalis Rubricas pro Eccleſiarum facultatibus accommodetur, accendatur, extinguatur.

De Altaribus, eorumque ornatu.

CAPUT VIII.

OMnia & ſingula Altaria inſtructa ſint tela cerata, tribus mundis mappis, quæ totam Altaris menſam apte contegant (quarum ſuperior benedicta, cæterisque amplior & prolixior ſæpius pro neceſſitate ac decentia mutetur) Cruce, Secretorum tabella, candelabris condecentibus, pulvinari vel ſcabello ligneo ad Miſſale fulciendum, & tela viridi, ſeu alterius coloris in locum tabellarum lignearum, quas omnino ocyus amoveri volumus.

Altare ſummum, ubi commode poteſt, columellis præcludatur.

Altaria, ſi quæ ſub ſuggeſtu vel organis ſita ſunt, alio transferantur, vel omnino tollantur, ſi eorum fundationes id patiantur.

Altaria nimis anguſta & breviora, quæ commode poſſunt, dilatentur & amplientur.

Altaria parvis ac tenuibus imaginibus, tabellis, & crucibus non onerentur.

Ab Altaribus ſedilia qualia & quorumcunque annexa ſubmoveantur.

Altaria portatilia tela cerata includantur, inque Sacriſtia loco honeſto ac tuto aſſerventur.

De ſacra ſupellectili.

CAPUT IX.

CUrent provideri de Antipendiis, ex tela ſaltem, vel ligno depictis, de caſulis cum ſuis ſtolis & manipulis, velis ac burſis quatuor colorum, deque thuribulo, navicella & cochleari, juxta Romanæ Eccleſiæ uſum, ac cujusque neceſſitatem.

Antipendia & paramenta quæcunque vetera, indecentia, ac lacerata, ſi vel reſarciri, vel in pium aliquem & Eccleſiaſticum uſum converti nequeant, comburantur, cineresque in piſcinam mittantur.

Para-

Paramenta omnia probe complicata, cæteraque omnis Ecclesiastica & sacra supellex in armariis & cistis intra Sacristiam, vel alibi commode, tutoque dispositis, decenter, diligenterque asserventur.

Sacra vasa, corporalia, purificatoria, pallas, humeralia, albas, cingula (quæ sufficientis longitudinis conficiantur) urceolos, reliquamque sacram omnem supellectilem & ornamenta nitida, mundaque semper conservari procurent.

In quavis Ecclesia juxta cujusque necessitatem, plura comparentur corporalia, purificatoria, vela, & strophiola, ut commode immunda mundis mutari possint.

Purificatoria Cruce in medio signentur.

Vexilla pro Processionibus fracta reficiantur, vel nova pro cujusque Ecclesiæ necessitate ac dignitate procurentur, aptisque ac tutis locis asserventur.

Quemadmodum pro Hostiis, ita & pro particulis formandis & exprimendis, nisi aliter forsan commode haberi possint, ferrum aliquod comparetur.

Totius sacræ supellectilis inventaria duo conficiantur, quorum unum Ædituus, alterum Vitrici penes se conservent.

De Missæ Sacrificio.

CAPUT X.

Nullus Sacerdos ab officio suspensus, excommunicatus, vel in peccato mortali existens, vel non jejunus a media nocte, multo minus adhuc ebrius, vel sine luminibus, vel idoneo Ministro, vel Missali, quamvis Missam memoriter sciat, vel non dictis saltem Matutino & Laudibus, vel in loco polluto aut interdicto, Missam celebrare præsumat.

Celebrent omnes in Altaribus consecratis, vel super Portatili sufficientis magnitudinis; nec nisi Calicibus ac Patenis argenteis inauratis ac mundis & consecratis utantur: vilioris materiæ quoscunque serio interdicimus.

Missas, quantum fieri potest, dicant in Altaribus, ad quæ fundatæ fuerint.

Missæ nec notabiliter ante auroram vel post meridiem, nec nisi regulariter singulæ a singulis legantur.

Missali Salisburgensi novo vel Romano in Missis dicendis utantur: earumque cæremonias ac ritus Ecclesiasticos tam secundum Missalis Rubricas, quam inferius annexam appendicem ad unguem ediscant, & quam accuratissime observent.

Dominicis, aliisque Festis diebus Missas pro defunctis nullatenus celebrent: Orationem tamen pro iisdem inserere, majoribus ac solemnioribus Festivitatibus exceptis, non prohibentur.

Quo die Festum duplex celebratur, Missæ votivæ non dicantur.

Birretum seu quadratum, vel Celebrantis sudariolum, super altare non collocetur.

Totus tenor Canonis Missæ, & Secreta omnia, voce submissa recitentur.

Tintinnabulum adsit pro signo ad Elevationem dando.

Faces paulo ante Elevationem accendantur, nec nisi post Celebrantis, aut populi Communionem extinguantur.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT XI.

Parochi originis & domicilii publice, adinstar Matrimoniorum, semel saltem denuncient præsentandos ad aliquem sacrorum Ordinum, fidemque legitimam in scriptis occlusis faciant, tum de dictis denunciationibus habitis, tum de impedimentis, si quæ detecta fuerint: nec non de eorundem ætate, moribus & vita.

De Matrimonio.

CAPUT XII.

A prima Dominica Adventus, usque ad festum Epiphaniæ, & a die Cinerum ad octavam usque Paschatis inclusive Matrimonia nullatenus solemnizent.

Sciant

Sciant omnia impedimenta Matrimonii, tam impedientia, quam dirimentia.

Clandestinis Matrimoniis nullo pacto intersint: neque alias ullum celebrent, nisi præmissis tribus Canonicis denunciationibus, & legitimo cessante impedimento.

Denunciationes ejusmodi non fiant, nisi ad petitionem, vel de consensu eorum, qui sunt Matrimonium contracturi.

Nullus ullos Sponsos, qui fidei rudimenta ignorant, antequam ea discant, Matrimonio jungere præsumat.

Secundas nuptias non benedicant.

Solutas personas de concubitu suspectas cohabitare, vel conjugatas divertere, ac separatim pro earum libitu vivere, nullo modo patiantur.

Habeant librum, cui contrahentium, testiumque nomina, juxta infra notatam formulam, inscribant.

De Sacrorum Liquorum, & Reliquiarum custodia.

CAPUT XIII.

Vascula omnia sacrorum Liquorum sint saltem argentea, si non deaurata.

Vascula ejusmodi, Reliquias, & alias res sacras non nisi in Sacristia, vel alio congruo loco extra Venerabilis Sacramenti Tabernaculum, decenter ac tuto reponant.

Reliquias in thecis decentibus disponant, nec nisi a Clericis reverenter tangi, efferri ac referri patiantur: notis sua nomina inscribant: ignotas decenter una asservent.

Claves sacrorum Liquorum, Tabernaculi, Fontis Baptismalis & Reliquiarum Parochi sub sua, vel Cooperatorum custodia diligentissime semper retineant.

De Cruce & Crucifixi, aliisque imaginibus ac picturis.

CAPUT XIV.

In quavis Ecclesia inter Altare summum & populum loco conspicuo Sanctissimi Crucifixi imago sculpta, vel super trabe collocata, vel ex fornice Ecclesiæ pensilis demissa, vel terræ infixa & nonnihil elevata erigatur.

Cruces & Nomen JESUS, si in Ecclesiarum pavimentis, aut locis sordidis reperiantur, illico tolli serio mandamus.

Cruces, quæ de tumulis defunctorum decidunt, ne pedibus conculcentur, opportune provideant.

In locum depictarum imaginum, quæ retro Altaria concisæ reperiuntur, laminæ ferreæ Christi facie depictæ, reaffigantur, vel omnino illæ deponantur.

Si quæ sint in Ecclesiarum muris intus seu foris picturæ turpes, prophanæ & indecentes, eas statim deleri, nec imposterum nisi devotas, sacras & honestas depingi curent, aut patiantur.

Linteamina, & quæcunque donaria deformia, a statuis discrete amoveant.

De Benedictionibus.

CAPUT XV.

Procurent, ne esculenta, vel pocu-lenta in Ecclesiis benedicenda Altari, sed alicui commodo scamno, vel mensæ decenti, juxta Altare paratæ imponantur, aut certe in Sacristia benedicantur.

De Jejuniorum, Festorumque dierum cultu, & observatione.

CAPUT XVI.

Parochi omnino curent, ne diebus vetitis carnes comedantur.

Festos dies & jejunia tam de præcepto, quam consuetudine observanda populo studiose diebus Dominicis inter Missarum solemnia vel concionem proponant, ab eoque inviolabiliter curent observari.

Curent etiam, ut sui Parochiani Dominicis, Festisque diebus in propriis Ecclesiis, quantum fieri potest, Missæ Sacrificio, verbique Divini prædicationi a principio ad finem usque diligenter, ac devote intersint: nec quicquam ante finita Officia Divina quovis loco venale publice exponi patiantur.

Domi-

Dominicis ac Festis diebus, quibus Vesperæ in Ecclesia decantari & haberi solent, populum ad earum frequentationem inducere conentur.

Iisdem diebus Catechismum stata hora post meridiem, aut certe inter concionandum, usumque deferendi ac modum recitandi Rosarii juventutem ac rudem populum quam accuratissime doceant, nec ulli labori ac industriæ in tam salutari & necessaria institutione parcant.

De Sepulturis & Exequiis.

CAPUT XVII.

SEpultura sacra nusquam vel hæreticis, vel non baptizatis infantibus, aliisque personis jure prohibitis concedatur.

Extra Cœmiterium loco clauso infantium non baptizatorum corpuscula nullo funere & absque cæremoniis sepeliantur.

Parochus nullum defunctum ad sepulturam sinat deferri, nisi ipse vel aliquis suorum Cooperatorum, aut Sacerdos superpelliceo amictus, & stola competenti ad collum appensa, prævia Cruce, luminaribus, & aqua benedicta funus conducat.

In reliquis Agenda nostra nova omnino & diligenter observentur.

De Libris.

CAPUT XVIII.

CUrati animarum libros inferius in Formulario descriptos & habeant, & asservent diligenter.

Adsint Psalteria, Gradualia, Antiphonaria, & Agenda nostra nova in quibusvis Ecclesiis curatis.

Provideant sibi non modo de Breviario Romano novo, proprioque & ordinario Salisburgensi, verum etiam de Casuum & Concionum Auctoribus approbatis.

Quivis Parochorum, & Sacerdotum, seu Clericorum absolutum, integrumque habeat suorum quorumcunque librorum indicem, eumque diligenter asservet.

Nullus libros hæreticos, seu alias quomodolibet prohibitos legat, vel detineat, multoque minus venales exponi patiatur.

TITULUS III.

DE LOCIS IN GENERE.

CAPUT I.

ECclesiæ, Sacristiæ, Cœmiteria, & quævis loca sacra a prophanis, indecoris, illicitisque actibus immunia, munda semper, eorumque tecta sarta conserventur, fenestræ demissiores, Sacristiarum maxime ferreis contextis muniantur, aut rotulis vitreis, vel tela diaphona contegantur, parietesque ac pavimenta, ubi opus, reficiantur, in iisque dormitiones nocturnæ nullæ fiant, nec frumenta, vasa, cistæ, arcæ, vel alia supellectilia ad usum prophanum reponantur, nisi forte propter hostiles incursus, aut incendia repentina, aut urgentem aliam necessitatem.

Prohibeant omnino Ecclesiarum Rectores, ne ullæ merces nundinarum, seu alio tempore, in liminibus, porticibus & continentiis Templorum, aut cœmiteriis venales exponantur.

Adulterorum Catastæ e cœmiteriis, aliisque locis sacris omnino tollantur.

De Ecclesiis.

CAPUT II.

AD Ecclesiarum ingressum, seu januas loco commodo atque elevato vasa aquæ lustralis lapidea erigantur, mundaque serventur: aqua vero singulis saltem Dominicis diebus benedicatur ac renovetur.

Curent Curati, ut Ecclesiæ opportuno tempore ab Æditiuis aperiantur & claudantur.

De Rebus & Juribus Ecclesiarum.

CAPUT III.

REs & Jura Parochialia, Beneficiorum, Ecclesiarum, sacrorumque locorum sive corporalia, sive incorporalia alienare quovis titulo non præsumant, quin potius diligentissime tueantur, illegitimeque ac indebite alienata inquirant, repetant & recuperent: nec non morosos aut contumaces eorum occupatores & perturbatores indiscriminatim ac serio ad Nos, vel

vel ipſorum Magiſtratum ſæcularem deferant.

Parochi redituum ſuorum Eccleſiaſticorum, & Vitrici ſuarum Eccleſiarum, una cum oneribus duo conficiant authentica Inventaria, ſeu Urbaria, ſpatio trium menſium a præſentium notitia, ſive exhibitione, quas Parochi Vitricis inſinuent: quorum alterum noſtro Conſiſtorio, ſive & ſuis Archi-Diaconis (qui eorum tranſumpta authentica Nobis communicent) ex tunc illico transmittant, alterum penes ſe detineant.

De Sacriſtia.

CAPUT IV.

IN Sacriſtiis loco commodo genuflexorium cum Oratorio & orationibus pro Celebrantibus curent.

Ibidem in tabellis affixis deſcriptas habeant fundationes, functiones & obligationes Miſſarum, Legatorum, Votorum, Proceſſionum, Peregrinationum, piarum conſuetudinum, nec non onera, quæ Eccleſiis & cuique Altari incumbunt, eaque omnia ſolicite ac diligenter adimpleant.

Curent, ut in Sacriſtiis lavacra cum aqua & manutergiis mundis ad uſum Celebrantium adſint parata.

De Cœmiteriis.

CAPUT V.

IN medio cœmiterii Crucem erigi curent, ac ejus pedi vas aquæ luſtralis appendi.

Ad cœmiteriorum ingreſſus cancelli ferrei, vel ſaltem lignei, ſuper effoſſa humo accommodentur.

Cœmiteria claudi & in cuſtodia retineri, maxime ad bruta animalia inde prohibenda, vitesque ac arbores quascunque ex eis eradicari curent.

In cœmiteriis, vel ab iis non procul, loco commodiori tum oſſarium erigatur, in quo defunctorum oſſa aliquando exhumata juſto ordine diſponantur: tum locus accommodetur, in quo feretra, ſchalæ, ſcopæ, ligones, & ſimilia tuto aſſerventur.

De Hoſpitalibus, eorumque, ac aliorum ſacrorum locorum rationibus.

CAPUT VI.

HOſpitalia, juxta ſuarum fundationum tenorem, fideliter ac diligenter regantur ac gubernentur.

Omnia & ſingula ſuas Regulas ſeu Statuta a noſtro Conſiſtorio approbata habeant, quæ ſedulo obſerventur.

Nemo recipiatur, qui neſciat, aut certe diſcere facile poſſit Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, & Decalogum, exceptis mutis, ſtultis, aut furioſis.

In hypocauſtis & cubiculis adſint piæ imagines & aqua luſtralis.

Rationes Hoſpitalium remotorum ac pauperum Parochus cum Præfecto loci diligenter excipiat, ac deinde noſtrum Conſiſtorium de ejusmodi rationum atque Hoſpitalium ſtatu ingenue informet.

In rationibus tam Eccleſiarum, quam Hoſpitalium, Confraternitatum, ac quorumcunque piorum locorum reddendis & excipiendis compotationes, poſtpotationes, ſuperfluasque, inutiles, ac graves expenſas prohibere, paulatimque non obſtante ulla in contrarium conſuetudine, verius corruptela, omnino tollere Eccleſiarum Rectores procurent.

De Domibus Parochialibus.

CAPUT VII.

PArochi ædificiis domorum Parochialium opportune, ſatisque provideant, atque ea tecta & ſarta conſervent.

Parochi, Cooperatores, Vicarii, & Capellani in domibus Parochialibus habitent & cibum ſumant, non in conductitiis, vel tabernariis: niſi quis in domo propria, aut conſanguineorum ſine ſcandalo habitaret.

Ædes, atque etiam prædia Parochialia, Beneficiorum, ſeu Eccleſiæ perſonis infamibus, aut quæ ſolvendo non ſunt, nullo modo locentur.

DECRETORUM FINIS.

FOR-

FORMULARIUM INSCRIPTIONUM, ATTESTATIONUM, ET DENUNCIATIONUM.

HAbeant Curati animarum quatuor distinctos libros papyraceos mundos: quorum uni animarum seu Parochianorum: alteri Baptizatorum: tertio Confirmatorum: quarto Matrimonio conjunctorum nomina ad methodum, quæ sequitur, inscribant.

Forma libri Animarum.

IN libro animarum describantur omnes & singulæ familiæ distincte (inscripto primum nomine ac cognomine patris & matris, deinde filiorum, cæterorumque de familia (sat amplo margine & competenti inter eas intervallo relictis, tum ut recens natorum, ac baptizatorum nomina, eorumque pariter, qui de novo in servitiis, vel alia de causa ab aliqua familia assumuntur, vel Parochiam habitatum veniunt, subscribi, tum ut nominibus eorum quidem, qui moriuntur, Crux † in margine iisdem directe respondens, adjunctis die, mense, & anno obitus: eorum vero, qui e Parochia domicilium transferunt, vel migrant, ejusmodi linea —— apponi: tum etiam, qui sunt maturæ ætatis ad Sacram Eucharistiam suscipiendam litera C. notari possint.

Forma libri Baptizatorum.

Die N. Mense N. Anno N.

N. Filius N. & N. ex legitimo Matrimonio (vel *illegitimo*) *natus die N. Mense N. fuit per me N. Rectorem Ecclesiæ N. baptizatus: Patrini fuere N. & N.*

Cum vero infans domi ob urgentem necessitatem baptizatur, & defertur ad Ecclesiam, forma sequens observetur.

Die N. Mense N. Anno N.

N. Filius N. & N. ex legitimo Matrimonio (vel *illegitimo*) *natus die N. Mense N. necessitate exigente, ab N. domi baptizatus fuit, Suscipientibus N. & N. ei ad Ecclesiam præsentato, cæremoniæ, quæ defuerant, per me N. Rectorem Ecclesiæ N. fuerunt adhibitæ.*

Quando autem Procurator constituitur ad aliquem de sacro Fonte suscipiendum, servata prædicta forma in cæteris, omittantur illa: *Patrini fuere* &c. & eorum loco notetur: *Suscipiente N. Nomine ac de mandato N. N.* vero nomine proprio, si quando alterum proprio, alterum mandantis nomine suscipere contigerit.

Modus denunciandæ Confirmationis.

VOlente Illustrissimo & Reverendissimo D. D. Archi-Episcopo, seu Reverendissimo Domino Suffraganeo, confirmare, publicetur in Ecclesia, ut confirmandi curent, sua nomina, parentum, ac patrinorum, nec non cognomina in schedula describi, quæ in actu Confirmationis tradatur Presbytero ad id muneris destinato: Parochus deinde selectis singulorum chirographis, in libro Confirmatorum per ordinem alphabethi eos, prout sequitur, describet ac disponet.

Forma libri Confirmatorum.

Die N. Mense N. Anno N.

ILlustrissimus & Reverendissimus &c. in Ecclesia nostra Parochiali N. confirmavit N. filium N. & N. conjugum (vel *illegitimum*) *Suscipiente N.* Et ita deinceps cæteri, singuli a capite subnectantur.

Formula observanda ad inquirendum ab iis, qui Matrimonium contracturi sunt, an denunciationes in Ecclesia fieri velint.

DOmine N. vel *Domina N. visne fiant denunciationes in Ecclesia, quod agatur de Matrimonio inter te N. & N. contrahendo.* Ut iis factis, & nulla interveniente contradictione, sive impedimento, possit id postmodum libere celebrari.

Quibus annuentibus, curabit eas Parochus tribus continuis diebus inter Missarum solemnia, publice fieri ad modum, qui sequitur.

Formula denunciandi Matrimonia.

SIgnificatur Devotioni vestræ, quod N. filius N. & N. contracturus est Matrimonium

cum N. filia N. quare si quis vestrum sciat inter eos impedimentum aliquod, quo ab ejusmodi contractu Canonice prohibeantur, id mihi Parocho, sub obedientia, qua S. Matri Ecclesiæ tenetur, denunciet.

Et casu, quo contrahentes sint diversarum Parochiarum, prius Parochi se se mutuo certiores reddant de utriusque partis consensu, quam eæ fiant, juxta sequentem modum.

Formulæ supradictæ mutuæ Parochorum certiorationis.

Die N. Mense N. Anno N.

ATtestor ego Presbyter N. Curatus Ecclesiæ N. quod requisiverim ex Domino N. vel *Domina N. mea Parochiana; an velit fieri denunciationes de Matrimonio cum Domina N.* vel *Domino N. vestro Parochiano contrahendo: qui vel quæ, ut fiant, libere consentit.*

Formula attestationum unius Curati ad alterum, cum contrahentes sunt diversarum Parochiarum, de factis denunciationibus.

ATtestor ego N. Curatus Ecclesiæ N. per me in mea Ecclesia inter Missarum solemnia publice denunciatum fuisse Matrimonium contrahendum inter N. filium N. meum Parochianum, & N. filiam N. Parochianam Ecclesiæ N. tribus infra scriptis diebus Festivis, juxta dispositionem S. Concilii Tridentini.

Prima denunciatio facta fuit die N. Mensis N. qui fuit Dominicus, vel N.

Altera, die N. Mensis N. qui fuit Dominicus, vel N.

Tertia, die N. Mensis N. qui fuit Dominicus, vel N. neque aliquod detectum vel delatum fuisse impedimentum.

Hujusmodi autem attestationes consuantur & conserventur ab iis Curatis, qui illas recipiunt.

Formula Matrimoniorum inscribendorum.

Die N. Mense N. Anno N.

N. Filius N. & N. contraxit Matrimonium per verba de præsenti cum N. filia N. in Ecclesia N. coram me N. Parocho (vel de licentia N. Parochi) præsentibus testibus N. & N. & N. &c. *atque servatis servandis, juxta dispositionem & Decretum Sacri Concilii Tridentini.*

Et statim atque Matrimonium in suo libro descriptum fuerit, vel innotuerit, scribatur nomen mulieris in libro Animarum infra nomen viri loco suæ familiæ proprio, in margine tamen libri Animarum, ubi erat nomen mulieris, apponatur linea —— sive contraxerit in propria Parochia, sive extra. Quod si accidat, ut ab Illustrissimo & Reverendissimo, ex rationabili causa denunciationes dispensative remittantur, Curatus id annotet in libro, & testimonium talis dispensationis ac remissionis diligenter conservet.

Dies vero & anni non numeris, sed distinctis, expressisque literis scribantur, hoc modo, verbi gratia: *Die quinta Mensis Augusti, Anno Millesimo, sexcentesimo, decimo sexto.*

Formula denunciandi promovendos ad aliquem sacrum Ordinem.

SIgnificatur Dilectioni vestræ, quod N. filius N. & N. intendit se præsentare Illustrissimo & Reverendissimo &c. *ad suscipiendum sacrum Subdiaconatus (vel N.) Ordinem. Quare si quis vestrum noverit in ipso aliquod impedimentum, seu defectum reperiri, ratione cujus promoveri nequeat, secretus Illustrissimæ Suæ Celsitudini, vel mihi Parocho deferat.*

Formula denunciandi populo Dominicis Quadragesimæ præceptum de Confitendo & communicando in Paschate.

EX commissione Illustrissimi &c. *in executionem præcepti Ecclesiæ, omnes hujus Parochiæ incolæ generaliter & singulariter admonentur, ut, quotquot sunt ætatis maturæ ad communicandum, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & privationis sepulturæ sacræ, sint confessi, & communicent intra terminum trium hebdomadarum ante, totidemque post Pascha, alias dicto termino lapso, contra inobedientes & contumaces ad hujusmodi interdicti publicationem procedetur.*

Formula publicandi sic interdictos.

EX commissione Illustrissimi &c. *denunciatur N. N. interdictus ab ingressu Ecclesiæ, & in eventum mortis, privatus sepultura sacra, juxta sacrorum Canonum Decreta, eo quod non*

non fuerit confessus, nec communicavit in Paschate, prout decernit Sancta Mater Ecclesia, licet de eo generaliter fuerit admonitus: qui proinde si tempore Divinorum Officiorum Ecclesiam forte ingredi temere præsumpserit, ab eorundem celebratione cessabitur: si vero per mensem in ejusmodi interdicti censura contumaciter perseveraverit, contra ipsum, ad excommunicationis, aliasque pœnas Canonicas procedetur.

Formula denunciandi excommunicatos.

EX commissione Illustrissimi &c. *denunciatur innodatus majori excommunicatione N. N. contra ipsum præviis Canonicis monitionibus, aliasque Canonice lata in Consistorio Salisburgen. die N. Mense N. Anno N. causa N. prout latius in ipsa sententia. Quare, cum ipse exclusus sit a participatione Sacramentorum, suffragiis & communione fidelium, quilibet vestrum eum vitare sub pœna excommunicationis tenetur: qui si nihilominus in ejusmodi excommunicatione perseveraverit, contra ipsum, veluti de hæresi suspectum, prout juris procedetur.*

Formula denunciandi liberatos a Censuris Ecclesiasticis.

SIgnificatur Dilectioni vestræ, quod N. N. olim interdictus (vel *excommunicatus*) *per DEI gratiam, rediit ad Ecclesiæ sanctæ obedientiam, & confessus est atque communicavit; quare nemo ipsum vitet, nec male de ipso, sed tanquam de fideli Christiano atque Catholico sentiat.*

Formula conscribendi Relationes Citationum, Mandatorum, & Actuum quorumcunque Venerabili Consistorio præsentandorum.

Die N. Mense N. Anno N.

EGo N. Rector Ecclesiæ N. secundum formam præsentis Mandati (vel *Citationis*, vel *Edicti*) *citavi N. die N. Mense N. juxta præsentium literarum continentiam. In cujus testimonium manu propria hæc scripsi, & sigillum meum apposui.*

Atque hæc Atteſtatio ſcribenda eſt a tergo literarum citatoriarum &c. quando ſunt Superiori remittendæ: alias utendum ſequenti forma:

Alia Formula.

Die N. Mense N. Anno N.

ATteſtor ego N. Curatus Eccleſiæ N. quod N. N. mihi jurejurando retulit, ſe die N. Menſe N. præſentaſſe (vel *intimaſſe*) *N. N. perſonaliter reperto* (vel *ad domum habitationis*) *Mandatum, vel aliam authenticam Scripturam, confectam ſub die N. Menſe N. Anno N. ex officio* (vel *ad inſtantiam N. N.*) *in cujus rei teſtimonium manu propria hæc ſcripſi.*

Hujusmodi relationes, & aliæ quævis ſcripturæ Conſiſtorio transmittendæ ſcribantur & mittantur in folio integro, & proprio ſigillo muniantur, & non aliter.

FORMULARII FINIS.

APPENDIX
Ad Sacroſancti Miſſæ Sacrificii Cæremonias.

SAcerdos celebraturus ſacris veſtibus juxta Miſſalis Rubricas indutus, caput primum cooperiet, tum calicem ſiniſtra accipiet, dextra ſupra extenſa, ne quid decidat, itaque elevatum deferet, ut ejus ſummitas ad pectus pertingat, nec tamen excedat, factaque Cruci, vel imagini ſacræ in Sacriſtia reverentia, ad Altare oculis demiſſis, inceſſu gravi, erecto corpore procedet, eodemque modo ab Altari ad Sacriſtiam revertetur, nec in egreſſu, vel ingreſſu quemquam ſalutabit, vel ſalutanti reſpondebit, aut reverentiam cuiquam, niſi proprio Epiſcopo exhibebit.

Cui ſi ante Altare majus tranſeundum fuerit, in quo non ſit Venerabile Sacramentum, profunde ſe ſe erga illud cooperto capite inclinet: ſi vero ſit Sacramentum in Tabernaculo Altaris occluſo, capite item operto reverentiam dextro genu ad terram uſque demiſſo eidem exhibebit: quod ſi patenter ſit expoſitum, vel ſuper Altari quocunque poſt Conſecrationem in

Miſſa collocatum, vel ſumatur, vel miniſtretur, primum genu dextrum flectat, tum dextra a calice ſemota, caput denudet, birretumque calici ſuperimponat, ac manu teneat, & Sacramentum capite inclinato adoret: poſt adorationem caput tegat, dextram ſuper calicem reponat, ac demum decenter ſe ſe erigat. Quod ipſum obſervet diligenter, ſi quando tranſit ante Altare, ubi Miſſa celebratur, in qua ſacra Hoſtia vel Calix elevatur; hoc tamen addito, quod tunc genu utrumque flectat, nec ante ſurgat, quam Calix ſuper corporale fuerit depoſitus.

Cum vero ad Altare, in quo Miſſam celebraturus eſt, pervenerit, ſtans ante illius infimum gradum, caput detegat, (*) birretum Miniſtro porrigat (quod quemadmodum & ſtrophiolum ad uſum Sacerdotis proprium nuſquam ſuper Altare collocandum) Altari ſive Cruci ſuper eo poſitæ ſe ſe profunde inclinet, vel, ſi adſit Sanctiſſimum Sacramentum in tabernaculo, ſeu extra, genu flectat, ad medium Altaris aſcendat, corporale illico ſuper lapidem ſacratum extendat, neque ejus extenſionem differat uſque ad Offertorium, ac demum calicem medio corporali ſuperimpoſitum velo ex anteriori parte totum cooperiat.

Ut autem compendioſa non minus, quam exacta reverentiarum in Miſſa occurrentium ſcientia, ratioque habeatur, ſciendum eſt, tres eſſe earum modos: quædam enim fiunt, genu tantum dextri ad terram uſque flexione: quædam capitis, humerorumque profunda incurvatione: quædam ſolius capitis inclinatione.

Genuflectit Celebrans ſemper & ubique cum Sanctiſſimo Sacramento expoſito reveventiam exhibet: exhibet autem, quando ad Altare ingreditur, vel ante id tranſit, aut inde diſcedit, & quotiescunque, vel ad medium Altaris accedit, indeque recedit, vel antequam Hoſtiam conſecratam in manus accipiat, & poſtquam eam depoſuit, nec non ante & poſtquam ad populum ſe convertit: quo caſu ne dorſum unquam Sacramento invertat, ſemperq; ſe a ſiniſtra ad dextram paulo ultra medium Altaris verſus cornu Evangelii vertat, curandum. Genuflectit etiam, antequam Miſſam incipiat in Altari, ubi ſit Venerabile Sacramentum, ſive expoſitum, ſive in Tabernaculo: item cum dicit: *Flectamus genua*: *In nomine JESU omne genu flectatur*: poſt Epiſtolam in Quadrageſima ad Verſum: *Adjuva nos Deus*: itemque in Miſſa de Spiritu Sancto, ad Verſum: *Veni Sancte Spiritus*: præterea cum dicit: *Et Verbum Caro factum eſt*: *Et procidentes adoraverunt eum*: *Et procidens adoravit eum*: *Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt*. Cum vero dicitur: *Hic eſt Panis, qui de cœlo deſcendit*, neque genuflectat, neque humeros vel caput inclinet.

Circa quam genuflexionem duo obſervanda: alterum, ut fiat absque pedum ſtrepitu, non in compoſito vel contorto, ſed recto capite & reliquo corpore, dextro pede nec ſuper ſiniſtrum poſito, nec extra ſupremum Altaris gradum projecto, manibusque in Altari non in modum crucis compoſitis, neque conjunctis, ſed hinc inde extra corporale quidem ante Conſecrationem, poſt eam vero ſuper corporalis extremitates disjunctis, & apte ita diſpoſitis, ut extenſarum palmæ junctis digitis jungendis Altaris menſæ imponantur. Alterum, ut fiat ea Altaris parte, & ſitu corporis, ubi tunc Celebrans reperietur, non convertendo ſe ad Tabernaculum, vel ad medium Altaris accedendo, ſed genuflectendo verſus librum, verbi gratia, cum ad Epiſtolam vel Evangelium eſt genuflectendum.

Caput & humeros Sacerdos incurvat, cum facit reverentiam vel Prælato, vel Altari majori, vel in quo celebraturus eſt, aut celebravit, dummodo in neutro ſit Venerabile Sacramentum: præterea cum dicit: *Confiteor*, donec Miniſter abſolverit, *Miſereatur*: (**) ad, *Oramus te Domine*: *Munda cor meum*: *Dominus ſit in corde meo*: *In ſpiritu humilitatis*: *Suſcipe Sancta Trinitas*: *Sanctus*, uſque ad *Benedictus*: *Te igitur*, uſque ad Altaris oſculum: *Supplices te rogamus*: *Agnus Dei*: Orationes ante Communio-

(*) In Germania praxis in diſceſſu caput tegere.

(**) Et Sacerdos reſpond. *Amen*.

munionem: *Placeat*: & profundius quoties Altare osculatur, cujus loco calicem non osculetur, vel patenam. Cum vero dicit: *Deus tu conversus*, usque ad: *Aufer a nobis*, inclusive, vel profert verba Consecrationis, vel Hostiam sacram sumit, incurvat quidem caput & humeros, non tamen ita profunde, sed aliquanto remissius.

Caput tantum inclinat Celebrans, & quidem versus Crucem, quoties a medio Altaris discedit, & eo accedit, cumque ante Orationes, etiam Dominicam, dicit, *Oremus*: quandocunque profert Nomen JESU, præterquam in fractione Hostiæ, dum dicit: *Per eundem Dominum nostrum JEsum Christum*: & ante ejusdem, ac Sanguinis sumptionem dicens: *Corpus*, vel *Sanguis Domini nostri JEsu Christi*, & quoties inclinatus id profert: neque enim ulla tunc fit reverentia. Similiter caput inclinat ad *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, in Psalmo *Judica* tantum & Missæ Introitu. Nec non in Gloria in excelsis, ad verba, *Deo*: *Adoramus te*: *Gratias agimus tibi*: *Suscipe deprecationem nostram*. In Credo ad verba, *In unum Deum*: *Simul adoratur*. In Præfatione ad verba, *Domino Deo nostro*: ante utramque Consecrationem ad verba: *Tibi gratias agens*. Post Memento pro Defunctis ad verba, *Per eundem Christum* &c. In fine Missæ ad verba benedictionis, *Omnipotens Deus*. & quando profertur Nomen Mariæ, vel Sancti, cujus festum eo die celebratur, vel Pontificis.

Circa quos duos reverentiarum modos tria sunt advertenda: primum, ne cum Venerabili Sacramento in Altari existenti Celebrans reverentiam genuflexionis exhibuit, Cruci etiam se postmodum quandocunque inclinet. Alterum, ut, cum Venerabile Sacramentum est ad latus Altaris, ad initium Missæ Sacerdos versus illud non genuflectat, sed Cruci tantummodo in Altari suam reverentiam exhibeat. Tertium, ne Celebrans, dum prædicta, vel similia verba profert, genu unum, vel utrumque ullo modo curvet, vel alias unquam aut aliter in Missa reverentiam exhibeat. (*)

Circa capitis inclinationem duo occurrunt notanda: alterum ad Nomen JEsu caput aliquanto profundius, quam ad Nomina Mariæ, Sanctorum & Pontificis inclinandum esse, eo versus, ubi tunc Celebrans erit, ita, ut si in medio Altaris existat, versus Crucem, seu medium Altaris inclinet: si in cornu Epistolæ, vel Evangelii, versus librum: præterquam cum in fine Orationum dicitur, *Per Dominum nostrum JEsum Christum*: & in Missæ Introitu, *Gloria Patri*, &c. tunc enim etiam versus Crucem caput inclinet. Cum vero Orationes terminantur per, *qui vivis & regnas*: vel, *qui tecum vivit, & regnat*, nulla fit reverentia; quemadmodum neque cum ante, aut post Consecrationem dicitur, *Per Christum*, vel, *Per eundem Christum Dominum nostrum*, nisi, ut dictum est, post Memento pro defunctis. Alterum Celebrantem ad verba in Confiteor, *Vobis*, &, *Vos fratres*, nullo modo debere inclinare, vel quomodolibet convertere caput ad Ministrum, aut populum; ita etiam, cum ad populum versus dicit, *Dominus vobiscum*, *Orate fratres*, *Ite Missa est*, maneat recto capite & corpore, nec Altari dorso innitatur, totaliterque & junctis manibus se convertat.

Paramentis Sacerdos non utatur, quæ ab Episcopo, vel alio facultatem habente benedicta prius non fuerint.

Verbis Missæ nihil addatur, detrahatur, vel immutetur: quare, ubi Missale habet, *In nomine Patris*: *Beatæ Mariæ*: *Vobis*, &, *Vos fratres*: *Dimissis peccatis vestris*: *Domine non sum dignus*: *Benedicat vos omnipotens Deus*, &c. non dicat Celebrans, *In nomine Dei Patris*: *Beatissimæ Mariæ*: *Tibi*, &, *Te frater* (etiamsi solus Minister adsit) *Dimissis omnibus peccatis*: *Domine JEsu Christe non sum dignus*: *Benedicat vos omnipotens, & misericors Deus*: & similia: neque ad Elevationem dicat: *Adoramus te Christe*, &c. vel post Communionem, *Nunc dimittis servum* &c. aut alia quæcunque.

Cum manus & digiti junguntur, dexter pollex super sinistrum in modum Crucis semper ante Consecrationem ponitur, post vero nunquam, sed

(*) Genu dext. genuflexio fit, nunquam sinistro.

ſed uſque ad Communionem pollices & indices non disjunguntur, niſi cum ſacra Hoſtia tractanda eſt: quo caſu caveat Celebrans, ne eos ſuper corporale unquam extergat: poſt Communionem vero omnes digiti æqualiter extenſi & ſimul juncti detinentur.

Manus ante pectus ita junctæ detineantur, ut ſummitates digitorum non tabulam Altaris, ſed Celebrantis faciem reſpiciant, ſive cum ſtandum, ſive cum a medio ad cornu Altaris, aut a cornu ad medium tranſeundum eſt; dum tamen impeditæ non fuerint.

Extendens, elevans ac jungens manus humerorum altitudinem, diſtantiamque non excedat, nec antequam prius junctas extendat ac elevet, quod ad *Gloria*, *Credo*, & alias fieri conſuevit, ſuper Altaris menſam deponat (ad utrumque tamen Memento, & poſt ſumptam ſacram Hoſtiam, etiam ad faciem uſque junctas elevare ac tenere poteſt) quod ipſum in iisdem disjungendis obſervet, nec non, ut cum disjunctæ elevatæ tenentur, unius palma alteram reſpiciat, non tabulam, vel menſam Altaris. Cum vero manus junctæ Altari, vel Corporali ſuperimponendæ erunt, extremitates tantum digitorum parvulorum anteriorem faciem menſæ Altaris punctim, ſummitates vero anularium ſuperiorem ejuſdem attingat. Ita vero junguntur & collocantur, cum dicit, *Oramus te Domine*: *In ſpiritu humilitatis*: *Suſcipe Sancta Trinitas*: *Te igitur*: *Supplices te rogamus*: *Domine JEſu Chriſte*, & cæteras Orationes ante Communionem, &, *Placeat tibi Sancta Trinitas*. Cum vero dicit: *Munda cor meum*, *Sanctus*, primum *Agnus DEI*, pro vivis, & omnes pro defunctis, manus quidem ante pectus jungit, iis tamen Altaris menſam non attingit.

Signans ſe ſigno Crucis, palmam dextræ manus ad faciem ſuam convertat, omnesque digitos extendat, & ſimul jungat, præterquam poſt Conſecrationem: producatque non in aere, ſed frontem, pectus, humerosque ſiniſtrum primum, tum dextrum attingendo, Crucem magnam ſiniſtra infra pectus extenſa: facta vero Cruce, numquam digitum vel manum oſculetur.

Signans ſe patena, hoſtia vel calice, caput aut humeros non excedat, neque patenam ſuper caput, vel oculos ponat, neque oſculatum in planeta, vel aliter extergat.

Cum incœpturus Miſſam dicit, *In nomine Patris* &c. ſic diſpenſet verba ad ſingulos ſui contractus: tangens frontem dicat, *In nomine Patris*: pectus, *& Filii*: humerum ſiniſtrum, *& Spiritus Sancti*: humerum dextrum, *Amen*.

Quotiescumque pectus percutit, dextra manu decenter, nec nimis fortiter, aut vehementer id faciat, tota manu extenſa ante Conſecrationem: poſt vero tribus ejus poſtremis digitis, qui ſacram Hoſtiam non attigerunt, connexis & extenſis, ſiniſtra infra pectus pariter extenſa, & locata, præterquam ad *Agnus Dei*, & *Domine non ſum dignus*; de quibus ſuo loco.

Quando Altare, liber, vel aliud oſculandum, nunquam prius Crux ſuper eo qualitercunque formetur: Altare vero ſemper in medio oſculandum, manibus hinc inde ſuper ejus menſam, vel corporale compoſite extenſis, & capite, corporeque ita directe Altaris medio correſpondentibus, ut in nullam ejus partem propendeant.

Introitus, & reliqua in cornu Epiſtolæ dicenda ſunt in ipſo cornu verſa facie directe ad tabulam Altaris, non vero ſtando in medio Altaris, quantumcunque facie verſa ad angulum dicti cornu. Cum autem dicto, *Dominus vobiſcum*, dicenda eſt *Oratio* in cornu Epiſtolæ, nunquam eſt ad medium Altaris redeundum, ut ibi dicatur, *Oremus*.

Dicturus, *Dominus vobiſcum*, non ſe ſignet ſigno Crucis, neque dicat Verſum, *Domine exaudi orationem meam*, &c.

Alterutram tantum manum numquam apertam vel elevatam teneat. Quod ſi quandoque altera folium vertendum ſit, vel oblata benedicenda, vel poſt Orationem Dominicam patena dextra tenenda, alteram interim ſuper corporale, vel librum, vel Altare, ſecundum rei exigentiam & opportunitatem, deponat.

Celebrans dicto ante Evangelium, *Dominus ſit in corde meo*, &c. non ſe ſignet,

net, neque dicat, *In nomine Patris*, &c. cum vero dicit, *Initium*, vel, *Sequentia Sancti Evangelii*, &c. ſemper ſignet ſe tribus parvis crucibus pollice dextro, prima in fronte, altera in ore, tertia in pectore; non vero una magna a fronte ad pectus, humerosque ducta. Cum reſpondetur, *Gloria tibi Domine*, non ſe vertat, neque inclinet verſus Crucem, aut librum, aut alio.

Evangelium non legat in medio Altaris, ſed ad cornu Evangelii ſtando recto corpore verſus librum, manibus ante pectus junctis, non innitendo brachiis libro, vel Altari. Eo autem, etiam in fine Miſſæ, lecto absque ulla crucis productione librum ad Evangelii principium oſculetur, præterquam in Miſſis defunctorum, &, In principio in fine Miſſæ. Moxque Evangelio abſoluto una cum pulvinari, vel ſcabello, ne tamen corporale tangat, librum attrahat verſus Altaris medium, & poſt in medio ſemper maneat, & cætera proſequatur, niſi cum forte inde omnino ad aliquod ejus cornu recedendum fuerit.

Ad Offertorium patenam cum hoſtia, & calicem neque elevet, neque teneat ultra, vel infra, ſed juxta, ſeu ante pectus.

Infuſis a cornu Epiſtolæ in calicem vino & aqua, eoque purificatorio abſterſo, Celebrans calicem ſuper Altare ibidem deponat, ipſeque ad medium Altaris progreſſus, purificatorio ſuper patenam depoſito, in medio ſtans calicem dextra accipiat, & dicat, *Offerimus* &c.

Ad *Lavabo*, extremitates digitorum utriusque pollicis & indicis lavet, corpore vel ad Altaris tabulam, vel cornu Epiſtolæ converſo: quos tamen dum extergit, ad ipſam tabulam recta ibidem ſe convertat.

Ante quamvis benedictionem ſuper Oblata adhibendam ſive oſculato Altari, ſive non, ſemper manus prius conjungendæ.

Cruces ſuper Oblata, vel aliam rem benedicendam infra Miſſam, fiant manu dextra extenſa recta in longum, ac deinde in transverſum hoc modo † ducta, non autem formando tantum quatuor puncta hoc modo ✣ digitis ita conjunctis & diſpoſitis, ut parvus rei benedicendæ ſit verſus, & crucis formandæ longitudo & latitudo palmum non excedat. Et quando Hoſtia & Calix cruce communi ſignantur, transverſum crucis in medio inter utrumque, non ſuper alterutrum tantum ducatur.

Ad *Sanctus* pectus non percutiat, neque ad *Agnus Dei* pro defunctis.

Antiſtes, ſeu Epiſcopus loci, in cujus Diœceſi quis celebrat, eſt in Canone, ibi, *Et Antiſtite noſtro N.* nominandus.

Tenens manu Hoſtiam, vel Calicem mox conſecrandum, pectus non percutiat, neque ullo modo, quamcunque reverentiam, maxime genuflexione perfecta vel imperfecta faciat, neque Hoſtiam conſecrandam ſiniſtra elevet, ſed demiſſam teneat.

Proferens verba Conſecrationis, caveat, ne afflet, ne barba, vel ore Hoſtiam aut Calicem contingat, Calicive barbam immittat, ne caput, faciemve moveat, ne Crucem ore, capiteve producat, ne Hoſtiam vel Calicem oſculetur, neve Calicem conſecrandum ante Hoſtiam transferat: quem, dum conſecrat, rectum & nonnihil elevatum teneat.

Hoſtiam, vel Calicem conſecratos elevaturus genuflectens capiti non ſuperimponat, neque elevando extra limites corporalis umquam ferat, nec retro poſt ſe, neque directe ſupra ſuum caput, ſed iis oculos ſemper intentos habeat, numquam in utrumque, vel alterutrum latus convertat, aut illis crucem effingat, ſed rectos & immotos in alto adorandos aliquantillum teneat, moxque reverenter deponat, nec oſculetur Hoſtiam, aut nodum, pedemve Calicis, aut manum; poſtremosque tres utriusque manus digitos poſt ſacram Hoſtiam conjunctos, rectos, firmosque teneat.

In elevatione & depoſitione Calicis advertat, ne manipulus Hoſtiam tangat.

Quandocunque Hoſtiam tractat, pedem non incurvet, neque manum oſculetur.

Cum dicit, *Per ipsum* &c. Hoſtia ſuper Calicem formet Cruces, ita ut, fere, ſed non omnino labia Calicis tangat: reliquæ vero Cruces inter Calicem & Celebrantem non excedant Calicis altitudinem: poſtea non multum elevet Calicem cum Hoſtia, nec umquam ferat Hoſtiam retro poſt Calicem, neque in gyrum.

Dum Hoſtiam frangit, brachiis Altaris menſæ non innitatur.

Cum dicit, *Agnus Dei*, pro vivis, ad primum *Miſerere nobis*, manus disjungat, ſiniſtrum ſuper corporale deponat, uſque dicto, *Dona nobis pacem:* dextram a pectore non removeat, niſi cum ad id percutiendum eam extendit.

In Miſſa privata non dicatur, *Pax tecum*; niſi per oſculum inſtrumenti danda pax fuerit.

Dicens, *Domine non ſum dignus* &c. cubitum ſiniſtrum non imponat Altari, non levet Hoſtiam in altum, nec ad latus, non genuflectat, nec ullo modo pedem incurvet, vel corpus contorqueat; ſed capite inclinatus, ſtans reliquo corpore erectus, neque in aliquam Altaris partem propendens, ſiniſtra ſuper corporale inter calicem & pectus, ſuppoſitis poſtremis tribus ejus digitis patenam ſuſtineat, pollice interim & indice Hoſtiam ſacram ſupra patenam tenentibus: dextra vero pectus, ut ad *Agnus Dei* dictum eſt, percutiat.

In ſumptione tam ſacræ Hoſtiæ, quam Sanguinis ne pedem quovis modo incurvet, neque tintinnabulum pulſari permittat.

Patena, poſtquam ſuper Calicem exterſa eſt, eidem inverſa nullo modo ſuperimponatur.

Sumpturus Sanguinem calice ſe ſignans, dextra ejus nodum, ſiniſtra pedem teneat: peracta Cruce patenam ſiniſtra accipiat, Calicique, dum ſumit, ſupponat.

In ſumendo Sanguinem non circumferat, vel circumquaque Calicem lambat, ſed uno eodemque loco ſumat.

Infuſum vinum pro purificatione ea ex Calicis parte ſumat, qua Sacroſanctum Sanguinem ſumpſit: dumque infunditur, a Calice dextram non removeat.

Infuſa ablutione non lambat digitos, neque iis madidis oculos ſibi abſtergat &c.

Purificatio & ablutio infunduntur, ſtante Celebrante in medio Altaris.

Sumpta Communione operam det, ne per aliquantulum temporis expuat.

Cum intra Miſſam adminiſtratur Euchariſtia, non eſt ulla tunc danda Communicatis Benedictio.

In fine Miſſæ unica tantum Benedictio danda eſt, formando Crucem unicam rectam in longum & transverſum in medio Altari, quæ frontis altitudinem, humerorumque latitudinem non excedat, toto corpore ac facie ad populum verſa.

Cum quis celebravit in Altari, in quo non eſt poſitum Ven. Sacramentum, finita Miſſa caput tegat, ſuperius ſtans ad Altaris medium, tum accepto calice deſcendat: ſi vero Sacramentum adſit, aperto capite cum calice ad infimum gradum deſcendat, ubi genuflectat, ac demum caput cooperiat, revertaturque ad Sacriſtiam.

Aſpergens populum aqua benedicta, nemini aſpergendo faciat reverentiam.

Cætera, quæ Cæremonias tam in privatis, quam ſolemnibus Miſſis, vel Pontificalibus adhiberi ſolitas, & ex uſu, rituque Romano præſcriptas concernunt, ex ipſius Miſſalis Rubricis generalibus & Pontificali petantur, diligenterque obſerventur.

APPENDICIS FINIS.

Diligenter collatum cum ſuo genuino Textu in Archivo Archi-Epiſcopali Pragenſi ſub fide mea jurata aſſervato per omnia concordare teſtor. Pragæ die 7. *Octobris Anno* 1757.

(L.S.)

WENCESLAUS PROCOPIUS DUCHOWSKY mpp. Regiæ Capell. OO. Sanctorum in Caſtro Pragenſi Beneficiatus, Notarius Apoſtolicus, & Curiæ Archi-Epiſcopalis Archivarius juratus.

Lünig Spicil. Eccleſ. Cont. II. pag. 236.

SYNO-

SYNODUS CAMERACENSIS

Anno Chrifti MDCXVII. Pauli V. Papæ XIII. Matthiæ Imp. VI.

SUB FRANCISCO VAN DER BURCH, VII. CAMERACENSI ARCHIEP.

SEU

ORDINATA (*)

ab Illuftriffimo ac Reverendiffimo Domino, D. FRANCISCO van der BURCH, Archi-Epifcopo ac Duce Cameracenfi,

IN SYNODO DIOECESANA

II. Octob. M.DC.XVII.

I.

CUm Altaria fint menfæ facrarum Oblationum DEO fingulariter dicatæ, & fepulchra Martyrum, atque ideo in magna reverentia merito haberi debeant; non eft permittendum, ut ab aliqua parte pateant, & rerum viliffimarum, imo & fordium receptacula fiant. Quare & mandamus, ut non modo a fronte, fed a pofteriori quoque parte, & utroque latere obftruantur.

II.

Ubicumque aliquod Altare confecratum eft, ibidem a proximo fefto *Affumptionis Deiparæ Virginis*, ufum Altaris portatilis omnino prohibemus. Ubi vero omnia Altaria adhuc funt profanata, ftatim ea honeftis lapidibus inftruantur, & ad Confecrationem debite aptentur; & interim dum confecrata non funt, in iis tantum Altaribus portatilibus celebretur, quæ fint integra & juftæ magnitudinis, & de quorum confecratione conftet.

III.

Paftores, & quicumque alii Sacerdotes, aut in Sacris conftituti, edendi vel bibendi caufa tabernam ingredientes, nifi profectionis neceffitate fuerint compulfi, folvent pro prima vice fex florenos, fecunda vice duplum, tertia vice plectentur *pœna carceris*, & fæpius recidivi punientur tanquam incorrigibiles.

IV.

Quanto magis Clericos decet manfuetudo, & fpiritus lenitatis, tanto gravius fcandalum patitur populus, fi eos ad verbera venire contigerit. Eapropter diftricte mandamus omnibus & fingulis Beneficiatis, vel titulo patrimonii Ordinatis, ut ab omni percuffione abftineant, fub pœna gravis & exemplaris correctionis. Et fi ea percuffio in taberna, vel cultro, aut aliis majoribus armis facta fuerit, mox percufforem carceribus mancipari, & recidivum & incorrigibilem a Divinis fufpendi, ac Beneficio privari volumus.

V.

Nemo in Sacris conftitutus barbam geftet alatam. Infuper quilibet Sacerdos fuperius labrum ita femper refciffum habeat, ut Sanguinem Chrifti fumpturo non fit impedimento.

VI.

Non decet Clericos in facris Ordinibus conftitutos, præfertim Sacerdotes, ad pfittacum, vel ad fcopum jaculari, aut in locis publicis ludere pila palmaria. Ideo etiam quilibet deinceps ab iis abftinebit fub pœna arbitraria.

VII.

Paftores ad adminiftranda Sacramenta vocati, officio fuo fungi non tardent, graviter alioqui puniendi: graviffime vero, fi quem negligentia ipfo-

(*) Provocatur fæpe numero in iis ad Titulos Gandavenfis Synodi, ab eodem Illmo habitæ, & fupra a nobis infertæ.

ipſorum ſine Baptiſmo, Confeſſione, Sacro Viatico, aut Extrema Unctione ex hac vita migrare contigerit.

VIII.

Non in Sacriſtia, ſed in loco Eccleſiæ aperto & patulo fœminarum confeſſiones excipiantur: & dum tenebræ ſunt, etiam lumen adhibeatur.

IX.

Si (quod abſit) Sacerdotem cum filia ſpirituali quam baptizavit, vel e ſacro Fonte levavit, vel in Confirmatione tenuit, aut cum muliere, cujus Sacramentalem Confeſſionem audivit, fornicari contingat; ſciat quicumque hoc ſcandalum dederit, ſe mox deponendum, & inſuper juxta ſacros Canones ſine conniventia puniendum.

X.

Nemo exorcizare præſumat ſine licentia noſtra in ſcriptis præobtenta. Ita quoque admiſſus non aliter fœminis exorciſmum adhibebit, quam in præſentia duarum perſonarum probatæ fidei, nec aliis exorciſmis unquam utetur, quam qui in Paſtorali Cameracenſi continentur, ſine ſpeciali noſtra licentia.

XI.

Extra diem Natalis Domini, nemo bis uno eodemque die Miſſam celebret, niſi ratione ſuccurſus, aut repentini morbi vicini Paſtoris, vel alias ex ſpeciali noſtra licentia id ei permiſſum fuerit, ſub pœna arbitraria, eaque gravi. Cui autem id permiſſum fuerit, caveat is diligenter, ne in priori Sacro vel ablutionem ſumat (ſic enim deſineret eſſe jejunus) vel ſtatim a ſumptione Sanguinis Domini, calicem abſtergat (hoc enim foret Sacrilegium) ſed prius infuſo vino calicem plene abluat, & hoc ipſum ablutionis vinum in vitrum, vel aliud honeſtum vaſculum infundatur, in alium diem, quo non binetur, pro ablutione ſumendum.

XII.

Formæ Sacramentorum tractim ac diſtincte admodum pronuntientur, & in Canone Miſſæ nihil, etiam pietatis prætextu unquam addatur vel mutetur. Et generaliter alios ritus, aliasque cæremonias vel preces in celebratione Miſſarum nemo adhibeat, præter eas, quæ ab Eccleſia approbatæ & receptæ ſunt.

XIII.

Curent ubique Paſtores, nec non alii, ad quos id pertinet, ut ſacri Calices, corporalia, purificatoria, albæ, ac reliquæ veſtes Sacerdotales, omniaque paramenta altaris ſemper ſint integra & munda, ſub pœna arbitraria pro modo culpæ & negligentiæ.

XIV.

Omnino caveant Parochi, ne aliquem Sacerdotem in cura animarum ſuſtinenda, gerendave ſibi adjungant, ne quidem ad breviſſimum tempus, qui ſe a Nobis approbatum, & ad confeſſiones excipiendas admiſſum eſſe, in ſcriptis non docuerit.

XV.

Singuli Paſtorum in proxima viſitatione Decani exhibebunt ei Concilia Tridentinum, utrumque Provinciale, & noviſſimum Diœceſanum Cameracenſe cum proprii nominis & cognominis adſcriptione in prima pagina.

XVI.

Habeat inſuper quilibet Parochus duos libros, unum, in quo ſingulorum Baptizatorum, nec non parentum, & patrinorum ac matrinarum nomina & cognomina, diemque Baptiſmi diligenter deſcribat: alterum, qui nomina & cognomina Matrimonio junctorum ac teſtium, nec non diem contracti Matrimonii plene contineat. Et uterque quotannis in viſitatione a Decano examinabitur.

XVII.

Ebriis Sponſalia contrahere volentibus Parochus operam ſuam non impendat.

XVIII.

Quilibet Paſtor ſedulo advigilet circa Obſtetricem ſuæ Parochiæ, an ſcilicet materiam & formam Baptiſmi probe norit, & ignorantem debite inſtruat.

XIX.

Quoniam rudis populus ſæpe ex ignorantia ſuperſtitionibus inquinatur, Parochi ſubditos ſuos diligenter de iis doceant, & inter cætera ſuperſtitioſum eſſe exſpectare quemcunque effectum a qua-

a quacunque re, quam res illa nec ex sua natura, nec ex institutione Divina, nec ex ordinatione vel approbatione Ecclesiæ producere potest.

XX.

Nemo extraneus fidelium eleemosynis e suggestu commendetur sine consensu nostro, seu Vicariatus nostri, in scriptis.

XXI.

Si quæ sacræ tabulæ aut imagines nimia vetustate, carie, situ, aut sordibus pene deletæ, aut mutilatæ, tam indecenti aspectu sint, ut contemptum potius, quam venerationem excitent, eæ pie, religioseque restaurentur ab iis, quorum interest, aut si id fieri nequeat, ab Ecclesiis tollantur.

XXII.

Ubicumque Scholæ, præsertim Dominicales, adhuc requiruntur, vel male frequentantur, agant Decani cum Magistratibus, & Præfectis locorum, ut eæ mox erigantur, & pauperes per subtractionem eleemosynarum mensæ pauperum, alii vero aliis pœnis, liberos, aliosque domesticos suos ad Scholas Dominicales, ac lectionem Catechisticam mittere compellantur. Eoque tempore, quo juventus in Scholis instituitur, vel catechizatur, a tripudiis, & aliis insolentiis, quibus pueri a Scholis & Catechesi avocantur, omnino abstineatur.

XXIII.

Cum nihil æque sit necessarium, quam juventutem debite catechizari, & tamen hoc ipsum plurimis in locis vel omittatur, vel neglectim admodum peragatur: omnes & singulos Parochos, & quoscunque alios, quos ea cura tangere debet, rogamus & obsecramus per viscera misericordiæ Dei, & cum obtestatione Divini judicii, ut huic officio suo serio satisfaciant.

XXIV.

Ubicumque certa sunt jura funeralia, Pastores ea nullatenus excedant. Ubi vero hactenus ea fuerunt incerta, & pro discretione Pastorum exigi consueverunt, curent Decani ea legitime taxari, agendo desuper cum Pastore & Magistratu loci, ac Ædituis & Rectoribus mensæ pauperum: & si alicubi communi consensu illa determinari non potuerint, idipsum Nobis significetur.

XXV.

Ubicumque ab aliis, quam juratis Bibliopolis & Librariis, libri, cantilenæ, ephemerides, aut similia, publice venalia exponuntur, vel plateatim circumferuntur, satagant Decani & Pastores, ut auctoritate Magistratuum & Præfectorum locorum id impediatur, secundum Edicta annis 1550. & 1556. a CAROLO V. Imperatore, & Rege PHILIPPO II. desuper edita.

XXVI.

Decani Christianitatum singuli primo quoque tempore sibi conficient debitum registrum omnium Pastoratuum, & quorumcunque aliorum Beneficiorum sui districtus, omniumque & singulorum bonorum ad ea spectantium, nec non Missarum, censuum, & redituum, ac quorumcunque aliorum onerum tam ipsis Beneficiis, quam bonis eorum incumbentium. Et ut debite id præstare valeant, mandamus omnibus & singulis quæcumque & qualiacumque Beneficia curata, vel non curata impræsentiarum obtinentibus, ut intra *sex menses proximos* plenam & perfectam designationem omnium bonorum & fructuum suorum Beneficiorum, & onerum iisdem, eorumve bonis incumbentium, Decano suo in scriptis tradant, sub pœna arbitraria pro modo culpæ & negligentiæ.

XXVII.

Reipsa frequentissime compertum est per Beneficiatorum absentiam, fructus Beneficiorum deperdi, & onera negligi: eapropter licentiam absentiæ, & gratiam vel consuetudinem non residendi nemini suffragari volumus, qui non constituerit legitime Procuratorem, & quidem virum Ecclesiasticum Nobis subjectum, ad Nos, vel Decanum quot annis in visitatione, vel saltem ante festum S. Magni seu 19. Augusti, sufficienter docendum de Missarum, & aliorum onerum adimpletione, ac de censibus & reditibus, quibus bona ipsius Beneficii gravantur, plene persolutis, aliisque similibus.

IN SANCTITATE ET IVSTITIA, SERVITE DOMINO.*
ET ERIT DEVS VOBISCVM.*

Ex Editione Parisina A. 1739. apud Marcum Bordelet.

SYNODUS DIOECESANA LEODIENSIS,

Anno Christi MDCXVIII. Pauli V. Papæ XIV. Matthiæ Imp. VII.

IN ECCLESIA CATHEDRALI LEODII,

Præsidente Serenissimo & Reverendissimo Principe, ac Domino, D. FERDINANDO,(*) Archi-Episcopo & Electore Coloniensi, LXI. Episcopo, ac Principe Leodiensi, utriusque Bavariæ Duce,

CELEBRATA.

MANDATUM

SUPER OBSERVATIONE DECRETORUM SYNODALIUM.

FERDINANDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA Archi-Episcopus Coloniensis, Sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, & Princeps Elector; Episcopus Leodiensis, & Monasteriensis; Administrator, & Coadjutor Hildesimensis, Paderbornensis, & Berchtesgadensis; Princeps Stabulensis; Comes Palatinus Rheni; utriusque Bavariæ, Westphaliæ, Angariæ, & Bullionis Dux; Marchio Franchimontensis; Comes Lossensis, Longiensis, & Hornensis, &c. Universis & singulis Archi-Diaconis, Præpositis, Decanis, Capitulis, Abbatibus, Prioribus, Conventibus, aliisque omnibus Ecclesiasticis, tam Sæcularibus, quam Regularibus Diœcesis nostræ Leodiensis, Salutem in Domino.

MAgno Ecclesiæ proventu, ac animarum bono Synodales cœtus instituti, tum Patres, tum Concilia satis inculcant; utpote quibus compendiose rituum, morumque abusus corriguntur, cujusque muneris ratio præscribitur, disciplina Ecclesiastica aut collapsa restituitur, aut inviolata custoditur; ut non immerito eorum opportuna frequentia commendetur. Quapropter Nobis hactenus cordi fuit, ut in Diœcesi nostra Leodiensi ad prædictos fines Synodum cogeremus; quam antea semel tentatam negotiorum Nos alio vocantium, & detinentium pondus hucusque perficiendam prorogavit. Eam vero auctiorem, & ad grassantes in grege nostro defectus plenius extirpandos, bonosque mores insinuandos, pro solicitudinis nostræ Episcopalis exigentia, completiorem meditabamur: Verum rerum publicarum Nobis incumbentium diversitas effecit, ut eam contractiorem reddere debuerimus. Soliciti tamen fuimus, ut ea Decreta conderentur, quæ maxime & præsentis temporis ratio, & occurrentes subditorum nostrorum spirituales necessitates minime negligenda suggerebant.

Quoniam vero eorum quantumvis paucorum observantiam, ad magnam animarum curæ nostræ commissarum utilitatem conducere, & ex eis velut paucis granis, magnam bonorum operum messem posse exurgere non ignoramus; in Domino hortamur, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut ii, ad quos nostrorum Synodalium Decretorum executionis cura, ex officio, vel de mandato, aut commissione pertinet, ea a nostris subditis inviolabiliter faciant observari; omnibus vero, & singulis Nobis subjectis districte inhibemus, ne quovis colore, vel prætextu iis contravenire præsumant; ne si his nostris Constitutionibus ultro obedientiam præstare renuant, ad eam severioribus pœnis inviti extorquendam provocemur.

(*) Elogium Ferdinandi videsis h. T. pag. 155.

cemur. In quorum fidem, & testimonium, præsentes manu nostra propria subscripsimus, & sigilli nostri appensione communiri jussimus. Datum in oppido nostro Bonnensi, die octava Maji, Anno Millesimo, sexcentesimo, decimo octavo.

Signatum.
FERDINANDUS.

(L.S.)

Et Signat.
Ar. Heufft.

DECRETA SYNODI DIOECESANÆ LEODIENSIS,

IN ECCLESIA CATHEDRALI LEODII CELEBRATÆ,

Præsidente Serenissimo, & Revdissimo Domino, D. FERDINANDO, Archi-Episcopo, & Electore Coloniensi, Episcopo ac Principe Leodiensi, utriusque Bavariæ Duce, &c.

INDEX TITULORUM SYNODI.

TITULUS PRIMUS.

De Fidei professione, & eam concernentibus.

CAPUT I.

UT Fides, quæ salutis fundamentum est, in hac nostra Diœcesi, semper, quantum in Nobis est, illibata servetur; statuimus, & ordinamus, Sancti Concilii Tridentini (*a*) Decreta insequendo, ut Fidei professio fiat, juxta fœl. record. PII Papæ IV. Constitutionem, in fine præsentis Synodi describendam, ab omnibus, quibus de dignitatibus, sive Regularibus, sive Sæcularibus, & Canonicatibus providebitur; idque coram Vicario nostro in Spiritualibus Generali: quibus vero de Parochialibus, aut Vicariis, vel simplicibus Beneficiis providebitur, coram loci Archi-Diacono; & ejusmodi professionis præstitæ registrum facient, & asservabunt eorundem Notarii; alioquin secus provisi, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.

CAPUT II.

Fidei quoque professionem faciant omnes Lectores Monasteriorum, sive Regulares, sive Sæculares: necnon Ludimagistri, & Præceptores quicumque, coram eis, a quibus jurisdictionem, vel admissionem ad hæc munia exercenda accipent; idque antequam se istiusmodi muneribus ingerant.

CAPUT III.

Volumus præterea, ut omnes, qui ad Magistratum eliguntur, aut assumuntur, vel circa administrationem fiasti-

(*a*) Seff. 24. c. 12. de Reform. & Seff. 25. c. 2.

juſtitiæ, tam Civilis, quam Eccleſiaſticæ, publico funguntur munere, ut ſunt Gubernatores, Baillivi, Prætores, Conſules, trigintaduum-viri, vigintiduum-viri, Scabini, Senatores, Commiſſarii, Jurati, Judices, Advocati, Procuratores, Notarii, Prælocutores, Fiſcales, Satellites, Executores, nec non omnes, qui tam in Civitate, quam oppidis, jus civicum, vel cujuscumque Communitatis acquirunt, ſicut & Doctores Medici, Chirurgi, & obſtetrices, per totam noſtram Leodienſ. Diœceſim, eandem publicam Fidei profeſſionem præſtent, priusquam ad dicta officia admittantur; idque coram iis, ad quos de jure, vel conſuetudine, ejusmodi Officiatorum ſpectat admiſſio; iique teneantur infra menſis ſpatium, Paſtori ſuo fidem, de ejusmodi profeſſione præſtita, teſtimonio legitimo facere. Mandantes Paſtoribus omnibus, & ſingulis, ut per ſuos diſtrictus, diligentem ejusce curam habeant, ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis, & alia arbitraria: & inſuper admiſſio ſecus facta, cum inde ſecutis, ſit ipſo jure irrita & nulla, & tam contra admiſſos, quam admittentes procedatur ad pœnas arbitrarias.

CAPUT IV.

Similiter Impreſſores, & Bibliopolæ, in manibus Vicarii noſtri in Spiritualibus, aut per eum deputandi, facient Fidei profeſſionem, inferius quoque adjiciendam: & jurabunt ſe nihil impreſſuros, aut impreſſum habituros, aut ſcriptum vendituros, aut venale expoſituros, ſeu quovis modo communicaturos, quod non prius eidem noſtro Vicario, ſeu per eum deputando, communicaverint fideliter: & ſi in præmiſſis deliquerint, ultra perjurium, arbitrariis pœnis ſubjacebunt: habebunt etiam in ſuis officinis catalogum librorum prohibitorum.

CAPUT V.

Exteri quoque, priusquam ad habitandum in patria noſtra admittantur, profeſſionem eandem facere teneantur, coram Paſtore loci, quem inhabitaturi erunt, a quo deſuper moniti, ſi non paruerint, volumus, ut idem Paſtor illos Vicario noſtro prædicto, aut Archi-Diacono loci referat absque dilatione.

CAPUT VI.

Paſtores, & animarum curam habentes, ſerio advigilent contra hæreticam pravitatem, ut ſi quos noverint in ſua Parochia hæreticos eſſe, aut ſchismaticos, aut de hæreſi diffamatos, vel vehementer ſuſpectos, ſeu libros hæreticos aut prohibitos legentes, vel penes ſe retinentes, illos diligenter, ut ſupra, referant; imo iisdem mandamus, ut ſaltem in die ſolenni Nativitatis Domini, & Paſchæ, inter Miſſarum ſolemnia, diſtricte vigore hujus Synodalis Conſtitutionis mandent ſubditis ſuis, ac ſub excommunicationis pœna, quatenus, quos noverint hæreticos, aut alios prænominatos, eos ſuo Paſtori, ſeu animarum Curatori, vel Vicario noſtro, locique Archi-Diacono, infra quindecim dies denuntient.

CAPUT VII.

Nullæ comœdiæ, tragœdiæ, hiſtoriæ, aut ludi ſcenici, ejusque generis actiones, niſi prius Nobis, aut Vicario noſtro, ſeu a Nobis ad hoc deputatis, integre exhibitæ, ſimiliter & viſitatæ, atque approbatæ fuerint, nec hæ quidem tempore Officiorum Divinorum, exhibeantur a quoquam, ſub pœna viginti florenorum aureorum, pro una medietate ad pios uſus, & alia in Denuntiatorem & Fiſcum dividenda: aliaque arbitraria pro delicti qualitate.

CAPUT VIII.

Omnes magicas præſtigias, diabolicas artes & ſuperſtitiones, librosque illas continentes, ut & libros hæreticos, graviſſime prohibemus; & ſi quem nihilominus in eis delinquentem Paſtores intellexerint, mandamus eisdem, ut eum denuntient & moneant; & ſi ad primam monitionem non deſiſtat, aut libros ejusmodi a ſe non dimiſerit, ſignificent noſtro Vicario, & loci Archi-Diacono, ut ejusmodi delinquentes pœnis a ſacris Canonibus comminatis, & aliis arbitrariis, coerceantur.

Magica & ſuperſtitioſa remedia, quæ expreſſum, vel implicitum pactum cum

cum Dœmonibus continent, quibusque morbi & vulnera tam hominum, quam brutorum curantur, vel in rerum deperditarum notitiam devenitur, aut quæcunque transitoria commoditas procuratur, quia vehementer Deo desplicent, Pastores, & Confessarii, ac verbi Dei Concionatores, admodum detestentur, & delicti hic latentis gravitatem populo exaggerent, & si quos in hac re vitiosos adverterint, ad pœnitentiam, & emendationem eos hortentur, & contumaces, ut supra, deferant puniendos.

CAPUT IX.

Hortamur porro, & mandamus Magistratibus sæcularibus, & quibuscumque Judicibus patriæ, & Diœcesis nostræ, ne hæreticæ pravitatis Inquisitores, quoquomodo, prætextu forsan privilegiorum, aliove quæsito colore, impediant; Sed contra, eis omnem favorem, & auxilium impertiantur, eorum conscientias desuper onerantes, & edicta de Religione a Nobis, & Prædecessoribus nostris Leodiens. Episcopis hactenus edita, speciatim Edictum fœl. mem. Patrui nostri ERNESTI, die XXIII. Octobris, Anno M.D.XCVIII. cujus tenor hic etiam in fine inseretur, renovantes.

TITULUS II.

De Archi-Diaconis.

CAPUT I.

ARchi-Diaconi non arrendent, (b) vel subarrendent, aut elocent jura, seu proventus, aut emolumenta suorum Archi-Diaconatuum; & si munere suo per se fungi non possint (quod vehementer optaremus, eos ad id in Domino hortantes, & serio admonentes) non committant vices suas Officialibus, aut Collectoribus levibus, aut vitiosis, vel conjugatis hominibus, sed tantum Ecclesiasticis gravibus, & probatæ opinionis viris. Visitent Ecclesias suas diligenter, adhibito Notario Sacerdote, aut Clerico cœlibe, aut saltem conjugato, Clericali privilegio gaudente; & in visitatione facienda contenti sint moderatis, & frugalibus expensis.

CAPUT II.

In processibus contra Pastores, & alias personas Ecclesiasticas, gerant se Archi-Diaconi, & eorum Officiales, mature & circumspecte; ne quid in contemptum status illorum temere committatur.

CAPUT III.

Caveant vero Archi-Diaconi, quempiam in Beneficiis curatis instituere, aut admittere, nisi is fuerit ab Ordinario, & Examinatoribus Synodalibus examinatus, & approbatus: teneanturque in literis institutionum inserere, suos institutos fuisse, ut præfertur, examinatos & approbatos; alioqui institutiones, & admissiones hujusmodi, irritas & nullas, ipsosque admissos, ab omnibus Officiis, & Beneficiis, ipso facto suspensos esse declaramus.

Curent Archi-Diaconi, ut Pastores in sua institutione, antequam possessionem Ecclesiæ suæ accipiant, juramentum præstent, quod in adeptione illius Beneficii nullam Simoniam, vel pactionem illicitam commiserint, nec credant ab aliquo commissam, sed ipsum Beneficium canonice sint adepti; quodque bona Ecclesiæ suæ non alienabunt, & indebite forsan alienata, quantum in se erit, fideliter recuperare studebunt; & si Sacerdotes non sint, se infra annum promoveri facient, & personaliter in sua Ecclesia residebunt, ac deservient; quodque erunt fideles, & obedientes Episcopo, & Archi-Diacono suo.

CAPUT IV.

Curent præterea diligenter Archi-Diaconi, ut fiant Registra bonorum, & emolumentorum ipsorum, & compositionum super excessibus: Item & registra bonorum omnium, & quorumcumque Beneficiorum, Officiorum Ecclesiasticorum; nec non piorum locorum, juxta Apostolicum Mandatum, a Serenissimo Patruo, & Prædecessore nostro ERNESTO, renovatum.

CAPUT

(b) Conc. Trid. Sess. 25. c. 11. de Reform.

CAPUT V.

Similiter ut per ſingulas Parochias ſuorum Archi-Diaconatuum eligantur Scabini Synodales, viri honeſtiſſimi, & integerrimi, qui adhibeantur in reddendis rationibus pauperum, & fabricæ ac Confraternitatum; neque fiant in eis convivia.

CAPUT VI.

Pari diligentia curent, ut Paſtoribus egenis detur talis competentia, quæ decentem, & honeſtam ſuſtentationem ſuppeditet.

CAPUT VII.

Archi-Diaconi, quotannis, aut ſaltem intra biennium, totum ſuum Archi-Diaconatum viſitent, & Synodos conſuetas, juxta laudabilem Diœceſis hujus conſuetudinem, celebrent, ac temerarios a Synodis abſentes puniant.

CAPUT VIII.

In exceſſus, ac defectus, & titulos ſuorum Paſtorum, aliorumque Beneficiatorum, præſertim novellorum, diligenter inquirant, Statutaque Synodalia, & alias reformationes publicari, & diligenter obſervari faciant.

CAPUT IX.

Et quoniam in celebratione Miſſarum, utpote re maximi momenti, indecorum, & periculoſum eſt, tam varias & difformes cæremonias & ritus adhibere, uti paſſim videmus: Archi-Diaconi per ſuos Archi-Diaconatus, certos aliquot Sacerdotes bene cæremoniarum peritos, & probos deſignent, qui novellos Sacerdotes inſtruant in Romanis, aliiſque a Nobis præſcribendis cæremoniis, & obſervationibus; cæteris autem Sacerdotibus interdicimus, ne huic muneri ſe commiſceant.

TITULUS III.

De Decanis Ruralibus.

CAPUT I.

Decani Rurales diligentiſſime legant, & perpendant Statuta Synodalia, & alias Conſtitutiones, ac reformationes; quas etiam pari diligentia publicabunt, & obſervari mandabunt; ac refractarios, & culpabiliter negligentes, ad Nos, ſeu Vicarium noſtrum, vel ad Archi-Diaconum referent: ſemperque animum ad executionem Decretorum antea factorum intendant.

CAPUT II.

Omnes, & ſingulas cauſas beneficiales, & matrimoniales, ac reliquas Eccleſiaſticas, ad Tribunal noſtrum, vel Officialis Capituli noſtri, vel etiam Archi-Diaconorum, in quantum ad eos ſpectat, pro ea, qua juramento aſtricti ſunt, obedientia, remittant.

CAPUT III.

Nec immiſceant ſe bannorum Matrimonialium remiſſionibus, propria authoritate, per ſuas quartas capellas, diſtribuendis, ſicut nec cognitioni criminum: ſed cum primum crimina ad notitiam illorum venerint, fideliter, & diligenter Nobis, & Archi-Diaconis nis ſuis reſcribant juxta Statuta Synodalia antiqua.

CAPUT IV.

Decani omnino teneantur in ſacrorum Oleorum conſecratione, & diſtributione, juxta antiquam conſuetudinem, & Synodalia Decreta, perſonaliter adeſſe, eaque ulterius diſtribuenda referre, niſi neceſſitate inevitabili præpediantur; de qua tunc fidem legitimam noſtro in Spiritualibus Vicario faciant: alioquin ſuſpenſionis a Divinis pœnam, ad menſem, aliaſque arbitrarias, eos volumus incurrere; & nihilominus quantumvis impediti teneantur alios, non Laicos, ſed Sacerdotes bonæ vitæ, & integri nominis, loco ſuo legitime ſubſtituere, qui dicto tempore Olea expoſcant, reverenter referant in vaſis mundis, & ad hoc ab Epiſcopo benedictis, ac in repoſitoriis integris, ac firmis collocent, ut nihil effluere poſſit.

Tam Decani, quam quicumque alii illa deportantes, ſint in toto itinere ſobrii, ne per oblivionem, aut aliam mentis indiſpoſitionem, aliquid irreverentiæ circa illa committant.

Diligenter, & ſtatim tantum puri olei olivarum (guttatim infundendo) ſacro Chriſmati, & aliis Oleis ſacris probe

probe admiſceant, ut ſingulis Eccleſiis Decanatuum abunde, & absque alia mixtione, quantum fieri poteſt, ſufficiat; & Paſtoribus ſuorum Conciliorum, absque avaritiæ nota, prompte, benigne, & liberaliter diſtribuant, prout eis etiam liberaliter diſtribui mandamus.

Si vero Decani aliter in prædictis ſe geſſerint, præcipimus Paſtoribus, ut ſtatim apud Nos, vel Archi-Diaconos noſtros conquerantur.

TITULUS IV.

De Paſtoribus.

CAPUT I.

QUoniam inſtitutio Canonica janua eſt, per quam fit ingreſſus in Eccleſiarum adminiſtrationem, ſine qua haberi non poteſt Paſtoralis jurisdictio, nec ligandi, ſolvendique authoritas exerceri; Decernimus, quod nullus in Beneficium quodcumque Paſtorale, vel in exercitium curæ animarum, quocumque titulo, vel prætextu, a quoquam inſtitui, vel immitti poſſit, qui non præcedente maturo examine, idoneus repertus fuerit, & approbatus per Vicarium noſtrum, & Examinatores ad hoc deputatos; aliter vero inſtitutos, & immiſſos ab officio ex nunc ſuſpendimus.

CAPUT II.

Sed & diligenter, ac zeloſe recognoſcant vultum pecoris ſui, frequenterque viſitent domos & familias ſuorum ſubditorum: & in Paſchate, Euchariſtiæ Sacramentum non aliis, quam ſibi, aut alicui ex Confeſſoribus approbatis confeſſis adminiſtrent; & de ipſa confeſſione aliis facta, fidem legitimam exigant.

CAPUT III.

Soliciti ſint Parochi, ut diebus Feſtis & Dominicis, unam horam in inſtruendis Parochiæ ſuæ pueris, aliisque etiam adultis rudioribus catechizandis, impendant, memores ſemper, quod pro eorum animabus ſint Deo rationem reddituri.

Renovamus proinde, & denuo promulgamus Mandata de Catechizatione, per Prædeceſſores noſtros edita, & ſub finem horum Decretorum extenſa; procedaturque per Archi-Diaconos, contra eos, qui in hoc notabiliter fuerint defectuoſi, ad pœnas in dictis Mandatis comminatas, irremiſſibiliter.

Quo tempore fiet hæc puerorum inſtitutio, abſtineatur in plateis a tripudiis, & luſibus, quibus avocari poſſent pueri ab hac utiliſſima doctrina rudimentorum fidei; & imploretur ad hoc auxilium brachii ſæcularis, quod hoc etiam caſu ſuccurrere volumus, & mandamus; ſub pœna arbitraria.

Quo autem lubentius ad Catechismum fideles accedant, quoties comparuerint, decem eis Indulgentiarum dies poteſtate noſtra ordinaria relaxamus.

Dabunt etiam operam Paſtores, ut in diſtrictibus Parochiarum ſuarum, Scholæ erigantur, & pueri, ac puellæ inſtruantur quotidie, ante omnia in Rudimentis fidei.

CAPUT IV.

Doceant ſæpe populum, modum recte confitendi, pie & frequenter communicandi, devote & utiliter orandi; dies Feſtos, & jejunia de ſuggeſtu denuntient, & obſervari mandent.

Patres, & Matresfamilias, Tutores, Dominos, Præceptores, & Præfectos inſtruant, filiorum, pupillorum, & famulorum, diſcipulorum, & ſubjectorum curam habere, eisque referre debere, quæ a Paſtore in Eccleſia didicerunt, ut Dei, & Eccleſiæ præcepta rite adimplere poſſint.

CAPUT V.

Si alicujus Parochi culpa, infans aliquis ſine Baptiſmo, vel adultus ſine Confeſſione, aut Extrema Unctione deceſſerit, talis Parochus ab adminiſtratione Sacramentorum per menſem ſuſpendatur, ac alias arbitrio Judicis puniatur.

CAPUT VI.

Baptiſmi, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis Sacramenta, (c) præ-

(c) Clem. Religioſi. de Privileg. c. Interdicimus 16. q. 1. Conc. Flor. ſub Eugenio.

præterquam in caſu neceſſitatis extremæ, non ab aliis, quam a propriis Parochis miniſtrentur, niſi de Epiſcopi, Archi-Diaconi, aut proprii Paſtoris licentia: & ubi ad infirmum Venerabile Sacramentum deferendum eſt, curet Paſtor campanam pulſari, qua vicini pro eo ſequendo, & orationibus faciendis moneantur, in ipſoque itinere campanula per plateas pulſetur per Cuſtodem, ſub pœna arbitraria.

CAPUT VII.

Publicos uſurarios, (*d*) manifeſtos hæreticos, & excommunicatos denuntiatos, nec ad Sacramentorum perceptionem, nec ad Eccleſiaſticam ſepulturam, ſi tales obierint, admittant.

CAPUT VIII.

Quoties tempore morbi contagioſi, ex edicto publico, aut alias, aliquos Parochianos ex domo ſua, & populi frequentia exire, & curationis ſolum gratia ad tempus abſcedere (non tamen medio miliari remotius a propria Parochia) contigerit; volumus, & decernimus, eorum Paſtores tantisper, illorum curam habere, non ſecus, quam ſi in propriis ædibus adhuc commorarentur: iisque illi teneantur Extremam Unctionem miniſtrare, qui alias eisdem alio morbo laborantibus miniſtrare tenerentur; his vero deficientibus, proprii infirmantium Paſtores Sacramentum hoc, ut & alia, adminiſtrent, aut adminiſtrari procurent, ſub pœna arbitraria.

CAPUT IX.

Quoniam pauperes (*e*) tempore Divinorum Officiorum in Eccleſia mendicantes, populi attentionem perturbant, & irreverenter per Templum divagantes, nec ipſi Divinis, qualiter tenentur, aſſiſtunt; curent Mamburni, ut pauperes a mendicatione in Eccleſia abſtineant, ſed eleemoſynam præ foribus exſpectent.

CAPUT X.

Paſtores, (*f*) ſingulis diebus Dominicis excommunicatos denuntient eos, qui uſurpant jurisdictionem Eccleſiaſticam, aut convertunt in proprios uſus decimas, bona, cenſus, aut jura Eccleſiarum, Beneficiorum, aut officiorum Eccleſiaſticorum, piorumve locorum, & qui impediunt, ne ab iis, ad quos pertinent, percipiantur; nec non eos, qui impediunt viſitationem Eccleſiarum, piorumque locorum, & citationes, mandata, aut ſententias Judicum Eccleſiaſticorum executioni mandari: prout omnes & ſingulos prædictos excommunicamus, & excommunicatos declaramus.

CAPUT XI.

Abſentes Parochiani (*g*) tempore Paſchatis, niſi reverſi fidem faciant ſuo Paſtori, quod alibi confeſſi ſint, & Euchariſtiam ſumpſerint, aut certe ea, qua par eſt devotione, præſtare parati ſint, ad Superiorem deferantur, & interim ab Eccleſia arceantur per Paſtorem, mortuique Eccleſiaſtica careant ſepultura.

CAPUT XII.

Quando ſacrorum Oleorum vaſcula evacuanda erunt, ut eis novum imponatur, alia honeſta ſint parata, in quibus, pro ea, quæ occurrere poſſet, populi neceſſitate, vetera tantisper conſerventur, donec nova alia allata ſint, quibus allatis, vetera in Eccleſiæ lampadibus comburantur.

CAPUT XIII.

Paſtores non deferant Sacrum Euchariſtiæ Sacramentum in proceſſionibus, quæ per agros ad magnum ſpatium ſe extendunt, niſi videant hoc cum omni modeſtia, & reverentia, præcedente ſemper lumine, ac campanula ſonante, & populo ſequente deferendum; abſtinentes interim cum ſuis Parochianis ab omni comeſſatione, & potitatione: verum ſi longitudo itineris aliquam corporis refocillationem depoſcat, tunc potius in alium diem, vel plures, alia proceſſionis pars transferatur, ita ut antea Miſſæ interſit populus, & poſt proceſſionem aliqua in hono-

(*d*) Cap. Omnis. de Pœnit. & Remiſſ. c. Excommunicatos. 11. q. 3. c. Quamquam. de Uſuris. in 6. (*e*) Pius V. Bulla *de data anni* 1566. *Kal. Apr.*
(*f*) Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 12. de Reform. Statut. antiq. Leod. fol. 6.
(*g*) Cap. Omnis utriusque. de Pœnit. & Remiſſ.

honorem Venerabilis Sacramenti conciuncula reficiatur.

Umbella autem Venerabilis Sacramenti, semper a Tenantibus, & Mamburnis Ecclesiæ deferatur, nisi honoratiores id officii præoccupaverint.

CAPUT XIV.

Denique ea, quæ ad Sacramentorum rectam administrationem, & salutarem usum, in Conciliis Generalibus, & Illustrissimi Nuncii Apostolici Decretis, (*h*) novissima ipsius visitatione factis, & authoritate nostra publicatis, pie sancita sunt, diligenter observentur.

TITULUS V.

De Judicibus Apostolicis.

CAPUT I.

AD vitandam confusionem hactenus in multitudine Judicum Apostolicorum animadversam, Concilii Tridentini *Sess.* 25. *C.* 10. Decretum insequentes, designamus in præsenti Synodo personas infra scriptas, scilicet:

Rdissimum Episcopum Dionisiensem, Suffraganeum Leodiens.
Petrum Stevartium, Vicarium in Spiritualibus Generalem.
Wynandum a Wyngarde, Præpositum Leod.
Franciscum a Montmorency, Decanum Leod.
Arnoldum a Bocholtz, Archi-Diaconum Hasbaniæ.
Arnoldum a Wachtendonck, Archi-Diaconum Brabantiæ.
Guilhelmum ab Omalia, Archi-Diaconum Hannoniæ.
Carolum a Lynden, Archi-Diaconum Arduennæ.
Joannem ab Elderen, Archi-Diaconum Condrosii.
Christophorum a Blocquerye, Archi Diaconum Famennæ.
Henricum Vlatten.
Joannem Damen a Merlo.
Wynandum Marotte.
Henricum a Ruyssembergh.
Henricum Waha.
Ægidium Glen.
Joannem de Erpe.
Henricum Mewen.
Nicolaum Raue.
Gerardum Scheinck.
Jacobum de Horion.
Hermannum Berghe de Trips.
Servatium Marcelis.
Guilhelmum ab Elderen.
Gasparem de Roblesse.
Udalricum Hoen ab Hoensbrouck.
Joannem ab Eynetten.
Henricum Molhais.
Franciscum Oranum.
Lambertum de la Motte.
Erasmum Xhenceval.
Joannem Bocholtz.
Ægidium Bocholtz.
Ernestum a Kerkum.
Arnoldum Horion.

Canonicos insignis Ecclesiæ Leodiensis.

Nicolaum Gerard a Muno, Decanum S. Petri.
Joannem Berto, Decanum Sancti Martini.
Albertum a Lymbourg, Decanum S. Pauli.
Hieronymum Gherinx, Decanum S. Crucis.
Hubertum Ursinum a Campo, Decanum S. Joannis Evangelistæ.
Nicolaum Lampsonium, Decanum S. Dionysii.
Bartholdum Steuart, Decanum S. Bartholomæi.

Quibus quidem imposterum causæ ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, a quolibet Legato, vel Nuncio, atque etiam a Sede Apostolica committantur: quam designationem propediem ad Smum D. N. mittemus, ita ut delegationes quæcumque aliorum Judicum, aliis, quam his factæ, subreptitiæ censeantur.

CAPUT II.

Judices Apostolici, (*i*) terminandis causis, quanta fieri poterit brevitate, studeant, ac litigatorum artibus, seu in litis contestatione, seu alia parte judicii differenda, modis omnibus occurrant: nunquam vero ultra annum, vel saltem biennium, eas coram se agitari patiantur; alias omnes causas coram se pendentes, lapso biennio, desertas pronuntient.

CAPUT III.

Assessores vero assumant, non quosvis promiscue, aut magis ambientes, vel ab aliqua partium ingestos, aut

(*h*) Videantur Decreta Nuncii.

(*i*) Conc. Trid. Sess. 25. c. 10.

aut illi faventes, ſed viros probos, & boni nominis, diligentes, maturos, ac juris & praxis peritos, actaque ſtatim ad manus ſuas deponi curent, & per ſe de meritis cauſarum cognoſcant, ſportulas & honoraria taxent moderate, ſcientes, quod juſtitias ipſorum Deus aliquando judicabit.

TITULUS VI.

De Vita, & honeſtate Clericorum.

CAPUT I.

CUm apud omnes Eccleſiæ filios, omnia honeſte, & ſecundum ordinem fieri debeant, (ſiqudem ea eſt quaſi caſtrorum acies ordinata) multo id magis convenit obtinere apud perſonas Eccleſiaſticas, quæ aliis integriori vitæ ſanctitate præire, & morum fulgore prælucere debent: præcipimus itaque prædictis omnibus, præſertim iis, qui in Ordinibus ſacris conſtituti ſunt, vel Beneficium aliquod obtinent, ut continenter & caſte vivant, ab omni vitio libidinis præcaventes, quatenus puro corde, & mundo corpore, valeant miniſtrare.

Abſtineant a concubinatu, & incontinentia, nec ullam detineant in domo, vel extra, mulierem, de qua poſſit haberi ſuſpicio, nec cum tali ullam conſuetudinem habere audeant: quod ſi qua ſiniſtriori fama in hoc laboraverint, ad ſimplicem ſui Superioris, ſeu alterius ad id poteſtatem habentis monitionem, illam dimittere cogantur, appellatione remota: alias contra ipſos procedatur ad pœnas a jure ſtatutas, & pœnis a ſacris Canonibus, vel Statutis hujus Eccleſiæ impoſitis puniantur.

Ab aleis, comeſſationibus, ebrietatibus, ſcortationibus, luxu, aliisque criminibus pariter abſtineant, ſub conſimilibus pœnis, & aliis arbitrariis.

CAPUT II.

Monemus porro eos, qui Sacris inſigniti ſunt, vel Beneficium Eccleſiaſticum poſſident, ut tonſuram, & habitum gerant, quiſque ſtatui ſuo, Ordinique convenientem, juxta ſacros Canones, & laudabilia hujus Diœceſis Statuta, ſub pœnis arbitrariis per Superiores imponendis.

Clericum autem habitum, & tonſuram Clericalem non deferentem, privilegio fori privamus, & privatum declaramus, ac ab omnibus Judicibus ita obſervari & judicari debere, conformiter ad conſueta hujus Diœceſis edicta, mandamus.

CAPUT III.

Armorum geſtationem, ac tabernarum frequentationem, extra itinerum neceſſariorum cauſam, omnibus interdicimus, ſub pœnis arbitrariis, etiam carceris, pro delicti qualitate.

CAPUT IV.

Et quia Clericos, (*k*) utpote in ſortem Domini vocatos, ſæcularia negotia fugere oportet; ſtatuimus, ut in poſterum nulli in ſacris Ordinibus conſtituto, aut Beneficium Eccleſiaſticum obtinenti, officia Procuratoris, aut Notarii quorumcumque tribunalium jurisdictionis contentioſæ conferantur; ſintque ex nunc ad ejusmodi officia obtinenda inhabiles, & actus per eos geſti ipſo jure nulli. Qui vero de præſenti officium ejusmodi obtinent, neutiquam amplius per ſe exerceant, ſub pœna privationis tam officiorum, quam beneficiorum.

TITULUS VII.

De Regularibus, & Monialibus.

CAPUT I.

UT in Monaſteriis, ubi diſciplina collapſa eſt, reſtauretur, & conſtantius, ubi obſervata eſt, perſeveret, Ss. Concilii Trid. (*l*) Decretum repetimus, quo præcipitur, ut omnes Regulares, tam viri, quam mulieres, ad Regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum, vitam inſtituant, ac componant; atque in primis, quæ ad ſuæ perfectionem profeſſionis, ut obedientiæ, paupertatis, caſtitatis, & ſi quæ alia ſunt alicujus Regulæ, & Ordinis peculiaria vota, vel præcepta, ad eorum reſpective eſſentiam, nec non ad communem vitam, victum, & veſtitum pertinen-

(*k*) Trid. Seſſ. 22. c. 1. de Reform.

(*l*) Seſſ. 25. c. 1. de Regular.

tinentia, fideliter obſervent; nec ab iis quovis quæſito colore eorum Superiores recedant.

CAPUT II.

Non immerito damnanda eſt illa conſuetudo, qua in nonnullis Monaſteriis certa pecunia ſingulis Religioſis, pro veſtimentis aſſignatur, cum non minus veſtiri, quam nutriri debeant in communi, & nequidem permitti poſſit, ut ullam penes ſe pecuniam habeant; ſed ſi quam habent a parentibus, vel amicis donatam, aut propria induſtria acquiſitam, eam in manus Superioris, aut ab eo deputati conſignare, aut certe ab eo licentiam impetrare teneantur, eam in uſus neceſſarios ab eodem Superiore determinandos, convertendi. Sicut & valde indecorum eſt, ac multis grave, in die veſtitionis, aut profeſſionis Religioſorum, aut Monialium, adeo magnos fieri ſumptus, ut ſæpe hac via pauperibus, alioquin maxime idoneis, aditus ad Monaſteria præcludatur.

Itaque Abbates, (*m*) Abbatiſſæ, & quivis alii Monaſteriorum Superiores, e domibus ſuis quantocius aſſertas has conſuetudines eliminent; ſi tamen in profeſſione, ipſis Religioſis, vel Monialibus aliquid in menſa dari conſuevit, id parce, & honeſte fiat, nec florenum unum gravem capitatim excedat.

CAPUT III.

Monemus Abbates, & alios Monaſteriorum Superiores, ut infra tres menſes a publicatione horum Decretorum, de Lectore ſibi provideant, juxta Concilii Tridentini præſcriptum; alioquin a Nobis, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, ad id opportunis remediis compellantur.

CAPUT IV.

Extra horam refectionis, Religioſi comeſſationibus, aut compotationibus non indulgeant, etiam prætextu adventus parentum, vel amicorum: ſed ipſi parentes, aut amici ab Oeconomo excipiantur, Religioſis ad prandium vel cœnam dumtaxat evocatis; & ſi extra refectorium commune cœnati fuerint, ante horam nonam dormitorium repetere compellantur. Semper vero dormitorium clavibus obſeretur, ut nullus Religioſus, niſi conſcio, & conſentiente Superiore, egredi poſſit.

CAPUT V.

Cum Sacrum Concilium Tridentinum, (*n*) ſub obteſtatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, omnibus Epiſcopis præcipiat, ut in omnibus Monaſteriis ſibi ſubjectis, ordinaria, in aliis vero, Sedis Apoſtolicæ authoritate, clauſuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, reſtituant, & ubi inviolata eſt, obſervari maxime procurent, inobedientes, atque contradictores per Cenſuras Eccleſiaſticas, aliasque pœnas, quacumque appellatione poſtpoſita, compeſcendo, advocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis: Nos ne noſtro officio hac in parte defuiſſe inveniamur, omnes Sanctimonialium exemptarum Superiores, ex intimo charitatis affectu requirimus, & ſub eadem obteſtatione, & interminatione monemus, ubi tam ſalutare Decretum necdum executioni mandatum eſt, ut ſtatim poſt publicationem hujus Synodi, ſummo ſtudio illud exequantur, ne Nos tanquam Sanctæ Sedis Delegati, eorum officium ſupplere cogamur.

Omnibus vero aliis Monialium Superioribus Nobis ſubditis, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, ut eidem Decreto quamprimum pareant, & inſuper nulla ratione Monialibus, ſive in dignitate, ſive extra eam conſtitutis, quacumque demum ex cauſa, etiamſi Medici ſuadeant, Monaſterium ſuum egredi permittant, niſi expreſſus Vicarii noſtri conſenſus acceſſerit.

TITULUS VIII.

De Sacramento Ordinis, & Examine requiſito.

CAPUT I.

Miniſtri noſtri, Secretarii, vel Notarii quorumcumque, nihil ſub quovis prætextu occaſione Ordinum, vel

(*m*) Extrav. Sane in communibus. de Simon.

(*n*) Seſſ. 25. c. 5. de Regular.

vel examinis accipiant, nequidem ſponte oblatum, niſi regalem unum cum dimidio pro literis teſtimonialibus, vel dimiſſorialibus. (o)

Nullus absque vitæ & morum probitatis teſtimonio (p) (quod volumus eſſe clauſum) tam Ludimagiſtri, ſeu Præceptorum; quam proprii Paſtoris loci, ubi notabili tempore immediate antea degit, ad Ordines, tonſuramve promoveatur; nec ad tonſuram approbetur, (q) niſi ſciat legere, ſcribere, & rudimenta fidei, habeatque fundamentum linguæ latinæ, & præ ſe ferat ſpem, quod in ſtudiis, & moribus, utiles Eccleſiæ progreſſus faciet; & ſit duodecim annos natus: Si autem viginti unius annorum ætatem exceſſerit, non facile promoveatur, niſi conſtiterit, quod ſolo deſiderio Eccleſiæ inſerviendi, promoveri velit; nec niſi qualificatis, ut præfertur, relaxentur literæ dimiſſoriales.

CAPUT II.

Ad Ordines nullus recipiatur, niſi habeat, & geſtet habitum Eccleſiaſticum, & promittat, quod eum aſſidue deferet: quod promiſſum, ſi non adimpleverit, ab Ordine ulteriori ſuſcipiendo rejiciatur.

CAPUT III.

Nullus ordinetur titulo patrimonii, (r) niſi certæ Eccleſiæ adſcribatur, in qua ſuſcipiendi Ordinis officium exequatur; neque ullus ad ulteriorem Ordinem admittatur, niſi Ordinis prius ſuſcepti publicum fecerit exercitium.

Attendant porro Examinatores diligenter, ut valor tituli Beneficii, vel patrimonii promovendorum, non ſit minor quatuordecim aureorum Rhenenſium ab omni onere reali liberorum, exigantque juramentum infra ſcriptum.

Ego N. juro, quod in mea acquiſitione, & deſignatione bonorum meorum Patrimonialium, quorum titulo ſum promovendus ad ſacros Ordines, nulla fraus, aut dolus interceſſit; quodque illa vere & pacifice poſſideam, neque inpoſterum directe, aut indirecte alienabo, niſi mihi fuerit de Beneficio Eccleſiaſtico, eoque ſufficienti proviſum; quo caſu, idipſum non faciam ſine conſenſu mei Epiſcopi, in literis ipſius alienationis ſpecialiter exprimendo. Beneficium autem, quod in dicti mei tituli locum ſucceſſerit, ſine ſimili conſenſu non reſignabo. Ita me DEUS adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia.

CAPUT IV.

Qui ad majores Ordines adſpirant, teneantur juxta præſcriptum Parochialis noſtri Leodienſ. Parochum ſuum ante adire, (s) curareque, ut populo ſuo ad Miſſarum ſolemnia, quodam die Dominico, vel Feſtivo congregato, id ipſum denuntiet, ut ſi quis ſit, qui contra natalia, ætatem, vel mores ipſorum quid habeat, Paſtori ſuo quamprimum indicet: literasque teſtimoniales ejusmodi publicationis factæ, & nullius impedimenti reperti ſecum deferant.

Impediuntur porro, qui ſequuntur:

I. Minores natu. (t)
II. Illegitime nati. (u)
III. Bigami, (x) aut qui viduam habuerint uxorem. (y)
IV. Rudes, & ignari. (z)
V. Corpore vitiati, inſigniter deformes. (a)
VI. Curiæ, aut ratiociniis obligati. (b)
VII. Amentes, caduco morbo laborantes, energumeni. (c)
VIII. Olim hæretici, aut Schiſmatici. (d)
IX. Solemniter pœnitentes. (e)
X. Furtim per ſaltum promoti. (f)
XI. Lapſi poſt Ordinem ſuſceptum. (g)
XII. Ebrietati, gulæ, aut impudicitiæ dediti. (h)

XIII.

(o) Trid. Seſſ. 21. c. 1. de Reform.
(p) Trid. Seſſ. 23. c. 5. de Reform.
(q) Trid. Seſſ. 23. c. 4. de Reform.
(r) Trid. Seſſ. 23. c. 11. & 16.
(s) Trid. Seſſ. 23. c. 5. de Reform.
(t) Trid. Seſſ. 23. c. 12.
(u) C. 1. De filiis Presbyt. extra, & in 6. & alibi.
(x) Diſt. 26. & 34. & tit. De bigamis.
(y) Diſt. 34.
(z) Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 4. de Ref.
(a) Cap. Si Evangelica. diſt. 55.
(b) Cap. Præcipimus. diſt. 34. & diſt. 51. c. 1. 2. 3.
(c) Cap. Maritum. diſt. 33. & ſeqq.
(d) Conc. Elibert.
(e) Cap. Maritum. diſt. 33.
(f) Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 14. de Reform.
(g) Diſt. 50. c. 1. & 2.
(h) C. Ut Clericorum. & c. A crapula. De vita & honeſt. Clericorum.

xiii. Qui uxorem adulteram retinuerint, cognoverintque, sive scienter, sive ignoranter. (i)
xiv. Qui in adolescentia mœchati fuerint. (k)
xv. Usurarii. (l)
xvi. Qui culpa sua hominem occiderint, aut mutilaverint. (m)
xvii. Ministri justitiæ criminalis. (n)
xviii. Criminosi, (o) infames, irregulares, aut quovis alio modo suspensi, interdicti, excommunicati.

CAPUT V.

Externi, qui non sunt hujus nostræ Diœcesis, nullatenus cujusvis generalis, aut specialis rescripti, aut privilegii prætextu, etiam statutis a jure temporibus promoveantur, nisi prius a suo Episcopo probentur, & examinentur; & illius testimonio examinatorum & probatorum probitas, & mores commendentur. Et facultates de promovendo a quocumque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis Episcopis ordinari non possint, in literis expressam.

De reliquo Suffraganeus noster ordinationes sibi a Nobis præscriptas, prout in Domino confidimus, observabit.

Formula faciendi Denuntiationes pro Ordinando titulo patrimonii.

NOtum sit Charitati vestræ, quod die mensis N. fiunt sacræ Ordinationes in Ecclesia N. quod N. filius N. desideret promoveri ad Ordinem Subdiaconatus, titulo patrimonii, quod habet super talibus bonis, in tali loco, per donationem, vel successionem talis N. Quapropter si sit aliquis, qui sciat aliquod subesse impedimentum, vel crimen, propter quod ille promoveri non debeat ad illum Ordinem, vel sciat ejusmodi patrimonium non valere 14. *florenos aureos Rhenen. ab omni genere liberos, hoc ipsum tempestive indicet Vicario Leodiensi, aut mihi.*

Si Ordinandus sit aliquis absque titulo Patrimonii, omittantur in prædicta forma, quæ faciunt mentionem patrimonii.

Forma Testimonialium remittendarum Examinatoribus, super denunciationibus Ordinandorum.

ATtestor infra scriptus N. N. Parochus loci N. me tali die inter Missarum solemnia, dum frequens adesset populus, denunciasse N. aspirare ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, ad titulum Beneficii N. vel Patrimonii, seu bonorum, censuumque infra scriptorum valoris annui......... ut si quæ subessent fraudes, seu fictiones in titulo, aut quæcumque impedimenta, tempestive deferrentur Vicario Leodiensi, aut mihi; neque hucusque quidquam delatum fuit, quod videretur, impedire posse, quo minus præfatus N. promoveretur.

TITULUS IX.

De Matrimonio.

CAPUT I.

DEcretum Concilii Tridentini *Sess.* 24. *C.* 1. *de Reform. Matrimonii*, dudum hic promulgatum, repetitum volumus, & omnino observandum decernimus: proinde mandamus omnibus Matrimonium contrahere volentibus, ut non nisi coram proprio unius ipsorum Parocho, vel altero Sacerdote, de ipsius Parochi licentia, Matrimonium ineant, nisi speciali ad id licentia obtenta a nostro in Spiritualibus Vicario Generali in scriptis, causa, coram eometipso vocatis (si videbitur) propinquioribus, & proprio ipsorum Parocho, summarie cognita: quo etiam casu teneatur alienus Sacerdos a Vicario nostro deputatus, Matrimonium sic contractum, proprio contrahentium Parocho, quamprimum indicare; alioquin tam contrahentes, quam Sacerdos ipse, qui eos contra præscriptam formam conjunxerit, gravissime puniantur, & Matrimonium contra prædicti Decreti formam contractum, sit ipso jure nullum.

CAPUT II.

Si quandoque necesse fuerit omnes bannos remittere, non fiat, nisi ea cautione per omnia servata, quam in licentia coram aliis, quam propriis Parochis

(i) Dist. 34. c. Si cujus. (k) Conc. Elibert. c. 3. (l) C. Maritum. dist. 33.
(m) Conc. Trid. Sess. 14. c. 7. c. Miror. dist. 50. (n) C. Aliquantos. d. 51.
(o) C. Ex tenore. De temporib. ordinand.

rochis contrahendi mox præscripsimus, sub pœna quoque arbitraria gravissima, tam contra contrahentes, quam contra conjungentes, licentiamve dantes, requirenda.

Non committantur remissiones bannorum, nisi Decanis ruralibus, aut Foraneis, & famosiorum locorum Pastoribus, qui omnes antea juraverint in manibus Vicarii nostri Generalis, suorumque Archi-Diaconorum, vel eorundem Officialium, quod ejusmodi literas nunquam distribuent, aut distribui, quantum in se est, permittent, nisi sui solum Decanatus Pastoribus, & curam animarum habentibus; idque pro solis incolis Parochiarum sui Decanatus; neque tunc quidem, nisi visa prius attestatione proprii partium Parochi, de banno uno rite proclamato, nulloque impedimento detecto; quodque Matrimonii solemnizationem semper proprio partium, vel alterius earum Parocho committent; & si secus factum fuerit, tam ipsi Decani, quam impetrantes, seu impetratis utentes, & conjungentes, gravissime puniantur.

CAPUT III.

Pastores frequenter inculcent populo nostra Decreta de Matrimonio, & denuntient eos esse excommunicatos, qui ligaturis, aut quibuscumque maleficiis actum Matrimonii inter conjuges impedire conantur; quos etiam ex nunc Nos excommunicamus, & excommunicationis hujus absolutionem Nobis reservamus, ultra pœnas a jure comminatas.

CAPUT IV.

Nullus ad contrahendum Matrimonium admittatur, qui ignorat Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum; nisi de impedimento insuperabili Ordinarius cognoverit, & dispensaverit.

Neque ille, qui confirmatus nondum est, aut qui vi, vel metu parentum, aut aliorum, ad Matrimonium coguntur; de quibus singulis, Pastores illos seorsim interrogabunt, priusquam ad bannorum proclamationem procedant, aut eis testimoniales, pro bannorum remissione obtinenda, relaxent.

Si Parochi alterum contrahentium hæresi infectum, aut non temere suspectum inveniant, eos non conjungant, nisi hæresi in manibus Vicarii nostri prius abjurata.

Nemo vagabundos admittat ad Matrimonium, absque expressa Ordinarii licentia in scriptis obtenta, sub pœna suspensionis a Divinis, & alia arbitraria: neque peregrinos aut exteros sub pœna consimili conjungat.

TITULUS X.

De Locis sacris, & Officiis Divinis.

CAPUT I.

Cum, experientia teste, licentiosiores sint homines ad cædes, & alia crimina patranda, spe immunitatis Ecclesiasticæ, ubi rei facili negotio recipiuntur, & proteguntur; hortamur in Domino, & monemus seriose, Præpositos, Abbates, Decanos, & Capitula, atque Priores, & alios, qui claustris, & aliis locis Ecclesiasticis præsunt, quique ea inhabitant; ne criminosis ullis, quocumque prætextu, immunitatem Ecclesiasticam concedant; sed ad se recurrentes inde quamprimum abire faciant, eorundem conscientias desuper onerantes.

CAPUT II.

Sicut & monemus eosdem, aliosque omnes, ad quos spectat, quatenus claustra sua, & cœmiteria, quantum in se est, diligenter concludant, ab Ecclesiis suis mercatus, ambulationes, nundinationes, confabulationes, & etiam pauperum mendicationes arceant; exteros, Sacerdotes, Diaconos, ac Subdiaconos sese dictitantes, ad Divina Officia celebranda nequaquam admittant, nisi noti sint eorum Ordines, vitaque ac mores probati, aliasque celebrandi licentiam a Vicario nostro habeant, sub pœna arbitraria.

CAPUT III.

Et quia, in tanta Cleri frequentia, videre est Ecclesias passim in Officiis Divinis, a suis Prælatis, & Canonicis, ac aliis Ecclesiasticis desertas, Divinaque in eis per mercenarios præcipi-

cipitanter, & tumultuarie decantari, non fine magno falutis illorum difpendio, & populi Chriftiani fcandalo; Hortamur pariter omnes, & monemus, ut diligentiores fint in Divinis apud Ecclefiam fuam celebrandis, & audiendis, eaque tractim, & devote decantent, & a Miniftris fuis decantari faciant.

CAPUT IV.

Similiter Parochianos omnes monemus, & eis mandamus; ut in fuis Parochialibus Ecclefiis diligentes fint, ad verbum Dei, aliaque Divina audienda; alioquin, fi eos ad tres continuas feptimanas diebus Dominicis, & Feftivis abeffe, absque legitima caufa, vel fui Paftoris licentia, contigerit; volumus contra eos, ad pœnas Canonicas, & Statutarias antiquas hujus Diœcefis, aliasque arbitrarias procedi.

CAPUT V.

Prohibemus omnibus, & fingulis, quocumque Ordine facro infignitis, ac etiam Paftoribus cujufcumque qualitatis, & conditionis, ne energumenos, aut a Dœmone obfeffos, exorcizare præfumant, nifi habita a noftro in Spiritualibus Vicario fpeciali licentia in fcriptis obtenta, fub pœna fufpenfionis, & alia arbitraria.

CAPUT VI.

Ad majorem porro hujus Diœcefis Ecclefiarum cum Romana conformitatem, rituumque, ac cæremoniarum certiorem uniformitatem, defideramus, ut faltem paulatim, &, quantum fieri poterit, omnes ubique Romanum Officium fequantur.

CAPUT VII.

Ne amplius fubfidio falutarium Suffragiorum tam diu careant animæ defunctorum, quando eorum mors homicidii crimine procurata fuit; mandamus hæredibus occiforum, ut eorum exequias ftatim, & non fecus, quam fi naturali morbo obiiffent, celebrari curent, fub pœna arbitraria contra eos requirenda.

Et cum Chriftiana charitas non permittat, ut liberi, aut propinqui ejusmodi interfectorum, aliusve quisquam, pro iis vindictam contra homicidas privata fumat authoritate; abftineant liberi, & propinqui occiforum ab armis, tam in ipfa mortui fepultura, quam in exequiis ejus: & cum fient de more proclamata contra homicidas, non intererunt iis, fed ea per juftitiæ Miniftros fieri patientur, fub confimili pœna arbitraria, contra omnes, & fingulos, qui contravenerint, per Fifcos, & alios Officiatos noftros requirenda.

CAPUT VIII.

Exceffivam vero exequiarum pompam, ad rationabilis pietatis, & modeftiæ limites reduci vehementer optamus: & interim ut aliquis ponatur modus, præcipimus, ne conciones funebres pro quoquam habeantur, nifi pro Prælatis, ac Illuftribus, & honoratioribus perfonis, idque fpatio mediæ ad fummum horæ. Suffraganeus nofter, & Abbates, pro nemine folemniter celebrent; nec vinum in pofterum pro quoquam in exequiis diftribuatur: Non impedimus tamen, fed hortamur, ut non ad pompam funebrem, fed per modum eleemofynæ, ad pauperes, piave loca mittatur.

Prohibemus vero, ne exequiæ & publica mortuorum Officia, in pofterum diebus Dominicis, aliisve Feftis peragantur, fed in diem non impeditam rejiciantur, per Paftores, & alios, ad quos fpectat, fub pœna arbitraria.

TITULUS XI.

De diebus Feftis, & Jejuniis.

CAPUT I.

Etfi per diverfa edicta a Prædeceffore noftro edita, fuerit ante Nos juxta Feftorum celebrationem ordinatum: quia tamen intelligimus aliquos etiamnum defuper dubitare, declaramus præter Dominicas, Fefta fequentia inviolabiliter effe obfervanda, Circumcifionis Domini, Epiphaniæ, Converfionis Sancti Pauli, Purificationis B. Mariæ, Sancti Mathiæ Apoftoli, Annunciationis B. Mariæ, Feftum Pafchæ cum feria fecunda & tertia fequentibus, Sanctorum Philippi, & Jacobi,

Inventionis Sanctæ Crucis, Ascensionis Domini, Pentecostes cum feria secunda & tertia sequentibus, Venerab. Sacramenti, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Ss. Petri, & Pauli Apostolorum, Visitationis B. Mariæ, S. Mariæ Magdalenæ, S. Jacobi Apostoli, S. Laurentii Martyris, Assumptionis B. Mariæ, Sancti Bartholomæi, Nativitatis B. Mariæ, Sancti Lamberti, S. Matthæi, S. Michaelis Archangeli, S. Dionysii, Ss. Simonis & Judæ Apostolorum, Omnium Sanctorum, Sancti Huberti, S. Martini, S. Andreæ Apostoli, Sancti Nicolai, Conceptionis B. Mariæ, S. Thomæ Apost., Nativitatis Domini, Festum S. Stephani, S. Joannis Evangelistæ, Ss. Innocentium, & in qualibet Parochia festum Patroni Ecclesiæ, Dedicationis illius, atque in Civitate Leodiens. Festum Translationis Sancti Lamberti.

CAPUT II.

Festa vero feriæ 4. post Paschæ, & Pentecostem, necnon Sanctorum Servatii, Ægidii, Catharinæ, Cathedræ Sancti Petri, Vinculorum ejusdem, & Sanctæ Annæ, devotioni populi relinquimus; hortantes nihilominus eos, quibus absque manuum suarum labore vivendi media suppetunt, ut cultum Dei, & Sanctorum idcirco non intermittant.

Festa porro, quæ jam declaravimus observanda, volumus ab omnibus, etiam exemptis, & Regularibus servari.

CAPUT III.

Si festum Annunciationis B. Mariæ Virginis, inter Dominicam *Palmarum*, & *Quasimodo* inciderit; juxta antiquam consuetudinem, Sabbato ante Dominicam Palmarum, si vero illud aliqua Dominica Quadragesimæ contigerit, Feria secunda sequenti etiam a populo servetur. Ac de his quidem Pastores Parochianos suos singulis Dominicis moneant; & Fisci, ac etiam Officiati Laici contra Festorum violatores, absque dissimulatione, vel cunctatione procedant; maxime vero contra tabernarios, tabernas, aut sphæristeria tempore Divinorum Officiorum iis diebus aperientes, carnesve in macellis aut alibi vendentes.

CAPUT IV.

Si quæ nundinæ in Festum, vel Dominicam diem inciderint, nullo modo tunc serventur, sub pœnis violationis festi, sed in sequentem diem non impeditam hoc ipso translatæ censeantur, prout transferimus: & Pastores hoc ipsum sufficienti tempore antea populo ad Divina audienda frequenter congregato, solemniter denuncient, sub pœna arbitraria.

CAPUT V.

Et quia laudabilis est consuetudo in Civitate nostra Leodiens., & aliis locis, ut festum Venerabilis Sacramenti celebretur successive per Parochias Dominicis, ac etiam diebus aliis, usque ad festum D. Magdalenæ; eaque occasione per modum communis lætitiæ, ac recreationis, fiunt compotationes, choreæ, tripudia, pulsatis tympanis & aliis instrumentis, in quibus multi, & graves committuntur abusus: mandamus pariter Pastoribus, ut opportune, importune suos Parochianos a comessationibus, choreis, & tripudiis ejusmodi deterreant: Officiatis vero sæcularibus, ne licentiam ejus rei faciendæ quovis prætextu concedant, sed contra in abusus hujusmodi animadvertant; alioquin Fisci in illos ipsos, & abusores absque mora procedant.

CAPUT VI.

Jejunia in hac Diœcesi servanda, præter Quadragesimæ, & quatuor anni temporum, sunt Vigiliæ Sancti Mathiæ Apostoli, Pentecostes, Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, Ss. Petri & Pauli, Sancti Jacobi, Laurentii Martyris, Assumptionis B. Mariæ, Sancti Bartholomæi Apostoli, Sancti Matthæi Apostoli, Ss. Simonis & Judæ Apostolorum, Omnium Sanctorum, Sancti Andreæ Apostoli, Sancti Thomæ Apostoli, & Nativitatis Domini.

CAPUT VII.

In Festo Sancti Marci Evangelistæ, & tribus diebus Rogationum, juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem, usque ad meridianum tempus jejunetur, & tota die ab esu carnium abstineatur.

Quod si dictum Sancti Marci festum in

in hebdomadam Paschæ inciderit, ad feriam secundam post Dominicam *Quasi modo* transferatur, & eo die supplicationes fiant, ac a carnibus abstineatur.

CAPUT VIII.

Hæc igitur jejunia, cum abstinentiis prædictis, Pastores omnibus, qui XXI. ætatis annum excesserint, aliasque ob impotentiam, necessitatem, aut majus bonum non excusantur, observanda esse, diebus Dominicis Divinorum Officiorum tempore annuncient.

CAPUT IX.

Hortamur, ut abstinentia a carnibus feriis 2. & 3. ante Cinerum die, Sacerdotibus, & a lacticiniis, etiam Laicis tempore Quadragesimali, & in vigiliis Assumptionis B. Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, & Nativitatis Domini olim indicta, quinque *Pater*, & totidem *Ave Maria*, ad honorem, & gloriam quinque vulnerum Christi, quovis dierum illorum recitandis, ac eleemosynis compensetur.

TITULUS XII.

De provisione Ecclesiarum Parochialium, & Examinatoribus Synodalibus.

CAPUT I.

CUm non patiatur Christiana charitas, quod populus pretioso Christi Sanguine redemptus, sub cura qualiscumque Sacerdotis constituatur, quando magis idonei possunt reperiri; ideoque Sacrosancta Tridentina Synodus *Sess.* 24. *Cap.* 18. *de Reform.* statuerit concursum ad Ecclesias Parochiales observandum, & eo ab ejusdem Synodi promulgatione, fuerit a Prædecessore nostro semper collimatum: Mandamus idcirco Vicario, & Examinatoribus Synodalibus, ut prædictum Decretum diligenter observent, habita tamen ratione Patronorum in suis mensibus ordinariis, quando idoneum, præsentabunt.

CAPUT II.

Et quia eodem Concilio jubentur Episcopi, seu eorum Vicarii in Diœcesana Synodo Examinatores ad minus sex proponere, qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur, probat idcirco præsens Synodus Examinatores a Nobis propositos sequentes.

Rdissimum Stephanum, Episcopum Dionysien. Suffraganeum Leodiensem.

Nicolaum Raue, Juris utriusque Licentiatum, Cathedralis Ecclesiæ Leodien. Canonicum, & Scholasticum.

Udalricum Hoen ab Hoensbrouck, Cathedralis Ecclesiæ Leodien. Canonicum.

Lambertum de la Motte, Juris utriusque Licentiatum, Cathedralis Ecclesiæ Leodien. Canonicum.

Ægidium Bocholtz, Cathedralis Ecclesiæ Leodien. Canonicum.

Gerardum Beeckman, S. Theol. Doctorem, S. Pauli Canonicum.

Sebastianum Hustinum, S. Theol. Licentiatum, S. Crucis Canonicum, S. Michaelis Pastorem.

Theodoricum de Grace, S. Theol. Licentiatum, S. Crucis Canonicum.

Joannem Fanchon, S. Theol. Licentiatum, S. Dionysii Canonicum.

Nicolaum Rocourt, S. Theol. Baccalaureum formatum, S. Bartholomæi Canonicum, S. Thomæ Pastorem.

Arnoldum Loncinum, S. Christophori Rectorem.

Andream Henrici, S. Theol. Licentiatum, Cornelii montis Vicarium.

Rolandum Georgii, S. Theol. Baccalaureum formatum, S. Aldegundis Pastorem.

Gasparem Pacquier, S. Theol. Licentiatum, S. Stephani Pastorem.

Jurabunt vero iidem Examinatores sub forma seq. (*p*)

Ego Deputatus in præsenti Synodo Examinator eorum, qui eliguntur ad Parochiales Ecclesias, juro me fideliter, juxta Sacros Canones, ac Sancti Tridentini Concilii formam, perfuncturum hoc onere examinandi, rejecto omni humano respectu.

Ita me DEUS adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia.

Et quia Archi-Diaconorum interest, ut Ecclesiis suorum Archi-Diaconatuum, de Ministris opportunis quam optime provideatur; permittitur eisdem

(*p*) Omnes supra nominati Examinatores juramentum hic adscriptum præstiterunt, & inter Archi-Diaconos *Carolus a Lynden*, *Archi-Diaconus Arduennæ*.

dem Archi-Diaconis, ut quoties Parochialis aliqua sui respective districtus vacaverit, possint prætacto examini ad eam faciendo interesse: ad quem effectum deputantur quoque omnes, & singuli pro suis districtibus Examinatores Synodales, si modo ante dictum juramentum juxta formam juris præstiterint.

TITULUS XIII.

De Visitationibus.

CAPUT I.

CUm nervus Ecclesiasticæ disciplinæ sit Visitatio; mandamus Vicario nostro in Spiritualibus Generali, nec non Archi-Diaconis, Decanisque Ruralibus, & aliis, ad quos de jure, vel consuetudine spectat onus hujusmodi, ut in eo se quam diligentissimos exhibeant juxta Statuta Synodalia hujus Diœcesis, & Oecumenici Concilii Tridentini Decreta; & in visitatione, ac extra eam, defectuosos corrigant.

CAPUT II.

Curet Vicarius, ut Superiores Monasteriorum Ordinum exemptorum, etiamsi in eis vigeat regularis observantia, ea quotannis visitent: & si admoniti ad eodem, intra sex menses non visitaverint, & abusus reformaverint, tunc eorum negligentiam suppleat, juxta prædicti Concilii dispositionem.

CAPUT III.

Procedat diligenter Vicarius noster in casibus authoritate Apostolica, & vigore Concilii Tridentini Nobis specialiter commissis, & delegatis; prout eum ad eosdem subdelegamus.

CAPUT IV.

Quia ad Vicarium nostrum in Spiritualibus forum gratiosum spectare consuevit; volumus, ut commissiones omnes Apostolicæ fori gratiosi ipsi præsententur, quem proinde solum ad hunc effectum Officialem esse volumus, & declaramus.

TITULUS XIV.

De Decretis typo mandandis, & comparandis.

CAPUT UNICUM.

PRovideant sibi Decani, & Pastores omnes de præsentibus Decretis Synodalibus intra duos menses proximos: in quem finem, pro majori eorum commoditate, prælo propediem mandabuntur.

Lecta & publicata fuerunt hæc Decreta in majori Capitulo Cathedralis Ecclesiæ S. Lamberti Civitatis Leodiensis, præsentibus Synodi Patribus, de mandato Serenissimi, & Reverendissimi Episcopi, & Principis eidem Præsidentis, Anno Domini Millesimo, sexcentesimo, decimo octavo, die vigesima quarta & vigesima sexta mensis Aprilis.

M. Joannes Garitte, Pastor S. Remacli in monte, Leodii.
M. Gabriel Leewen, S. Theologiæ Baccalaureus, Pastor Ss. Clementis, & Trudonis Leodii.
M. Nicolaus le Braconier de Muno, Notarius Curiæ Episcopalis Leodien.
Præsentis Synodi Notarii.

Ex Officina Christiani Ouwerx, Typogr. S. C. jurati, e regione Palatii, Leod. 1618. *in* 4.

Lünig Spicil. Eccles. Contin. II. pag. 770.

DORDRACENUM CONCILIABUL. (*)

STATIBUS HOLLANDIÆ PRÆSIDIBUS,

EODEM ANNO CHRISTI MDCXVIII.
OBITUM.

(*) Hujus occasionem Conciliabuli duntaxat, ac finem lubet ex *Joannis Knippenberghii, Historia Ecclesiastica Ducatus Geldriæ*, cum Lectore erudito communicare. " Batavi [scribit *Lib. VI. Cap. VII. pag.* 219. præstans Historicus] "externo nunc metu licet " liberi; domesticis tamen motibus colliduntur: notæ sunt ex Hollandorum Anna- " libus Arminianorum & Gummoristarum de Religione concertationes, quæ Batavorum

" vorum animos usque occupaverant, ut eorum Respublica nondum sat firma, iis turbis nutare inciperet, certumque minaretur interitum, nisi vergentes ad finem induciæ asperatos animos in belli instantis curas convertissent. Id porro dissidii circa annum 1604. inter Jacobum Arminium & Franciscum Gummarum in Schola Leidensi ortum, intra scholasticos primum parietes aliquamdiu viguit, donec ex pulpitis per ministros in populum sparsum universam turbaret Bataviam. *Arminius* ubi Calvini, primorumque Reformatorum doctrinam de prædestinatione, de libero arbitrio, de bonis operibus, de inamissibilitate gratiæ, duram admodum, neque Divinis literis, neque sanctis Patribus congruam comperisset, ab ea cœpit pedetentim recedere, totidemque velut gradibus ad veritatem Catholicam accedere: quamobrem Catechismum Heidelbergensem, ipsamque adeo fidei Confessionem hac in parte emendanda atque reformanda esse censebat. *Gummarus* Arminio restitit, neque fas esse prima Reformationis fundamenta temerare; a quibus si abirent semel, cunctis tunc liquido daretur intelligi, primam, quæ tanti steterat, Reformationem fuisse omnino inanem, atque aperta semel via, reformationum nunquam finem dari. Arminii placita cum rationi, tum sacris Literis magis consona Cives cumprimis ac Magistratus passim amplectebantur; atque a Magistro *Arminiani*, nec non a libellis pluries exhibitis *Remonstrantes* dicti sunt. Gummarum Ministri passim, & qui arma tractabant, sequebantur: quibus inde *Gummaristarum* pariter nomen adhæsit. Tentata crebro inter partes colloquiis concordia; ast res in pejus ibat, neque post varios conatus glifcenti malo poterat modus poni. Sacram Scripturam Arminius; hanc & Gummarus profert, eandem pro se stare clamat uterque: numerantur textus, coacervantur testimonia, clamatur; ast non terminabatur controversia. Quid igitur? Si sacra Scriptura *sola* juxta illorum sensum, sit controversiarum Judex, eccur has tam acerbas non terminet? Admiranda igitur Dei dispositione eo necessitatis redacti sunt Acatholici, ut ultro cum Catholicis fateantur, unicam Scripturam, eamque *solam* controversiis finiendis haud sufficere; verum ut Judex vivus adsit præterea, qui juxta Dei verbum seu scriptum, seu traditum, controversias finiat adeo clare atque perspicue, ut litigantium uterque sententiam a Judice latam aut pro, aut contra se liquido intelligat. Ad hanc veritatem Acatholici integro pene sæculo, docentibus Catholicis, haud valuerunt perduci; perduxit Arminii, Gummarique dissidium. Nulla igitur concordiæ spe reliqua, Batavi Ecclesiam Catholicam æmulati, Conventum publicum ad initium Nov. 1618. Dordraci indicunt, eoque ex Germania, Anglia, Gallia (*Hanc excipit Spondanus Annal. Eccles. Tom. II. pag.* 963.) ac Belgio novatæ Religionis Magistri vocantur. Gummaristæ non causa, sed Principis Mauritii armis atque potentia superiores, cum partes essent, loco Judicum sedent; Arminiani ut judicandi seu rei vocantur ac sessione arcentur: hinc multa de injuriis ac injustitia conquesti, non a *sola Scriptura*, verum ab adversariis suis in quinque positionibus damnantur, ministeriis exuuntur, ac pluribus (ultra centum) exulare jussis." *Ita Cl. Knippenberghius Gelro-Heldensis cit.*

Synodum hanc Novembri mense cœptam, in eaque suum ab aliis dissensum *Arminianos* ad quinque capita reduxisse, memorat *Hildebrandus* in *Histor. Conciliorum pag.* 340. 1*mo.* dixerunt, se a cæteris dissentire de absoluta prædestinatione: 2*do.* de particularitate meriti Christi: 3*tio.* de gratia Dei irresistibili: 4*to.* de libero arbitrio in conversione: 5*to.* de perseverantia Sanctorum seu de inamissibilitate fidei.

Dordrechtum, urbium Hollandicarum principem, & in Ordinum Hollandiæ Consessu primariam, traxisse ab ista Synodo celebritatem, testatur *Heussenius Batav. Sacræ P. II. pag.* 165.

Vid. præter AA. cit. Moreri Lexicon Histor. Tom. II. pag. 371. *Natalis Alexandri Histor. Eccles. Tom. VIII. pag.* 152. & *Jac. Masenii S. J. Annal. Trevirens. Contin. Lib. XXIII. pag.* 464.



DECRE-

DECRETA
VISITATIONIS APOSTOLICÆ, (*)
Anno Christi MDCXIX. Pauli V. Papæ XV. Ferdinandi II. Imp. I.
PASTORIBUS ECCLESIÆ FULDENSIS PRÆSCRIPTA
A REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
D. ANTONIO ALBERGATO,
EPISCOPO VIGILIARUM, ET LEGATO A LATERE NUNCIO.

LITERÆ
ALBERGATI AD JOANNEM FRIDERICUM,
ECCLESIÆ FULDENSIS ABBATEM.

ANTONIUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA Episcopus Vigiliarum, & Ssmi D. N. PAULI Papæ V. Ejusdemque Sedis ad inferiores Germaniæ partes, & per tractum Rhenanum cum potestate Legati de latere Nuncius.

Reverendissimo & Illustrissimo Domino,

D. JOANNI FRIDERICO, ECCLESIÆ FULDENSIS ABBATI, Divæ Augustæ Archi-Cancellario, per Germaniam, & Galliam Primati, & S. Rom. Imperii Principi.

CUm Ssmus D. N. pro paterna sua cura, ac solicitudine, qua omnium Ecclesiarum incolumitati, ac saluti prospicere satagit, mihi in mandatis dederit, ut Ecclesiam Fuldensem visitarem personaliter, eamque pro viribus, si qua in parte ob temporum præcedentium calamitates collapsa esset, in pristinum statum restituendam curarem: Ego, ut par est, Sanctitatis Suæ mandato obedire volens, eo me contuli: ac licet vigilantia, industria, zeloque Reverendissimæ C. T. multa invenerim restaurata, multaque emendata, quia tamen nihil est ex omni parte beatum, reperi quoque, ac notavi, quæ adhuc reformatione seu emendatione indigerent: quæ autem illa forent, ea me Celsit. Tuæ per Decreta quædam demonstraturum promisi.

Datam itaque fidem libero, & Decreta illa ad bonum illius Ecclesiæ regimen, adeoque ad reformationem instituendam apposita sane, ac necessaria Celsit. Tuæ transmitto, quæ si sedulo perpendantur, exacteque observentur, non

(*) Meminit istius Visitationis *Cl. Schannatus Histor. Fuldensis P. III. pag.* 278. his verbis: " Fridericus [a Swalbach Giessæ ad Loganam amnem natus] optimi ac religiosissimi Præsulis laudem retulit, utpote qui salutaribus vitæ præceptis ad Ecclesiæ sibi concreditæ gerenda munia ab ineunte ætate diligenter institutus, agrum Dominicum assidue repurgabat; coacta enim ad annum MDCXVII. totius Cleri sui Synodo amplissima, quod videret non satis se inde consecutum, quin plurimi in pristina revoluti vitia ea denuo arriperent, perstitit in eodem labantes, pravosque mores castigandi studio, omnemque deinceps huc opem contulit, ut quæ postmodum anno MDCXIX. etiam ANTONIUS ALBERGATUS Summi Pontificis a latere Nuntius retinendæ Disciplinæ Edicta Fuldæ sancivit, hæc incunctanter optatum sortirentur effectum."

De eodem Joanne Friderico vide *Christoph. Broweri S. J. Fuldens. Antiquit. Lib. IV. pag.* 373.

non tantum defectus illius Ecclesiæ apparebunt, sed & aliam ejus faciem cum maximo ejus dem fructu ac emolumento brevi futuram spero.

Neque ingratum illi, quod a Romana Ecclesia mandata, instructionesque recipiat, fore confido, cum ea sit Ecclesiarum omnium Caput, Mater, ac Magistra, (*a*) *ac proinde uti ipsius est membrorum, filiarumve saluti consulere, ita & harum partes sunt, capitis, matrisve directionem non modo sequi, sed & ultro appetere.* Decet, & expedit, *inquit Possessor Episcopus,* (*b*) ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum.

Quod autem in Fuldensi Ecclesia nonnulla sint, ac reperta fuerint, quibus plane sit providendum, id nemini mirum videatur, cum & ipsa universalis Ecclesia agro, (c) *vineæ, areæ ideo comparetur, quod sicut in his semper sunt zizania, spinæ, paleæ continuo evellendæ, seu eventilandæ, sic & in illa nunquam non reperiantur, quæ aut eradicari, aut velut ventilabro quodam excuti possint ac debeant. A Pastoribus vero, Christi Domini doctrinam sequutus, exordium duxi: cumque eorum exemplum tanquam normam fere sequatur populus, qualesque sunt Pastores, tales plerumque soleant esse & oves, quasdam ipsis regulas ad gregem suum bene gubernandum, & se, suosque mores rite componendos necessarias tradendas censui, ut non tantum verbo, sed & exemplo erudiant, pascantque suos, neque quod* verbis dicunt, moribus contradicant. (*d*) *Alios enim in officio quomodo continebunt, qui ipsi non præstant suum? Nonne cujus vita displicet, ejusdem & contemnitur doctrina?*

Pro Religiosis paulatim Decreta alia sum missurus: Interim hæc talia fore spero, ut Pastoribus & bonis & malis prodesse possint; bonis quidem, ut in officio suo debite peragendo persistant alacrius, occasionemque habeant pro pietate sua varia pietatis opera instituendi: malis vero, ut si non virtutis amore, neque ut Deus ob peccata nostra juste offensus placetur, plagasque suas clementer a nobis, suaque Ecclesia avertat, saltem formidine pœnæ ad meliorem frugem redeant, & Pastoralia sua munia decenter obeant.

Quæ duo me consequuturum spero, si Rma C. T. uti in Domino confido, hæc quamprimum executioni mandanda curaverit, non solum Christo Domino nostro, ejusque in terris Vicario, cujus nomine hæc eduntur, ea de causa rem gratissimam præstatura, sed & laudem in terris immortalem, & æternum in Cœlis gloriæ pondus sibi comparatura. Quod faxit ille, cujus solo nutu Principum reguntur corda. Coloniæ Agrippinæ 25. *Novemb.* 1619.

EJUSDEM Revmi & Illmi Domini NUNCII APOSTOLICI ad Fuldensis Ecclesiæ Pastores Cohortatio.

Mirum non est, quod antiqui Ecclesiæ Episcopi, ac Visitatores nihil fere antiquius habuerint, magisque curarint, quam ut subjectos sibi Pastores instituerent, & quomodo sapienter greges suos pascerent, ipsis inculcarent: Sciebant enim sapientissimi Patres, (e) *a Propheta illos Dei Angelos appellatos, legemque ab ore ipsorum esse petendam. Intelligebant præterea, illos idem debere in suis præstare Parochiis, quod oculi in corpore, intelligentia in mente, Gubernator in navi præstant. Cognoscebant denique illorum esse, suos sibi subditos dirigere, eisque viam vitæ demonstrare ac præire. Horum exemplum Nobis ob oculos statuentes, nostrum esse reperimus inprimis incumbere, præcipuosque bujus nostræ visitationis nervos eo intendere, ut tales formentur Pastores, quales Christus Dominus, animarum summus Pastor eos esse postulat, quales Christi in terris Vicarius desiderat, quales demum ipsorum vocatio & populi salus efflagitat. Hanc ob causam, cum per tot annos visitationem intermissam cognoverimus, Pastoresque multos vel in suis exercitiis flaccessere, vel ea scientia haud quaquam pollere, quæ ad ipsorum functiones rite exercendas, aut necessaria, aut certe consentanea videatur, Decreta quædam confecimus, quæ inter exequendum Pastoralia sua munia ipsos dirigere, atque adjuvare valeant. Neque existiment Nos nova moliri, ex nostro-*

(*a*) Concil. Trid. Seff. 7. can. 3. de Bapt. (*b*) Epist. ad Hormisdam Papam.
(*c*) Matt. 3. & 13. (*d*) S. Greg. hom. 29.
(*e*) Cypr. Ambr. Gregor. Malach. 2.

noſtroque cerebro ejuſmodi Paſtorum inſtitutiones hauſiſſe, cum nihil in iis propemodum reperiatur, quod Sanctorum Patrum doctrinis non ſit conſentaneum, quodque cum antiquis Conciliorum Statutis non conſpiret plane, ac conſentiat.

Quapropter Paſtores omnes hortamur, imo & ipſis mandamus, ut hæc noſtra Decreta optime percallere, & exequi ſtudeant; ſic enim muneri ſuo non deerunt, & ſubditos non ſolum obedientes, ſed etiam pios ac ſtudioſos reddent; nam vix dici poteſt, quantum Paſtoris exemplum promoveat populum: Tritum eſt enim illud: Qualis Paſtor, talis populus. Si igitur verbo, & exemplo eos doceant, ut debent, ſi Sancta ſancte tractent, ſi ſedulam curam, & diligentiam in ſuis functionibus adhibeant, ſi hæc a Nobis imperata Decreta ad amuſſim obſervent, ipſi indubie, & ſeipſos ſalvos facient (ut inquit Apoſtolus (f)) & eos, qui ipſos audiunt, hoc eſt, ſubditos ſuos.

DECRETA VISITATIONIS APOSTOLICÆ.

De Qualitatibus præficiendorum Paſtoratibus.

Reipublicæ Chriſtianæ ſalus, cum a bonis potiſſimum Paſtoribus pendeat, (nam qualis Rex, talis grex) idcirco illi ad hoc onus ſubeundum ſoli eligantur; (g) qui vita, moribus, prudentia, ac doctrina tales ſunt, ut omnium virtutum exemplum aliis præbere, pro ſubditorum peccatis preces & Sacrificia offerre, & pro eorundem ſalute animas ſuas ponere poſſint. Excludantur propterea ab hoc onere omnes criminoſi, ſuſpecti de hæreſi, proceſſati, vel diffamati de gravioribus delictis, & præcipue de incontinentia, ebrietate, apoſtaſia, Simonia, & aliis ſimilibus. Quod ſi qui tales eligantur, nominentur, vel præſententur, ſeu electi, nominati, vel præſentati fuerint, eorum electiones, nominationes, vel præſentationes ex nunc, prout ex tunc irritas, & inanes declaramus, ipſique eligentes, vel præſentantes, ſive ſint Eccleſiaſtici, ſive Laici, ea vice electione, præſentatione, vel nominatione ſint privati, (h) prout Jure cautum eſt.

Quid vacante Paſtoratu populo agendum?

Vacante per mortem Paſtoris, (i) vel alias quomodocumque Eccleſia Parochiali, ſpectabit ad populum Paſtore orbatum inſtituendas curare preces quadraginta horarum, pro bono Paſtore ab eo, a quo bona cuncta procedunt, obtinendo.

Quid Vicario Generali?

Reverendiſſimus D. Abbas, vel ejus Vicarius Generalis, habita notitia de morte Paſtoris, (k) curet ſumptibus illorum, ad quos fructus ſpectant, provideri Paſtoratui de Vicario, donec novus ſuccedat Paſtor, & intra decem dies ad ſummæ, & ad vacantis Eccleſiarum valvas publicum edictum affigi jubeat, quo omnes invitentur, qui volent examini ſe ſubjicere, vel alios examinandos nominare, ut tranſacto præſtituto tempore examen confici poſſit, ac deinde orbato gregi juxta formam a Concilio Tridentino traditam novus Rector præficì.

Examen promovendorum ad Paſtoratus.

Tranſacto præfinito tempore Vicarius Generalis in loco ſolito ad minimum tres Examinatores approbatos advocandos curabit; (l) qui examinabunt concurrentes in materiis Canonicis, ut de Sacramentis, de Simonia, de contractibus, de reſtitutione, de uſuris, de peccatis, vel de aliis ad libi-

(f) 1. ad Tim. c. 4. (g) Conc. Trid. Seſſ. 7. c. 3. de Refor. & Seſſ. 22. c. 1. Joan. c. 10.
(h) Conc. Trid. Seſſ. 22. c. 4. (i) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 1.
(k) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 18. de Refor. (l) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 1. & 18.

libitum ſuum; illud ſervabunt, ut in concurſu plurium unus poſt alium examinetur, & eædem omnino quæſtiones omnibus proponantur.

Et ut melius dignoſcatur differentia, conſtituantur tres claſſes, in prima ſint eminentes, in ſecunda boni, & ſatis verſati, & apti etiam ad docendum alios, in tertia, qui aliis non quidem ſint æquales, ſed poſſint tamen aliqualiter admitti: Et ut major etiam poſſit conſtitui differentia, inter ipſos poterit alter gradus conſtitui inter primam & ſecundam; & inter ſecundam & tertiam claſſem. Quod ſi inter examinatos unus doctrina excellat, alter moribus, & hic, qui moribus præſtat, etiam ſit admiſſus, huic Beneficium conferatur. Teneat D. Vicarius librum examinum penes ſe, in quo Examinatores ſcribant manu propria examinis ſtatum, vel ipſemet Vicarius manu ſua ſcribat, & ejus relationem, & quis ex examinatis prævaluerit, & palmam obtinuerit.

Beneficia Patronalia.

SI Beneficium fuerit Juris patronatus Eccleſiaſticorum, (*m*) Patronus digniorem inter approbatos præſentabit Illuſtriſſimo D. Abbati, ut ei fiat collatio. Quod ſi inſtitutio non ſpectet ad D. Abbatem; tunc Illuſtriſſimus D. Abbas digniorem inter approbatos eliget, quem Patronus præſentabit illi, ad quem ſpectat inſtitutio. Si vero laicus ſit Patronus, ab eo præſentatus examinandus erit a deputatis Examinatoribus, & ſi idoneus reperiatur, illi facienda collatio.

Paſtor electus faciat Profeſſionem fidei.

PRoviſus de Beneficio Paſtorali intra duos menſes poſt collationem & acceptam poſſeſſionem, (*n*) in manibus Illuſtriſſimi D. Abbatis, vel ejus Vicarii emittat Profeſſionem fidei juxta formam præſcriptam in Bulla PII IV. quæ incipit, *Injunctum nobis*, & hiſce Decretis annexam. Jurabit etiam debitam Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, & Abbati ſuo, ejusque Succeſſoribus obedientiam, quodque nihil dederit, aut promiſerit pro obtinendo hoc Beneficio, & quod pro viribus bona ſuæ Eccleſiæ conſervaturus & defenſurus ſit, nec alienaturus ſine debita authoritate Superiorum, & quæ a ſuis Anteceſſoribus injuſte alienata, vel vendita invenerit, pro viribus recuperaturus.

Exercitia ſpiritualia.

FActa Fidei profeſſione laude dignum eſſet, ſi proviſus, cum in ſe graviſſimum onus ſuſceperit, diligenter indagaret rationem vitæ ſuæ recte & ſancte in poſterum inſtituendæ. Et ut puriori mente, ardentiorique animi fervore accedat ad rem tanti momenti, priusquam munia Paſtoris obeat, aliquem locum ſemotum eligat, ubi ab omnibus curis & occupationibus liber, tum omnia anteactæ vitæ ſuæ peccata diligenti conſcientiæ excuſſione recte confiteatur, tum ſalutaribus meditationibus, aliisque exercitationibus ſpiritualibus totus incumbat, duce & moderatore adhibito religioſo viro hujus rei perito, & approbato; & in illis ad minus per decem dies permaneat. Si proviſus non fuerit Sacerdos, intra annum ad ſummum fiat, aiias non faciet fructus ſuos, & nova indigebit collatione. Interim vero, ne Eccleſia patiatur in Divinis aliquod incommodum, curet illi per Sacellanum inſerviri.

Nullus audeat curam animarum ſuſcipere, (*o*) niſi legitime fuerit ab Ordinario approbatus (per quem hic D. Abbatem intelligimus) ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto incurrenda; Inſtituti vero contra formam Bullæ PII V. nullum jus ex ea inſtitutione, vel proviſione acquirant, ſed collatio & inſtitutio irrita ſit & nulla.

De Reſidentia.

CUm præcepto Divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura eſt commiſſa, oves ſuas agnoſcere, (*p*) pro eis Sacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum

(*m*) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 18. de Refor.
(*n*) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 12.
(*o*) Conc. Trid. Seſſ. 7. c. 13. de Refor.
(*p*) Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 1. de Refor.

torum adminiſtratione, ac bonorum morum exemplo paſcere, pauperum præterea, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & alia munera Paſtoralia præſtare, quæ indubie illi adimplere nequeunt, qui gregibus ſuis non invigilant, neque aſſiſtunt, ſed more mercenariorum oves ſuas deſerunt, atque derelinquunt; Nos inhærentes Decretis Concilii Tridentini, & Summorum Pontificum in hac materia editis Bullis, mandamus omnibus Paſtoribus, ut reſideant in ſuis Parochiis aſſidue; alias in pœnas contra non reſidentes inflictas incidant, ut ſtatuit Concilium Tridentinum, cujus hæc ſunt verba Cap. primo:

» Eadem omnino, etiam quoad » culpam, (q) amiſſionem fructuum, » & pœnas de Curatis inferioribus, & » aliis quibuſcumque, qui Beneficium aliquod Eccleſiaſticum curam animarum habens obtinent, Sacroſancta Synodus declarat, & decernit, » ita tamen, ut, quandocumque eos, » cauſa prius per Epiſcopum cognita, » & probata, abeſſe contigerit, Vicarium idoneum ab Ordinario ipſo approbandum cum debita mercedis aſſignatione relinquant. Diſcedendi » autem licentiam in ſcriptis, gratisque concedendam ultra bimeſtre » tempus, niſi ex gravi cauſa non obtineant." In diebus autem Feſtivis, vel Quadrageſimalibus non abſint, in quantum fieri poteſt.

Non retineant duo Beneficia incompatibilia ſine expreſſa Summi Pontificis licentia, quam Nobis intra menſem poſt Decretorum horum publicationem factam examinandam exhibeant, ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis ſtatim incurrenda.

De Fide Catholica.

ADvertat inprimis diligenter Parochus, an in ſua Parochia adſit aliquis pravis opinionibus imbutus, vel eo nomine ſuſpectus, eumque Superioribus denuntiet. Moneat præterea populum, ut ſi quos noverit aliquid feciſſe, vel dixiſſe, quod hæreſin ſapiat, eos deferat.

Illis, qui mercaturæ gratia adeunt loca hæreticorum, dent documenta & præcepta, quomodo ſe gerere, & pie gubernare debeant, ut neque cum hæreticis de fidei controverſiis diſputent, neque libros eorum legant, aut Eccleſias adeant, &c.

Inveſtiget diligenter, anne aliqui in Parochia ſua libros prohibitos habeant, ut illis provideat. Non admittat ad Fidei profeſſionem ignorantes ejusdem rudimenta, qui ſemel moniti ea diſcere neglexerunt. Non permittat Ludimagiſtros docere in ſua Parochia, niſi prius facta fidei profeſſione, ſuper quorum vita, doctrina, & moribus ſit diligens, & advigilet propter inſtantia pericula. Superſtitiones, & incantationes pro viribus tollat, & ſi ſagas in Parochia adeſſe ſciat, eas Superioribus denuntiet.

In Eccleſia.

PAſtor in Eccleſia ſit aſſiduus, in adminiſtratione Sacramentorum diligens, in Divinis Officiis, & muneribus præſtandis valde ſolicitus, nec operam ſuam in his a ſuis ſubditis deſiderari patiatur, ne nomine negligentiæ, avaritiæ, vel modicæ Religionis ab illis notetur; & ſit memor ſe populum ad devotionem, pietatem, & religionem hortari debere non minus exemplo, quam verbis.

Circa Catechiſmum.

AD ſalutem cum omnibus fidelibus omnino neceſſaria ſint Chriſtianæ fidei rudimenta, (r) tum certe inprimis hujus loci incolis, ut qui hæreticis ſint finitimi, ac quaſi vallati, ideoque niſi fidei fundamenta firmiter teneant, ſummopere verendum, ne ab eis in aliquam impietatem, ac nefariam doctrinam adducantur. Quamobrem Paſtoribus, & animarum Curatoribus in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte mandamus, ut hac in re ſint diligentes, & omnibus diebus Dominicis, & aliis Feſtis pueris in Eccleſiam peculiari campanæ ſono a prandio convocatis hora ſtatuta initia fidei tradant, eosque ad obedientiam primum Deo, deinde

(q) Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 1. de Reform.

(r) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 7. de Reform.

deinde parentibus præſtandam erudiant. Quod ſi ſolus Paſtor hoc munus præſtare nequeat, advocet Sacellanos, atque etiam viros ſæculares cum pueris; quin & pias mulieres, ut idem ſanctum exercitium cum puellis peragant, introducere deberet, ut in multis aliis Eccleſiis practicatur. Catechiſmo utatur communi Patris Caniſii, aut ſimili approbato: Doceat patresfamilias, quod teneantur famulos ſuos, & liberos fidei rudimentis imbuendos curare. Hinc Paſtor catalogum habeat, in quo puerorum & puellarum, qui ſunt in ipſius Parochia, nomina deſcripta ſint, & moneat ſingulos patresfamilias, ut filios hora præſtituta ad Eccleſiam transmittant; quod ſi facere recuſaverint, certiores de his faciat ſuos Superiores.

Circa Conciones.

CUm magna vis verbo Dei inſit ad commovendos auditorum animos, & ad eos in viam veritatis reducendos, ſi aberraverint, ideo Paſtor diebus Dominicis & ſolemnioribus Feſtis oves ſibi creditas ſalutaribus verbis paſcat; & ita permovere ſtudeat auditores, ut ſua peccata defleant, interdum propoſitis ſuppliciis ignis æterni, a facinoribus, & ſceleribus eos deterreat; interdum vero commemoratis cœleſtis vitæ præmiis, ad virtutes, præcipue ad Dei & proximi amorem accendat, & ut cum fructu verbum Dei audiant, & ſpirituales utilitates ex eo percipiant, doceat populum, (*s*) cum ad concionem accedit, ut non dictionem prophanam, aut curioſam, ſed ſacram, religioſam, ſanctæ doctrinæ inſtitutis excultam, atque charitatis ſtudio elaboratam ſe auditurum putet, proindeque ſibi perſuadeat ſe a Deo, qui Concionatoris ore tunc ſane loquitur, ſalutaribus præceptis, conſiliisque imbuendum, atque ideo ingreſſus Eccleſiam, a Deo ſibi peccata remitti, & aures cordis aperiri poſtulet, ut audiat, oculos mentis, ut videat, eaque ad inſtituendæ vitæ rationem & uſum accommodet, quæ Concionator enuntiaverit, ſaltem firma, fixaque animi deliberatione ſtatuat, ſe velle perficere, & exequi, quæcunque in concione audierit.

A quibus in Concione cavere debeat Paſtor.

ABſtineat a curioſis quæſtionibus & difficilioribus controverſiis, & præcipue a proponendis hæreticorum opinionibus (*t*) apud imperitam multitudinem: popularia tamen hæreticorum argumenta, quæ imperitioribus ſolent ad primum ſtatim congreſſum objicere, licebit breviter, dilucide ac nervoſe diſſolvere, ut populus aliquo modo ad ea diſcat reſpondere.

In reprehendendis vitiis ita ſe gerat, ut illum pietatis & charitatis ſtudio addictum, non hominum, ſed peccatorum odio id facere omnes intelligant; & in illa peccata potiſſimum invehatur acrius, ad quæ populus propenſior eſſe videtur, & quibus Dei honor magis læditur. Nec pravas ſolum conſuetudines reprehendat, ſed & eas, quæ etſi malæ non videantur, facile tamen peccandi occaſionem afferant; nec quemquam nominatim, aut tacite, nec ullum vitæ genus ab Eccleſia receptum carpat, ſed vitia tantum. (*u*) Doceat præterea populum Præpoſitis obedire, (*x*) & ſubjacere eis, etiam diſcolis. Quod ſi aliquando per alium concionari cogatur, nullum, niſi legitime a Reverendiſſimo Abbate, vel ejus Vicario approbatum, etiam ſi Regularis fuerit, admittat.

Si qui inepti ſint ad concionandum, (*y*) illis Coadjutores dentur, ne impleatur illud: Parvuli (*) petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.

Circa dies Feſtos, & ſacra tempora jejuniorum.

UT dies Feſti a Chriſti fidelibus ad honorem & gloriam nominis Dei religioſe & pie ſanctificentur, (*z*) & ad

(*s*) Conc. Trid. Seſſ. 5. c. 2. de Reform. (*t*) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 7.
(*u*) Ad Heb. 13. (*x*) 1. Pet. 2. cap. (*y*) Conc. Trid. Seſſ. 21. c. 6. (*) Thren. 4.
(*z*) Vide Conc. Trid. Seſſ. 25. De delectu ciborum, jejuniis & diebus Feſtis.

ad Fidei, Religionis, spei & charitatis incrementum cum debita reconciliatione, ac gratiarum actione sancte ab omnibus celebrentur, Pastores in eo diligentes esse debent, ut populus Christianus Festorum dierum causas intelligat, & in quibus se exercere, & a quibus debeat abstinere, juxta documenta Catechismi Romani de tertio Decalogi præcepto, & in illis potissimum diebus Missam celebrent in sua Ecclesia, Vesperas canant, aliaque munera Pastoralia præstent. Doceant pariter populum gravitatem peccati, quod committunt ii, qui opera servilia exercent diebus Festivis, quique choreis, ebrietatibus, & aliis stultitiis indulgendo, Festa ad DEI & Sanctorum honorem instituta Satanico cultui dedicant.

Prohibita diebus Festivis ne fieri patiantur: Quæ ut, quantum in Nobis est, tollamus, omnemque violandi diem Festum occasionem præscindamus: Præcipimus Mercatoribus, omnibusque, qui merces aliquas venales habent, ne eas Dominicis diebus ante fores, vel in fenestris domorum suarum, vel alibi venales exponant; Oenopolis vero, ac cauponis, ne iis diebus tempore Missæ, & concionis oenopolia, aut tabernas aperiant. Ordinarium vero, seu Reverendissimum D. Abbatem, & Magistratus etiam sæculares, ut in istis puniendis sedulo pervigilent, hortamur & monemus.

Et quoniam circa Festorum dierum observantiam alicui forte dubium suboriri posset, cum pro locorum diversitate nonnulla ea in re sit diversitas, ideo ad hujus institutionis finem Festorum indicem addendum curavimus, ut sciat Pastor, quæ Festa sint celebranda, eaque celebrari & observari curet.

Doceat Pastor populum opera pietatis, quæ exercenda tempore Quadragesimæ, Adventus, & aliorum jejuniorum; quæque peccata evitanda.

In concedenda licentia infirmis, ut eis vesci carnibus liceat in Quadragesima, vel aliis diebus alioquin prohibitis, debitam adhibeat diligentiam, & illa sine Medici attestatione, & fide non concedatur, nisi necessitas magna urgeret, vel persona esset valde miserabilis. Studeat quoque Pastor, ut delectus ciborum servetur exacte, ut nempe omnibus feriis sextis & Sabbatis, nisi Nativitas Domini in alterutrum horum dierum incidat, item in festo S. Marci, & tribus diebus Rogationum, Quatuor anni temporibus, & omnibus Vigiliis, quibus ex præcepto Ecclesiæ jejunatur, a carnibus abstineatur, & per totam Quadragesimam a carnibus & ovis.

Circa Reliquiarum, Imaginumque venerationem.

Reliquiarum & Ss. Imaginum debitum cultum populum doceat Pastor; easque in loco decenti repositas religiose colat, nec novas Reliquias sine Superiorum mandato exponi permittat. Deferantur processionaliter debita cum reverentia, (a) cum tædis & luminaribus accensis: absit autem omnis quæstus sub pœna a Concilio Tridentino, & a sacris Canonibus iis, qui contrafaciunt, inflicta.

Ad tollendum abusum, quo passim in multis Ecclesiis imagines deformes, obscœnæ, & historias apocryphas repræsentantes, & item fractæ, vetustate consumptæ, vel corrosæ, aliisque de causis indecentes reperiuntur: Mandamus Pastoribus, & aliis quibusvis Ecclesiarum Rectoribus, ut imposterum nulla imago in Ecclesiis, vel Ecclesiasticis locis, nisi ab Ordinario approbata, ponatur; eæ vero, quæ tales, uti jam dictum, vel amoveantur statim, vel ita reparentur, & accommodentur, ut decorem Domus Dei augeant, non deturpent. In cultu vero & ornatu sacrarum imaginum abstineatur ab omni procaci venustate, pudendaque nuditate. Imagines, quæ juxta hæc Decreta amovendæ sunt, comburantur, & cineres in Sacrario reponantur.

In pavimento Sanctorum imagines, vel Cruces ne pingantur, vel sculpantur.

Circa

(a) Conc. Trid. Sess. 25. de Reliquiis Sanctorum.

Circa Sacramenta.

QUoniam pro Sacramentorum administratione quicquam petere semper ab Ecclesia fuit improbatum, cum ratione manifesti periculi Simoniæ, tum etiam propter turpem avaritiæ notam, (b) quam hac de causa Ecclesiastici subire viderentur, ideo prospiciant Pastores, ne in hoc genere quidquam agant, quod vel sit contra Canones, vel contra Concilii Trident. dispositionem, vel contra Bullam PII Quinti in hac causa editam, alioquin pœnas & censuras talia perpetrantes incurrant.

Quod autem a sponte dantibus pro eleemosyna post administrationem quippiam recipiant, non prohibemus.

Quoniam vero nonnulli Pastores conqueruntur, sibi necessaria de futura media ad se sustentandos, si pro Sacramentorum administratione nihil exigatur, ideo D. Vicarius, aut alii, ad quos spectat, agant cum Parochianis, ut suorum Pastorum alia ratione adaugeant stipendia.

Antequam ulla administrent Sacramenta, a peccatis mortalibus sint mundi, (c) vel saltem conterantur, si copia Confessarii desit, vel periculum sit in mora; ante celebrationem autem Missæ, post lapsum in mortale, realis necessaria est confessio. In illis ministrandis (excepto Sacramento Pœnitentiæ) luminaribus utantur, omnesque adhibeant cæremonias in Sacramentali positas, & stola semper, & superpelliceo induantur, & orationem ante administrationem dicant, intersitque semper Clericus, excepto Sacramento Pœnitentiæ.

Circa Baptismum.

BAptismi administratio nunquam diu differatur, (d) nec Patronorum invitandorum gratia, neve alia quacunque de causa, cum illud in parvulis, ac primum natis, quorum valde infirma & incerta valetudo est, sine æternæ periculo vitæ raro fieri possit. Curet itaque, ut infantes quamprimum baptizentur. Diligat etiam Pastor decorem domus Dei, & ideo, qui habet fontem Baptismi in sua Ecclesia, procuret, ut vel ex marmore, vel ex alia sit materia, quæ non imbibat aquam, & sit mundum a sordibus, contectumque tabulato, & hoc conopæo ex tela alba, quod clave & sera claudatur, cujus clavis remaneat semper apud Pastorem; & locus esse deberet in Sacello separato ante ingressum Ecclesiæ a latere septentrionali; quod si commode extra Ecclesiam fieri non possit, in Ecclesia accommodetur in Sacello prope portam a prædicto latere.

In benedicenda aqua servet formam traditam a Rituali: idem præstet in faciendis cæremoniis, & exorcismis. Instituat & doceat obstetrices formam baptizandi, aut examinet eas, an eam recte sciant.

Circa Patrinos.

UNum tantum virum, & unam fœminam pro Patrinis admittat Pastor juxta dispositionem Concilii Tridentini, (e) eosque doceat de cognatione spirituali inter ipsos contracta. Nullum admittat Patrinum hæreticum, vel suspectum, vel qui fidei rudimenta ignoret, nec eos, de quibus constat, vel est verisimile, quod suum hac in re officium præstare nequeant, ut qui cura Pastorali, vel alia vitæ professione prohibentur, cujusmodi sunt omnes utriusque sexus Religiosi. Sic de Religiosis disponit Capitulum in Baptismate *De Conf. distinct.* 4. quæ ratio militat etiam in aliis Ecclesiasticis, ut prudenter consideravit Synodus Mediolanen. 2. *Decreto* 17. Hoc idem docet Catechismus Romanus: nam quanto minus istis involvuntur curis Pastores, tanto melius cum illis agitur. Doceat Patrinos etiam, quam curam & solicitudinem erga filios e Fonte S. susceptos gerere debeant. Admoneat parentes, ut nomina Sanctorum imponant infantibus. Non baptizet filios alterius Parochiæ, nisi in causa necessitatis. Antiquo Chrismate & Oleo non utatur, nisi in necessitate. Moneat præsentes,

(b) Conc. Trid. Sess. 22.
(c) Conc. Trid. Sess. 13. c. 7.
(d) Vide Conc. Trid. Sess. 7. c. 13. & 14.
(e) Sess. 24. c. 2. de Reform.

ſentes, ut occaſione ſacri Baptiſmi non ſe dent ebrietatibus, & abſtineant ab immodicis conviviis, & ſumptibus, &c.

Circa librum Baptizatorum.

LIbrum habeat, in quo deſcribat nomina Baptizatorum, (*f*) Patrem, Matrem, & Patrinos eorum; & duo teſtes, qui Baptiſmo interfuerunt, eſſent deſcribendi, ſi unus eſſet tantum Patrinus. Et ut plena fides libro adhibeatur, inpoſterum diem, menſem, & annum notet, nec permittat quicquam aliud in eo libro deſcribi, ita ut ſi caſus contingeret, ſit authenticus, & fides illi in judicio adhiberi poſſit.

Circa Sacramentum Confirmationis.

DOceat populum, quanti ſit momenti hoc Sacramentum, & quæ virtus in eo conferatur, illiusque effectus & dona exponat, moneatque Patresfamilias, ut transmittant ſuos filios ad recipiendum hoc Sacramentum, quo fortitudo, animi robur, & conſtantia magna recipientibus datur, ut fidem ſuam non ſolum non erubeſcant, verum ut non obſtantibus, etiam opprobriis, irriſionibus, & perſecutionibus uſque ad extremum vitæ ſpiritum, cum magna in Deum fiducia eam libere profiteantur; quod hiſce calamitoſis temporibus maxime neceſſarium eſt. Doceat etiam hoc Sacramentum ſuſcepturos, quomodo ſe debeant præparare ad ejus ſuſceptionem; Suſceptores vero, quod onus ſuſcipiendo vel aſtando alicui, dum confirmatur, in ſe ſuſcipiant, & ad quid coram Deo & Eccleſia ſe obligent. Demum moneat populum, neminem eſſe poſſe Patrinum in hoc Sacramento, qui ignoret rudimenta fidei, aut ipſemet non ſit confirmatus: referat in librum nomina omnium Confirmatorum, & Patrinorum, ne hoc onus in Suffraganeum rejiciat, ille enim eſt Miniſter Sacramenti, ipſe eſt Paſtor; ideoque ad ipſum ſpectat inſtruere populum ſuum, non autem ad illum.

Circa Sacramentum Eucharistiæ.

DOceat frequenter populum excellentiam hujus Sacramenti, & modum accedendi ad illud, item utilitatem & vim illius, ſi frequentetur; præcipue vero explicet & inculcet, quæ ad excitandam fidem, quæ de hoc Sacramento haberi debet, & in Catechiſmo Romano late tractata, & explicata eſt, populo proponuntur, detque operam, ut ex Divinis inſtructionibus, & probatis Authoribus intelligant, cum ob alias, tum ob hanc maxime cauſam Deum graviſſime offendi, & varias in populos calamitates immittere, quod non ea, qua par eſt, devotione, reverentia, atque cultu in hoc Sacramento colatur, atque veneretur: Quia non dijudicatis Corpus Domini, ideo inter vos, o Corinthii, ait Paulus, (*g*) ſunt multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Propterea hortetur populum ad debitam illius frequentationem, & præcipue in Solemnitatibus, tempore Adventus, & Quadrageſimæ, & occurrentibus negotiis gravioribus.

Circa modum illud conſervandi.

COnſervabit illud Paſtor ſuper altari majori, in Tabernaculo ligneo decenti, quod claudetur clave, & intus veſtietur holoſerico rubeo: quod ſi hoc ab aliquibus præſtari nequeat, ſaltem locus, in quo aſſervatur in Eccleſia, ſit clatris ferreis ita munitus, ut non facile disrumpi poſſit, & ſit aſſeribus intus omni ex parte, & præterea panno ſerico rubeo veſtitus, ut humiditas arceatur. Clave & ſera ita claudatur, ut nulli pateat aditus, præterquam Paſtori, qui penes ſe clavem ab aliis ſeparatam (quæ & inaurata eſſe deberet) detineat. Lampas ante illud in ſignum devotionis, & honoris continuo luceat, ſumptibus vel Fraternitatis Sanctiſſimi Sacramenti, vel fabricæ Eccleſiæ. Quibus deficientibus mediis, aliisque, ſi Paſtor una cum aliquibus piis viris hunc in finem per Parochiam eleemoſynam quæreret, populus pro ſua in hoc Sacramentum devotio-

(*f*) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 2. de Reform.

(*g*) 1. ad Cor. 11.

votione necessaria omnia suppeditaret: nam nullo modo hoc Ven. Sacramentum in aliqua Ecclesia sine lumine conservari debet. Singulis ad summum quindecim diebus renovetur a Pastore. Conservetur solum in pyxidibus aureis, vel argenteis, exclusa quacunque alia viliori materia, & supponatur semper illi nitidum corporale; hoc enim, ut fiat in S. Ecclesia, antiquitus decretum est, nec tanti sunt sumptus, quin possint haberi, si a Pastoribus cura ac diligentia debita adhibeatur, juxta jam insinuata.

Circa ejus administrationem.

OMni studio & diligentia omnes suos subditos excitet Pastor, ut magna cum animi devotione, ac omnimoda præparatione vivificum illud ac salutare Sanctissimi Domini nostri JESU CHRISTI Corpus frequenter percipiant, & modum præparationis doceat, eosque instruat, & moneat, ut post ejus perceptionem, tanquam novi homines, ac novo Sacramenti vigore confirmati, ita vitam & mores suos instituant, ut par est eos, qui Spiritum Sanctum receperunt, & Christi Sanguine & Carne pasti sunt, sese gerere. Advigilet præterea, omnes utriusque sexus, qui legitimam ætatem attigerint, tempore Paschali communicent. (*b*) Antequam vero admittat pueros ad hoc Sanctissimum Sacramentum, instruat eos, ita ut cum fructu & digne illud percipere possint. Eorum nomina, qui tempore Paschali communicaverint, in librum referat, vel si hoc forsan non ita facili negotio expediri possit, saltem curet cuique communicanti signum aliquod dari, vel sancti Ecclesiæ Patroni, vel aliud simile, quod postea repetat, ut inde cognoscat, qui non communicarint. Publicis peccatoribus, hæreticis, & aliis indignis illud non administret. Curet præterea, ut Parochiani, si ipsi non fuerint confessi peccata sua, ferant fidem suæ confessionis, nec sine hac fide suos etiam subditos admittat ad Communionem. Regulares, si Paschali tempore audiant confessiones, nullum pœnitentem dimittant, nisi prius illi testimonium confessionis auditæ dederint. Pastor illorum, qui communicarunt in Paschate, nomina suo Ordinario mittat, vel personaliter ferat.

Circa Fraternitatem Sanctissimi Sacramenti.

ERigi curet Scholam, seu Sodalitatem, aut Fraternitatem Sanctissimi Sacramenti in sua Ecclesia, cujus sit Venerabile Sacramentum comitari, quando vel in processione, vel ad infirmos defertur, & curare, ut debito cum honore in Ecclesia conservetur, & ab omnibus veneretur. Pastor eos, qui huic Fraternitati se dederunt, instruat, ut in piis, ac sanctis operibus præ cæteris sese exerceant, & suo exemplo alios ad majorem pietatem, & exercitium virtutum inducant, atque accendant; & inter cætera ita cum illis agat, ut qualibet prima Dominica mensis Missa major de Sanctissimo Sacramento celebretur, & Confratres eadem die communicent juxta Regulæ institutum; neminem tamen obliget sub pœna peccati.

Circa Sacrificium Missæ.

ITa necessarius est usus Sanctissimi Sacramenti populo Christiano, & præcipue iis, qui ad altioris & perfectioris vitæ gradum vocati sunt, ut quemadmodum corpus cibo materiali, ita & animam Cibo hoc spirituali conservari, alique credendum sit. Qui enim illud instituit, dixit; Qui manducat me, (*i*) ipse vivet propter me; & cum hoc Sacramentum sit antidotum, (*k*) quo a mortalibus peccatis præservantur, & a quotidianis liberantur, qui digne illud suscipiunt, omnes salutem animarum suarum sitientes illud frequentare debent, & præcipue Sacerdotes & Pastores, (*l*) qui sunt medii inter Deum & homines; memores Deum placatum hujus oblatione gratiam & donum pœnitentiæ concedere, & crimina etiam ingentia dimitte-

(*b*) Conc. Lateran. c. Omnis utriusque sexus. Trid. Sess. 13. c. 2.
(*i*) Joan. 6. (*k*) Conc. Trid. Sess. 13. c. 2. (*l*) Conc. Trid. Sess. 22. c. 2.

mittere. Quapropter ad minus ter in hebdomada Paſtor celebret in ſua Eccleſia: ſi habet Sacellanos, ut hoc idem præſtent, prout tenentur, curare debet. Ut autem muneri ſuo ſatisfaciant omnes, advigilet Paſtor per ſuos Miniſtros diligenter, ne fraus committatur. Curet etiam Paſtor, ut nunquam populo hoc Sacramentum adorandum exponatur, niſi accenſis ad minus ſex luminaribus; multo enim melius eſt, ut non ita frequenter exponatur, & tunc cum debita reverentia, quam ut frequentius ſine iſta.

Circa ejus delationem proceſſionaliter.

MOneat Paſtor populum, (*m*) ut ad proceſſiones conveniat, & comitetur hoc Sanctiſſimum Sacramentum ad fidem profitendam, Crucis Chriſti Myſteria commemoranda, de Eccleſiæ hoſtibus triumphandum, in multis benedictionibus glorificandum Nomen Dei noſtri, ac eum pro neceſſitatibus Eccleſiæ ac Reipublicæ Chriſtianæ conſervatione ſimul precandum. Quas ob cauſas prima Dominica cujuslibet menſiis per Parochiam erit proceſſionaliter deferendum; quo in munere Sodales Sanctiſſimi Sacramenti operam ſuam præſtabunt, cum tædis, & candelis accenſis. Idem fiat in feſto Sanctiſſimi Sacramenti quolibet anno.

Habeat autem Paſtor decentem Monſtrantiam una cum lunula argentea vitro contecta, quando Ven. Sacramentum proceſſionaliter deferendum eſt.

Delatio ad infirmos.

CUm defertur ad infirmos, Paſtor pulſandam curet campanulam,(*n*) qua deputati Fratres Ven. Sacramenti ad Eccleſiam congregentur, ut illud debita cum reverentia & honore comitentur; nec unquam prodeat, niſi comitantibus ſaltem ſex viris, ſi commode haberi poterunt, cum luminaribus accenſis: nec hac ſuper re excuſationes adducantur; nam non eſt dubium, quin populus, præſertim in civitatibus habitans, monitus a Paſtore de gravitate negotii, dignitate Sacramenti, deque mandato Sanctiſſimi, ſit plene pariturus, & ſi debitam adhibere voluerit diligentiam Paſtor, libenter admodum omnia ſuppeditaturus. Venerabile Sacramentum in Civitatibus a Paſtore deferatur ſub umbella; uti in proceſſionibus fieri ſolet, ita ut umbella feratur a viris quatuor; extra Civitatem vero umbella parva rotunda ab ipſomet Sacerdote deferenda tegatur, quæ fabrefacta erit ex corio rubro, ita ut claudi & aperiri poſſit. Cum locus infirmi non multum diſtat ab Eccleſia, duas deferat Hoſtias conſecratas; quarum unam det infirmo, alteram referat ad Eccleſiam; ad quam ſtatim, ut venerit, benedicat populum. Unam vero ſolam deferat, quando longe ab Eccleſia diſtat infirmus, & via eſt difficilis. Curet in domo infirmi menſam nitidam cum mappis albis, & cum candelis accenſis parari, ſuper quam poni Sanctiſſimum Sacramentum poſſit, antequam infirmo miniſtretur. Habeat Paſtor pyxidem parvam, in qua Sanctiſſimum Sacramentum conſervet, & quam poſſit geſtare ſine magno incommodo, cum ad villas per viam longam & difficilem eſt eundum, eaque ſit circumveſtita panno ſerico albo, cum funiculo ex ſerico appendendo ad collum Sacerdotis. Habeat etiam alteram pyxidem, cujus cuppa ſit ad minus argentea, & ſit apta ad continendum ſufficientem numerum parvarum Hoſtiarum pro Communione populi.

Circa Sacramentum Pœnitentiæ.

PArochus fideles ſibi commiſſos ſæpe hortetur, (*o*) ut ad Pœnitentiæ Sacramentum non ſolum cum ex Eccleſiæ præcepto tenentur, ſed & alias quam frequentiſſime accedant, tanquam ad ſecundam poſt naufragium tabulam, qua merita mortis Chriſti applicant; & licet ejus radices ſint amaræ, ſuaviſſimi tamen ſunt fructus. Per Pœni-

(*m*) Conc. Trident. Seſſ. 13. c. 5. (*n*) Conc. Trid. Seſſ. 13. c. 6.
(*o*) Conc. Trid. Seſſ. 14.

Pœnitentiam enim nos in Dei gratiam redire, quo nihil optabilius; animam quovis ſcelerum pondere oppreſſam ſublevari, quo nihil jucundius; conſcientiæ pacem & tranquillitatem, quæ omnes ſuperat voluptates, reſtitui, & fideles aliquo modo experiuntur, & Eccleſia ſemper credidit Catholica. Proinde iis, aliisque fructibus propoſitis, & juxta doctrinam Catechiſmi Romani explicatis, ſtudeat Paſtor fideles ſuos eo permovere, ut tantum remedium animæ ſuæ quam frequentiſſime adhibeant, idque cum ea præparatione, quæ ipſius fructibus reſpondeat, ut nempe in ſpiritu humilitatis, & in amaritudine animæ ſuæ quisque peccator ſua peccata confiteatur & defleat.

Moneat populum, antequam accedat ad hoc Sacramentum, ut examen conſcientiæ faciat, & multitudinem, gravitatemque peccatorum, quibus ea gravata eſt, in memoriam revocet, quo plenius ea confiteri, de iisque dolere poſſit. Ut autem diligentius conſcientiam quisque ſuam examinet, inprimis proponet ſibi ante oculos Decalogum, juxtaque ſingula ejus præcepta ſe, mores, vitamque ſuam accurate examinet: deinde & ſeptem peccata capitalia, ut videat, an & quoties cogitatione, verbo, vel opere eorum, vel aliqua, vel omnia admiſerit. Quam examinandæ conſcientiæ rationem Parochus docebit ſubditos ſuos, prout opus eſſe judicabit, pro auditorum capacitate magis vel minus explicate. Ante Quadrageſimam etiam moneat fideles Parochiæ ſuæ, qui confeſſionis frequentem uſum non habent, ne eam differant in poſtremos Quadrageſimæ dies. Moneatque illos, ut ſeſe ſacra hac confeſſione muniant, qui eo proficiſcentur, ubi mortis periculum adire poſſint, vel ubi Confeſſarii copiam non ſint habituri; item ſi rem arduam ſint aggreſſuri. Et ne, dum aliorum vulneribus Paſtor mederi ſtudet, ipſe peccati telo confodiatur; caveat inprimis, ne peccato mortali, vel cenſura Eccleſiaſtica irretitus, ad hoc Sacramentum adminiſtrandum accedat. Non abſolvat a caſibus Ordinario reſervatis, multo minus a caſibus in Bulla: *Cœnæ Domini*, deſcriptis, ſine debita facultate. Et quoniam Judicis & Medici perſonam gerit, quæ gravia, quæ levia ſint, & quomodo corrigenda, & quæ remedia ægroto adhibenda ad animam illam ſanandam, noverit. In Sacramenti igitur hujus doctrina optime ſit verſatus; & quæ illius ratio, qui effectus, quæ partes, quæ earum partium vis, & natura, per ſe intelligat; & quæ ſint peccata mortalia, quæ venialia, quæ circumſtantiæ mutent ſpeciem, quando reſtitutio facienda, &c. recte cognoſcat; Cenſurarum etiam vim, & quibus ſint illæ criminibus annexæ. Et antequam accedat ad audiendam confeſſionem, brevi aliqua precatiuncula, qua Divinæ gratiæ lumen in eo miniſterio peragendo ſibi poſtulet, tacite utatur.

Confeſſiones audiat in Eccleſia ſolum, non extra, niſi neceſſitate ſuadente; Mulierum confeſſiones noctu non audiat; Relapſos & concubinarios inveteratos, blaſphemos, & conſuetudinarios non facile abſolvat: publice peccantes publica pœnitentia coerceat: Mulieres non audiat, niſi in confeſſionali ſede, & interpoſitis inter ipſum & eas cancellis ſeu cratere ſaltem ligneo; Quod ſi non adſint ſedes confeſſionales, ſpatio unius menſis Parochia provideat de illis, alias ſuſpendimus Paſtorem ab auditione confeſſionum. Stola & ſuperpelliceo ſemper utatur in hujus Sacramenti adminiſtratione: hoc enim antiquum eſt inſtitutum, & a Paſtoribus obſervandum.

Si pœnitens omnia ſua peccata per ſe confiteatur, confitentem Paſtor audiat, & de aliis peccatis ab eo forſan omiſſis illum interroget. Antequam abſolvat, pœnitentiam injungat. Nullo modo pecunias, vel aliud pro hujus Sacramenti adminiſtratione recipiat. Audita confeſſione oſtendat gravitatem peccatorum pœnitenti, & curet, ut a peccatis præcipue, in quæ ſæpe eſt relapſus, abſtinere promittat, moneatque pœnitentem, ut in officio, quod exercet, bene & juſte ſe gerat, & ut non ſolum peccata, ſed etiam occaſiones peccatorum fugiat.

Circa Visitationem & curam infirmorum.

OMni quidem tempore Parochus gregi suo invigilare debet; sed cum primum aliquis ex illo in morbum inciderit, tunc vel maxime diligentiam adhibeat, ut eum in via salutis recte dirigat, & a nequissimis dœmonis insidiis & conatibus tueatur, ac defendat, idque præsidio salutarium adjumentorum. Quamobrem non expectabit, dum ab ægroto vocetur, sed ipse ultro ad eum accedet, moneatque Parochiales suos, ut cum aliquis in infirmitatem inciderit, illum accersant: quod si aliquando ipse Pastor aliquibus aliis curis distentus, eo personaliter ire nequiverit, mittat aliquem suo loco idoneum Sacellanum. Ad mulieres ægrotas associatus semper accedat ab aliquo viro probo, vel fœmina qualificata: licet etenim in Pastorem non deberet cadere suspicio, liber erit tamen per hanc cautelam a detractionibus aliorum, & quotidiana nos docet experientia, ea opus esse.

Infirmarum mulierum confessiones ostio cubiculi semper aperto audiat, sub pœna suspensionis a Divinis ipso facto incurrenda. Pro pauperibus infirmis in Parochia eleemosynas colligi curabit: Parochum vicinum, vel alium Sacerdotem infirmum, præcipue aliorum ope destitutum accedat, consoleturque eum remediis animæ maxime salutaribus. Cum ad infirmum venerit, inprimis recitabit Orationem præscriptam in Sacramentali, postea eum hortabitur ad Confessionem Sacramentalem, & ad patientiam exemplo Sanctorum, & Christi Domini, monebitque, ut eleemosynas pro viribus faciat, & pro se orationes a piis personis fieri postulet, ut domi suæ singulis diebus familiam pro eo orare jubeat, ut (dum per morbum potest) aliquid meditetur de mundi vanitate, morte, & passione Christi Domini, ut patientiæ exempla sibi proponat, ut septem Psalmos, & Litanias in cubiculo suo singulis diebus recitari faciat. Ingravescente morbo illum ad communicandum hortabitur, & ad testamentum condendum, & res suas componendas. Legata sua, quæ fecerit, quamprimum (si fieri potest) ipso vivente præstari curet. Monebit inprimis, ut si famam vel facultates alicui subtraxerit, ea restituat, si inimicitias habeat, eas deponat, si aliquem læserit, ut pro viribus illi satisfaciat: vel si læsus vel vulneratus ipse fuerit, ex animo parcat; monebit eundem, ut Sanctissimum Viaticum petat, & Extrema Unctionis Sacramentum. Curet, ut ægrotus promittat Deo emendationem vitæ, si ex infirmitate convaluerit. Animadvertat autem ægrotos tribus tentationibus potissimum turbari. Primam affert metus mortis: secundam conscientia peccatorum: tertia autem ex contemplatione Divinæ justitiæ oritur. Quibus respondebit Pastor, & ad primam quidem, mortem Christiano non extimescendam, sed amandam esse; illa enim mediante ex miseriis, & calamitatibus hujus vitæ ad æternam fœlicitatem, intervenientibus Christi meritis, perveniet. Secundam tentationem frequenti confessione tollet. Tertiam proponendo misericordiam, & bonitatem Divinam, quæ non patietur tanto pretio redemptum perdi, vel destitui. Accedente mortis periculo, præsto sit ad commendandam animam infirmi.

Circa Extremam Unctionem.

DOceat Pastor populum & infirmos, (*p*) cum tempus feret, quod extremo vitæ nostræ tempore præsidia Divinæ gratiæ nos eo plura habere conveniat, quo & vehementius torquemur metu mortis impendentis, & in periculo etiam majori versamur. Sicut igitur clementissimus Redemptor noster Divina in aliis Sacramentis adjumenta fidelibus, dum in sæculo vivunt, paravit; ita hoc Extremæ Unctionis Sacramento in fine vitæ hujus, tanquam firmissimo quodam cœlesti præsidio illos communivit. Proponat itaque illis, quis sit fructus & utilitas, quæ ex hoc Sacramento percipitur.

Sacra

(*p*) Vide Conc. Trid. Sess. 14.

Sacra Olea Paſtores ſingulis annis ad feſtum Paſchæ nova petant ab Eccleſia, unde veteri ac probata conſuetudine, vel de jure ſunt petenda, & ii, quorum id eſt, illa diſtribuere gratis, & ſine mercede debent. Vetera autem olea comburantur in lampade ante Sanctiſſimum Sacramentum. Ægrotis, dum ſunt integris ſenſibus, illud miniſtrent, induti ſuperpelliceo tamen ſemper & ſtola. Deferat ſacra Olea ſemper in vaſis ex ſtanno cum ſuis cotilis ex corio, & cum burſa ex ſerico coloris violacei, cum funiculo pariter ex ſerico, ut ex collo Sacerdotis poſſint dependere. Curet, ut infirmis, antequam illud recipiant, per Pœnitentiæ Sacramentum ſe diſponant, & Euchariſtia reficiant. Mulieribus renes non inungat.

Circa Sacramentum Ordinis.

CUm Sacramenti Ordinis utilitas, & neceſſitas ex eo potiſſimum dignoſcatur, quod alia Sacramenta ita ab illo pendeant, ut ſine illo partim confici, partim miniſtrari nullo modo poſſint, partim ſolemni cæremonia, & religioſo quodam ritu, ac pio cultu ſine Ordine carere videantur; Paſtores tanquam Epiſcoporum cooperatores, quæ in Catechiſmo Romano tradita ſunt, ad populi & ordinandorum inſtitutionem referant; & ipſi religioſe obſervent. Moneant inprimis populum, ut jejuniis, quæ ex vetuſtiſſimis Eccleſiæ inſtitutis ante ordinationem præmittuntur; & piis, ſanctisque precationibus toto corde ad Deum convertantur, ab eoque petant, ut Epiſcopi in examinandis & eligendis Eccleſiæ Miniſtris ſuo recte fungantur officio. Proceſſionem intra ambitum Eccleſiæ inſtituant & Litanias recitent; Parentes inducant, ut filios ſacræ Militiæ offerant, oblatosque religioſe educent, vel educandos curent, non rei familiaris augendæ, vel quæſtus gratia, ſed ut Deo, Eccleſiæque ſerviant: Aliis fidelibus dignitatem Cleri, & quo honore ſint digni Miniſtri Eccleſiæ, oſtendant. Quare paterne moneant, reprehendantque eos, qui Clericos & Eccleſiaſticos contemnunt, & ſpernunt; Docebunt etiam eos, qui ordinandi ſunt, ut quod omnibus commune eſt, bonum faciant propoſitum non ſolum Deo fideliter & pie ſerviendi, ſed etiam alicui certo Eccleſiæ miniſterio addicti, (q) vitæ innocentia, morum caſtitate, & ſanctitate omnibus præſtandi. Eos, qui ordinandi ſunt, in Eccleſia denuncient. Inquirant item de eorum natalibus, ætate, moribus, & vita; literasque teſtimoniales clauſas ad Ordinarium mittant. Explicent populo, quæ impediant, quo minus ordinari quis poſſit, & quæ ætas cuique Ordini ſuſcipiendo a jure præſcribatur.

Circa Matrimonium.

UT Matrimonium inter fideles ſancte contrahatur, eo diligentius curandum eſt, quo gravius aliquando a plerisque peccatur. Habebit itaque Paſtor perſpecta in primis ea, quæ circa Matrimonium rite celebrandum Synodus Tridentina (r) præcepit, eaque a Parochialibus ſuis obſervari curabit, docebitque populum ex Catechiſmo Romano Sacramenti hujus inſtitutionem, vim, naturam, & ſanctitatem, quamque ob cauſam fideles Matrimonium inire debeant, non explendæ libidinis gratia, ne fiant ſicut equus & mulus, nec præcipue cupiditate divitiarum, ſed prolis ſuſcipiendæ, & evitandæ fornicationis cauſa, & ut alter alterius ope adjutus incommoda hujus vitæ facilius ferre poſſit.

Paſtores non paſſim omnibus Matrimonium contrahere concedat, (s) præſertim vagantibus & peregrinis, aliisque ignotis, ſed debita cum diligentia obſervet præcepta Concilii Tridentini: Si Matrimonium ſit contrahendum cum aliquo, vel aliqua, quæ ſit in partibus hæreticorum, nuntiet prius hoc Ordinario. Si conjugum alter peregre profectus obiiſſe narretur, ideoque ſuperſtes aliud Matrimonium inire cupiat, Paſtor tales non conjungat, niſi certam de obitu prioris noti-

(q) Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 5. & ſeq.
(r) Seſſ. 24. c. 1. & ſeq. de Reform.
(s) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 7.

tiam habuerit. (t) In Matrimonii autem celebratione instructiones a Synodo Tridentina datas servet; & præcipue publicationes inter Missarum solemnia, nec illas sine Ordinarii licentia omittat. Notos habeat gradus consanguinitatis, & eos diligenter exponat populo, & alia impedimenta Matrimonii, & sumat etiam informationes, an inter contrahentes sint impedimenta, nuntietque excommunicationis pœnam infligi contrahentibus in gradibus prohibitis scienter. Antequam faciat denuntiationes, intelligat tam a mare, quam a fœmina, an Matrimonii inter ipsos contrahendi denuntiationes fieri placeat. Quod si in diversis Parochiis degant, hoc idem in utraque servetur. Monebit eos, ut antequam Matrimonium contrahant, commendent se Deo orationibus, peccata sua confiteantur, & communicent. Eo die, quo ultima denuntiatio facta est, non celebret Matrimonium sine licentia Ordinarii. Moneat eos etiam, ut a copula carnali abstineant, donec Matrimonium fuerit contractum. Nullus inposterum Pastor, vel alius Sacerdos quomodocumque deputatus, celebret Matrimonium sine proprii Parochi scitu, & consensu, nisi ex legitima, & gravi causa aliter Ordinario videatur; quod ipsum tamen scripto comprehensum, postea proprio Pastori erit nuntiandum. Celebret Matrimonium inter Missarum solemnia, si fieri commode potest, & sine periculo, non autem post prandium. In celebratione Matrimonii sermonem faciat ad altare de vita a contrahentibus instituenda, & de mutua obligatione & officio præstando, de mutua fide servanda usque ad mortem, & de bona institutione filiorum, & familiæ. Scribat in libro separato conjugum nomina, & testium, item diem, mensem, & annum, locumque contracti Matrimonii, item an publicationes factæ sint, an omissæ, &c.

Circa Sacramentalia, Orationes, & Processiones.

ÆDes Parochialium semel quolibet anno, nempe Hebdomada Sancta, ut in more positum est in multis locis, & præcipue in Germania, aqua benedicta aspergere deberet Pastor superpelliceo & stola indutus, & Clerico stipatus. In die Purificationis B. Virginis instruat populum de Mysteriis, & de Benedictione candelarum. Dominica ante Cineres doceat eos cinerum mysteria. Et Dominica Palmarum explicet eorum utilitatem, & benedictionis causam. Curet campanam pulsari ad Orationem vespertinam pro mortuis, & Salutationem Angelicam horis consuetis, & ad elevationem Sanctissimi Sacramenti in Missa. Doceat populum modum consequendi Indulgentias, earumque utilitatem. Aquam singulis diebus Dominicis benedicat, nec Baptismali utatur, eam guttatim miscendo cum alia aqua. Hortetur populum, ut veniat ad processiones ordinarias, & ut mulieres capite tecto incedant in Ecclesia. Laudabilem illam consuetudinem introducere deberet Pastor, ut populus totus canat Litanias; & incipiendum prius erit a pueris: est enim iste antiquissimus mos in Ecclesia, & adhuc in Germania in multis Ecclesiis, & particulatim Coloniæ servatur, ita ut mirum sit, Pastores quosdam, qui profitentur se esse piissimos, hæc refugere.

Circa Funera & Exequias.

FUnera nullo pacto deferantur sine Pastoribus, qui cum superpelliceo, stola, & sua Cruce accedere debent, nec ullo pacto pro deducendis funeribus quippiam ex pacto accipiant. Nullius corpus ante sepeliatur, quam per 24. horas spiritum exhalaverit, idque nec ante Solis ortum, nec post illius occasum fiat.

Funera ad sepulturam sine luminibus non efferantur. Miserabiles personas gratis ex amore Dei sepeliendas curet Pastor. Usurarios manifestos, excommunicatos, duellantes, & hæreticos ad sepulturam Ecclesiasticam non admittat. Caveant Pastores in suadendis Anniversariis mortuorum, ne in avaritiæ notam incidant. Caveant, ne

(t) Conc. Trid. Sess. 24. c. 7.

ne hac occaſione in ebrietatem, & compotationes incidant.

Conſtituatur taxa a Reverendiſſimo D. Abbate eorum, quæ in delatione funerum recipere poſſint, quam non transgrediantur.

Circa bona Eccleſiæ.

CONficiat ſpatio unius menſis Paſtor ſub pœna decem aureorum Indicem omnium bonorum ſpectantium ad ſuam Eccleſiam; quod ſi inſtrumentis careat, confeſſiones ſaltem a debitoribus Eccleſiæ habeat, quibus caveat, ne bona Eccleſiæ alienentur, & ſi aliqua alienata invenerit, eorum procuret reſtitutionem juxta juramentum ab eo factum. Inventarium ſupellectilis Eccleſiæ conficiat, cujus ipſe unum exemplum conſervet, aliud vero a Mamburnis, ſeu Æditais aſſervandum curet. Bona Eccleſiæ ſub pœna excommunicationis nec vendat, nec ad longum tempus aliis elocet. Frequenter publicet in Eccleſia pœnas uſurpantium bona Eccleſiæ, & decimas non ſolventium; ſingulis menſibus eleemoſynas colligi jubeat a Deputatis Parochiæ pro pauperibus ejusdem.

Circa Sacellanos.

HAbeat regiſtrum diſtinctum omnium Beneficiorum, quæ ſunt in ſua Parochia, Altarium, Perſonatuum, & Sacellaniarum cum omnibus eorum oneribus, & ad quos ſpectat eorum collatio; & vigilet, an illi ſatisfaciant oneribus ſuis, uti celebrando Miſſas, vel reſidendo, prout eorum quilibet ex fundatione tenetur. Si Sacellanos ſcandaloſos, publice peccantes, apoſtatasve habeat in ſua Parochia, illos denuntiet Ordinario. Intimet hoc noſtrum Decretum Sacellanis, & qui parere recuſaverint, non deerunt media ipſos cogendi. Spatio unius menſis vigore hujus viſitationis afferri ſibi curet a Sacellanis, vel Altariſtis regiſtrum, ſeu notam omnium bonorum ſpectantium ad ipſorum Beneficia ſub pœna decem aureorum applicandorum fabricæ illius, cui ſervit, Eccleſiæ, quæ quidem regiſtra aſſervari curet, una cum regiſtro bonorum Parochiæ; Quod ſi qui regiſtrum ſuum dare noluerint, eos Paſtor cogat mediante auxilio Superiorum ſuorum. Inſuper ſi adſit aliquis, qui ſibi Beneficia uſurpaverit, vel eorum collationem, aut alienaverit eorum bona, eos omnes deferat apud Ordinarium. Curent Paſtores, ut Sacellani habeant ſua paramenta neceſſaria; Calicem nempe, Miſſale, planetas, albas, mappas, & alia pro Officio Miſſæ, ſuaque altaria ornata & parata, ut decet, nunquam celebrent, niſi accenſis duobus cereis in candelabris ſaltem cupreis.

In altaribus ſint mappæ duæ minores, una major, item Crux, tabella ſecretarum orationum, & antipendium decens.

De electione Sacellanorum, aut aliorum Eccleſiaſticorum, quæ fit a populo.

UNice ſemper obſervatum fuit, ut magno delectu, & gravi maturitate ad Eccleſiam Dei regendam, & Divina Officia peragenda Eccleſiaſtici aſſumerentur. Unde cum repererimus, aliquos hac in parte, præſertim Laicos, nihil aut parum de regimine Eccleſiæ ſolicitos, ad electiones Capellanorum, & aliorum Eccleſiaſticorum ex privato affectu (ne quid gravius dicam) prorumpere, ita ut ſæpiſſime inutiles Dei Miniſtri, & ſuæ, & aliorum ſalutis prodigi in Eccleſiam protrudantur, volumus, ut Paſtores admoneant Laicos, ſi quibus de jure, aut ex conſuetudine hujusmodi electio ſeu præſentatio competit, quam graviter peccent contra Deum, Eccleſiam & proximum, quotiescumque ſic in prædicta electione ſe gerunt.

De Congregatione Paſtorum quolibet trimeſtri inſtituenda.

UT Paſtoribus aliqua porrigatur occaſio, & caſibus conſcientiæ ſtudendi, & in literarum ſtudiis ſeſe exercendi, deque neceſſitatibus ſuarum Eccleſiarum agendi, quod in aliis Eccleſiis laudabiliter inſtitutum eſt, illud in hac etiam introduci enixe deſideramus, ut tertio quoque menſe certo

loco Paſtores, tam urbani, quam forenſes conveniant, ubi diſcuſſis prius quibusdam conſcientiæ caſibus de ſuarum Eccleſiarum regimine & difficultatibus occurrentibus inter ſe agant, juxta infraſcriptum ordinem ſeu modum.

Tempus Congregationis.

FAcienda erit Congregatio quolibet trimeſtri ſemel in Civitate Fuldenſi feria ſecunda poſt primam Dominicam tertii menſis hora ſecunda, in loco a Domino Vicario deputando. Illi intererunt omnes Paſtores, & eorum Coadjutores, & Sacellani, & alii quicunque Eccleſiaſtici curam animarum habentes.

Quis Congregationi præerit, & caſus decidet.

HUic D. Vicarius præerit. Intererit etiam Theologus deputandus a Reverendiſſimo D. Abbate, qui decidet quæſtiones, & caſus proponendos.

Interſit pariter Secretarius eligendus a D. Vicario, qui caſus propoſitos, & reſolutiones annotet in libro ad hoc parando.

Modus faciendi Congregationem.

COngregatis omnibus, & facta debita oratione, imploratoque Divino auxilio ab illo, qui Congregationi præerit, notabuntur ptimo abſentes, qui, niſi legitime ſe excuſaverint, mulctabuntur pœna unius floreni applicandi locis piis, ad arbitrium D. Præſidis.

Deinde proponentur quatuor caſus conſcientiæ a D. Theologo, & D. Præſes interrogabit ſingulos Paſtores ſuam ſententiam ſuper iſtis caſibus; qui ſinguli ſuo loco breviter & ſedate illas explicabunt, & iſtorum poſtea reſolutionem a D. Theologo intelligent. Materiam poterunt ſubminiſtrare Sacramentorum materia, & adminiſtratio.

Vota ſeu reſolutiones notentur a Secretario, & ſi placebit Domino Theologo, poterit mandare alicui Paſtorum ex iis, qui magis docte votum ſuum explicarunt, ut illud ipſi ſcripto exhibeat. Quibus poſtea bene diſcuſſis & perpenſis, ex multis caſibus ita decretis, poterit confici libellus, ad praxim regiminis Eccleſiaſtici utiliſſimus.

In fine Congregationis intimabitur dies proximæ futuræ Congregationis, & dabitur unicuique præſenti ſchedula, cum caſibus proponendis, ut ſpatium habeant Paſtores eis ſtudendi.

Diſciplina Eccleſiæ.

IN eadem Congregatione poſt caſuum reſolutionem tractabitur a ſingulis Paſtoribus, prout unicuique videbitur magis opportunum, de executione Decretorum Viſitationis, & de aliis difficultatibus ſpectantibus ad regimen Eccleſiarum ſuarum, ut aliorum auxilio & conſilio facilius Eccleſias ſuas regere poſſint.

Occaſione iſtius Congregationis ſeu Conventus, ut inter Eccleſiaſticos ipſos etiam perfecta charitas ſit & vigeat, valde deſideramus, & ideo in neceſſitatibus tam ſpiritualibus, quam corporalibus, ut juvent ſe invicem, inprimis optamus.

Mortuó itaque uno ex Confratribus, quilibet ex cæteris ſaltem Miſſam unam pro anima illius celebrabit, & preces ad Deum pro ipſo ex charitate fraterna unanimiter fundent.

Congregatio Annua.

REverendiſſimus D. Abbas ſingulis annis infra octavam Pentecoſtes omnes Paſtores ac animarum Curatores in unum locum convenire jubebit, illique Conventui perſonaliter intererit, ſi quo modo poſſit, aut ſaltem aliquem nomine ſuo mittet, & in vitam ac mores ſingulorum Paſtorum inquiret, & intelliget etiam, an Decreta Apoſtolicæ Viſitationis obſerventur ab iis, quæque emendanda invenerit, emendari quamprimum curabit: ſiquidem hic primarius Congregationis hujus eſt finis.

Item ſingularum Eccleſiarum Parochialium neceſſitates cognoſcere ſtudebit,

debit, eisque provideri curabit. Adsit etiam, qui exhortationem ad Pastores faciat, ut illi suo bene fungantur officio, & abstineant ab iis, quæ pusillis scandalo esse possint, & quæ decorem domus Dei maculare possint.

Ex hac autem Congregatione hoc consequetur Reverendissimus D. Abbas, quod ab omnibus verus Pastor sit censendus, ut cui de ovibus suis sit cura; unde & vicissim subditi se oves declarabunt, vocem ejus libenter audient, dictisque amore potius, quam timore obedient.

Circa Populum.

HAbeat Pastor notitiam particularem suorum Parochianorum, præcipue vero, an in ea adsint Apostatæ, vel Clerici Simoniaci, vel Sæculares scandalosi, adulteri, concubinarii, vel alii publici delinquentes; quos omnes pro viribus ad bonam frugem reducere conetur, & interim eorum nomina Ordinario suggeret. Invigilet præcipue, ut Patres & Matresfamilias, filios & famulos recte instituant, & ut eos mittant ad discenda fidei rudimenta in Ecclesiam; utque saltem diebus Dominicis & Festis audiant Sacrum; & ne in domo sua homines malæ famæ, præcipue suspectos de hæresi, blasphemos, ebriosos, concubinarios, & alios similes alant, qui malis moribus totam familiam inficere facile possunt.

Librum habeat appellatum Statum animarum, in qua omnium Parochialium nomina notentur, hoc est, Patrum & Matrumfamilias, filiorum, filiarum, famulorum, ancillarum, & reliquorum ibidem degentium, in illoque notet, qui in Paschate communicarint, qui non; item qui confirmati sint, qui non, &c.

De juramentis & blasphemiis, ac superstitionibus eliminandis.

ET quoniam sunt permulti valde rudes & ignari, ideoque ad blasphemias, juramenta, & superstitiones nimis proni, imo & illis (proh dolor) addicti & assueti, Pastores omnes pro sua in Deum pietate, & animarum salute & zelo nunquam desinant inculcare eisdem dictorum peccatorum gravitatem & periculum, eisque exemplis, ratione & auctoritate, ac alias omni meliori modo persuadere, urgere & terrere, ut ab illis abstineant, ac Deo debitum honorem reddant, nec animas suas tam misere perdant. Quandocunque vero aliquem publice, vel privatim aliqua cæremonia, vel ritu uti viderint, vel ad sanitatem restituendam, aut recuperandam, vel ad aliquid aliud consequendum, quæ in Ecclesia hactenus recepta non fuerint, vel saltem quoquo modo suspecta sunt, diligenter quamprimum de illis, vel approbandis, vel reprobandis, judicium Sapientiorum, præsertim Ordinarii inquiret, & juxta illud sese quoad subditos habebit.

De picturis, & chartis impudicis, ac Hæreticis tollendis.

SAcra Scriptura confirmante (*u*) compertum est, quod corrumpant bonos mores colloquia prava: & quoniam picturæ, & literæ sunt quædam etiam tacita verba, & alloquia, quibus sæpe pernitiosissime decipiuntur homines; & eo facilius, quo interdum occultius ac cautius irrepunt. Ideo hac in re non dormiant Pastores, sed perscrutentur mente sagaci agrum Dominicum, inquirantque prudenter, anne forsan inimicus homo (*x*) superseminaverit picturarum, chartarum, literarum, seu librorum impudicorum, seu hæreticorum zizania; ut ea vel opportune eradicet, ad se recipiendo, & comburendo, vel defectuosos contumaces ad Superiores deferendo.

De vita & moribus Pastorum.

PAstores in Dei militiam adscripti, ad regendas animas Christi Sanguine redemptas, sciant se non ad commoditates & voluptates, sed ad labores

(*u*) 1. Cor. 15. (*x*) Matt. 13. c.

res & ſolicitudines fuiſſe vocatos: Quare ipſis diligentiſſime providendum eſt, ne a recta vivendi via, & ab officio ſuo ullo modo deflectant, neque quicquam præ ſe ferant, quod non ſimplex, caſtum, integrumque ſit, ut modeſtiæ, frugalitatis, benignitatis, & quæ nos Deo tantopere commendat, ſanctæ humilitatis, ac virtutum omnium cæteris exempla præbeant; illi enim uberrime paſcunt, & efficaciſſime docent, qui pietatem, quam profitentur, vitæ integritate, & innocentia comprobant, quique ea, quæ verbis alios docent, factis exprimunt ſuis, non jam quæ ſua ſunt quærentes, (y) ſed quæ JESU Chriſti, nec quæ ſibi utilia ſunt, ſed quæ multis, ut ſalvi fiant. Laborent itaque, ut miniſterium ſuum impleant, omnia ad voluntatem Dei dirigentes animo caſtiſſimo. Et in orationibus, & in meditationibus ſint ferventes. Divinas laudes & Horas devote recitent, & aſſidui ſint in muneribus ſuis præſtandis, audiantque patienter, & libenter ſuos Parochianos in neceſſitatibus ipſorum. Caveant a nimia Laicorum converſatione, & a ſordibus, avaritiæque nota, quæ illos in curſu bene cœpto remorari, & interdum ſiſtere ſolet. Laicalia convivia, tabernas, & ebrietates, tamquam animarum peſtes fugiant; veſtitu talari, & modeſto incedant. Non ſint negotiorum geſtores ſæcularium, nec bona ipſorum conducant, vel locent; vel mercaturæ, vel aliis vilioribus exercitiis ſeſe immiſceant, familiam habeant honeſtiſſimam, nec teneant in domo ſua mulieres ullo pacto ſuſpectas, aut ancillas formoſas & juvenes. Quod ſi aliqua fama contra ipſum in hoc genere increbuerit, ad ſimplicem ſui ſuperioris Ordinarii monitionem, mulierem illam dimittere cogatur appellatione remota; alias contra ipſum procedatur ad pœnas in jure expreſſas. (z) Habeat libros, præcipue Biblia, Catechiſmum Romanum, Concilium Tridentinum, Sacramentale, & Rituale ſuæ Eccleſiæ, item vitas Sanctorum approbatas, & Concionatorem unum, alterumve bonum pro concionibus ſuis formandis.

Circa eleemoſynas, & fabricam Eccleſiæ.

CUret Paſtor, ut Sodales Sanctiſſimi Sacramenti omnes ſervent Regulas, & Statuta ipſis inferius præſcripta: præſit, & interſit eorum Congregationibus, & præcipue, cum Officiales creandi ſunt, & eleemoſynæ diſtribuendæ, ne fraus committatur.

Catalogum habeat pauperum & miſerabilium perſonarum, quibus, cum tempus requirit, ab iis eleemoſynas dari curabit; diligentiam etiam adhibeat circa Eccleſiæ ſuæ fabricam, curetque, ut Cuſtodes & Mamburni Eccleſiarum ſuo munere recte, & fideliter fungantur, ut libri Miſſales, aliique, caſulæ, dalmaticæ, corporalia, aliaque Eccleſiæ ornamenta ſemper integra ſint, ac talia, ut cum honore & decore Divinis functionibus deſervire queant. Si quid autem laceratum, fractumve, aut aliqua reparatione indigere adverterint, id quam primum inſtaurari curabunt, ne ex diuturniori dilatione damnum majus aut etiam irreparabile ſequatur.

Hujus rei gratia feneſtras vitreas, tectum, ſedilia, aliaque, quæ ædificant, vel ad ornatum, vel ad ſupellectilem Templi faciunt, diligenter perluſtrabunt Paſtores, & ſi quicquam inſtaurandum deprehenderint, ejus quamprimum eos, quibus hæc cura incumbit, admonebunt; qui, ſi hac in re negligentes fuerint, Superiores hujus negligentiæ ceriores reddendi ſunt: & quamvis hæc ſolicitudo perpetua eſſe debeat, peculiariter tamen eam, imminente quotannis feſto Sancti Michaëlis, cordi eis eſſe volumus, quo tempore eis præcipimus, ut omnia Templi loca obeant, ſupra ac infra diligenter inſpiciant, armaria, ac arcas omnes aperiant, & perſcrutentur, ornamenta ſingula revolvant, & ſtudioſe intueantur, quæque reparatione aliqua indigere comperient, eadem ante feſtum omnium Sanctorum reparari jubeant.

Curent etiam Paſtores, ut Cuſtodes Eccleſiarum, vel Cuſtodum vices obeuntes, nihil unquam ex Eccleſiæ orna-

(y) 1. Cor. c. 10. (z) Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 14.

ornamentis, thesauris, aut supellectili extra Ecclesiam efferant, aut aliis ad ornandam Ecclesiam suam dent mutuum, sed omnia & singula, quæ curanda & custodienda eis sunt tradita, juxta præstitum juramentum fideliter servent, atque custodiant, ac fidelitatis suæ quotannis juxta Ecclesiæ inventarium dent testimonium. Sed & juxta Festorum Ecclesiæ diversitatem diversa exponant paramenta pro Divinis Officiis celebrandis, juxta præscriptum (quantum fieri poterit) Ritualis Romani.

Quandocunque autem viderint Pastores, ex corporalibus, vel aliis Ecclesiæ ornamentis, quædam aut usu, aut vetustate detrita, eadem igne in Ecclesia comburant, & cineres vel in piscinam projiciant, vel alibi in loco honesto, ubi transitus non est, sepeliant.

Erectio & Regulæ Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti in Civitate, & Ditione Fuldensi.

INter alia media, quibus a vitiis alienantur homines, ad virtutes accenduntur, & ad suscipiendam proximorum curam excitantur, efficacissima judicantur, zelus honoris Dei, & proximorum salutis solicitudo; his enim primariis virtutibus Christianis, tamquam igniculis quibusdam erga Deum charitas, erga proximos amor vehementer accendi solent: hinc tot in multis Ecclesiis Congregationes & Sodalitates, tam Ecclesiasticorum, quam Sæcularium erectæ, in quibus mutuis studiis Sodales sese exercentes, tamquam in palæstris quibusdam spiritualibus, plurima virtutum exempla præbere dignoscuntur.

Quibus commoti Ditionem hanc Fuldensem (cujus incolumitatem ac salutem unice desideramus) talibus mediis spiritualibus tanquam pretiosissimis mercimoniis replere cupientes, ut illius odor a vertice capitis usque ad oram vestimenti ejus descendens suavitate & fragrantia omnia repleat. Igitur Congregationes quasdam in Parochialibus Ecclesiis sub titulo Sanctissimi Sacramenti erigere constituimus, ut Sæculares ad illius honorem promovendum, & ad salutem animarum procurandam excitaremus, cujus Confratres, tamquam Christi laterales Milites, Venerabilis Sacramenti custodes in Ecclesia, & quando exponitur, vel ad ægrotos, aut processionaliter defertur, adstent, assistant, comitentur, & ut ad illud idem agendum alios incitent, & pro illius amore ad proximorum salutem ea præstent, quæ ex Regula hujus Congregationis sequuntur.

Inprimis itaque Confratres non modo peculiarem ipsi Sanctissimo Sacramento venerando ac honorando operam navabunt, sed etiam curabunt, ut suis exemplis alios quoque ad majorem pietatem erga hoc Venerabile Sacramentum & devotionem alliciant.

Eum finem ut assequantur, operæ pretium erit, tales ut soli admittantur, qui propensiori animo erga Ministeria sancta putantur futuri, quique prudentia, pietate, zeloque Religionis Catholicæ merito aliis præferendi.

Excludantur itaque publici peccatores, hæretici, aliique, qui Confraternitati probro, & dedecori esse possint, immo si qui tales irrepserint, in eaque reperiantur, ii aut fraterne corrigantur, aut ex numero Sodalium excludantur. Confratrum autem erit curare, ut honor tanti Sacramenti promoveatur, ut in Templo debito cum lumine conservetur, ut cum populo adorandum exponitur, vel in publicis processionibus circumfertur, debite honoretur: deinde cum ad infirmos Viatici nomine portatur, ne quid indecentiæ, aut irreverentiæ circa illud admittatur. Ut autem omnes Confratres intelligant, non abs re se eam societatem inivisse, cujusque munus erit, & officium singulis mensibus Sacrosancta Eucharistia sese reficere, idque in ea Parochia, in qua Confraternitati fuerit adscriptus, & præterea quinquies singulis diebus Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam in memoriam Passionis Domini nostri JESU CHRISTI recitare. Existiment etiam ad verum cultum hujus Sacramenti pertinere, opera pietatis exercere erga proximos, ut infirmos visitare, & eos inpri-

inprimis, qui Sodalitio sunt adscripti.

Quia porro non potest Confraternitas ipsa sine peculio aliquo diutius conservari, duo ex Confratribus designandi erunt, qui piorum eleemosynas diebus Festivis conquirant in capsulis clausis in usus varios Confraternitatis convertendas, quos Thesaurario ad eam rem destinato statim consignabunt: qui eas in libro ad id comparato notabit, nec aliquem in usum expendet, nisi ex voluntate & mandato Confraternitatis.

Ad meliorem conservationem, & profectum Confraternitatis conventum habebunt Confratres certa statuta hora singulis septimanis, tractabuntque in eo de negotiis Capituli sui, prout maxime ad rem illius pertinere judicaverint. Si aliunde sumptus haberi nequeant, ut assidue luceat lampas ante Sanctissimum Sacramentum, Fraternitas ex eleemosynis suis suppeditabit, & curabit, ut hac in re nihil desideretur.

Persuadeant sibi omnes, id etiam boni Confratris esse, ut si intelligat lites inter fratres, jurgia, discordiasve vigere, magna cura, & solicitudine advigilet, ut quamprimum sopiantur.

Confraternitas tota Prioris unius cura, & quatuor Consiliariorum gubernabitur. Hi vero quotannis (nisi aliud necessitas postularet) ipsis Cal. Januarii mutandi sunt.

Non eligantur Officiales, qui debeant quippiam Fraternitati sub pœna nullitatis.

Prior, seu Præfectus, ne bona, eleemosynæ, legata Fraternitatis pereant, curet intra mensem post ejus erectionem librum confici, in quo illa describantur, eumque det Pastori custodiendum.

Pastor loci, cui maxime incumbit, ut cultus Sanctissimi hujus Sacramenti augeatur, & Prior, seu Præfectus Sodalium Congregationi semper intersint.

Curam habebunt, tum Pastor ipse, tum Prior, & Consiliarii, ut res temporales illius recte administrentur; ob eamque causam tempus singulis annis designabunt, quo tam a Thesaurario, quam ab aliis exigant rationem administrationis peculii, antequam suis officiis defungantur.

Non vendant bona Fraternitati legata sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, nisi sint mobilia, & id fiat ex consensu Fraternitatis.

Quia porro experientia docuit, & vere etiam docet, intemperantia Confratrum nonnullas Sodalitates sancte institutas paulatim aut omnino dissolvi, aut certe scandalo esse aliis: Mandatur sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ omnibus Præfectis, Consiliariis, cæterisque Officialibus, & Confratribus, ne in convivia, compotationes, comessationes, aut quemvis alium similem usum quicquam expendant, quod sit Fraternitati ad ejus conservationem, aut eleemosynæ nomine donatum, immo si legata fiant, ut in abusus prædictos convertantur, acceptari non debent a Confraternitate.

Ut demum ii, qui ex Sodalitate ista defuncti fuerint, sentiant aliquod Confratrum suorum suffragium, statim post obitum cujusque pro singulis decem Missæ celebrabuntur, & semel singulis annis Anniversarium pro omnibus defunctis ex illa Societate, idque sumptibus ipsius Fraternitatis.

Dies Festi, præter Dominicos, in Civitate ac Diœcesi Fuldensi celebrandi.

MENSE JANUARIO.

Circumcisionis Domini.
Epiphaniæ Domini.

IN FEBRUARIO.

Purificationis B. Mariæ Virginis.
S. Matthiæ Apostoli.

IN MARTIO.

Annuntiationis B. Mariæ Virginis.
Paschæ cum duobus diebus sequentibus, etiam quando in Aprilem incidit.

IN APRILI.

In die S. Marci populus intersit Processioni.

IN MAJO.

St. Philippi & Jacobi Apostolorum.
Inventionis S. Crucis.

Ascen-

Ascensionis Domini.
Pentecostes cum duobus sequentibus diebus.
Corporis Christi.

IN JUNIO.

S. Bonifacii Martyris.
Nativitatis S. Joannis Baptistæ.
Ss. Petri & Pauli Apostolorum.

IN JULIO.

Visitationis B. Mariæ.
S. Mariæ Magdalenæ.
S. Jacobi Apostoli.

IN AUGUSTO.

S. Laurentii.
Assumptionis B. Mariæ.
S. Bartholomæi Apostoli.

IN SEPTEMBRI.

Nativitatis B. Mariæ.
S. Matthæi Apostoli.
S. Michaëlis Archangeli.

IN OCTOBRI.

Ss. Simonis & Judæ Apostolorum.

IN NOVEMBRI.

Omnium Sanctorum.
S. Martini.
S. Andreæ Apostoli.
Præsentationis B. Mariæ Virginis.

IN DECEMBRI.

S. Nicolai.
Conceptionis B. Mariæ.
S. Thomæ.
Nativitatis Domini nostri JESU CHRISTI.
S. Stephani.
S. Joannis Evangelistæ.
Ss. Innocentium.

Quælibet etiam Ecclesia Parochialis festum Patroni sui, & suæ Dedicationis celebrare tenetur, & præterea, si qui Sancti aliquo in loco peculiariter colantur, eorum etiam dies Festi juxta Ecclesiæ ritum celebrentur.

Professio Fidei Catholicæ juxta formam a PIO IV. Pontifice Max. præscriptam.

EGo N. N. firma fide credo & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum DEUM Patrem omnipotentem, &c.

Colon. Agripp. ex Officina Kinchiana Anno 1619.

CONSTITUTIONES DIOECESANÆ TREVIRENSES (*)

Reverendissimi ac Illustrissimi Principis ac Domini,
D. LOTHARII, (**) LXXX. Trevirensis Archi-Episcopi,
Anno Christi MDCXXII. Gregorii XV. Papæ II. Ferdinandi II. Imp. IV.
CLERO PROMULGATÆ.

LOTHARIUS, DEI GRATIA S. TREVIRENSIS ECCLESIÆ Archi-Episcopus, Sacri Romani Imperii per Galliam & Regnum Arelatense Archi-Cancellarius, Princeps Elector, Administrator Prumiensis perpetuus, &c.

AD CLERUM NOSTRUM TREVIRENSEM.

VIndex irati Dei calamitas, quæ hodie vastat Ecclesiam, & per vicinias palabunda, nostram Diœcesin sensim allambit, monet nos, ut soliciti pro grege nostro, ne ille eadem indies gliscente latius involvatur, studeamus placare furorem Divinæ iræ, cujus

jus certissima sunt, hæ tempestates argumenta, irritamenta vero iniquitates, non tam populi, quam Sacerdotum ejus, id quod ipsum flagelli genus ostendit. Ex eo enim, quod Deus olim non solum in homines, & fortunas, sed in ipsum Templum sanctum suum, Augustissimam Sanctitatis ac Religionis sedem, desæviret, probe colligit Jeremias; ipsum summa iracundia iratum esse Israeli propter peccata Sacerdotum ejus: *Repulit*, ait (a), *Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ: Tradidit in manus inimici muros turrium ejus:* Et [b], *Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ: & succendit ignem in Sion, & devoravit fundamenta ejus.* Causam hujus furoris subdit: *propter peccata Prophetarum ejus, & iniquitates Sacerdotum ejus.*

Eandem, pro dolor, jam Divinæ iræ videmus expensam hederam. Audimus enim non solum homines, fortunas, tecta, sed & ipsa Sancta ad pœnas trahi: Templa, Altaria, SS. Reliquias, atque adeo Augustissimam Eucharistiam, pollui, illudi, pessumdari, ac impuris objici canibus. Hanc vero iram excitari peccatis, omnium quidem hominum, præcipue tamen eorum, qui in sortem Domini vocati sunt, credimus Jeremiæ, & docemur Heli & Filiorum ejus Sacerdotum exemplo, quorum peccata, Filiorum quidem perpetrantium, Patris vero dissimulantis, ipsi cum populo multiplici pœna luerunt. Videamus primum peccata eorum, deinde pœnas, quæ Scriptura enumerat.

I. Ophni & Phinees erant filii Belial, id est, perversi, absque jugo. II. [c] Nesciebant Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum. III. Gulæ, quam Deo, sacrificabant potius victimas, quorum deus venter erat. IV. Munera ab oblaturis extorquebant avare, cætera rapinæ modo tollebant injuriose. V. Retrahebant homines a Sacrificio & cultu Domini impie. VI. Cum mulieribus, quæ observabant ad ostium Tabernaculi, lasciviebant sacrilege. VII. Sacrum Sacerdotum ordinem apud populum infamabant turpiter; Non enim est bona fama, quam audio, ait ad eos Pater. VIII. Contumaces erant, cum moniti non resipiscerent, nec audirent vocem Patris sui. Illa sunt peccata Filiorum Heli: Patris vero hæc.

Nimis indulgenter habebat filios; cum & videret, & publica fama eorum malitiam cognosceret, connivebat tamen, aut molli admonitione, quam mordebat, eos mulcebat potius, nec iterabat illam sæpius, vel si iteraret, non acri castigatione urgebat emendationem, filios magis, quam Deum honorans. [d] Cum ferire deberet, ut ait Gregorius: Abjicere, ut Hieronymus: Minari iis, e conspectu suo amovere, exhæreditare etiam, atque verberibus afficere, ut Chrysostomus: Post unam & alteram monitionem, eos ex sacris locis exturbare, id est, excommunicare, ut Theodoretus & Procopius volunt. Hæc sunt peccata Patris, & filiorum ejus. Quæ pœnæ?

Has Deus interminatus est. (e) *Suscitabo adversus Heli omnia, quæ locutus sum super domum ejus: eo quod noverat indigne agere filios, & non corripuerit eos: Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus, victimis & muneribus usque in sempiternum.* Hoc minarum tonitru, secuta sunt illa fulmina pœnarum, *ut quicunque audierit, tinniant ambæ aures ejus.* Octo filiorum scelera, flagra totidem.

Primo, inito cum hoste prælio, destitutus Divino præsidio terga vertit Israël, & cæsa sunt quasi quatuor millia virorum. II. Cum

---

(*) *A tergo Tituli & e regione Archi-Episcopalis parænesis hæc leguntur:*

" CHRISTUS JESUS, ÆTERNI DEI FILIUS,

" PRÆLATIS, CLEROQUE UNIVERSO:

" Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra,
" nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Sic
" luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent
" Patrem vestrum, qui in cœlis est. *Matt.* 5.

" S. GREGORIUS, PONTIFEX MAXIMUS,

" PRÆLATIS ET PASTORIBUS:

" Scire Prælati debent, quia si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt,
" quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Unde necesse est, ut
" tanto se cautius a culpa custodiant, quanto per prava, quæ faciunt, non soli
" moriuntur, sed aliorum animarum, quas pravis exemplis destruxerunt, rei sunt.
" *Part.* 3. *Past. c.* 5.

(**) Vide sub finem Synodi.

(a) *Thren. c.* 2. *v.* 7. (b) *Thren. c.* 4. *v.* 11. (c) 1. *Reg.* 2. *v.* 12. *seqq.*
(d) *L.* 1. *contra Pelag.* & *L.* 1. *adversus Jovin. L.* 3. *Monast. q.* 10.
(e) 1. *Reg.* 3. *v.* 12. 13. *seqq.*

Cum Arca in aciem allata, prælium instauraret, cæsus est, nec ante faciem hostis stare potuit. III. Facta est plaga magna nimis, & ceciderunt de Israël triginta millia peditum. IV. Arca fœderis capta est, & translata gloria ab Israël. V. Ipsi Filii Heli ferro hausti occubuerunt. VI. Omnis pene domus in ætate juvenili periit ferro virorum, & *præcisum est brachium ejus, & brachium Patris ejus, ut non fuerit senex in domo ejus.* Cum postea ex jussu Saulis octoginta quinque Sacerdotes Doëg Idumæus trucidavit, (*f*) eorumque civitatem, viros & mulieres, & parvulos, & lactentes, bovemque & asinum, & ovem percussit in ore gladii. VII. Superstes vero pars ita abjecta & depauperata est, ut rogaverit Pontificem, *ut acciperet nummum & tortam panis & admitteretur ad unam partem Sacerdotalem, ut comederet buccellam panis.* VIII. Translatum est Sacerdotium a domo Heli in æternum. Ipse vero Heli, (*g*) primo gravissimam a Deo objurgationem tulit: deinde defecerunt oculi ejus, & tabuit anima ejus; deinde Sacerdotio exutus: morte demum filiorum, & cæde populi perculsus, lapsu cervicibus fractis exhalavit animam; & forte cum filiis ex temporariis his pœnis in æternas, ut timent Beda; & Gregorius Magnus: (*h*) Timor, ait, nobis incutitur, quia Heli filiorum culpa damnatur, cujus peccata nulla referuntur; nam bonis subditis bene vivere, ad salutem sufficit, Prælatis vero propria vita non sufficit.

Hæc Nos & præsentem Ecclesiæ statum dum consideramus apud animum nostrum, & tempora temporibus, Sacerdotes Sacerdotibus, peccata peccatis, pœnis pœnas conferimus, angimur vehementer & contremiscimus. Veremur enim, & non immerito, ne calamitatem & vindictam, quæ bona, homines, Provincias, Templa, aras, Sacerdotia, Christi thesauros lata clade pervadit, peccata nostra non minus, quam Sacerdotum olim, cœlo devocaverint; veremur, ne sint Ophni & Phinees inter illos, qui in sortem Domini vocati sunt, quorum grande peccatum sit coram Domino, & retrahat populum a bonis operibus, & prævaricari faciat: Dum enim Pastor, ait S. Gregorius [*i*], per abrupta graditur, consequens est, ut grex ad præcipitium sequatur. Veremur, ne Nos, dum hos errores severo frœno non inhibemus, in sella Pontificia cum Heli ultio Domini persequatur. Nam subditi vitia qui fert, facit sua.

Primum enim illorum peccatum est Perversitas. Erant enim filii Belial, id est, perversissimi, sine jugo. Tales sunt Clerici, qui Christi suavis jugi impatientes, nulla lege coerceri, nulla admonitione vel reprehensione cum delinquunt, volunt: qui freti Ecclesiastica immunitate ac dignitate, plus, quam sæcularibus, impune sibi licere putant perverso ordine, in habitu, incessu, totis moribus: nempe, ut ait S. Bernardus (*k*); In congregatione temporalium Laici, habitu Milites, quæstu Clerici, sed non laborant ut Laici, neque pugnant ut Milites, neque evangelizant ut Clerici. Ideo curritur in Clero passim, ab omni ætate & ordine, a doctis pariter & indoctis, ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis victurus sit, cum ad curas pervenerit.

Secundum, Ignorantia: Nesciebant enim Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum. Certe, nesciunt, qui rudes sunt jurium & rerum ad suum officium, sive curatum, sive liberum, spectantium; nesciunt illi, qui lepram a lepra, peccatum a peccato discernere, conscientiæ morbis mederi, gregem suum Divini verbi pabulo pascere, errantem corrigere, ignarum instruere, peccantem redarguere, ægrum consolari, lapsum erigere ex doctrinæ inopia non possunt, cæci cæcis ducatum præstantes. Quod luere debent, tum ipsi apud Oseam [*l*]; *Quia*, ait, *Tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*; tum populus apud Isaiam (*m*): *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam*; non solum ductus in captivitatem peccati, sed etiam Babylonis. Qui nesciunt Sacramenta rite administrare, Sacris reverenter operari, Horas Canonicas pie persolvere, aut si sciunt, negligunt, & Horas vel omittunt, vel cursim, fractim, mutilatim, intercisim, sive in Choro, sive extra Chorum deblaterant potius, quam canunt aut orant, velut mercenarii mercedi & fini inhiantes, labori non item. Idcirco audietur populi querela gravis, accusatio dura, quorum vixere stipendiis, nec diluere peccata, quibus facti sunt duces cæci, fraudulenti mediatores; unde linguam dolosam vocat David [*n*]: *Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa*, quæ fraudat laude Deum, populum apud Deum intercessione.

Tertium est Gula, cui lautiorem victimarum partem immolabant, non Deo. Imitantur hos, si qui forte bonis Ecclesiasticis, & Christi patrimonio abutantur ad luxuriam; quod Deo & Templis, & Divino cultui debetur, in suum usum & gulam avertant, & decoquant; si in tabernis & cauponis, in intempestivis comessationibus, in immoderatis

(*f*) 1. *Reg.* 12. (*g*) *Lib.* 1. *Reg. c.* 2. *v.* 27. *& seq.* (*h*) *Gregor. Mag. L.* 2. *c.* 3.
(*i*) *Gregor. in Pastor.* (*k*) *S. Bern. L.* 1. *de Consid. ad Eugen.* (*l*) *Cap.* 4. *v.* 6.
(*m*) *Isa. c.* 5. (*n*) *Psal.* 51.

ratis bibonum symbolis & conventiculis vino madeant in multam noctem, neglectis Horis: deinde hesternam crapulam exhalantes trementibus manibus, tremenda Angelis mysteria Altaris scelerate, non sine pernicioso scandalo contrectare, ac sumere audeant: ut, sicut Isaias [o] queritur; *præ vino nesciant, & præ ebrietate errent; Sacerdos & Propheta nesciant præ ebrietate, absorpti sint a vino, errent in ebrietate, nesciant videntem, ignorant judicium:* Hæc voluptas crudelitate plena est, qua videlicet ita servitur corpori, ut anima juguletur.

Quartum, Luxuria: Dormiebant enim cum mulieribus. Doleo, si similes sint in Clero nostro, atque utinam non sint, qui cum castitati se astrinxerint, libidini potius serviant, dum aut domi specie famulationis focaria scorta alunt, aut foris vaga venere sanctum Ordinem contaminant: & scurrili gestu & turpiloquio, quam animus coquit, impuritatem exhalant; nec timent postea, dum puritatis Auctori impuro corde, & corpore ministrant, stare Angelum Domini, qui secet medios, & disperdat, sed omnino ausi sunt Agni immaculati sacras contingere Carnes, & intingere in Sanguinem Salvatoris manus nefarias, quibus paulo ante carnes, pro dolor, meretricias attrectarunt; sic altaria circuire, sic frequentare Psalmos, cum & ejusmodi laus execrabilis, & oratio fit in peccatum, *ait S. Bern.* (*p*)

Quintum est Avaritia injuriosa & impia. Ejusmodi 1. sunt, de quibus Apostolus [*q*] queritur, *qui sua quærunt, non quæ JESU CHRISTI*; qui magis satagunt circa domus frequens ministerium, quam Ecclesiæ: plura dolia quam folia numerant: Evangelizant, ut manducent, & perverso nimis ordine cœlestibus terrena mereantur, digniores, ut pro carnali victu carnalia negotia exercerent, nec fierent rerum inversores; Cum interim miseranda sit & inculta Ecclesiæ facies; Altaria squalida, paramenta sordida, ornatus nullus. Similes item essent, qui dolo malo, aliena ad se derivant, qui Ecclesiæ stipendiis non contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impie, sacrilegeque sibi retinent, aut in superbiæ suæ usum, aut hæredum abusum, duplici iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & Sacris ad suas vanitates abutantur. Quicquid enim præter victum necessarium ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est, inquit *S. Bern.* [*r*] Etsi enim minus ex rigore juris, tamen lege charitatis, supervacanea debes pauperibus: parum autem refert, ait quidam Doctor, utrum quis defectu justitiæ, sive defectu charitatis in gehennam descendat. Demum illi ejusdem farinæ sunt, qui Beneficiis, Sacerdotiis, Præbendis nundinantur, emunt, venduntque, palliato Simoniæ mercimonio; item qui muneribus exoculari se sinunt, ne videant justitiam, & alienos excessus quæstui habentes, quos castigare deberent, tegunt, protegunt; qui odorem turpis lucri sectantes, taxam augent jurium suorum, sive visitationis, sive investituræ, sive stolæ in nuptiis, exequiis, atque adeo Sacramentis dispensandis, quando illa sine mercede pauperibus administrare nolunt, non sine certa multarum animarum jactura, quæstum facientes pietatem, quorum damnatio justa est, ait *S. Bern.* Nolite ex domo Patris mei facere domum negotiationis.

Sextum, Infamatio Sacerdotii. Hos æmulantur, qui immemores dignitatis suæ sacrum Clericorum Ordinem inordinatæ vitæ labe notant, ut qui venerationi summæ deberent esse, passim contemptui ab omnibus habeantur in pœnam, ut queritur Deus apud Prophetam: [*s*] *Vos recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege; & irritum fecistis pactum Levi. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis.* Quod etiam Deus Heli prædixit: (t) *Quicunque honorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

Septimum, Scandalum, quo retrahebant populum a Domino. In hoc etiam genere quosdam illis pares esse ex dictis, si ita se habeant, necessario conficitur: sicut ignis caleat, nix frigeat, sic iniquitas pariat scandalum necesse est, ait *Hieron.* (*u*): Sic quos una manu ad Dominum adducunt, velut altera repellunt: Si enim videant Clericum, habitu sæcularem, vino madidum, verbis scurrilem, lingua blasphemum, moribus petulantem, officii negligentem, lusus amantem, rixis implicatum, vita infamem, pessimo exemplo scandalizentur oportet. Nullum puto, ait *S. Gregor.* [*x*], ab aliis majus præjudicium, quam a Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit, quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. Ideo tot mortibus dignos esse judicat, quod ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Cui subscribit Dominus: [*y*] *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei, ut mola*

(*o*) *Isa. c.* 28. *v.* 7. (*p*) *In Colloq. sim. & Chri.* (*q*) *Phil.* 2.
(*r*) *Epist. ad Eugen.* (*s*) *Malach. c.* 2. *v.* 9. (*t*) 1. *Reg.* 2. *v.* 30.
(*u*) *In Matt.* 18. (*x*) *Hom.* 17. *in Luc. c.* 10. (*y*) *Matth.* 18. *v.* 6.

mola asinaria suspendatur in collo ejus & demergatur in profundum maris.

Octavum est Contumacia: Vocem enim Patris non audiebant. Haud paulo sunt illis pejores, qui nulla censura in officio continentur; cum semel errant, dura cervice, & attrita fronte pergunt, nec leni castigatione, nec severiore, ad meliorem frugem revocari possunt: nec medicam manum, cum vulneri adhibetur, admittunt ad salutem, lætantes in rebus pessimis, quæ est consummata infelicitas, cum vitia non solum delectant, sed etiam placent, & deficit esse remedio locus, ubi, quæ fuerunt vitia, mores fiunt. Audiant illi Apostolum: (z) *Secundum duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei.* Est enim reprobationis manifesta nota; uti in filiis Heli, qui non audierunt vocem Patris, quia voluit Dominus occidere eos, cum non mererentur specialis gratiæ, qua resipiscerent, beneficium.

Hæc Nos & alia, dum cum gemitu expendimus, venimus non immerito in suspicionem, Filios Heli in Clero nostro esse, qui hanc circa nos effusam cladem, ad nos accersant peccatis suis, & non minus, quam Ophni & Phinees, faciant, ut DEUS in nos & Templum sanctum suum vindictam effundat. Quare justo timore commovemur juxta, & commonemur, quo Divinæ iræ causa subtrahatur, peccata Cleri nostri severiore virga compescere, si quo modo iratum nobis Numen propitiare, & impendenti vindictæ salutari remedio contravenire possimus: Ne dum illum corripimus, sicut Heli, cum lenitate ac mansuetudine Patris, non severitate & auctoritate Pontificis, culpæ illius nobis incumbant luendæ: qui enim non vetat peccare, cum possit, jubet.

In hanc ergo rem, Deo & ratione in consilium advocatis, decrevimus insistendo piis Prædecessorum nostrorum vestigiis (quorum Decreta tanquam hisce inserta, rata, confirmata, & innovata esse volumus,) cum singulas Ecclesias adire, nimii operis, & temporis esset, compendio uti: ut Ecclesiastica disciplina pauculis Sanctionibus comprehensa in Capitulis proponatur, & earum seria & irretractabilis executio commendetur.

CONSTITUTIONES.

I.

Statuimus ergo primo & Archi-Episcopali auctoritate sancimus, impunem & scandalosam, si quæ sit, vivendi licentiam tolli ex Clero nostro, mandantes in virtute S. obedientiæ, Officialibus, Archi-Diaconis, Visitatoribus, Decanis, Fiscalibus, cæterisque Vicariis nostris, ut si quem filium Belial, perversum & sine jugo effrænem habitu, moribus, vita deprehendant, severa castigatione, quam si emendatio non sequatur, pœnis juxta sacros Canones coerceant.

II.

Ut ignorantiæ simul & inutili multitudini occurratur, nemo deinceps ad sacros Ordines promoveatur, nisi quem diligens examen, moribus integrum, scientia idoneum, & honeste se alendi ratione instructum legitime probarit. Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari non possunt, juxta sacros Canones, dispensatione super hoc titulo Patrimonii Nobis, vel iis, quos Nos ipsi designabimus, reservata, quæ non dabitur, nisi publico testimonio constet, hos non suam, sed Ecclesiæ & utilitatem & necessitatem spectare: deinde etiam patrimonium illud vel pensionem posse ab illis obtineri, taliaque esse, quæ iis ad vitam sustentandam satis sint, atque ea deinceps absque licentia Episcopi alienari non possint, nisi aliunde habeant, unde possint vivere. Qua in re, uti est gravissima, eorum, qui non legitime dispensant, conscientiam gravamus.

III.

Similiter nemo posthac, sive a Nobis, sive ab Archi-Diacono, sive a Monasterio, aut Collegiata Ecclesia, vel quocunque præsentatus seu investitus, ad Ecclesiæ gubernationem, Sacramentorum administrationem, concionandi munus, aut Conventum Capitularem admittatur, nisi præter instrumentum præsentationis, & collationis, etiam Apostolicæ, exhibeat literas nostras, aut Examinatorum, quæ fidei,

(z) *Rom.* 2. *v.* 5.

fidei, examinationis, approbationis & doctrinæ sufficientis testimonium exhibeant.

I V.

Vicariis quoque, sive Sacellanis Pastorum, non prius concionari, aut alia Pastoralia munera exercere permissum sit, quam a Nobis, aut deputatis Examinatoribus, approbationis & sufficientiæ habeant testimonium, quod & pro tempore Decanis, ac deinde in prima Capitulari Congregatione exhibere teneantur.

V.

Examen autem hoc accuratum erit; nec dabunt Examinatores hujusmodi testimonium, nec admittent ullum quocunque respectu, nisi quem, stricta inquisitione habita, sufficiens doctrina, & in conscientiæ casibus, modo concionandi, Sacramentorum administratione dexteritas commendet: Nec sine his conditionibus ulli deprecationi aut favori sit locus: ne ipsorum & multarum animarum salus in discrimen adducatur, cujus ipsi rei erunt. Ideo Apostolus Deum, & Christum JESUM, & electos Angelos testans, præcipit Timotheo Episcopo, (a) ne sacrorum Ordinum Candidatis cito manus imponat, ne scilicet alienis peccatis communicet. Quare optandum esset, ut *per Concursum* plurium hujuscemodi curata Beneficia conferrentur juxta Concil. Trid. *Seß.* 24. *C.* 18. *de Reform.*

V I.

Curent insuper Curati necessariam librorum supellectilem, nimirum Biblia Latino & Germanico idiomate, Agendam Trevirensem, Concionatores aliquos idoneos, & qui casus conscientiæ pertractant; Catechismum item Romanum & Trevirensem &c. quorum indicem Decano in visitatione annua exhibeant; his legendis tempus pretiosum utiliter impendant. Ama sacrarum Literarum studia, & vitia carnis non amabis, ait *S. Hieronymus.* (b) Librum autem hæreticum, nec apud se, nec apud alium patiantur.

V I I.

Caveant omnes sub districto Dei judicio, ne Sacramenta ulla, Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ &c. cum remorsu gravioris peccati tractent, aut dispensent, nisi prius Confessione Sacramentali illud expiaverint, ne rursum, sibimetipsis crucifigant Filium Dei, (c) & ostentui habeant, quem propitiare deberent. Et si cui, qui peccati mortalis sibi sit conscius, aut Sacrum facere, aut alia Sacramenta dispensare ex officio incumbat, copiaque Confessoris longius absit, quantumvis sibi contritus videatur, postea quamprimum potest, Sacerdoti confiteatur; *Qui enim manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* (d)

V I I I.

Omnes igitur Pastores Decano, aut alteri, cum licentia tamen Decani, alios vero Clericos suo Confessori, saltem in mense confiteri volumus. Quam in rem Decanus cum in Visitatione, tum in Capitulo inquirat, an fiat: si qui gravius labantur, periculum in mora est. Convenit enim, ut omnium Sanctissimum immaculati Agni Sacrificium, cæteraque Divini cultus Officia, quanta maxima fieri potest, cum interiori munditia atque exteriori pietatis sensu & candore peragant; ut Isaias (e) monet: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.*

I X.

Decano autem rite electo & approbato concedimus facultatem absolvendi a casibus Nobis reservatis, (de quibus in Agenda) ex occulto tamen delicto venientibus, idque gratis in conscientiæ foro tantum. Casus autem quoscunque circa Clericos, nec non in Laicis, de quibus publicum scandalum extat, ad Nos, vel Officiales nostros referri volumus, sicut & hæresis crimen, quod quis publice hæresim docendo, aut cum Hæreticis in Sacramentis communicando incurrit.

X.

(a) 1. Tim. 5. v. 21. & 22. (b) Epist. ad Rust. (c) Hebr. 6. v. 6.
(d) 1. Cor. 11. v. 29. (e) Isa. c. 52. v. 11.

X.

Ut Divinis etiam laudibus consulatur, volumus & monemus serio, ut deinceps debitum Deo & hominibus Horarum Canonicarum ac Missarum pensum, cum privatim, tum maxime publice statis temporibus decenter persolvant, ac in Choro decantent articulatim ad numerum, distincte ad intelligentiam, composite ad pietatem, ea pietate, ut Deo placeat, ea vocis moderatione, ut populo sit psalmodia ædificationi, Ecclesiæ vero honori. Hoc, ut fiat, sciant Decani muneris sui esse, ut curent, & in hujus nostræ admonitionis prævaricatores animadvertant, ne pro benedictione maledictionem incurramus: *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* (*f*)

X I.

Ut vitetur scandalum ab ebrietate, nemo Clericorum publicas ganeas, præsertim diebus Festis frequentare audeat, aut in multam noctem, præsertim sequenti die celebraturus, comessationem protrahere, aut in omnibus bibonum symbolis comparere; sed ita dispensent proventus suos, tanquam Patrimonium Christi, de quo reddituri sunt rationem. In honestis vero conviviis ita se habeant, ut præsentia sua moderentur excessus, exemplo doceant temperantiam. Si quis cum scandalo ebrius deprehendatur, juxta Canones pœnas dabit. Ebrietas enim in Laico crimen est, in Sacerdote sacrilegium, quorum alter animam suam necat vino, alter Spiritum sanctitatis extinguit, ait *Petrus Ravenn.*

X I I.

Admonemus omnes, quod serio mandamus Fiscali nostro ex Decreto Officialis executionem eorum, quæ in Concilio Tridentino contra concubinarios, & alios delinquentes & contumaces sunt decreta, nisi ipsi statim expulsa ultra tria miliaria persona turpi aut suspecta, re ipsa testentur se resipuisse, & veræ emendationis propositum suscepisse. Si autem rursum convenerint, personam suspectam per justitiæ Ministrum publice virgis multetur, ut & in aliis locis usurpatum audimus: Ipse vero incarceratus Nobis, vel Officialibus nostris ex rigore Canonum plectendus reservabitur. Si Decanus ipse culpabilis repertus fuerit, ab officio Decanatus, uti eo indignus, venit amovendus.

X I I I.

Ut fornicatio, ita avaritia ne nominetur quidem in vobis, juxta *Apostolum.* (*g*) Caveant ergo omnes, ne quæstum faciant pietatem, ab omni Simoniaco commercio, in Beneficiis, Præbendis & officiis: deinde caveant illi, quos in partem curæ Pastoralis vocavimus, a muneribus, & quocunque respectu, quibus excæcati non videant noxas, aut placati in noxios non animadvertant; vel quod severiori castigandum esset censura, pecuniaria mulcta plectant, in proprium potius peculium, quam nocentis vindictam: Demum ne in quocunque genere officii taxam jurium suorum & sumptus augeant, sed pro æquo & bono ita temperent, ut qui potestatem habent, benefici potius vocentur, quam quæstui habentes Ecclesiam; ne in lepram Giezi, (*h*) Judæ laqueum, (*i*) & Simonis Magi (*k*) perditionem se se induant, & audiant illud: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.*

X I V.

Similiter Parochos, ne ab hominibus mercede accepta, a Deo nihil expectent remunerationis, non decet, ut exigendis præsertim a pauperioribus stolæ juribus, mordicus sui juris retinentes, ita justitiam quærant, ut misericordiam obliviscantur. Ordinamus ergo, ut ab unoquoque Capitulo certa taxa a Nobis approbanda definiantur jura stolæ, particulatim in Nuptiis, Exequiis, Vigiliis, Sepultura, Sacramentorum dispensatione, &c. quam excedere non liceat, moderari autem pro conditione personarum prudentiæ Parochi sit, & misericordiæ, juxta regulam S. Petri: (*l*) *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes, non coacte, sed spon-*

(*f*) Jerem. 48. v. 10. (*g*) Ephes. 5. v. 3. (*h*) 4. Reg. 5. (*i*) Matth. 27. (*k*) Actor. 8. c. (*l*) 1. Pet. 5. v. 2.

ſpontanee ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie.

X V.

Vivant omnes juxta Apoſtoli (*m*) normam: *Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum, ſed in omnibus exhibeamus nosmetipſos, ſicut Dei Miniſtros*; ſcientes, quod mandamus Officialibus, Archi-Diaconis, Decanis, & Fiſcalibus, ut tanquam e ſpecula ad publica ſcandala circumſpiciant, ut ſi quos forte notaverint, qui habitu, juramentis, blaſphemiis, luſu, choreis, conviciis &c. in Eccleſiaſticam diſciplinam peccent, illos arguant, increpent, & juxta delicti modum, Eccleſiaſtica cenſura compeſcant, nec impune abire ſinant; cum impunitas peccandi maxima ſit illecebra. Quod ſi forte refractarii ſalutaribus monitis non acquieſcant, ad Nos referri volumus, pro arbitrio noſtro, & ſacrorum Canonum tenore, puniendos.

X V I.

Parochi omnium Sacramentorum ſint fideles diſpenſatores, Baptiſmatis primum: ne qui infantes, etiam illi, quorum parens ignoratur, eo deſtituti ſalutis diſpendium faciant; proinde horum Baptiſma non diu differant: Deinde de forma baptizandi obſtetrices examinent, ac doceant; demum non admittant multitudinem Patrinorum, ſed ex illis unum & unam deſignent, reliqui ſint tantum teſtes; baptizatique in librum, quem habere debent, referantur; claves autem Baptiſterii, multo magis Sacrarii, penes ſe ſolos habeant.

X V I I.

Sic Baptizatos curent, primo Sacramentum Confirmationis ſuſcipere ea ætate, qua illius reminiſci poſſint; poſt etiam Pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſolemnioribus Feſtis frequentare, explicato rite, & integre confitendi, & communicandi modo.

X V I I I.

Ut aboleatur falſa perſuaſio, Extremam Unctionem certæ mortis prænuncium eſſe, rudioribus ejus dignitatem, fructumque exponant. De Matrimonio vero advertant, ne illud, niſi doctrina Chriſtiana probe inſtituti, & in præcipuis ejus capitibus examinati, prævia Confeſſione, & Communione contrahant, quorum nomina in librum referantur.

X I X.

Qui in partem Epiſcopalis officii (quod eſt, verbum Dei prædicare) vocati ſunt, meminerint Apoſtolici moniti: (*n*) *Solicite cura te ipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, recte tractantem verbum veritatis*: Bene itaque inſtructi ſuggeſtum conſcendant, nec quæ raptim ex Homiliario aliquo ſublegerint, nec freti lingua ſua, ea, quæ in labiis naſcuntur, ſed quæ hebdomadaria lectione, & meditatione coxerunt, ea populo proponant, dilucide ad captum, appoſite ad mores, acriter ad motum, ſoliciti interim, ut quæ verbis dicunt, exemplo probent, ſed ſuo, ut monet. *S. Bern.* [*o*]: Boni ſolicitique Paſtores impinguare pecus bonis, electisque exemplis, & ſuis magis, quam alienis debent: Nam ſi alienis & non ſuis, ignominia eſt illis, & pecus ita non proficit.

X X.

Licet vero omnia vitia exagitare debeant, tamen maxime in propria ſuo cuique loco, in deteſtabile blaſphemiæ ſcelus, jurandi conſuetudinem, ſuperſtitiones &c. ferventi dicendi zelo exardeſcant. Sæpe Deus flagellat populum ideo, quod Prædicatores popularis auræ, quam ſalutis avidiores peccata populi concionatoria virga non cenſeant, ut pœnitentiam agant, uti Jeremias (*p*) queritur de vaſtitate Jeruſalem: *Prophetæ tui viderunt tibi falſa & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* In ſuperſtitiones autem diligenter inquirant, & ad Officiales noſtros examinandas deferant, & pœna abolendas.

X X I.

Cum in eo vertatur totius vitæ ſalus, ut tenerior ætas imbuatur doctrina

(*m*) 2. Cor. 6. v. 3. (*n*) 2. Tim. 4. (*o*) S. Bern. ſuper Cant. Serm. 26.
(*p*) Thren. 2.

na Christiana, quæ fidei capita & bonos mores complectitur; Volumus omnino, præcipimusque singulis nostræ Diœcesis Parochis, & Parochorum vices gerentibus, ut in posterum hoc tam necessarium juxta ac salutare tradendæ doctrinæ Christianæ opus maximo ardore suscipiant, indefessa diligentia constantissime urgeant; serventque a Nobis hanc infra præscriptam in hoc munere rite peragendo rationem & ordinem.

XXII.

In Supplicationibus, Litaniis & Processionibus, quæ ex solemni Ecclesiæ ritu instituuntur, videant Parochi, ne quid indecenter fiat, deinde ut intersint & præeant gregi suo sua persona, habitu Clericali, toga, superpellicio & stola decenter induti; demum caveant, ne supplicationem comessationibus contaminent, & finiant: si quis in hoc deliquisse notatus fuerit, castigetur.

XXIII.

Decani non omittant quotannis, tum, ut moris est, Parochos suæ Christianitatis ad congregationem evocare, tum etiam visitare, a quo officio, ut minus impediantur, & sumptu subditi leventur, Archi-Diaconi suam visitationem, quam anno quoque Bissextili obire debent, intra anni spatium, si minus per se possint, per vicariam aliorum idoneorum operam omnino finient: Visitationes autem, quas Synodales instituere solent, & convivium, quod apparare Synodales electi debebant, omnino prohibemus.

XXIV.

In hoc Conventu, post decantatum a Decano, duobus Pastoribus, Diaconi & Subdiaconi vice fungentibus, Sacrum de Spiritu S. in loco Capitulari Oratio ab aliquo Capitulari habeatur: deinde hæ nostræ Ordinationes prælegantur, quarum exemplar deinde in sequentibus Synodis exhibebunt; quomodo autem servent, & servaverint, Decanus inquirat.

XXV.

Ab his Capitularibus Congregationibus nulli, a Monasteriis etiam & Collegiatis Ecclesiis ad Parochias incorporatas præsentati, seu quocunque modo provisi, uti nec ab obedientia Decani ullatenus se subtrahere præsumant; non suffragantibus eis privilegiis, exemptionibus, sive consuetudinibus quibuscunque. Iidem quoque juxta Decretum Concilii Trid. deberent esse perpetui, & sine scitu, consensuque nostro minime amoveri seu revocari.

XXVI.

Quo magis autem vitia innotescant, eisque maturius contraveniatur, quilibet ex Pastoribus tempore Capituli, non ex invidia, sed ex zelo Legis Divinæ privatim, & secreto indicare teneatur Officialibus Archi-Diacono, vel Decano scandala & vitia, quibus Pastores sub eodem Capitulo sciverit obnoxios, & has nostras Constitutiones violasse.

XXVII.

Teneantur Pastores singuli semel singulis mensibus scribere Decano, de iis, quæ eo mense in sua Ecclesia acciderint. Et si nihil scriptione sit dignum, hoc ipsum significent, nihil accidisse, de quo Decanum oportuerit fieri certiorem. Quod si memorabilis aliquis casus contigerit, non exspectetur menstruum spatium, sed primo quoque tempore ad Decanum referatur.

XXVIII.

Ipse vero Decanus quater in anno, nempe singulis Angariis, diligenter de omnibus, quæ in toto suo Decanatu, per tres illos menses acciderunt, literis comprehendat, quas Sigillifero nostro dabit in manus nostras, vel Officialium nostrorum tradendas. Ita enim fore existimamus, ut major sit conjunctio membrorum cum Capite, & vitiis, quæ occultatione latius manare solent, via obstruatur.

XXIX.

Perscribat quoque Decanus, si qui Pastores sui Decanatus non resideant personaliter, & quam ob causam: cum Pastor a suo grege sine gravi offensione Dei abesse non possit. Si qui tamen justis & rationabilibus de causis,

 obten-

obtenta dispensatione (quæ Nobis constare debet) residere nequeant, curent, ut tales sufficiant Vicecuratos, qui prævio examine sufficientis sint eruditionis, & vitæ honestate commendati: qui Decano obedientiam præstare, & Capitularibus Congregationibus interesse teneantur.

XXX.

Hæc ita Archi-Episcopali authoritate sancimus, atque accurate a vobis, qui in sortem Domini vocati estis, observari volumus, & mandamus sub pœnis in Jure & Conciliis expressis, stricte præcipiendo per JESU Christi Sanguinem, animarum & Patriæ salutem, vobis Officialibus, Archi-Diaconis, Decanis, Fiscalibus, &c. Nostris, ut eorum absolutam executionem, observationem, & vigorem, qua verbis, qua pœnis urgeatis; urget vos ira Dei, periculum gregis, periculum animarum vestrarum. Vos enim estis Presbyteri populi Dei, & ex vobis pendet anima illorum; (q) *In quo posuit vos Spiritus S. regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo, vos spopondistis pro grege, illaqueati estis verbis oris vestri, & capti propriis sermonibus, vosmetipsos liberate, quia incidistis in manum proximi vestri*, qui, si perierit, ejus sanguis e manu vestra requiretur, ut Deus apud Ezechielem (r) minatur. *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel.* Si, *dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris te, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, & vivat; ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua, & a via sua impia; ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.* Ego libero animam meam, & annuntio vobis. (s) *Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium: non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Cui honor & gloria in sæcula sæculorum.

RATIO ET ORDO *tradendæ Doctrinæ Christianæ.*

I.

Singulis Dominicis & Festis diebus Pastores, & Pastorum vices gerentes, vel per se, vel per alios ad hoc munus rite præstandum idoneos Catechisticam lectionem docebunt accuratissime, accommodando se in fractione hujus cœlestis panis, juxta uniuscujusque captum & necessitatem; idque non tantum in Templis Parochialibus, sed etiam in illis Capellis, aut ædiculis sacris, in quibus præfato tempore Missa & concio habebitur. Præcipimus serio, ne hoc necessarium, & salutare exercitium, tam serio a Concilio Trident. (t) inculcatum, absque gravissimo, legitimoque impedimento (de quo præmoneri debebit Parochus) intermittant unquam.

I I.

Ut autem illi, quibus incumbit docere Catechismum, in officio contineantur, volumus eos pro singulis lectionibus, leviter & sine causa omissis dimidio Dalero mulctandos esse; Eos vero, qui lectiones has audire neglexerint, tribus, ut vulgo dicunt, albis, vel stuferis: Et eo fine in horum & illorum negligentiam existimavimus animadverti debere, ut etiam nolentes, secundum Evangelium, Regnum DEI ingredi compellamus. Quæ mulctæ vel in pios Templi usus cedent, vel ad emendas imagines, Rosaria, & ejusmodi sacra munuscula, quibus ad discendum excitetur juventus. Habebit autem Parochus, vel Sacellanus nomina singulorum in tabella signata, ut facilius absentes deprehendi possint.

I I I.

Tempus Catechesi faciendæ opportunum erit pomeridianum, idque statim a prandio, cum omnes domi sunt; Omnes itaque interesse volumus cum ea instructione plerumque tam gran

(q) Prov. c. 6. v. 1. 2. & 3.
(r) Ezech. 3. v. 17. 18. & 19.
(s) Act. c. 20. v. 26. & 27.
(t) Sess. 24. c. 4. de Reform.

grandiores egeant, quam minores; nisi legitima causa adsit, cujusmodi esset nimia distantia pagorum a Templis ad hanc rem destinatis. Qui autem pagi hanc ob causam excusari debeant, a Decanis ruralibus in charta notati designabuntur.

I V.

Si vero talis esset locorum constitutio, ut major pars Parochianorum post meridiem hyemali tempore, ad Templum redire non posset, vel ob distantiam, vel viæ difficultatem, mandamus, ut ante meridiem, inter vel post Missæ Officium omnibus præsentibus Divina illa Catechesis habeatur, fiatque concio eo brevior, ut plus temporis sit ad rudes animos commodius & fructuosius erudiendos, utiliora & magis necessaria proponendo, interrogando, repetendo, inculcando. Quod ad concionem attinet, volumus initio ejus præmitti Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, in fine vero decem Præcepta Decalogi, quinque Ecclesiæ, & septem Sacramenta subjungi.

V.

Et quo posthac Juventus majori cura & studio Catechesi addiscendæ incumbat, volumus & ordinamus, ut auctoritate nostra denuntietur iis duntaxat fore ad Matrimonium accessum, qui præcipua fidei mysteria callebunt: In illis itaque examinandos esse Sponsum & Sponsam, antequam prima ad nuptiarum celebritatem proclamatio fiat a Pastoribus.

V I.

Sacramenta accurate explicent, & moneant, ut juxta Agendam vicini ad honorandum & venerandum Sacramentum Eucharistiæ & Extremæ Unctionis, cum defertur ad infirmum, usque ad infirmi domum, & inde usque ad Templum comitentur, ad quod pietatis officium signo campanæ convocandi sunt; inter eundum autem signo nolæ admonendi obvii, ut debitam reverentiam Sacramento exhibeant.

VII.

Ad Juventutem erudiendam conducet plurimum, si singulæ Parochiæ suas Scholas habeant, in quibus parvuli erudiantur, vel a Pastoribus, vel a Ludimagistris, vel ab Æditituis, quos imposterum oportebit ad hoc munus esse idoneos, & tales, qui possint Sacerdoti celebranti ad omnia respondendo inservire. Quod si alendo Ludimagistro non esset alicubi sufficiens stipendium, ob bonum commune contribuat pro se quisque aliquid, juvet Parochus & ipsa fabrica.

VIII.

Ut prædicta omnia perpetuo & constanter observentur, Visitatores Diœceseos inquirent, an quæ a Nobis præscribuntur, in hoc genere accurate observentur, & semper observata fuerint. Et præsertim, an aliquando absque legitima causa in locis Catechismo docendo deputatis, omissa fuerit Christianæ doctrinæ traditio. De hac re rationem dabunt Synodales privatim serio examinati, nec peccatum, si ullum fuerit, sinent abire impune.

I X.

Denique, ne quis ignorantiæ pallio suam culpam velare possit, mandamus, ut hoc Decretum de Catechismo docendo e sacro suggestu omnibus promulgent, & verbo ad verbum coram tota multitudine prælegant singula exponendo, quo facto, mox lectionem Catechisticam auspicabuntur, & posthac mandatum nostrum super hac re initio Adventus pro concione recitabunt & exponent annis singulis.

Si quis ergo se emundaverit ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonum paratum. 2. Tim. 2.

Excudebat Augustæ Trevirorum Ægidius Immendorff, anno 1622.

Coloniæ Agrippinæ F. W. J. Meternich, A. 1764. *in Mantissa Dipl. ad Historiam Soc. JESU Prov. Rh. Infer. ab Reiffenbergio editam.*

LOTHA-

LOTHARIUS a METTERNICH, genere perquam illustri, atque in Rhenana Equestri Nobilitate multis abhinc Sæculis clarissimo natus, patrem Joannem, Dominum in Vettelhofen, matrem Catharinam a Petra habuit. Parentes optimi optimis mox filium præceptis imbuêre primum ipsi, tum Societatis JESU Patribus, Coloniæ Agrippinæ Gymnasio Tricoronato præsidentibus, porro excolendum tradidêre. Adolevit Patrum illorum in gremio lectissimus surculus, quasque de ipso humaniorum pariter, ac Philosophicarum artium Magistri spes conceperant, tuitus semper quam præclarissime fuit; immo, qualem in Republica fore aliquando, morum elegantia, majestas oris & gratia, amor Religionis, benevolentia erga omnes ac humanitas, cæteraque ornamenta, quæ in illo emicabant quotidie magis, Moderatoribus præstiterant, non multo post sese exhibuit. Variis enim peregrinationibus confectis, & Metropolitico Augustæ Trevirorum adscriptus Clero, in eoque Scholastici dignitate ornatus, gravissimis Principum negotiis & legationibus adhibebatur: quam quidem ille provinciam e votis omnium tanta administravit prudentia, ac felicitate, ut Joanni Schœnenbergio, cujus jam ante Adjutorem pari cum laude egerat, vivis erepto, die 7. Junii a. 1599. sufficeretur. Renunciatus Archi-Episcopus, ærarii, quod ingens plurium annorum sterilitas & gliscens per Archi-Diœcesim Ministrorum quorundam, suo potius compendio servientium, fames auri pene exhauserant, illico refecit vires, & labefactatæ in Clero Limburgensi disciplinæ consuluit eo facilius; quo ad Regiminis sui primordia, ad Sacerdotium, ad anni 1600. sæcularis solemnia cum fructu obeunda per sacram dierum aliquot ascesim impensius sese compararat. Protestantium sub illa tempora audaciorum ut coerceret impetum, novis arcem Ehrenbreitsteinianam operibus auxit, fœdus cum Swicardo Mog. & Ernesto Colon. Electoribus Archi-Epp. (*Ligam* dixere) *unioni* famosæ, apud Heidelbergenses cœptæ, summo Religionis bono a. 1609. opposuit, ac fidem suam prudentiamque Rudolpho II. Imp. variis in rebus probavit. Studia literarum ad pristinum revocaturus vigorem, qui Treverica in palæstra nonnihil remiserat, illorum in emolumenta, qui deinceps docendi munere fungerentur, Beneficia aliquot Ecclesiastica, probante & favente Roma, convertit, datis 3. Januarii a. 1618. patentibus literis, aliis ejusdem argumenti a. 1623. die 23. Augusti exaratis. Obiit die 7. Septembris Princeps, pietate in Deum filiali, in subditos paterna illustris, & quinque Linguarum Latinæ, Germanicæ, Gallicæ, Italicæ, Belgicæque peritissimus anno æt. 75. Reg. 24.

Vid. Brow. Contin. Jacobi Masenii Annales Trev. Lib. XXIII. & Illmi Honthemii Histor. Trevir. Diplom. Tom. III. a pag. 186.

SYNODUS GUDSTADIENSIS DIOECESANA (*)

Serenissimi & Reverendissimi Principis ac Domini D. JOANNIS ALBERTI, (**) Poloniæ ac Sueciæ Principis, Episcopi Warmiensis XXVI.

Anno Christi MDCXXIV. Urbani VIII. Papæ II. Ferdinandi II. Imp. VI.

(*) Meminit de hac Synodo Christophorus Joannes Szembekius, Episcopus Warmiensis, Cap. XVI. Constitutionum Synodalium, a. 1726. die 14. & seqq. mensis Julii promulgatarum his verbis: " *Quamobrem insistendo Statuto Sermi & Revmi Principis Poloniarum, Joannis Alberti, Prædecessoris Nostri, in ultima Synodo Guttstadii in Collegiata An.* 1624. *die* 17. *Maji condito.* &c." Ipsa porro Synodi Decreta nobiscum hucusque nemo communicavit.

(**) JOANNES ALBERTUS, tredecim annorum Princeps, Simonis Rudnicii, *de quo supra pag.* 92. pauca delibavimus, Successor quæ fata, ab ipsa statim administratione

ne Episcopatus capessita, tulerit, recenset Cl. *Thomas Treterus* in suo de Episcopatu & Episcopis Ecclesiæ Varmiensis Opere perquam hodie raro: quod posthumum anno 1685. juris publici fecit *Matthias a Lubomierz Treterus S. R. M. Secretarius*, Historiam Warmiensis Ecclesiæ ad XXXI. illius Episcopum persecutus, adnectensque Chronicon de vitis Episcoporum Warmiensium, ab *Joanne* de *Plastwig* cœptum, & *ab Joanne Cretzmero*, utroque Warmiensis Ecclesiæ Decano, ad usque *Andream Barthoreum* stilo rudiore continuatum. Hæc notanda duximus, ut, qui *cit. pag.* 92. *T. h.* irrepsit, error Lectori detegeretur. *Treterum communicabat Pl. R. Perill. & Cl. D. de Borse, Eccl. Archidiac. Colleg. B. M. V. ad Gradus intra Coloniam Canonicus Capit.*

SYNODUS DIOECESANA NAMURCENSIS

Anno Christi MDCXXV. Urbani VIII. Papæ III. Ferdinandi II. Imp. VII.

ORDINATA

Per Reverendissimum Dominum JOANNEM DAUVIN, (*) Episcopum Namurcensem VI. in Congregatione Synodali, habita die 26 Martii 1625.

De Synodalium Statutorum observatione.

JOANNES DAUVIN, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS Namurcensis. Dilectis Nobis in Christo Clero & populo totius nostræ Diœcesis Salutem in Domino.

LIcet abunde & copiose in Diœcesanis Synodis, præteritis temporibus celebratis, statuta sint, quæ pro reformatione morum & munium Ecclesiasticorum rite exequendorum faciunt: quia tamen plurima eorum lapsu temporum negliguntur, aut sane imperfecte observantur, necessarium judicavit Sacrosanctum Conc. Trident. quotannis Synodos Diœcesanas convocari debere, in quibus præteritarum Statuta renovarentur, & observanda mandarentur, nec non, quatenus opus fuerit, nova conderentur.

Serio itaque præcipimus & mandamus, quatenus omnes & singuli unusquisque secundum statum suum & ordinem, quæ in Synodis hujus Episcopatus hactenus celebratis decreta & stabilita sunt, & pauca illa, quæ istis adjici curavimus, quam diligentissime observent, & in praxim deducant, recordenturque, quod servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis.

De Fidei Professione.

INprimis mandamus Officiali nostro, ut, dum titulos ordinandorum examinat, eosdem ordinandos curet Professionem Fidei emittere juxta *Cap.* 2. *Synodi celebratæ an.* 1604.(**) & nomina eorundem, qui sic fidei professionem præstiterint, in librum ad id destinatum describi curabit, adjectis die, mense, & anno, quibus professi sunt fidem. Quare mandamus omnibus ad Subdiaconatum ordinandis, ut pridie suæ Ordinationis simul circa horam decimam ante meridiem coram dicto nostro Officiali compareant, & fidem sic profiteantur, sub pœna rejectionis pro illa vice a susceptione Ordinis. Simi-

(*) DAUVINUS, Bufferetii magni prudentisque Viri Successor, ex Archi-Diacono Namurcensi factus Episcopus, obiit anno (ut scribit *Castillionius*) 1624. *fors*: 1628. Adhucdum enim A. 1626. superstes Congregationem Synodalem habuit; quam postpaulo ex Editione *Albertiana* A. 1720. ad posteros transmittemus.

(**) Vid. Tom. præc. pag. 608. & sqq.

Similiter Vicarius noster Generalis similem Professionem fidei excipiet ab eis, qui ad conciones faciendas, ad confessiones audiendas, & qui ad Pastorale munus admittentur, eorumque nomina in librum, ut supra, referri curabit.

Si qui Bibliopolæ de novo sedem fixerint in hac Civitate, Censor librorum curabit, ut in manibus suis Fidei professionem faciant juxta Formulam *Cap.* 3. *hujus Tituli & Synodi supradictæ*: & si linguam Latinam non intelligant, juxta formam Gallicam, quæ habetur in Capitulari Congregatione Geldoniensi.

Inquiret insuper, an Bibliopolæ Civitatem pro tempore inhabitantes similem Professionem emiserint, & si reperiat non emisisse, eandem ab eis excipiet, & nomina illorum, prout supra dictum est, in libro notari faciet, & ultra dictam Fidei professionem curabit omnes juramentum præstare, secundum tenorem *Cap.* 6. *Tit. supradicti ejusdem Synodi*, prout Formula continet sub finem horum Decretorum posita.

In aliis oppidis hujus Diœcesis, ubi aliqui habitare solent Bibliopolæ, Decani rurales eo munere fungentur, cum visitationem suam peragent, & prout præcedenti Decreto dictum est, se gerant. Idem etiam præstabunt Pastores singuli recipiendo Professionem fidei a Matriculariis & Ludimagistris suæ Parochiæ.

Obtestamur & monemus omnes, qui præsunt creandis & renovandis Magistratibus, ut personas, quas deligent, curent Professionem fidei facere secundum Formulam in Edicto piæ memoriæ PHILIPPI SECUNDI Hispaniarum Regis super executione Decretorum Conc. Provincialis Cameracensis contentam.

Decani supradicti & Pastores per Nos, & hanc Congregationem moniti sunt, ut diligenter & sedulo satisfaciant ordinationi contentæ in *octavo seu ultimo Capite*, *Tit. De fidei professione, supradictæ Synodi*. Frequenterque eandem ordinationem seu eis contenta populo inculcent.

Renovanda hic duximus, prout & renovamus Decreta *Capitis sexti & septimi hujus Tituli in Synodo prædicta*, *de Libris prohibitis & Bibliis vulgari lingua legendis*, eaque sub pœnis in quarta Regula Indicis librorum prohibitorum contentis, observare mandamus.

De Scholis & Ludimagistris.

MOnemus omnes & singulos Decanos, Pastores, Capellanos ac Matricularios, seu Ludimagistros, quatenus diligenter & sedulo exequantur omnia, quæ *sub hoc Titulo in Synodo Anni* 1604. continentur, & signanter, quæ *Capite octavo in dicta Synodo* ipsis injunguntur, alioquin contra ipsos ad pœnas ibidem comminatas, procedi curabimus.

Nullum omittent Decani in suis visitationibus inquirere, an Pastores in suis Parochiis catechizent, & concionentur: quod si quos in his defectuosos repererint, per suas relationes ad Nos deferent, ut illi mediante justitia corrigantur, & dignis pœnis afficiantur.

De Officio Divino.

DEcani in proxima sua visitatione animadvertent, an omnes Pastores, & signanter Regulares, Officium peragant secundum usum Romanum, & si quos repererint in eo defectuosos, prima sua relatione ad Nos deferent, ut contra tales, juxta præscriptum *primi Capitis Tit. De Officio Divino*, *Synodi celebratæ anno* 1604. procedatur.

Serio monemus omnes tam nostræ Cathedralis, quam aliarum Collegiatarum Ecclesiarum Canonicos, sicut & omnes Pastores, ut satisfaciant Decreto *secundi Capitis hujus ejusdem Tit. & Synodi supradictæ*.

Iis, quæ *Capite* 3. continentur, addendum duximus, prout & addimus, ut in Choro rite serventur cæremoniæ præscriptæ, quoad stationes & genuflexiones faciendas.

Capitula Ecclesiarum tam Cathedralis, quam Collegiatarum, & Decani rurales juxta *Cap.* 8. *eorundem Tit. & Synodi* deputabunt Sacerdotes bene in Rubricis & Cæremoniis versatos, qui recenter ordinatos Sacerdotes doceant cæremonias & ritus observandos in celebratione Sacrosancti Sacrificii Missæ, eorumque nomina primo quoque tempore

pore ad Nos transmittent. In singulis autem Capitulis sint ad minus duo, in Decaniis vero singulis, ut minimum tres aut quatuor, nec liceat recenter ordinatis aliis Directoribus uti, sub pœna arbitraria.

Licet sancta Mater Ecclesia omnes Sanctos nobis proponat venerandos; illi tamen majori cultu sunt prosequendi, quos Dominum & Servatorem nostrum specialius honorasse scimus. Cum autem ipse, dum in terris versaretur, S. Josephum Genitricis suæ Sponsum, præcipuis honoribus condecorare, & ei ut Patri obsequium præbere non sit dedignatus, ordinationi Apostolicæ obsequendo mandamus præsenti Constitutione, omnibus Pastoribus ac verbi Divini Præconibus, quatenus placidis, efficacibus tamen monitis, fideles curæ suæ commissos, seu in concionibus assistentes, sedulo hortentur, ut in ejusdem Sanctissimi Josephi festivitate, quæ 19. Martii quotannis celebrari solet, ab omni opere servili abstineant, ac piis orationibus vacent, nec non Officiis Divinis interesse non detrectent.

De Administratione Sacramentorum.

Quandoquidem Sanctissimus Dominus, fœlicis recordationis, PAULUS QUINTUS Pontifex Maximus, Rituale, in quo recepti & approbati Catholicæ Ecclesiæ ritus, plene continentur, edi sub nomine Ritualis Romani publico Ecclesiæ Dei bono curaverit, & eo uti mandaverit, tam in Sacramentorum administratione, quam in aliis functionibus Ecclesiasticis, præcipimus omnibus Pastoribus, aliisque personis Ecclesiasticis nostræ Diœcesis, ut inposterum dicto Rituali & non alio utantur, & omnia, quæ in eodem mandantur, diligenter observent.

Cum intellexerimus Pastores aliquos in alienis Ecclesiis Sacramenta suis Parochianis nonnunquam administrare sine proprii istius Ecclesiæ Parochi licentia; mandamus iisdem, quatenus a simili actione abstineant, nec præsumant aliquod Officium in aliena Ecclesia sine Pastoris ejusdem licentia facere.

In Parochialibus & aliis Ecclesiis, dum concio habetur, nulli liceat Missæ Sacrificium facere, aut Baptismi Sacramentum (si modo periculum mortis absit) administrare.

Baptismi administratio non differatur in longum tempus, nequidem Patrinorum invitandorum gratia, nec alia de causa, propter periculum imminens noviter natis perdendæ æternæ vitæ.

Si contingat infantem ad Baptismi fontem deferri, quem Pastor certo sciat fuisse baptizatum per aliquem Sacerdotem, aut per obstetricem, vel per alium quemcunque, curabit sibi per baptizantem recitari formam, qua baptizavit, & si repererit formam fuisse integram, eum iterum (quod nefas est) non baptizabit, nequidem sub conditione: quod si facere præsumpserit, præter irregularitatem, quam dicto facto incurrit, alia gravi pœna plectetur nostro arbitrio. Si vero invenerit aliquid in forma defuisse, poterit sub conditione baptizare.

Infantes autem expositos, etiamsi e collo habeant testimonium, quod fuerint baptizati, si alia ratione non constet de Baptismo collato, baptizare poterunt Pastores sub hac forma: *Si tu es baptizatus, ego te iterum non baptizo: & si nondum es baptizatus, ego te baptizo, &c.* quod si scedulæ testimonii appensæ nomen sit adscriptum, idem nomen ipsi imponant.

Ultra ea, quæ continentur in secundo Artic.: *De morum reformatione Capitularis Congregationis Geldoniensis*, præcipimus, ne Pastores, aut eorum Capellani, qui Baptismi Sacramentum alicui infanti ministrarunt, ad convivium accedant, quod in ædibus parentum recenter baptizati ad id paratum fuerit.

Similiter interdicimus, ne puerperæ domum ingrediantur, multo minus ejus cubiculum, nequidem cum illa primo post partum ad Ecclesiam venerit, ut super ipsam fundantur preces consuetæ: neque si valetudo adversa impediat, quominus ad Ecclesiam venire possit ratione dictarum precum fun-

fundendarum, domum ejus vel cubiculum adibunt sub pœna arbitraria, doceantque illas non requiri tempus præfixum ad similes preces fundendas, sed, postquam convaluerunt, id posse fieri.

Sæpius mandavimus omnibus Ecclesiasticis Nobis subditis, ut cum decore ac reverentia magna Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum conservarent in suis Ecclesiis: quod & nunc hac Constitutione serio præcipimus, curabuntque, ut in Tabernaculo decenti, intus & extra valde mundo, clathris ferreis munito, clave & sera bene clauso, ut nulli alteri pateat, honorifice collocetur, clavemque ipse Pastor, aut alter Sacerdos, cui id munus incumbit, reservet. Lampas, aut cereus in signum devotionis appendeat accensus. Pyxis, in qua reponendæ sunt Sacræ Hostiæ, prout & calix ac patena non nisi ex auro vel argento conficiantur, vel saltem quoad pyxidem, ubi media desunt, ex panno serico, prout tanti Sacramenti Majestas requirit.

Ut vero omnis irreverentia tollatur, prohibemus in Capellis dictum Venerabile Sacramentum asservari, nisi de præmissis iisdem provideatur.

Quid autem servari debeat, cum idem Sanctissimum Sacramentum in Processionibus & ad infirmos deferri debet, satis cautum & declaratum est in *Capitibus* 14. & 16. *Tituli De Sacramentorum administratione*, *in Synodo anni* 1604. quapropter omnes hortamur in Domino, ut illa, quæ ibidem statuta sunt, quam diligentissime observent.

Quia vero frequentius in processionibus illud Augustissimum Sacramentum deferri solet, quam reverentia illi debita requirat, mandamus, ne imposterum deferatur in aliquibus processionibus, nisi in illis, quæ fiunt in festo Corporis Christi & per ejus Octavas, & in Civitate Namurcensi in festis Inventionis sanctæ Crucis & Visitationis Beatæ Virginis: ubique autem in processionibus Confraternitatis ejusdem Venerabilis Sacramenti, nec non in iis, quæ pro re gravi & necessitatibus Ecclesiæ, aut Patriæ: in aliis vero, quæ ratione aliarum Confraternitatum vel Solemnitatum fieri solent, deferatur tantum imago Patroni, cum aliquibus Reliquiis, si quæ habeantur in Ecclesiis.

Cum Altaria sint mensæ Sacrificii Deo offerendi dicatæ, & sepulchra Sanctorum Martyrum cum maxima reverentia & munditie servari debeant: idcirco in omnibus Ecclesiis bene muniantur ex omni parte, ut nullis immunditiis pateant, & nonnisi in consecratis inposterum Sacrum Missæ Sacrificium celebretur.

In pagis vero, ubi Altaria omnia sunt profanata, nec ob bella & pericula ad illos Nobis pateat aditus, ut consecrentur, usus permittitur altaris portatilis, dummodo integrum & justæ magnitudinis fuerit, ac de ejus consecratione sufficienter constet. In Civitate autem usus similis altaris portatilis prohibetur, & si quæ sint altaria non consecrata tam in dicta Civitate, quam aliis oppidis & locis, quæ sine periculo per Nos adiri possunt, statim honeste instruantur, & ad consecrationem debite aptentur.

Confessarius mulierum ægrotarum confessiones, cujuscunque illæ fuerint ætatis, non præsumat audire, ostio cubiculi, in quo decumbunt, clauso.

Caveant Pastores, ut quemquam sibi in adjutorium assumant, qui non fuerit per Nos, aut nostrum Vicarium admissus, cujus admissionis exhibere is teneatur, qui sic assumitur, literas sigillo nostro munitas, & per dictum Vicarium, aut Scribam subsignatas, describentque dicti Pastores in Matrimoniorum libro nomen, cognomen & patriam sic assumpti, notato præterea die, mense & anno, quo sibi illum adjunxerunt.

Non dentur inposterum relaxationes matrimonialium proclamationum, nisi illi, qui petent, afferant testimonium proprii Pastoris, quod nullum inter Sponsos sciatur impedimentum : & cum per dictam relaxationem saltem una solemnis denuntiatio fieri debuerit, non procedatur ad Matrimonii solemnizationem eodem die, quo dicta denuntiatio facta fuerit, nec cum tres facta

ctæ fuerunt eodem die, quo ultima proclamabitur.

Quod si contrahentes Matrimonium in diversis habitent Diœcesibus, relaxationem dictarum proclamationum utriusque Ordinarii afferant, & si in diversis morentur Parochiis, utriusque Pastoris testimoniales exhibere teneantur.

Licet relaxatio proclamationum matrimonialium sit jurisdictionis Ordinariorum, quibus per Conc. Trid. reservata reperitur: intelligimus tamen quosdam Decanos rurales sibi authoritatem usurpare dictas relaxationes concedendi, & non solum personis suorum Decanatuum, sed etiam alienis, quod minime tolerandum judicamus. Quare omnibus Decanis supradictis hac Constitutione inhibemus, inposterum similem authoritatem sibi arrogare, sub pœna privationis suorum officiorum: & si forte aliqui a Prædecessoribus nostris licentiam id faciendi obtinuerint, eandem per præsens Decretum revocamus, & revocatam esse declaramus.

De vita & honestate Clericorum.

Pœnæ decretæ in *Capitibus sub hoc Titulo Synodi Anni* 1604. sine aliqua dissimulatione executioni demandentur.

Quia intelleximus plerosque Nobiles & alios, eos Sacerdotes, quos in obsequiis suis habent, vilibus addicere officiis, contra Sacerdotalem dignitatem; eosdem obtestamur, & in Domino monemus, quatenus dictos Sacerdotes similibus imposterum officiis non implicent, sed magis honori illorum consulant, cum illi suum tempus orationi & sacris studiis impendere debeant, non autem sæcularibus negotiis. Iisdem vero Sacerdotibus præcipimus, ne similia officia in se suscipiant, sub pœna suspensionis a Divinis.

De Decanis ruralibus & Pastoribus omnibus, seu eorum officiis.

Decani rurales exacte suum exequantur officium, *Capite quinto hujus ejusdem Tituli specificatum in dicta Synodo*, alioquin sciant se ejus rei rationem Deo reddituros: & non præsumant dicti Decani aliis, quam suis propriis Pastoribus, & Monasteriis sub suis Decanatibus sitis, sacra Olea distribuere, sub pœna arbitraria, nisi illi, qui petent, licentiam exhibuerint proprii sui Decani, ut illa ab alio accipere possint: Pastores autem nulli communicabunt.

Cum animadverterimus pericula animarum & difficultates oriri, cum Pastores ex hac vita discedunt, antequam Decani eos accedere & visitare possint; mandamus dictis Decanis, ut habeant aliquos sibi fidos saltem in locis remotioribus sui Decanatus, qui ipsis tempestive significent, cum aliquis Pastor in morbum inciderit, quo intellecto, statim dictum Pastorem visitabunt, &, quæ ejus salutis sunt, eundem monebunt, aliaque præstabunt, quæ sui officii esse sciunt.

Quia quandoque rationabili de causa Pastores coguntur ordinandis testimonium suæ ætatis præbere ex dictis aliquorum testium, illorum dicta non excipiant, nisi juraverint prius de veritate in ea re dicenda, idque se fecisse in suis testimonialibus affirmabunt, adjecta causa, quare id per testes probari debuerit, prout Formula in calce horum Decretorum adjecta continet.

Pastores singulis annis certis anni temporibus & diebus infra notatis in Ecclesia, cum frequentissimus populus in sacris Missarum solemniis præsens adest, sequentia Decreta Conc. Trid. & Synodi supradictæ de scripto, sermone tamen vulgari summatim expressa, legere & promulgare non omittent.

Primo dicti Concilii Trid. Decretum contra eos, qui clandestinum Matrimonium attentaverint, quod habetur *Sessione* 24. *Cap.* 1. *de Reformatione Matrimonii*, idque die Dominica Palmarum & Dominica prima Adventus.

Secundo ejusdem Concil. Trid. Decretum de his, qui non solvunt Decimas, exstans *in Sessione* 25. *Cap.* 12. *de Reformatione*, & hoc primis Dominicis mensium Maji & Septembris.

Tertio Decretum ejusdem Conc. de

de usurpantibus Bona & Jura Ecclesiastica, *in Cap.* 11. *Sessionis* 22. in die festo Omnium Sanctorum.

Quarto *Caput septimum Tituli de Fidei professione* Concilii Provincialis Cameracensis (*) *A.* 1586. Dominica prima Quadragesimæ.

Quæ Decreta reperientur sub finem horum Decretorum vulgari lingua edita.

De Provisione Ecclesiarum Parochialium, Examinatoribus Synodalibus & Judicibus Apostolicis.

Cum hactenus in hac nostra Diœcesi fuerit usu receptum, ut Parochialibus Ecclesiis vacantibus juxta Decretum Sacrosancti Conc. Trident. *Sessione* 24. *Cap.* 18. *de Reformatione*, provideatur, & Examinatores juxta præscriptum dicti Conc. per Episcopos in Diœcesanis Synodis ad minus sex proponi debeant, qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur: probat idcirco præsens Synodus Examinatores sequentes per Nos nominatos:

Reverendos Dominos:

Ægidium Bosman, *Decanum Ecclesiæ Cathedralis.*
Nicolaum Dauvin, *Archi-Diaconum.*
Joannem Marbais, *Scholasticum & Officialem.*
Andream Wipion, *Pœnitentiarium.*
Joannem Charlier, &
Nicolaum Turlot, Canonicos ejusdem Ecclesiæ Cathedralis, & in Theologia & Jure respective Licentiatos seu Graduatos, qui omnes juraverunt ad sancta Dei Evangelia se quacumque humana affectione postposita fideliter hoc munus executuros.

Forma Juramenti præstandi per Examinatores.

Ego N. deputatus in præsenti Congregatione Synodali Examinator eorum, qui eligentur ad Parochiales Ecclesias, juro me fideliter juxta sacros Canones, ac sacri Conc. Trid. formam perfuncturum hoc onere examinandi, rejecto omni humano respectu, ita me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Ut similiter satisfiat Decreto dicti Conc. Trid. *Sessionis* 25. *Cap.* 10. *de Reformatione*, quo mandatur, ut aliquot personæ aptæ designentur in Concilio Provincialibus aut Diœcesanis, quibus causæ Apostolicæ delegentur, designamus in præsenti Synodali Congregatione personas infra scriptas, scilicet:

Reverendos Dominos:

Ægidium Bosman, *Decanum Ecclesiæ Cathedralis.*
Nicolaum Dauvin, *Archi-Diaconum.*
Bartholomæum de Grace, &
Joannem Godart, *dictæ Ecclesiæ Canonicos.*
Alexandrum Heren, *Decanum Ecclesiæ Collegiatæ Beatæ Virginis.*
Gabrielem Huenarts, *Ecclesiæ Collegiatæ S. Gertrudis oppidi Nivellensis Decanum*; quorum nomina ad Sanctissimum Dominum nostrum Summum Pontificem, ejusque ac sanctæ Sedis Apostolicæ in his partibus Nuntium, primo quoque tempore transmittemus, ut juxta tenorem dicti Decreti delegationes aliis, quam his factæ, subreptitiæ habeantur. Hortamur autem eosdem, uti & alios Judices ordinarios nostræ Diœcesis, ut terminandis causis, quanta fieri poterit brevitate, studeant, Assessoresque deligant, cum opus fuerit, non quosvis promiscue, sed viros probos & boni nominis, diligentes, maturos, nec non juris & praxis peritos.

De visitationibus & observatione supradictorum Decretorum.

Reperimus Decanos visitationum suarum relationes valde perfunctorie peragere, vel defectus reticendo, vel in genere tantum referendo: quare omnibus Decanis mandamus, quatenus in dictis suis relationibus omnes & singulos defectus, quos in visitationibus repererint, fideliter & specifice cum omnibus suis circumstantiis referant & rescribant, sub pœna correctionis arbitrariæ.

Ut autem hæ nostræ Ordinationes Synodales omnibus innotescant, & ab omnibus observentur, prælo propediem mandabuntur: præcipimusque, ut

(*) Celebratum istud Concilium sub *Bonhomio* & *Berlaymontio*, Præsulibus dignissimis, & extat Tom. CC. VII. pag. 991.

ut omnes Decani, Paſtores & alii Sacerdotes Nobis ſubditi, de iisdem ſibi provideant infra menſem, poſtquam fuerint impreſſæ, ſub pœna unius ſcuti aurei, ſolvendi per eos, qui in hoc defecerint. An autem illas habuerint, Decani in relatione primæ ſuæ viſitationis referre non omittent.

Inſuper ut ſatisfiat Decreto Sacroſancti Concil. Trid. *de celebrandis Synodis Diœceſanis*, ſtatuimus & ordinamus, Deo bene propitio, & ſi vita comes fuerit, ſequenti anno hac eadem die ſimilem Congregationem Synodalem celebrare; & ita ſingulis annis, quod omnibus, qui dictis Synodis intereſſe debent, hoc Decreto intimatum volumus, ut pridie ejus diei in Civitate adſint, ſciſcitenturque, quibus loco & hora ſequenti die Congregatio celebrari debeat, ut mature ibidem compareant.

Lectæ & publicatæ fuerunt Conſtitutiones præſentes in Sacello Palatii Epiſcopalis, adſtantibus Synodalis hujus Congregationis Patribus, de mandato Reverendiſſimi Domini Epiſcopi eidem præſidentis Anno Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto, menſis Martii die vigeſima ſexta.

JOANNES DES FOSSEZ, Synodi Secretarius.

LEO DE HACCURIA, ejusdem Synodi Scriba.

Forma Teſtimonialium dandarum per Paſtores ſuper ætate Ordinandorum.

EGo infraſcriptus Paſtor Eccleſiæ Parochialis N. loci de N. præſentibus fidem facio & teſtificor N. fuiſſe baptizatum in dicta Eccleſia, die N. menſis N. anno N. eundemque de ſacro Fonte ſuſceperunt N. N. quod conſtat ex libro, in quo nomina Baptizatorum totius hujus Parochiæ ſcripta & annotata reperiuntur. In quorum fidem has manu propria ſubſcripſi die N. menſis N. anno N.

Quando ex dictis Teſtium ſunt daturi Teſtimoniales, facient ſecundum formam ſequentem.

EGo infraſcriptus Paſtor Eccleſiæ Paſtoralis N. loci de N. præſentibus fidem facio ac teſtificor N. agere ætatis annum. . . . prout mihi retulerunt N. N. Parentes ejus, vel Suſceptores, vel viri fide digniſſimi, idque jurejurando in manibus meis præſtito affirmarunt, & ſe id ſcire, quia &c. &c. Nec aliter ejusdem ætas ſciri potuit, eo quod liber baptizatorum occaſione bellorum fuerit deperditus, vel laceratus &c. &c. In cujus rei fidem has manu propria ſubſcripſi Anno N. die N. menſis N.

Forma Juramenti adjiciendi Profeſſioni fidei per Bibliopolas faciendæ.

ITem je jure, que jamais je n'imprimerai rien & ne rétiendrai, ny mettrai à vendre, & ne communiquerai à perſonne aucune choſe imprimée, ſoit ſecretement ou publiquement, ſi premierement je ne l'ai communiqué à mon Evêque ou ſon Vicaire, ou bien au Cenſeur des livres par luy conſtitué & d'j ce luy obtenu permiſſion de ce faire, comme auſſi d'obſerver les regles dreſſées par ledit Seigneur Evêque ſur ce ſujét. Ainſi m'ayde Dieu & ces Saints Evangiles.

Decreta Concil. Trid. & Synodi Provincialis Cameracenſis ſingulis annis certisque diebus per Paſtores populo recitanda ſermone vulgari, prout mandatur in Tit. De Decanis & Paſtoribus, *hujus Synodi.*

De la Seſſion 24. du Saint Concile de Trente au Decret de la Reformation du Mariage, Chap. 1.

CEux qui entreprendont de contracter mariage, autrement, qu'en preſence du Curé, ou d'un antre prêtre par la permiſſion du Curé, ou de l'Ordinaire & de deux ou trois têmoins, le Saint Concile les rend du tout inhabiles à contracter de la ſorte, & ordonne que ſemblables contracts ſeront invalides & nuls, comme par ce preſent Decret il les caſſe, & annulle. De plus, il commande, que le Curé ou autre Prêtre, qui aura aſſiſté à un tel contract, avec moindre nombre de temoins, & que les temoins qui y auront aſſiſté ſans le Curé, ou le Prêtre, & que les contractans mêmes ſoient griefvement punis à la diſcretion de l'Ordinaire.

Lequel Decret ſe doit faire & reciter au peuple, le Dimanche des Rameaux ou Pâque fleurie, & le premier Dimanche des Advents.

De

De la Session 25. du même Concile

Chap. 12. contre ceux, qui ne payent les disme, ou les usurpent.

Ceux-là ne sont pas à supporter, lesquels tachent par divers artifices, de soustraire les dismes, qui viennent aux Eglises, ou qui saisissent temerairement celles, que les autres doivent payer, & les tournent à leur profit: attendu que le payement des dismes est deu à Dieu, & ceux qui refusent de les donner, ou empêchent que les autres ne les donnent envahissent le bien d'autruy. Partant le S. Concile commande à tous ceux, ausquels appartient de payer les dismes, de quelque degré & condition qu'ils soient, que desormais ils les payent entierement à ceux, ausquels de droit ils en sont redevables, soit à l'Eglise Cathedrale, soit à d'autres Eglises, ou personnes. Quant à ceux qui les retiennent, ou empêchent, qu'ils soient excommuniez & qu'ils ne soient pas absous de ce crime, jusques à ce qu'ils ayent pleinement restitué.

Lequel Decret se doit reciter au peuple, les premiers Dimanches des mois de May & Septembre.

De la Session 22. du même Concile

au Decret de la Reformation Chap. 11. contre ceux, qui usurpent les biens & Droits Ecclesiastiques.

Si l'avarice, qui est la racine de tous maux, avoit tant gagné sur quelque Clerc ou Lay, de quelque aignite, qu'il soit, fut-elle même Imperiale ou Royale, que de luy faire convertir en ses propres usages, & usurper les Jurisdictions, les biens, les censes & les droits, mêmement les feudaux & emphiteutiques, les fruits, les emolumens, & quelques revenus que ce soient de quelque Eglise, ou de quelque Benefice seculier ou regulier, des mons de Pieté ou d'autres lieux pieux, lesquels se doivent appliquer aux necessitez des Ministres, & des pauvres; soit qu'il le fasse par soy même, ou par autruy, soit par force, ou par terreur, ou bien par personnes supposées de Clercs ou des Layz, ou par quelque artifice, ou couleur que ce soit, empêchant que ces fruits ne viennent à ceux, auxquels de droit ils appartiennent, qu'il soit & demeure excommunié, jusques à ce qu'il ait intierement restitué à l'Eglise & à son Administrateur ou Beneficie, les Jurisdictions, les biens, droits, fruits & revenus, qu'il avoit usurpé, ou qui luy étoient venus, comme que ce fut, voir même par donation de personne supposée & puis obtenu l'absolution du Pape. S'il est Patron de la même Eglise que par cela même outre les peines susdites, il soit privé du droit de Patronage. Le Clerc qui aura machiné cet execrable artifice & usurpation, ou qui y aura consenti, soit sujet aux memes peines, qu'il soit aussi privé de tous Benefices & soit fait inhabile a en avoir d'autres, & d'abondant, qu'il soit suspendu à la discretion de l'Ordinaire de l'exercice de ses ordres, mêmement apres l'entiere satisfaction & absolution.

Lequel Decret se recitera au peuple le jour de la Feste de tous les Saints chacun an.

Chapitre 7. du 2. Concile Provincial de Cambray,

Titre premier de la Profession de Foy.

Que l'on se garde bien d'appliquer aucuns signes, ou images, ou anneaux, ou oraisons écrites (ou comme ils les appellent) des brevets marquetz de charactères, ou de noms inconnus pour guérir quelque maladie d'homme, ou de bête. Que l'on se garde pareillement de neüer l'aiguillette, pour empêcher l'acte de mariage, ou de pratiquer autres sorcelleries ou charmes, ou de les dissoudre par observation superstitieuse: comme aussi de penser les playes, se servant superstitieusement de certain nombre des signes, de paroles ou de prieres, ou avec de petits linges, ou en autre maniere, qui n'est pas approuvée des medicins. Somme que tous ceux, qui auront pratiqué les susdites superstitions, ou autres, ou auront invoqué les diables, fait avec eux pact exprés, ou tacite, ou exercé l'Astrologie judiciaire, condemnée par N. S. Pere le Pape SIXTE V. en une speciale Constitution, encourent l'excommunication, & soient publiquement denoncez excommuniez par les Pasteurs au sermon, & qu'ils soient soûmes aux autres peines, que le droit leur impose.

Lequel Chapitre se recitera au peuple le premier Dimanche de carême, chacun an.

SYNO-

SYNODUS OSNABRUGENSIS DIOECESANA,

Eodem anno Christi MDCXXV.

Sub Illustrissimo & Reverendissimo Principe ac Domino,
D. ITELIO FRIDERICO, (*) S. R. E. Cardinale,
LVI. Osnabrugensi Episcopo,
CELEBRATA
Feria 3. post Dom. Oculi,
quæ erat 4. Martii.

ITELIUS FRIDERICUS, DEI GRATIA S. R. E. CARDINALIS DE ZOLLEREN, EPISCOPUS OSNABRUG. &c. *Universis, & singulis Præpositis, Decanis, Archi-Diaconis, Abbatibus, Prioribus, Pastoribus, Ecclesiarum Rectoribus, Monasteriis, & Conventibus, aliisque Civitatis, & Diœcesis nostræ Osnabrugensis subditis & incolis, tam Ecclesiastici, quam sæcularis Status, cujuscunque Ordinis, qualitatis, & conditionis, Salutem in Domino sempiternam.*

Postquam DEO ita disponente, ad regimen Ecclesiæ Osnaburg. vocati sumus; nihil sane Nobis, a primo in Diœcesin nostram ingressu, magis cordi fuit, quam ut, pro Episcopali nostra obligatione, qua Deo obstricti, & subditis nostris debitores facti sumus, in illa, quæ ad ipsorum salutem æternam, pacem & tranquillitatem pertinent, toto pectore incumberemus, & imprimis Cleri nostri reformationi (ex qua deinde communis populi mores dependent) serio intenderemus.

Cum vero inter alia media nullum tam efficax videatur, quam Synodorum celebratio, quarum præcipuus scopus esse debet, sanam orthodoxamque doctrinam, hæresibus omnibus antiquiorem, defendere ac stabilire, bonos mores tueri, pravos corrigere, vigorem disciplinæ Ecclesiasticæ conservare, aut collapsum restituere, populum in vera Religione, pace, ac vitæ innocentia instruere, & continere, ut proinde Synodi non immerito, Ecclesiasticæ disciplinæ nervi, dici possint.

Hinc, Sancti Spiritus auxilio invocato, pro Episcopali munere nostro (quantum quidem pro præsentium rerum ac temporum statu fieri potest) intendentes omni studio, ea quæ ad fidem & pietatem, Religionem, cultumque Divinum, mores, & disciplinam Ecclesiasticam spectant, & ad bene, Christianeque vivendum opportuna sunt & necessaria, ordinare, constituere, & reformare; Statuta, Ordinationes, & Constitutiones sequentes sub modo & forma infra scripta, duximus ordinandas, constituendas, confirmandas & publicandas, ordinamus, constituimus, confirmamus & publicamus, & sub pœnis ac censuris infra scriptis, aut alias in Canonibus expressis, ac Nobis etiam arbitrariis, firmiter observari præcipimus per præsentes.

CAPUT

(*) ITELII (al. *Eitelii*) FRIDERICI AB HOHENZOLLEREN, Carolo II. quatuor omnino & viginti liberorum Patre geniti, amplitudinem & gloriam mira, qua præstabat, pietas, singularis fama prudentiæ conjuncta, variis in Ecclesiastica Hierarchia dignitatibus auxerat. Coloniensis enim, Salisburgensis, Argentinensis, ac Magdeburgensis Sedis agebat Præpositum, cum purpuratis ex Urbe Patribus anno 1621. a Paulo V, P. M. adcensebatur, pileo, Tituloque S. Laurentii in Pane & Perna, ut refert *Imhofius in notitia S. R. G. I. Procerum*, a Gregorio XV. exornatus. Biennio post a Philippi Sigismundi Brunswicensis obitu, ad Episcopatum Osnabrugensem suffragantes sibi primario de Clero Electores habuit. Priscam toti

CAPUT I.

Publicatio & Receptio Ss. Concilii Tridentini.

IN primis itaque debito nostro Episcopali satisfacere, ac vestigiis recolendæ memoriæ JOANNIS AB HOYA, Antecessoris nostri insistere volentes, Sacrosancti Generalis Concilii Tridentini Decreta, tam Doctrinam Fidei, quam Reformationem morum respicientia, ad DEI Omnipotentis gloriam, & subditorum nostrorum salutem recipimus, insinuamus, promulgamus, & publicamus, & ab omnibus subditis nostris, omni, quo fieri potest, meliori modo recipienda & servanda esse, decernimus per præsentes, in contravenientes, contumaces & rebelles, debitis & consuetis censuris & pœnis animadversuri.

CAPUT II.

De Ecclesia, Fide, & Doctrina Catholica.

I.

UNam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam, unam æterni Regis amicam, columbam, uxorem, Agni ipsius Sanguine acquisitam, a Sancto Spiritu & Apostolis edoctam columnam, & firmamentum veritatis, Divo Petro, ejusque Successoribus Romanis Pontificibus concreditam, in iis, quæ ad fidem, moresque pertinent, errare non posse, ipsius Sponsi, & Capitis Ecclesiæ Domini nostri JESU CHRISTI fidelis promissio, Apostolorum, & omnium orthodoxorum Patrum authoritas & consensio, omnibus sæculis ita confirmavit & approbavit, ut, qui illud non tenent, & contrarias aut diversas ab ea doctrinas, & opiniones seminant, suscipiunt, defendunt, tanquam filii tenebrarum

mox Diœcesi Religionem ut redderet, excitavit Osnabrugi Societatis JESU Collegium, puerorum præcipue in fide ac bonis moribus Magistros Patriæ suffecturum, &, quam modo damus, Synodum a saluberrimis, quas complectebatur, legibus excellentem anno 1625. celebravit. "Sed hos inter labores, scribit ad h. a. in *Annalib. MSS. Turkius*, ac renascentem fidem egregius Princeps Iburgi vita fungitur." Parentatum ad VI. Kal. Nov. ab Ordinibus Diœceseos ac Magnatum Legatis vero Patriæ Patri & Religionis avitæ Reparatori, qui pauculos intra menses, duorum usus e Societate Patrum opera, septem adultorum millia & amplius Orthodoxis adgregaverat. Hoc ipsi apud Osnabrugenses in Æde Cathedrali positum est Epitaphium:

EITELIO FRIDERICO
ZOLLERANO COMITI, PRINCIPI, EPISCOPO, CARDINALI,
GERMANIÆ OCULO,
Sed eheu! jam clauso, jam purpurato cineri,
Jam nullo;
Violentia Superum, qui præpropere transcripsere cœlo,
Quem grandiorem putavere terris,
DESIDERATISSIMO FRATRI
JOANNES PRINCEPS ET COMES ZOLLERANUS
Mœstus posuit & invitus:
Neque enim velle potuit eum tegi,
Quem spectari oportuisset usque & usque & usque.
Concessit Osnabrugi Sede sua Pontificia
Anno Christi MDCXXV. die XIX. Septembris,
Ætatis suæ XLIII.

Vid. P. Julium Cordaram in Histor. Societ. P. VI. Lib. X. a p. 578. & ex eo P. Frid. Reiffenberg. in Hist. ejusd. Soc. ad Rhen. Infer. Tom. I. Lib. XVI. Cap. X., qui Cordaræ verbis paucas duntaxat notulas & scholia ad calcem addidit.

brarum & dissensionis, ab ea procul sint alieni, & damnationem sibi acquirant, ac merito pro hæreticis ac schismaticis haberi debeant.

II. Quamvis autem, licentia, & iniquitate superiorum temporum, in hac Diœcesi nostra, variæ novatorum hæreses, & opiniones disseminatæ sint: confidimus tamen, ac fere etiam ita animadvertimus, tam altas radices in animis simplicium subditorum non egisse; ut existimare possimus, plurimos, superiorum temporum incuria, & ignavia, subversorum fraudulentia, & mobilitate quadam imperitæ plebis, atque adeo ignorantia magis, quam prava & obstinata animi malitia, delinquere.

III. Quorum saluti ut consulatur, & errantes oviculæ, Episcopali nostra cura, & vigilantia, ad unicum orthodoxi gregis ovile, & mysticam Noe Arcam, extra quam salus non est, & gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ, in quo in fide & charitate fovemur & alimur, revocentur ac reducantur.

IV. Hortamur in Domino & serio monemus omnes & singulos cujuscunque status & conditionis subditos nostros, ut rejectis pravarum opinionum erroribus, & diverticulis, ac novatorum corruptelis, & imposturis ad puram, sanam, integram, sinceram Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ fidem & doctrinam convertantur, ac redeant, errantibus, & dubitantibus directionem, instructionem, & satisfactionem, per nostros ad id deputatos Theologos, sive apud Nos, sive ubi ipsi voluerint, offerentes, ut tandem ovium animi cum suo Pastore conformentur, & unanimiter, & uno ore honorificetur Deus, & Pater Domini nostri JESU Christi.

V. Ad hunc finem nostrum optatum felicius assequendum, statuimus, ut Pastores per totam Diœcesin nostram, sanam, orthodoxamque doctrinam secundum intellectum Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, omni novitate rejecta, amplectantur, & ubique doceant: simulque etiam a vitiosa, turpi, carnali, ac sordita vita (quæ defectionis, apostasiæ, & omnium hæreseom ac novitatum initium, ac fomentum omnibus fere sæculis extitit) ad sanctam, castam, puram, sobriam, & Sacerdotio dignam redeant, ac sicuti veros Dei Ministros & Dispensatores Mysteriorum Dei decet, Sanctissima Sacramenta digne administrare, docere, catechizare, verbo & exemplo prodesse laborent; secumque serio cogitent, quantam a Sacerdotibus novi testamenti Deus requirat cordis, corporisque munditiem, qui etiam in figura veteris Testamenti Sacerdotibus, & Levitis præcepit: *Mundamini, qui fertis vasa Domini*, quamque displiceat Filio Virginis, quem ipsi æterno Patri pro peccatis totius mundi quotidie offerunt, impuris animis suscipi, pollutis manibus tractari; Qui, etsi quidem infirmitatibus nostris se subjecit, de Virgine tamen nasci voluit, quique per Apostolum suum comminatus est: An nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Dominus.

CAPUT III.

De Ss. Sacramentis, & eorum usu.

I.

CUm vero malorum omnium incentor Diabolus, cujus invidia mors in orbem terrarum introivit, post sparsa errorum suorum zizania, per suos emissarios (quorum commune cum maligno est studium) nihil majori sævitia & humani generis damno moliatur, quam ut Sanctissima Ecclesiæ Sacramenta, per quæ omnis justitia incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur, partim exterminentur, partim temere contemnantur, ac proculcentur, partim non legitime administrentur; ut, fontibus, ac canalibus Divinæ gratiæ obduratis, vel sublatis, Divinorum charismatum defluxus ac continuus gratiæ ac promissionis Christi in Ecclesia usus, & utilitas cesset, & desinentibus remediis, spes omnis vitæ æternæ præscindatur.

II. Hinc maligni conatibus pro virili obsistere cupientes, volumus, & præ-

præcipimus omnibus & singulis Ecclesiarum Prælatis, Pastoribus, Curatis, Vice-Curatis, aliisq; Ecclesiasticis subditis nostris, ut Sacramentorum verus ac legitimus sit usus, & quæ partim neglecta, partim exterminata, partim haud Catholice administrata in his regionibus fuerunt, in sanctum, rectumque usum iterum revocentur, & de hoc populus diligenter instruatur; doceaturque, Sacramenta novæ legis, a Domino nostro JESU CHRISTO instituta, neque plura, neque pauciora esse, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, ac Matrimonium; Quæque de eorum recto usu, gratia & efficacia Christus Dominus, Apostoli, Ss. Patres, Concilia, & novissime Concilium Trid. unanimi consensu tradiderunt, & docuerunt, & Sancta Ecclesia Apostolica Romana recepit, approbavit, & fidelibus suis credenda, observandaque tradidit.

III. In primis autem, cum ex reliquiis adhærentium ac gliscentium adhuc malarum, & Hæreticarum opinionum præteriti temporis rudis populus, ad usum Calicis & Communionem sub utraque specie, adhuc propendeat; volumus & serio præcipimus, ut a Pastoribus, Vicariis, Confessariis, Concionatoribus, & quibuscunque curam animarum habentibus, & populus diligenter instruatur Communionem sub una specie, neque præcepto Christi, neque naturæ Sacramenti, neque fructui, & saluti communicantis repugnare, aut quidquam præjudicare; Et Ecclesiam pro communicata sibi a Christo potestate, justis & rationabilibus, de causis consuetudinem sub altera specie communicandi approbasse, & pro lege habendam decrevisse. Nolumus vero ad illam temeritatem quemquam procedere, ut se universali, Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ Ecclesiæ authoritati opponere, aut aliud ab ea sentire, disputare, aut etiam usurpare, vel præbere audeat. In quo etiam hoc iisdem Pastoribus & Curatis mandamus, ne post Communionem ipsi ex calice, sed ex decenti aliquo poculo, ablutionem per Custodem, vel aliquem ex honestioribus Laicis exhibeant; ne populus in opinione pristina retineatur, aut etiam in pejorem errorem labatur, adoretque, quod adorandum non est.

IV. Sacrosanctum Missæ Sacrificium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur, quanta reverentia tractandum sit, ex istius operis Sanctitate ac Divinitate facile liquet. Quoniam vero multa in his regionibus irrepserunt, quæ a tanta Sacrificii dignitate aliena sunt; inhærentes Conciliorum Generalium, ac Provincialium, & novissime Tridentini Decretis; volumus & ordinamus, ut ab omnibus Sacerdotibus hoc tremendum Sacrificium, quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditia, & puritate, atque exterioris devotionis, & pietatis cultu peragatur, populusque de hujus Sacrificii præstantia, & dignitate diligenter instruatur, neque ritus alii, aut aliæ cæremoniæ, quam ab Ecclesia approbatæ, adhibeantur, neque conciones germanicæ maxime suspectæ, & Lutheranæ, aliudve quod minus Fidei sanctæ integritatem sapit, & non maximam venerationem ac reverentiam in se continet, admittatur.

V. Volumus etiam, ut Sacramenti Baptismatis administratio fiat adhibitis precibus, exorcismis, & Chrismate, & Oleo sacro, secundum librum Pastoralem, de quo postea mentio fiat.

VI. Ad Confirmationis Sacramentum administrandum pro Episcopali nostro munere omnibus subditis Nos offerimus; quod, cum ad sanctificationem, & robur Spiritus, augendamque gratiam omnibus propositum sit, a singulis etiam summo studio expetendum & a nullo contemnendum est. De cujus etiam utilitate Pastores, & Curati suos subditos diligenter admoneant.

VII. Pœnitentiæ quoque Sacramenti rectum legitimumque usum esse volumus; & ejus partes integrales Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, & quas conditiones habere debeat confessio, a Parochis & Curatis populo diligenter ostendi, & explicari, ne is sufficere existimet generalem

ralem illam formulam tenuisse, neque ullam specificationem peccatorum necessariam esse.

VIII. Confessionem audituri Parochi & Sacerdotes sæculares, superpelliceo, aut saltem toga, & stola vestiti, in sedibus confessionalibus (quæ in Ecclesiis omnibus aperto, & commodo loco ponentur, obstaculo aliquo discriminatæ, ut dum quis confitetur, cæteri a spatiis plus æquo propinquis arceantur) tanquam Judices sedeant, & pœnitentes seu confitentes coram Sacerdote reverenter genua flectant, & ritu pœnitentium coram ipso, tanquam Christi Vicario, & Ministro se habeant.

IX. Ut vero Pastorum & Curatorum (maxime circa Pascha, & alia præcipua Festa) levior, & fructuosior sit labor; Nos, certos ad id deputatos Sacerdotes per Parochias mittemus, qui eis adjumento esse, ac simplicem plebem instruere, & expiare possint.

X. Quoniam præcedentium temporum licentia usus confessionis apud plerosque Pastores, & Curatos in pagis exolevit, & ob inhabilitatem ruralium Pastorum, forte non cum debito fructu perfici potest, & huic incommodo, remedio aliquo competenti per certas regiones deputatis Confessariis, succurremus.

XI. Extremæ Unctionis Sacramentum, quo ex hac vita migraturis Oleo salutis, & fidei oratione contra inimicum, præsertim calcaneo & fini hominis insidiantem, confertur gratia, & robur, eliminatum fere ex his regionibus nunc iterum revocatum, & in suum gradum & usum propositum esse volumus. Et ne hic difficultas aliqua remaneat, Nos, pro Episcopali nostro munere, omnibus & singulis Pastoribus Oleum sacrum in hos usus confectum in die Cœnæ Domini, seu feria quinta hebdomadis majoris ante Pascha, secundum morem sanctæ Ecclesiæ distribui curabimus. Ad quod reverenter, decenterque suscipiendum omnes & singuli Pastores honesta vascula cum tribus receptaculis præparata habeant, & in decenti loco Templi reverenter custodiri curent.

CAPUT IV.

De ornatu, & munditie Templorum, & sacratiorum locorum.

MErito quisque bonus, & honoris Dei Zelator, dolenti animo aspicit publicum illum Divini cultus, & puritatis exterioris neglectum, qui communiter fere in Templis Diœcesis nostræ conspicitur, & summam erga Deum, & res Divinas irreverentiam arguit, dum sancta Templa, & Altaria, in quibus Sacratissima illa Victima incruenta pro totius mundi peccatis Deo exhibetur, ita situ, fuligine, & squalore obsita sunt, ut merito iram Dei excitare, & cuivis homini, Deum amanti, horrorem incutere debeant, hinc ad iram Dei & varias calamitates avertendas, quas Deus immittere solet, quando in Templo sancto suo, ubi ipse non quasi conclusus, neque naturæ immensitate, qua ubique est, sed efficaci quadam assistentia, providentia, opitulatione, benignitate, & in Ss. Eucharistia, singulari ac corporali sua præsentia existit, non omni, qua par est, interiori reverentia, modestia, & religione, exteriori vero cultu, munditie, & nitore colitur, honoratur, & adoratur: monemus, & hortamur omnes & singulos, quorum hæc in quibuscunque Ecclesiis, & piis locis cura est, & sub arbitraria pœna iis injungimus, ut in Templis & Sacellis, & circa Tabernacula, Altaria, & Baptisteria, & alia sacratiora loca, majorem nitorem, munditiem, elegantiam, ornatum procurent, ne Arca Dei non solum sub pellibus, sed etiam sub sordibus habitare dicatur. Hic cum universi, qui se omnia de manu Dei accepisse cognoscunt, tum vero Ecclesiastici, qui Beneficiis & opibus ab Ecclesia ornantur, suam erga Deum fidem, charitatem, reverentiam & gratitudinem ostendant.

CAPUT V.

De vita & honestate Prælatorum & Clericorum.

CUm vero Religionis optima sit reformatio Præsulum, ac Prælato-

rum Ecclesiæ, Sacerdotum, ac Clericorum bona vita, sine qua tarda, difficilis, ac pene nulla erit reformatio, cum in Sacerdotum & Clericorum crimine sat causæ imperitæ plebi videatur, cur hæreses non deserantur, maxime, dum in Diœcesi nostra ea hactenus in accusationem contra plerosque adducta sunt, quæ nec negari, nec defendi possunt, facileque consequatur, ut, quorum vita contemptui est, eorum quoque doctrina proculcetur, hinc Nos curam nostram Episcopalem adhibere, & securim ad radicem ponere cupientes, illa, quæ de vita & honestate Clericorum sacris Canonibus, & Conciliis, præsertim Concilii Tridentini, & Conciliorum Provincialium, & Diœcesanorum, Coloniensium & Osnaburgensium Decretis statuta sunt, & ordinata, omnibus pro diligenti observantia proposita, & serio commendata esse volumus.

CAPUT VI.

De Simoniacis.

UBi ingressus ad Ecclesiam, & ejus officia vel beneficia vitiosus est, & præsumpta Spiritus Sancti circumventio, ejusdem influxum, & cooperationem impedit, nihil bonum, sanctumque subsequi potest, sed id solum, quod ad gehennam ædificat, & damnationem operatur. Quod eo magis in publicis Ecclesiæ Ministris evitandum est, quo ab his, detrimento publico & privato, periculosius, & damnabilius in isto genere erratur; dum spiritualia, aut iis annexa exitioso conatu, & damnabili nundinatione emuntur, aut venduntur; quæ ab impio & honesto suo Authore *Simonia* nuncupatur, gravissimumque crimen censetur. Quæ Simonia cum a radice omnium malorum, cupiditate & avaritia, quæ idolorum servitus nuncupatur, procedat, & suos authores cancroso vulnere miserrime depascatur, ut propterea ab Ecclesia Dei, quæ domus orationis est, non spelunca latronum, aut nundinas exercentium, omnino sit expellenda: Hinc Nos, Constitutionibus Ecclesiasticis inhærentes, & omnes conatus, tractatus, intercessiones, pactiones, consequendi, emendi, vel vendendi spiritualia, vel iis annexa, & inde subsecutas Provisiones, Electiones, Nominationes, Confirmationes, & Dispositiones quascunque, quæ præcedentibus temporibus contigerunt, vel in posterum attentari, aut præsumi possent, irritantes & annullantes, & ipso jure talia esse declarantes, hujusmodi Simoniacos, secundum terminos juris, & Pontificias Sanctiones, Beneficiis, & officiis Ecclesiasticis, omnibusque emolumentis inde procedentibus privatos, & præterea excommunicationis pœnæ subjacere declaramus, a qua, secundum antiquas & novas Constitutiones Canonicas, nonnisi per Summum Pontificem, & Nos, speciales desuper sub certis modificationibus facultates habentes, absolvi poterunt.

CAPUT VII.

De Beneficiatis non residentibus, Ordines debitos non suscipientibus, pueris, & inidoneis &c.

MAgnum præterea & damnabilem nec temporibus nostris tolerandum abusum in Ecclesiasticis Beneficiis comperimus, ut multi, illa obtinentes, vel absentes sint, vel Ordines Ecclesiasticos, Beneficiis, & officiis ex fundatione annexos, non suscipiant, aut alias pueri inidonei, & inqualificati sint, multique longa annorum serie Beneficia obtinuerint, quorum ne quidem institutiones, ac fundationes sciant, quæque etiam interdum penitus obliteratæ sint, & suppressæ; Altaria vero, & alia pia loca, cum ipso Divino cultu, & debito officio, omnino negligantur, adeo, ut in isto genere omnia confusa esse animadvertamus, & quod ad laudandum & placandum Deum est institutum, ad majorem ejusdem cedat offensionem, & contemptum, magnoque populi scandalo & Divini Nominis irreverentia, Ecclesia dignis Ministris destituatur, & Beneficia indigne recipiant, qui nullum officium præstant, ad animarum certam pernitiem eorum, qui indigne conferunt, & recipiunt. Hinc renovare cogimur ea, quæ

quæ de Beneficiorum collationibus, dignis, & qualificatis facienda, & de personali debitæ servitutis Ministerio Deo, & Ecclesiæ præstando (quod Residentiam vocant) tam jure communi, quam diversis Conciliis & Summorum Pontificum Sanctionibus statuta sunt & ordinata; quod ipsum diligenter, & sub obtestatione Divini judicii, Ecclesiarum Prælatis, & quibuscunque Collatoribus, aut Jus Patronatus obtinentibus, injungimus, & commendamus, sine exceptione observandum. Quorum negligentiam, & infidelitatem Episcopali nostra solicitudine, & authoritate supplere curabimus, eorum vero Beneficiorum, quæ indignis collata sunt, indignationem, & respective suspensionem, privationem, restitutionem, & ad terminos juris mentemque Fundatorum reductionem, Nobis reservantes, & nostro in Spiritualibus Vicario diligenter commendantes.

CAPUT VIII.

De concubinariis Clericis, eorum focariis, & spuriis; ut eos neque ditent, neque dotent, neque domi alant, nec Beneficiorum fructus iis relinquant, directe, vel indirecte.

I.

INter illa vero vitia, quæ celari non possunt, cum nihil tam detestabilem, vilemque Clericum faciat, quam fœdum illud carnis vitium, & concubinatus apertus, quo se illi, qui templa Dei, Ministri Filii Virginis, membra Christi esse debebant, membra Diaboli, & meretricis faciunt; & populum, quem exemplo vitæ bonæ, tanquam salis confricatione, erudire & servare tenebantur, scandalosæ vitæ offendiculo perdunt; adeo ut a plerisque prudenter animadversum sit, cum primum in nostra Germania Sacerdotes effractis modestiæ retinaculis, contubernales ducere, aut apud se retinere, prolemque procreare cœperunt, contemptum Sacramentorum, & in S. Eucharistia titubationem inchoatam, erroresque alios subsecutos fuisse; ut propterea detestabilem hunc concubinatum, qui per Diœcesin nostram nimium grassatus fuit, & focariarum ac pellicum in domo detentionem, gravissimis pœnis & sanctionibus Conciliorum Generalium, & Provincialium, ac Diœcesanorum Coloniensium & Osnabrugensium, atque etiam in ipso Juris Canonici, ac Civilis corpore contentis, ac demum Sacrosancti Concilii Tridentini Decretis explosum, reprobatum, & damnatum, evellere, & eradicare modis omnibus cupiamus, ejusdemque Concilii Tridentini Decretis inhærentes, ea omnia, quæ de concubinatus detestatione, persecutione, pœnis & censuris, statuta sunt, in realem viridemque observantiam traducta esse volumus.

II. Cum vero vitium illud tam turpe habeatur, ut merito Patroni, & quicunque Laici pro suo interesse illud accusare possint, atque adeo intolerabile sit, ut nullam excusationem mereatur, aut tergiversationem admittat; utque etiam Ordinariis locorum concedatur de jure, ac quovis meliori modo, sola facti veritate inspecta, sine strepitu & figura judicii contra concubinarios procedere: omnibus & singulis quoquo modo huic vitio innodatis injungimus, & mandamus peremptorie, ut sub expressis, & arbitrariis Nobis pœnis, quamprimum suas pellices domo ejiciant, tamque procul a se eliminent, ne ulla suspicionis peccati, scandalive causa, atque occasio amplius superesse possit. Cujus executionem nostro in Spiritualibus Vicario Generali serio committimus & commendamus. Nolumus vero ullum, qui concubinatus nota infamis fuit, ad officium aliquod posthac admitti, aut in eo tolerari, nisi ex speciali nostro rescripto.

III. Cum etiam multas spurcitiarum reliquias luxuriosa præcedentium temporum calamitas copiose nimis Nobis effudit, quæ agrum Dominicum non secus, quam locustæ Ægyptiacæ depascuntur, & patrimonium Christi fœde depeculantur; renovare cogimur ea, quæ a sacris Canonibus, & Provincialibus Conciliis salubriter statuta sunt; ac prohibemus omnibus & singulis Ecclesia-

clesiasticis Personis, cujuscunque status, & qualitatis sint, ac quocunque nomine censeantur, ne de patrimonio Christi, seu Præbendarum, Beneficiorum suorum fructibus concubinas suas, aut eorum filios, vel filias dotent, aut ditent, testamento, vel alio modo, expresse, vel simulate, fructus Beneficiorum, quos ante mortem perceperant, aut annos gratiæ, quos vocant, aut aliquid aliud, quod post mortem se accepturos sperabant, iis relinquant, neque eorum nuptiis aut exequiis intersint, iisque pompam & solemnitatem aliquam adhibeant, nec manufideles, aut executores inveniant, per quorum manus, spuriis, vel concubinis, fructus Præbendæ, Beneficii aut officii suppeditentur. Qui si Ministri iniquitatis esse voluerint, & contra hæc quicquam attentaverint, præter pœnas Nobis arbitrarias, ipso facto excommunicationis vinculo se innodatos cognoscant, &, sic legare, aut donare præsumentes, Ecclesiastica careant sepultura, ac legatum Ecclesiæ cedat, a qua processerit.

IV. Ne vero impudicis patribus ex sua libidine perceptæ voluptatis, spuriorum aspectu, refricetur memoria, malesanus ardor remaneat, aut peccatorum & scandalorum occasio amplius alatur; illud serio injunctum volumus omnibus & singulis lapsis, ne impudenter spurios suos apud se domi retineant, neve filias domi in circuitu mensæ, & in publico, compositas & circumornatas in similitudinem Templi, populo ostentent, ac venditent; nec, de patrimonio Crucifixi, Veneris triumphum instituant; sed magis sciant, quod D. CONRADUS Archi Episcopus Colon. in suo Provinciali Concilio graviter monet, ipsos, qui patrimonium Christi in usus malos, cum suis peccando focariis, expenderunt, teneri ad satisfactionem Ecclesiæ, cujus bonis taliter in suis concupiscentiis, & peccati illecebris sunt abusi. Quod sicuti perpetua Ecclesiæ authoritate ac lege fuit receptum; sic ii diligenter considerent, qui per hujuscemodi fœdam consuetudinem, non Ecclesiæ, quæ ipsorum ministeria abominatur, sed magis Diabolo hactenus servierunt, & ideo nec fructus juste percipiunt, nec suos faciunt, & ad restitutionem perceptorum obligantur: quæ qualis ipsis post hanc vitam futura sit, ubi ad novissimum quadrantem solutio exigetur, ipsis cum timore & tremore cogitandum relinquitur, si annos æternos in mente habere velint.

V. De Beneficiis vero & Ministeriis filiorum impudice natorum hoc observari volumus, quod tum de jure communi Canonico, tum sanctissime a Concilio Tridentino est statutum, ut ne ullus ad officium quodcunque, sine nostro speciali consensu, posthac admittatur.

CAPUT IX.

De Testamentis Clericorum, & Executoribus ultimarum voluntatum.

VOlumus etiam & mandamus, ut Manufideles seu Executores testamentarii quorumcunq; Clericorum, seu Beneficiatorum Civitatis & Diœcesis nostræ Osnabrugensis de dispositione facta, bonisque inventis infra unius mensis spatium, post uniuscujusque obitum, & deinde de executione perfecta, infra unum annum, a tempore obitus sequentem, Nos, vel Officialem nostrum certiorem reddant.

CAPUT X.

De habitu Clericorum & Barbis.

AD Clericalis Ordinis præstantiam, vitam, decentiam, ac honestatem spectat competens statui, & ordini corporis exterior habitus, qui personarum qualitatem & distinctionem a communi plebe designet, & dignum justumque est, ut, cujus stipendiis vivunt, ejus quoque habitu, tessera, insigniisque utantur. Hinc omnino volumus, ut ad militiam Christi, & ministeria illius Sponsæ Ecclesiæ adscripti, istius militiæ & Regis gloriæ insignia præ se ferant, ac coronam Clericalem aperte gerant, capillorum vero & barbæ rasura tali utantur, ut nec comæ nimium producantur, aut in occiput reji-

rejiciantur, nec barbæ & myſtaces ita alantur, ut ex ſuperiore labro in alas excreſcant, aut ultra ipſum in os propendeant, ne Sacerdotes, Corpus Dominicum & Sanguinem accepturi, per contactum barbæ, irreverentiæ peccatum incurrant, & ut hæc in aliis Clericis ſacræ militiæ adſcriptorum, non vero ſæculo militantium, ſymbola ſint.

II. Eccleſiaſtici veſtibus longis utantur, ſecundum ſtatus ſui exigentiam, non nimis pretioſis, neque ſuperfluo cultu ornatis, aut aliqua levitate, aut ſingularitate notandis, in colore, aut brevitate nimia, aut ſciſſura, aut forma peregrina; adeo ut omnis ſuperbia, vanitas & curioſitas abſit; honeſtas vero, frugalitas, & ſimplicitas Clericali Ordini conveniens, ubique ſit conſpicua.

III. A crapula vero & comeſſationibus, ludis prohibitis, & quibuscunque commerciis ſæcularibus, ſerio abſtineant.

CAPUT XI.

De Præpoſitis.

PRæpoſitos, tanquam præcipuos Eccleſiarum Prælatos, ex jurisjurandi a ſe præſtiti religione, illa præcipue cura tangere debet; ut res, bona, jura, & privilegia Eccleſiarum defendant, bonas conſuetudines obſervari, malas eliminari curent, & quæcunque ad utilitatem & pacem Eccleſiarum quovis modo pertinent, curare & promovere, easque ab omni damno & injuria vindicare & conſervare ſatagant. Et quia ex nobilioribus membris Cathedralis Eccleſiæ noſtræ deſumuntur, & ampliores fructus Eccleſiaſticos percipiunt, Nobisque ex officio conjuncti ſunt, ea diligenter curent, ad quæ, ratione officii ſui & jurisjurandi ſunt obligati; in rebus vero difficilioribus, & quæ vires eorum ſuperant, ad Nos, & noſtram Epiſcopalem authoritatem recurrant.

CAPUT XII.

De Decanis.

I.

DEcanorum ea ſit cura, ut quæ ab omnibus & ſingulis Canonicis, Vicariis, ac Templi Officiatis, & Miniſtris debentur, in Reſidentia perſonali, Ordinum debitorum ſecundum Beneficii, aut officii qualitatem ſuſceptione, Divino Officio, vitæ honeſtate, decenti habitu, fidei integritate, fidelitate, & officii executione &c. diligenter obſerventur; contumacium vero, inobedientium, & negligentium exceſſus, ſecundum rigorem diſciplinæ Eccleſiaſticæ corrigantur; crimina vero publica, luxuriæ, ebrietati, infrugalitati, aleæ, rixis, carnis vitio & ignaviæ deditorum, ſecundum cenſuram Canonum, ſecluſione a Sacris, fructuum ſubtractione, & ſimilibus modis puniantur.

II. Ad hoc Capitula, quæ vocantur Diſciplinæ, multum valebunt, ſi cum nomine rem ipſam conſervent, ac in iis de vitæ Canonicæ, morumque diſciplina, & rebus ſacris ſerio & efficaciter tractetur.

CAPUT XIII.

De Archi-Diaconis.

ARchi-Diaconorum, qui in ſubſidium, & relevamen ſolicitudinis noſtræ Epiſcopalis, tanquam Miniſtri cooperatores, admiſſi ſunt, eam cum primis curam eſſe volumus, ut Nos opere & officio juvent, in Synodis ſuis Archi-Diaconalibus, ſcopum & finem rectum diligenter obſervent, ad Dei gloriam, honorem, & utilitatem Eccleſiæ, & animarum ſalutem omnia dirigant, Commiſſarios ſuos, viros inculpatæ vitæ, in ſacris Ordinibus conſtitutos, graves, modeſtos, ac Deum timentes habeant: Exceſſus canonice puniant, ab omni avaritiæ, ſordiumque ſpecie abſtineant; pœnas pecuniarias (ſi quando aliæ non ita proficiunt) ad ſalutem tamen animarum referant, nec pœnitentiæ loco pecuniam emungant, neque vitiorum correctiones, pecuniæ, muneris, aut alterius rei gratia diſſimulent, ne ſubditi noſtri pauperiores ſimul, & deteriores fiant, aut ſpolientur magis, quam emendentur. Quod ſi interdum Canonica Sanctione, pecuniaria pœna aut decreta, aut decernenda ſit; ea in pios tantum uſus, eo ipſo, quod exacta fuerit, aſſignetur, ne ma-

gis avaritiæ, quam correctionis causa extorta censeatur, serioque apud se reputent, nihil gravius Prælatos coram Deo accusare, quam si peccata, ob pecunias & munera, relinquant impunita; in his vero omnibus observent, quæ tam a sanctis Canonibus, quam Generalibus & Provincialibus Conciliis optime sunt constituta.

CAPUT XIV.

De aliis Ministeriis, & Gradibus Ecclesiasticis.

SUnt deinde in Ecclesiis, præter Præpositos, Decanos, Archi-Diaconos, diversi Ministrantium gradus; nempe Scholastici, Cantores, Thesaurarii, seu Sacristæ, Canonici, Vicarii, atque id genus alii. Interpretetur quisque vocabulum suum, & curet esse, quod dicitur, secundum veterum Patrum institutionem & regulam: atque eo solo fecerint, ut vocationi suæ & nostræ, ac piorum omnium expectationi, magna ex parte respondisse videantur.

CAPUT XV.

De Parochis, Sacellanis, Sacerdotibus, Vicariis, & aliis Ecclesiæ Ministris.

QUanta vitæ innocentia & munditie præditi, quanto zelo inflammati, quanta perfectionis Christianæ puritate conspicui esse debeant, qui alios mundare, accendere, & perficere cupiunt; quod Parochorum, & Concionatorum, & eorum, qui animarum curam gerunt, & universim Sacerdotum, Sacellanorum, Vicariorum, & aliorum Ecclesiæ Ministrorum, qui populi peccata comedunt, seu publico Ecclesiæ stipendio sustentantur, proprium est, dum attenta mente considerator, simul etiam facile animadvertitur, quantum in nostræ Diœcesis Pastoribus, aliisque Ecclesiasticis desideretur, quos tam procul a vocatione & status sui obligatione discessisse videmus. Quorum omnium salutem & veram vitæ morumque conversionem, qua populo prælucere, & illum in viam salutis reducere possint, cum ardenti desiderio sitiamus, nec quemquam abjicere, sed, quantum fieri potest, præsenti necessitati mederi, & futuro periculo modis omnibus occurrere cupiamus; cum seria periculi, statusque sui admonitione, invitamus omnes & singulos, qui præcedentium temporum injuria atque incuria in quosvis errorum, aut opinionum labyrinthos, aut carnales nævos, prolapsi sunt, ut Nobis, aut Vicario nostro in Spiritualibus, ac illi adjunctis Theologis, ac viris prudentibus & Religiosis pro instructione, & suorum errorum revocatione, & criminum abolitione se sistant, & ad Dei gratiam & sanctæ Matris Ecclesiæ unitatem redeant. In quo omnibus & singulis, ad cor vere conversis, & pœnitentibus, eam, quam hactenus cæteri Curati experti sunt, gratiam & benignitatem nostram offerimus; contra inobedientes, & Statui Ecclesiastico conformiter non viventes, aliter processuri.

CAPUT XVI.

Ne Parochi sordida Ministeria usurpent.

NOlumus vero Pastores & Curatos rurales opera sordida, & servilia subire, ita ut magis colonorum & rusticanorum hominum, quam Pastorum, & Ecclesiæ Ministrorum speciem præ se ferant. In quem finem intendimus, quantum fieri potest, ut prædia eorum, & agri pro competente censu elocentur, ad honestum victum & vestitum eis suffecturo.

CAPUT XVII.

De Parochorum victu competente, seu honesto.

ILlud etiam compertum est, quosdam Pastoratus, cessantibus nunc quotidianis oblationibus, & pia Majorum liberalitate, ac forte etiam subtractis, & incorporatis decimis, censibus, juribus, & obventionibus, Majorum liberalitate, ac munificentia, ad Pastorum sustentationem & solatium destinatis, ad eam tenuitatem redactos, ut fere sufficienti, & honesto vitæ subsidio destituantur: quo fit, ut, magno ani-

animarum detrimento, pauci reperiantur idonei, qui hujusmodi Ecclesiis præfici desiderent, & multi ad sordida, & servilia opera, non levi Ecclesiastici Ordinis dedecore converti cogantur. Cui incommodo occurrere volentes, constituimus & mandamus, ut omnes & singuli Parochi, & Pastores, proventus Ecclesiarum suarum, Altarium, & Beneficiorum Nobis, aut nostro in Spiritualibus Vicario Generali, quam primum exhibeant cum designatione, & intimatione, si quid ab aliis detineatur, aut usurpetur, ut ratio certa iniri possit, qua Pastorali necessitati ac honori, quantum fieri potest, succurratur.

CAPUT XVIII.

De Juribus Ecclesiasticis, piis fundationibus & officiis conservandis.

QUibus etiam & universim aliis Prælatis Ecclesiasticis, & Ecclesiarum Ministris serio commendatur, ut diligenter adlaborent, quo Ecclesiarum jura integra permaneant, & sacrarum fundationum obligationes non obliterentur; neve constituta a fidelibus Missarum Officia, aut piæ fundationes, Ministrorum negligentia, omittantur, aut aliorum etiam infidelitate intervertantur; & sicubi aliquid tale factum esse meminerint, aut indagare potuerint, similiter ad Nos quamprimum fideliter referant.

CAPUT XIX.

De Libro Pastorali, seu Cæremoniali.

QUia etiam rituum, ac cæremoniarum in Sacramentorum administratione magna est variatio; hanc præcavere cupientes, authoritate Serenissimi, & Reverendissimi Principis, & Archi-Episcopi Coloniensis, tanquam Metropolitani, anno 1614. Coloniæ impressum, & approbatum librum Pastoralem, quem Agendam vocant, ita omnibus commendatum cupimus, ut illo solo in Sacramentis dispensandis, & sacris Officiis & Cæremoniis perficiendis utantur, ut nec Sacramentalibus, nec essentialibus alicujus Sacramenti quicquam unquam detrahatur, vel contra morem Ecclesiæ Catholicæ, aliquid in iis immutetur; injungentes omnibus & singulis Pastoribus, Vicariis & Sacellanis curatis, ut hunc librum non solum habeant, sed & diligenter revolvant, sibique usu & lectione frequenti familiarem reddant: & requirimus omnes & singulos, quibus visitandi Ecclesias munus incumbit, ut in hanc rem oculos diligenter intendant, ne qua Parochia isto libro careat, sed bina exemplaria habeat, & contra negligentes debitam animadsionem adhibeant.

CAPUT XX.

Sacramenta & Parochialia officia quomodo gratis administranda.

QUamvis in Pastoribus & Curatis reprehensibile non sit, illud, quod post Sacramentorum administrationem sponte offertur, accipere, aut, quod juxta laudabilem consuetudinem eis debetur, peracto ministerio petere; caveant tamen, ne directe, vel indirecte pactionem aut contractum aliquem ineant, pro Sacramento administrando, prædicatione, sepultura, vel quovis alio Pastorali officio peragendo, aut ne contra voluntatem pauperum hominum aliquid ab ipsis extorqueant, aut pretia certa præfigant, aut in ipso Baptismate infantium, qui legitime nati non sunt, ulterius aliquid, & quasi in pœnam (quod factum esse, illibenter intelleximus) requirant, ne avaritiæ, & Simoniæ a Canonibus inflictæ pœnæ reatum incurrant, ac etiam pro modo culpæ, arbitrarie a Nobis puniantur. Superfluum etiam & ab Ecclesiæ Catholicæ usu alienum censemus, in quorumvis rusticorum, & puerorum sepultura conciones adhibere; sed poterit populus, post cæremonias Catholicas, admonitionem succinctam mortalitatis, ac cohortationem solitam ad preces deinde dimitti.

CAPUT

CAPUT XXI.

In Matrimonio contrahendo servetur Decretum Concilii Tridentini.

DE Matrimonio autem servetur Decretum Concilii Tridentini *Sess.* 24. *C.* 1. *de Reformat. Mat.* sciantque omnes, qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus testibus præsentibus Matrimonium contrahere attentabunt, hujusmodi contractus nullos & irritos esse, nec Matrimonium, nec prolem inde natam legitimam esse: Quod a Parochis, subditis suis publice denunciari mandamus, & ut diligenter ea observentur, quæ ibidem de proclamationibus faciendis, & præparatione ad sacrum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum, Sponsis insinuanda præcepta sunt.

CAPUT XXII.

Ss. Sacramenta ne in privatis ædibus administrentur, sine gravi causa, & expressa licentia.

VOlumus autem in his Ss. Sacramentis debitam majestatem & reverentiam observari, ne sine justa causa, necessitate, aut Ordinarii licentia, in privatis ædibus ministrentur, aut celebrentur, sed iis locis, quæ ad hoc publico usu destinata sunt, & quæ Ministrantes & suscipientes, omnesque circumstantes, in fide, charitate, ac debita reverentia magis accendant, omnique cultu ac religione sanctissime peragenda admoneant.

CAPUT XXIII.

Ut decor domus Domini conservetur, & habitus decentia in administratione Ss. Sacramentorum.

QUapropter quod supra quoque insinuatum fuit, omnino volumus & mandamus, ut Tabernacula, Baptisteria, Altaria, & similia loca, nitida omnique cultu adornata sint: quæ Parochorum perpetua inspectio, Æedituorum, aut Custodum diligens cura erit. Et ut Sacramentum aliquod administraturus, decenter indutus sit vestibus sacris, ad minus superpelliceo, & stola, & qui illi adsistit, sive Clericus, sive Æedituus, aut Sacristanus, mundo & decenti superpelliceo sit indutus, qui Sacerdoti oranti totius Ecclesiæ nomine respondeat.

CAPUT XXIV.

De non admittendis Sacerdotibus, nisi cum approbatione.

NOn liceat vago, ignoto, aut extraneo Sacerdoti, Missarum celebrationem, vel etiam cuivis alteri Sacerdoti, Confessionis, vel aliorum Sacramentorum administrationem, aut verbi Divini prædicationem in Ecclesiis nostræ Diœcesis assumere, nisi examine præmisso & approbatione nostra, vel nostri in Spiritualibus Vicarii, in scriptis obtenta.

CAPUT XXV.

De libris necessariis Parochorum, & Catechismo.

I.

HOrtamur etiam Parochos, ut libros necessarios, & ad officium suum exequendum commodos, sibi comparent, ac, præter utrumque Testamentum approbatæ translationis, latinæ & germanicæ, Sanctorum Patrum libros, quoscunque pro facultatibus suis poterunt, comparare sibi studeant; præsertim eos, qui Pastoralia officia exercuerunt, & ad hæc in scriptis suis excolenda collimarunt, ac præsenti statui Ecclesiæ ad defensionem fidei, & restitutionem morum, ac disciplinæ Christianæ plurimum conferunt, quorum indicem, si ita res postulet, ipsis posthac dabimus.

II. Parochi quoque & Curati, Catechismum Canisii, quem edi, & distribui curavimus, diebus Festivis, ac Dominicis, tempore congruo, pueris & rudi populo proponant, & diligenter explicent.

III. Volumus quoque ad incertitudi-

tudinem omnem multaque incommoda præcavenda, ut omnes Paſtores & Curati tres libros habeant, in quorum uno Baptizatorum nomina cum Patrinis, cum anno & die & parentum nominibus ſcribantur; ſi ſit autem illegitimus partus, matris tantum nomen adſcribatur.

IV. in ſecundo referantur nomina eorum, qui Matrimonio junguntur, ſimiliter cum anno, die, nominibusque parentum, ſeu proximorum cognatorum, & aliquot teſtium.

V. In tertio, juxta ordinem domorum, vicinitatum, ac familiarum, conſcribantur omnium, & ſingulorum Parochiali curæ ſubjectorum nomina, cum die nativitatis, & Baptiſmatis; & ſi ad rationis annos pervenerint, ſingulis annis per notam illud adſcribatur, qui peccata ſua confeſſi fuerint circa Paſcha, & Communionem ſuſceperint, & aliorum nomina, qui confeſſi non fuerint, nec communicaverint, & infra Paſcha, & Pentecoſten Nobis, aut noſtro in Spiritualibus Vicario, in ſcriptis exhibeantur.

CAPUT XXVI.

De promulgatione, & inſinuatione rerum neceſſariarum a Paſtoribus facienda.

HIs quoque Paſtoribus, & Curatis ſerio injunctum volumus, ut, quæ in Statutis Synodalibus, aut alias a Nobis conſtituta & promulgata ſunt, aut quæ ex Concilii Tridentini Decretis ad Parochianos ſuos pertinent, ipſis intimare, & inculcare non omittant.

CAPUT XXVII.

De Proviſoribus, Structoribus, ſeu Magiſtris fabricæ.

PRoviſoribus, ſeu Ædilibus, & Structoribus Eccleſiarum & Capellarum (quos non alios, quam Catholicos eſſe volumus) ſerio injungimus, & mandamus, quatenus Eccleſias, Capellas, Oratoria, Altaria, cæmiteria, campanas, feneſtras, Sacerdotalia paramenta, & quæcunque vaſa ad Divinum uſum & Eccleſiæ Sacramenta deſervientia, fieri, reparari, reſtaurari, conſecrari, & renovari faciant, & procurent, & ad Paſtorum, & Curatorum requiſitionem in hoc ſe faciles, & obedientes præſtent; alioquin pœnam noſtram arbitrariam pro modo negligentiæ, ſeu contumaciæ experturi.

CAPUT XXVIII.

De rationibus reddendis.

QUibus etiam ſub diſtrictione eadem mandamus, ut Eccleſiæ reditus non in alios uſus extraneos convertant, & ſingulis annis, in præſentia Parochi, & ad hoc deputatorum accuratas & particulares rationes reddant in ſcriptis, conſervandas in ciſta aliqua Templi; quas, requiſiti, Nobis, aut noſtris ad hoc Deputatis, facile exhibere poſſint.

CAPUT XXIX.

De Archivo, Inventario, & Transſumpto literarum, monumentorum, & Regiſtrorum.

I.

LIteræ originales, Regiſtra, & alia quæcunque monumenta & inſtrumenta, in Archivo, vel ciſta, tribus differentibus feris cuſtodita, diligenter aſſerventur; cujus unam clavem habeat Paſtor, alteram ſenior Eccleſiæ Proviſor, ſeu Ædilis, tertiam ejus ſenior Collega obtineat; nec unquam archivum, vel ciſta aperiatur, niſi ſinguli clavium Cuſtodes perſonaliter ſint præſentes.

II. Præter vero ſummariam illam deſignationem redituum Paſtoralium & Beneficiorum (de qua ſupra C. 17.) harum omnium literarum, monumentorum, inſtrumentorum, jurium, redituum, obventionum inventarium quamprimum opera Paſtorum in præſentia Notarii ubique conficiatur, & paulatim etiam in authenticam formam a Notario tranſſumatur, ſicuti etiam quarumcunque rerum Eccleſiaſticarum mobilium, calicum, corporalium, purificatoriorum, ſanctarum Reliquiarum, veſtium ſacrarum, ornamentorum, librorum, aliorumque ſacrorum inſtrumento-

mentorum repertorium inſtituatur, ut Eccleſiarum neceſſitates eo magis agnoſcere, ac juvare poſſimus.

CAPUT XXX.

De Ludimagiſtris.

MAgiſtri quarumcunque Scholarum in civitatibus, oppidis, ac pagis, aut aliis locis non admitttantur, niſi ſe Nobis, aut noſtro in Spiritualibus Vicario præſentarint, & licentiam ludum aperiendi, ac juventutem docendi, in ſcriptis obtinuerint.

CAPUT XXXI.

De Cuſtodibus.

CUſtodes quoque, ſeu Campanarios qualificatos requirimus; qui non admittantur, niſi Catholici, & approbatæ vitæ, noverintque ea, quæ ſui ſunt officii, Paſtori ſuo & Parochiæ fideles ſint, & ab initio officii ſui cum inventario omnia recipiant, &, quatetenus neceſſe videbitur, fidejuſſores conſtituant, ac dum Divinis aſſiſtunt, aut in miniſterio Templi, ac Chori ſub ſacris Officiis, cereis accendendis, neceſſariisve procurandis interſunt, ſuperpelliceis induti eſſe debent; Quod Theſaurariis Collegiatarum Eccleſiarum, & iis, ad quos hæc cura in Parochialibus pertinet, injunctum eſſe volumus, & ut diligenter caveatur, ne ſacra vaſa, ab iis, aut aliis indignis, irreverenter contingantur, aut tractentur, & ut veſtimentorum, mapparum, pallarum, & altarium, corporalium ablutio, ſecundum communem Eccleſiæ conſuetudinem, ac toties fiat, ut nitor, puritas, & reverentia Deo, ſacrisque rebus debita, conſerventur.

CAPUT XXXII.

De Hoſpitalibus, Capellis, & aliis piis locis.

HOſpitalium quoque, Capellarum, Conventuum, Altarium, & quorumvis piorum locorum curam, & reſtitutionem ita ad noſtram Epiſcopalem inſpectionem pertinere ſcimus, ut ſine reatu conſcientiæ ex his negligere nihil poſſimus, aut velimus; ſicubi profanata, ſuppreſſa, aut interverſa, ut reſtituantur, & Divinum Officium, & aliæ piæ fundationes, juxta tenorem inſtitutionum, peragantur.

CAPUT XXXIII.

De Commiſſariis, Viſitatoribus, & Superioribus Sanctimonialium.

HOrtamur & requirimus quoque omnes, & ſingulos Ordinum quorumcunque Monialium Superiores, Commiſſarios & Viſitatores, ut in vitam & mores ſibi ſubditarum Sanctimonialium ſerio inquirant, quæ ad clauſuram earum pertinent, ſtudioſe obſervari faciant, & eas nullatenus extra Monaſterium vagari, ſed ne quidem Monaſterio exire, aut clauſuram ad breviſſimum tempus relinquere ſinant, niſi ex cauſis a jure expreſſis, & noſtro conſenſu, in ſcriptis obtento.

Habitum etiam earum ad ſimplicitatem Ordinis Religioſi reducant, Patres aut Confeſſarios idoneos illis perficiant (quorum nullum ſine ſocio reſidere permittimus) bis, terve ſingulis annis Confeſſarios extraordinarios illis offerant. In primo ad Religionem ingreſſu, nullam Simoniam, in veſtitionibus nulla, in profeſſionibus vero non lauta, & ſumptuoſa convivia, nullas particulares familiaritates, nec victalitia, quæ ipſæ ſecundum voluntatem ſuam adminiſtrent, neque alia, quæ ſtatui ipſarum & carentiæ proprii, vel paupertatis voto, contraria ſunt, admittant; & omnia, quanta fieri poteſt accuratione, ad normam Regulæ (ſine qua nihil recte fit) exigant.

Virorum vero Monaſteriis pietatem, graves & religioſæ vitæ congruentes mores, & ſacrarum Literarum ſtudia ſerio commendamus; ſine quibus non tam religioſa, quam vita otioſa eſſe, dicique poteſt.

CAPUT XXXIV.

De Examine Ordinandorum, & admittendorum ad ſacra Miniſteria, maxime ad curam animarum.

VOlentes autem in futurum præcavere, ne ad miniſterium Eccleſiæ,

siæ, & maxime animarum curam accedant ii, qui idonei non sunt, cum illud certum sit, quod ordinatio, & institutio janua sit, per quam sit ingressus ad Ecclesiarum ministeria, qui si sit corruptus, totam Ecclesiæ œconomiam evertit; repetimus ea, quæ in Concilio Tridentino de ordinandorum, & ad curam præcipue animarum admittendorum examine salubriter sunt statuta. Nolumus autem ullum posthac cujuscunque status ad Ordines & Beneficia, maxime curata, sine hujusmodi examine admitti, provisiones autem, collationes, institutiones, investituras, aliter factas, nullius roboris declarantes.

Deputantur autem Examinatores cum Vicario nostro in Spiritualibus Generali:

D. Præpositus Cathedralis Ecclesiæ Sixtus a Liauckema.

D. Decanus Cathedralis Ecclesiæ Theodorus Morrien.

P. Stephanus Pulingius, Abbas Iburgensis.

P. Nicolaus Altenhausen, Prior Dominicanorum.

P. Joachimus Joannis, Societatis JEsu Presbyter.

D. Conradus Bueren, Sacellanus Curatus Cathedr. Ecclesiæ.

CAPUT XXXV.

De Judicibus delegatis in partibus constituendis.

UT etiam sumptibus litium, comperendinationibus, ac longioribus evocationibus obviam eatur, ut ea, quæ de Judicibus delegatis in partibus constituendis, quibus præter Ordinarios locorum in partibus causæ Ecclesiæ ac spirituales, seu ad forum Ecclesiasticum pertinentes, committi possint, a Ss. Concil. Trident. *Sess.* 25. *de Reform. Cap.* 10. statuta sunt, in usum & praxin quamprimum deducantur, designantur in Synodo:

D. Præpositus Cathedr. Ecclesiæ Sixtus a Liauckema.

D. Decanus Cathedr. Ecclesiæ Theodorus Morrien.

D. Decanus Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis, David Fabricius.

D. Judocus Uphausen, J. U. D. & ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ Canonicus.

CAPUT XXXVI.

De Civibus, Incolis, & Subditis Diœcesis Osnabrugensis.

CUm vero in Republica Christiana, & utroque Statu, Ecclesiastico, & Politico, suprema lex sit salus populi, omnesque leges tam Ecclesiasticæ, quam Civiles ad interiorem munditiem, & pacem exteriorem, ordinentur, quorum finis est, beatitudo omnium & singulorum hominum, quæ sine vera Religione & virtutis exercitio obtineri non potest, hinc mandamus omnibus & singulis nostris subditis, civibus & incolis, ut post puritatem veræ & Catholicæ Religionis susceptam, virtutis studio se dedant, publica crimina, maledicentias, blasphemias in Deum, Ss. Sacramenta & Sanctos, adjurationes, imprecationes, ebrietates, comessationes, rixas, dissensiones, discordias, impudicitias, scortationes, & quæ sunt cætera opera carnis, non spiritus & virtutis, evitent; sub gravibus pœnis, in sacris Sanctionibus, & tam criminalibus, quam civilibus Constitutionibus contentis, aliisque Nobis arbitrariis. In hanc rem etiam serio Superiores, Magistratus, Officiales, Curati & Pastores incumbant, ne quid per eorum socordiam, & negligentiam debitæ admonitionis, ac necessariæ instructionis, & respective punitionis & correctionis publicæ & privatæ prætereatur; ut Deo cultus debitus, honor & gloria, & Politico Statui civilis honestas, & modestia integra observentur.

Hactenus Constitutiones Synodales.

Sequitur Instrumentum Notarii.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

NOverint universi & singuli hoc præsens publicum Instrumentum inspecturi, lecturi, & audituri, quod anno a Nativitate ejusdem nostri Domini JESU CHRISTI, Millesimo, sexcentesimo, vigesimo quinto, Indictione octava, die vero Martis, quarta mensis Martii, stylo correcto, inter undecimam & duodecimam horam ante meridiem, Pontificatus

catus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri URBANI, Divina Providentia Papæ VIII. anno Secundo, in mei Notarii publici, Testiumque infra scriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum, præsentia, finita Concione Synodali, & peractis aliis solemnitatibus, personaliter constitutus, Reverendus admodum Clarissimus & Consultissimus Vir, Dominus ALBERTUS LUCCENIUS, *Illustrissimi & Reverendissimi Principis & Domini, Domini ITELII FRIDERICI, Dei gratia S. R. E. Cardinalis de Zolleren, Episcopi Osnaburgensis, Domini nostri Clementissimi, Vicarius in Spiritualibus Generalis, ac Proto-Notarius Apostolicus, habens ac suis manibus tenens Schedulam quandam Protestationis, quam clara & intelligibili voce coram tota Synodali Congregatione prælegit, lectamque mihi Notario tradidit, fuitque protestatus solenniter, prout in eadem latius continetur; requirens & petens desuper unum vel plura publicum, seu publica fieri & confici Instrumentum & Instrumenta. Acta sunt hæc in superiori Domo Capitulari Osnabrugensi coram tota Congregatione, sub anno, Indictione, mense, die, horis & Pontificatu, quibus supra, præsentibus ibidem Honorabilibus, Eximiis & Doctissimis Viris Dominis, Davide Martingio, & Conrado Bueren, Ecclesiarum Cathedralis Osnabrugensis, & Collegiatæ ad Sanctum Joannem ibidem, respective Canonico, Vicario, & Concionatore, tanquam Testibus ad præmissa specialiter rogatis & requisitis. Prætactæ Protestationis autem schedulæ tenor est talis:*

Illustrissimus ac Reverendissimus Princeps & Episcopus Osnabrugensis, Dominus noster Clementissimus, publice & in his scriptis per expressum protestatur, ex quo nonnulli, qui huic Synodo (*) de jure, vel consuetudine interesse debuerant, pro hac quidem vice, tanquam notorie inhabiles, in specie citati non sunt; alii etiam vel metu, vel prætextu alicujus exemptionis non comparuerint, quod in hoc Illustrissima & Reverendissima Celsitudo Sua, sibi, suisque Successoribus nullatenus præjudicare, sed potius jus suum sibi integrum & inviolatum, & contra contumaces omnia competentia juris remedia reservare & reservata esse intendat, petendo desuper a vobis Notario Instrumentum & Instrumenta.

Et ego Gerhardus Brickwedde, *publicus Notarius, & Venerabilis Curiæ Episcopalis Osnabrugensis Scriba communis, quia prædictæ declarationis publicationi, protestationi, omnibusque & singulis, dum sic, uti præmittitur, fierent, & agerentur, una cum prænominatis Testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi, audivi, ac in notam sumpsi, idcirco præsens publicum Instrumentum exinde confeci, subscripsi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, signoque, nomine & cognomine meis solitis & consuetis signavi & corroboravi; in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum specialiter rogatus & requisitus.*

Lünig Spicil. Eccles. P. II. a pag. 597.



(*) Nullis Synodum hanc Notis distinctam exhibet citatus, unde illam transcripsi, Lünigius. Secus fit in Editione Osnabrugensi A. 1628., ubi præter Scripturæ sacræ, SS. PP. & Juris Canonici locos, varia variis sub Archi-Episcopis, maximam partem Coloniensibus Concilia, inprimis vero Ss. Oecumenicum Tridentinum, opere continuo, ac serie designantur.

SYNO-

SYNODUS DIOECESANA SEDUNENSIS (*) IN VALLESIA,

Anno Christi MDCXXVI. Urbani VIII. Papæ IV. Ferdinandi II. Imp. VIII.

HABITA,

Præsidente Reverendissimo & Illustrissimo Domino,
D. HILDEBRANDO JODOCO, (**) Sedunensi LXXII. Episcopo, Vallesiæ Comite ac Præfecto, S. R. I. Principe,
ad diem 25. Aprilis.

HILDEBRANDUS JODOCUS, DEI ET APOSTOLICÆ Sedis gratia Sedunensis Episcopus, Præfectus ac Comes Vallesiæ & S. R. I. Princeps &c. Universo Clero, populoque nostræ Civitatis & Diœcesis Sedunensis, Pacem & Episcopalem Benedictionem.

PLures sunt anni, cum plura collecta habuimus, quæ ab ipso suscepti Episcopalis officii exordio notari cœpta, ad exoptatum nostræ Diœcesis statum conducere judicabamus. Ea ipsa de Illustrium, Reverendorum, Venerabilium Dominorum Decanorum, reliquarumque Dignitatum, & Canonicorum nostræ Cathedralis Sedunensis Ecclesiæ consensu, in nostra Diœcesana Synodo anno M. DC. XXVI. non tantum fuerunt promulgata; verum etiam ab omnibus, qui eidem Synodo per Nos legitime congregatæ, & ex præscripto Sacrosancti Concilii habitæ interfuerunt, unanimi assensu sunt acceptata. Nunc aliquando eadem æneis consignata typis, superatis omnibus, quæ diu, multumque nostris conatibus, & votis obstiterunt, difficultatibus eo fine in lucem evulgantur, ut, quæ post longam plurium annorum observationem & experientiam ad DEI gloriam, & animarum salutem sunt decreta, tot Venerabilium, Reverendorumque Patrum consensu & assensu acceptata, illa ab universo inposterum nostri Episcopatus Clero, populoque observentur. Quare pro ea, quam in vos habemus, authoritate; pro reciproca, qua vos in Nos obstricti estis, observantia per JESU CHRISTI Domini nostri viscera, & Sanguinem cunctos rogamus, & vero jubemus, ut universi pro status, officiique sui partibus & munere in exactam horum Decretorum incumbant observationem. Etsi prout res fert, aliquas subinde sacræ Scripturæ, Canonum, sacrarum tam Generalium, quam particularium Synodorum producamus authoritates; multo tamen plures conticemus. Quin indocti credent, docti recognoscent, nihil in his Decretis haberi, quod Divinis Literis, sacris Conciliis, & Canonibus, Sanctis Patribus & Theologiæ Doctoribus, vel acceptum non referri debeat, vel conforme non sit, quod vel unum ad diligentem nostrorum Decretorum observationem, universos vehementer commovere potest, debetque. Ne quis

(*) Episcopatum Sedunensem unum esse e vetustissimis totius Galliæ, scribit *Josias Simlerus* in Vallesiæ & Alpium descriptione, anno 1633. Lugduni Batavorum in 24to. edita. *Cratepolius* in assertione Missæ cum eodem facere videtur. Sunt, qui Italiæ Episcopatum nominent. Nos Bucelino in *Germania sacra*, Josepho Binero S. J. in *observat. Cathol. de Ecclesia* Part. III., & Historiæ Eccles. Germaniæ *de Archi- & Episcopatibus*, aliisque Scriptoribus adsentientes, Episcopatum illum Germaniæ nostræ tribuimus, atque inter antiquissimos ipsius Episcopatus numeramus.

(**) Vide sub finem Synodi.

quis porro ullam ignorationem possit prætexere, mandamus omnibus Parochis, aliisque curam animarum habentibus, ut has nostras Constitutiones comparent, inter libros suarum Parochiarum inscribant, suis Successoribus relinquant, comparatas legant, lectas intelligere studeant, intellectas data, quæsitaque occasione etiam pro concione populo edicant, ipsi observent, & ab universis, quibus poterant modis, curent observari: dum hæresum, si quæ supersunt, reliquiæ extirpentur; dum Divinus cultus, Catholicaque Religio augeatur; dum emendatis vitiis, vitæ Christianæ sanctitas toto nostro Episcopatu effloreſcat, qui unus finis est, ob quem has Constitutiones evulgamus, & evulgatas observari mandamus. In nostra Sedunensi arce, (alias Majoriæ) die 28. April. Anno Domini 1635.

ELENCHUS CAPITUM ET PARAGRAPHORUM
hujus Constitutionum Synodi.

V.

§. V. *Altaria cum ornatu suo & paramentis.*
VI. *Tabernaculum cum lampade, custodia, & vasculo, ad deferendum ægris Ss. Sacramentum.*
VII. *Unctiones sacræ cum vasculis.*
VIII. *Cathedræ Concionatorum.*
IX. *Confessionalia.*
X. *Supellex sacra.*
XI. *Fabrica Templi.*
XII. *Domus Parochialis.*
XIII. *Xenodochia.*

CAPUT VII.

De Beneficiis Ecclesiasticis.

§. I. *Jus Patronatus & præsentationis.*
II. *Collatio Beneficiorum.*
III. *Pluralitas Beneficiorum.*
IV. *Resignatio Beneficiorum.*

CAPUT VIII.

De Bonis Ecclesiasticis.

§. I. *Bona & jura Ecclesiæ.*
II. *Immunitates & Privilegia.*
III. *Decimæ, Primitiæ, Oblationes.*

CAPUT IX.

De Judicio Ecclesiastico & nonnullis Criminalibus.

§. I. *Jurisdictio fori externi.*
II. *Causæ Ecclesiasticæ.*
III. *Hæresis.*
IV. *Simonia.*

§. V. *Concubinatus.*
VI. *Usura.*
VII. *Violatio Immunitatum Ecclesiæ & usurpatio bonorum Ecclesiasticorum.*

CAPUT X.

De Pœnis Ecclesiasticis.

§. I. *Pœna in genere.*
II. *Censuræ Ecclesiasticæ.*
III. *Excommunicatio.*
IV. *Suspensio.*
V. *Interdictum.*

CAPUT XI.

De Visitationibus.

§. I. *Visitatio ipsa.*
II. *Sumptus Visitationis.*
III. *Executio articulorum Visitationis.*

CAPUT XII.

De Synodo Diœcesana.

§. I. *Celebratio Synodi.*
II. *Personæ Synodales.*
III. *Utilitas & necessitas Synodorum.*

Adjiciuntur, ut liquet, in Exemplari

Forma Professionis Fidei ex Bulla S. D. N. D. PII Papæ IV. &c Latina, Germanica, & Gallica.
Modus conferendi Institutionem.
Forma Juramenti Curatorum, seu Beneficiatorum.
Juramentum Procuratorum Ecclesiæ.

CONSTITUTIONES SYNODALES *DIOECESIS SEDUNENSIS.*

CAPUT I.

DE RELIGIONE ET FIDE CATHOLICA.

IN NOMINE SANCTISSIMÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS; PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

§. I.

Professio Fidei orthodoxæ.

NOS HILDEBRANDUS JODOCUS, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Sedunensis, Comes & Præfectus Vallesiæ, S. R. I. Princeps &c. una cum tota Diœcesis nostræ Synodo in Spiritu Sancto legitime congregata, principium a vera, & orthodoxa Religione facturi, Unam, Sanctam, Catholicam & Romanam Fidem a Christo, Apostolisque profectam, ab Ecclesia Christi receptam, explicatam, definitam, traditamque amplectimur, credimus & profitemur, contraria vero & adversantia huic veræ fidei

fidei dogmata repudiamus penitus, ac anathematizamus. Idem universo Diœcesis nostræ Clero ac populo injungimus, & ad solidum, firmum, indefessumque Religionis, & Fidei studium, usum atque exercitium, ad omnimodam in ea perseverantiam, omnes & singulos exhortamur. Mandantes, ut Professionem fidei ex Bulla PII IV. quæ incipit: *Injunctum nobis &c.* petitam, & in Ecclesia Christi consuetam, in promptu habeant illi, quorum interest, eamque, ubi usus, necessitasve postulaverit, emittant, atque emitti curent ab iis, quorum res agitur, cujusmodi sunt ab Hæresi resipiscentes, vel de illa suspecti, nec non Beneficiati beneficio curam animarum habente, & alii, de quibus Conc. Trid. *Seff.* 24. *C.* 12. *de Reform.* Formula Professionis fidei Latina, Germanica, & Gallica inferius post Constitutiones Synodales seorsim reperietur.

§. II.

Loca & exercitia pravæ Religionis interdicta.

OMnibus & singulis cujuscunque status & conditionis hominibus sub pœna LX. Lib. Maurisiensium, & nostræ indignationis toties, quoties incurrenda inhibemus, ne quis famulatus, opificii, mercaturæ, linguæ vel Scholæ literariæ gratia, ullam Sectariorum urbem, pagum, castrumve, ad moram inibi diuturniorem faciendam adeat, cœnam, ut vocant, sumat; Matrimonium solemniset, infantes ibi baptizandos & mortuos sepeliendos absportet. Parochos, Concionatores, & Confessarios gravissime monemus, ut invigilent, ne Christianæ oves fœda atque hæretica scabie inficiendæ, relicta Christi caula ad suilia, siliquasque hæreticas se conferant, mentem hæresibus, ventrem prohibitis cibis repleant, repletæ denique ac bene impinguatæ, alias Christi Domini oves & agnos, ut vulgo fit, post suum in patriam reditum inficiant, infectasque perdant juxta illud 1. Cor. 5. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Et Psal. 17. *Cum perverso perverteris.* Parochi proinde, quibus velut Pastoribus ea proprie cura incumbit, & alii Catholicæ Religionis amatores & zelatores, re probe & mature intellecta, Nos quantocius commonefaciant, ut tanto malo, quod antehac Patriam, Episcopatumque nostrum destruxit, ac propemodum perdidit, occurrere, tempestiveque mederi possimus.

§. III.

Libri & imagines contra Fidem & bonos mores prohibitæ.

LIbrorum prohibitorum, cujusmodi sunt hæretici, vel de hæresi suspecti, superstitiosi, magici, amatorii, scurriles, obscœni, impuris imaginibus, emblematis, & id genus aliis picturis aspersi, famosi, inhonesti &c. Iconum quoque spurcarum, venerearum, hæresiarcharum, & aliarum quarumcunque contra fidem ac bonos mores facientium usum, emptionem, venditionem, & publicam, sive privatam domi retentionem penitus interdicimus. Quemvis insuper exhortamur, ut libros tales & imagines cuivis habenti impune eripiat, Censoribus Ecclesiasticis tradat, ut secundum antiquissimum Ecclesiæ morem *Act. cap.* 19. bonis flammis typus corrigatur.

Possessores talium librorum & imaginum prohibitarum, si prius amice ad ea promenda moniti non acquieverint, sed se potius rebelles & pervicaces exhibuerint, eos pœnis Ecclesiasticis coercebimus; incorrigibiles adhibito Pastorali Pedo, Regali æque, ac Principali authoritate emendabimus.

§. IV.

Superstitiones & Magia tollenda.

SUperstitionem quamcunque & Magiam, utpote vero Dei cultui diametraliter oppositam, severissime inhibemus, Pastoresque animarum gravissime monemus, ut pro concione in illa crebro invehantur, mala cum spiritualia, tum temporalia inde emergentia populo proponant, exaggerent, & explicent: in superstitiosos, si quos deprehenderint, & vero fatidicas, divinatrices febrium, & aliorum morborum

rum ſignatrices, ut vocant, mulierculas graviter animadvertant, invocato etiam, ſi opus ſit, vel noſtro auxilio, niſi lenioribus, & facilioribus ſe mediis ſubmittant, & reſipiſcant.

CAPUT II.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

§. I.

Prælati, Dignitates & Canonici Cathedralis Eccleſiæ Sedunenſis.

DIgno plane & competente titulo Prælatos Eccleſiæ Chriſtus affecit Matth. 5. *Vos eſtis Lux mundi, Non poteſt Civitas abſcondi ſupra montem poſita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt* &c. Ideo Lux mundi dicuntur, ut Eccleſiæ, cui poſt Epiſcopos dignitate & authoritate præſunt, virtute & pietate præfulgeant. Ideo ſupra candelabrum Eccleſiæ poſiti ſunt, ut luceant omnibus, qui in domo Dei ſunt. Ideo ut Civitas ſupra montem collocati ſunt, ut ſicut dignitate præcellunt, ita etiam verbo & exemplo præeant, & excellant in reformanda, retinenda, & conſervanda Eccleſiaſtica diſciplina, in promovendo Dei cultu, atque juvando, ac manutenendo omni opera, conſilio, favore, amore, officio, & obſequio ſuo Epiſcopali. Quocirca evigilent diligenter Dignitates & Canonici, ut juxta Statuta Canonica in Domino vivatur, diſciplina debita ſervetur, cultus Divinus rite peragatur, Epiſcopus cum Epiſcopatu foveatur, juvetur, in ſuo eſſe conſervetur, atque priſtino nitori reſtituatur. Et quia homines ſumus, nihilque humani a nobis alienum putamus, dent ſedulam Prælati operam, ut delinquentes mature emendentur: ita tamen, ut plus juris ſibi, & authoritatis in puniendo non aſſumant, quam legitime competat. Meminerit Venerabile Capitulum viſitari juxta Sanctiones Canonicas, potiſſimum Conc. Trid. *Seſſ.* 6. *Cap.* 4. *de Reformatione*, & *Seſſ.* 25. *Cap.* 6. *de Reform.* Corrigi ſe & emendari etiam Apoſtolica authoritate toties, quoties opus fuerit ab Epiſcopo ſuo poſſe. Cæteris autem in rebus Capituli jurisdictionem & poteſtatem, quæ eis competit, cum bonorum adminiſtratione, ſalvam & intactam omnino juxta idem Conc. Trid. relinquimus: ſicut & laudabiles conſuetudines, uſu ipſo receptas, & a noſtris Prædeceſſoribus pie approbatas adhuc in præſentiarum approbamus & confirmamus. Omnem moveant lapidem, ut jura omnia, ut inſtrumenta, ut jurisdictiones, ut fundi &c. ſarta, tecta conſerventur, amiſſa recuperentur: videant diligenter, ut jura Epiſcopalia, & id genus alia ad Epiſcopatum pertinentia non amittantur, & amiſſa reſtituantur. Maxime vero attendant, ut morituro Epiſcopo bono numero adſint Canonici, animam Deo commendent, claves ad jura Epiſcopalia quamprimum ab Oeconomo & Camerariis exigant, diligenter aſſervent, nec non ex Dignitatibus duo in arce Epiſcopali, toto vacantis Sedis tempore, diu noctuque permaneant, ac rem ita gerant, ut Succeſſor Epiſcopus plena authoritate, plenis juribus poſſeſſionem pleniſſimam quiete & pacifice capere poſſit. Alia Canonicis & Clericis communia videri ſuis quæque locis, Capitibus, & Paragraphis infra ſcriptis poterunt potiſſimum Capite ſequenti: *De vita & honeſtate Clericorum.*

§. II.

Vicarii rurales.

MUltum ſitum eſt in officio Vicariorum ruralium, ut Epiſcopus variis diſtentus negotiis, per eos nonnihil ſublevetur, Clerus, populusque ſupra & infra Morgiam in officio contineatur, cultus Divinus augeatur, virtus excolatur, vitia tollantur, novem proinde per Nos, vel noſtrum Vicarium Generalem in Spiritualibus, & temporalibus omnino Vicarii rurales eligentur probatæ vitæ, & eruditionis, magnæque experientiæ viri. Electi ſe quamprimum Nobis ſiſtent, pro facienda Fidei profeſſione, pro præſtando obedientiæ & fidelitatis juramento, ac denique pro accipienda Vicariatus rura-

ruralis confirmatione, fine qua nemini fungi officio tali permittimus. Officium ejusmodi Vicariorum erit quot annis femel Capitulum cum Confratribus celebrare; illis Conftitutiones Synodales prælegere; ortas fubinde in eis intelligendis, vel ad praxim redigendis difficultates explicare, gravaminibus cum Ecclefiafticorum, tum Laicorum occurrere, confulere, fublevare, in vitam, mores, doctrinam, & munus Cleri, populique inquirere, Ecclefias, facram fupellectilem, prædia vifitare, in cenfus Beneficiorum, decimasque inquirere; Hofpitalia, ac eorum jura & proventus diligenter infpicere, Clericorum ædes & familias ftudiofe luftrare; defectus & exceffus minores corrigere, majores vero, cujusmodi funt fcandala, hærefes, lectio vel retentio librorum prohibitorum ad Nos referre. Omnes fuæ jurisdictionis Ecclefias annis fingulis obibunt, quid cuivis loco defit, annotabunt, minora reformabunt, majora Nobis commendabunt, quid denique in annua vifitatione fecerint, quid notaverint, quid improbaverint, approbaverintve, quid emendaverint, vel emendandum duxerint, id omne fcripto clare, perfpicue, fuccincte, atque fincere comprehenfum Nobis actutum repræfentabunt. In negligentes graviter animadvertemus. Charitas exigit, ut Confratres tanquam membra de membro mutuo fe foveant in Chrifto, mutuo amplectantur, fibique opitulentur, cujus rei fpecimina crebriora dabunt, ut fit Ecclefiafticorum cor unum, & anima una, ficut eft omnium Sponfa una Chrifti Ecclefia. Anteibit omnibus exemplo quivis Vicarius in diftrictu fuo, maxime cum aliquem ex Confratribus fuis morbo laborantem intellexerit, ut eum invifat, foletur, ei neceffaria, cum fpiritualia, tum temporalia fubminiftret, ut omnes intelligant Ecclefiam Dei Miniftris fuis Novercam non effe, fed matrem, charitatemque in Ecclefiafticis ad fe mutuo fovendos ac juvandos, ufque ad extremum vitæ fpiritum, vulgarem non effe. Ita fiet, ut Clerus, & populus ubique locorum, non parum ædificetur, & Ecclefia Dei miris laudibus extollatur. Vicariorum denique erit Nos, vel Fiscum noftrum quantocius certiorem facere de morte defuncti Curati. Ante omnia meminerint juftorum defuncto perfolvendorum, ut nihil defideretur, advocatis aliunde aliquot ex Confratribus Sacerdotibus. Quod fi tam curta defuncti fupellex effet, ut fumptibus funebribus par non foret, reliquum ex fabrica Ecclefiæ, cui defervivit, fumatur, vel aliunde (fi fabrica ipfa laboret) accipiatur. De Succeffore idoneo quamprimum provideatur, ne viduata diu maneat Ecclefia. Interea temporis Vicarius ruralis, vel ipfe, vel per alium viduatæ inferviat Ecclefiæ, percipiendo & gaudendo, pro rata ejus temporis Beneficii fructibus, donec alius eligatur & canonice inftituatur.

§. III.

Curati, feu Parochi.

PArochorum, feu Curatorum munus quantum fit, vel ex eo patet, quod tanquam legitimi Paftores pafcere fuas oves, & pro illis mori (ubi opus fuerit) debeant, ut docet Chriftus *Joan.* 10. Cum ergo pafcere verbo & exemplo gregem Chrifti teneantur, facile eft videre, quanta in eis virtus, quanta fcientia, quanta dexteritas & experientia, quanta denique in omnibus prudentia requiratur, ne, cum ædificare putant, deftruant potius. Eam ob rem pofthac ftudiofe cavebitur, ne quisquam ad ullam, quantumvis exiguam animarum curam admittatur, qui non minimum Rhetoricam abfolverit, cafus confcientiæ & fidei controverfias per biennium cum fructu audiverit, Cantum Choralem didicerit: allatis & oftenfis hac de re luculentis teftimoniis. Videant porro diligenter, ut per oftium in ovile ovium intrent, & non aliunde tanquam fures & latrones afcendant. *Joan.* 10. Caveant a Simonia, dolo, fraude, deceptione, ne poftmodum (ut fit) oves ab hujusmodi fugiant, & vocem eorum non audiant, uti prædixit Chriftus citato Cap. *Joannis* 10. Adepti bono jure, & non Simoniace vel fraudulenter Beneficia Parochialia, iis fe ante noftram probationem nequaquam immifceant, fed quam-

quamprimum Sedunum veniant, se legitimo & ad curam animarum facienti examini subjiciant, ut vel ad illa Beneficia administranda, & animas curandas admittantur, vel ab illis repellantur. Idque toties, quoties de nova Parochia provisi fuerint. Ejusmodi examen sustinebunt, & omnes Parochorum Vicarii; ne, ut solet, quod Parochi ædificant, Vicarii destruant.

Ubi ergo ad Parochiale officium admissi fuerint, caveant, ne se potius, quam oves quærant, suisque studendo privatim commodis salutem ovium negligant. Ante omnia notas, & bene exploratas habeant sibi commissas oves, cui rei inservient Baptismi, Confirmationis, Matrimoniorum contractorum, defunctorum denique catalogi, in quibus nomina, cognomina, & patria (si sint exteri,) cum diei, mensis, & anni accurata annotatione describentur, ut omnia probe legi ab ipsis & Successoribus queant. Ita fiet, ut tricæ quam plurimæ circa Matrimoniorum & sacrorum Ordinum susceptionem oriri solitæ vitentur, dubia, difficultatesque solvantur, impedimenta comperta habeantur, postremo infinita mala, quæ ex talium rerum ignorantia emergere solent, arceantur. Missas, Divinaqne Officia magna cum animarum puritate, ac devotione peragant, Sacramenta pari munditie administrent, prævia, ubi Confessariorum copia fuerit, confessione vel minimum contritione, cum proposito prima quoque occasione confitendi. Juxta ea, quæ habet Concil. Trident. *Sess.* 13. *Cap.* 7. Ægrotos ultro etiam non vocati invisant, recreent, exhortentur, Sacramentisque reficiant. Verbum Dei Dominicis, Festivisque diebus populo proponant, luculenter explicent, non altis, & ultra captum auditorum conceptibus & discursibus terentes tempus, & jactantiæ, vanæque gloriolæ potius, quam animarum saluti & utilitati studentes. Sint in catechizandis suo loco & tempore rudibus, & imperitis assidui, cum ordinarie major ex Catechismo, quam concionibus fructus hauriatur.

Festos dies, supplicationes, jejunia, anniversaria, contractus matrimoniales distincte promulgent; nullas vero citationes vel literas, nisi de nostra, vel Vicarii Generalis, aut nostri Officialis authoritate, & titulis, sigillisque nostris expressissime munitas, ad proclamandum vel annunciandum suscipiant. Jura Parochialia, titulos, recognitiones, perlustrent, &, ubi opus fuerit, renovari curent, ne vetustate atterantur. Bona Ecclesiastica, decimas, census, prædia, & id genus alia ad Ecclesias suas pertinentia pro virili defendant, invocato hac in re, si videatur, nostro auxilio. Caveant insuper, ne per incuriam eadem imminuantur, obscurentur, amittantur; ne oppignorentur, ne debitis graventur, diutius locentur, ne fundi, census, decimæ, & alii proventus vendantur, vel ullo modo sine nostra expressa licentia alienentur.

Domum Parochialem curent mundam, sartam, tectam, idem de horreo, penu, stabulo, &c. Ecclesias suas mundas, & nitidas conservent, fenestras, parietes a pulveribus, & aranearum telis sæpius purgent, & pavimentum a sordibus.

Paramenta Sacerdotum & Altarium rite componantur, laventur, mundentur, reficiantur. Reliqua supellex sacra, & utensilia pari modo curentur. Vicarios suos, & alios Ecclesiasticos Ministros ita tractent, ut nulla sit de habitatione, victu & amictu, querela justa; nimiis laboribus, & inusitatis in Ecclesia oneribus, non graventur, non vexentur, nec a domesticis vexari sinantur: uno verbo ita amice, benevole & humaniter tractentur, ut differentia inter alios domesticos, & ipsos tanquam Christi & Ecclesiæ legitimos Ministros habeatur. Tempore pestis, vel similis periculi, oves suas ne deserant, vitam potius pro illis ponant. In desertores ovium, seu mercenarios graviter animadvertetur.

§. IV.

Vicarii Parochiales.

Vicarios, seu Cooperatores in Divinis nemo Parochorum assumat, vel eorum opera in Sacramentorum admi-

administratione utatur, nisi prius a Nobis sint legitime approbati. Norint Vicarii, se iisdem in animarum cura administranda subjacere oneribus, quibus ipsi Parochi, cum vices eorum gerant: proinde eadem ab ipsis, quæ a Parochis superiore Paragrapho, requiri. Nec Vicarius, nec Parochus ullus alienis Parochianis, sine propriorum Parochorum licentia, extra casum necessitatis, Sacramenta ullo modo dispensent, idque sub pœna arbitraria. Vicarii Parochis suis exacte pareant, potissimum circa usum & administrationem Sacramentorum, ut non omnia pro arbitratu suo, sed prout ipsis a Parochis præscriptum, injunctumque fuerit, prompte expediant.

§. V.

Sacellani.

SAcellani sciant se a Patronis solis institui; ad talia Beneficia sine gravi Ecclesiæ præjudicio non posse; proinde videant, quid agant, non tantum ipsi, sed etiam Patroni. Sacellanis ut sic nulla conceditur potestas administrandi Sacramenta, sed tantum Missas legendi, & Horas Canonicas recitandi. Caveant Sacellani, ne quidquam derogari juribus Sacelli sinant, potissimum in oblationibus, quas sibi Laici, vel Patroni, vel Procuratores ipsi reservare nonnunquam solent, pro fabrica, ut ajunt, dando duos vel tres ex tota oblatione grossos, ei, qui celebravit. Intolerabile prorsus est, ut oblata in altari a Laicis accipiantur, & in alium usum convertantur.

§. VI.

Rectores Altarium.

REctores Altarium pleraque communia cum Capellanis habent. Attendant diligenter, ut fundationibus fiat satis, qua celebrando, qua Horas Canonicas recitando. Altaria sua cum paramentis, & ornatu integra, incorrupta, mundaque conservent. Quod reliquum est temporis, id utiliter cum aliis Clericis in cultu Divino terant, ne otio tepescentes, in vitia prolabantur. Prælatis & Superioribus suis morem gerant, illos debite observent, bene monentibus non obstrepant, sed correctionem paternam æquo animo suscipiant.

§. VII.

Clerici inferioris Ordinis.

CLerici inferioris cujuscunque gradus, sive sacris, sive minoribus duntaxat Ordinibus initiati sint, Choro assidue, tempestive, decenter, & modeste intersint, Horas Canonicas rite persolvant, non syncopando, ut vocant, integraque verba absorbendo, non præcipitando, sed integre & devote singula inter psallendum, cantandumque efferendo. Dum Divina decantantur Officia, rudiores doctioribus cedant, non nimium attollendo vocem, nec nimium accelerando, potissimum cum nonnulla communia canuntur, qualia sunt votiva.

§. VIII.

Clerici peregrini.

CLericis peregrinis diligentissime attendatur, cum multi ex illis sint subreptitii, vel non Sacerdotes, vel apostatæ religiosi, vel profugi, vel infames, vel aliquo Canonico impedimento irretiti.

Nemo ergo Sacerdotem extraneum, ad celebrandum, ad prædicandum, ad administranda Sacramenta, nisi de expresso mandato nostro, vel Vicarii Generalis facultate admittat, idque sub gravissima indignationis nostræ pœna. Quod si vi in Ecclesiastica munia se ingerere attentaverit, id quamprimum Fiscali nostro, vel Nobis innotescat, ut dignis arcere pœnis ejusmodi opportune valeamus. Qui vero sint admittendi, nostrum erit dijudicare, ut approbati, & admissi, authenticas a Nobis literas repræsentare per totam Diœcesim nostram queant.

§. IX.

Religiosi.

REligiosi cum alios ad virtutem pertrahere suo exemplo debeant, plurimum refert, ut tales in religiosis domi-

domibus eligantur Superiores, & qui ſpiritualibus & temporalibus rebus non ſine ſingulari emolumento præfici poſſint. Proinde volumus, ut tales eligantur, qui nec luxus, nec prodigalitatis, nec avaritiæ, nec incontinentiæ, nec infamiæ vitio laborent, ſed viri boni, pietate & probitate conſpicui, viri graves & judicio maturi, viri ſingulari rerum bene gerendarum prudentia prædit, tales denique, qui vere ſpirituales Patres, non Domini eſſe & haberi velint, ſuosque Religioſos, non ut ſervos, ſed ut filios habere, fovere, amare, tractare ſoleant. Ita enim fiet, ut amor, reverentia, & obſervantia inter ipſos floreat, ſine quibus ſtatus religioſus ſubſiſtere non poteſt. Videant in Domino Superiores, ut tria religioſa vota, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ ſtricte obſerventur, velut tres columnæ firmiſſimæ, quibus religioſum ædificium fulcitur, ut vel una ex his deficiente, corruit. Paupertas ita ſervetur, ut nemo apud ſe, vel alium pecuniam, vel id genus alia habeat. Nemo fundos, vineas, prata, agros &c. tanquam ſuos habeat, colat, fructusque tanquam ſuos colligat, ſed omnia in uſum communem convertantur: hæc enim religioſæ paupertati directe ſunt contraria, Religioſarum familiarum peſtis. Quocirca Superiores invigilent, ut duo illa: *meum* & *tuum* practice ex ædibus Religioſorum relegentur, omnia ſint communia, menſa una, cui ordinarie Superiores interſint, & attendant, ut debita temperantia, modeſtiaque ſervetur, ſemper aliquid ſpirituale ex bonis, probatisque Authoribus legatur, ut ſicut corpus, ita etiam anima ſuo pabulo reficiatur. Una omnium ſub eodem tecto ſit habitatio, dormitorium unum cum ſua, cuique Religioſo cella, ſeu cubiculo & lecto. Nemo quicquam clauſum ſine Superioris facultate habeat, paratusque ſit quilibet promere, oſtendere, & dare Superiori, quotiescunque id requiſitum fuerit, ut de eo ad voluntatem ipſius diſponatur: dent operam Superiores, ut victus & veſtitus, ut cætera religioſæ vitæ neceſſaria, prompte & religioſe, non ſordide ac tenaciter ſingulis ſubminiſtrentur ex communibus domorum religioſarum facultatibus, dum valent vel ægroti ſunt Religioſi, ne juſtam querendi occaſionem arripiant, &, quod pejus eſt, ad priſtinam contra votum paupertatis licentiam redeant. Caſtitatis voto ut fiat ſatis, fœminæ omnes a locis conventualibus excludantur: extra ſepta locorum talium acceſſum habere poterunt, ita tamen, ut ubique honeſtatis ratio habeatur, & ſcandali periculum vel occaſio excludatur. Virorum opera in ſubeundis Monaſteriorum laboribus potius utantur, quam mulierum, ne familiaritatis etiam extra ſepta ſuſpicionem aliquam & ſcandalum pariat. Peregrinæ inſuper mulierculæ & puellæ, quæ fortaſſis, vel eleemoſynæ, vel voti & peregrinationis cauſa ad Templa Religioſorum convolant, intra domum nullo modo admittantur, quocunque paupertatis, neceſſitatis, & honeſtatis prætextu, cum occurri talibus aliter, & citra ullam ſuſpicionem poſſit a bonis, probatæ vitæ & Regularum obſervantiſſimis Religioſis: in quorum Monaſteriis, aut domibus omnes quoque compotationes, utpote caſtitati maxime contrariæ, ſtudioſe caveantur.

Obedientiæ votum, quam exacte ſit ſervandum, norunt omnes, ut ſine quo nullum regimen conſtare poteſt. Nobis ergo, Succeſſoribusque noſtris tanquam Epiſcopis Diœceſanis, debitam reverentiam, & obedientiam in iis præſtent, quæ Jure Canonico, & Conc. Trident. paſſim complectuntur. Omnes Præpoſitis, ſeu Superioribus ſuis obediant, illisque, ut monet *Apoſt. Hebr. Cap.* 13., ſubjaceant, ne invitis olim auribus illud hauriant Roman. 13. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Et alibi 1. Reg. 8. *Non te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. Juxta omnia opera ſua, quæ fecerunt a die, qua eduxi eos de Ægypto* (mundo in Religionem) *uſque ad diem hanc: ſicut dereliquerunt me, & ſervierunt Diis alienis* (Satanæ, carni, & propriæ voluntati) *ſic faciunt etiam tibi* &c. Quocirca rebelles & inobedientes ita corrigantur, ut aliis exemplo ſint. Nemo ſine expreſſa vel implicita facultate pedem domo efferat; multo minus rus, vel ad compita, vel ædes exterorum ſe conferat. Et ne religioſæ diſciplinæ nervus

nervus paulatim remittatur, atque adeo ſancta obedientia ſenſim violetur, atque peſſumdetur; ſi Religioſis ſubinde querulofis aditus ad amicos & conſanguineos exteros non præcludatur, monemus, & exhortamur ſerio Prælatos, & Superiores omnes, ut ejusmodi querulofis hominibus omnem poteſtatem præſcindant adeundi, tractandi, & conquerendi apud exteros, ſive conſanguineos, ſive alios. Quod ſi vi, vel doloſe erumpant; graviter pro meritis excipiantur, nec ulla excuſatio acceptetur, nec queruloſa, & expoſtulatura parentela, amicorum, neceſſariorumve caterva admittatur, ut qui nihil juris in queruloſum amplius habent Religioſum, multo minus in ipſius Superiorem. Nonnullis Religioſis arcta nimis videntur clauſtra: eam ob rem nullum non movent lapidem, ut ad aliqua Beneficia promoveantur, quo tantillum reſpirationis habere foris poſſint, dum eunt, redeuntque, atque adeo horas, dies, menſes & annos inſumere, quod quidem parvum erga Regulam & Inſtitutum religioſum redolet affectum, & animum. Satius ergo eſt Sæcularibus Eccleſiaſticis Beneficia dari, ut qui melius, cautius, & citra ſcandalum deſervire poſſunt, Religioſis vero ſolitariam in Monaſterio vitam agere, Deo per contemplationem, orationem, & omne genus virtutum vacare, Choro intereſſe, Ordini ſuo, Inſtitutoque ſatisfacere, Chriſtum ſequi; & finere, ut mortui ſepeliant mortuos ſuos. *Luc.* 9.

Ne otium malorum omnium origo ullum in religioſa domo locum habeat, ita rem familiarem adminiſtrabunt Superiores, ut commodam ex ſuperfluis nummis Bibliothecam comparent; quot annis augeant paucis, ſed bonis & probatis Authoribus, Religioſos hoc pacto ad privata in cellis ſtudia pelliciant.

Magni refert ad reformandam, ſtabiliendamque religioſam diſciplinam, ut bonus, prudens, probus, & maturus habeatur, qui Novitiis præſit, eosque bene inſtituat, cum ſint novellæ plantationes horti concluſi, quæ fructum ſuum dabunt in tempore ſuo.

Multum etiam intereſt, habere ex doctioribus Patribus aliquem exhortatorem domeſticum, qui ſubinde ad reliquos ſermones, ſeu exhortationes ſpirituales habeat, Regulas, Inſtitutumque explicet, & ad eas obſervandas animos accendat & foveat. Id genus mediorum eſt ſaluberrimum, olim, noſtraque tempeſtate apud omnes Religioſos uſitatiſſimum.

Superiores in gravioribus rebus inſtitutum, domusque adminiſtrationem ſpectantibus attentent nihil ſine prævio ſuorum Religioſorum conſilio, cum plus videant oculi, quam oculus. Alienent nihil ſine noſtra, vel aliorum ſuorum Superiorum licentia. Caveant, ne ſe, vel amicos, & propinquos ſuos ex bonis & fructibus religioſis locupletent: nihil tanquam ſuum (cum ſint Adminiſtratores tantum & non Domini talium bonorum) & ſibi proprium vindicent, poſſideant, vel aliis poſſidendum relinquant. Si quæ a Prædeceſſoribus alienata, vel oppignorata aliquando fuiſſent, dent operam, ut quamprimum redimantur, invocato (uti etiam aliis in rebus & cauſis) noſtro Epiſcopali auxilio.

§. X.

Procuratores Templorum.

PRocuratores Templorum inter Eccleſiaſticas perſonas retulimus non ratione ſubjecti, ſed objecti tantum, quod eſt Eccleſiaſticum. Eorum enim munus eſt, ut Eccleſiæ, ejusque Miniſtris adſint conſilio, & auxilio, non ſemper expectando, dum ab Eccleſiaſticis moneantur, ſed omnem potius, (ſi digne & laudabiliter officio fungi velint) admonitionem præveniendo. Procurabunt ergo, quæ ſunt Eccleſiis neceſſaria ad peragendum Divinum cultum, ut ſunt luminaria, paramenta, ornatus, utenſilia. Curabunt cum Parochis, Sacellanis, & Altariſtis, jura, titulosque Eccleſiaſticos, cenſus, decimas, & id genus alia. Domos Eccleſiaſticas, ut ſunt Templa, campanilia cum ſuis pertinentiis, ut vocant, cœmiteria, oſſuaria, domus curæ, Vicarii, Sacellani, Altariſtæ non negligant; nec prædia quæcunque Eccleſiaſtica,

siastica, qualia sunt prata, vineæ, agri, horti, & si quæ in istis oriantur difficultates, si quæ gravamina, & incommoda, ea ubi probe perspexerint, & cum Ecclesiasticis personis contulerint, cum eorundem consilio, approbatione, & consensu, populo graviter, fideliter, & constanter proponent, imperterrite causam Episcopi propugnantes. Procuratorum præterea est populum Dominicis, Festisque diebus, ex cœmiteriis, triviis, & hospitiis in Templum compellere: iisdem diebus pagos, possessiones, & sylvas obire, &, si qui laborent, circumspicere, punire, vel ad Fiscalem nostrum, ut multentur, deferre. Videant etiam diligenter, ut populus tempestive adsit pro instituendis post Pascha solitis Processionibus, absentes pro more notent, multent, pecuniam in Ecclesiæ fabricam referant. De fabrica Ecclesiæ dicetur sigillatim inferius.

CAPUT III.

DE STATU, VITA, ET HONESTATE CLERICORUM.

§. I.

Statu Clericalis in genere.

CUm Clericus in sortem Domini sit vocatus, æquum est, ut vita, moresque tali statui conveniant, ut quia sanctior, excellentiorque est, vita quoque probior existat. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est.* Matt. 5. Mores proinde, vitamque ita componant Clerici, ut habitus, cultusque corporis, incessus, loquela, gestus, conversatio denique singularem gravitatem & sanctimoniam redoleant, ut Christi sint bonus odor in iis, qui salvi fiunt, odor vitæ in vitam. 2. *Cor.* 2. Nostri igitur muneris est pauca e multis ex antiquo, novoque jure seligere, eaque coram studiose servanda brevi methodo proponere. Qui plura volet, videat C. *Clerici.* Ext. de vita & honestate Clericorum, C. *Quisquis.* Distinct. 41. C. *Hospitiolum.* Dist. 32. C. *Erubescant.* Dist. 22. Clement. 1. & 2. de vita & honest. Cleric. C. *A multis.* Ext. de ætate, & qual. &c. item Conc. Trid. *Sess.* 14. *in Proœm. de Reform. Sess.* 21. *Cap.* 6. *de Reform. Sess.* 22. *Cap.* 1. *Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Reform. Sess.* 25. *Cap.* 14. *de Reform.*

§. II.

Tonsura.

TOnsuram Clericalem quivis suo Ordini competenter ferat, renovetque crebrius. Barbam, atque capillos minus decoros nemo alat. Pili a labio superiore sæpe resecentur, ne in sumptione calicis Domini ulla irreverentia committatur.

§. III.

Vestitus.

VEstitus sit decens & statui Clericali congruus; non vanus, non sæcularis, non variatus, sed nigri, quia omnium optime convenit, coloris, non nimis pretiosus, nec etiam nimis vilis, ne propter excessum & defectum probro status Sacer habeatur. Vestes interiores, cujusmodi sunt inter alias thorax & caligæ, habeant. Talari, præsertim in æde sacra, in urbe, pago, &c. vel porrecta infra genu minimum toga tegantur, quam nunquam domi, forisque exuent, præterquam in casu occulto, vel necessitate prudentis determinanda judicio. Præter prædictam togam alia adhuc superinduta talari veste, vel pallio ad talos demisso utentur, cum vel Templum, vel publicum aliquem locum honestum sunt adituri. Bireti, seu quadrati pilei usum in Templo & Civitate, qui ibi degunt, galeri vero honesti, cum peregre sunt profecturi, commendatum habeant.

§. IV.

Victus.

VIctus sit moderatus, absque excessu & defectu. Hospitia, & id genus alia similia loca vitentur, quantum fieri potest. Si a Clericis, vel honestis viris, vel amicis conveniantur, & sit domi curta supellex, tum per famulum petere ex hospitio seu taberna poterunt necessaria ad exhibendam advenis charitatem. Ita tolletur omnis occa-

occasio scandali, quod generari in mentibus hominum plerumque solet, cum cernunt Clericos tam libere per hospitia, & alia id genus loca vagari. Convivia ne adeant, quæ communiter annexum habent ebrietatis, lasciviæ, scandali periculum. Æquales haustus, quantum fieri potest, & insanas, ut ajunt, sanitates (cum honestis enim, & moderatis dissimulatur) neutiquam admittant. In mensa Clericorum sex commendantur, ut videre licet Dist. 44. Cap. *Convivia.* C. *Pro reverentia.* C. *Non liceat.* Primum est, ut vita absentium non mordeatur. Secundum, ut præsentes non irrideantur. Tertium, ut inanes sæcularium ineptiarum fabulæ non recitentur. Quartum, ut verba sacræ lectionis legantur & audiantur. Quintum, ut cibus, & potus non nisi ad necessitatem sustentationis sumantur. Sextum, ut in principio, & in fine laudes Deo referantur.

§. V.

Cohabitatio.

COhabitatio honesta, ut suus sit castitati locus, esse debet, non cum mulieribus, propter scandali & peccati propinquam occasionem. Excipiuntur Mater, soror, amita, matertera, & aliæ consanguineæ per lineam rectam ascendentium, & descendentium, & lineam transversalem; nisi hæ haberent pedisequas, aut alias mulieres suspectas. Concubinarii, ni concubinas suas amoverint, a Beneficiis suspendantur. Quod si necdum se emendaverint, ab eis perpetuo removebuntur, omni officio interdicto: ne, ut ait Apostolus 2. *Cor.* 6., vituperetur ministerium nostrum, cum homines ejusmodi refugiant, nec immerito, concubinatores Deo, cœli & terræ incolis abominabiles.

§. VI.

Conversatio.

COnversatio sit cum viris probatæ vitæ; non suspectis, & infamibus; non cum puellis, & mulieribus: ob periculum & scandalum: *Qui enim amat periculum, peribit in illo,* Eccl. 3. & *qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Eccl. 13. Nihil commercii cum joculatoribus, histrionibus, luctatoribus, digladiatoribusque habeant. Ab illicitis venationibus, aucupiis, choreis, lusibus, & spectaculis minus honestis, saltem præsumptis talibus, penitus abstineant. Dedecet etiam videre Clericum in plateis, circulis, ac officinis opificum, horas aliquot inutiliter terentem garriendo, ridendo, fabulando, jocando, & nonnullas aliquando levitates exercendo. Divites denique juxta ac pauperes omnes amplectantur in Domino, cum necessitas, ratio, & unctio spiritus docebit: ita tamen agant, ne pix tacta inquinet.

§. VII.

Exercitium.

EXercitium Clerici non sit inhonestum, & sordidum: tabernas publicas non exerceant. Laniones, coriarios, fabros lignarios, ferrariosque publicos, Mercatores, Medicos, Chirurgos, & Apothecarios non agant. Vilia, immunda, & agrestia non tractent, cujusmodi sunt arare, seminare, occare, stercorare, metere, vehere, triturare, rigare, sepire, fodere, ligna in sylvis cædere, & avehere, pascere pecora, stabulari &c. Suas in iis agrestibus laboribus operas visitare, nonnunquam monere, & impellere, contra decorum non est, sicuti vites, & ex arboribus ramusculos pro recreatione putare, plantare, seu inserere, hortulum colere, imo pro necessario corpori exercitio, clam vel intra privatos parietes fodere, ligna findere &c. Fugiant negotia, & officia sæcularia Advocatorum, Procuratorum &c. apud Judicem sæcularem. Tabellionatus officium Clericis in majoribus constitutis Ordinibus penitus est interdictum. Extrav. *Ne Clerici vel Monachi.* Optimum Clerici exercitium est sine intermissione, ut vult Apostolus 1. *Thess.* 5., orare, in Templo assiduum esse, in recitatione Horarum Canonicarum, in administratione Sacramentorum, in prædicando Dei verbo impigrum, devotum, in exoneranda, & a peccatis abluenda per sacram confessionem, & absolutionem con-

conſcientia frequentem; acquirendis ſolidis Deo, & hominibus gratis virtutibus deditum, domi œconomiæ honeſtæ, & non ſordidæ attentum; pro domo Dei, ac pro Eccleſia Sponſa ſua, proque ejus juribus, uſibus, immunitatibus, libertatibus, ac privilegiis, pro bonis mobilibus, & immobilibus ſartis tectis conſervandis concluſum eſſe, bonis literis, Sacræ Scripturæ, caſibus conſcientiæ, controverſiis fidei, libellis piis, cæremoniis Eccleſiaſticis, & cantui Eccleſiaſtico diligenter ſtudere, illud *Oſeæ* 4. identidem ruminando: *Quia ſcientiam repuliſti, & ego te repellam, ne Sacerdotio fungaris mihi*: & illud Dan. 12. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt, quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad juſtitiam erudierint multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

§. VIII.

Libri.

UT autem ratio aliqua & delectus librorum habeatur, proponi Clericis hi poſſent tanquam magis neceſſarii, & eorum uſibus magis accommodati:

Biblia ſacra.
Catechiſmus Romanus.
Concilium Tridentinum.
Conſtitutiones Synodal. Eccleſ. Sedun.
Controverſiæ Coſteri, Martini Becani, & prudentioribus, Card. Bellarm. Summa Caſuum conſcientiæ, Toleti, Manuale Navarri.
Theologia moralis Pauli Layman.
Thomas de Kempis de imit. Chriſti.
Meditationes Vincentii Bruni.
Opuſcula & Conciones Lud. Granat.
Conciones Cuſteri.
Promptuarium morale & Catholicum Thomæ Stapletoni.

Pro Germanis.

Poſtilla Georgii Schereri, & Joannis Heſſelbach.

Pro Gallis.

Diego de la Vega.
Conciones Beſſæi.
Jardin de plaiſir par F. P. C. Geleſtin.
Catechiſme hiſtorial. &c.

§. IX.

Reſidentia.

RЕſideant in Eccleſiis ſuis, qui Beneficia qualiacunque Eccleſiaſtica habent exigentia de jure vel conſuetudine reſidentiam, niſi legitima ex cauſa, & conſenſu ſuorum Superiorum abſint: quo tempore aliquem Vicarium idoneum, & a Nobis approbatum ſubſtituent, qui vices obeat. Curati illegitime ab Eccleſia ſua abſentes, præter alias pœnas Canonicas adverſus non reſidentes ſtatutas, mortalis peccati reatum incurrunt, (inquit S. Synod. Trid. *Seſſ.* 23. *Cap.* 1. *de Reform.*) & pro rata temporis abſentiæ, fructus ſuos non faciunt, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos retinere ſibi poſſunt, ſed tenentur per Superiorem Eccleſiaſticum eos fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus loci erogare. Plura huc ſpectantia ibidem videre licet.

§. X.

Privilegia Clericorum.

PRivilegia Clericorum communiora certis de cauſis huc attexere voluimus, quas quivis prudens conjectura aſſequi facile poteſt. Privilegium ergo eſt Clericorum coram ſæculari Judice non conveniri, (De foro compet. C. *Si diligenter.*) non teneri Clericum præſtare onera perſonalia vel realia. (De immunit. Eccleſiæ. C. *Non minus.*) Puniri non poſſe, niſi a ſuo Ordinario, vel cum ejus interventu, (Concil. Trid. *Seſſ.* 25. *C.* 20. *de Reform.*) denique verberans Clericum eſt excommunicatus, (C. *Si quis.* 17. q. 4.) ſicuti etiam ſtatuta contra ipſum facientes. (Cap. *Eos, qui.* de immunit. Eccleſ. Lib. 6.) His, & aliis id genus privilegiis ſolus ille Clericus frui poteſt, qui habitum & tonſuram defert, aut Eccleſiæ inſervit. (Trid. *Seſſ.* 23. *Cap.* 6. *de Reform.*)

CAPUT IV.
DE EXERCITIIS ECCLESIASTICIS.

§. I.
Cultus Divinus & Cæremoniæ.

RItus Ecclesiasticus, quo Deum colimus, inter alios omnium optimus est Romanus, utpote communis, certus, expeditus, & apud Catholicos passim in Ecclesiis usitatus. Eum proinde volumus in Diœcesi nostra ubique servari, in celebratione Missarum, Horarum Canonicarum decantatione vel recitatione, in Ss. Sacramentorum administratione, & aliis Ecclesiæ Cæremoniis. Nec hic ullam prætendant Canonici, & alii Clerici difficultatem; cum experientia doceat, ubique in Helvetia, nedum aliis locis Catholicis suavissime eum ritum vel jam introductum, vel adhuc introduci cum magna Cleri, populique satisfactione, propter filiarum cum matrice Ecclesia Romana conformitatem. Ejusmodi vero ritus, & cæremoniæ discuntur facile ex Rubricis Missalis, Breviarii, & Ritualis Romani secundum usum Concilii Tridentini. Ingressuri, egressurive Chorum prius se lustrali, seu benedicta aspergant aqua, quam in honesto, & commodo Templi vase metallico vel lapideo asservabunt; singulisque hebdomadibus renovabunt. Salutato insuper magna cum reverentia, & humilitate, Venerabili Sacramento, ad locum quisque suum consuetum in subselliis se recipiet, nec in Sacristiis mora fiet, ne forum potius, quam Sacrarium a populo existimetur. Nugatores, fabulatores, ambulatores, bibones, moratum in triviis & cœmiteriis nectentes, & maleferiati Clerici, & Laici ex hospitiis, viis, & sepibus compellantur intrare, ut impleatur domus Dei, *Luc.* 14. Merces, esculenta, & poculenta in cœmiteriis, vel prope, tempore Divinorum Officiorum nullo modo tolerentur, invocato, si opus sit, nostro consilio, & auxilio, cum domus Dei domus sit orationis, & non spelunca latronum, Matth. 21. Luc. 19. *Si quis esurit, domi manducet*, inquit Apostolus 1. Cor. 11.

§. II.
Horæ Canonicæ.

HOræ Canonicæ attente, distincte, devote, non cursim, distracte, & præcipitanter, & suo tempore ab omnibus recitentur, qui vel majoribus initiati sunt Ordinibus, vel Beneficio aliquo Ecclesiastico sunt ornati. Matutinum cum Laudibus præmittatur celebrandæ Missæ, nisi legitima subinde Parochos & Vicarios causa excusaret, qui quavis hora parati ad administranda ægris Sacramenta debent esse. *Videatur Tolet, in Summa Lib.* 2. *Cap.* 1.

§. III.
Prædicatio verbi Dei.

PRædicatio verbi Dei, quam sit necessaria, norit Vallesia nostra, ut quæ neglecto Dei verbo paulatim labi cœpit. Recolenda proinde, & ad usum & frequentiam reducenda, atque ad populum Dominicis, Festivisque diebus semper habenda est. Dent operam sacri verbi Præcones, ut vita, moresque doctrinæ respondeant, ne quod verbo ædificant, pravo destruant exemplo. In producendis sacris Scripturis, & dogmatibus hæreticorum refutandis sint cauti, præsertim coram rudioribus, ne, dum refutare student, errores subinde præ inscitia doceant. Vitia cum discretione, & in communi reprehendant, neminem vel aperte, vel tacite perstringentes. Ab apocryphis, incertis, & minus probatis, à ludicris, salibus, & fabulis anilibus abstineant: Historias, & miracula minus explorata & certa non adducant, nec quidquam aliud, quod levitatem, quod dubium, incertitudinem, vel errorem gignere queat, bonos ea de re, & probatos Authores legant; necessaria futuræ concioni excerpant, scribant, memoriæ tradant, & prævia diligenti, & devota oratione (qua se, suosque auditores Deo commendabunt) cathedram ascendant, atque cum energia & spiritu proponant, explicent, doceant, moveant. Christi fideles monemus omnes, & in Domino obsecramus, ut se verbo Dei audiendo nunquam subtrahant, conciones Dominicis, Festivisque

que diebus nunquam negligant, cum ille ex Deo non sit (& consequenter, & diametraliter ex Diabolo) qui verba Dei non audit. Et vice versa, ille ex Deo sit, qui verba Dei audit. *Joan.* 8.

§. IV.

Catechismus, seu institutio Christiana.

CAtechismus, seu institutio Christiana omnibus Parochis, & Vicariis commendatissima habeatur, ut pueri, ac puellæ Fidei rudimenta, Christianamque Religionem cum lacte materno imbibant. Diebus Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, atque extra hos dies singulis saltem mensibus semel in Templo, prævio campanæ pulsu, habeatur ab aliquo Ecclesiastico Parocho, Vicario, vel alio Catechismus. In hunc finem moneantur pro concione vel post, parentes, ut mittant, vel quod melius, & satius est, ipsimet veniant, discant, recolant, inculcent, tam sibi, quam suis, quod in Catechismo audiverint: negligentes & protervos venire compellant adhibito nostro auxilio. Methodus autem in Catechismo servanda isthæc erit: Ecclesiastes post ultimum campanæ signum superpelliceo nitido cum stola indutus prodeat in Templi navem, vel gradus Choro & navi interjectos, illico S. Crucis signo formando, Dominica Oratione, Angelica Salutatione, Symboloque Apostolorum, patrio idiomate, recitando ita præeat juventuti, ut assequi resumendo per partes singula, commode illa possit. Signo Crucis, & solitis istis (quotiescunque Catechismus habebitur) orationibus succedent præscriptæ ex Catechismo lectiones, & concertationes, quas Ecclesiastes audiet, emendabit, & enucleabit ad captum parvorum, & adultorum præsentium. Et sicut nervus belli est pecunia, ita etiam Catechismi sunt munuscula, quibus bene meritos donabit, ad majorem cum ipsorum, tum aliorum excitationem, & studendi promptitudinem. Ad hæc alias præscribet lectiones Christianas, quas memoriæ mandabunt, & proximo conventu recitabunt, Coronidis loco nudato rursum capite (ut in principio Catechismi) & flexis puerorum, puellarumque poplitibus, decem præcepta Decalogi, quinque præcepta Ecclesiæ, quatuor novissima hominis, & alia id genus ad rem facientia, vernaculo sermone, iterato rursum Crucis signo, recitabit, subsequentibus, & per partes resumentibus parvulis.

§. V.

Scholæ privatæ.

Scholarum privatarum usus crebrior esse deberet, quam oculis usurpemus, cum maximus Reipublicæ Christianæ inde pullulet fructus. Statuimus ergo, ut Scholæ passim collapsæ rursum erigantur in celebrioribus pagis: ubi nec fuerunt, nec adhuc sunt, instituantur; ubi pueri, nonnullæ etiam puellæ, legere, scribereque latine, germanice, vel gallice discant, saltem in hyeme, quando indocta juventus domi tempus aureum, inutili garrulitate, nugisque terit. Ludimoderatores sint omnes sani in Catholica fide, non suspecti vel hæretici, probi viri, pietateque insignes, ut eadem pietas in teneram derivari, stillarique juventam verbo & exemplo possit; atque adeo, quod infantes ex matribus, hoc pueri ex Præceptoribus sugere, ad majorem Dei gloriam, & Vallesiæ salutem queant.

§. V.

Sodalitates, seu Confraternitates.

SOdalitates, seu Confraternitates magni a populo fieri intelligimus. Idcirco renovandæ sunt, sicubi exolevissent, atque aliæ & aliæ potissimum Rosarii Beatæ Virginis (ut vocant) introducendæ. Ut autem plures utriusque sexus, Deoque & B. Virgini gratiores Sodales fiant, populus bene de tota re imbuatur, emolumenta ejus congregationis clare proponantur, & expendantur, auditores pro re nata in concionibus, privatis exhortationibus & conversationibus ad amplectendam tam sanctam & apprime utilem Rosarii congregationem inflammentur. Hinc fiet, ut omnes parvi, & adulti utriusque

que ſextis homines Roſarium B. Virginis addiſcant, illud ter minimum in hebdomade percurrant, palam ex manibus domi, foriſque (quod hactenus pleroſque viros & mulieres facere ſine cauſa puduit) ferant, atque adeo Dei, Virginiſque cultus in dies augeatur, priſtinus Eccleſiæ nitor, & Catholicæ Religioni decus reſtituatur.

§. VII.

Feſta Eccleſiæ.

FEſti dies, cur & in quem finem ab Eccleſia inſtituti, norint omnes vel ex ipſo Eccleſiæ præcepto, atque quotidiano ubique uſu. Quia nihilominus plebs ſæpe rudis eſt, vel cultui Dei minus addicta, monitos volumus Curatos, & Prædicatores omnes & ſingulos, ut pro ſuggeſtu, hac ſæpe de re tractent, firma & gravia, ad perſuadendum, incitandum & compellendum populum proponant argumenta, ut non tam ſpeculative, quam practice ſuum feriati dies ſortiantur effectum. Quod ſi gratis, nec non irrito conatu tentaverint omnia, tum ad pedum Epiſcopale, vel Vicarium Generalem, vel noſtrum Officialem recurrant, ut rebelles, & cervicoſæ oves debitis pœnis exerceantur.

In promulgandis Feſtis caute procedant, ne Parochi, vel eorum Vicarii alia pro aliis accipiant, populoque proponant. Teneant unum, eundemq; tam Germani, quam Galli promulgandi modum, qui Feſta fori a Feſtis Chori clare diſtinguat, vitentque odioſas in Eccleſia Dei, inuſitatas, & periculoſas (ut hactenus experti ſumus) Feſtorum cum Feſtis, & Dominicis diebus comparationes, ut cum aliqui dicunt: *Hoc Feſtum*, verbi gratia, *Sancti Andreæ, celebrabitis adinſtar diei Dominicæ.*

Aliud.

Hoc Feſtum v. g. *Conceptionis Beatæ Virginis celebrabitis adinſtar Nativitatis Domini, vel Paſchæ.*

Iſti modi promulgandi ſunt prorſus abſoni. Ita ergo impoſterum Feſta ſubſtantialiter promulgentur, ut ſit differentia clara inter Feſta fori, quæ ſunt obligatoria, & inter Feſta Chori, quæ devotionis ſunt Feſta, & non obligatoria. *Tali die incidit Feſtum S. Andreæ Apoſtoli, quod vi præcepti Eccleſiaſtici ad feriandum ſub reatu peccati mortalis obligat.... Tali die incidit Feſtum S. Franciſci Confeſſoris, quod eſt devotionis Feſtum duntaxat, nec obligans ad feriandum.*

Feſta obligatoria prætet Dominicos dies totius anni in noſtro Epiſcopatu ſunt iſta:

Circumciſio Domini,
Epiphania Domini,
Feſtum Sancti Sebaſtiani,
Caroli Magni Imperatoris,
Purificationis Beatæ Virginis,
S. Matthiæ Apoſtoli,
S. Joſephi,
Annuntiationis B. Virginis,
Paſchæ cum duobus ſequentibus diebus,
Ss. Philippi & Jacobi,
Inventionis S. Crucis,
Aſcenſionis Chriſti,
Pentecoſtes cum duobus ſequent. diebus.
Corporis Chriſti,
Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ,
Ss. Petri & Pauli,
Viſitationis B. Virginis,
S. Jacobi Apoſtoli,
S. Laurentii Martyris,
Aſſumptionis Beatæ Virginis,
S. Theoduli Epiſcopi & Confeſſoris, Patroni Patriæ.
S. Bartholomæi Apoſtoli,
Nativitatis B. Virginis,
S. Matthæi Apoſtoli & Evangel.
Ss. Mauritii & Sociorum,
S. Michaëlis Archangeli,
Ss. Simonis & Judæ Apoſt.
Feſtum omnium Sanctorum,
Feſt. ſeptem Gaudiorum B. Virg.
S. Catharinæ Virginis & Martyris, Patronæ Patriæ.
S. Andreæ Apoſt.
Conceptionis Beatæ Mariæ Virg.
S. Thomæ Apoſt.
Nativitatis Domini noſtri JESU CHRISTI,
S. Stephani,
S. Joannis Evang.
Ss. Innocentium Martyrum.

Feſta denique Dedicationum, & Patronorum Eccleſiæ, & alia peculiarium locorum, ex pia devotione ſuſcepta.

Ita obſervabuntur Feſta prædicta, ut a media nocte præcedente Feſtum aliquod uſque ad alteram noctem incluſive:

clusive nullum opus servile, rurale, vel mechanicum exerceatur, ipso Festo Divinum Officium frequentetur, Missa integra cum concione audiatur. Et licet Laici ad Vesperas, cum habentur, audiendas sub peccato mortali non obligentur, uti nec ad adeundum Catechismum, non idcirco excusamus illos a peccato, quando commode possunt: cum ideo Festi dies sint instituti, ut in illis Deus plenius honoretur, colatur, & gratiæ eidem peculiariter agantur. Satius est bonis operibus tunc vacare, quam male tempus perdere, potare, saltare, ludere, vagari, nugari, & alia id genus peccata committere. Nolumus, ut id temporis circa Vesperam acuantur in æstate falces ad demetendum fœnum, exportetur fimus e stabulis; findantur, & vehantur ligna pro culina; fructus ex arboribus decutiantur, vel sub illis numerose colligantur, atque domum ferantur, multoque minus, ut sartores & sutores profanent dies Dominicos & Festivos laborando in multas horas, ut Matres familias retineant iis diebus in domibus netrices, filatrices, & alios hujusmodi opifices. Intolerabilis plane, & indigna clitellariorum, & aliorum plerorumque est consuetudo, qui vina emunt, & avehunt Festis diebus, vel ad debita sua colligenda, vel exigenda, qua data porta ruunt, nullam Missæ, & concionis habentes rationem; nec ullam operosos inter & Festos dies differentiam ponentes, & quod pejus est, factum suum impie excusantes. Intolerabilis quoque mulierum mos increbuit (conniventibus procul dubio Parochis, & Templi Procuratoribus) quæ Festis diebus hortos & olera sua ita impune colunt, ut altera alteram, velut annulus annulum, ad peccatum pertrahat.

Serio ergo mandamus, ut prædicta Festa ab omnibus, & singulis observentur a media nocte præcedentis diei, ut dictum est, usque ad mediam noctem subsequentis: nihil toto illo tempore servile fiat: Missa integra cum concione & aliis Divinis Officiis audiatur: Deus majore cum pietate & devotione colatur; orationi magis, & bonis operibus vacetur. Uno verbo: totum illud spatium temporis pie, sancte & religiose in Domino transigatur.

Quod si evidens aliqua necessitas ingruat circa messem vel vindemias; tunc Festa cum nostra, vel Parochorum locorum facultate transferri poterunt, vel post absolutum mane Officium Divinum, reliquum diei labori impendi. Caute hic agatur propter ineptas populi subinde, & crudas consequentias.

§. VIII.

Processiones.

PRocessiones, seu Supplicationes tam communes Ecclesiæ, quam Diœcesis nostræ particulares, & propriæ locorum, observentur diligenter cum omni decentia, modestia & devotione, sine risu, levitate, confabulatione, evagatione, quibus ad iram Deus potius provocatur, quam placatur. Diebus Dominicis & Festis assuescat populus tempestive processionibus interesse, & non glomeratim incedere. In extraordinariis processionibus, quæ aliquando ex necessitate instituuntur, caveant sibi Parochi quidquam a sæculari Magistratu præscribi, amice potius & pacifice, pro temporis, loci, ac personarum qualitate utrimque conveniatur. Cum supplicatio ad remotum aliquem locum fit; mulieres non admittantur propter varia, quæ nonnunquam oriuntur pericula & scandala. Viri maturi ætate eant, in tempore sint memores sobrietatis & temperantiæ, ne Deus merito offendatur. An, quales & quantos sumptus pro ferenda Cruce & vexillo quisque Parochus facere teneatur, cum remotius supplicatum itur, in hac Synodo deliberabitur, cum res non tantum a Parochis, sed etiam a populo pendeat.

§. IX.

Jejunia & abstinentiæ.

CIrca jejunia & abstinentias attendant ubique Parochi, ut rite serventur omnia, ne scandala in populo generentur. Sunt autem isthæc obligatoria jejunia: Quadragesima tota, Dominicis exceptis, quibus abstinetur tantum

tantum & non jejunatur, incipiens a die Cinerum inclusive, usque ad Sabbatum Sanctum inclusive. Cui maxime derogant, qui dicunt Quadragesimam primum incipere a Dominica prima Quadragesimæ, atque adeo licitum esse carnibus, & ovis illuc usque vesci. Tales notentur, & in utroque foro graviter puniantur. Quatuor anni tempora, Vigilia Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis Beatæ Virginis, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Sancti Laurentii, omnium Sanctorum, omnium Apostolorum, præterqum Ss. Philippi & Jacobi, & Sancti Joannis Evangelistæ. Quæ tempora jejuniorum diligenter promulgabunt Parochi, ut nullum sit excusationis velamen. Inculcent etiam differentiam inter jejunium & abstinentiam; quæ maxima est, ne qui jejunare tenentur, existiment per abstinentiam fieri præcepto Ecclesiastico satis. Ostendant jejunium in eo consistere, ut, corpus semel tantum in die jejunii, hora undecima ante meridiem audita reficiatur, sine ullis omnino carnibus (& in Quadragesima etiam sine ovis) vesperi vero pro collatione, ut vocant, pauxillum panis & fructuum breviter sumatur. Bibere die jejunii extra refectionem & collationem illam sæpius licet, imo aliquando, si haustus obsit, buccellam panis assumere. Quod simplici populo inculcare sæpius oportet, ut qui aliquoties jejunaret, sed absterretur ab eo, propter vini vel alterius potus abstinentiam, quasi de die extra refectionem, & collatiunculam bibere nefas sit, aliosque stricte & Ecclesiastice jejunantes judicant, cum eos extra tempus pauxillum bibere vident. Abstinentia Ecclesiastica multum a jejunio jam explicato differt. Consistit vero in eo, ut quis a certis cibis, debito tempore abstineat, uti fieri solet, & debet singulis diebus Dominicis Quadragesimæ, in quibus abstinetur ab ovis & carnibus tantum, in Diœcesi nostra. Qui ad jejunium obligentur, qui non, videatur apud Casistas, & hoc ipsum populo aliquando intimetur ad sublevandas conscientias. Tollatur nonnullorum consuetudo, qui tribus ultimis Quadragesimæ diebus, sine omni omnino cibo ita transigunt, ut postmodum in varios mentis & corporis languores incidant, subest enim aliqua diaboli fraus. Circa dispensationem ovorum, vel carnium in Quadragesima, videant, quid agant Parochi. Infirmis judicio Medici & Parochi aliquid concedatur. In carnivoros helluones, & ovi mandones serio animadvertatur, & ad Nos referantur, vel Vicarium Generalem, vel nostrum Officialem.

§. X.

Angelica Salutatio.

ANgelica Salutatio sicubi exoleverit, in integrum restituatur. Convenit, ut in tota Diœcesi nostra conformis sit ad eam pulsus, non ut hactenus difformis: cum conformitas in uno, eodemque Episcopatu magis ædificet, uniatque animos. Ter quotidie pulsandum est ad Salutationem istam, in aurora, meridie, & crepusculo vespertino. Pulsus nec nimis longus, nec nimis brevis sit, sed commensuratus communi Ecclesiæ Salutationi, quæ incipit: *Angelus Domini nuntiavit MARIÆ* &c. Toto reliquo anno ad hunc pulsum omnes genu flectant: tempore vero Paschali, id est, a Paschate usque ad Dominicam Ss. Trinitatis, statur ad illum. Qui modus, & ejus ratio pro concione sunt denuntiandi.

§. XI.

Benedictiones.

BEnedictiones salis, aquæ, cereorum, cinerum, herbarum, vini, panis, fructuum &c. uti maximi a Majoribus nostris factæ sunt, ita & hoc ævo nostro fiant. Proinde virtutem & effectum rerum benedictarum explicent Concionatores, & Catechistæ, moneantque populum, ut in pravum, & ab Ecclesiæ instituto alienum usum non convertantur, sed religiose gestentur, atque in pium Ecclesiæ finem, & intentionem usurpentur.

§. XII.

Exequiæ & Sepulturæ.

EXequiæ & Sepulturæ religiosius, quam antehac peragantur: cor-

pora mortuorum non nimis cito efferantur, expectetur paulisper, dum bene rigeſcant. Sufficientes ſint ſemper in efferendo, nunquam deſint, qui Crucem præviam, & aquam luſtralem portent. Nemo Laicus, excepto peſtis tempore, vel minimum baptizati corpuſculum ſine præſentia Parochi, vel Vicarii ſepeliat, ni hæreticus (ita enim ſepeliunt) audire velit. Sepulchra ſint profunda, capita & alia oſſa carnibus & pilis adhuc veſtita nunquam extrahantur, ſed vel alibi defodiantur, vel dextre & decenter in angulo recondantur, ſuperjecta, ne videantur, terra. Alia vero oſſa carnibus exuta extrahantur, laventur, & in oſſuario decenter reponantur. Non baptizati loco proprio non benedicto ſepeliantur a Laicis, ſine pulſu, ſine Sacerdote & cæremonia ulla. Mortuaria, ſi quæ ſunt, vel de jure, vel conſuetudine, ad priſtinum uſum revocentur, cum in honeſtiorem Clericorum ſuſtentationem cedant: nec Parochi permittant, ut oblatus ſemel panis iterato offeratur, quod eſt plane indecens, & bona multa dignum. Vigiliæ & Miſſa pro defunctis recitentur, dum foſſa fit, nec permittatur facile corpus aliquod pomeridiano tempore humari. Quævis Parochia ſepeliat ſuos, non alienos Parochianos quantumvis pauperes; cum alia nulla ordinarie ſubſit ratio, cur compendia quærantur, quam tenacitas, avaritia, & extinctus erga vivos & mortuos fideles zelus. Cœmiteria bene claudantur, ne ulli pecudi pateat acceſſus, nihil ibi feratur, plantetur, nec panni, nec telæ, nec aliquid aliud exſiccetur; oves non tondeantur; non ibi penſa a mulieribus ducantur, nec conſilia politica a populo habeantur, nec ullum denique opus a locis talibus alienum a quoquam peragatur.

§. XIII.

Adminiſtratio & ſuſceptio Sacramentorum.

DE adminiſtratione, & ſuſceptione Sacramentorum, quod eſt potiſſimum in Eccleſia exercitium, dicendum hic eſſet, verum eum peculiarem locum, & Caput requirat, id proxime ſubnectetur.

CAPUT V.

DE SACRAMENTIS ECCLESIÆ.

§. I.

Sacramenta, & eorum adminiſtratio in genere.

SAcramenta univerſe ſunt ſeptem a Chriſto inſtituta, quæ ſunt inſtrumenta, & vaſa gratiæ ſanctificantis: quæ quo excellentiora ſunt Sacramentis antiquæ Legis, eo majore reverentia & ſanctimonia ſunt adminiſtranda & recipienda. Tria ad adminiſtrationem Sacramentorum ſunt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, ut dicunt Theologi: Materia, forma, & intentio Miniſtri adminiſtrantis, & conferentis: quorum ſi vel unum deſit, nullum Sacramentum fit. Materia in genere debet coexiſtere formæ, coexiſtentia morali, & realiter ſuſcipientem attingere ad producendum ſuum effectum. Forma debet materiæ ab uno eodemque Miniſtro ſimul ſimultate morali copulari, & tota ab eodem proferri. Intentio debet eſſe vera, abſoluta, virtualis (non enim requiritur ſemper actualis) & generalis, & ſufficit. Vera procedit ex veritate objecti. Abſoluta nullam habet oppoſitam conditionem, maxime de futuro: virtualis emanat ex aliqua actuali prius habita, nec unquam revocata: generalis eſt voluntas faciendi, quod Chriſtus inſtituit, vel quod Eccleſia, vel Chriſtiani faciunt; ſicuti particularis intentio (quæ non eſt neceſſaria) eſt voluntas faciendi, quod facit Romana v. g. Eccleſia. Ex dictis colligitur invalidum aliquando, aliquando illicitum eſſe Sacramentum. Invalidum quidem ex parte materiæ, ſi materia ſit ſubſtantialiter corrupta, ut ſi acetum pro vino &c. accipiatur: illicitum vero, ſi accidentaliter tantum ſit corrupta, ut ſi vinum ſubacidum, vel lymphatum, pro puro & integerrimo. Invalidum erit ex parte formæ, ſi quid contra eſſentiam ejus mutetur, ſeu transferatur, addatur, vel dematur: illicitum vero, ſi quid accidentale tantum, & non contra eſſentiam formæ transponatur, addatur, vel dematur.

matur. Exempla facile occurrent in forma Baptiſmi, & Euchariſtiæ. Invalidum denique erit Sacramentum ex parte intentionis Miniſtri, ſi ea non ſit recta, ut ſi non intendat facere, quod facit Eccleſia, ſed illudere tantum & jocari: illicitum vero, ſi intendat aliquid pravum conſequens ipſum Sacramentum v.g. Corpus Chriſti ad veneficia applicare. Quando dicimus invalidum Sacramentum, idem eſt atque nullum; quando vero illicitum, intelligimus Sacramentum validum quidem eſſe, ſed peccare Miniſtrum in ejus adminiſtratione mortaliter, vel venialiter pro ratione materiæ. Præter intentionem in Miniſtro requiritur etiam legitima poteſtas, ſive jurisdictio, ſine qua omnia Sacramenta illicite adminiſtrantur, præter Pœnitentiæ Sacramentum, quod etiam invalide juxta Trident. *Seſſ.* 14. *Cap.* 4. Sit in Miniſtro fides recta, probitas, devotio &c. ut digne, ſancte, & licite ſuo fungatur officio. Non ſit excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, nullo mortali peccato, vel affectu peccandi irretitus: ſi Confeſſarii copia ſuppetat, confiteatur: ſi Confeſſarius deſit, pœniteat de peccato, eliciatque actum contritionis, vel attritionis, quo ſe probabiliter contritum exiſtimet. (*) Nec ſibi blandiatur prætenſa juris vel facti ignorantia: ignorantia enim juris non excuſat Miniſtrum; ignorantia vero facti vel naturalis inadvertentia peccatum excuſare poteſt. Quod de jure vel legitima conſuetudine debetur pro Sacramentorum adminiſtratione, illud tuta conſcientia Miniſtri Eccleſiæ poſſunt accipere: neque hic ulla Simonia vel avaritia locum habet, cum Sacramenta non vendantur (quod alias nefas, Simoniacumque eſſet) nec labor intrinſecus, qui æque ſpiritualis eſt, atque ipſum Sacramentum, & ſine quo adminiſtratio vel confectio Sacramenti conſiſtere non poteſt, cujusmodi eſt actus ipſe v.g. ablutionis in Baptiſmo, abſolutionis in Pœnitentia, unctionis in Extrema Unctione &c. cum, inquam, labor hujusmodi intrinſecus non vendatur, ſed tantum extrinſecus, qui eſt pretio æſtimabilis ex natura ſua.

Parochi, Vicarii, Concionatores, & Catechiſtæ ſtudioſe exponant omnia ea, quæ requiruntur ad dignam & fructuoſam cujusvis Sacramenti receptionem. Ejusmodi autem ſunt uſus rationis (præterquam pro Baptiſmo, Confirmatione, & Extrema Unctione in phreneticis, qui antea uſi ſunt ratione) competens ætas, fides recta, vera, ſincera, & nullo modo ficta intentio, ſtatus denique gratiæ ad ſuſcipienda Sacramenta vivorum (ut vocant) quæ ſunt Confirmatio, Euchariſtia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium: vel ſufficiens diſpoſitio ad recipiendam primam gratiam, quæ confertur per Sacramenta mortuorum, quæ ſunt Baptiſmus, & Pœnitentia, nam ad hæc duo Sacramenta licite accedunt homines cum conſcientia peccati mortalis, illicite vero cum affectu peccandi, vel perſeverandi in peccatis, qui eſt obex gratiæ. Ad alia vero Sacramenta quinque, nunquam licet cum conſcientia peccati mortalis accedere, quia talia Sacramenta non ſunt inſtituta ad remittenda peccata mortalia, ſed ad augmentum gratiæ ſanctificantis, ſeu juſtificantis, quæ ſolis juſtis impertitur. Ergo per confeſſionem peccata ſunt delenda, ſi copia ſit Confeſſarii; ſin minus, habeat ſuſcipiens veram contritionem, vel attritionem, quæ bona fide putetur eſſe contritio.

Inculcetur inſuper populo neceſſitas quorundam Sacramentorum, ut eſt Baptiſmi, qui omnibus neceſſarius eſt neceſſitate medii, ſeu ſalutis; Pœnitentiæ, quæ eſt eadem neceſſitate neceſſaria relapſis in peccatum mortale hominibus. Euchariſtia, Confirmatio, & Extrema Unctio ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti, ita ut eorum receptio ſit ſuo loco & tempore neceſſaria. Ulti-

(*) Nomine *attritionis* deſignari videtur, tam hic loci, quam paulo inferius, dolor ſaltem ille, quo quis prudenter, conſcientia teſte, contritum ſe & exiſtimare poſſit, & opere ipſo exiſtimet: tum enimvero abeſt ſacrilegii periculum. Quanquam hac in re memor præcepti Divini Sacerdos, monentem audiat *Seſſ.* 6. *C.* 11. Tridentinam Synodum: *Deus* (inquit illa) *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis.*

Ultimo mandamus, ut inposterum omnes Curati & Vicarii Romano Rituali utantur in administratione Sacramentorum.

§. II.

Baptismus.

BAptismus, quia necessarius est homini ad assequendum finem suum supernaturalem, & quidem necessitate medii; ideo monemus Parochos & Vicarios, ut parati sint quocunque tempore ad baptizandos infantes allatos. Si enim propter absentiam, vel alia de causa eis imputata infans præsentatus absque Baptismo moriatur, puniemus, atque pro qualitate culpæ eos vel ab officio suspendemus, vel beneficio privabimus. Cum baptizandus ad valvas Ecclesiæ præsentabitur, diligenter inquirant, num domi privatim propter mortis periculum, Baptismo initiatus jam fuerit, nec ne? a quo? quomodo? si intelligat legitime baptizatum esse, ne amplius baptizet, sed reliquas Baptismi cæremonias propter casum necessitatis, omissas suppleat. Si vero cognoverit non fuisse lustratum aqua, tum baptizet servatis diligenter cæremoniis in Rituali Romano contentis. Si denique in collato privatim infanti Baptismo errorem aliquem, sive in materia, sive forma, sive intentione Ministri deprehenderit, vel saltem dubitaverit de valore Baptismi collati, idque non leviter, & speculative tantum, sed practice; adhibita omni diligentia, tum infantem, sub conditione baptizet, dicendo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris* &c. Privatum intra domesticos parietes baptizandi morem penitus tollimus, nisi subsit evidentissima, & urgentissima necessitas, quam pigri & male feriati, ob difficultatem itinerum sibi imaginantur, & aliis astantibus persuadent, atque ita domi, vel in propinqua aliqua Parochia aliena baptizari curant, non sine scandalo, & gravi simul periculo, vel damno olim fortassis emersuro. A die Jovis sacro (quantumvis propter distantiam locorum novæ, recentesque unctiones nondum haberi possint) infantes more solito ungantur, usque dum novæ habeantur, nec ullo modo eorum Baptismus differatur. Patrinum & Matrinam præterea monemus, ut cum ex pago infans ad remotiorem Parochiam baptizandus deferetur, secum aquam benedictam mundo vasculo portent, ut in via, si quod probabile mortis periculum immineret, infans, indito prius nomine, baptizetur. Non immerito statuit Trident. Synod. *Sess. 24. C. 2. de Reform. Matrim.* ut pro evitandis difficultatibus & periculis impedimentorum, cognationis spiritualis, & Matrimoniorum unus tantum sive vir, sive mulier, vel ad summum unus & una baptizatum in Baptismo suscipiant; inter quos, ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Hunc morem de uno vel duobus summum patrinis, a Concil. Trident. præscriptis, amplectimur, Parochisque omnibus præscribimus, & injungimus, sub pœna arbitraria posthac servandum. Susceptores volumus esse probos, atque Catholicos (non Religiosos) quos breviter post Baptismum de officio rite fungendo instruet Parochus, eosque in librum seu catalogum baptizatorum una cum baptizato, baptizatique patre & matre referet, annotato die, mense, ac anno.

§. III.

Confirmatio.

COnfirmationis Sacramentum, ejusque vis, atque effectus populo sæpius inculcentur, & ubi tempus confirmandi ingruerit, parentes edoceantur, ut qui ad annos discretionis pervenerunt, ipsos Episcopo suo sistant confirmandos; per patrinum unum, non plures, quem Parochus loci, ab Ordinario suo repetet, ut eum cum confirmato, ejusque parentibus inscribere possit.

§. IV.

Eucharistia.

EUcharistiæ Sacramentum, cum sit omnium Sacramentorum Augustissimum, in spiritualem animæ refectionem & memoriam Passionis Chri-

ſti inſtitutum, convenit, ut magna cum puritate, reverentia, & devotione tractetur, & ſumatur. Enitentur ergo Parochi, & Concionatores, ut populus bene imbuatur, ne ad menſam cum Juda quisquam accedat, reusque fiat Corporis & Sanguinis Domini. Etſi circa feſtum Paſchæ ab unoquoque adulto vi præcepti Eccleſiaſtici (Cap. *Omnis utriusque ſexus*, de Pœnitent. & Remiſſ.) ſumendum ſit: hortamur nihilominus omnes, ut crebrius id in anno fiat, majoribus ſcilicet & feſtivioribus ſolemnitatibus. Nemo in aliena Parochia Paſcha litet, ſeu communicet, ſine expreſſa ab Ordinario, vel ſuo Parocho licentia. Prius ſe probet homo per Confeſſionem ſcilicet Sacramentalem, & ſic de Pane illo edat, (1. *Cor.* 11.) proinde præſumat nemo ad tremendum hoc Sacramentum, absque prævia, vera, & non fucata & hypocritica confeſſione, contritione & emendationis propoſito accedere, niſi, ut ait Apoſtolus prædicto capite, judicium ſibi manducare & bibere velit, non dijudicans Corpus Domini. Doceatur populus id, quod pro ablutione datur, non eſſe Chriſti Sanguinem, ut imperiti putant, ſed merum vinum, in eum finem datum, ut ſacra Hoſtia facilius in ſtomachum demittatur. Satius eſſet hoc nomine alterius formæ poculo uti pro ablutione communicantium, quam calice, ut inveteratus error penitus eximatur. Prima vice communicaturis adoleſcentibus acceſſus non pateat ullus ad Sacramentum, ſi Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum fidei, & uſum hujus Sacramenti probe non calleant: detur etiam opera, ut præcepta Decalogi & Eccleſiæ, nec non alia Sacramenta habeant perſpecta. Præſtat ſemper plures pro magna Communione conſecrare Hoſtias, quam pauciores, ne aliqui propter penuriam Hoſtiarum abire non communicati cogantur. Cauti ſint, & circumſpecti Curati in communicando populo, ne ulla committatur Sacramenti irreverentia: extrema digitorum ſæpius inſpiciant, ſi quæ particulæ adhæreant, eas quantocius Ciborio vel patenæ reponant, priusquam elabantur. Cum ad ægros ſacrum deferendum eſt ferculum (nemini enim unquam laico id muneris committatur, ut ſacram ad ægros ferat Hoſtiam) Sacerdos ſuperpelliceo, ſtolaque indutus, cum lumine & campanula, ad dandum fidelibus ſignum prævia, procedat cum Ciborio reverenter & decenter, non conjiciendo in quemvis angulum & perſonam oculos, ſed modeſte continendo, cum reliqua totius corporis gravi compoſitione, ut populus anſam genu flectendi, & Deum ſuum adorandi, majorem accipiat: ſi æger longe a Parochia abſit, graviſſimeque laborare intelligatur; tum eadem opera ſacrum Oleum ſecum deferre poteſt, & poſt Communionem ungere: priusquam aggrediantur communicare ægrotum, videant diligenter, num ſacram Hoſtiam commode, & citra periculum, irreverentiamque ſumere poſſit. Si enim periculi certi aliquid ſubſit, oſtendatur potius, quam ſumenda præbeatur S. Hoſtia, ut eam æger adoret, non item ut oſculetur propter præſens periculum: ibi enim bona voluntas pro facto reputatur. Quod ſi dubitet, prius modico pane exploret, num deglutire valeat, ſi enim panem naturalem ſumere poſſit, ſupernaturalem & Angelicum conſequenter poterit. Caſu, quo ægrotantis linguæ, vel faucibus ſacra Hoſtia adhæreret, nec vino affuſo avelli adhuc poſſet, eam duriore panis cruſtula, vel vino abradat; cruſtulam, ſi æger ſumere non poſſit, vino ſtudioſe abluat, vinum cum miculis illis, quæ ſacram attigere Hoſtiam, ſumendum ægro porrigat. Hoſtia non conſecrata nunquam detur ægrotantibus quacunque de cauſa. Cum ab ægris cum ſacro Ciborio reditur; ſi in Civitate ſit, vel pago majore, ubi Parochia exiſtit, det Parochus operam, ut ſacram adhuc habeat in eodem Ciborio Hoſtiam, & cum eadem ſolemnitate, qua exivit, revertatur. Si vero ad remotum aliquem pagum tulerit, non eſt opus referre aliam ſacram in reditu Hoſtiam, propter ineptas ſæpe & difficiles vias, ut experientia ipſa docet, & nunc exutus ſuperpelliceo, & ſtola, ciboriolum in ſilentio ante pectus referat, ſine lumine & campanulæ pulſu. Peſtis vel

vel alterius luis contagiosæ tempore, nihil de officio suo & sedulitate remittant Parochi, prudenter tamen & caute confessiones audiant, atque sacrum Viaticum porrigant, ardentibus cereis ante os & nares, ut infectus aër purgetur, & aliis id genus remediis & antidotis præmuniti.

§. V.

Missæ Sacrificium.

De Augustissimo Missæ Sacrificio, a Christo in ultima Cœna instituto, videantur passim Auctores, præcipue controversistæ. Missa legatur ex Romano Missali. Missas siccas de Spiritu Sancto, & alias ejusmodi passim in nostra Diœcesi celebrari solitas, interdicimus penitus, sub pœna indignationis nostræ, & suspensione ab officio & beneficio. Quod si pecuniæ nonnunquam pro hujusmodi Missis celebrandis offerantur, instruantur offerentes, & aliæ veræ & non siccæ Missæ pro illis dicantur, vel minimum collectæ ad ipsorum offerentium intentionem adjungantur. Locus celebrandi debet esse consecratus, vel benedictus, vel ab Episcopo designatus, ita, ut in alios usus amplius non convertatur. (Trident. Sess. 22. in Decreto de Missa, & Cap. *Quanta*, de observand. in celebr. Missæ.) Conceditur vero in necessitate (absente Episcopo) celebrare sub dio prope Templum tempore belli & pestis, in processionibus, & magnis solemnitatibus, (C. 1. & 2. *Concedimus*, de Consecrat. D. 1.) in loco polluto & violato nemo celebret, nemo sine Ministro altaris ad respondendum apto, nemo censura aliqua irretitus, nec in peccato mortali, sed confessus (si sit copia Confessarii) vel contritus, si desit Confessarius, nemo in paramentis notabiliter immundis vel attritis. Diebus Dominicis & Festis solemnis Missa pro defunctis non habeatur, sed in alium diem transferatur, vel Collecta pro anima defuncti addatur in Missa de Dominica vel Festo: vel si plures sint Sacerdotes, privata pro defuncto Missa habeatur.

§. VI.

Pœnitentia.

Pœnitentiæ Sacramentum (tanquam secunda post naufragium tabula, summopere necessarium (ut supra §. 1. dictum est) cupimus sæpe tam ab Ecclesiasticis, quam Laicis iterari, cum nunquam desit confitendi materia his potissimum temporibus, & corruptis moribus. Laici præcipuis Festivitatibus, Clerici vero multo crebrius confiteantur, ruminando illud Isa. 52. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Ægrotantes periculose medicinam animarum prius, quam corporum petant, (C. *Cum infirmitas*, de Pœnit. & Remiss.) prægnantes, & alii in probabili vitæ discrimine constituti tempestive confiteantur, nec ullo modo in dies differant. Supplicio extremo afficiendis personis non denegetur Confessio, nec sacra Communio (quantumvis venefici, veneficæ &c. fuerint) pridie diei supplicii, & non ipso die, propter Sacramenti reverentiam. Sacrilegus, & intolerabilis multorum abusus tollatur, qui sua peccata tantum in genere, & non in specie, multo minus in individuo recensent. Jubeantur ergo in specie, & sigillatim omnia mortalia dicere, observata quantitate, & qualitate, & aliis circumstantiis peccatorum debitis. Assuescant pœnitentes post dictam Confessionem generalem, ut vocant, sua peccata, quantumvis enormia dicere, nec expectare, donec cum molestia tam Confessarii, quam pœnitentis interrogentur, cum ingenui, humilis & contriti pœnitentis sit prævenire potius, quam præveniri, ut quem non puduit cum Davide peccare, non pudeat cum eo confiteri.

§. VII.

Confessarii.

Confessarii officium quantum, & quam periculosum, ni attendatur, sit onus, ex Casistis percipere licet. Quod tamen juniores Clerici non perpendunt, sed ita temere & incaute se confessionibus audiendis ingerunt, ut quod doctissimi & expertissimi qui-

que

que Theologi non auderent, ipsi ultro & audacter, & citra ullum scrupulum faciant, atque adeo ab omnibus peccatis & censuris absolvant, pœnitentes, quæ ipsimet nesciunt, non tantum doceant, sed docere ipsos Theologos & corrigere ausu nefario conentur. Reprimenda itaque est talium insolentia, & ad Joannem Polancum, Navarrum, Toletum, & alios prius remittendi tales, quam ad munus Confessariorum admittendi, ut prius ipsi discant, quod alios doceant. Nemo Confessariorum mittat falcem in alienam messem defectu jurisdictionis, cum nulla sit absolutio, quæ datur a Sacerdote carente ordinaria, aut delegata in eum pœnitentem, quem a peccatis absolvere conatur, jurisdictione. Approbari ergo prius debent Parochi & Vicarii a Nobis per peculiare examen, quam se confessionibus audiendis ingerant, ut vult Trident. *Seff.* 14. *de Sacramento Pœnitent. C.* 7. & *Seff.* 23. *de Reform. C.* 15. ne dum intricatos extricare volunt, se & alios perdant. Dent operam, ut sufficientem (si nondum habeant) doctrinam ad excipiendas confessiones acquirant, audiendis adhuc in Schola conscientiæ casibus, vel pervolvendis, & bene ruminandis probatis & bonis Casistis, ac denique frequentandis bene doctis & expertis Confessariis, a quibus obortæ difficultates enodentur. Confessionalia sint in locis publicis collocata, non in Sacristia, vel aliis obscuris & inviis Templorum angulis: sint in confessionalibus assidui, mulieres breviter expediant, peccata peccatis diligenter conferant, ut congruam postmodum injungere pœnitentiam possint. Quæ pœnitentia sit discreta, non nimia, nec in multas hebdomades protracta. Sigillum confessionis ita stricte servent, ut nec verbo, nec signo aliquo directe, vel indirecte unquam, vel minimum in confessione auditum, vel perceptum pandant, vel revelent, sub pœnis a jure statutis.

§. VIII.

Casus reservati.

CAsus nonnulli ideo Sedi Apostolicæ, vel nostræ sunt reservati, ut non tam libere & graviter a multis peccetur, nec tam libere absolutionis beneficium a quovis Confessario conferatur. Id in bonum & ædificationem mystici Corporis Christi, & non in destructionem cedit, cum Christus ipse præmonuerit Christianos, & illis indirecte ante denunciaverit dicendo Joan. 20. *Quorum* (peccata scilicet) *retinueritis, retenta sunt.* Ideo autem dicuntur aliqui reservati Papæ, quod solus Papa, vel alius accepta ab eo potestate absolvere ab illis possit; Episcopales vero, quod solus loci Episcopus, vel ejus Superior, vel alius ab eo delegatus. Qui secus faxit, tantum abest, ut absolvat, ut se potius, cum jam ligato liget, sacrilege forum alienum usurpando. Quocirca Casistas adeant Parochi, & Vicarii, ex illis discant, quid cuique sit reservatum, ne, quod non possunt, absolvant, ita cæcus cæcum ducat, atque ambo in foveam cadant. *Matt.* 15. Bullam: *Cœnæ Domini*, ut vocant, omnes habeant, familiarem sibi faciant, quæ ad rem, & usum proprium faciunt, excerpant, populo inculcent, & vero directionem in Bulla positam bene inspiciant & sequantur. Alias censuras videant apud *Joan. Polancum, Navarrum, Toletum, Sayrum, Svarez, Layman, Bonacinam*, & alios.

Casus Sedi nostræ reservati sunt 20.

1. Omnes Fidei, & Religioni orthodoxæ, Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ adversantes.
2. Conjugati ob diffidium non cohabitantes.
3. Mulier partum suffocans, seu abortum procurans.
4. Vir, vel mulier procurans sterilitatem.
5. Homicidium voluntarium.
6. Sacrilegium, vel furtum rei sacræ.
7. Manuum violenta in Clericos, & Religiosos, atque parentes naturales injectio.
8. Bestialitas, sive coitus cum brutis animantibus.
9. Incestus cum consanguineis & affinibus.
10. Commixtio carnalis cum filia spirituali (& vicissim) ex Baptismo, vel Confirmatione suscepta.

11.

11. Copula carnalis cum Sanctimonialibus.
12. Perjurium in judicio factum.
13. Magia & veneficium.
14. Baptizans prolem propriam extra tempus necessitatis extremæ.
15. Suscipiens propriam prolem in Baptismo & Confirmatione.
16. Contrahens, & non observans inita Sponsalia, seu Matrimonium de futuro.
17. Absolvens a peccatis, & censuris reservatis.
18. Absolvens vel communicans Parochianum non suum, sine proprii Parochi expressa facultate, excepto mortis articulo.
19. Baptizans solemniter, vel conjungens matrimonialiter Parochianos non suos sine licentia propriorum Parochorum.
20. Notarii, & alii id genus Dominicis, Festisque diebus mane tempore Divinorum Officiorum, in cæmiteriis vel extra, causas civiles &c. Rusticorum, vel aliorum legentes, scribentes &c.

Quorum Casuum absolutionem Nobis, & Pœnitentiariæ nostræ Sedunensi, ita reservamus, ut nemini potestatem nisi expresse certis de causis, a Nobis obtineatur, faciamus. Excipimus articulum mortis, in quo quivis simplex Sacerdos (quando proprius haberi non potest) sæcularis, vel regularis ab omnibus censuris & peccatis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, in foro conscientiæ potest absolvere, servatis servandis, quæ in Bulla: *Cœnæ Domini*, circa finem servari jubentur.

§. IX.

Extrema Unctio.

EXtremæ Unctionis Sacramentum a Christo institutum, & per S. Jacobum in Canonica sua Epist. C.5. commendatum, ad antiquum vigorem suum revocandum est, cum pro concione, tum crebra ejus in urbe, pagisque exercitatione. Refutandus est error nonnullorum, qui dicunt Unctionem Extremam suæ derogare vitæ, manus, pedesque & faciem lavare amplius non posse, nec nudis pedibus incedere, & sexcenta alia impie & satanice inventa. Hoc Sacramentum solis infirmis adultis de vita periclitantibus conferendum est, non pueris doli incapacibus, perpetuo amentibus, nec supplicio extremo plectendis, nec impœnitentibus. Eidem infirmo si convaluerit, & rursum in simile vitæ periculum inciderit, dari Extrema Unctio toties, quoties potest. Unctio renum vel umbilici, semper est in fœminis omittenda propter decentiam, & honestatem, ut monent *Svarez, Bellarminus* & alii. Oculi ungantur clausi: manus Laicorum in vola; Sacerdotum vero parte altera; os clausum, aurium concavitas, pedes denique, non plantæ, decenter ungantur pollice, ac stupa quantocius pars uncta tergatur: stupæ singulæ in vasculo collectæ post pollicis abstersionem, & omnem Sacramenti hujus perfectionem, igni tradantur. Quod si infirmus membro aliquo alias ungibili mutilatus esset, tunc proxima pars ungatur. Modus autem deferendi ad ægrotos sacrum Oleum sit omnibus uniformis: Minister sine campanula cum lumine, & S. Cruce in hunc finem propria, & aqua benedicta, si locus sit vicinus (si enim remotus, ut in pagis accidit, in domo ægri confici aqua lustralis poterit) procedat. Sacerdos aperto capite, superpelliceo, stolaque indutus, subsequetur ferens ante se sacri Olei vasculum, cum Rituali Romano.

§. X.

Ordo.

SAcramentum Ordinis multas in ordinandis merito requirit dispositiones, nostris potissimum temporibus, ubi adversarii Ecclesiæ Romanæ diu, noctuque rimantur, quo pacto prævalere adversus petram Ecclesiæ, Petrique naviculam submergere valeant. Multi nihilominus Sacerdotes ita secure dormiunt, quasi omnia tuta essent, nec sua interesset vigilare, attendere, & se pro virili opponere. Verum quomodo se tales opponant, qui triviales vixdum bene triverunt Scholas? Atque ita fit, ut hæreses, proh dolor! propter ignorantiam Sacerdotum tam longe lateque serpant, ut extingui

tingui poſtmodum a doctis difficulter & non ſine vitæ periculo queant. Quocirca enitendum eſt, ut boni ac docti Sacerdotes habeantur, indoctique a ſacris Ordinibus repellantur. Docti ergo & probi juvenes, quos Spiritus S. ad Sacerdotium vocavit, ſtatutis ab Eccleſia temporibus, mature ſe Nobis ſiſtent, cum ſuis ætatis, natalium, libertatis & Scholarum teſtimoniis, ut conſuetum examen ſubeant. Ætatis quidem Teſtimonium a Parocho & Magiſtratu ſuo ſæculari accipiant: Natalium & Libertatis a Magiſtratu loci, & ſi legitimatus ſit, a Sede Apoſtolica: Scholarum vero ab earum Præceptoribus & Præfectis. Literas dimiſſorias (ſi ex alieno ſit Epiſcopatu) ab Epiſcopo loci; Religioſi vero a ſuis Superioribus adferent. Ordinum jam ſuſceptorum formata ſinguli ſingula repræſentent, & cum nemo ad majores promoveri Ordines poſſit, ſine ſufficienti menſæ titulo, quem habeat aliquis per Beneficium aliquod Eccleſiaſticum ſufficiens, & pacifice, & canonice poſſeſſum; vel ex patrimonio in defectum Beneficii; volumus, ut alterutrius atteſtantes literæ, ab ordinandis oſtendantur, potiſſimum de patrimonio illo ſufficienti, idque a Magiſtratu ſæculari, vel ab Adminiſtratoribus bonorum ejus patrimonii, appoſito literis Magiſtratus illius ſigillo, ſine ulla fictione, fraude, & deceptione corroboratum habeatur. Examinatores ſingula diligenter perlegent, excutient, & ſtudioſe cavebunt, ne qua calliditas vel verſutia & dolus irrepat, atque adeo vani & inutiles operarii in vineam Domini conducantur. Ad primam Tonſuram, quatuor Minores Ordines, & Majores acceſſurus debet eſſe baptizatus, ſacro Chriſmate confirmatus, legitimis parentibus ortus, vel a Sede Apoſtolica legitimatus, Diœceſanus noſter origine, vel domicilio, vel Beneficio Eccleſiaſtico legitime & pacifice poſſeſſo, vel denique a proprio Epiſcopo cum literis patentibus dimiſſus. Ad primam Tonſuram & tres minores Ordines, ſeptem; ad Acolytatum duodecim anni completi requiruntur. Ad Subdiaconatum viginti duo, ad Diaconatum viginti tres, ad Presbyteratum quinque & viginti ſaltem incepti. Doctrina in tonſurandis, & minoribus quatuor Ordinibus initiandis, a Nobis non requiritur tanta, dummodo latine bene legere & ſcribere norint, doctrinamque Chriſtianam probe calluerint. In Subdiaconandis, Diaconandis, & Presbyterandis longe alia requiritur, utpote abſoluta minimum Rhetorica, & caſus conſcientiæ per biennium cum fructu auditi, niſi cum aliquo ex rationabili, legitimaque cauſa, abſque ulla aliorum conſcientia diſpenſatum a Nobis fuerit. Nullus ad Tonſuram, minores & majores admittatur Ordines, qui aliquem corporis vel animæ patiatur defectum, ſeu irregularitatem, ut ſunt phrenetici, inſani, lunatici, epileptici, leproſi, obſeſſi, membro aliquo notabiliter læſi vel mutilati, aut deformi alio defectu notati. Quia vero nonnulli ex prædictis defectibus ad tempus velari poſſunt, perſcrutentur diligenter Examinatores, ſi quid deprehendere poſſint: in dubio, jurejurando ſe ordinandi obſtringant, ejusmodi defectibus ſe non eſſe obnoxios. Idem de ætate ordinandorum maxime ad Sacerdotium intelligendum eſt, quando vel aſpectus, vel totius corporis compoſitio puerilis & ſuſpectæ ætatis videtur. Rigide etiam circa Cantum Eccleſiaſticum omnes examinabuntur, cum videamus negligi, & ſcandala in Eccleſiis paſſim ob ejus ignorantiam pari. Approbati & ad Ordines admiſſi, coram Nobis, Notario & Teſtibus, Profeſſionem Fidei Catholicæ facient, præſtitoque tactis Ss. Evangeliis juramento promittent, ſe Nobis, Succeſſoribusque noſtris, debitam obſervantiam, fidelitatem, reverentiam, & obedientiam ſemper præſtaturos. Reſtat, ut ordinati modeſte, & ſine ulla inſolentia, ante & poſt collatos Ordines in hoſpitiis ſe gerant, & quamprimum formata ſua a Nobis habuerint corroborata, itineri ſe rurſum accingant.

§. XI.

Matrimonium.

MAtrimonii Sacramentum a Chriſto inſtitutum in ſignum deſponſatæ ab ipſo Eccleſiæ, ut pulchre notat Apoſt. *ad Ephef.* 5. Quam miſere paſſim

passim & sacrilege tractetur a multis, dici vix potest. Proinde lapis omnis movendus est, ut impiæ consuetudines, & abusus, qui plerisque locis, vel ex fragilitate, vel ignorantia, vel denique malitia hominum irrepsere, penitus tollantur: usus hujus Sacramenti verus & sanctus revocetur. Principiis vero obstandum est, & a Sponsalibus incipiendum, quia tanti a plerisque fiunt, ut pluris, matrimonialem de præsenti contractum, non faciant. Volumus ergo & mandamus, ut Sponsalia coram aliquot Testibus, & Parocho, si commode fieri queat, in domo aliqua honesta, non in angulis, horreis, stabulis, lectis illicitis &c. fiant per verba de futuro, & non de præsenti: Clandestina Sponsalia declaramus nulla, etiamsi copula carnalis intercesserit. Ita vitabuntur discordiæ & simultates infinitæ. Contractis semel legitime Sponsalibus fidem sibi invicem servabunt in conscientia, coram Deo & Ecclesia, ad contrahendum suo tempore Matrimonium de præsenti. Si tamen rationabilis & jure ipso definita causa subesset, cur contractus iste videretur rescindendus, eam Nobis tempestive planam facient, ut re altius examinata, certi aliquid determinare circa separationem possimus, si ita in Domino videatur; cum coacta Matrimonia difficiles habere exitus soleant. (*C. Requisitis. de Sponsal.*) Qui Sponsalibus constricti sunt, sciant se sponsos tantum esse & non conjuges, atque adeo jure matrimoniali gaudere, invicem cohabitare, multo minus dormire simul, & carnaliter se cognoscere non posse. Qui secus fecerint, pecuniaria, fortassis etiam corporali pœna a Nobis emendabuntur. Contracturi Matrimonium de præsenti caveant, ne cum aliquo impedimento prohibente simul & dirimente contractus fiat: attendatur etiam, ut quæ ad solemnitatem, & piam hujus contractus celebrationem faciunt, accurate observentur. Impedimenta prohibentia simul & dirimentia contractum paucis versibus comprehenduntur, quorum usus apud Theologos & Casistas ubique est, & huc spectant, ut a Parochis plene cum eorum explicatione intelligantur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si Sponsam rapies, si clandestinus inibis,
Hæc celebranda vetant connubia, facta retractant.

Error personæ dirimit, ut quando Catharina pro Susanna accipitur. Error qualitatis non dirimit, ut quando ignobilis pro nobili, deformis pro pulchra, paupercula pro divite, inhonesta, & diffamata pro honesta ducitur.

Conditio, quæ dirimit Matrimonium jam contractum, duplex est, servilis & honesta. Servilis dirimit, quando conditio errantis fit deterior. Ut quando putans ducere liberum, vel liberam, ducit servum, vel servam, quando vero conditio contrahentis non fit deterior, sed manet eadem, vel fit fortassis etiam melior, non dirimit. Ut cum servus servam, vel liberam ducit. *C.* 1. 2. 3. & 4. *de conjugio servorum*, & 29. *q.* 2. *C. Si quis liber.* Conditio honesta & possibilis (turpes enim & impossibiles habentur in Matrimonio pro non adjectis, C. *Si conditiones*, de condit. appos.) adjecta Matrimonio, & non adimpleta impedit, & dirimit, Cap. *Super.* de Spons. C. *De illis*, &c. *Per illas*, de condit. appos. Ut cum dicitur: Accipiam te, si parentes mei contenti fuerint, si tui non sint infames &c.

Votum solemne in approbata Religione ab aliquo, vel aliqua, vel utroque emissum. Votum simplex in Societate JESU post absolutum in Novitiatu biennium, eandem vim impediendi, & dirimendi habet.

Cognatio triplex est, Spiritualis, Naturalis, & Legalis: de legali, quia inusitata apud nos est, dicere supersedemus. Spiritualis oritur ex Baptismo, & Confirmatione. Ex Baptismo contrahitur inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem; item inter levantes ex Baptismo & levatum, levatique patrem & matrem tantum. Ita ut sola spiritualis paternitas, & compaternitas, seu commaternitas hodie resultet, & nullo modo fraternitas, uti nec compaternitas inter

ipſosmet levantes, ut videre eſt Trid. *Seſſ.* 24. *de Matrim. Cap.* 2. *de Reform.* Spiritualis cognatio ex Confirmatione eſt inter confirmantem & confirmatum, confirmatique patrem & matrem, & inter ſuſceptorem & confirmatum, confirmatique patrem & matrem; ut ibid. videre eſt *Cap.* 2. ſupra dicto. Quod autem aliqui prætendunt, mortuo filio ſpirituali baptizato, ſeu confirmato cognationem ceſſare, falſum eſt: ſola enim per mortem filii ſpiritualis ceſſavit paternitas, non item compaternitas, quæ tam diu durat, quam diu partes vivunt, ſicut in cognatione naturali accidere ſolet. Cognatio naturalis, ſive conſanguinitas vel eſt in recta linea vel transverſali. Recta linea vel eſt aſcendentium, ut pater, avus, proavus, abavus, tritavus &c. vel deſcendentium, ut pater, filius, nepos, pronepos, abnepos, trinepos &c. in recta linea tam aſcendentium, quam deſcendentium eſt perpetuum impedimentum. In transverſali vero linea non eſt perpetuum, ſed tantum uſque ad quartum gradum incluſive, in qua linea transverſali ponuntur fratres, ſorores, patrui, amitæ, avunculi, materteræ, & qui ex his generantur uſque ad quartum gradum incluſive. In quinto & remotioribus conſequenter gradibus licet contrahere in transverſali linea, non item in recta linea, ut dictum eſt. Qui in prohibito gradu contrahunt, non tantum invalide contrahunt, ſed etiam excommunicationem Epiſcopalem latæ ſententiæ incurrunt. (*Clement.* 1. *de conſang. & affin.*) Notandum vero hic diligenter eſt circa gradus æquales, & inæquales transverſalis lineæ, quod, ſi Petrus cum Catharina in æquali ſecundo, tertio, vel quarto contrahat, invalidum ſit Matrimonium, ſi vero in æquali quinto, validum & licitum ſit. Rurſus ſi Petrus ſit in ſecundo, tertio vel quarto, & Catharina in quinto, ſexto vel remotiore gradu inæquali, licitus ſit & validus contractus. Ratio eſt, quia juxta Caput finale *de Conſanguin.* remotior gradus (cujusmodi eſt quintus vel ſextus &c.) trahit ſecum minus remotum, cujusmodi minus remotus gradus eſt ſecundus, tertius, vel quartus, a communi radice, ſive trunco, ut vocant.

Crimen dicitur impedire & dirimere Matrimonium, quando alter conjugum, vivente adhuc altero conjuge, cum alio contrahit Matrimonium, vel contrahere promittit, & hunc illegitimum contractum, vel promiſſionem contractus ſubſequitur adulterina carnis copula: quod impedimentum adulterinæ pollutionis nuncupatur. Alio adhuc modo committitur iſtud crimen dirimens, quando quis vel propriam, vel alterius conjugem per ſe, vel alium occidit, ut alio illicito queat Matrimonio uti.

Cultus diſparitas dicitur ratione Baptiſmi: Baptizatus enim cum non baptizato, ſive pagano, ſive Judæo contrahere nec licite, nec valide poteſt. 28. q. 1. Can. *Cave.* Inter baptizatum Catholicum & hæreticam, apoſtatam, & excommunicatam, validum quidem eſt Matrimonium, ſed non licitum. Gloſſ. C. *Non oportet.* 28. q. 1. & Cap. *Decrevit.* de Hæret. l. 6.

Vis, ſeu metus injuſte illatus cadens in conſtantem virum, aut fœminam tunc dicitur, quando minus malum ſuſtinetur, ut majus malum vitetur, ut poſt alios Martinus Bonacina de Legib. diſp. 4. q. 2. p. 3. §. 1. n. 2. Minus autem malum eſt ducere uxorem (quam alias ducere adhibito conſenſu licite poſſet) quam bonis, liberis, patria, vita ſpoliari, ſtuprum, ſervitutem, carcerem perpetuum pati, vel denique infamia laborare. Quod ſi metum & coactionem conſenſus liber ſubſequatur, tum validum erit Matrimonium, alias illicitum & nullum.

Ordo Sacer Subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus nullum reddit Matrimonium ſubſequens propter ſolemne votum caſtitatis, non item inferiores quatuor Ordines.

Ligamen Matrimonii jam rati vivente altero conjuge impedit, & dirimit propter Polygamiam. Cap. *Luet.* de Sponſa duorum. Trid. *Seſſ.* 24. *Can.* 2. *de Matrim.*

Honeſtas publica oritur dupliciter, primo ex validis Sponſalibus, dirimitque Matrimonium inter ſponſum & conſanguineos ſponſæ, & viciſſim in primo tantum gradu. Trid. *Seſſ.* 24. *Cap.* 3.

de

de Matrim. 20. Ex Matrimonio rato nondum consummato, & hoc dirimit usque ad quartum gradum inclusive: sicut affinitas, & in consummato per copulam Matrimonio, quæ copula differentiam constituit inter honestatem publicam & affinitatem, adeo ut affines inter se contrahentes etiam excommunicentur, non item, qui contra honestatem publicam contraxerunt. (*Clement. un. de Consang.*)

Affinitas nascitur primo ex illegitimo toro inter Sponsum & consanguineos Sponsæ usque ad secundum tantum gradum inclusive. (Trid. *Sess.* 24. C. 4. *de Reform. Matrim.*) Secundo ex legitimo toro usque ad quartum inclusive gradum. Quoto enim gradu aliquis est cognatus viri vel uxoris, eodem gradu est affinis uxoris & mariti.

Impotentia perpetua seminandi, ex quacunque causa oriatur, præcedens Matrimonium (non subsequens) dirimit ipsum. Hujusmodi vero impotentia est in castratis, arctis, frigidis, & maleficiatis. (Tit. *De frigid. & malef.* per totum.)

Raptus Sponsæ, quamdiu est in potestate raptoris, dirimit. Necesse ergo est, ut Sponsa libero loco constituatur, constitutaque libere de novo consentiat. (Trid. *Sess.* 24. *C.* 6. *de Matrim.*)

Clandestinum Matrimonium est illicitum & invalidum, (Trid. *Sess.* 24. *C.* 1. *de Reform. Matrim.*) Clandestinum vero dicitur, quod clam, vel sine Parocho, aliove Sacerdote, de ejus, vel Ordinarii licentia, & duobus, tribusve testibus initur.

Impedimenta impedientia, seu prohibentia tantum, & non dirimentia sunt, Sponsalia cum alia, tempus ab Ecclesia interdictum, votum simplex castitatis, Religionis vel Ordinis, peccatum mortale, excommunicatio major & minor, contractus matrimonialis cum hæretica. Denique quia ad contrahendum Matrimonium requiritur consensus, excluduntur ab eo tanquam inhabiles, furiosi, amentes, stulti, & id genus alii.

Proclamationes futuri Matrimonii tribus continuis diebus Festivis, inter Missarum solemnia a proprio contrahentium Parocho fiant, non duæ uno die. Si contrahentes diversarum sint Parochiarum, tum in utraque Parochia publicationes fiant, scriptæque ab altero ad alterum Parochum, qui conjuncturus est Matrimonio, mittantur, quo pacto nullum repertum sit impedimentum, quo minus legitime in facie Ecclesiæ conjungi possint. Quamdiu rescriptum non fuerit, tamdiu a nuptiis celebrandis abstinebitur. Externi, vagabundi, & qui certam sedem non habent, non conjungantur, nisi re Nobis fideliter communicata, examinataque, & licentia a Nobis conjungendi impetrata. Si Matrimonium impedire malitiose notaretur, tum de denunciationibus Nobiscum agatur, ut certi quid decernere circa illas possimus. Quod si ex denunciationibus impedimentum aliquod verum deprehensum fuerit, tum celebrandis nuptiis supersedeatur, donec aliqua a Nobis declaratio habeatur. Pridie nuptiarum, vel biduo circiter ante contracturi confiteantur diligenter, & sacro Epulo pie reficiantur, nec simul cohabitent in eadem domo ante Benedictionem Sacerdotalem, sub pœna arbitraria a Nobis imponenda. Nullus Sacerdos privatim in ædibus sine nostra expressa facultate nuptias benedicat, nec diebus Festivis, si contrahentes cum reliquis nuptialibus hominibus Missam integram non audiverint. Nemo coactas nuptias benedicat, sub pœna privationis Beneficii; sed coactores illos ad Nos deferat, ut dignis pœnis corrigantur. Moneantur sedulo juvenes privatim & publice, ne cum hæreticis, vel invitis etiam parentibus (quibus honor debetur) contrahant, ni sæpe maledictionem pro benedictione accipere velint. Caveant Sacerdotes omnes, ne ullos alienæ Parochiæ Matrimonio jungant sub pœna suspensionis latæ sententiæ, & privationis Beneficii: hujusmodi conjunctionem illegitimam (si facta esset) declaramus nullam (uti de facto nulla est) & sacrilegam atque provenientes inde liberos declaramus spurios (uti de facto sunt): mandantes, ut Sacerdos, qui eos conjunxit sacrilege, conjunctis significet, Matrimonium nullum,

lum, eosque ad proprium Parochum remittat. Caveant insuper Ecclesiastici & Laici cujuscunque dignitatis, conditionis, ac præeminentiæ fuerint, ne se causis matrimonialibus ingerant, ne de Sponsalibus, vel de Matrimonio de præsenti, ne de eorum divortio vel separatione cognoscere, judicare, definire, & re ipsa separare præsumant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Facta vero hujusmodi divortia vel separationes conjugum, volumus, & mandamus notari, notataque ad Nos quamprimum per ipsos Ecclesiasticos, vel Laicos, vel Fiscalem deferri, ut legitimo nostro judicio subjiciantur, cognoscantur, & decidantur. Abusum in nostra Diœcesi prorsus intolerabilem quotidie cernentes circa dispensationes, sine ulla necessitate aucupandas, præmonemus omnes, & in Domino exhortamur, ut a talibus dispensationibus minime necessariis imposterum abstineant. Contrahentium nomina, cognomina, patria, cum die, mense & anno a Parochis, nuptias illas benedicentibus, in proprium librum diligenter referantur.

CAPUT VI.

DE RE ET SUPELLECTILI SACRA.

§. I.

Ecclesiæ, Capellæ, Oratoria.

QUoniam Ecclesias, Capellas, & Oratoria, extrui ad Divinum cultum videmus, tam obscuris, remotis, inviis & incommodis locis, & quod gravius est, sine prævia dote, fundatione, vel ullo pro fabrica & Ministro Ecclesiæ proventu: volumus, ut de loco, ac fundatione ejusmodi Ecclesiarum, Capellarum, & Oratoriorum Nobiscum fideliter & sincere conferatur, prius, quam ad ipsam ædificationem veniatur: ne postquam sumptus multi facti fuerint, Episcopum ad ratificationem, & benedictionem, compellendum vi, stulte existiment. Cariosa, ruinosa, vel collapsa sumptibus fabricarum, vel eorum, qui vel de jure, vel consuetudine obligati sunt, instaurentur. Quæ consecranda erunt, quamprimum consecrentur, quæ polluta, reconcilientur. Ecclesiæ sint mundæ, pavimentum & scamna a pulveribus & sordibus, parietes a telis aranearum. Imago Crucifixi in medio Templi erecta habeatur, ut ingredientes Christiani habeant, quod pie & religiose contemplentur. Noctu sint clausæ Ecclesiæ, nec pateant interdiu tam facile quibusvis hominum quisquiliis, potissimum ubi altaria bene ornata patent. Mulieres nullibi sint in odæis, seu choris pensilibus, sed infra in navi Templi. Mendici sub Officiis Divinis vagari per Templa ad corrogandam stipem non permittantur. Sub iisdem Officiis nullæ promulgationes, & citationes, & instantiæ, ut vocant, habeantur, nec ulla id genus sæcularia negotia pertractentur. Nil nisi quod ad Templum spectat, in Choro, navi, vel sub tecto recondatur. Tecta studiose & frequenter visitentur, reparenturque tempestive, ne stillicidiis pleraque computrescant. Piscinam suam singula Templa habeant, sub terra prope altare, vel in navi, vel aliquo certo & peculiari loco cæmiterii, in quam cineres & similia immittantur.

§. II.

Sacristiæ.

SAcristiæ sint altiore nonnihil loco, sicco non humido, firmo, fornicato, fenestris bene clathratis, januis firmiter obseratis. Ita sint compositæ, ut vasa, vestes, paramenta, atque ornatus Templi, conservari commode, decenterque in illis possint. Arca ibi sit pro recognitionibus, titulis, instrumentis, juribus Ecclesiarum, & pecunia fabricarum conservandis. Cujus arcæ (vel arcarum) clavem unam Parochus, alteram vero Procuratores Ecclesiæ habebunt.

§. III.

Campanilia.

CAmpanilia non sint cuivis obvia, potissimum adolescentibus, qui cum ludere pulsando cum campanis volunt, pedes, brachia, crura & cervices

vices frangunt, uti plura habemus exempla. Campanæ priusquam in campanile attrahantur, ab Episcopo more Ecclesiæ benedicantur. Campanæ sæpius visitentur, ne linguæ earum lapsæ, quemquam, ut fit, lædant, vel omnino interimant. Horologia, si quæ sint corrupta, reficiantur. Pulsus in tota Diœcesi nostra sit conformis matrici Ecclesiæ Sedunensi, ne advenæ & peregrinantes propter diversum in pagis pulsum, diversos quoque Episcopatus existiment.

§. IV.

Cæmiteria.

Cæmiteria sint muro cincta, portis clausa, magno aliquo visibili Crucifixo ornata, munda, sine arboribus, benedicta, excepta parte aliqua vel angulo pro sepultura parvulorum non baptizatorum, pro hæreticis & excommunicatis, quos Parochi nullo modo cum aliis Christi fidelibus sepelient. Vas aquæ benedictæ tam in cæmiteriis, quam templis prostet, ut ingressuri, egressurive fideles aqua se lustrali, ex antiquissimo Ecclesiæ usu aspergant. Cæmiteria pecoribus ad demetendam herbam nunquam pateant. Sparsa mortuorum hinc inde ossa colligantur, & in ossuaria abdantur.

§. V.

Altaria cum paramentis & ornatu suo.

Altaria sint lapidea, consecrata, vel portatili saltem lapide consecrato instructa. Crassiore cerata tela, & duabus lineis mappis tegantur, quarum una oblongior latus utrumque cingat. Post absolutas Missas velum vel tapes mappis contra pulveres & alias sordes superinducatur. Crux in medio altari cum duobus candelabris constituatur. Candelæ sint cereæ, non ex sevo, vel lampades ex butyro: alio enim spectant. Imagines cariosæ, vel pene obsoletæ, vel minus decentes auferantur, vel renoventur ex integro, vel pulchriores substituantur, ut non detur adversariis ridendi occasio, sed potius ab hæresi resipiscendi, quando Templa Catholicorum ornata, cum haris suis conferunt. Usus imaginum non solum in Ecclesiis, sed etiam privatim in ædibus, hypocaustis, & cubiculis observetur, ut quæ doctos & idiotas, ad devotionem Dei & Sanctorum cultum, ad patientiam, amorem, & alias virtutes alliciunt. Cultus, seu veneratio imaginum (cujusmodi est capitis nudatio, osculatio, genuflexio) non terminatur in ipsis imaginibus, sed earum prototypis, quæ sunt Christus verbi grat. Beata Virgo, & alii Sancti. Coluntur ergo imagines cultu imperfecto, sive secundum quid, Christus vero, Beata Virgo & alii Sancti, cultu perfecto, seu simpliciter, cum maxima tamen differentia: Christus enim Latriæ, B. Virgo Hyperduliæ, reliqui Sancti Duliæ duntaxat cultu honorantur. Sacræ Reliquiæ decenter & reverenter in lipsanothecis asserventur, singulis singulæ schedæ appendantur, dubiæ & suspectæ a certis & indubitatis separatæ, alium in locum, honestum tamen, abdantur. Calix sit vel argenteus totus, vel saltem cupa argentea: stannei & plumbei calices abscondantur, ususque eorum, uti & fractorum argenteorum e medio tollatur. Patenæ sint cum calicibus suis nitidæ, itidem argenteæ, & ad colligendas micas aptæ. Purificatoria sint bene munda, alba, integra, non lacerata, non perforata; Pallæ item & corporalia, quæ amylo roborantur: obsoleta comburantur, cineres in Sacrarium recondantur. Vela calicum sint plura pro ratione colorum in Ecclesia Romana usitatorum, ut videre erit in Missali Romano de paramentis, & coloribus in Rubricis. Mappæ altarium sint duplices, ut & corporalia, pallæ, purificatoria, & mantilia ad tergendos Celebrantis digitos, ut dum alia lavanda dantur, alia recentia substituantur. Antipendia altarium non negligantur. Altaria valvis suis claudantur subinde. In Quadragesima vero propriis obtegantur velis.

§. VI.

§. VI.

Tabernaculum cum lampade, custodia, & vasculo ad deferendum ægris Ss Sacramentum.

TAbernaculum pro Ss. Sacramento sit in medio altari, more Romano, Unctiones sacræ cum suis vasculis, & pyxis sacra pro deferendo ad ægrotos Venerabili Sacramento ibidem, vel in armario antiquo collocentur. Monstrantia pro festo Corporis Christi suum habeat in medio pellucidum vitrum, ut sacra videri Hostia a populo commode possit. Lampas ante Tabernaculum dies, noctesque luceat, quam fovebit mane & vesperi Æditurus post signum Salutationis Angelicæ. Sumptus pro perpetuo hoc lumine facient Parochiani, uti & aliarum lampadum & cereorum, nisi de jure vel consuetudine ab Episcopis approbata ad ejusmodi teneri, Parochi ostendantur.

§. VII.

Unctiones sacræ cum vasculis.

SAcras unctiones in mundis & nitidis stanneis, vel argenteis stola involutis Curati singulis annis Seduni in Episcopali arce, tempestive, reverenter, & pie excipient, & sub privatione curæ, vel Beneficii ad suas quique Parochias deferent, pristinas unctiones comburent, cineres Sacrario immittent; novis vero in Paschate & Pentecoste, pro renovando Baptismate utentur.

§. VIII.

Cathedræ Concionatorum.

CAthedra, seu suggestus Concionatoris in Templo non sit humilis, neque obscuro loco, sed aperto, ut Concionator audiri facile & intelligi a populo queat.

§. IX.

Confessionalia.

COnfessionalia propria habeantur ad audiendas confessiones, lamina perforata inter faciem Confessarii & pœnitentis interposita, mutuum tollat aspectum. Ex latere confitentis appendatur pia aliqua imago, qua excitari ad devotionem possit.

§. X.

Supellex sacra.

SUpellectilis sacræ, quæ in vasis, vestibus, paramentis, & ornatu Ecclesiastico consistit, diligens ratio habeatur, ne per incuriam, negligentiamve Ecclesiasticorum, res sacra, atque adeo cultus Divinus probro habeatur. Omnia sint munda & nitida, ne prophana sacris præferri, quoad munditiem & splendorem in Ecclesia Dei audiantur. Calices, patenæ, vascula Oleorum ab iis solis, qui sacris Ordinibus initiati sunt, abluantur, tergantur. Pari modo corporalia, pallæ, & purificatoria primum ab illis, deinde ab aliis honestis personis bene laventur, & corporalia, pallæque sic lota amylo roborentur. Reliqua cum vasa, tum paramenta, ut sunt mappæ altarium, mantilia, humeralia, albæ, cingula, superpellicea, urceoli, candelabra, lecyti, cruces & imagines, antipendia, tapetes, pulvinaria, casulæ, dalmaticæ, stolæ, manipuli, vela &c. ab Æditius, seu aliis honestis personis excutiantur, purgentur, laventur, mundentur: fracta, laceraque reficiantur. Caveant Ecclesiastici, ne vel ipsi, vel Æditui, quidquam horum in profanos convertant usus, licet tritissimum esset: Sacra enim sunt omnia & Deo dicata. Ex antiquis ornatibus unius speciei, fiat aliquid alterius speciei, v. g. ex vexillis fiant vela calicum pro quotidiano usu, vel bursæ corporalium, & sic deinceps. Quod si adeo attrita sint, ut nulli usui nec sint, nec esse possint, comburantur. Cineres in Sacrarium mittantur. Attriti & notabiliter fracti calices, & patenæ fundi possunt, & novi alii, vel simile quid confici.

§. XI.

Fabrica Templi.

FAbricæ Ecclesiæ ubi nullæ sunt, erigi debent; ubi collapsæ, ad nitorem suum revocandæ propter singularem in Ecclesiis necessitatem. Cavendum ante omnia diligenter est, ne fabri-

fabricæ nimium graventur, vel a Parochis, vel Procuratoribus, & aliis plus imponendo oneris, quam ferre valeant. Cum rationes acceptorum & expensorum redduntur, viderint omnes, ne immodicis conviviis, & sumptibus fabricæ onerentur. Supremus fabricæ Procurator erit Parochus loci, tum alii duo Laici assumentur, qui, ut supra dictum est, distinctas cistæ, vel cistarum claves pro diversis feris singuli singulas habeant, & cum jura vel instrumenta aliqua lustranda sunt, vel nummi exponendi pro usu Ecclesiæ, omnes una cum suis clavibus ad aperiendas arcas conveniant. Plura videantur supra in §. 9. *De Procuratoribus Templi*, *Cap.* 2.

§. XII.

Domus Parochialis.

PArochialis domus sarta tecta conservetur. Parochiani in instaurandis ruinosis, & aliis emendandis materiam suppeditent; Parochus vero inducat per operarios suis sumptibus formam. Quod si aliquid de novo extruendum sit ex fundamento, id totum quoad materiam & formam sumptibus Parochianorum fiet. Attendant Templi Procuratores, ne quid jacturæ domus, horreum, stabulumque patiatur; præmoneant, ut occurratur, vel (si nulla speretur emendatio) Vicario rurali, vel Nobis opportune significent. Idem intelligimus de possessionibus, seu prædiis Parochialibus.

§. XIII.

Xenodochia.

CUm ex Decreto Conc. Trid. *Seff.* 7. *C.* 15. & *Seff.* 22. *C.* 8. & *Seff.* 25. *C.* 8. *de Reform.* & aliis juribus antiquioribus Xenodochiorum, seu Hospitalium cura Episcopis competat, monemus iterum, iterumque exhortamur omnes & singulos Administratores, ut fructuum, eleemosynarum, ac bonorum diligentem rationem habeant, nec quicquam eorum in alium usum, quam a piis Fundatoribus præscriptum est, convertant: pauperibus liberaliter, & charitative sua promant: nihil ex pauperum bonis in suam utilitatem trahant, inutiles sumptus vitent, nulla bona vendant, permutent, vel quovis modo alienent; nisi servatis servandis. (Clement. *De rebus Ecclef. non alienand.*) In Hospitalia maleferiati scurræ, nebulones &c. non recipiantur; robusti mendici de addiscenda honesta arte aliqua admoneantur. Hospitalis incolæ sæpe confiteantur, frequentes sint in Sacro, orent assidue pro Benefactoribus, laborent, dum vires suppetunt; a rixis, dissensionibus, & simultatibus abstineant, pacifice vivant, Ecclesiasticos Exhortatores gratanter audiant, vitam denique Deo, Angelis, hominibusque gratam & acceptam vivant.

CAPUT VII.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

§. I.

Jus Patronatus & Præsentationis.

JUs Patronatus prave & perperam a multis sæpe numero explicatur, & usurpatur; adeo, ut qui eo potiuntur, sibi penitus persuadeant, jus omne disponendi, tractandique de Beneficio Ecclesiastico penes se esse; Episcopum vero & Collatores parum vel nihil juris reliqui habere. Ergo ut malo huic tandem occurratur, & Patroni nulla amplius culpabili laborent ignorantia, sciendum est, Patronum jus sui Patronatus acquirere vel ex fundatione, vel ædificatione, vel dotatione alicujus Ecclesiæ divisim vel conjunctim sumptis istis tribus causis seu titulis. Jus vero, quod acquirit sui Patronatus, est potestas Clericum idoneum instituendum ad vacans Beneficium Ecclesiasticum nominandi vel præsentandi Episcopo, vel Superiori, vel Inferiori instituendi jus habenti. Patroni possunt esse vel Ecclesiastici, vel Laici, qui nisi intra præscriptum a jure tempus personam aliquam idoneam præsentent, vacantibus pro illa vice Beneficiis, authoritate ordinaria providebimus. Patronis Ecclesiasticis spatium præsentandi sex mensium; Laicis vero quatuor mensium conceditur.

(C. unico. de Jure Patronatus in 6.) Caveant Patroni a promissionibus Simoniacis, & a pactis illicitis præsentandorum: multo magis Clerici, ne tanquam fures & latrones aliunde in ovile Christi ascendant: intrent potius per ostium legitime, & canonice in ovile. (*Joan.* 10.) Caveant etiam Patroni, ne præsentatis Clericis ulla qualiacunque nova, & insolita, sine nostra authoritate imponant; nihil sibi in pratis, agris, vineis, decimis, & quibusvis redditibus usurpent, sed totum instituto legitime Clerico sine ulla diminutione relinquant, caveant denique Patroni, ne præsentatos vel canonice institutos Clericos ita tractent, ut conqueri merito possint, atque adeo Beneficia deserere vel resignare compellantur. Quod quia in maximum Ecclesiæ præjudicium vergit, ideo justis pœnis quemvis in officio suo, ne alienum usurpet, continebimus.

§. II.

Institutio, seu collatio Beneficiorum.

INstitutio Beneficii Ecclesiastici ordinaria est Episcopi Diœcesani. Cum Patronus idoneum præsentaverit Clericum, cogitur Ecclesiasticus Institutor instituere præsentatum. Collatio Beneficiorum, si scienter indigno, vel canonico aliquo impedimento laboranti fiat, ipso jure nulla est, & hoc ipso devolvitur collatio ab uno Collatore ad alium Collatorem plerumque superiorem, sicuti etiam devolvitur, si Beneficium intra sex menses a die, quo rescitum est, numerandos, absque legitimo impedimento conferatur. Nemo ad curata Beneficia assumptus Sacramenta administret, nec quidquam fiat, quod animarum curæ sit annexum, nisi prius sit canonice approbatus, & investitus. Alias sacrilege & frustra absolvet a peccatis, eos, in quos nullam adhuc habet jurisdictionem. Nemo etiam ullum Beneficium sive curatum, sive simplex possideat, neque fructus illius suos faciat, qui legitime institutus non fuerit. Quod si ab aliquo, cujus est collatio, investiendus sit, a Nobis tamen juxta Trident. *Sess.* 25. *C.* 9. *de Reform.* prius de vita, moribus, & sufficiente doctrina examinabitur: alioqui collatio ab inferiore facta hoc ipso nulla erit. Ad institutionem admissus Professionem fidei, tum infra scriptum juramentum præstabit: *Ego N. Reverendissimo & Illustrissimo Domino &c.*

§. III.

Pluralitas Beneficiorum.

DE pluralitate Beneficiorum, cum jura sint clara, & verba S. Conc. Trid. *Sess.* 7. *C.* 2. & 4. *Sess.* 24. *C.* 17. sint tam fusa, & perspicua, videantur ibi, atque ad praxim referantur.

§. IV.

Resignatio Beneficiorum.

REsignatio Beneficii in Ecclesia Dei (nisi justissima de causa fiat, cujusmodi est Religionis ingressus &c.) plerumque est odiosa, quasi minus pingui Beneficio relicto, pinguiori inhietur. Proinde resignatio cujuscunque Beneficii, non nisi ad manus nostras, vel ejus, qui Collator est Beneficii, fiet: qui sedulo observabit, ne quidquam in præjudicium Ecclesiæ vergat.

CAPUT VIII.

DE BONIS ECCLESIASTICIS.

§. I.

Bona & jura Ecclesiæ.

BOna Ecclesiarum sunt bona DEO consecrata, ita ut nefas sit ea aliis, quam piis & sacris usibus applicare, eoque major, & strictior ratio ab istis sit reddenda, qui illegitime ea usurpant, dispensant, & alienant. Quocirca omnibus cum Ecclesiasticis personis, tum templi Procuratoribus, serio injungimus, & imperamus, ut quæcunque ad Ecclesias spectant, in inventarium referantur, ut sunt paramenta, utensilia, ornamenta &c. Item fundi, prædia, census, decimæ, & alia similia. Volumus insuper, ut omnia ista scriptis mandata, cum recognitionibus, titulis, & quibuscunque juribus & literis loco in Ecclesiis fornicato, tuto &

& ſicco recondantur, obſerentur, reſervatis arcæ clavibus tam ab Eccleſiaſticis, quam Procuratoribus. Nemo prædia, bona, jura, &c. ſine evidenti utilitate vel neceſſitate, noſtraque expreſſa approbatione vendat, permutet, oppignoret, obliget, ad longum tempus locet, vel quomodocunque alienet: factas ſecus alienationes, & obligationes irritas ac nullas declaramus, juſtas alienatoribus pœnas interminantes. Prata, agri, vineæ, & horti diligenter colantur, fœnum, ſtramen, & ſimilia non diſtrahantur, ne per eam diſtractionem poſſeſſiones (deficiente fimo) ſteriles reddantur. Fœnum, ſi opus ſit, ita vendatur, ut non exportetur ad alienum fœnile, & ſtabulum, ſed in Parochiali ſtabulo penitus conſumatur. Non ita ſint parci, vel potius tenaces Parochi in ædificiis & prædiis ſartis tectis conſervandis, ut omne onus in Succeſſores ſuos devolvere velint, & parum vel nihil emendare, cum id non hominibus, ſed Deo ipſi præſtetur. Caveant hæredes Clericorum, ne jura ſcripta, & ſimilia, quæ ad Eccleſiam, vel Eccleſiaſticos ipſos pertinent, reperta apud ſe retineant, ſed ea Succeſſoribus in eadem Parochia, Capella &c. ſine ulla tergiverſatione, dolo, fraude, muneris vel doni exactione reddant. De occupantibus bona Eccleſiaſtica videatur *Conc. Trid. Seſſ.* 22. *Cap.* 11. *de Reform.*

§. II.

Immunitates, Privilegia, Libertates.

IMmunitates Eccleſiaſticas, Privilegia, & libertates, quia per hæreſes, & pravos cum Eccleſiaſticorum, tum Laicorum mores, jacturam nonnullam paſſæ ſunt, renovari volumus, ſive loca ſacra, ſive perſonas Eccleſiaſticas concernant. Quocirca Eccleſiaſticos omnes, & Laicos, cujuscunque ſtatus & præeminentiæ ſint, in Domino monemus, ut ad prædictam immunitatum, & privilegiorum renovationem, & obſervationem contendant prævio aliis exemplo, nec ullo modo ſinant ea, vel minimum impediri, violari, imminui. Nemo Sæcularium manus violentas in ullum Clericum injiciat quacunque de cauſa, nec incarceret, neque vinculis ullis coerceat, ſed crimine Nobis, vel Fiſcali noſtro patefacto, totam Eccleſiæ (cujus eſt caſtigare) poteſtatem & jurisdictionem iſtam relinquat, memor verbi Domini: *Qui gladium* (illegitime uſurpando) *acceperint, gladio peribunt.* Matth. 26. Quod ſi Clericus crimine aliquo enormi, quod diſpoſitionem Eccleſiaſticam, & capitale ſupplicium ex genere ſuo mereretur, ſuſpicioque vehemens de fuga haberetur, in hoc caſu permittimus Magiſtratui ſæculari, ut vel decenter vinctum ad Nos perducat, vel loco honeſto, tanquam in arreſto eouſque detineat, donec de toto negotio plenius informemur. Qui ad Eccleſias, & loca ſacra, & ædes Clericorum tanquam ad aſylum fugerint, inde a Magiſtratu ſæculari ne extrahantur, præterquam latrones publici, agrorum devaſtatores nocturni, viarum obſeſſores, & alii, de quibus C. fin. *De immunit. Eccleſ.* & 17. q. 4. C. *Inter.* & C. *Antiquitus.* Clerici neque ſe ipſos ad Judices ſæculares provocent, confugiant, appellent, neque patiantur ad ſæcularia tribunalia a Laicis ſe citari, vel pertrahi, cum tribunal Clericorum ſit tribunal Epiſcoporum. Parochi ſæpius immunitates & privilegia Eccleſiaſtica populo inculcent, Bullam *Cœnæ Domini* familiarem ſibi, plebique faciant; ne alicubi impingatur, & excommunicatio latæ ſententiæ incurratur. De Privilegiis nonnullis Clericorum videatur ſupra *Cap.* 3. §. 10.

§. III.

Decimæ, Primitiæ, Oblationes.

CUm Decimarum ſolutio debita ſit Deo; (*Exod.* 22. & 23. *Levit.* 27. *Num.* 18. *Tob.* 1. *Malach.* 3.) " non ſunt " ferendi, *inquit S. Synod. Trid. Seſſ.* 25. *C.* 12. *de Reform.* " qui variis artibus de- " cimas Eccleſiis obvenientes ſubtra- " here moliuntur, aut qui ab aliis " ſolvendas temere occupant, & in rem " ſuam vertunt, & qui eas dare nolue- " rint, aut dantes impediunt, res alie- " nas invadunt. Præcipit igitur San- " cta Synodus omnibus, cujuscunque gradus

„ gradus & conditionis ſint, ad quos „ Decimarum ſolutio ſpectat, ut eas, „ ad quas de jure tenentur, inpoſterum „ Cathedrali, aut quibuscunque aliis „ Eccleſiis, vel perſonis, quibus legi- „ time debentur, integre perſolvant. „ Qui vero eas aut ſubtrahunt, aut im- „ pediunt, excommunicentur, nec ab „ hoc crimine, niſi plena reſtitutione „ ſecuta, abſolvantur." *Hucuſque Synodus.* Novalia decimas debent, ſive aratro, ſive ligone fiant.

Primitiæ rurales, pecorum, fructuum, caſeorum, butyri &c. (cum earum ſolutio debita ſit Deo, ut ex plerisque Capitibus ſupra pro Decimis citatis, & aliis adhuc pluribus conſtat) plenius & æquius, quam hactenus plerisque in locis, ſolvantur. Convivia propter Primitias inſtitui ſolita, quoniam Parochorum in onus cedere intelligimus, vel tollantur, vel rediman-tur, vel minus ſumptuoſa habeantur. In Primitiis ſuis Neomyſtæ ſub pœna arbitraria non ducant choreas.

Oblationes non tantum in veteri Teſtamento, ut videre eſt in *Exod.*, *Levit.*, *Deut.* &c., commendatæ ſemper populo fuerunt, ſed etiam in Eccleſia Catholica uſitatiſſimæ. Hæreſis vero & ſuffocata Chriſtianorum charitas, eas propemodum extinxerunt. Suſcitandæ igitur ſunt dextre, & cum diſcretione, populoque inculcandum ſubinde, quam graviter errent ii, qui parum vel nihil toto anno offerunt, cum non hominibus, ſed Deo ipſi auferatur.

CAPUT IX.

DE JUDICIO ECCLESIASTICO ET NONNULLIS CRIMINALIBUS.

§. I.

Jurisdictio Fori externi.

Ratione duplicis Status, Eccleſiaſtici ſcilicet, & Sæcularis, duplex etiam aſſignatur jurisdictio, quæ ſunt gladii duo Evangelici, *Luc.* 22. de quibus Chriſtus, *ſatis eſt*, inquit. Harum jurisdictionum altera alteri neutiquam derogat, ſed potius ſublevat in neceſſitate. Magiſtratus ſæculares manus ab Eccleſiaſtica jurisdictione abſtineant, cauſas Eccleſiaſticas pertractando, decidendo, puniendo, uti, pro dolor! antehac ſæpe numero factum eſt, cum non tantum cauſæ, ſed & perſonæ Eccleſiaſticæ Deo conſecratæ ad extremum mortis ſupplicium damnatæ ſunt, ſine ulla prævia degradatione Eccleſiaſtica, & alia juris forma. Meminerint tam in novo, quam veteri Teſtamento ſumptæ, a Deo de tam immani ſcelere vindictæ. Recolant, quid contra tales S. Synodus Trid. *Seſſ.* 25. *C.* 20. *de Reform.* jactet, quæ, & quanta Bulla *Cœnæ* fulminet. Attendant denique penitius, quid Chriſtus Petro Matth. 26.: *Converte gladium tuum in locum ſuum, omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.*

§. II.

Cauſæ Eccleſiaſticæ.

Cauſæ Eccleſiaſticæ ſunt triplicis generis: aliæ ſunt ex natura ſua mere ſpirituales, ut quæ circa Fidem, Sacramenta, Cæremonias & Eccleſias verſantur. Aliæ, quæ ex ſpiritualibus emergunt, ut quæ ex Matrimonio, locisque ſacris. Aliæ denique ſunt mixtæ, ut quæ ſpirituali temporale aliquid annexum habent, cujusmodi ſunt jura, proventus, ſervitutes Eccleſiarum, Xenodochiorum &c.

§. III.

Hæreſis.

Hæretici formales, qui videlicet habent errorem aliquem pertinaciter contra Fidem veram, Catholicam, & Romanam, idque ſigno, verbo vel omiſſione alicujus exteriorum, quod facere debebant, produnt, turbas ſæpius ciere in Epiſcopatu noſtro ſolent, ægerrimeque ferre, ſi intelligant, ſuis commilitonibus ſacram negari ſepulturam, in loco ſancto, atque adeo importune & moleſte Parochos tractant, ut non immerito de relinquendis quandoque paræciis apud Nos agant. Ergo ut pro munere noſtro Epiſcopali tantis malis occurratur, volumus, ut ſimiles hæretici (ſi cum reliquis Chriſti fidelibus in eodem cæmiterio quieſcere velint) opera quoque fidelium &

& vere orthodoxorum exerceant, id est, hæresim abjurent, confiteantur, communicent, & id genus alia faciant, quæ Christianos decent, & in Professione fidei inferius visenda complectuntur. Ita cessabunt querelæ, jurgia, & odia, quibus Divina Majestas sæpe offenditur, & populus scandalizatur.

§. IV.

Simonia.

SImonia etsi grave & omnibus detestabile crimen esse non ignoretur; viget nihilominus, vigebitque semper, nisi acerrimis pœnis compescatur, quas equidem nobis gravissime pendent Simoniaci. Contingit autem id vitii frequentius in Beneficiis Ecclesiasticis petendis, conferendis, resignandis, & permutandis, rarius in aliis. Si quid pure, sponte, & sine pacto vel conventione, gratisque offeratur, id Simoniacum non est. Quæ pro acquirenda Dignitate aliqua, Canonicatus, alteriusve Beneficii possessione dantur, vel accipiuntur, si moderata sint, & in pium usum, atque ad Ecclesiæ & fabricæ necessitatem convertantur, concedimus: si secus fiat, Simonia est.

§. V.

Concubinatus.

COncubinatus vel minima suspicio populum graviter offendit. Quocirca ita a mulieribus frequentandis, conducendis, admittendis, vel retinendis abstinebunt Clerici, ut nonnisi consanguineas domi suæ habeant. In concubinarios tam Ecclesiasticos, quam Laicos ita animadvertetur, ut si moniti actutum non acquieverint, seque emendaverint, ac scorta sua non deseruerint, eos vinculis excommunicationis & corporis simus emendaturi. Nec mitius tractabuntur concubinæ per Nos, vel nostrum Vicarium Generalem, aut Officialem.

§. VI.

Usura.

QUoniam usurarii nunquam carent excusationibus usuræ suæ, nec videri unquam tales (quamvis revera sint) volunt, monendi, atque de usura diligenter informandi sunt. Omnis ergo ille usurarius est, qui ex mutuo dato aliquid præter sortem capitalem ex conventione percipit. Qui ergo nulla habita ratione tituli, lucri cessantis, vel damni emergentis, sed solius lucri intentione mutuo dant, & quinque vel plura, vel aliquid æstimabile pretio postulant & accipiunt, ejusmodi vere usurarios esse dicimus. (C. *Consuluit*, de Usuris.) Mutuum date, inquit Christus *Luc.* 6., nihil inde sperantes. Nec excusantur, qui pupillorum, viduarum, & piorum locorum bona per usurarios contractus augere volunt. Viderint quid agant, qui plura, quam quinque pro centum petunt. Item, qui nummos aureos, vel argenteos carius exponunt, quam communis taxa patiatur. Rursum, qui corruptas merces mutuo dant, ut quid melius & carius in integrum recipiant. Præterea, qui frumenta, vina &c. coemunt, ut cariore tempore cariora vendant. Confessarii hac in re sint prudentes & cauti. Parochi cum Concionatoribus sint vigilantes, carpant prudenter & efficaciter id vitii pro concione, usurariosque ad restitutionem cum Zachæo *Matth.* 19. compellant.

§. VII.

Violatio Immunitatum Ecclesiæ, & usurpatio bonorum Ecclesiasticorum.

VIolatores immunitatum, privilegiorum, & jurisdictionis Ecclesiasticæ, sicut & occupatores bonorum Ecclesiasticorum sæpe instruantur; ex Bulla *Cœnæ* miserrimus eorum status (nisi resipuerint) serio proponatur. Caveant Parochi, & alii, qui potestatem absolvendi a casibus Papalibus non habent, ne talibus beneficium absolutionis ullo modo impertiant, nisi in articulo mortis, ut habetur in prædicta Bulla, facta prius restitutione, vel sufficienti data cautione &c. Plura videantur in Trident. *Sess.* 22. *C.* 11. *de Reform.*

CAPUT X.
DE POENIS ECCLESIASTICIS.
§. I.
Pœna in genere.

DUo sunt genera pœnarum in Ecclesia, corporale alterum, alterum spirituale. Corporalis pœna, quæ communis est cum pœnis civilibus, consistit in bonis corporis & fortunæ, uti est carcer, exilium, multa pecuniaria: quæ pœnæ antecedunt vel concomitantur, vel subsequuntur censuras Ecclesiasticas, vel pœnas alias spirituales corporalibus longe graviores. Spirituales pœnæ sunt censuræ Ecclesiasticæ, & quæ strictius pœnæ appellantur; depositio, degradatio, cessatio a Divinis, & nonnullæ irregularitates.

§. II.
Censuræ Ecclesiasticæ.

CEnsura, quæ est nervus Ecclesiæ, (C. *Cum inter.* de consuetud.) est pœna spiritualis, medicinalis, & temporalis, privans usu rerum spiritualium, de quibus Ecclesia disponere potest, peccatis Christianorum ita per Ecclesiasticam potestatem imposita, ut per eandem tolli ordinarie possit. Tres sunt ejus species: Excommunicatio, quæ Ecclesiasticos & Laicos; Suspensio, quæ Ecclesiasticos duntaxat; & Interdictum, quod personas & locum divisim, vel conjunctim concernit. Censet vero & punit Ecclesia, propter peccatum externum (de occultis enim non judicat Ecclesia (Can. *Erubescant.* d. 32.) consummatum, & in jure expressum: siquidem in censuris non valet argumentatio a simili, ut tradunt Casistæ. Non est cujusvis excommunicare, sed ejus solius, qui in foro externo jurisdictionem ordinariam vel delegatam, non impeditam publica aliqua excommunicatione, suspensione, interdicto, vel notoria Clerici percussione habet. Talem excommunicandi potestatem in nostra Diœcesi habent Ordinarius, Decanus Sedunensis, Capitulum Sedunense, vacante Sede, Officialis, Abbas, Præpositus, non item Curati & Vicarii. Censuræ aliæ sunt a jure; aliæ ab homine: aliæ generales, particulares aliæ: aliæ latæ sententiæ, aliæ ferendæ, seu comminatoriæ: aliæ validæ, aliæ invalidæ: aliæ personarum, aliæ locorum, aliæ utrorumque simul: aliæ denique reservatæ, aliæ non reservatæ. Violator censuræ alicujus peccat mortaliter, & fit irregularis.

§. III.
Excommunicatio.

EXcommunicatio est duplex, major & minor. Major privat Christianum hominem bonis fidelium omnibus, minor vero aliquibus tantum: privat enim passiva receptione Sacramentorum citra incursionem irregularitatis, & passiva electione ad Beneficium & dignitatem Ecclesiasticam. Incurritur vero minor excommunicatio propter communicationem cum notorio percussore Clerici, vel cum nominatim denunciato excommunicato, non item cum excommunicato minore excommunicatione. Absolvere ab excommunicatione minore potest quivis Sacerdos habens potestatem absolvendi a mortali peccato, si pœnitens mortali laboret: si enim veniali tantum laboret, tum a quovis Sacerdote etiam non approbato potest absolvi: talis enim respectu peccati venialis est proprius Confessarius. (*)

Major excommunicatio incurritur ob peccatum mortale cum inobedientia Ecclesiæ & contumacia commissum. *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Matth. 18. Ut cum quis volens & prudens id committit, quod scit sub excommunicatione prohibitum esse, sive id ex contemptu, sive ex affectu, & passione fiat, ut patet ex multis Capitibus Jur. Can.

Majore excommunicatione irretitus ex notoria Clerici percussione, vel nominatim & publice denunciata, ac proclamata excommunicatione, privatur communibus Ecclesiæ suffragiis, activa

(*) S. Congregatio Conc. Trid. an. 1679. die 12. Febr. edidit Decretum ab Innocentio XI. approbatum, sub cujus finem hoc Ordinariis præcipitur: *Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato.* &c. Videri possunt Viva, Michel, Cardenas &c.

activa, & passiva susceptione Sacramentorum, Beneficii Ecclesiastici receptione, omni jurisdictionis usu, tam in foro externo, quam interno, omni actu forensi (sola sui defensione excepta) omni humana pactione, contractu, & usu cujuslibet officii publici, electione ad Ecclesiasticas dignitates, omni etiam humana & politica conversatione cum aliis Christi fidelibus, adeo, ut nec vicissim cuiquam, cum ipso communicare unquam liceat in Divinis, in humanis vero & politicis rebus solum licet in casibus hoc versu expressis:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Privatur denique excommunicatus Ecclesiastica sepultura. (C. *Sacris*. de Sepult.)

Absolvi potest excommunicatus a quovis legitimo Confessario, vel proprio Sacerdote, si excommunicatio sit a jure & nulli reservata: si vero reservata, tum ab eo absolvendus est, cui est reservata, vel ab ejus Superiore vel Delegato, vel ab Episcopo, si excommunicatus Papam adire non possit, vel cum excommunicatio ex occulto crimine contracta fuit. (*Trid. Sess.* 24. *C.* 6. *de Reform.*) Vel denique a quovis Sacerdote in articulo mortis. Quod si excommunicatio lata sit ab homine, ab eo tantum absolvi potest, vel ejus Superiore, vel Delegato, vel ejus Successore legitimo. In articulo mortis absolvere possunt omnes Sacerdotes, (præter præcisos hæreticos, & schismaticos secundum meliorem opinionem) quosvis pœnitentes a quibusvis peccatis & censuris etiam reservatis, in eo enim articulo nulla est reservatio. (Trid. *Sess.* 14. *C.* 7.) Debet autem is, qui absolvitur a reservata excommunicatione, quam primum fieri commode poterit, Superiori, cui erat reservata, se, si convaluerit, sistere vel per se, vel per Procuratorem. (Cajet. V. *Excommunicatio*. C. 69.) Et ideo moneri hac de re ab absolvente debet, alias reincidit in eandem. (C. *Eos* de Sentent excommun.) Debet insuper pœnitens prævia satisfactione (si opus sit, & temporis mora patiatur) vel cum cautione per fidejussores, seu juramentum, vel alio modo sufficienti, absolvi. (Clem. *de hæretic.*) Notandum vero est circa absolutionem, in foro poli, seu conscientiæ, absolutionem ab excommunicatione, præcedere semper debere absolutioni a peccatis, alias Sacramentalis absolutio nulla esset, cum excommunicatus separatus sit ab Ecclesia, extra quam Sacramenta conferri non possunt.

§. IV.

Suspensio.

SUspensio est censura Ecclesiastica privans Clericum usu seu exercitio Ecclesiastico Officii solius, aut Beneficii solius, aut utriusque simul, ad tempus tantum, vel in perpetuum, propter suam culpam. Per Officium intelligitur Ordo, & jurisdictio Ecclesiastica; per Beneficium vero, Dignitates, Canonicatus, curata & simplicia quæcunque Beneficia. Ab horum usu suspenditur Clericus vel in toto, vel in parte, prout in sententia vel lege scriptum est. Suspensus ab ingressu Ecclesiæ non potest exercere Officium, nec interesse Divinis in illa Ecclesia, eo tempore, quo Divina peraguntur ibi, extra vero illud tempus orare ibi, illac transire, Sacramenta percipere ipsi licet, sed non officiare, ut officiat Hebdomadarius, &c. Suspensus privatur communione fidelium aliorum in eo, in quo est suspensus, ita ut peccet communicando cum aliis. Vicissim peccant mortaliter fideles, si cum eo, quando nominatim denominatus est suspensus, communicent in Divinis: v. g. recipiendo ab illo Sacramenta, Sacrum illius audiendo, vel ipsum ad talia inducendo. Occulti vero suspensi quamdiu tolerantur in officio, valide & licite officium suum exercent, quoties fideles id ab eis exigunt, ne Constantiense privilegium sit frustratorium, sub MARTINO V. Pontif. in Extrav. *Ad evitandum scandala.* Quod si durante suspensione impœnitens moriatur, ei tam intra Ecclesiam, quam cœmiterium sepultura negatur.

Absolutio a suspensione propter quodcunque delictum occultum, fieri potest ab Episcopo. (post Conc. Trid. *Sess.* 24. *Cap.* 6. *de Reform.*) Si vero procedat ex delicto manifesto, non potest absolvere, nisi ille, cui reservatur, vel ejus Superior, vel Successor. Temporalis suspensio elapso tempore evanescit;

nescit; conditionata ad adventum conditionis.

§. V.

Interdictum.

INterdictum aliud est locale tantum, aliud personale tantum, aliud mixtum ex locali & personali, quod ambulatorium appellatur. Interdictum privat activa & passiva receptione Sacramentorum Ecclesiæ, exceptis Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis, pro ægris, peregrinis, & ad bellum profecturis &c. privat etiam Ecclesiastica sepultura. Tollitur interdictum ab eo, qui posuit, vel ejus Successore, vel Superiore. Si sit a Canone ad certum terminum, elapso termino cessat. Si non sit reservatum, Episcopus relaxare potest, cessante causa, propter quam positum est; at causa non cessante, non potest quisquam, nisi Papa. Quando personale interdictum reservatum Summo Pontifici provenit ex occulto delicto, nec deducto ad forum contentiosum, absolvere ab eo potest Episcopus suos subditos. (Trident. *Seſſ.* 24. *C.* 6.) Si vero ex manifesto delicto, non potest, nisi Pontifex.

Ex his facile constat, quam reformidandæ sint censuræ Ecclesiasticæ, quam cavendæ, cum hominem ab Ecclesia, a mystico Christi Corpore separent, a Regno Dei excludant, Satanæque tradant. Proinde Parochos, Concionatores, & Confessarios monemus, ut sæpe de illis tractent, mentibus hominum imprimant, vim & energiam hujusmodi pœnarum expendant, ne ignorantia culpabili laborantes in barathrum damnationis collabantur. Omnes etiam in Domino exhortamur, qui jurisdictionem in foro externo habent, atque adeo censere suos possunt, ut moderati sint in fulminandis excommunicationibus, ne ex crebra iteratione & frequenti earum usu vilescant. Si, quod absit, nonnulli post legitimas monitiones in excommunicatione sua obdurato prorsus animo insorduerint, certiores hac de re facti, contra eos, tanquam de hæresi suspectos, procedemus. Attendant diligenter Parochi, & alii, quorum interest, ne absolutis ab excommunicatione faciles præbeant aures, illisque credant, nisi literas authenticas ab absolvente de facta legitime absolutione repræsentent.

CAPUT XI.

DE VISITATIONIBUS.

§. I.

Visitatio ipsa.

NOn immerito dicere de Parochiis possumus (dum diligenter visitantur) cum Job. cap. 10. *Visitatio tua custodivit Spiritum meum.* Quantus ex Visitationibus fructus oriri possit, vel ex contrario colligi facile potest. Cum enim raræ sunt visitationes, rara est disciplina Ecclesiastica, rarus vel nullus est Dei cultus, languent omnia, excessus vel defectus ubique inveniuntur, vix in medio consistitur: hinc superstitio & acedia tam in Parochis, quam Parochianis, atque vera vel ficta & prætensa succrescit ignorantia. Quibus omnibus ut occurratur, statuit S. Synod. Trid. *Seſſ.* 24. *C.* 3. *de Reform.* Ut quovis saltem biennio singulæ Diœceses visitentur. Cui ut fieret satis, ex intimis vellemus visceribus, sed cum tantæ sint excusationes & remoræ propter sumptuum difficultatem, quando in propria persona visitamus, satis videtur, ut rarius Episcopus propter majorem, & vero necessarium comitatum visitet, sed id munus subinde vel Vicario Generali, vel Officiali, vel Vicariis ruralibus infra & supra Morgiam committat. Qui ut viri graves & docti prudentia, & rerum bene gerendarum scientia præditi, id muneris studiose, sine superfluis expensis, sine pravo affectu obibunt, excessus & defectus minores corrigent, majores vero cum tota visitationis serie, Nobis, quamprimum ex visitatione redierint, luculenter in scriptis referent, ut quod ad Ecclesiasticæ disciplinæ reformationem & conservationem facere in Domino videbitur, post maturam deliberationem nostra authoritate corroboretur.

§. II.

§. II.

Sumptus Visitationis.

SUmptus qui facere teneantur, facile apparet. Illi enim faciant necesse est, propter quos laboratur, & visitatio instituitur. Compertum vero est, & indubitatum, laborem hunc & visitationem suscipi non tantum propter Parochos & alios Ecclesiasticos, sed etiam propter Parochianos, atque adeo visitari Pastorem, oves & ovile ipsum. Conveniant ergo Parochus & Parochiani inter se de sumptibus, ob visitationem faciendis, amice & benevole, sine querelis & acerbitatibus, cum prædicti sumptus pauci futuri sint, vitatis conviviis, & multitudine convivarum, & omni omnino munere repudiato. Dabunt Visitatores operam, ut vel in Parochia, vel honesto aliquo hospitio refectionem suam honestam, minime sumptuosam & superfluam, cum Parocho, & (si opus sit) uno tantum vel altero Parochiano sumant, visitationemque omnem brevissimo tempore, exacte tamen perficiant, ne sit querela de sumptibus.

§. III.

Executio Articulorum.

ANte omnia examinabunt, indagabuntque de Articulis superioris Visitationis, observati, executionique mandati, nec ne sint. Causas intelligent, monitisque iterato Parocho & Parochianis pœnas interminabuntur, ni pareant, quas ab illis infallibiliter repetemus, ne Sedes & Episcopalis authoritas, susque deque habeatur, atque disciplina cum obdientia Ecclesiastica paulatim nihili fieri existimetur. Pervicaces & rebelles sigillatim annotentur, ut etiam sigillatim in eos animadvertatur.

CAPUT XII.

DE SYNODO DIOECESANA.

§. I.

Celebratio Synodi.

INter alios Deo acceptos Ecclesiasticos actus non in postremis habenda est Synodorum celebratio, quæ in primitiva (ut de veteri lege taceamus) statim Ecclesia floruit, ut videre est in Actibus Apostolorum. *Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus.* Prov. 8. rursum Matt. 18. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quæ enim conformitas Divini cultus, & cæremoniarum in uno eodemque Episcopatu esse potest, ubi per multos annos nullum Ecclesiasticorum Concilium habitum est? In Synodo Diœcesana omnia tanquam in speculo, uno intuitu videri, examinari, revideri, corrigi, emendarique possunt: ubi Sacerdotum cum Prælato suo cor unum & anima una invenitur, ibi fraus, ibi dolus, & deceptio exulat; cum quod oculus unus nequit, plures simul videre queant, assistente potissimum Deo, cordium & cogitationum universarum scrutatore.

§. II.

Personæ Synodales.

PErsonæ Synodales sunt Ecclesiastici duntaxat, qui ubi indicta Synodus fuerit, sigillatim vocabuntur. Neque enim prophana ibi, & politica tractari solent, sed tantum Ecclesiastica; quæ prophanis permisceri nequaquam convenit, uti nec decet spiritualia in patriis (ut hactenus) comitiis, sive dictis proponi, examinari, atque decidi, ne Ecclesiasticum forum sæculari foro subdere se (quod est gradus ad hæresim) paulatim videatur. Ecclesiasticorum est sedere, super Cathedram Moysis, aliorum vero servare & facere omnia, quæcunque dixerint illis. (*Matt.* 23.) Alia est ratio, quando brachium sæculare nonnunquam invocatur ad coercendos corporaliter (quod Ecclesia spiritualiter facit) effrænatos: tum enim commissionem ab Ecclesia politicus status accipit, ut legitime exerceat, quod antea facere nec licuisset, nec valuisset.

§. III.

Utilitas, & necessitas Synodorum.

UTilitas, necessitasque Synodorum quanta sit, vel inde patet (ut ex

ex pluribus supradictis §§. conjicere licet) quod in illis saluberrimæ Leges & Constitutiones proponantur, examinentur, perpendantur, confirmentur, & omnes utriusque sexus homines ad eas studiose observandas excitentur. Ergo pro virili conabuntur omnes Superiores Cathedralis, Collegiatæque nostræ Ecclesiæ, nec non quorumvis Ordinum Religiosorum, Parochi, atque alii Ecclesiastici in sua quivis Ecclesia & Ordine, in quantum unumquemque concernunt, servari, executionique mandari omnia & singula, quæ in hac sacra Synodo definita, sancitaque sunt.

Denique quæcunque in hac nostra Synodo Diœcesana decreta, statutaque sunt, ea Nobis declaranda servamus, omnia & singula cum debita reverentia & observantia, authoritati & censuræ Sanctissimi Domini nostri, D. URBANI Papæ hujus nominis VIII. & Sanctæ Sedis Apostolicæ, revidenda, censenda, & approbanda demisse subjicimus, ad Majorem Dei, B. Virginis MARIÆ, sanctæque Ecclesiæ, & Episcopatus nostri incrementum.

Approbatio.

PRæscriptæ Constitutiones Synodales, in omnibus suis punctis & articulis per Reverendissimum, & Illustrissimum Dominum nostrum, Dominum Sedunensem Episcopum &c. & Reverendos Dominos Capitulares Sedunenses, universamque Congregationem Synodalem approbatæ, & admissæ fuerunt, salvis protestationibus, & articulis peculiariter annotatis. Seduni in Choro Cathedralis Ecclesiæ die 27. Aprilis, anni 1626. in quorum fidem nos subscripsimus:

Henricus Teler, Canonicus & Pastor Sedunensis.
Georgius Niggelius, Canonicus Sedunensis.
Jacobus Pollen, Curatus Vespiensis, & Vicarius forensis.
Guillielmus Berodus, Curatus S. Sigismundi apud Agaunos, & Vicarius forensis.
Joannes Columbinus, Secretarius.

Excusa hæc Synodus fuit Friburgi Helvetiorum A. 1635. *in* 12*mo. apud Wilhelmum Darbellay.*

HILDEBRANDUS JODOCUS, (vulgo *Jost*) Adriani II. de Riedmatten anno 1613. defuncti Successor; ex Curione Leutroni Canonicus Sedunensis, dein a die 15. Octobris Episcopus, a S. Francisco Salesio, Gebennensi tunc Episcopo consecratus, primas ab adito Pontificatu curas in lustranda Diœcesi posuit, nihilque ita curavit studiose, quam ut omne Religionis discrimen Catholico suo a grege propulsaret, Antecessorum suorum, sub quibus orthodoxa Fides ultra Sæculum quartum jam & decimum per Vallesiam floruerat, Octodurensium quondam, nunc Sedunensium Episcoporum exemplar imitatus. Ritum salutandæ ad certum calculorum numerum Deiparæ Virginis pene extinctum Seduni, ac ludibrio vel ipsas inter mulieres habitum vitæ quodammodo suæ, majestatique reddidit, jacentem erexit pietatem, Sacramentorumque usum per inferiorem Vallesiam non sine ingenti solatio restituit. Anno 1618. Bernates inter & Hildebrandum Episcopum, Capitulum ac septem Desenos Vallesii; anno autem 1623. inter septem Pagos Cathol. Helvetiæ & eosdem Friburgi Helv. instauratum est fœdus. Acris ipsi erat cum populo & vehemens dissensio, quæ jura potissimum utriusque partis respiciebat; eo tamen, uti quidem cognovi, prorupit nunquam, ut sua illum Sede dejectum, Principatu Vallenses exuerint: quemadmodum refert *Historia Ecclesiastica Germaniæ* Tom. II. pag. 253. gallice Bruxellis A. 1724. edita. Veniam abdicandi sese Episcopatu, gravibus de causis, clam popularibus, clam ipso etiam Sedis Apostolicæ Nuncio, Alexandro Scappio, quam ab Urbano VIII. P. M. anno 1627. petierat, non obtinuit. Societatem JESU, quam amabat assidue & magni ducebat, adversus malevolorum, maxime ad alienam ab Ecclesia nostra Sectam propendentium calumnias singulari studio defendit, e vivis evocatus anno MDCXXXVIII.

Vallesiæ Descriptio, quæ a Simlero ad manum mihi fuit, in Hildebrando de Riedmatten, Sedunensi t. t. Episcopo, desinit *pag.* 170.

Vid. Vallesiam Christianam seu Diœcesis Sedun. Historiam sacram anno 1744. *editam a Cl. Brigueto Sedun. Canon. P. II. C. III. pag.* 198... *Item Histor. Provinciæ S. J. Germaniæ Super. Franc. Xav. Kropf. ejusd. Soc. Dec. VIII. & IX. pag.* 145, 394. *& seqq... Monachii Typis Vötterianis A.* 1746. *in fol.*

SYNO-

SYNODUS NAMURCENSIS
Eodem anno Christi MDCXXVI.
SEU
STATUTA
Per Reverendissimum Dominum, D. JOANNEM DAUVIN, Episcopum VI. Namurcensem in Congregatione Synodali habita die 8. Aprilis anni 1626. Decretis & ordinatis in Synodo præteriti anni adjicienda.

JOANNES DAUVIN, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS Namurcensis, Dilectis Nobis in Christo Clero & populo totius nostræ Diœcesis, Salutem in Domino.

INsequendo saluberrimum Sacrosancti Concilii Tridentini Decretum, præcipiens quotannis Synodos Diœcesanas convocari debere, hanc Congregationem Synodalem hac die, prout declaravimus ultimo Decreto Synodi præcedentis anni, celebrandam duximus. Et quamvis putaverimus in dicta Synodo sufficientia Decreta & Statuta, prout tunc tempus requirebat, fuisse ordinata, quia tamen successu temporis difficultates diversæ oriuntur, pauca, quæ sequuntur, illis adjicienda esse declaramus. Et primo iis, quæ ordinata sunt *de Professione Fidei*, addendum duximus, ut Censor librorum in hac Civitate, & Decani ac Pastores ruri degentes diligenter visitent libros, quos solent Sabaudi, ut vocantur, vel alii, quos Gallice vocant *Portpanniers*, deferre venales, & si aliquos libros apud ipsos repererint hæresim tractantes, aut de illa suspectos, aut etiam res lascivas & impudicas, ipsis adimant, ad Nosque deferri curent, & punire faciant per Judices, ad quos spectabit.

De Scholis & Ludimagistris.

QUia graves abusus noscuntur oriri ex eo, quod pueri & puellæ simul in eodem loco, & sub eodem Magistro degunt & docentur, monemus Scholasticum Ecclesiæ nostræ Cathedralis, & Decanos, ac Pastores ruri degentes, quatenus id impediant, & serio præcipiant, ut viri tantum pueros, & mulieres tantum puellas in suis Scholis admittant, nisi fuerint in tali ætate constituti, ut nullum periculum subesse possit alicujus malæ conversationis.

De Administratione Sacramentorum.

INtelleximus aliquos Pastores tempore pestilentiæ suis subditis Eucharistiam porrigere vino immersam, quod omnino fieri prohibemus, propter periculum mutationis speciei panis sic vino immersæ, cum sint alii modi sufficientes porrigendi iisdem Sacram Eucharistiam, nempe per virgulam oblongam, vel etiam involvendo dictam Sacram Eucharistiam charta munda, quam ex illa infectus peste poterit accipere, ac chartam ipsam statim igne consumere.

Pastores quicumque non permittant aliquos sibi subditos ad suscipiendos Ordines sacros venire, nisi prius juxta ordinationem S. Conc. Trid. proclamationes de illorum intentione, in suis Ecclesiis populo congregato ad Officium Divinum, fecerint.

De Quæstoribus.

INtelleximus quosdam Quæstores per nostram Diœcesim divagari publicando indulgentias, benedicendo stabula

ſtabula animalium, aliaque ſcandaloſa faciendo; quare omnibus Decanis & Paſtoribus inhibemus, ne tales admittant, etiamſi noſtram exhiberent facultatem quæſtuandi per noſtram Diœceſim, quam per præſens Decretum declaramus ſubreptitiam & nullius valoris.

Lecta & publicata fuerunt Decreta ſupradicta in Sacello Palatii Epiſcopalis, adſtantibus Synodalis hujus Congregationis Patribus de mandato Reverendiſſimi Epiſcopi eidem præſidentis, die octavo Aprilis anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi ſexti.

JOANNES DES FOSSEZ, *Synodi Secretarius.*

CONSTITUTIONES, SEU ORDINATIONES

Anno Chriſti MDCXXVII. Urbani VIII. Papæ V. Ferdinandi II. Imp. IX.

FACTÆ ET DECRETÆ

Per eundem Reverendiſſimum Dominum

D. JOANNEM DAUVIN, Epiſcopum Namurcenſem, in Synodo Diœceſana Namurci habita, & die 21. Martii celebrata.

JOANNES DAUVIN, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS Namurcenſis. Dilectis Nobis in Chriſto Clero & populo totius noſtræ Diœceſis, Salutem in Domino.

SAlubriter ſane Sacroſancta Synodus Tridentina, Sancti Spiritus gratia afflata conſtituit, ut Synodi Diœceſanæ quotannis celebrarentur, eumque in finem, ut remedia occurrentibus defectibus ſemper adhiberentur. Cui Conſtitutioni ſatisfacere cupientes, præſentem Synodalem Congregationem convocavimus in hunc diem, ut diligenti inquiſitione facta, Statutis & Ordinationibus ſalutaribus, pravis actibus & conſuetudinibus, quæ ab ultimis Synodis irrepſere, occurratur.

Inprimis deprehendimus non ſine magno animi dolore & experti ſumus toto hoc anno Dominicorum & Feſtorum dierum nullum fere amplius haberi delectum, nec rationem: quare mandamus omnibus Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, quatenus Mandatum noſtrum, quod in fine harum Conſtitutionum reperietur, diligenter obſervari curent, quodque habebitur in eo, de Catechiſtica doctrina tradenda, cum omni ſedulitate executioni demandent.

Parochi, fideles ſuarum Parochiarum ad frequentiſſimum Sacramentorum uſum cohortentur; ac crebris & efficacibus monitis illud, quod SILVERIUS P. M. ſtatuit, revocare ſtudeant in conſuetudinem, ut, qui non ſæpius communicare ſolent, ſingulis ſaltem Dominicis Adventus & Quadrageſimæ, Corpus Domini ſumant, præmiſſa peccatorum confeſſione.

Ipſimet Parochi, niſi invaletudine aut alia cauſa legitima & neceſſaria impediantur, Corpus Domini deferant ad ad ægros: ſi vero aliquando hoc in Miniſterio neceſſe habeant alterius opera uti, non alteri hoc committant, niſi illi, quem noverint ad confeſſiones audiendas eſſe admiſſum & approbatum: cum ſæpe contingat ægrum, cui Sanctiſſima Euchariſtia defertur, iterum confiteri velle, quia poſt peractam confeſſio-

feſſionem aliquid commiſerit, vel ante commiſſum recordatus ſit.

Quod ſi Sanctiſſimum Corpus Dominicum deferendum fuerit ad ægrum, qui longius a Parochiali abſit, non ſine periculo mortis morbo laborantem, ne ille prius obeat, quam Sacerdos reverti poſſit, ut ei Sacramentum Extremæ Unctionis adminiſtret, vaſculum etiam ſacræ Unctionis ſecum deferat, illam ægro, poſtquam Corpus Domini præbuerit, miniſtraturus: ſi ita pro morbi ingraveſcentis ratione mortisque periculo faciendum judicaverit.

Advertimus Rectores quosdam Parochialium Eccleſiarum non rite ſuas annuales reſcriptiones facere, reticendo qualitates ſuarum dictarum Eccleſiarum, an ſint ſcilicet integræ, an mediæ, an vero quartæ Capellæ vel tertianæ; nec etiam earum onera exprimunt, imo, quod deterius eſt, a dictis oneribus ſeſe propria auctoritate eximunt. Quare dictos Rectores ſerio monemus, ut ſupradicta omnia in poſterum in ſuis ponant reſcriptionibus, nec non onera, prout tenentur, perſolvant, ſub pœna arbitraria ipſis infligenda. Quod ſi aliquam juſtam cauſam habeant, qua putent ſe ad illud non teneri, illam ad Nos deferant, ut, quod juris & rationis fuerit, ordinetur, & quid in poſterum faciendum fuerit, ſtatuatur.

Idem præſtabunt reſcribendo Beneficia ſimplicia in ſuis Eccleſiis ſita.

Quia autem Domino Deo viſum fuerit evocare ex hac vita Reverendum Dominum *Ægidium Bosman*, Eccleſiæ Cathedralis Decanum, dum viveret, & in Synodo olim Judicem in cauſis Apoſtolicis, & Examinatorem deputatum, in ejus locum ſubrogandos duximus, prout ſubrogamus Reverendos Dominos *Andream de Wypion* Decanum, ut Judicis fungatur officio, & *Guilielmum Dauvin*, Examinatoris: qui ad ſancta Dei Evangelia juravit ſe fideliter hoc munus executurum.

Inſuper perſpeximus, Decretum Synodi anni 1625. de Viſitatione per Decanos ſive Archi-Presbyteros non ſolum non obſervari, ſed etiam pene negligi. Quare eos ſerio monemus, ut ſecundum illud in ſuis Viſitationibus ſe gerant, ſuasque relationes juxta modum in eo præſcriptum faciant.

Intelligimus quoque aliquos Sæculares, imo mulieres nonnullas noſtræ Diœceſis, legere ſine noſtra facultate, ſacram Scripturam lingua vulgari, contra prohibitionem expreſſam. Invigilent itaque Paſtores, ut tales deprehendant, eosque moneant, ut a tali lectione abſtineant, doceantque, quantum ipſis ex ea immineat periculum; & ſi abſtinere noluerint, ad Nos deferant, ut pro modo culpæ juridice coerceantur.

Lectæ & publicatæ fuerunt hæ Conſtitutiones, ſeu Ordinationes in Sacello Palatii Epiſcopalis, adſtantibus hujus Synodalis Congregationis Patribus, de mandato Revmi D. Epiſcopi eidem præſidentis, die trigeſima prima Martii anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi ſeptimi.

JOANNES DES FOSSEZ, *Synodi Secretarius.*

MANDATUM pro Obſervatione Feſtorum.

JOANNES DAUVIN &c. Cum in dies non ſine magno animi dolore experiamur, dierum Dominicorum & Feſtorum nullum fere amplius delectum & rationem haberi, ſed plerosque promiſcue iis diebus, quibus Dei cultui vacare deberent, operum ſervilium exercitiis incumbere: Nos pro muneris noſtri Paſtoralis debito, tanto malo mederi cupientes, vobis & veſtrum cuilibet committimus & mandamus, quatenus proxima Dominica harum receptionem immediate ſequente, & exinde quolibet ut minus trimeſtri, ſerio moneatis Parochianos, vobis reſpective ſubditos, ut præfatis diebus Dominicis & Feſtis, ab omni opere ſervili, quod a dierum ejusmodi debita ſanctificatione, & celebratione prorſus eſt alienum, omnino abſtineant. Quodque a reatu violationis Feſtorum immunes non cenſebuntur ruſtici, qui ad forum publicum aut alio cum curribus

ribus & equis onuſtis proficiſcuntur, & ii, qui in urbibus macella & officinas, granis, carnibus & mercibus reſpective vendendis aperient. Contra quos proinde & quosvis alios Feſtorum violatores ſtricte inquiri & animadverti volumus. Et quoniam nobis ſatis compertum eſt ejusmodi jam dicta & alia pleraque zizania inimicum hominem in agro Dominico, dormientibus & oſcitantibus Paſtoribus, ſuperſeminare; hinc eſt, quod vobis rurſum diſtricte præcipimus, prout hactenus identidem præcipere nunquam deſtitimus, ut in Eccleſiis veſtris, Dominicis ſaltem diebus, & majoribus Feſtis, Fidei rudimenta pueros & populum vobis commiſſum diligentiſſime doceatis, quamque vim habeant Dei & Eccleſiæ præcepta, & quæ ſunt ejusmodi facilis & Catechiſticæ doctrinæ capita, ſincere & pro muneris veſtri debito, & ſubditorum captu exponatis, niſi velitis pœnis contra deficientes hac in parte ſtatutis ſubjacere, &, quod maximum eſt, Dei omnipotentis judicium & indignationem incurrere. De cætero rogamus in Dei nomine omnes Curiarum ſæcularium Miniſtros, ut etiam ſuper debita Feſtorum obſervatione ſedulo advigilent, & pro eo, quo ſummæ memoriæ PHILIPPUS II. Hiſpaniarum Rex in idipſum ferebatur zelo, uti Diplomate ſuo, quod pro Synodi Cameracenſis Decretorum executione tulit, clare teſtatus eſt: muneri ſuo hac in parte ſatisfaciant, laboris deſuper ſancte impenſi mercedem amplam conſecuturi a Domino. Datum Namurci 31. Martii A. 1627.

Namurci,
Ex Typographia Caroli Gerardi Albert,
1720.

SYNODUS DIOECESANA COLONIENSIS,

Eodem anno Chriſti MDCXXVII.

Sub FERDINANDO, Duce Bavariæ, LXIII. Colonienſi Archi-Epiſcopo,

AD DIEM 19. APRILIS

COLONIÆ IN ÆDE METROPOLITANA

HABITA,

Præſidentibus Reverendiſſ. Illuſtriſſ. & admodum Reverendo Dominis: D. FRANCISCO a LOTHARINGIA, Epiſc. Virdunenſi, &c. OTTONE GEREON, Epiſc. Cyrenenſi, &c. JOANNE GELENIO, Ss. Theolog. Doctore, Reverendiſſimæ Suæ Serenitatis & Metropol. Eccl. Colon. reſpective Suffraganeo, Decano, & Vicario in Spiritualibus Generali Commiſſariis, ad hoc ſpecialiter deputatis.

TENOR COMMISSIONIS ISTE EST:

FERDINANDUS, DEI GRATIA ELECTUS, ET CONFIRmatus Archi-Epiſcopus Colonienſis, Sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, & Princeps Elector: Epiſcopus Paderbornenſis, Leodienſis, & Monaſterienſis: Adminiſtrator Hildesheimenſis, Berchtesgadenſis, Corbejenſis, & Stabulenſis: Comes Palatinus Rheni: Utriusque Bavariæ, Weſtphaliæ, Angariæ, Bullionis Dux: Marchio Franchimontenſis: Comes Loſſenſis, Longienſis, Hornenſis: S. Sedis Apoſtolicæ Legatus Natus, &c. Reverendis, Illuſtriſſimo, Venerabilibus ſincere, & devote Nobis dilectis FRANCISCO a LOTHA-

THARINGIA, Episcopo Virdunensi, OTTONE GEREON, Episcopo Cyrenensi, & JOANNI GELENIO, Ss. Theologiæ Doctori, Nostris, & Ecclesiæ nostræ Coloniensis respective Suffraganeo, Decano, & Vicario in Spiritualibus Generali Salutem.

Gravissimæ solicitudinis nostræ occupationes præpediunt Nos, quo minus futuræ Synodo Diœcesanæ, quam ad diem decimum nonum mensis Aprilis celebrari jussimus, personaliter præsidere possimus. Quapropter Vobis, de quorum prudentia, & legalitate confidimus, præsentium tenore committimus, ut quæ ad consummationem Sanctorum in opus Ministerii, in ædificationem Corporis Christi spectant, pro vitiorum destructione, ac morum reparatione, vel ordinanda, vel renovanda provideritis, ea Vos vice nostrâ ordinetis, ac renovetis. Atque in hunc finem inprimis præsentes Constitutiones, antehac a Venerabili Capitulo Nostro mature examinatas transmittimus, ut easdem publicari faciatis, & quicquid Nos in dicta Synodo personaliter agere possemus, nostro nomine peragatis. Hæc est seria nostra voluntas, manu, & sigillo nostris roborata. Dat. in Civitate nostra Bonnæ, die 29. Martii Anno 1627.

FERDINANDUS.

Joannes Spies.

IN NOMINE SACROSANCTÆ, ET ADORANDISSIMÆ TRINITATIS PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI, AMEN.

NOS FERDINANDUS, DEI gratia Electus & Confirmatus Archi-Episcopus Coloniensis, &c. Ad honorem & cultum DEI omnipotentis, Ecclesiasticæ disciplinæ reformationem, ac fidelis populi Nobis commissi ædificationem, & æternam salutem, de consilio & assensu Venerabilis Capituli nostri constituimus, decernimus, & ordinamus, uti sequitur:

TITULUS I.

De Professione Fidei.

Cum Fides sit fundamentum Religionis, & humanæ salutis inchoatio, sine qua impossibile est placere Deo: (a) Ideo renovamus Decreta nostra *de Professione Fidei*, juxta formam Ss. Concilii Tridentini antehac a Nobis publicatam. (b) Et districte præcipimus, ut eandem Professionem edant omnes & singuli tam sæculares, quam regulares Prælati, Canonici, Parochi, Vicarii, Sacerdotes, aliique Clerici, & Ecclesiarum Ministri, Concionatores, Confessarii, Universitatum Rectores, & Gymnasiorum Regentes, Scholarum quoque trivialium Magistri, Doctores, & Professores, antequam Ordines suscipiant, & Dignitatibus, Beneficiis, & officiis suis fungi, & frui cœperint.

Ad eandem Fidei professionem faciendam volumus obligari, juxta ordinationem Religionis a Nobis vulgatam, Satrapas, Judices, Præfectos, Schultetos, Cellerarios, Quæstores, aliosque Ministros nostros, idque initio administrationis officiorum suorum: nec non Consules, seu Magistros Civium, Scabinos tam Judiciorum, quam Synodales, Senatores, Cives, ac Subditos, idque toties, quoties Magistratus renovari, aut in album civium, ac tribuum quenquam inscribi contigerit. Et Prælati quidem, Canonici, cæterique Clerici, & Ecclesiarum Ministri coram Nobis, aut nostro nomine coram Vicario nostro in Spiritualibus Generali, Archi-Diaconis, Examinatoribus, Decanis ruralibus, vel Capitulis suis, aut Ecclesiarum, quibus serviunt, Pastoribus respective, & Vice-Curatis: Regulares vero in manibus suorum Superiorum, aut eorum, quibus receptio Professionis fidei de jure, vel consuetudine competit: sed Laici coram Nobis, Vicario nostro, Parochis, seu aliis, quibus Nobis id mandare placuerit, Professionem hujusmodi edent.

TITU-

(a) Ad Hebr. 11. (b) In Synodo 1612. post: *Invocavit.*

TITULUS II.

Quo innovantur Decreta trium præcedentium Synodorum, & mandatur Catecheticæ lectionis institutio.

Innovamus quoque omnia & singula Decreta nostra in Synodis Diœcesanis anno millesimo quingentesimo nonagesimo octavo, secunda Octob. (*c*) anno millesimo sexcentesimo duodecimo, feria tertia post Dominicam *Invocavit*, itidemque secunda die Octobr. ejusdem anni, sub felicis recordationis Reverendissimo, & Serenissimo Domino, D. ERNESTO Patruo, & Antecessore nostro, ac Nobis publicata. (*d*)

Inter hæc omnia speciatim præcipimus, ut ii, qui curam habent animarum, sedulo & legant, & in praxin deducant, quæ in Synodo Diœcesana Nobis ipsis præsidentibus, anno millesimo sexcentesimo duodecimo, feria tertia post *Invocavit*, fuerunt publicata, & sub *Tituli III. Cap. IV.* quod est *de Sacramentorum administratione*, continentur.

Innovamus quoque Decretum nostrum a Nobis anno millesimo sexcentesimo decimo quinto, die vigesimo nono mensis Novembris emissum, sub tenore sequente, illudque ad Diœcesin nostram totam extendimus.

FERDINANDUS, &c. Venerabilibus devote Nobis dilectis Civitatis Coloniensis Pastoribus notum facimus, insuperque districte præcipimus, & mandamus, authoritate ordinaria, nulli deinceps ægroto Ss. Eucharistiæ, Extremæ Unctionis, & Matrimonii Sacramenta porrigi, vel administrari debere, præterquam a propriis Parochis; inhibentes proinde sub excommunicationis majoris, ac ulteriori etiam Nobis arbitraria pœna omnibus & singulis Presbyteris, & Clericis, tam Regularibus, quam Sæcularibus quibuscunque, ne prædicta Sacrosanctæ Eucharistiæ, Extremæ Unctionis, & Matrimonii Sacramenta, citra expressam Parochorum propriorum in scriptis obtentam licentiam, cuiquam porrigere, aut quomodolibet administrare, prout nec in privatis domibus, absque nostri in Spiritualibus Vicarii Generalis speciali concessione, sacrum Missæ Officium celebrare ullatenus præsumant. In quorum fidem, & testimonium præsens nostrum Decretum sigillo Archi-Episcopali jussimus communiri. Datum ex Oppido nostro Bonnensi die 29. mensis Novembris, anno millesimo sexcentesimo decimo quinto.

Adhæc districte mandamus, omnibus & singulis Parochis, Vice-Curatis, aliisque curam animarum habentibus, ut Catecheticæ lectionis institutio ubique introducatur: Archi Presbyteris vero, seu Decanis ruralibus præcipimus, ut infra mensis spatium enixam hanc nostram voluntatem significent Parochis, & Vice-Curatis, sub districtu Decanatuum suorum: Itidemque infra secundi mensis spatium a die publicationis horum Decretorum nostrorum, Vicario nostro in Spiritualibus Generali designent Pastores eos, qui Decreto nostro in re hac tam salutari morem non gesserint, pariterque contumaciter parere neglexerint. Nos enim contra omnes, & quoscunque tales contumaces pœna Nobis arbitraria procedere intendimus.

Mandamus quoque Magistratui sæculari, ut sub pœnis arbitrio eorum imponendis, jubeant eo tempore, quo lectio Catechetica servatur, abstineri a choreis, lusibus, aliisque recreationibus nonnunquam populo indultis. Sic enim futurum confidimus, ut frequentius non solum pueri, sed etiam adulti, & senes ad institutum hoc adeo pium, & necessarium confluant.

Adhæc requirimus, & in Domino hortamur eosdem, ut sumptus necessarios pro Xeniolis, & munusculis puerorum, vel ex publico ærario, pro cujusque loci commoditate, vel redditibus fabricæ, aut, quod malumus, fraternitatum, quæ passim in Ecclesiis Parochialibus, & Collegiatis habentur: quam maxime vero ex ea parte redituum, & obventionum, quæ conviviis, &

(*c*) Tom. VIII. pag. 517.
(*d*) Utramque Synodum anni 1612., quæ serius ad manus venit, dabo in Supplemento.

& Sympoſiis fratrum inſumi conſueverunt, contribuant. Nihil enim ſalubrius fieri; & in nullos alios meliores uſus hæc Eccleſiarum, ærarii, & Fraternitatum bona converti poſſunt, quam ut pueri a teneris fidei rudimenta doceantur, & cum lacte materno Chriſtianam Religionem, & pietatem imbibant. Si in hac applicatione difficultates aliquas oriri contigerit, eas Decani ſeu Paſtores ad Nos, Vicarium noſtrum, vel futuram Synodum referant. Utque ſe Paſtores, & Vice-Curati ad inſtructionem promptiores, alii quoque Eccleſiaſtici, vel Laici cujuscunque ſexus ad pueros adducendum paratiores exhibeant, omnibus in plantanda Vinea Domini ſtrenue laborantibus, indulgentias quadraginta dierum qualibet vice concedimus.

TITULUS III.

De abrogando abuſu circa diſtributionem ſacri Olei.

BEllicis hiſce temporibus abuſus nonnulli irrepſerunt circa ſacri Olei diſtributionem, quæ fieri ſolet feria quinta Septimanæ ſanctæ. Siquidem Archi-Presbyteri, ſeu Decani rurales, quorum erat perſonaliter, ſeu ſaltem per Camerarios ſuos, vel ſubſtitutos alios Presbyteros, in Eccleſia noſtra Metropolitana comparere, ſacrum Oleum e manibus Clerici, quem vocant, Cameræ recipere, & dein Parochis, & Vice-Curatis ſuorum Decanatuum diſtribuere, domi remanentes, per Pedellos ſuos homines laicos, ſeu etiam, quod maxime abſurdum eſt, ſubmiſſas fœminas petere conſueverunt, & ad ſe per multa itinerum ſpacia deferri curant. Huic abuſui, & periculo ſacrilegii occurrentes, & Sanctis Sacramentis debitum honorem impendentes, mandamus & ſevere præcipimus omnibus & ſingulis, quibus jus adferendi, & ſubdiſtribuendi ſacri Olei debetur, ut vel in perſonis propriis, vel per Camerarios ſuos, ſeu alios idoneos ſubſtitutos Sacerdotes, feria quinta Septimanæ ſanctæ in Eccleſia noſtra Metropolitana cotta, & ſtola, ſeu orario induti compareant, ac dein, prout moris eſt, diſtributum ſacrum Oleum, non per Pedellos, aliosve Laicos cujuscunque ſexus, ſed Presbyteros ad Parochias ſuas, ſuorumque Decanatuum deportari faciant. Ubi vero Eccleſiæ Parochiales extra Civitatem Colon. (nam de intraneis nulla eſt difficultas) non habent plures, quam unum, vel duos Sacerdotes, qui ſacro illo tempore explicandæ Paſſioni Dominicæ, aut excipiendis confeſſionibus dant operam, ſequentem in modum diſponitur: Ut per Decanos, Archi-Presbyteros, aliosque jus afferendi & ſubdiſtribuendi habentes, in ipſa ſubdiſtributione pyxides ligneis capſis ad formam, quam fieri curavimus, & per ſingulos Decanos ſibi ſubjectis Parochis oſtendi volumus, reverenter clauſæ, ſigillis Decanorum, Archi-Presbyterorum, & jus habentium conſignentur, atque ad Parochias ſubjectas per honeſtos viros laicos deferantur. Speciatim vero iisdem Laicis demandatur, quocunque locorum divertant, & morentur, antequam ad Paſtores, a quibus emiſſi ſunt, redierint, ut, in qua decet veneratione, ſacrum Oleum habeant.

TITULUS IV.

De promulgatione Concilii Tridentini circa Sacramentum Matrimonii.

IN Synodo Diœceſana, quæ habita eſt anno Milleſimo quingenteſimo nonageſimo octavo, die ſecunda Octobris, mandavimus publicari Decretum Sacri Concilii Tridentini, (e) quod factum eſt, ſuper abuſibus, & ſcandalis, quæ circa Matrimonia irrepſerant. Et quidem juxta normam a Concilio præſcriptam, in Ducatibus, Comitatibus, & territoriis temporali noſtræ Dominationi ſubjectis, & quæ ſub his ſunt, Parochialibus Eccleſiis pene omnibus, jam dictum Decretum ad notitiam omnium & ſingulorum devenit.

Quan-

(e) Conc. Trident. Seſſ. 24. C. 1.

Quandoquidem vero ejusdem promulgatio undequaque ac præcipue in Ecclesiis, Ducatibus, Comitatibus, territoriis, & Dominiis in Diœcesi nostra quidem existentibus, sed altæ sæculari nostræ jurisdictioni non subditis, Decanorum ruralium, & Parochorum negligentia subsecuta non fuit: Hinc iterum mandamus, & serio præcipimus Archi-Diaconis, Decanis ruralibus, Pastoribus, & Vice-Curatis omnibus & singulis, tam sub temporali nostra jurisdictione, quam extra eam in Diœcesi nostra constitutis, ut quocunque loci allegatum Decretum *de Reformatione Matrimonii* e suggestu non est publicatum, idipsum publicent, & explicent infra unius mensis, ab hoc die incepturi spatium, ac deinde sæpius publicationem hanc, & explicationem, ne simpliciores e populo ignorantiam prætendere possint, repetant: Eandem repetitionem, prout & in Synodo nostra Diœcesana anno Millesimo quingentesimo nonagesimo octavo factum est, aliis in locis, in quibus hactenus Reformationis illius promulgatio effectui data fuit, injungimus. In hunc vero usum sæpius dicti Decreti verba lingua latina ex sacro Concilio Tridentino excerpta, & nostro idiomate translata (ut cuivis excusandi se occasio præcidatur), alias quoque jussu nostro typis vulgata denuo hic adjungenda duximus.

Quod sequitur Decretum Conc. Trid. de Reform. Matr. Vide Tom. VIII. cit. pag. 521.

TITULUS V.

De Missali, Breviario Coloniensi, & Cæremoniis Ecclesiasticis.

NUper inprimis quidem Breviaria, atque dein Missalia Colon. ad dispositionem S. Romanæ Ecclesiæ accommodata renovari fecimus: Cujus pie intenti operis fructu ne Ecclesia nostra fraudetur, omnibus in virtute S. Obedientiæ mandamus, ut amotis quibusvis aliis, sive jam antiquatis, sive peregrinis, vel privatis, & singularum Ecclesiarum propriis Missalibus, & Breviariis, deinceps novo tam Missali, quam Breviario Coloniensi utantur. Congruum enim est, ut idipum omnes dicant, unoque ore Deum honorificent. Singularum vero Ecclesiarum peculiaribus Festis a Nobis, vel nostris Prædecessoribus, nostrisque, & eorum Vicariis approbatis fundationibus non intendimus derogare.

Et quia quandam nonnullarum cæremoniarum, ac rituum potissimum in sacræ Missæ Officio confusionem temporis tractu irrepsisse advertimus: Idcirco eidem Missali plenissimam instructionem generalibus, & specialibus Rubricis complexam de cæremoniis, & ritibus uniformiter in Ecclesiis Nobis subjectis servandis præfigi fecimus, quorum usum omnibus & singulis præcipimus.

Atque ut hæc uniformitas facilius introducatur, & constantius perseveret: Volumus, ut in omnibus Ecclesiis Collegiatis, & Parochialibus, aliisque, ubi plures sunt Clerici, unus constituatur, qui cæremoniarum curam in se recipiat, novellos Sacerdotes in cæremoniis instruat, & ut omnia suo ordine, loco, ac tempore fiant, observet. Is etiam Superiores singularum Ecclesiarum, Decanos, Pastores, Priores, Rectores, aliove quovis nomine vocatos, de difformitatibus quibusvis certiores reddere tenebitur, ut eorum auctoritate, quod commode interdum Cæremoniarii introducere, aut corrigere non possunt, introducatur, vel corrigatur.

TITULUS VI.

De Divino Officio, munditia Ecclesiarum, & sacræ supellectilis, pulsu Mariano, & pro defunctis.

CLerici ubique meminisse debent, se esse de sorte Domini, & Ecclesiam intrantes se esse in domo Dei sancta, quæ *domus orationis* (f) vocatur, quare nemo, cujuscunque fuerit Ordinis, & dignitatis in Ecclesiis palliatus, & in brevibus, ut vocant, quovis id fiat tempo-

(f) Marc. 11. c.

tempore, compareat, sub Divinis etiam nullus, nisi vestem choralem pro temporis ratione indutus, deambulet, confabuletur, aut aliquid aliud loco sacro indignum tractet, sed recta ad chorum ingrediatur, & reverenter Venerabili Sacramento, aut Altari salutato, ad locum suum se recipiat. In egressu similiter reverentiam Ven. Sacramento, aut Altari faciat. In choro confabulationes, risus, cachinni, & discursus vetantur.

Horæ alternatim, devote, distincte, non clamorose, sed leniter, servata non solum in medio, sed & in fine cujuscunque Versus paussa, cantentur. Et pro temporis, atque officii ratione omnes simul stent, sedeant, genua flectant, & surgant.

Thurificationes sub *Benedictus*, & *Magnificat* in summis, duplicibus & infra Pascha, & Pentecosten, Homiliarum Festis, & in locis singularum Ecclesiarum consuetis, potissimum vero coram Venerabili Sacramento Corporis Dominici, ubi id intra chorum servatur, cum debita semper genuflexione, nunquam intermittantur.

Templa, Sacella, & Altaria, calices, patenæ, vasa sacrorum Oleorum, corporalia, purificatoria, urceoli, mappæ, vestes sacræ, candelabra, cruces, & imagines, ac reliqua sacra supellex, semper sint munda & nitida, atque sæpius laventur, purgentur, & a sordibus excutiantur: præsertim illa, quæ ad tremendum Altaris Sacrificium pertinent. Indignum enim est domos proprias exquisite mundari & ornari, aulam autem Domini congruo cultu non resplendere. (g) Sane "nimis videtur absurdum in sacris sordes relinquere, quæ dedecerent etiam in prophanis," ait magnum Concil. Lateranense. (h)

Calices autem, patenæ, vasa sacrorum Oleorum soli Sacerdotes, aut Clerici majoribus Ordinibus initiati: corporalia & purificatoria primum Clerici, dein aliæ honestæ personæ: Sed ipsa sacra loca, & reliquam supellectilem Æditui, & Sacristæ abluant, mundent, purgent. Ablutio autem a Sacerdotibus, & Clericis majorum Ordinum piscinæ, vel sacrario infundatur.

Ut populus fidelis mane, meridie, & vesperi, atque etiam sub elevatione in summa Missa signo campanæ ad orationem incitetur, pie in omnibus Ecclesiis introductum est. Et quia *sancta, ac salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*; (i) Idcirco præcipimus, ut inposterum post vespertinum pulsum diversæ campanæ signo, ubi plures sunt, ejusdem autem, ubi una duntaxat, existit, populus ad habendam commemorationem pro Defunctis admoneatur. Et curent Decani, Archi-Presbyteri, & quicunque alii Superiores infra unum mensem a publicatione Decretorum præsentis Synodi in Ecclesiis, Oratoriis, & Sacellis sibi subjectis sanctum hunc morem introduci. Concionatores insuper, & Divini verbi præcones populum de tam pii usus fructu frequentius instruant.

Deinceps " quoque (k) relinqui " incorrectum nolumus, quod quidam " Clerici sic exponunt, Ecclesias supel" lectilibus propriis, & etiam alienis, " ut potius domus laicæ, quam Dei Ba" silicæ videantur, non considerantes, " quod Dominus non sinebat, ut vas " transferretur per Templum. (l) " Firmiter itaque prohibemus, ne hu" jusmodi supellectilia in Ecclesiis ad" mittantur, nisi propter hostiles in" cursus, aut incendia repentina, seu " alias necessitates urgentes, ad eas o" porteat habere refugium: Sic tamen, " ut necessitate cessante, res in loca " pristina reportentur.

TITULUS VII.

De veneratione Sanctorum, Reliquiis, & earum Catalogo conficiendo.

" SAnctorum Martyrum, & aliorum " cum Christo viventium sancta " corpora, quæ viva membra fuerunt Christi,

(g) C. Pulchra. dist. 86. (h) Conc. Lateran. c. 19. (i) 2. Mach. c. 12.
(k) Conc. Lateran. sub Innoc. III. c. 19. (l) Marc. 11.

" Christi, & templum Spiritus Sancti ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda," (*m*) seu partes corporum, & Reliquiæ quantumvis minutæ in omnibus Ecclesiis, Sacellis, & Oratoriis ut munda servari, sic decenter claudi, & non facile e thecis suis extrahi, multominus e Diœcesi nostra exportari, sine expressa nostra, & in scriptis obtenta licentia, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipimus. Ad majorem autem Dei, & Sanctorum cum Deo regnantium gloriam, nec non populi devotionem accendendam, in festis Sanctorum, quorum Reliquiæ elevatæ, ornatæ, & decenter inclusæ sunt, easdem in altaribus, aut aliis convenientibus locis exponi mandamus.

Volumus etiam, ut singularum Reliquiarum inscriptiones, quatenus opus, renoventur, & Catalogus illarum, sive eæ nominatæ sint, sive non nominatæ, infra duorum mensium spatium post publicationem hujus Decreti, ab Ecclesiarum quarumcunque Rectoribus, & Superioribus conficiatur, & Vicario nostro in Spiritualibus mittatur.

In Synodo Diœcesana, quæ celebrata est anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, sub fœlicis record. ERNESTO Prædecessore, & Patruo nostro relaxata fuit obligatio certis diebus Festis feriandi, idque ex causis quibusdam prægnantibus in eadem Synodo allegatis. Quarum nonnullæ cum nostris temporibus sublatæ sint, visum est Decretum illud nonnihil moderari.

Volumus itaque, ut festa Ss. GEREONIS, URSULÆ, ET SOCIARUM VIRGINUM, AC MARTYRUM, quæ sanguine suo Ecclesiam nostram Coloniensem consecrarunt; intra Civitatem Coloniensem, tam in foro, quam in Choro, deinceps sint celebria.

Mandamus insuper, ut singulis annis Dominica proxima post Dedicationem S. Michaëlis Archangeli, festum S. Angeli Custodis Officio duplici (quod a Sanctissimo Domino nostro PAULO Papa V. felicis record. est approbatum) translato, si quod in eandem Dominicam incidat Festum, in aliam vacantem feriam, per totam Diœcesin nostram celebretur. Et Parochi, ac Concionatores sedulo populum doceant, quantam Angelis suis tutelaribus observantiam debeant; utpote, quibus mandavit Deus de nobis, (*n*) ut præcedant nos, & custodiant nos in omnibus viis nostris; (*o*) quos observare, & quorum vocem audire jubemur, & quibus omni tempore ad *reverentiam pro præsentia*, *devotionem pro benevolentia*, *fiduciam pro custodia* (*p*) obligamur.

JACOBUS WILICH, *Curiæ Archi-Episcopalis Coloniensis Sententiarius præscript. Synod. Notarius Publicus subscripsit.*

Coloniæ Agrippinæ apud Petrum Cholinum Archiep. Typogr. Anno MDCXXVII.

Exemplar tam hujus Synodi, quam duarum, de quibus paulo ante, nobiscum communicavit Vir Cl. Dominus de Borse B. M. V. ad Gradus Canonicus Capitul. Eandem hanc Synodum contraxit in Annalibus MSS. ad h. a. Turckius.



SYNO-

(*m*) Conc. Trid. Sess. 25. de invoc. ven. & Reliq. Sanct. (*n*) Psal. 90.
(*o*) Exod. 23. (*p*) S. Bern. Psal. 90.

SYNODUS *MAJOR* (*) OSNABRUGENSIS,

Anno Christi MDCXXVIII. Urbani VIII. Papæ VI. Ferdinandi II. Imp. X.

PRÆSIDENTE
Reverendissimo & Illustrissimo Principe ac Domino,
D. FRANCISCO GUILIELMO, (**)
Sanctæ Osnabrugensis Ecclesiæ LIX. Episcopo,
CELEBRATA
DIE 28. MENSIS MARTII.

EPISTOLA,

EDITIONI ISTIUS SYNODI PRÆMISSA.

FRANCISCUS GUILIELMUS, DEI ET APOSTOLICÆ Sedis gratia Episcopus Ecclesiæ Osnabrugensis, Præpositus Ratisbonensis, Comes de Wartenberg, Dominus in Waldt, &c. Universis & singulis Cathedralis nostræ, & Collegiatarum, Parochialiumque Ecclesiarum Prælatis, Abbatibus, Præpositis, Decanis, Archi-Diaconis, Parochis, Rectoribus, & Curatis, cæterisque Civitatis & Diœcesis nostrarum Osnabrugensis Clericis, & Personis Ecclesiasticis, tam Regularibus, quam Sæcularibus, Salutem in Domino sempiternam.

MEmoria vos tenere arbitramur, quanto promovendi honoris Divini, quanto proferendæ Christianæ Fidei, Religionisque Catholicæ, quanto denique Status Ecclesiastici ornandi, augendique desiderio flagrarit, MAGNUS ille CAROLUS Romanorum Imperator, & Rex Francorum, non avitæ duntaxat fortitudinis, gloriæque bellicæ Heros, sed barbararum etiam gentium invictus Domitor, & Episcopatuum in Saxonia plurium munificus æque ac pius Fundator. Quam etiam ob rem, Saxonibus illis priscis, non minore felicitate prælio victis, quam Religione, ad Christum una cum Duce ac Principe suo WEDIKINDO, maxima Orbis Christiani gratulatione traductis, totus in eo fuit, ut agnitam jam Christi fidem, desultoria levitate ne mutarent, sed retinerent constantissime, jactasque salutis radices, dignis Christiana arbore, bonorum operum fructibus confirmarent. Hoc Consilio Episcopatum hunc nostrum Osnabrugensem, primum omnium ac vetustissimum in Saxonia, sub patrocinio Apostolorum Principis instituit, accitoque ex Frisia, viro non minus vitæ sanctimonia, & Sacer-

(*) Hac insigniri appellatione Synodum hanc voluit Celsissimus Princeps, quod solemnis ea & generalis, qua omnes omnino Prælati, omnia Collegia & utriusque sexus Monasteria, omnes & singulæ Diœcesis suæ Parochiæ, seu Clerus universus Episcopali jurisdictioni subjectus evocaretur, esse debuit. Qualem profecto ab hominum memoria Patria Osnabrugensis non viderat. Gemina porro extat Synodi Editio: altera ex Typographeo Episcopali Osnabrugi A. 1628.; altera Typis Jodoci Kalcovii anno 1653. Coloniæ Agrippinæ: utraque elegans, utraque jussu ejusdem Principis Francisci Guilielmi excusa, & varias tam Archi-Episcoporum Coloniensium, ceu Metropolitanorum, quam Prædecessorum Osnabrugensium Episcoporum Constitutiones Synodales (quod bonum pluribus & commodum est) insertas habens.

(**) Vide sub finem Synodi.

*Sacerdotii dignitate, quam doctrinæ laude, & rerum Divinarum cognitione, id ætatis Clarissimo WIHONE; primum quidem, plebem ac populum in Mysteriorum sacrorum disciplina studiose institui, deinde vero Ecclesiam ab se conditam, fundatamque, sanctorum Christi Sacerdotum multitudine, eruditione etiam, ac scientiarum graviorum, & religiosæ potissimum integritatis laude antestare cæteris, imo Ecclesiam Osnabrugensem quasi Matrem, ac nutricem reliquarum omnium esse voluit, a qua illæ & primam gratiæ vitam, & doctrinæ Christianæ lac haurirent, quod quanto vicinorum Episcopatuum commodo, quam luculento fidei Christianæ incremento factum sit, satis prodiderunt vetera Historiæ Saxonicæ monimenta, (a) ex quibus in propatulo est, ex Osnabrugensi Ecclesia, tanquam ex communi adsitarum Diœceseon Seminario, integerrimos Clericos, absolutissimosque Sacerdotes, ad promulgandam veram fidem, procurandamque animarum salutem prodiisse. Incubuit in hoc maximo studio primus hujus Sedis Antistes WIHO; incubuerunt in idem alii plures Ecclesiæ nostræ Præsules (*quorum syllabum vobis sub oculos subjicimus*) qui votorum suorum compotes, ad septingentos & quod excurrit annos, nobilissimam, ut ait Cyprianus,* (b) *Christiani gregis portionem, Sacerdotes inquam & Clericos, Divino cultui inauguratos numero multos, eruditione præstantes, pietate eximios, numeris omnibus perfectos, singulari Dei beneficio, illustri cum Episcopatus hujus ornamento, non sine admiratione infidelium, omnium vero commendatione habuerunt, atque utinam conspicuus ille Ordinis Ecclesiastici nitor, qui tanto cum decore resplenduit, constanti semper luce fulsisset. Verum Dux tenebrarum, illustrissimo Soli ausus offundere nebulas, id effecit, ut Nazaræi nostri candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Sapphiro pulchriores,* (c) *mutato colore optimo, vultuque instar carbonum denigrato, vel probrosa turpitudine lapsi sint violato castitatis voto, vel impio perjurio ad errores fœdissimos, ac hæresin descivérint: quod evenisse justa Dei ultione experti sumus, ab illis maxime annis, quibus vel iniquitate temporum, vel libertatis amore, vel conniventia Acatholicorum Præsidum, vel vulgi errore, vel Sacerdotum licentia, tota hæc (pro dolor!) Diœcesis, non ut orbis universus Arianum se esse ingemuit, sed Acatholicam esse vidit. Quod uti alienis imbuti opinationibus Ecclesiæ Rectores dissimulaverunt: ita soliciti de se, de suorum salute Curatores restituere in integrum pro viribus nixi sunt. Certe celebris prudentiæ laude Prædecessor noster JOANNES Comes de HOIA felic. rec. & pronuper ITELIUS FRIDERICUS S. R. E. Cardinalis & Comes ZOLLERANUS, magni ambo, & memoriæ nunquam interituræ Episcopi, introducto in hanc Diœcesin promulgatoque palam Tridentino Concilio, summa desideraverunt, conati sunt plurima, multa effecerunt. Nostis ipsimet vos plerique, & memorare potestis, quid tantorum impensis operum moliti, quid emoliti sint. Nos in curam Episcopalis muneris, Episcopo animarum nostrarum supremo ita volente, illo maxime tempore, quo turbinum omnis concitatio, tempestatumque effusarum indignatio, in Diœcesin nostram, Nauclero jam suo ac Gubernatore orbatam, inundabat, adsciti, unum id in votis habuimus, ut si non reducta malacia, sedatis saltem perturbationum procellis, creditas nobis Petrinæ naviculæ reliquias, quocunque possemus pacto, assereremus & servaremus. Nec vos præterit, quanta cum difficultate, quanto sumptu atque opere, quanta Adversariorum obtrectatione, quanta repugnantia Filiorum Belial, post felicem inaugurationem nostram, Deo nobis opitulante, effectum dederimus, ut nostra in Urbe Principe, totaque Diœcesi Religioni Orthodoxæ integritas constaret. Plura hic non persequimur: Deus enim pro nobis, & causæ æquitas loquitur. Tantis certe impendiis, tanta molestia (conscientiam habemus ad Deum Dominum bonam) unum hoc quæsivimus, ut proscripta impietate, revocata omnino, vel restituta ex parte Religione avita, Fides Catholica in Diœcesin nostram reduceretur, Ecclesiasticarum autem Constitutionum observatio in Clero nostro, si non ad laudem pristinam (quod tamen vel maxime optamus) reviresçat, ad sacrarum tamen Legum, Canonumque normam, ac disciplinam Ecclesiasticam erigatur ac conformetur. Quod eo magis necessarium est, quo Clerici & sacrorum Præfecti, exemplo suo in utramque partem plus in vulgus possunt, aut nocere, si mali sint & improbi, aut prodesse, si Religiosi & pii: uti enim morbus a capite ortus, facillime per venas atque arterias in membra*

(*a*) Ex Saxonia Krantzii, Kerssenbrug & Kleinsorgi Histor.
(*b*) Cypr. Serm. de Virgin. (*c*) Threnor. 4. v. 7. 8.

membra traducitur ac dividitur, totumque corpus pervadit & inficit, ita vitia Clericorum (qui corporis Christi capita quædam sunt) proclivi admodum contagione, in populum diffunduntur, dum quilibet imitari non horret, quod tanto videt Authore perpetrari. Quod indicasse nobis videtur tam Jeremias, (d) dum asserit a Sacerdotibus egredi pollutionem super omnem terram; quam Oseas (e) dum vaticinatur, Sacerdotes esse factos in laqueos, & rete expansum; laqueos, quibus integritati gula interstringeretur, rete, quo decepti malorum esca, pisces rationis compotes caperentur. Qua etiam de causa, ex S. Joannis Chrysostomi sententia, (f) Clerici unius peccatum, sicut commune quoddam Parœciæ integræ contagium, tam grave atque enorme est, atque multitudinis totius, quod ille adducta, ad confirmationem assertionis suæ, Aaronis indulgentia, (g) Ophni (h) & Phinees (i) sacrilegio stabilit; additque idcirco unius Sacerdotis delictum expiatum fuisse eadem hostia, qua populi universi piacula propitiabantur. Atque ut taceamus de scandalis passim præbitis, de offensionibus datis, quibus horrendum illud Væ, Summus noster Pontifex a peccatoribus segregatus intonuit. (k) Tantam hactenus in Diœcesi nostra credendi, vivendique libertatem, tantam errorum impunitatem, tantam rerum Divinarum ignorationem, tantum salutis neglectum, magnam sane partem confusionem hanc culpa Pastorum natam esse in grege existimandum est. Morbo huic fontico tam noxio, ac virulento, non mederi, cum possemus, grande arbitramur nefas, cum eam ad curationem a supremo Psychiatro, & Oleum acceperimus & Vinum. (l) Nec præsentius Alexipharmacum disciplinæ Ecclesiasticæ (quam in Oratione Synodali præscribi vobis, eademque de causa excudi præcepimus) observatione, ex qua nullo negotio perspicuum, quibus obnuntiationibus, dirisque configantur, quibus mulctentur pœnis atque censuris impii, dissoluti, leves, impudici, negligentes muneris sui Sacerdotes. Quid vero Christianæ Reipublicæ & Ecclesiæ Dei conferant pii ac religiosi Sacerdotes & Clerici, qui cum integritate morum, eruditionem sacram & zelum animarum castum conjungunt, a primis fidei incunabilis, ad declivem hanc usque senectam, per singulas ætates abunde in Ecclesia constitit: adeo ut nemo diffiteri possit, plures sanctitate & exemplo Pastorum suorum, quam docendi contentione, & miraculorum multitudine, ex errorum tenebris, ad veram fidei lucem, ex flagitiorum cœno, ad justitiæ Christianæ studium emersisse. Ita scilicet oculos, ita animos ferit honesta & innocens Clericorum vita. Sicuti enim unius Sacerdotis flagitiis provocatus ad iracundiam Deus, toti populo infligit plagas: ita unius etiam Religione ac pietate mitigatur, ut propitius sit ac volens, quod exemplo suo Samuel (m) & Onias (n) docent: sunt Clerici Lux mundi, Sal terræ; (o) Oculi corporis mystici; in hac luce si tenebræ, in hoc sale si fatuitas, in his oculis si albugo, decoram cæteroqui Ecclesiæ faciem obscurari, evanescere, fœdari perspicuum est: si e diverso in luce hac vitæ ardor, ac doctrinæ splendor, in sale hoc condiendi acrimonia, in oculo hoc pura perspicacitas, manifestus evadit speciosissimi oris Ecclesiæ nitor, sapor, pulchritudo. Hunc corporis splendorem, vel obsitum nonnihil, detersis maculis expolietis; vel jam interpolatum reddetis illustriorem, si ea, quæ de officio Ecclesiastico, de animarum cura, de Sacramentorum administratione, de vita & honestate Clericorum, de interna, externaque modestia, in Synodo hac nostra injungimus, quæ Antecessor noster Cardinalis ZOLLERANUS in sua, quæ Metropolitani in Conciliis Provincialibus decreverunt, quæ omnia & singula vobis ob oculos poni curavimus, effectis detis, sed etiam subditis curæ vestræ commissis, quatenus eos eorumque salutem respiciunt, exponatis, utque tum a vobis ipsis, tum ab iis diligenter & accurate observentur, curetis. Quod uti a Principe Pastorum & Episcopo animarum nostrarum supremo, qui nos consecravit Deo genus electum, regale Sacerdotium, Gentem sanctam, Populum acquisitionis (p) impensissime efflagitamus, ita serio mandamus atque præcipimus, ut quisque vestrum examussim sancteque observet; Officio nostro in puniendis iis, qui deliquerint, promovendis vero ornandisque iis, qui paruerint, nequaquam defuturi. Deus Dominus vos sanctos & immaculatos in adventum Filii sui servet. Dabamus ex Civitate nostra Osnabrugensi, in Festo S. Marci Evangelistæ, Anno 1628.

ORDO

(*d*) Jerem. 23. v. 15. (*e*) Oseas c. 5. v. 1. (*f*) Lib. 6. de Sacerdotio.
(*g*) Exod. 32. v. 22. & 28. (*h*) 1. Reg. 2. à v. 12. & c. 4. v. 10. (*i*) Ex Levit. 4.
(*k*) Matth. 18. v. 7. (*l*) Luc. 10. v. 34. (*m*) 1. Reg. 3. & 12. v. 3.
(*n*) 2. Machab. 15. v. 12. 13. (*o*) Matth. 5. v. 13. & 15. & 6. v. 22. 23.
(*p*) 1. Pet. 2. v. 9.

ORDO AC SERIES EPISCOPORUM
ECCLESIÆ OSNABRUGENSIS,
AB ANNO CHRISTI DCCLXXII. AD ANNUM USQUE MDCCLXI.

Numerus Episcopor.	CAROLUS M. Imp. Osnabr. Ecclesiæ, in Saxonia primæ, Fundator.	*Anni Sessionis*	*Anni Obitus.*
I.	S. WIHO ex Frisia a CAROLO M. evocatus, Vir genere, doctrina, sanctitate vitæ, zelo animarum illustris.	32.	804.
II.	MEINGARDUS.	29.	833.
III.	GOSWINUS Fuldæ fit Monachus.	32.	866.
IV.	S. GOSBERTUS Martyr genere Sweo, sive Suecus, Discipulus S. Ansgarii, præstantissimi Apostoli Sueciæ.	8.	874.
V.	EGBERTUS, sive Eginhardus, recuperandis Decimis Episcopatui ablatis solicite intentus.	10.	884.
VI.	EGILMARUS, ei redduntur alienatæ Decimæ, & quinque aliæ Ecclesiæ ab ARNULPHO Imperatore adjiciuntur.	33.	918.
VII.	DODO I. is obtinuit Confirmationem Privilegiorum, Ecclesiæ Osnabrugensi datorum.	16.	934.
VIII.	DROGO, illustria impetrat ab OTHONE I. Imperatore, circa cudendam monetam, instituendos mercatus, & nundinas privilegia.	35.	969.
IX.	LUDOLPHUS, OTHONIS Imperatoris Consanguineus.	26.	983.
X.	DODO II. OTHONI II. & III. gratus.	13.	996.
XI.	GUNTHARDUS, sive Guntradus, aliis Guntherus, quem internoctu Ss. Martyres *Crispinus* & *Crispinianus* ad acceptandum Episcopatum animant.	4.	1000.
XII.	WACHOLPHUS Polyonymus, qui & Warnandus, Wedilolphus, Wannerus, Wannonus.	2.	1002.
XIII.	DIETHMARUS, ex Canonico S. Mauritii extra muros Monasterienses factus Decanus Aquisgranensis, tandem Episcopus Osnabrugensis, fundavit Ecclesiam S. Joannis Baptistæ, librisque suis Bibliothecam donat, & oculis tandem capitur.	21.	1023.
XIV.	MEINERUS, sive Mencherus, vel Menicherus.	5.	1028.
XV.	GOSMARUS.	9.	1038.
XVI.	ELVERICUS, aliis Alverus, vel Elevericus.	15.	1052.
XVII.	BENNO I. & ipse Polyonymus: dicitur enim Bernardus, Wernicherus, Brenno, &c.	16.	1068.
XVIII.	B. BENNO II. Miraculo natus, sterilibus Parentibus, ex Præposito Hildesiensi Episcopus Osnabrugensis, a S. ANNONE consecratus, Fundator Cœnobii Iburgensis & Montis S. Gertrudis, Privilegiorum egregius Vindex, Glires sacris obnunciationibus devovit, qui intra 280. annos tota Diœcesi conspecti non sunt.	20.	1088.
XIX.	MARQUARDUS, Abbas Corbejensis, loco & honore motus.	5½.	1093.
XX.	WIDO seu WIHO II. sub quo Civitas Osnabrugensis conflagravit.	8.	1101.
XXI.	JOHANNES I.	9.	1111.
XXII.	GODTSCHALCUS, Nobilis Dominus de Diepholte.	8.	1119.
XXIII.	DIETHARDUS, ab Imperatore & Capitulo contra competitorem egregie defensus.	18.	1137.
XXIV.	UDO, Turres ædis Cathedralis exstruxit, & Montem S. Gertrudis absolvit.	4.	1141.
XXV.	PHILIPPUS Comes Cattimelibocus, præter alia præclara		

Numerus Episcopor.		Anni Sessionis	Anni Obitus.
	clara facinora, instituit duo Virginum Monasteria Osede & Quernheim.	32.	1173.
XXVI.	ARNOLDUS.	2.	1175.
XXVII.	GERHARDUS de Lippia, qui quod reformato Cœnobio Herssebroch, gestis contra vicinos Principes bellis, motisque litibus gravibus, relicta Sede Osnabrugensi, factus sit Archi-Episc. Bremensis, incerto habet calculo annos supputatos, sub illo vixit Osnaburgi Vir Sanctus Reinerus nomine, videtur sedisse circiter	35.	
XXVIII.	S. ADOLPHUS (*) Thesaurariam auxit, Cantoriam instituit, ac Festum S. Catharinæ, Episcopus in Capitulum, in Ministros Ecclesiæ, in leprosos liberalis.	20.	1220.
XXIX.	ENGELBERTUS I. Comes de Teckleburg, Ecclesiam Osnabrugensem, contra fratris sui violentiam gloriose propugnat.	24.	1244.
XXX.	BRUNO Comes de Isenburg Pacificus, qui multas composuit controversias.	8.	1252.
XXXI.	WEDEKINDUS Comes de Waldeck cum laude præfuit.	7.	1260.
XXXII.	BOLDWINUS de Rusle ampliavit Ecclesiam Widenbrugensem.	10.	1270.
XXXIII.	CONRADUS I. Comes de Rittberg.	28.	1298.
XXXIV.	LUDOVICUS Comes de Ravensberg, gestis feliciter præliis, adversus Diœcesis suæ hostes inclytus, pietatis laude & Religione celebris.	14.	1312.
XXXV.	ENGELBERTUS II. de Wenghe construxit Wittlage.	11.	1324.
XXXVI.	GODEFRIDUS Comes de Arensberg, Capellæ Episcopalis in nova Civitate Fundator. Sub hoc Judæi infecerunt puteos, unde eluviones & pestilitas gravis.	26.	1350.
XXXVII.	JOHANNES II. dictus Hoet, Doctor Ss. Canonum, a Papa CLEMENTE V. confirmatus, Regalibus a CAROLO IV. donatus, maximas inter turbas præfuit annis	16.	1366.
XXXVIII.	MELCHIOR Dux Brunswicensis, excluso Theodorico a Marca ad Episcopatum Osnabrugensem provectus, ab eodem ad Swerinensem transfertur.	10.	1376.
XXXIX.	THEODORICUS, sive Diethenius de Horn, subactis tandem Diœcesis hostibus, expugnatoque Cloppenburgo, Curiam in Urbe sua Episcopali fundat, in Ecclesias beneficus.	28.	1402.
XL.	HENRICUS I. Comes de Holsatia resignat.	2.	1404.
XLI.	OTHO Comes de Hoya.	20.	1424.
XLII.	JOHANNES III. Comes de Diepholte, pugnatis variis pugnis, pro Decimarum, & limitum suorum defensione, accepto in Urbe Telonio, propinato sibi veneno moritur.	13.	1437.
XLIII.	ERICUS I. Comes de Hoya resignat.	3.	1440.
XLIV.	HENRICUS II. Comes de Morse, Administr. Monaster.	10.	1450.
XLV.	ALBERTUS Comes de Hoya, Postulatus, sed non confirmatus a Papa.	3.	1453.
XLVI.	RUDOLPHUS Comes de Diepholte postulatus.	1.	1454.
XLVII.	CONRADUS II. Comes de Diepholte laudabiliter præest, & reformat Monasteria S. Benedicti.	28.	1482.
XLVIII.	CONRADUS III. Comes de Rittberg, qui reformat Monasteria Quernheim & Rulle. Sub illo, cives duce Lententuen tumultuantur adversus Clerum, sed graviter luunt injuriam.	26.	1508.

(*) Editio posterior hæc addit: *Illustris genere, ex Canonico Coloniensi Monachus Cisterciensis in Vetere Campo.* In eadem Editione *Engelbertus, Comes de Isenburg, & Conradus, hic XXX. ille XXIX.* Osnabrugenses recensentur Episcopi.

Numerus Episcopor.		*Anni Sessionis*	*Anni Obitus.*
XLIX.	ERICUS II. Dux Brunswicensis ex Grubenhagen, Princeps apprime Catholicus, qui commotos ad seditionem, ac Lutheranismi libertatem postulantes Cives, animose compescuit, & Rebelles 6000. Florenorum Aureorum pœna mulctavit.	24.	1532.
L.	FRANCISCUS I. Comes de Waldeck, sacris Ordinibus initiatus, consecratur Episcopus in Marienfelt, inductus postea in Lutheranismum, a Summo Pontifice & Imperatore monitus resipiscit, & Catholicus moritur. Sub hoc primi Religionis veteris deformatores, Præcones novi Osnaburgum aliunde accersiti, Scholas, Ecclesias, concordiam Statuum perturbant. Facessere tamen jussis novæ Hæresis Magistris, abolito Heterodoxo exercitio, restituta in integrum Religione Catholica, & Ecclesiis, puniuntur ab Imperatore, ob violatam Religionem, & Jurisdictionem Ecclesiasticam Cives Osnaburgenses.	21.	1553.
LI.	JOANNES IV. Comes de Hoya, Princeps Religiosissimus, Prudentiæ laude Clarissimus, Doctrina magnus, linguarum variarum expertissimus; in promovendo Ss. Concilio Tridentino (*quod etiam primus in sua Diœcesi promulgavit*) studiosissimus, pacis amantissimus, in tractatu illo Passavico in Germania cum Hæreticis inito, laboravit plurimum, & Ecclesiæ Catholicæ, ac Religioni profuit maxime	11.	1574.
LII.	HENRICUS, Dux Saxoniæ, Administrator.	11.	1585.
LIII.	WILHELMUS Schencking ex Beveren.	5. dies.	
LIV.	BERNARDUS Comes de Waldeck.	5.	1590.
LV.	PHILIPPUS SIGISMUNDUS Dux Brunswicensis, Administrator, sub hoc anno 1613. media quasi Civitas Osnabrugensis conflagravit.	33.	1623.
LVI.	ITELIUS FRIDERICUS Comes de Hohenzollern, S. R. E. Cardinalis, pietate ac prudentia præstans, qui Religioni avitæ, paci inter Principes Germaniæ, reducendæ, & publicis Imperii negotiis studuit plurimum.	2.	1625.
LVII. *al.* LIX.	FRANCISCUS GUILIELMUS Comes de Wartenberg, qui anno hoc 1628. tertium Gubernationis Episcopalis auspicatur; huic felicitatem in terris longam, in Cœlis sempiternam, piorum omnium vota desiderant & apprecantur.		
	NB. *Series hæc Episcoporum, secundum annos integros supputata est, mensibus, hebdomadis, diebus non subductis, ut eo expeditior esset & certior ratio Chronologiæ, in qua nonnulli uti variant; sic vacillant.* (*)		

(*) Cur Seriem hanc Episcoporum non prætermiserim, ipsæ satis eloqui videntur literæ encyclicæ, in fronte Synodi legendæ. Eandem porro ad hæc nostra tempora pertexo, ut Lectori meo serviam. Ex Gelenii calculo Franciscus est LIX. Osnabrug. Episcopus: igitur

LX. ERNESTUS AUGUSTUS, primus e Brunsvicensi domo (*per Instrument. Pacis Osnabr. Art. XIII. §. 2.*) Episcopus anno 1662. postea anno 1692. Elector Hanoveranus, qui obiit anno Christi 1698. ætatis suæ 69.

LXI. CAROLUS JOSEPHUS, Dux Lotharingus, Caroli Leopoldi, & Eleonoræ Mariæ Archiducis Austriæ filius, Olomucensis ab anno jam 1694. Episcopus, quadriennio post Osnabrugensis, tum Coadjutor A. 1710. & postpaulo ab obitu Joannis Hugonis Archi-Episcopus Elector Trevirensis, Magnus pariter Ordinis Moli-

Melitensis Prior, Canonicorum Leodiensium, ac Tridentinorum Collegio adscriptus, vitam florentissimam posuit, annum agens quintum & trigesimum, variolis A. Christi 1715. die 4. Dec. Vindobonæ extinctus.

LXII. ERNESTUS AUGUSTUS, 17. Septembris A. 1674. Ernesto Electore mox nominato genitus, frater Georgii Ludovici Angliæ Regis, Dux Hannoveranus, postulatus anno 1716. decessit 1728.

LXIII. CLEMENS AUGUSTUS, Bavariæ Dux, 16. Aug. A. 1700. natus, ad Episcopatus Monasteriensem & Paderbornensem a. 1719. ad Electoratum Coloniensem a. 1723. ad Episcopatum Hildesinum a. 1724. ad Præposituram Leodiensem a. 1725. ad Magnum denique Teutonici Ordinis Magisterium a. 1732. inter communes Patriarum plausus, ac vota multa decennalia evehebatur, visus tot augeri dignitatibus, quo plurium amplificare felicitatem, & accumulare posset. E rebus humanis eripitur a. 1761. die 6. Febr. apud Emmum & Revmum Dominum D. Joannem Philippum, Trevirensem Archi-Episcopum, ad pedem arcis Ehrenbreitsteinianæ alieno in Palatio, qui varia, eaque superbissima ceu totidem munificentiæ suæ testes, numerabat. Princeps fuit Religione magnus, clementia maximus.

LXIV. FRIDERICUS, Glocestriæ Dux, die 16. Augusti a. 1763. natus, quem suum hodie Episcopum Osnabrugenses venerantur. Numus, monumenti caussa in lucem editus, hanc refert posteris inscriptionem: *Annuente Georgio Tertio M. Brit. Fr. H. R. F. D. D. Brunsw. & Luneb. S. R. I. A. Th. & Elect. Patre & Rege Opt. postulatus Episc. XXVII. Februarii MDCCLXIV.*

ACTA GESTAQUE CUM CÆREMONIIS,
SERVATIS IN SYNODO MAJORI
OSNABRUGENSI
XXVIII. MARTII, ANNO M.DC.XXVIII.
PRÆSIDENTE
Reverendissimo & Illustrissimo Principe ac Domino,
D. FRANCISCO GUILIELMO,
Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Ecclesiæ Osnabrugensis,
Præposito Ratisbonensi, Comite de Wartenberg, Domino in Waldt, &c.

SEria admodum est commonitio, & severa magni gentium Doctoris Apostoli Pauli obtestatio: [a] *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo.* Quam, ea qua oportuit considerationе, cum animo suo Reverendissimus atque Illustrissimus Princeps ac Dominus, D. FRANCISCUS GUILIELMUS Episcopus Osnabrugensis, Ratisbonensis Præpositus, Comes de Wartenberg, Dominus in Waldt, &c. religiose supputans, muneris sui atque officii esse ratus est, crediti sibi a Deo gregis, commissarumque Ecclesiæ Osnabrugensis ovicularum, boni instar fidique Pastoris, non minori studio, quam caritate satagere: cumque non ignoraret, ex sacro Ezechielis Prophetæ oraculo, (b) consolidandum sibi, quod infirmum, sanandum, quod ægrotum, alligandum, quod confractum, reducendum, quod abjectum, requirendum, quod perditum, pervigilandum denique tanquam rationem pro animabus omnium Deo redditurо; omni animi contentione, viribusque in id incubuit.

Opportunissimum itaque & maxime necessarium, ad persanandam gregis sui scabiem, ad conservandam Fidei veræ integritatem, sinceritatemque, ad profligandam hæresin, morborum omnium procreatricem, ad reformandos Cleri mores, defectusque corrigendos, ad dijudicandas lites, componendasque controversias, ad statum denique Ecclesiæ totius instaurandum, visum est remedium, Synodi convocatio: quod non duntaxat suo exemplo docuerunt Christi Domini nostri, Principis omnium Pastorum, & Episcopi animarum nostrarum Apostoli, Concilio primo Hierosolymis celebrato, quos deinde magno consensu ac fructu, gloriosi Ecclesiæ Præsides secuti sunt, sed sacri etiam Canones, & Oecumenicæ Synodi Tridentinæ Decreta præscripserunt: idque eo citius adhibendum esse duxit, quo majus in mora

(a) Act. 20. (b) Ezech. 34.

mora periculum, & nocentior in morbis chronicis cunctatio, quoque vel negligentius, vel rarius in Diœcesi sua Synodos convocatas esse meminerat. Imitatus itaque communem Episcoporum consuetudinem, & secutus recens, Illustrissimi & Reverendissimi Antecessoris sui Cardinalis ZOLLERANI exemplum, inter ipsa inaugurationis suæ primordia, difficillimis licet, perturbatissimisque hujus Patriæ temporibus, Reverendissima & Illustrissima Sua Celsitudo, ad majorem DEI gloriam, Religionisque avitæ, & Fidei Catholicæ incrementum, ad Ordinis Ecclesiastici reformationem, Synodum non quidem ut hactenus consuetam, sed Generalem, qualis ab hominum memoria celebrata non fuit, indixit.

Eo consilio conscriptæ sunt de more, amandatæque per Diœcesin universam, atque adeo etiam ad alias Satrapias & loca, sub territoriis aliorum Principum & Magnatum sita, literæ Episcopales, quibus omnes & singuli, jurisdictioni spirituali Episcopi Osnabrugensis, de jure aut consuetudine, quovis modo subjecti essent, ad Synodum evocabantur, quod eo faciendum fuit studiosius, quo Principes quidem Acatholici, atque ea propter, ad gubernationem hujus Ecclesiæ inhabiles, in celebrandis Synodis, in citandis Parochis sibi subditis negligentiores, quoque callidius aliqui, jurisdictionis sacræ jugum, vel Evangelicæ libertatis prætensæ, vel alio quovis prætextu quæsito excutere conati sunt. Ad stabiliendam itaque jurisdictionem, juraque Ecclesiæ suæ, veteremque consuetudinem asserendam, Literæ eæ, quæ sequuntur, per Tabelliones Parochis, atque animarum Curatoribus, cæteroque Clero fide bona exhibitæ, atque acceptatæ, ad valvas etiam Ecclesiarum, passim in oppidis, pagisque affixæ sunt; quod idem in Cathedrali, Collegiata S. Joannis, Parochialibus S. MARIÆ Virginis, & S. Catharinæ Virginis Martyris Ecclesiis in Urbe Episcopali, cæterisque per Diœcesin Parochiis, solenni ritu observatum est, pauculis solum locis exceptis, ad quæ aditum, & publicam literarum propositionem, insinuationemque, vel aperta Hæresis professio, vel justus periculorum gravium metus, intercludebat.

LITERÆ EVOCATIONIS.

FRANCISCUS GUILIELMUS, DEI & Apostolicæ Sedis gratia S. Ecclesiæ Osnabrugensis Episcopus, Præpositus Ratisbonensis, Comes de Wartenberg, Dominus in Waldt, &c. Venerabilibus, Religiosis, Honorabilibus Nobis in Christo sincere dilectis atque devotis Ecclesiæ nostræ Cathedralis, Præposito, Decano, & Capitulo, Abbatibus & Præpositis Regularibus, Commendatoribus, Præpositis, Decanis, & Capitulis Collegiatarum Ecclesiarum, Prioribus, Guardianis, Parochialium, & aliarum Ecclesiarum Rectoribus, Pastoribus, Plebanis, eorum Vicariis, Capellanis, Clericis, & Beneficiatis, Monasteriorum Sanctimonialium Abbatiss., Priorissis, Magistris, Matribus earum, deputatis Commissariis, seu Confessariis, aliisque Ecclesiasticis, tam Regularibus, quam Sæcularibus quibuscunque, per Diœcesin nostram Osnaburgensem ubilibet constitutis, sive exemptis, sive in Diœcesi & Provincia nostra Osnaburgensi constitutis, sive alias Ordinariæ, & Diœcesanæ nostræ jurisdictioni subjectis, qui de antiquo jure, & consuetudine Synodo Diœcesanæ interesse debent, & tenentur, Salutem in Domino sempiternam.

EPiscopalis Officii nostri ratio postulat, ut quanto gravioribus malis & hæresibus laborantem Dei Ecclesiam conspicimus, tanto majori studio, atque vigilantia in eam, quam ex alto Nobis traditam, & commendatam suscepimus functionem incumbamus, ut gregi nostro credito, custodiam simul ac disciplinam adhibeamus, ne si nostra fortasse incuria perire contingat, quod Christus Dominus noster in ara Crucis, pretioso Sanguine suo redimendum duxit, ipsius pretium ac sanguis de manu nostra requiratur, & illud Væ sempiternum, quod apud Ezech. cap. 34. *Dominus Pastoribus negligentibus comminatur, super Nos inducatur.*

Hinc est, quod Nos per primum in nostram Diœcesin ingressum, animadversamque hujusmodi rerum omnium turbationem, de celebranda Diœcesana Synodo, in qua morum, & disciplinæ Ecclesiasticæ reformatio institueretur, excessus corrigerentur, & quantum per horum temporum difficultates fieri posset, hæreses, errores, ac schismata extirparentur, cogitaverimus. Quam quidem cogitationem nostram, & Prædecessoris nostri fel. rec. Cardinalis ZOLLERANI illustre exemplum, qui simili modo in principio fere administrationis suæ inchoatæ, similem Synodum instituit, ac Decreta Synodalia promulgavit (quæ & Nos in suo robore permittimus) & redeuntis temporis istius, quo ex antiqua consuetudine Synodi in Ecclesia nostra Osnabrugensi celebrari solent, admonitio, ita promovit extitavitque, ut tantæ authoritati ac stimulo, tum etiam sacris, antiquis

tiquis & novissimis Tridentini Concilii Canonibus & Decretis, contravenire, ab Officio nostro Pastorali alienum duxerimus, sed necessarium omnino, ac valde utile judicaverimus, si non obstantibus etiam multis impedimentis, variisque hujus temporis incommoditatibus, quamprimum Diœcesanam Synodum indiceremus, omnesque Status Ecclesiasticos Episcopatus nostri convocaremus.

Quare omnes & singulos, qui de jure vel consuetudine Synodo Diœcesanæ interesse debent, authoritate nostra Ordinaria, & vigore sacrosancti Concilii Tridentini, in hac parte Nobis concessa Apostolica, in Domino requirimus & hortamur, vobisque & cuilibet vestrum, sub pœnis & censuris, in dicto Concilio Tridentino, & alias contra contumaces in hoc casu a jure infligi solitis & consuetis, præcipimus & mandamus, ut feria secunda, sequente Dominicam Oculi, *quæ erit* 27. *mensis Martii hujus currentis Anni* 1628. *in Civitate nostra Osnabrugensi, ad dictam Synodum Diœcesanam celebrandam, per vos ipsos, aut juste & Canonice impediti, per legitimos vestros Procuratores, cum sufficienti mandato, post prandium hora quarta, in loco Capitulari consueto compareatis, & nostris ad id deputatis, nomina vestra aut absentium, mandata & excusationes in scripto exhibeatis, ac deinde sequenti die* 28. *in Ecclesia nostra Cathedrali, mane ad pulsum majoris campanæ, in habitu & vestitu Chorali, uniuscujusque Dignitati, Ordini ac Statui congruo, conveniatis, sacro Missæ Officio celebrato, & Divino Numine invocato, una Nobiscum tractaturi, & conclusuri ea, quæ ad Dei Omnipotentis gloriam, & laudem Ecclesiæ Catholicæ, Diœcesisque nostræ Osnabrugensis incrementum, atque totius Cleri & populi mores & disciplinam instituendam, & promovendam, ad Hæresum quoque extirpationem necessaria & utilia videbuntur, certificantes omnes & singulos, qui a Nobis per præsens hoc Edictum vocati, ad Synodum venire neglexerint, vel recusarint, Nos nihilominus tam ad executionem eorum, quæ in Synodo statuentur, ipsorum absentia & contumacia minime obstante, quam ad supra comminatas pœnas, & censuras immissibiliter processuros.*

Volumus etiam, & ab omnibus Prælatis, Parochis, & Curatis requirimus, ut quamprimum hoc Edictum acceperint, singulis septimanis, usque ad finem Synodi, in suis Ecclesiis, sacrum Missæ Officium pro bono in præfata nostra Synodo tractandarum rerum eventu celebrari faciant, & procurent.

Omnes præterea Diœcesis nostræ subditos & fideles monemus, & per viscera misericordiæ Domini Dei nostri hortamur, ut omni studio Christianæ pietatis, & assiduis, religiosisque precibus a Deo misericordiarum, & Patre totius consolationis, Nobis negotium tam salutare tractantibus, opem & auxilium implorent, quo adjuti, in hac Synodali tractatione, omnia consilia, sermones, & actiones nostras, in finem dirigamus, nempe in Christum JEsum, cui in omni sanctitate & justitia servire debemus. In cujus rei fidem, hoc Edictum manu nostra signatum, & sigillo munitum, publice proponi, & legitimæ executioni demandari volumus & jussimus. Datum in Arce nostra Episcopali Iburgensi 24. *Februarii Anno* 1628.

FRANCISCUS GUILIELMUS
EPISCOPUS OSNABRUGENSIS.

Locus Sigilli subimpressi.

Literis Evocatoriis, hunc in modum legitima cum authoritate promulgatis, palamque affixis, spes erat Clericos omnes, quorum intererat, tam obligationis suæ, quam promissionis memores, lubentes, volentes, parituros, agnituros Pastorem, audituros vocem, secuturos ductum. Nec expectatio ea fefellit: plerique enim omnes, præter paucos illos, quos vel invaletudo corporis, vel periculorum grassantium magnitudo, vel aliud justum impedimentum attinebat, Synodo se coram stiterunt.

Pridie enim ejus diei, quo celebranda erat *Synodus*, magno numero, in domo, quam vocant Capitulari, convenerunt, ubi coram Illustrissima Sua Celsitudine, Vicario in Spiritualibus, & aliis deputatis Commissariis recensita præsentium nomina, absentium vero causa, vel ex Collegarum relatione, vel aliunde cognita, aliæque commissiones examinatæ sunt.

Hora quinta usque ad sextam, Signo partim lætitiæ, partim auspicandæ Synodi indice, omnes Templorum campanæ, ad horæ spatium, per urbem Osnabrugensem concrepuerunt.

Die postero, qui erat 28. Martii, feria post Dominicam *Oculi* tertia, anni 1628. hora quarta matutina, in utraque Urbis Ecclesia Cathedrali S. Petri, & Collegiata S. Joannis, matutinarum Precum, & Horarum Officium, de more decantatum est, quod pari ritu excepit augustissimum Missæ Sacrificium, sub quo major ædis summæ campana, Synodi futuræ index, per medium horæ insonuit, quam communis, aliarum per Ur-

bem campanarum compulſatio ſubſecuta eſt, atque ad ſeptimam uſque horam tenuit.

Poſt ſeptimam horam Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps & Epiſcopus, indutus habitu Epiſcopali, cappa & roccheto, progreſſus eſt ex domo Reſidentiæ ad Templum proceſſionaliter, præcedente Cruce cum duobus acolythis, Clero regulari ac ſecundario, tam intraneo, quam extraneo ſæculari, Paſtoribus Civitatis, ac deputatis Collegiatarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, Collegio S. Joannis, Commendatore S. Georgii Ordinis Teutonicorum, Præpoſito Claholtano Ordinis Præmonſtratenſis, Abbate Iburgenſi Ordinis S. Benedicti, deinde Capitulo Cathedralis Eccleſiæ, quos ſubſecutus eſt Subdiaconus in Dalmatica cum Cruce, & duo juniores Canonici Capituli majoris cum facibus immediate ante Illuſtriſſimam Suam Celſitudinem, poſt quam Nobiles, aliique de familia Illuſtriſſimi & Statibus Provinciæ proceſſerunt.

Ingreſſæ in Templum I. S. C. per Ad modum Reverendum & Prænobilem D. *Sixtum a Liauckema*, Præpoſitum Cathedralis Eccleſiæ Oſnabrugenſis, datum fuit aſpergillum, quo ſibi primum, deinde aliis ex Capitulo Cathedrali circumſtantibus aquam luſtralem aſperſit. I. S. C. quæ poſtea procedens ad gradus primos Templi, quibus ad Chorum proceditur, tranſcendit ad primum Altare, quo Ss. Euchariſtiæ Sacramentum exhibetur, in genua procumbens, adoravit viventem in ſæcula, quod & cæteri omnes ſunt imitati: ubi cum paululum oraſſet Illuſtriſſimus, ſurgens ad Chorum & Thronum cum Baldachino in eo præparatum conceſſit, exſpectans donec Reverendiſſimus *Joannes*, Epiſcopus Cardicenſis, Suffraganeus Paderbornenſis, ſacrum Miſſæ Officium de Sancto Spiritu pro felici auſpicio in Pontificalibus cantaturus ex Sacriſtia procederet, cum Diacono, Subdiacono, aliisque Miniſtris.

Interea Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus depoſita cappa ſumpſit Crucem pectoralem & pluviale, tres Canonici Capituli majoris DD. *Caſpar de Nehem*, *Joannes Otto a Dorgeloe*, & *Benedictus a Galen*, tanquam ordinarii Capellani Epiſcopales ſervierunt I. S. C. in Sacro, pro Presbytero aſſiſtente, Diacono & Subdiacono præparati in paramentis, & eo modo, ut in Cæremoniali Epiſcoporum Romano.

Divino Officio ſolemni more finito, dum cantata fuit Antiphona *Exaudi*, cum aliis ut in Pontificali Romano; Rev. Cardicenſis Epiſcopus reinduit pluviale; ſubjunxitque ante Altare majus orationem: *Adſumus*, &c.

Poſt hæc Reverendiſſimus & Illuſtriſſ. depoſito pluviali, reaſſumpſit ſuam cappam Epiſcopalem, ac deinde inſtituta eſt circum Chorum proceſſio, ut ſupra ad Capitularem Aulam majorem, ordinarium ſcilicet locum Synodalem, inter procedendum cantatus fuit Hymnus: *Veni Creator Spiritus*. Ad locum Synodalem ubi deventum, inceptæ ſunt Litaniæ, ut in Pontificali, quibus finitis, Reverendiſsimus Epiſcopus Cardicenſis Synodum benedixit; & Orationem, ſeu Collectam ſubjunxit ante Altare ibidem ad hunc actum præparatum.

Quibus omnibus ſolemni ritu completis, I. S. C. in Throno ſuo ad hoc in capite loci verſus meridiem aptato; Reverendiſſimus vero Cardicenſis cum ſuis Miniſtris a parte dextra conſedit; cæteri per ordinem, ac ſecundum dignitatem ſuam ſunt collocati, vel ſuperpelliceis, vel habitu chorali, ſecundum uniuscujusque ſtatum induti, interim Magiſter Cæremoniarum D. *Hippolytus Franciottus*, omnes ſæculares, quorum non intererat, loco excedere juſſit.

Ac primum quidem cum ordine ſuo ſinguli conſediſſent, I. S. C. ad ſe vocato Vicario ſuo in Spiritualibus Generali *Alberto Luccenio*, Protonotario Apoſtolico, &c. mandatum dedit interrogandi præſentes, an placeat eis inchoare Synodum, quod is fecit his conceptis verbis:

Reverendiſſimus in Chriſto Pater, ac Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus noſter Epiſcopus Oſnabrugenſis, per me interrogat omnes & ſingulos Dominos Prælatos, & alios quoscunque ad hanc Synodum legitime vocatos, an ad Dei Omnipotentis laudem & gloriam, Eccleſiæ Catholicæ decorem, & Epiſcopatus Oſnabrugenſis incrementum, Synodus Diœceſana Oſnabrugenſis, legitime indicta, convocata & congregata, eis aperienda videatur.

Cumque communiter & quaſi una voce omnium reſponſum fuiſſet: *Placet*, I. S. C. Synodum aperiendam eſſe decrevit his verbis:

Chriſti nomine invocato: pronunciamus, & decernimus, Synodum Diœceſanam Oſnabrugenſem, legitime a Nobis indictam, convocatam & congregatam aperiendam eſſe; prout eandem aperimus, apertamque eſſe declaramus. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Hoc reſponſo accepto, idem Vicarius Epiſcopi Illuſtriſſimam Celſitudinem Suam his verbis eſt allocutus:

Illuſtriſſime, &c. in Synodis celebrandis, laudabilis eſt conſuetudo, ut aliqui Viri Eccleſiaſtici

siastici deputentur, qui procurent, ut omnia rite decenterque fiant, & totius Synodi Acta fideliter conscribantur. Quare Illustrissimam Celsitudinem Vestram, pro hujus Synodi congregatæ promotione, humillime rogo & requiro, ut Viros aliquod idoneos, Promotores & Actuarios Synodi, publice deputare, & nominare dignetur.

Ad quæ Illustrissima Sua Celsitudo se resolvit, sequentibus verbis:

Eligimus, nominamus, & deputamus, ex Capitulo Ecclesiæ nostræ Cathedralis, Jodocum Fridericum Vincke, *Canonicum, te* Albertum Lucenium, *Vicarium nostrum in Spiritualibus Generalem,* Jodocum ab Hoxar, *LL. Licentiatum, Officialem pariter nostrum, in Promotores; in Actuarium vero* Jodocum Uphauſs, *J. U. D. Canonicum & Cantorem Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Joannis, Civitatis nostræ Osnabrugensis.*

Deputati vero Domini Promotores & Actuarius in mensa, quæ in medio ante Altare posita erat, consederunt, subinde I. S. C. Synodum est allocuta conceptis fere verbis: *Venerabiles Sacerdotes, & Fratres charissimi,* &c. ut in Pontificali.

Quo absoluto, primus Promotorum, Reverendus & Prænobilis Dominus *Jodocus Fridericus Vincke*, Synodum sequenti modo est affatus:

Reverendi, Nobiles, Venerabiles, Religiosi Viri ac Domini, Illustrissimus & Reverendissimus Princeps ac Dominus, D. FRANCISCUS GUILIELMUS, Episcopus Osnabrugensis, Dominus noster Clementissimus, sub pœna excommunicationis; aut alia quavis arbitraria mandat, ac præcipit omnibus, & singulis, in Synodo Diœcesana hic præsentibus, & ad eandem vocatis, ne aliquis absque Illustrissimæ & Reverendissimæ Celsitudinis Suæ licentia & consensu discedat, donec Synodus hæc debite finita, & cum benedictione dimissa fuerit.

Hoc mandato præmisso, per D. Vicarium Episcopi, reproductæ sunt literæ Citatoriæ ad Synodum, cum adjuncta protestatione, eas sufficienter transmissas, & legitime intimatas; & per Diœcesin, in diversis publicis locis affixas fuisse.

Ut vero de præsentium, & absentium distinctione constaret, demandatum fuit Notario communi, Curiæ Episcopalis Osnabrugensis *Gerhardo Brickwedde*: ut omnium & singulorum nomina, antiquo more, alta voce pronunciaret, jussumque, ut qui personaliter adessent, suam præsentiam per verbum *Adsum* contestarentur, absentium vero nomina singulariter notarentur, quod & factum est.

Ubi vero compertum fuit nonnullos abesse, tertius Promotorum R. D. Officialis, hujusmodi absentiam, ac non comparentium contumaciam accusavit: atque in pœnas juris Canonici, ac Concilii Tridentini eos incidisse, declarari petiit, his fere verbis:

Illustrissime & Reverendissime Princeps ac Domine, D. Clementissime, cum ex recensito Catalogo appareat, quosdam ad hanc Diœcesanam Synodum legitime citatos, & convocatos, qui de jure vel consuetudine, Synodo interesse teneutur, neque per se ipsos, neque per Procuratores comparere, neque emansionis, & absentiæ suæ causas, & excusationes legitime misisse, sed contumaciter, & contra sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini Constitutiones emansisse; Ideo omnium & singulorum, non comparentium contumaciam accuso, & ab Illustrissima & Reverendissima Celsitudine Vestra, obnixe peto, ut eos tanquam contumaces, in pœnas Canonicas incidisse declaret, ac nihilominus, horum absentia ac contumacia non obstante, ad ea in Synodo hac procedi decernat, quæ pro honore Dei, morum reformatione, ac disciplina Ecclesiastica necessaria videbuntur.

Ad hæc Illustrissima Sua Celsitudo sic fuit interlocuta:

Decernimus, ut non obstante contumacia, & absentia non comparentium, nihilominus in Synodo procedatur, tractetur, & determinetur, prout illud ad majorem Dei Gloriam, & Ecclesiæ utilitatem, expedire visum fuerit, pœnas vero Canonicas, in contumaces statutas, ad ulteriorem deliberationem pro hac vice suspendimus.

Subsecuta deinde est ex suggestu Concio Synodalis, quam habuit Reverendus Pater *Guilielmus Aschendorff*, Societatis JESU Theologus, & Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis Ecclesiastes, de vitiis præcedentibus temporibus enatis, & adhuc durantibus, deque optima correctionis, & reformationis ratione. *Concio infra dabitur.*

Absoluta Concione, primus Promotorum iterum Synodum his conceptis verbis est allocutus:

Illustrissimus & Reverendissimus Princeps ac Dominus, D. FRANCISCUS GUILIELMUS, Episcopus Osnabrugensis, quantum hujus Diœcesis Osnabrugensis, & ejusdem Ordi-

Ordinum, ac personarum conditio & qualitas, horumque temporum, in quibus versamur, difficultas ferre potuit, nova Statuta Synodalia, sacris Canonibus, & Concilio Tridentino conformia, confici & conscribi curavit, quorum Lectio nunc publice, ex pulpito alta & intelligibili voce fiet. Quare ex mandato Illustrissimæ Suæ Celsitud. vos omnes hic præsentes in Domino adhortor, ut diligenter auscultetis, & si quid ulterius pro communi bono, & Ecclesiasticæ disciplinæ, ac libertatis conservatione proponendum esse existimetis, id cum debita moderatione ac reverentia, in medium proferatis, ut communi studio, omnia ad optimum Ecclesiæ statum dirigantur, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei.

Hoc dicto Reverendus D. *Conradus Bueren*, Cathedralis Ecclesiæ Curatus, Reverendissimum & Illustrissimum Episcopum accessit, & flexis genibus novis Statutis Synodalibus ab Illustrissima Sua Celsitudine receptis, pulpitum ascendens, lectionem novorum Statutorum aggressus est.

Finito primo Capite Statutorum, statim ac Professionem Fidei ex Decreto Concilii Tridentini conceptam, tanquam veritatis regulam ac fundamentum pietatis, sanctarumque actionum felix initium, prædictus D. *Bueren* exorsus fuit, omnes simul ad Illustrissimæ Suæ Celsitudinis exemplum, detectis capitibus, manibus junctis stantes, exceptam lectionem, devoto sunt affectu prosecuti; ad illa vero verba in fine: *Sic me DEUS adjuvet, &c.* omnes & singuli in genua prociderunt, excepta Illustrissima Sua Celsitudine, finita Professione fidei & præstito Juramento, omnes iterum surrexerunt, quos stantes Illustrissima Sua Celsitudo magno affectu, & publica contestatione est affata in fine subjungens: *Qui aliter senserit, anathema sit, qui aliter docuerit, anathema sit. Hæc est sola & vera Fides Catholica, extra quam nulla salus. Hanc solam omni diligentia docebimus. Hanc solam totis viribus defendemus. Hanc ad ultimum usque spiritum servabimus PP.* Quod omnes ad singula, acclamatione fausta, & communi indice voluntatis paratæ, per verbum *Placet* confirmaverunt. Omnibus postea considentibus, per ordinem lectio Statutorum Synodalium, ad horam duodecimam producta fuit.

Audito pulsu ad salutandam Virginem Deiparam, admonente Illustrissima Sua Celsitudine Salutatione Angelica peracta, per Vicarium suum in Spiritualibus, Sessionem hanc finiendam, & hora secunda post prandium, secundam incipiendam intimavit, decernens, ne quis sine licentia ejusdem Illustrissimæ Suæ Celsitudinis, vel discederet ex urbe, vel ad Synodi sessionem alteram non compareret, sub pœna excommunicationis, & sic Illustrissima Sua Celsitudo data prius per Reverendissimum Episcopum Cardicensem Benedictione solenni, ex loco recessit, Prælatos & Deputatos secum ad prandium deducens, reliquis omnibus ad sua dimissis.

POST MERIDIEM.

Hora prima iterum datum fuit signum majori campana in Ecclesia Cathedrali per horam, instante hora secunda Illustrissima Sua Celsitudo in sua cappa Episcopali ad Ecclesiam reversa, & totus Clerus iterum congregatus comparuit in Choro, ubi per Reverendissimum Episcopum Cardicensem, in Pontificalibus ante Altare constitutum, incepta fuit Antiphona *Propitius esto*, ut in Pontificali Romano, finito Evangelio & subjunctis orationibus, iterum cantatus fuit Hymnus: *Veni Creator, &c.* & cum processione ut mane, reversi sunt omnes ad locum Synodalem, ubi Reverendissimus Episcopus Cardicensis, subjunxit orationem de Spiritu Sancto.

His peractis omnes iterum suo ordine consederunt, & Curatus Cathedralis D. *Conradus Bueren* lectionem Statutorum, & continuationem ex suggestu resumpsit.

Ad *Caput* 17. *Partis* 2. ubi perventum, Examinatores ordinandorum in specie deputati sunt ab Illustrissima Sua Celsitudine & promulgati:

Admodum Reverendus & Prænobilis Dominus Sixtus a Liauckema, Præpositus Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis.

Admodum Reverendus & Prænobilis Dominus Theodorus Morrien, Decanus Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis.

Reverendus Dominus Albertus Luccenius, Protonotarius Apostolicus, & Vicarius in Spiritualibus Generalis.

Reverendus Pater Nicolaus Altenhauss, Prior Prædicatorum.

Reverendus Pater Theodorus Reinfelt, Guardianus Franciscanorum de Observantia.

Reverendus Pater Joannes Altingh, Rector Collegii Societatis JESU.

Reverendus Pater Guilielmus Aschendorff, Societatis JEsu, in Cathedrali Ecclesiastes.

Reverendus Pater Casparus Münsterus, Ordinis Carmelitarum, Ss. Theologiæ Doctor, & Pastor Parochialis Ecclesiæ B. Mariæ Virginis designatus.

Reverendus D. Conradus Bueren, Plebanus in Cathedrali Ecclesia.

Reve-

Reverendus Dominus Ewaldus Marchius, Ss. Theologiæ Licentiatus.

Hi omnes & ſinguli ordine acceſſerunt ad Sedem Illuſtriſſimi Epiſcopi, & oſculata dextra Suæ Celſitudinis præſtiterunt juramentum requiſitum.

Ad *Caput* 18. Judices delegati Cauſarum Apoſtolicarum ſimiliter nominati ſunt:

Admodum Reverendi & Prænobiles DD. Præpoſitus & Decanus Cathedralis Eccleſiæ ſupra poſiti.

Item Reverendus D. Jodocus Hoxer, J. U. L. & Illuſtriſſimæ Suæ Celſitudinis Officialis.

Item Reverendus D. David Fabricius, Decanus Collegiatæ Eccleſiæ S. Joannis.

Item Reverendus D. Jodocus Uphauſs, J. U. Doctor, Canonicus & Cantor dictæ Eccleſiæ Collegiatæ S. Joannis.

Qui omnes & ſinguli, oſculati dextram Illuſtriſſimæ Suæ Celſitudinis præſtitere fidelitatis Juramentum.

Similiter etiam obſervatum eſt, ad *Caput* 19. in Cenſore librorum, qui declaratus fuit Rev. Pater *Caſparus Münſterus*, Ordinis Carmelitarum, Ss. Theologiæ Doctor, & Paſtor ad B. Virginem deſignatus, tunc abſens in negotiis Illuſtriſſimæ Suæ Celſitudinis.

Poſt quæ Lector Statutorum perrexit, & ad *Caput* 20. de Pœnitentiario, commiſſum officium proclamavit Rev. P. F. *Theodoro Reinfelt*, Guardiano PP. de Obſervantia & Theologo, qui ſimiliter, ut ſupra, præſtitit obedientiam & juramentum.

Lectione Statutorum Synodalium integre finita, D. Vicarius in Spiritualibus, juſſu Illuſtriſſimæ Suæ Celſitudinis in medium procedens, compellavit omnes & ſingulos: *Num cuiquam placeret amplius proponere, quod ad hujus Synodi diſcuſſionem, deciſionemque ſpectare poſſet.*

Omnibus vero tacentibus, poſt aliquod intervallum, idem D. Vicarius ſubſequentem proteſtationem, contra abſentes & contumaces, coram toto Synodali conſeſſu, his verbis interpoſuit, verſus Actuarium hujus Synodi deputatum D. *Jodocum Uphauſs*, J. U. D. & Canonicum ac Cantorem S. Joannis Oſnabrugenſis.

Merito Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Princeps & Epiſcopus Oſnabrugenſis, Dominus noſter Clementiſſimus moleſte ferre potuit quorundam, qui in Synodo Oſnabrugenſi, de jure vel conſuetudine intereſſe tenentur, ac legitime vocati ſunt, abſentiam, ac contumaciam, quod propter horum temporum incuriam, in nonnullis depravatis in Religione opinionibus, ac detrectationi obedientiæ Epiſcopalis, ac deinde natæ contumaciæ, in aliquibus etiam aliis reſpectibus, & conſiderationibus deputandum eſt. Ne vero per hujusmodi inobedientiam & contumaciam, aut alias per quemcumque reſpectum alium, de Epiſcopali authoritate, ac Diœceſana jurisdictione aliquid detrahi, aut aliis inde libertatis aut exemptionis alicujus prætextus, nunc aut poſt hac accidere poſſe videatur, nomine ac vice Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Celſitudinis Suæ, coram toto Synodali conſeſſu; & nominatim coram te Actuario ſeu Notario, ad ejusdem Synodi ſcribenda deputato, ſolemniter proteſtamur, abſentiam non comparentium Diœceſanæ Synodi jam celebratæ, & inpoſterum celebrandæ, aliisque competentibus Juribus Epiſcopalibus, in nullo præjudicare debere. Ut vero certa horum notitia, nunc & futuris temporibus habeatur, petimus hanc declarationem & proteſtationem, ad Acta hujus Synodi conſcribi ac referri.

Poſt hanc proteſtationem Illuſtriſſima Sua Celſitudo Vicario ſuo in Spiritualibus Synodum finiendam, & Decretum ſequentis tenoris ex pulpito publice legendum injunxit.

CHRISTI NOMINE INVOCATO.

NOS FRANCISCUS GUILIELMUS, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia, Epiſcopus Oſnabrugenſis, Præpoſitus Ratisbonenſis, Comes de Wartenberg, Dominus de Waldt, &c. Conſtitutionibus Synodalibus, in hac Synodo Oſnabrugenſi publice propoſitis, lectis, diſcuſſis, ac promulgatis, maturo conſilio, & deliberatione, ac unanimi conſenſu pronunciamus, decernimus, ac declaramus, Synodum hanc in Dei nomine concludendam fore, & eſſe, prout eam ordinaria authoritate noſtra concludimus, mandantes, ut omnes & ſinguli, Conſtitutiones Synodi præfatæ, quantum per horum temporum difficultates fieri poteſt, ab omnibus inviolabiliter, præſertim quæ Catholicæ Fidei profeſſionem, Sacramenta, Cæremonias, & totius Cleri ſæcularis & Regularis vitam moresque concernunt, ſerventur, atque a Vicario, Officiali, nec non Eccleſiarum Prælatis, Superioribus, & Officiatis noſtris, pro ratione cujuslibet officii, executioni demandentur. Facultatem Nobis, & Succeſſoribus noſtris, ea omnia & ſingula declarandi, quatenus opus fuerit, reſervantes in his ſcriptis.

Quo Decreto pronunciato, Vicarius Episcopi ex mandato Illustrissimæ Suæ Celsitudinis publice omnes & singulos interrogavit:

Admodum Reverendi, Nobiles, Magnifici, Venerabiles & Religiosi Viri. Illustrissimus & Reverendissimus Episcopus, & Præsidens, Dominus noster Clementissimus, omnes & singulos per me interrogat, num vobis placeat, ut ad DEI Omnipotentis laudem, & gloriam, huic sacræ Synodo Episcopali Osnaburgensi finis imponatur.

Omnibus id communi voce *Placere* respondentibus, idem Vicarius Episcopi, Notarium Synodi subsequentibus verbis requisivit:

Domine Notarie, nomine Illustrissimi & Reverendissimi Principis & Episcopi, Domini nostri Clementissimi, hujus Synodi Præsidentis, una cum Dominis Collegis deputatis Promotoribus, nomine etiam totius præfatæ Synodi, a te requiro & postulo, ut omnia & singula, in hac Synodo proposita, acta, tractata, decreta, & definita, diligenter, ac fideliter conscribas, unum vel plura, instrumentum vel instrumenta, ad petitionem eorundem, quorum interest, de iis omnibus conficias, & confecta tradas.

His actis, Illustrissima Sua Celsitudo nonnulla ad Synodum prolocuta, ac DEO gratias agens, seque juxta ac suos pios conatus, precibus & piis votis præsentium commendans, Reverendissimo P. in Christo D. *Joanni Pelkingio*, Episcopo Cardicensi, Suffraganeo Paderbornensi annuit, ut is pro conclusione Synodi, & erratorum deprecatione, ex Pontificali Romano, pro more legeret orationem: *Nulla Domine*, &c. Qua finita, idem Reverendissimus D. Suffraganeus incepit Canticum *Te Deum laudamus*, &c. accedente campanarum solenni compulsatione, & interim ex loco Synodali ordine processum fuit ad Chorum Templi Cathedralis, Cantico completo, subjuncta fuit generalis confessio, & solennis absolutio, promulgatisque Indulgentiis, & data solenni Benedictione Episcopali, Magister Cæremoniarum D. *Hippolytus Franciottus* ad Synodum conversus, alta voce cantavit: *Recedamus in pace.* Cui præsentes responderunt: *In nomine Christi*: & sic finis impositus Synodali conventioni, recedentibus omnibus, qui venerant Dominis Prælatis, & aliis plerisque ex Clero Illustrissimam Suam Celsitudinem deducentibus & comitantibus usque ad Residentiæ domum.

Et quia ego Judocus Uphauss, *J. U. D. Comes Palatinus, Cantor & Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ S. Joannis Osnabrugensis, a supra memorato Reverendissimo & Illustrissimo Domino Præside in Actuarium deputatus, omnibus & singulis præinsertis actis & actitatis interfui, idcirco præscripta Acta Synodalia, in fidem eorundem, prævia debita requisitione, propria manu subscripsi. Acta sunt hæc Anno a partu Virgineo M.DC.XXVIII. Indictione duodecima, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri, D. URBANI Papæ Octavi anno Sexto, diebus, mense, & loco quibus supra, præsentibus Venerabilibus & Doctiss. Dominis* Hippolyto Franciotti *&* Petro Dawans, *Reverendissimi & Illustrissimi Domini Episcopi Osnaburgensis Capellanis - Aulicis, testibus fide dignis.*

JUDOCUS UPHAUSS, *J. U. D.*
Comes Palatinus, Cantor & Canonicus D. Joannis subscripsit.

ORATIO SYNODALIS

Habita per Reverendum Patrem GUILIELMUM ASCHENDORFF Soc. JESU Theologum, & Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis Ecclesiasten, in illud Ps. II. v. 12.

Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.

Reverendissime in Christo Episcope, Illustrissime Princeps, Clementissime Domine, Admodum Reverendi, & Prænobiles Domini, Venerabiles Christi Sacerdotes, cæterique Clerici atque Auditores.

VEtusta admodum & celebris est in Ecclesia Dei, habendarum quotannis Synodorum consuetudo; quæ a nascentis Fidei Christianæ exordiis, Apostolorum exemplo inolita, usu deinde recepta, Legibus & Constitutionibus Patrum (*a*) sancita, in universas

(*a*) *Conc. Aurelian. V. c.* 18. *Tarracon. c.* 7. & 8. *cap. Singul. annis d.* 18.

ſas Orbis Chriſtiani Provincias permanavit: Id vero Synodorum hujusmodi, & ſacrorum veluti Comitiorum conſilium, ea cauſa fuit, ut in publica Cleri totius Congregatione, de bono communi, de cultu Divino, de ſacris cæremoniis ac ritibus, de Religionis incremento, de vita & honeſtate Clericorum, de diſciplina Eccleſiaſtica tuenda, aſſerendaque immunitate, communi conſilio referretur, quidve ſtatuendum in re quavis foret, Antiſtitis potiſſimum authoritate decerneretur. Quo quidem ex inſtituto cum tanta tam luculenta, in diffuſum Eccleſiæ corpus, Ordinemque ſacrum, utilitas derivata ſit, quanta ab ipſis Hieroſolymitani primi Concilii initiis orthodoxa Chriſti Eccleſia, magna nominis ſui cum gloria, & militiæ Clericalis dignitate manaſſe experta eſt: ea re faciundum ſibi Sacroſancta & Oecumenica Tridentina Synodus cenſuit, ut antiquum hunc, indicendæ evocandæque quotannis Synodi morem, nova iterum Sanctione inſtauraret. (b) Unde mirum nemini videri debet, quod Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus, D. FRANCISCUS GUILIELLMUS, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Poſtulatus & Confirmatus Epiſcopus & Princeps Oſnabrugenſis, Dominus noſter Clementiſsimus, poſt ſolennem ſuam inaugurationem pro muneris ſui officiique ratione, Diœceſis hujus Clerum omnem, ad Synodum hanc exciverit: in qua celebranda providus Paſtor, hoc potiſsimum ſpectat, ut ſi vel temporum calamitate, vel ſubreptione hæreſum, vel hominum incuria, vel diſciplinæ neglectu, vel alia quavis cauſa, caſuve abuſus aliqui in Clerum, aut Eccleſiam irrepſerint aut irruperint, quibus conſpicuus ille & Illuſtriſsimus Hierarchicæ dignitatis ſplendor obſoleverit, ii paterna ſua cura & providentia, veſtra vero induſtria, ſtudioque aboleantur, quo priſtina illa ſtatus Eccleſiaſtici authoritas, nitori ſuo, claritatique vindicetur. Hujus ſuæ voluntatis non tam interpretem, quam præconem me eſſe voluit: quem ut de Diſciplina Eccleſiaſtica, ejusque Reformatione, ad majorem Dei gloriam, & commiſſarum ovium utilitatem, ex propoſito a me Themate diſſerentem benevole attenteque audiatis, obſecro quæſoque. Dicam perſpicue & ſine cujusquam convicio, ex Divinarum Literarum oraculis, PP. Sanctorum monimentis, ex Canonum & Conciliorum Decretis, & fideliter dicam, quid a Clerico quovis, Sacerdote potiſsimum, Deo, quid Præſidibus ſuis, ac Magiſtratui Eccleſiaſtico, quid proximo, quid ſibimetipſi denique præſtandum, ſi tanto nomini & muneri reſpondere, ſi diſciplinæ Eccleſiaſticæ cultor non ſegnis haberi velit. APPREHENDITE DISCIPLINAM. Chaldæus interpretatur: *Percipite Doctrinam.* Pagninus, Vatabl. Janſen, Genebr. ex Hebræo vertunt: *Oſculamini filium.* [Dei ſcilicet] q. d. Meſsiam Dei Filium oſculo, obſequii & demiſsionis indice excipite, colite, religioſe amplectiminor. Symmac. & Hiennii transferunt προσκυνήσατε καθαρῶς. *Adorate pure, vel caſte*, alii *Armamini munditia.* Nonnulli δράξασθε παιδείας *ſubjicite vos diſciplinæ, correctioni, reformationi.* Omnes hæ verſiones, expoſitiones omnes, propoſito meo mirifice congruunt: ſignificant enim dandam eſſe operam nobis (qui in ſortem Domini vocati ſumus, quibus funes ceciderunt in præclaris) ut Deum in puritate & continentia veneremur, ejusque Filium munditia velut panoplia ſpirituali inſtructi, revereamur, ut ſingulari cordis & carnis caſtimonia ei, cui initiati ſumus, famulemur; ut animum & ingenium doctrina ſacra, & Divina ſapientia excolamus; ut Magiſtratui Eccleſiaſtico nobis Dei vice præſtituto, diſciplinam ac morum honeſtatem, urgenti atque imperanti, lubentes volentes obſecundemus. *Diſciplinæ* igitur nomine, Pietas & Religio adverſus Deum & res Divinas; ſubjectio & obſequela erga Præſules Eccleſiaſticos; integritas & continentia vitæ in nosipſos, Doctrina poſtremo ſana & integra cum morum vitæque honeſtate conjuncta, erga oves curæ noſtræ commiſſas ſignificatur. Hanc *diſciplinam* ſerio *apprehendendam*, hanc vitiorum expultricem, virtutum Matrem, Magiſtram morum, gubernatricem vitæ, formatricem ſtatus, directricemque operum omnium amplectendam, diligendamque eſſe, Divinus Pſaltes, & vates Regius conteſtatur, ut *ne iraſcatur Dominus*, ut ne, *ſi extra diſciplinam ſimus, adulteri ſimus, non filii.* (c) Hæc generatim oraculi Davidici mens eſt, hic Prophetæ ſenſus, quem nunc penſiculatius, eo quo exorſus ſum filo, exequar. Prima & vere Princeps Diſciplinæ Eccleſiaſticæ pars eſt, Religio adverſus Deum, *Timor* enim *Domini diſciplina ſapientiæ*, [d] nomine autem Religionis, accipio veram, germanamque pietatem, quam quod Deo, Divinoque cultui nos dedicet, ac conſecret, Devotionem interdum nuncupamus, alias Divini Numinis Reverentiam, quam finio conſtantem fixamque voluntatem, ſerviendi ac placendi ſupremæ Majeſtati: quæ juſtitiæ univerſæ cardo, ac ſalutis noſtræ baſis, caſto timore carnes noſtras ita configit, ut nihil æque metuamus, atque Dei vindicis legibus, & præceptis prævaricari: pia vero caritate ita viſcera ſuccendit, ut nihil æque deſideremus,

(b) *Seſſ.* 24. *Decret. de Reform. cap.* 2.
(c) *Hebr.* 12. *v.* 8.
(d) *Prov.* 15. *v. ult.*

mus, atque in tenerrimum immenſæ bonitatis amorem effundi: Hujus prima appendix eſt, ſedula quædam ſeriaque Eccleſiaſticarum functionum, rite decenterque adminiſtrandarum, ſolicitudo ac cura pervigil, qua quisque in id incumbit, ut ſacra officii ſui munia, ſtatis vicibus, ſolenni Majorum more diligenter obeat, ut incruentum Dominici Corporis & Sanguinis Sacrificium offerat: ut verbum Dei pro concione graviter eruditeque quot-ſeptimanis interpretetur, ut Matutinas veſpertinasque preces, ex Concilii Tridentini deſcripto [e] & Eccleſiæ ritu decantet, quæque id genus cæremoniæ ſunt, peragat. Quo in genere nonnullorum ſocordiam, cottidianis pæne querelis, & juſta poſtulatione pii fidelium animi non tam traducunt, quam incuſant; Quid enim diurnum denarium accipis, ſi in Domini vinea recuſas laborem? [f] quid vivis de altario, niſi altario ſervias? neſcin, beneficium eſſe propter officium? & bovi non trituranti os jure obligari ignoras? Ad eandem Religionem pertinet, attenta Precum Eccleſiaſticarum, & Horarum Canonicarum cottidiana recitatio, qua ſepties in die laudem dicamus Deo, [g] quam veluti ſacrum quoddam penſum indies abſolvendum, filiis ſuis Sacerdotibus & Clericis, adeo ſtricte impoſuit, injunxitque Mater Eccleſia, ut omnes, quotquot, vel ſemel omiſerint, culpæ lethalis, & peccati mortiferi reos peragat, aliisque præterea cenſuris devinctos, perceptorum ex beneficiis fructuum prorſus damnet. Summuliſtæ omnes V. *Horæ Canonicæ.* (*h*) Et non probroſum ſolum, ſed pudendum etiam eſt, hominem Ordinibus ſacris initiatum, Eccleſiæ redditu, ac Chriſti patrimonio viventem, vanis, prophanis, levibus, ludicris, fœdis ac ſpurcis audiendis, legendis, volvendis, totos ſæpe dies, & ſolidas propemodum noctes conterere, Divinis vero laudibus recitandis, tantillum temporis, ad procurandam animæ ſuæ ſalutem demere, aut detrahere non poſſe. Ad idem pietatis caput ſpectat, ut quisque noſtrum *diligat decorem domus Dei, & locum habitationis gloriæ ejus.* (i) Nihil intermittat, quod ad tuenda ornandaque Templa, & adyta ſacra pertinet, ut ſerventur farta tecta, ut conſiſtat firmeturque fabrica, ut Aræ inſtaurentur & expoliantur, ut Beatorum Cœlitum imagines decore veſtiantur, ne ara in haram, templum in horreum degeneret. Et tamen, quæ temporum noſtrorum calamitas eſt, videre eſt alicubi, magnificas illas, & tantis avorum impendiis, erectas, fundatasque ædium ſacrarum moles, in ruinam inclinatas, vix parietinis inniti ſuis; videre eſt, aras neglectas, incultas, deformatas: videre eſt, Divorum effigies ſitu ac ſqualore obſitas, vix ſciſſili centunculo velatas, naribus, auribus, manibus truncatas, ut Iconoclaſtarum ſeculum rediiſſe videatur. Deplorat ſane B. Bernardus, (*k*) Clericos non in templis codices, ſed in thalamis pellices ornare, plus nitere calcaria, quam altaria, &c. nec ſine dolore & gemitu, verſantur ob oculos aliquorum concubinæ, & damnato procreati coitu liberi ſplendidius ornati, quam Sancti, meretrices cultiores, quam Divorum imagines, &, quod dicere horror eſt, direpta e Sacrariis ſupellectili ſacra, inſtrumentoque Eccleſiaſtico, focariæ ſtolatæ amiciuntur, & e pannis Chriſti, inſolentium finguntur veſtium novitates. *Apprehendite diſciplinam, &c.* Ephod Davidicum & Theraphim *in domo* Idololatræ *Michæ* ſunt. (*l*) Comedat vos zelus domus Dei, medemini qui poteſtis.

Alterum Diſciplinæ Eccleſiaſticæ caput eſt, demiſſa ac reverens erga Magiſtratum Superiorem obedientia, & promptitudo parendi. Eſt enim in Hierarchiæ Eccleſiaſticæ militantis ordine, ad triumphantis illius imitationem atque ſimilitudinem, ſeries quædam dignitatum, & apte digeſtus graduum ordo, eſt *caſtrorum acies ordinata*, (*m*) ut quidam imperent, ſubſint alii; atque ita ſummus ille Imperator Deus *impoſuit homines ſuper capita noſtra*, (*n*) ut quemadmodum Angeli Angelis, cœli cœlis, ſic etiam mortales mortalibus ſint ſubjecti: *Alios enim dedit Apoſtolos, alios Evangeliſtas, alios Doctores, &c.* [o] ne quis Core in Moyſen, ne quis Abiron in Aaronem ſine præſenti exitio, & portentoſo terræ hiatu contumaciter inſurgeret. (*p*) Si quis igitur, quem *Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopum regere Eccleſiam Dei, & attendere gregi Chriſti, quem acquiſivit Sanguine ſuo*, [q] ſi quis, inquam, ſarcinæ ſibi impoſitæ, oneriſque incumbentis gravitatem, ſi quis rationis illius, quam pro creditis ſibi ovibus reddendam agnoſcit, ſeveram commonitionem, comminationemq; expendens, collapſam alicubi diſciplinam erigere, depravatosque mores, ad ſacrorum Canonum, & Eccleſiaſticarum legum normam exigere, ſi quis ex officio *ſcandala de regno Dei colligere* [r] & auferre adnitatur, nemo obluctetur, nemo detrectet, alligatu-ram

(*e*) *Seſſ.* 24. *de Refor. cap.* 12. (*f*) *Matth.* 20. *v.* 2. 1. *Cor.* 9. (*g*) *Pſal.* 118. *v.* 164.
(*h*) *Petrus Binsfeldius Paſtoral. p.* 4. *c.* 8. *Navar. Tract. de Orat.* PIUS V. *Bulla*: Ex proximo. *anno* 1571. (*i*) *Pſal.* 25. *v.* 8. (*k*) *Ad Paſtores in Synodo.*
(*l*) *Judic.* 17. *v.* 5. (*m*) *Cant.* 6. *v.* 3. & 9. (*n*) *Pſal.* 65. *v.* 12.
(*o*) 1. *Cor.* 12. *v.* 28. *Epheſ.* 4. *v.* 11. (*p*) *Num.* 16. *v.* 32. (*q*) *Act.* 20. *v.* 28.
(*r*) *Matth.* 13. *v.* 41.

ram vulneris refugiat nemo: nemo quod muneris est, austeritati; quod æquitatis, rigori nemo tribuat. *Apprehendite disciplinam, &c. obedite*, clamat Paulus, (s) *Præpositis vestris & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, &c. stulti* enim *est irridere disciplinam Patris sui*, [t] & quæ dementia, quod furoris cacoethes est, nolle curare, & instar phrenetici impotenti in Medicum furore bacchari? Desperatæ pervicaciæ est, si homo semineceis plagis confectus, & suo ipse in sanguine volutatus, oblatum, a bono Samarite, vel oleum, quod molliat, vel vinum, quod mordeat, admittere recuset. [u] Audite igitur increpationes, correctionem & disciplinam exosculemini, nemo cum corripitur, indignetur, nemo suam sibi turpitudinem ac deformitatem erugari doleat, quo vivida illa ac venusta Ecclesiastici corporis facies ac species, vel unius nævo obsoleta, hac velut interpolatione renitescat.

Tertia Ecclesiasticæ disciplinæ pars est, ut ii cum primis, quos Bonus ille Pastor, & Pastorum Princeps, per suos in terris Vicarios, pascendis ovibus suis, legitime præfecit, (x) ea omnia examussim præstiterit, quæ tanti muneris dignitas, atque amplitudo, quæ propria vocationis ratio, quod ovium pedo suo commissarum necessitas quod præstitum, ultronea sponsione jusjurandum postulat. Iis explicandis ne ego immorer, velim ab omnibus C. 33. & 34. Ezech. Prophetæ accurate perlegi & attente expendi: interim duo quædam ad id necessaria esse video: scientiam, qua possit, & charitatem, qua velit proximo opitulari. Scientiam quidem, quia dictum est: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore ejus, &c.* (y) & sane *ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, Magistrum infantium* habere oportet *formam scientiæ & veritatis in lege*, (z) nec quicquam perniciosius est ovibus, quam si Divinarum maxime rerum ignarum, aut, quod pejus foret, pravis, suspectisque, & ab Ecclesiæ sensu alienis opinionibus imbutum Parochum, sive Curionem nanciscantur, qui parvulis petentibus panem frangere, qui *in sana doctrina exhortari*, qui ignorantes docere, qui errantes instruere, qui *contradicentes arguere*, non possit. (a) Hæc præconum sacrorum ruditas, hæresum plurimarum, ac dissensionum, hæc offensionum & scandalorum, hæc superstitionum, aliorumque infinitorum pæne malorum auctor ac parens est: hæc inscientia Parochos suis risui, Hæreticis ludibrio, contemtui omnibus exponit: fieri enim vix potest, quin cujus vita ob ignorantiam contemnitur, ejus etiam prædicatio despiciatur. (b) Studeant igitur animarum Curatores scientiæ Sanctorum, dent operam sapientiæ illi, *quæ desursum*, quæ *suadibilis*, quæ *modesta*, *quæ pudica est.* (c) Gerant in pectoris sui rationali veritatem & judicium, & necessariam tanto muneri cognitionem assiduo comparent lectionis & orationis labore: nec a Scholis trivialibus ad Ecclesiarum suggestus; a scamnis ad ambones; a primis sæcularium literarum rudimentis ad gravissimorum profundissimorumque Mysteriorum tractatum provolent, tum se apprime eruditos, tum magnifice concionatos rati, si Phrasiologiam putida Rhapsodia concinnarint, aut ex gentico quoquam scriptore historiam Ethnicam, aut ex Poëta Fabulam pro concione recensuerint. *Erudimini, qui* non *terram*, sed animas, sed conscientias *judicatis.* (d) *Apprehendite disciplinam, &c.* Quoniam vero teste Apostolo: (e) *Scientia* ea, quæ amore Dei, proximique destituta ac cassa est, *inflat*, idcirco scientiæ adjungenda est *charitas*, quæ *ædificat*, ut nempe fidelis Pastor, summi Pastoris exemplo, (f) oves suas charitate prosequatur non ficta: quærat, quod periit; reducat, quod abjectum est; consolidet, quod infirmum est; sanet, quod ægrotum; alliget, quod confractum est: recte consulat dubitantibus, soletur mœstos, ægris medeatur, sanos confirmet ac roboret, satagat gregis illius, qui *non corruptibilibus auro & argento, sed pretioso Sanguine agni immaculati*, in libertatem filiorum Dei assertus est, (g) illum insontem innoxiumque, illum lotum sicut gregem tonsarum, summi Pastoris tribunali sistat, persuasissimumque sibi habeat, sanguinem omnium a sua iri manu requisitum.

Reliquum est, ut exponam quo quemque pacto in semetipso disciplinam apprehendere conveniat: quod non tam meo sensu, quam Ss. Patrum, Conciliorumque, & Authorum gravissimorum, verbis & sententia brevissime factum eo; si tamen ante, solenni omni jure formula fuero protestatus, citra ullius injuriam, citra noxam me dicturum de vitiis, personis parsurum. Duplicem igitur, ab unoquoque Sacerdote ac Clerico, erga semetipsum disciplinam apprehendendam censeo: Internam, & Externam. Internam disciplinam apprehendit, qui animum suum continet a vitiis, & a flagitiis cohibet.

(s) *Hebr.* 13. v. 17. (t) *Proverb.* 15. v. 5. (u) *Luc.* 10. v. 34.
(x) *Joan.* 10. v. 11. 1. *Pet.* 5. v. 4. (y) *Malach.* 2. v. 7. (z) *Rom.* 2. 19.
(a) *Tit.* 1. v. 9. (b) *Bern. ex Greg.* (c) *Jacob.* 3. v. 17.
(d) *Psal.* 2. v. 10. (e) 1. *Cor.* 8. v. 1. (f) *Lucæ* 15.
(g) 1. *Pet.* 1. v. 18.

Qui non abit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stat, cujus voluntas in lege Domini, (*b*) qui cordis munditiam diligit, & conscientiæ amat puritatem, qui nihil Deo exosum invisumque, animo permittit suo, qui vocationis suæ sanctæ, professionisque Ecclesiasticæ memor, tanquam *Angelus Domini exercituum*, abstinet *ab omni inquinamento Carnis & Spiritus*, (*i*) qui si aliquando casu, vel naturæ fragilitate, aut titubet, aut cadat, lapsum suum contritione seria, & vera Pœnitentia, Confessioneque corrigit, atque emendat. Hanc disciplinam severe inculcat Conc. Trident. (*k*) ut nemo mortalis peccati sibi conscius, quantumvis contritus sibi videatur, ad Eucharistiam sumendam, vel offerendam accedat, nisi prius animi sordes, confessione Sacramentali eluerit, quo enim (exclamat Chrysost. (*l*) solari radio, non oportet esse splendidiorem manum, Carnem hanc dividentem? Os, quod igni Spirituali repletur? Linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Sane veteris aliquis Instrumenti Sacerdos, si inexpiatus, si illotus, si pollutus accederet, subita morte multabatur: (*m*) Legis novæ Sacerdos, ad verenda illa tremendaque Mysteria pro salute vivorum, mortuorumque offerenda, gravi crimine, & turpi scelere contaminatus impune accedat? Miseranda profecto est sacrilega illorum temeritas, qui spurcissimis ac fœdissimis peccatis, publica fidelium offensione, hebdomadas, menses, annos totos immersi, cottidie Sacris operantur, pollutoque corpore, & animo inquinato, Divina illa Mysteria & sumere & dispensare non perhorrescunt: aut tum præclare suis se partibus functos esse arbitrantur; si æditiuo ad pedem altaris generalem peccatorum Exhomologesin deblaterent, vel e vicinia, Divini humanique imperitum juris Sacerdotem, eodem secum luto sordidatum accersant, qui mulus mulum scabat, qui insolatum æthiopem non dealbet, sed denigret, non solvat, sed liget, arctioribus censurarum plagis ac nodis irretitum, ut fiat *filius gehennæ duplo* [*n*] quam ante & *qui sordidus* erat, *adhuc sordescat.* (*o*) Apprehendite disciplinam, &c. *Lavamini, mundi estote, qui fertis vasa Domini, &c.* (*p*) *Sancti estote, quia Deus*, cui servitis, *Sanctus est.* (*q*) Hæc de interna disciplina. Externam autem apprehendit, qui quicquid in familia, quicquid in vestibus, quicquid in mensarum luxu redundat, abcidit & amputat. Incipiam a mensarum luxu. (*r*) Dedit olim saliaris Pontificum cœna proverbio nomen, nunc Clericorum Bacchanalia, nunc prandia ad invidiam opipara, calumniandi ansam Hæreticis juxta ac Catholicis præbent: scimus sobriam, scimus frugalem esse debere Clericorum mensam, ut Conc. Antiochen. ut Trid. [*s*] etiam atque etiam præcipit, scimus esse dotes pauperum, patrimonium Christi, opes Clericorum; ut Bernard. inculcat, scimus edere nos peccata populi, non irritamenta luxuriæ, scimus non vinolentos, sed sobrios esse Sacerdotes oportere; scimus, hic frenum effreni gulæ esse injiciendum: interim suspectos nos faciunt cottidiana prope convivia, vita mollis & delicata, continuata noctes & dies symposia, in iisque tympanum, tibia ac lyra, nec tamen hoc crimen multorum est paucorum profusio, insontes crudelitate infamat, alii quibus domi perpotandi nec facultas est, nec copia, tabernas frequentant & scurriles ineunt cauponas, atque in gurgustiis cum rusticana fæce ac turba, inter ambubajarum consortia, cum collectis e trivio balatronibus, de vacuandis poculis concertantes, Lapitharum more, depugnant. *Apprehendite disciplinam, &c.* De vestibus periculosior esset tractatio, nisi quid in habitu permissum, quid illicitum, Mantiscon. Constant. Vien. & Trident. (*t*) Concilium definisset. Detestantur Ss. Patres illos, qui non Clerici, sed sponsi; non Sacerdotes, sed proci sunt, qui comas calamistro, in æthiopicum prope cincinnum intorquent, qui variegata & virgata, diversicolorum vestium incisura farturaque, pavones referunt, non Clericos aut Presbyteros, qui plicata in manticis, extensa in perticis ornamenta ostentant: hic est nitor ille meretricius, histrionicus ille habitus, quem mellifluus Bernardus gemens deluget, qui sacris legibus, & gravi pœnarum interminatione castigatus, justam reprehensionem meretur, de quo in Decretalibus (*u*) & in Concilio Tridentino. Sane non ornatu, sed Clericalis habitus majestate, cultus modestia, moderato ac Religionis pleno amictu, Clericorum omnium vestes circumscripsit, concluditque: (*x*) ut, honestatem illam probet gestus, probet incessus, probet habitus, ne minus pallium ostendat Philosophum, quam tunica Canonicum aut Sacerdotem.

Postremum quod pertractandum est de Disciplina caput, est de familia Clericorum. Non omnes uno pede metior, sed juxta gradus, generis, officiique disparitatem, vel am-

(*b*) *Psal.* 1. *v.* 1. & 2. (*i*) *Malach.* 2. *v.* 7. & 2. *Cor.* 7. *v.* 1.
(*k*) *Sess.* 13. *c.* 7. & *Canon* 11. *ibid.* (*l*) *Hom.* 83. *in Evang. Matthæi.*
(*m*) *Lev.* 22. *v.* 9. (*n*) *Matth.* 23. *v.* 15. (*o*) *Apoc.* 22. *v.* 11.
(*p*) *Isa.* 1. *v.* 6. (*q*) *Levit.* 19. *v.* 2. (*r*) *Langecrucius lib.* 3. *c.* 9. & 10.
(*s*) *Sess.* 24. *c.* 1. *ex causa* 12. *q.* 2. (*t*) *Sess.* 14. *c.* 6. (*u*) *Decr. tit.* 1.
(*x*) *Trid. de Reform. Sess.* 22. *c.* 1. *Langecruc. lib.* 2. *c.* 2. 3. 4.

amplius indulgendum ſcio, vel minus novi permittendum. Non queror jam equorum phaleras, canum millos, ſervorum examina, pompam ſæcularem: queritur de iis Bernardus ſerm. ad Paſtores in Synodo: Permiſit ſibi multum in hoc genere Clericalis nobilitas, Principum ſuorum, Præſulumque vel diſſimulatione excuſata, vel munita exemplo. Enimvero ſi alterutrum ferendum eſt, ut vel ſuperflua alatur familia vel inhoneſta, tolerabilius profecto eſt, opes Eccleſiæ in dignam generoſa indole recreationem, quam in propudioſam voluptatem, & meretricios amores impendi: Invenias etiam nonnullos, qui ſtatus ſui immemores, obliti jurisjurandi, & fœderis, quod cum Deo, de perpetua vitæ continentia pepigerunt, foveant domi ſuæ focarias, alant ſpurcas lupas, ac lenas pudicitiæ proſtitutrices ſuæ, expugnatrices alienæ, quas uxorum & conjugum, non tantum loco habeant, ſed nomine etiam dignentur: alii vaga diſſoluti laſcivia, tanquam equi emiſſarii, (y) ad incontinentiſſimum quodque ſcortum, aut adulteram *adhinniunt, trahuntque* ingentes liberorum ſpuriorum greges. Hæc in propatulo ſunt, *quæ vero in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere,* [z] O lamentabilem Eccleſiæ ſortem. O miſeram conditionem Sponſæ Chriſti, quæ talibus credita paranymphis, tam probroſa impudicitia inceſtatur! *Apprehendite diſciplinam, &c.* Filii Heli, Sacerdotes Dei, conſueſcunt cum mulieribus, ne conniveat indulgens Pater, fracta alias cervice pœnas luiturus, [a] perſtringit id genus hominum, quos inaudito in puriore Eccleſia nunc paſſim pervulgato nomine, Concubinarios vocat, integro volumine Pindanus, [b] & alii, qui allatis infelicibus & ominoſis exitibus, conantur a facinore deterrere, & infauſtam occinunt Cataſtrophes pudendæ tragœdiam, vix tamen paucis perſuadent, ut perſonam ponant, an interim aures illis non tinniant, ſi contorta in ſe ſanctorum Dei virorum fulmina non bruta, ſed bimuga audiant: clamat Propheta Oſeas: [c] *Quia Spiritus fornicationis in medio Sacerdotum, quia genuerunt filios alienos, ruent in iniquitate ſua, devorabit eos enſis, erunt in deſolationem, effundam ſuper eos quaſi aquam, indignationem meam, &c.* Clamat S. Bernard. [d] Fornicatores audent agni immaculati, ſacras contingere carnes, & intingere in Sanguine Salvatoris manus nefarias, quibus paulo ante carnes meretricis attrectaverant, &c. Clamat Trident. (e) indigniſſimum eſſe Clericos in impudicitiæ ſordibus, immundoque concubinatu, communi omnium fidelium offenſione, ſummoque Clericalis militiæ dedecore verſari, jubet ſeveris in illos pœnis animadvertere, privari fructibus & proventibus, ferire ſuſpenſione & excommunicatione, carcere, inhabilitate, aliisque ſuppliciis petulantem procaciam cohibere, & tamen, &c. Ite, ite in vindicias, ite in ultionem Præſules Eccleſiarum, Dei cum poteſtate Miniſtri; [f] ſat jam ignominioſa illa labes nomini Eccleſiaſtico, & dignitati ſancti Status, cum dedecore ſempiterno inuſta, adverſariorum in nos ſtilos denteſque exacuit, ſat exercuit libidinem calumniandi effrenatam, ſatis magnam Eccleſiæ ſtragem dedit crebra turpionum horum ab Eccleſia defectio, in Eccleſiam data offenſio: ſat hactenus Superiores connixerunt, diſſimulare porro per leges, per conſcientiam non licet. *Apprehendite diſciplinam, &c.*

Atque hæc ſunt, quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinent, quæ indigent Reformatione, in quibus ſi quidpiam delictum erratumve ſit, apprehendenda eſt diſciplina, incipiendum a timore Domini, & parturiendus eſt Spiritus ſalutis, conciliandus per ſeriam pœnitudinem errorum, & deteſtationem criminum Deus, mos gerendus Reverendiſſimo atque Illuſtriſſimo Epiſcopo & Principi noſtro, audiendi ſunt morum noſtrorum, vitæque inſpectores, reſtituenda in integrum ſtatus Eccleſiaſtici dignitas, amputandus luxus omnis & effuſa in libertatem protervia, vel formidine pœnæ, vel virtutis amore coercenda, ut vere ſimus *lux mundi, ſal terræ,* (g) decus Eccleſiæ, ornamentum Religionis. Suſtinuit hactenus culpas noſtras magna patientia, magno miraculo Deus, & protenſam in vindictam ac verbera manum ſuſpendit; ſed verendum omnino eſt, ut tarditatem pœnæ, ſupplicii gravitate compenſet. (h) Miſerationi ſumus amicis: probro, hoſtibus: immortalibus ingrati, mortalibus graves. Inſurgebant in nos non ita pridem, undique ſeditiones ac bella, impendebat cervicibus noſtris barbaricus enſis, extremam nobis perniciem ſectarii machinabantur, jam ſpe devorarant poſſeſſiones noſtras, jam bona, jam capita ſubhaſtarant, jam ferro, igniqueín fana, in templa, in adyta deſæviebant, jam ſicas ſuas jugulis noſtris intentarant, jam ebulliente in internecionem noſtram ſanguine, dextras ſuas cruore noſtro imbuere geſtiebant, & ne Divinus ille Cuſtos, qui nec dormitat, nec dormit, pro nobis excubuiſſet, ſubmiſſo nobis vindice & aſſertore omnia jam flammæ tule-

(y) *Jerem.* 5. *v.* 8. (z) *Epheſ.* 5. *v.* 12. (a) 1. *Reg.* 2. *v.* 22.
(b) *Spec. Concub. Rebuff. de Concord. Gall.* (c) *Cap.* 5. (d) *De gradibus humilitatis.*
(e) *Seſſ.* 25. *de Refor. c.* 14. (f) *Langecruccus lib.* 6. *c.* 25. (g) *Matth.* 5. *cap.*
(h) *S. Hieronym.*

tulerant, inimicus, & hauserat ensis. Corrigendi mores, emendanda vita, eluenda peccata, & vestis delinquentiæ maculis obsoletata fletibus expurganda est, commune incendium, peccatorum nostrorum fomite excitatum, pœnitentiæ lachrymis, quasi inundatione quadam sopiendum est & restinguendum, castis precibus propitiandum est Numen, irati Dei vultui objiciendus est unigenitus ejus Filius, in Crucem pro nobis actus, Caro illius innocentissima, clavis trajecta, vulneribus sauciata, & suo perspersa Sanguine in Sacrificio incruento offerenda, ut eo spectaculo, quasi salutaris Iridis conspectu mitigatus Pater, temporariam a nobis profliget pœnam, & ultionem avertat sempiternam.

DIXI.

DECRETA & CONSTITUTIONES,

IN SYNODO MAJORI PROMULGATÆ,

Præsidente Reverendissimo & Illustrissimo Principe ac Domino,

D. FRANCISCO GUILIELMO, S. Osnabrugensis Ecclesiæ Episcopo.

INDEX CAPITUM,

Quæ quatuor illis Decretorum Synodalium Partibus continentur.

CAPI-

CAPITA TERTIÆ PARTIS.

I. De Regularibus & personis religiosis.
II. De Sanctimonialibus.
III. De Sanctimonialium Superioribus, Visitatoribus, ac Confessariis.

CAPUT QUARTÆ PARTIS.

UNICUM. *De Jurisdictione & Judicio Ecclesiastico.*

CONSTITUTIONUM, ET DECRETORUM SYNODALIUM DIOECESIS OSNABRUGENSIS

PARS PRIMA.

CAPUT I.

De Religione & Fide Catholica, ejusque Professione.

§. I.

Quandoquidem exulceratissimo hoc Sæculo, & hæreseon feracissimo, tam variæ atque dissectæ in Religione sunt opiniones, ut vel maxime locus sit antiquæ illi B. Hilarii ad Constantinum querimoniæ, qua deplorat, tot esse fides, quot voluntates, tot doctrinas, quot mores; dum aut ita fides scribuntur, ut volumus, aut ita, ut volumus, intelliguntur; Merito in hanc curam præ cæteris hi incumbere debent, quibus ex Pastorali officio, cura animarum est commissa; ne ii, quibus sunt præpositi, in fide aberrent, aut in pietate, & sanctæ Religionis zelo intepescant; verum ardore ejus, magis quotidie inflammentur, errantes vero, & hæretica labe infecti, ad Dominici gregis unionem revocentur, ac verbo Dei sanentur & confirmentur.

II. Omnium certe virtutum, (*a*) actionum bonarum, & meritorum basis, fundamentum, ipsiusque justificationis prima radix & origo vera est Fides, ut, dicente Apostolo (*b*), impossibile sit sine Fide placere Deo, dum, ut idem alibi asserit, (*c*) corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, adeo ut præclare majores consueverint actiones suas, præsertim (*d*) Conciliares & Synodales, si de Fide, moribusque agendum esset, a Fidei protestatione, ac professione ordiri, quam etiam demum Ss. Conc. Trid. (*e*) actionibus omnibus Synodalibus, aliisque gravioris momenti negotiis, præmittendam censuit, ut esset tanquam scutum (*f*) inexpugnabile, contra omnes hæreticorum assultus, ac fundamentum firmum inconcussumque, contra quod portæ (*g*) inferi prævalere non possent.

III. Quare cum dictum Concil. a Prædecessoribus recol. mem. JOHANNE AB HOYA, & ITELIO FRIDERICO Cardinale ZOLLERANO promulgatum, receptumque fuerit, placet quoque ab hac libera apertaque Fidei Catholicæ professione præsentem inchoare Synodum, eamque in ipso statim limine propositam, variis novatorum confessionibus seu confusionibus opponere, volentes & mandantes omnibus & singulis nostris fidelibus subditis, Ecclesiasticis ac sæcularibus Civibus, Officiatis ac incolis Civitatis & Diœcesis nostræ Osnabrugensis utriusque

---

(*a*) Rom. 5. Conc. Trid. Sess. 6. c. 8. (*b*) D. Paul. ad Heb. 11. (*c*) Rom. 10. v. 10.
(*d*) Conc. Nicæn. Conc. Rom. sub Julio I. Conc. Hipponen. in princ. Conc. Constant. 6. act. 17. Conc. Magunt. c. 1. can. Ante viginti, cum seqq. De Consecr. dist. 4. c. 1. De Summa Trinit. &c
(*e*) Conc. Trid. Sess. 3. & Sess. 25. cap. 2. de Reform. Cogit temporum.
(*f*) Ephes. 6. c. 11. 9. 3. Qui resistit. (*g*) Matth. 16. v. 18.

que ſtatus & ſexus, ut hanc Fidei, veritatisque regulam teneant, nec omni vento doctrinæ ſe jactari aut circumferri patiantur.

IV. Quinam vero ex Clero, ſubditis noſtris & Officiatis, ac jurisdictioni noſtræ ſubjectis, quove tempore ac loco hanc Profeſſionem expreſſam, edere debeant, *Cap.* 3. deſcribetur.

V. Formula autem Fidei in Concilio Trid. ſapientiſſime concepta, quam ex ſacræ Apoſtolicæ auctoritatis præſcripto uſurpari ab omnibus & ſingulis volumus, ſic ſe habet.

CAPUT II.

Forma Profeſſionis Fidei Catholicæ.

EGo N. N. firma Fide credo, & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, &c.

CAPUT III.

Profeſſio Fidei, a quibus facienda ſit?

§. I.

OMnes in Cathedrali noſtra Eccleſia, vel alia quavis Collegiata, per Civitatem & Diœceſin noſtram, ad Dignitates, Archi-Diaconatus, Perſonatus, Canonicatus & Beneficia, tam curata, quam non curata, & officia publica admittendi, fidei Catholicæ profeſſionem præmittant. (*b*)

II. Idem faciant Monaſteriorum & Regularium Ordinum Prælati, & Superiores, antequam ſuis officiis fungantur; & eorum ſubditi, cum curæ animarum, aliisve functionibus publicis, ut audiendis confeſſionibus, aut concionibus habendis deſtinabuntur.

III. Item omnes noſtri Officiati, Conſiliarii, Droſſati, Secretarii, Goegravii, Judices, Quæſtores, Advocati, Procuratores, Scribæ quorumcunque Judiciorum, Ludimagiſtri, Æditui ſeu Cuſtodes, Vogteti, & alii ad ſimilia officia quæcunque aſſumendi.

IV. Item Conſules, Scabini, ac quicunque de Magiſtratu ac Curia, & in officiis publicis Civitatum, oppidorum ac communitatum ſunt. Similiter Medici, Chirurgi, Typographi, Bibliopolæ, qui etiam præter Fidei profeſſionem juramentum præſtabunt, de non invehendis, imprimendis, & compingendis in Diœceſi noſtra ullis libris prohibitis, de quibus noſtram voluntatem inf. *Cap.* 11. §. 3. penitus intelligent expreſſam.

V. Quicunque ex hæreſi Eccleſiæ Catholicæ reconciliari voluerint, cum hæreſis abjuratione, publicam Fidei profeſſionem facient, niſi ex cauſis differendum cum aliquo videatur. (*i*)

VI. Facienda autem erit Fidei profeſſio ſolenni modo, publice in Templo, vel loco Capitulari, aut ſaltem honeſtiori aliquo conclavi, poſito ſuper Altari, vel menſa, imagine Sanctiſſimi Crucifixi, Miſſali, vel libro Evangeliorum aperto, cereis duobus accenſis, teſtibus aliquot præſentibus. Recipiens Profeſſionem Fidei, ſit indutus ſuperpelliceo, & ſtola, in ſede collocatus, legentem Profeſſionem diligenter audiat, aut ſi is legere non poſſit, ipſi diſtincte prælegat: factam vero Fidei profeſſionem cum anno, die & nomine emittentis, ac teſtium in particulari libro notet, qui modus in ſingulis receptionibus ſervabitur, niſi aliter per Nos, vel Vicarium noſtrum in Spiritualibus Generalem ex cauſis fuerit conceſſum.

VII. Et quidem proviſi de Dignitatibus, quarum Confirmatio ad Nos ſpectat, ac Beneficiis curatis, coram Nobis, aut Vicario noſtro profitebuntur; de aliis vero Dignitatibus, Canonicatibus, Vicariis vel Officiis, ſive ſint Sacerdotes, ſive alii, qui Officia vel Vicarias obtinent, in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata Civitatis ac Diœceſis noſtræ Oſnabrugenſis, propoſitam Fidem in

(*b*) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 12. de Reform. & Seſſ. 25. c. 2. de Reform.

(*i*) C. Si qui. verb. Ante omnia. c. ſeq. & c. Si quis Epiſc. 1. q. 7. c. Ad abolendam. De Hæreticis.

in manibus Decani & Capituli, Ecclesiæ, cujus est Canonicatus, Officium vel Vicaria, præsente Capitulo, vel ejus potiore parte profitebuntur, antequam fiat provisio, aut ipsis, vel allis eorum legitimis Procuratoribus tradatur possessio, quæ alioquin deneganda erit. Absentes, vel alio modo impediti, qui per Procuratorem Professionem fidei, in provisione, vel possessionis capione fecerint, ad Residentiam, vel fructuum perceptionem ante ne admittantur, quam ipsi personaliter hanc Fidei professionem emiserint.

VIII. Cæteri Clerici ac Regulares in manibus suorum Superiorum, Officiati vero nostri coram Nobis, aut Vicario nostro in Spiritualibus, Laici vero inferioris ordinis coram suis Parochis, aut aliis a Nobis designandis, hanc Fidei professionem facient.

IX. Illud vero, facta Fidei professione, omnibus diligentissime curandum erit, ut Fidem, quam lingua loquitur, etiam moribus vita fateatur, nec in promittentibus divortium oris & operis damnabiliter inveniatur.

CAPUT IV.

De Lectione sacra & verbi Divini prædicatione.

§. I.

ELectum Fidei donum per gratiam Spiritus Sancti infusum, mente jam comprehensum, & professione publica contestatum, non solum elicitis frequenter actibus augendum, sed adminiculis etiam piis fulciendum, & sanctis pietatis Christianæ, legisque Ecclesiasticæ exercitationibus, Deo ad gloriam, proximo ad ædificationem, sibi ad salutem meritumque auctius, cuique exornandum est. Ad quod plurimum prodest, lectionibus sacris, quæ de rebus Divinis, controversiis fidei, quæstionibus morum, & casibus conscientiæ, vel in Scholis publicis, vel in Monasteriis, vel aliis Clericorum Collegiis habentur, attente auscultare, atque eapropter vehementer optamus, hortamurque omnes tam Collegiorum nostrorum, quam Monasteriorum Antistites atque Prælatos, ut Theologiæ moralis Scholas vel habeant ipsi in Monasteriis & Collegiis suis, vel subditos suos ad lectiones Theologicas proponendas (*k*) in Scholis a Nobis, in Urbe nostra Osnabrugensi, propitio Deo, erigendis mittant, eos præsertim, quibus curæ Pastoralis munus aliquando demandandum est.

II. Fides porro infantibus in sacro Baptismo infunditur, adultis vero per auditum Dei verbum, ut asserit Apostolus, donatur: quocirca sanctum Dei verbum, quanta fieri potest diligentia ac sedulitate, prædicari debet ab iis, qui ad illud promulgandum legitime vocati ac missi sunt, cujusmodi sunt Parochialium Ecclesiarum Pastores, aliique animarum Curatores, quos non solum doctrina sacra, & rerum Theologicarum cognitione instructos, sed moribus honestos & graves, vita integros, infamia liberos esse volumus, (*l*) qui veluti lucernæ ardentes & lucentes, populum verbo erudire, exemplo ædificare possint ac debeant. Dabunt itaque operam, ut sint potentes opere & sermone, faciant & doceant, ut vita cum verbis, mores cum doctrina consentiant. Arduum hoc concionandi munus nemo suscipiat aut exerceat, nisi qui præmisso examine, a Nobis fuerit, aut a Vicario nostro, Examinatoribus ad id constitutis approbatus.

III. Ii vero, qui ex Regularibus, ac Religiosis Ordinibus, ad functionem hanc deliguntur, legitime a suis Præsulibus examinari & approbari debent, sive in Ecclesiis sui Ordinis, sive aliis concionentur: (*m*) & ne sic quidem prædicare verbum Dei præsument, nisi petita atque impetrata a Nobis Episcopali benedictione atque licentia. Qui secus faxint, eos excommunicationis vinculo ligamus, & excommunicatos publice declarari jubemus, aliis etiam gravioribus pœnis, in eos per Nos, vel Vicarium nostrum irrogatis; plurimum enim refert scire, quis ille, qualisque sit,

(*k*) Conc. Trid. Sess. 5. c. 5. de Ref. (*l*) Conc. Trid. Sess. 5. c. 2. & Sess. 24. c. 4. de Ref.
(*m*) d. Sess. 5. c. 2. de Refor. c. Excommunicamus. §. Quia vero. De Hæret.

ſit, qui Sæculo hoc infinitis Sectis turbato, oves Chriſti Sanguine redemptas, Divini verbi pabulo reficiat.

IV. Pro concione ad populum dicent ſingulis per annum Dominicis, Feſtisque diebus, (*n*) atque alias etiam in Quadrageſima pro Diœceſis hujus more: dicent vero modeſte & graviter ac cum auctoritate. Et ſi quidem Scripturæ teſtimonia producenda ſint, editione vulgata utantur, ſacrasque Literas non ex ſuo ſenſu, ſed Eccleſiæ ſanctæ (quæ columna & firmamentum veritatis eſt) ſententia, & Patrum ſanctorum doctrina interpretentur. (*o*) Nemo aniles fabulas, nemo ſcommata, ſales ac jocos, nemo incertas atque apocryphas hiſtorias, aut ſuſpecta jure miracula pro ſuggeſtu recenſeat.

V. Nemo publice Magiſtratum, ſeu Eccleſiaſticum, ſeu Civilem carpat, perſtringatque, aut aperte quempiam ita objurget, ut intento quaſi digito eum monſtret, parcat perſonis, dicat de vitiis; multo vero maxime caveat, ne in ullam religioſam familiam, aut ſtatum Eccleſiaſticum invehatur, a mutuis etiam æmulationibus, contentionibus, & morſibus abſtineant, ne ab invicem conſumantur, & Parochianis ſuis pariant ob diſſenſiones ſcandala. Si quis vero habeat adverſus aliquem querelam, ad Nos, aut Vicarium referat. Qui in legem hanc deliquerit, a concionandi munere ſubmovebitur, pœnisque a Nobis infligendis ſubjacebit.

VI. Hæreticorum libros nemo Concionator ſine expreſſa, eaque in ſcriptis obtenta, & Nobis exhibita, Sedis Apoſtolicæ facultate legat, (*p*) argumenta vero eorundem, quæ plus ſemper oſtentationis, & vani in vulgus plauſus, quam ſoliditatis, eruditionis vel ædificationis habent, operoſe ne enucleet, ſed ad captum populi, ad ſtabiliendam veram Fidem, ubi opus erit, nervoſe refellat.

VII. Materiam Auditoribus ſuis aptam Concionatores ſumant, abſterreant eos a vitiis omnibus, præſertim a blaſphemiis, juramentis, conviciis, detractionibus, mendaciis, ebrietate, &c. Cohortentur vero ſerio atque impenſe, ut Magiſtratui utrique pareant, præcepta Dei, & leges, cæremoniasque Eccleſiæ, nec non Concilii Tridentini Decreta, & laudabiles Diœceſis hujus conſuetudines accurate obſervent, ſacro Miſſæ Officio, non Dominicis duntaxat, Feſtisque diebus (ad quod ſub reatu peccati lethalis obſtricti ſunt) ſed aliis etiam ſolennitatibus, concionibus & catecheſibus, uſque ad finem conſtanter & decenter interſint.

VIII. Potiſſimum vero elaborent, ut populo religioſam Pœnitentiæ Sacramentalis, & Euchariſtiæ frequentationem commendent. Sub finem concionis pias ad Deum preces, pro omni hominum genere, præſertim vero pro Magiſtratu, pro ſalute communi, pro pace & tranquillitate publica, pro vivis & mortuis fundant. Dies etiam Feſtos ac ſolennes, ſtata jejunia, ſupplicationes & proceſſiones ita promulgent, ut ſimul indicent, quando, quo modo, & fine ſolennitates hujusmodi ſint inſtitutæ.

CAPUT V.

De Doctrina Chriſtiana, Catecheſi, & Scholis.

§. I.

A proba puerorum atque adoleſcentum informatione, non privata tantum familiarum paucarum, ſed publica etiam & communis Reip. totius ſalus, atque Eccleſiæ integritas dependet. Quamobrem neceſſarium plane eſt, ut omnes a teneris, atque ab adoleſcentia portent jugum Domini, in pietate & bonis moribus, ac literis inſtituantur, ut una cum pietate ac Religione, honeſtas conjuncta ab incunabilis imbibatur. Quocirca Parochi omnes tradendæ Chriſtianæ doctrinæ, & explicandi Catechiſmi ſtudium ſibi habeant cordi, ac curæ, (*q*) cogitentque

(*n*) Conc. Trid. dd. locis. (*o*) Conc. Trid. Seſſ. 4. in Decr. De edit. & uſu ſacr. libr. 1. Tim. 3. v. 15. 1. Tim. 4. 2. Tim. 2. Ad Tit. 3.
(*p*) Ex Indic. libr. prohibitorum & Bulla Confir. PII IV.
(*q*) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 4. de Reform.

que se tanquam bonos optimi Patrisfamilias Ministros, multo diligentiorem operam, spargendæ in novali Domini agro, Catholicæ Religionis sementi impendere velle, quam inimicus homo in superseminandis zizaniis, (quæ evelli deinde ægerrime queant) collocet.

II. Singulis itaque diebus Dominicis, atque etiam, si opus est, Festis, elementa Religionis Catholicæ juxta methodum Catechismi Romani, perspicue explanent pueris, (r) Parochi, Plebani, Vice-Curati, vel per se, vel per alios, ad functionem hanc idoneos, tempore pomeridiano sub horam duodecimam, vel primam, idque in oppidis, & pagis observari jubemus: atque ut rudis pueritia, ad piam hanc exercitationem animetur, affluatque copiosius, lingua vernacula, per breves & concisas quæstiunculas, suaviter atque humaniter Fidei rudimenta, hoc est, ea, quæ ad Fidem, Spem, Charitatem, Sacramenta, & Officia Justitiæ Christianæ pertinent, continenturque Oratione Dominica, Salutatione Angelica, præceptis Dei & Ecclesiæ, virtutum studio, vitiorum fuga exponant, diligentioribusque munuscula donent, vel aliena liberalitate conquisita, vel aliunde comparata.

III. Enimvero si contingat in pagis, vel ob hyemis asperitatem, & aëris intemperiem, vel ob nimiam Parochianorum ab Ecclesia distantiam, aliave de causa, a Nobis, aut Vicario nostro approbanda, quot septimanis pueros convenire non posse ad Catechismi audientiam, habeatur saltem bis singulis mensibus, aut si ne id quidem fieri possit, Parochus singulis Dominicis, ac præterea per sacros Adventus Dominici & Quadragesimæ dies de Mysteriis & articulis Christianæ Fidei, in concione per mediam horam disserat. Invitet porro & alliciat etiam juvenes ac seniores ad Catechismum audiendum, cum illi sæpenumero magis, quam pueri indigeant instructione: Parentes vero propositis etiam pœnis admoneat, ut liberos suos ad doctrinam Christianam mittant. Nec ullum ad Eucharistiam percipiendam, ineundumve Matrimonium admittat, nisi doctrinam Christianam obeat, & Catechismum calleat. Quod vero plurimum pientissimum hoc opus Magistratus sæcularis industria, attentioque promoveat, idcirco ei præcipimus, ut eo tempore, quo Catechismus habetur, omnia tripudia & choreas, lusus & spectacula, compotationes & levitates silere jubeat.

IV. Modus tradendæ hujus disciplinæ, jam dudum in Catechismo Coloniensi germanice edito, præscriptus est, quem observari ab omnibus volumus, qui in eo consistit, ut pueri, pia æmulatione excitati, præeuntem in preces Catechistam sequantur, deinde ipsi inter sese interrogent ac respondeant, explicationem postea audiant, & repetant. Hoc officium, qui prætermiserint, serio a Nobis, aut Vicario nostro punientur.

V. Magni etiam momenti est, ut pueri, puellæque non in templis solum religiose, sed in Scholis etiam recte erudiantur: tenera enim hæc ætas prona in malum, nisi navis instar secundo flumine defluentis retineatur, in vitia dilabitur, atque ea re ex Ecclesiastici monito erudienda, & curvanda est, ut stultitiam dorso ejus alligatam, virga disciplinæ fuget. (s) Magna itaque cura adhibenda est, ut in singulis Diœcesis nostræ Civitatibus, oppidis, pagis frequentioribus sint, aut erigantur, vel conserventur Scholæ, pro sexus utriusque pueris, Latinæ vel Germanicæ, deinde ut Scholis illis præficiantur cum præscitu nostro Præceptores Catholici, pii, eruditi, bene morati, ac tales, ut ad eorum vitam ac mores, tanquam ad normam puerorum vita ac mores exigi componique possint; qui commissos sibi discipulos, sedulo ac studiose doceant, non tantum bonas literas, sed etiam pietatem. Mandamus vero hujusmodi Ludimoderatoribus, ut discipulis suis, sive Latine discant sive Germanice, Catechismum minorem P. Petri Canisii ediscendum dent, Christianis eos moribus imbuant, doceant verecundiam, mo-

(r) Conc. Trid. Seff. 24. c. 4. de Reform.

(s) Prov. 22. v. 15.

modeſtiam, pietatem erga Deum & Parentes, erga Magiſtratum reverentiam & obſervantiam; Libros hæreticos, obſcœnos, curioſos, ipſi non ſolum non proponant aut explicent, ſed pueris etiam ſubducant, ne blandum incautis virus inſtilletur. Sicubi autem pueri & puellæ Scholam unam frequentent, hæ ab illis ſejungendæ erunt, ne quid indecens committatur. Atque ut hæc omnia, pro rei hujus gravitate fiant, ſincerius præcipimus iis omnibus, ad quos Scholarum cura atque proviſio, in loco quovis de jure vel conſuetudine ſpectant, ut ad hæc attendant, Magiſtros, Scholas, pueros frequenter viſitent, dentque operam, ut nihil in iis contra Religionem Catholicam, caſtam pietatem, bonosque mores peccetur.

CAPUT VI.

De Seminariis.

§. I.

UT porro tam Divini verbi prædicatio atque inſtitutio puerorum, quam alia Eccleſiaſtica munia per idoneos, & tam gravi functioni aptos homines obeantur & adminiſtrentur, utiliter admodum ſanxit Sacroſancta Tridentina Synodus, (*t*) ut in præcipuis Epiſcopatuum urbibus, conſtituantur Seminaria, e quibus optimi quique, ad curandam animarum ſalutem deligantur, cui ſanctioni, uti & cæteris ordinationibus, cum lubentes volentes pareamus, incumbemus ſedulo in eam curam, ut difficillimis licet temporibus, in Urbe noſtra Oſnabrugenſi, Seminarium, quam fieri poteſt, citiſſime erigatur, & conſtituatur, e quo idoneos in vinea Domini laboratores petere, & procurandis ſacris muneribus præficere poſſimus. Quod cum non utile ſolum, ſed neceſſarium etiam ſit, ad Religionem Catholicam ſtabiliendam proferendamque, ad Paræcias curæ noſtræ ac fidei commiſſas recte gubernandas, ad ſubditorum noſtrorum inſtructionem atque ædificationem, hortamur omnes in Domino, ut conatus hoſce noſtros liberalitate ſua atque omni ope promoveant; quo ſuppetant regioni jam albæ ad meſſem operarii, nec deſint, qui parvulis petentibus panem frangant, data in tempore tritici ſpiritualis menſura.

II. Præter media autem erigendi Seminarium a Ss. Concilio Trid. præſcripta, congruum judicamus, ut Clerici quicunque pro qualitate ſuorum Beneficiorum, & ratione temporis, quo Eccleſiæ bonis gaviſi ſunt, ad pium hoc opus, in teſtamentis ſuis, ultimisque voluntatibus, Nobiscum debite concurrant, nec ullus teſtamentum condat, in quo Seminarii noſtri liberaliter non meminerit.

CAPUT VII.

De Cultu Divino, Officiis, & Cæremoniis Eccleſiaſticis.

§. I.

REligio, cujus prima quaſi radix eſt Fides, non ſolum inſita debet eſſe animo, ſed in externos etiam pietatis actus prodire, qui actus varii admodum ſunt, Eliciti, Imperati, Interni, Externi, Publici, Privati: Nos de pluribus ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentibus, quo pacto exercendi ſint, a Clericis potiſſimum Divino cultui initiatis, nonnullos præſcribemus.

II. Officia itaque Divina omnia, eo, quo debent, tempore, modo & methodo, pie ac graviter peragantur: Et cum Breviaria, Miſſaliaque propria Diœceſis noſtræ olim edita, vix amplius vel non niſi cum defectu aliquo, & minus authentica ſuperſint, & exinde multi, tempore noſtri Prædeceſſoris Romanum Breviarium, & Miſſale aſſumpſerint, ex quo magna confuſio, & diſcrepantia conſecuta eſt; ideo uniformitatem in Eccleſiam noſtram inducere volentes, mandamus, ut omnes Clerici, Canonici, Paſtores & Eccleſiæ Miniſtri, ſibi de Romanis proſpiciant intra Paſcha & Nativitatem Chriſti, ritumque Romanum per omnia ſervent; quoad Eccleſiam vero noſtram Cathedralem, cum Capitulo noſtro, de modo & tempore Romanum illa in Eccleſia introducendi, mature

(*t*) Seſſ. 23. c. 18. de Reform.

ture deliberabimus; Procurabimus etiam, ut libri ad hunc Romanum usum necessarii, in Civitate nostra Osnabrugensi commode haberi possint.

III. Nemo novos sibi ritus fingat, introducat, aut usurpet; sed in Ecclesia omnia moderata, conformia, & consona sint. Cursorius ille ac concitatus legendi, cantandique abusus omnino exulet; omnia maturitatem, gravitatem, pietatem, religionem, ac reverentiam erga Deum redoleant.

IV. Et quia domum Dei decet sanctitudo, nemo in Ecclesia in conspectu Domini garriat, nugetur, obambulet, circumspectet curiose, aut aliud quippiam loci sanctitate indignum tractet, quod cum Laicis etiam vetitum sit, multo maxime Clericis interdictum est; qui ubi aqua benedicta se ad ingressum asperserint, ac Sacram Eucharistiam cernui salutarint, conferre se ad locum suum modeste debent, cæteroqui ad Nos a Prælatis Ecclesiarum deferantur, & quotidianis distributionibus priventur.

V. Aquæ lustralis, nec non cinerum, herbarum, palmarum, aliorumque fructuum, definitis temporibus, ac certis diebus, in Ecclesia benedici solitorum, usum legitimum ac rectum probent ipsi, & aliis commendent: & quoniam cæremonias hujusmodi sanniones hæretici, vel ex ignorantia contemnunt, vel ex malitia derident, ipsi tueantur, mysteriaque, quæ in his latent, vim adversus antiqui hostis insidias, & sciant ipsi, & aliis, ubi opus fuerit, ad confutandos hæreticorum errores, ex probatis auctoribus explicent.

VI. Eadem prorsus ratione, non solum adversus Acatholicos defendere, sed ipsimet etiam visitare debent Processiones, seu publicas totius Ecclesiæ, seu peculiares suæ Diœcesis, seu statas, seu ex occasione indictas, quoties eæ instituentur; Noverint vero omnes in hujusmodi Processionibus, quæ prælata cruce, aut vexillo, bono ordine, viris in unum, fœminis in alium cœtum distributis debent fieri, abstinendum prorsus esse a fabulis, risibus, nugis, levitatibus, discursibus, curiositatibus, compotationibus, præbendumque Laicis esse modestiæ & pietatis exemplum, si qui vero symposiorum aut nundinationum quarumcunque abusus irrepserint, eos abrogent Parochi, aliive, ad quos munus hoc pertinet.

CAPUT VIII.

De Templorum Ornatu, & cultu sacrarum Imaginum & Reliquiarum.

§. I.

Præter externum illum decorem domus Dei, & ornatum, quo templa debent esse conspicua, religiose etiam asservantur Sanctorum Reliquiæ & Lipsana, nec non Christi Domini, ac Sanctorum Imagines, (u) quæ uti a Jovinianistis & Iconoclastis vehementer impugnatæ sunt, ita a Catholicis omnibus acriter, ac gloriose propugnatæ. Etenim cum sacra illa membra, atque ossa viva quondam fuerint, Spiritus Sancti domicilia, atque templa, ad quorum vel attactum, vel intuitum, vel cultum, maxima Deus edidit prodigia, quod utriusque Testamenti exemplis perspicuum est, plane convenit, ut a fidelibus Christi populis honeste condantur, pretiosisque loculis pie conserventur, ad illorum honorem, & gloriam Dei, cujus Sancti nimis honorificati sunt. Si itaque vel ad populi devotionem excitandam, vel ad Deum per intercessionem Sanctorum suorum, & exhibitionem sacrorum pignorum, placandum, Reliquiæ hujusmodi, aut præter consuetudinem, aut pro more ostendendæ sint, jubemus, ut non a Laicis, sed a Clericis, solenni cum apparatu, accenso lumine, reverenterque, ac sine quæstu omni fiat. Ostendantur vero Reliquiæ sinceræ, non falsæ pro veris, non incertæ & dubiæ, pro certis ac probatis, non incognitæ pro cognitis, sine superstitione omni, impostura, & abusu: quocirca opus erit, singulis schedam aliquam, e qua dignoscantur,

(u) Conc. Trid. Sess. 25. De invoc. venerat. & Reliq. Ss.

cantur, apponere, ficubi vero nova vel ederentur, vel edi putarentur miracula, ad quæ magnus fieret populi concurfus, (x) id Prælati, vel Parochi Nobis illico fignificent, ut mature dijudicetur, quid fentiendum, ne credulum vulgus vel capiatur fuperftitione, vel commentitiis miraculis fafcinetur.

II. Statuimus infuper, ne facræ Reliquiæ, fine expreffa noftra licentia in fcriptis obtenta extrahantur, donentur, aut extra Diœcefin noftram exportentur, fub pœna excommunicationis latæ fententiæ.

III. Chrifti Salvatoris, Deiparæ Virginis, & Sanctorum ftatuæ atque imagines, non in Templis folum, fed in privatis etiam Oratoriis, Sacellis, aris & agris retinendæ, decore veftiendæ, ornandæque, & vero etiam honorandæ funt, eo quod effigies fint fuorum prototyporum, quibus etiam honor recte defertur. (y) Sunt etiam hujusmodi ftatuæ atque imagines, atque aliæ hiftoriæ facræ vel pictæ, vel fculptæ indoctæ plebis veluti libri, in quibus Redemptionis noftræ myfteria legunt, ac recolunt, quarum e confpectu pietatem hauriunt atque confirmant, ad imitationem denique excitantur. (z) Unde convenit, decenti eas cultu ornare, ut Deus laudetur in Sanctis fuis, quos licet fectarii probris atque conviciis inceffant, Catholica tamen Ecclefia femper venerata eft, non latriæ, fed longe difpari duliæ cultu, non ignara, honorem fervo habitum in Dominum redundare, fasque effe homini honorare illum, quem Deus ipfe honorat.

IV. Ne qua tamen novis Iconomachis calumniandi anfa præbeatur, cavendum omnino eft, ne in Ecclefiis fculpantur, pinganturve ftatuæ vel imagines Sanctorum, qui ab Ecclefia & probatis hiftoriis, non habent auctoritatem. Cavendum præterea, ne falfa veris in hujusmodi imaginibus mifceantur, aut profanum quid ac fabulofum inferatur. Multo maxime attendendum eft, ne turpes, incompofitæ, ex gentilium fcriptorum libris petitæ, aliæve profanæ imagines, fculpturæ, picturæ in domo Dei videantur.

V. Volumus etiam, ut imagines ac ftatuæ deformes, fractæ, vetuftate confumptæ vel corrofæ, aliisque de caufis indecentes e Templis removeantur.

VI. Mandamus præterea Paftoribus, & aliis quibuscunque Ecclefiarum Rectoribus, ut nullæ pofthac imagines, ftatuæ, epitaphia, altaria in Ecclefiis & locis Ecclefiafticis ponantur, nec quicquam aliud figatur, conftituatur, mutetur, nifi noftra, aut noftri in Spiritualibus Vicarii approbatio præcefferit: nec Paftores, multo vero minus Æditui aut Provifores, cuiquam in Choro fedem vel ftationem certam concedant. Quæ vero hactenus a quibusdam in Ecclefiis pofitæ fuerunt fedes ampliores, quæ profpectum ad fummum Altare impediunt, aut aliis obftaculo funt, maxime vero, quæ prope Altaria collocatæ funt, directione Vicarii noftri & cura Paftorum ad debitam moderationem redigantur.

CAPUT IX.

De Indulgentiis & Purgatorio.

§. I.

QUemadmodum fortiori nunquam ariete petita, quaffataque eft Ecclefia, quam eo, quem primo quæftuofi Indulgentiarum præcones adornarunt, poftea vero iniqui lucri & gloriæ competitores, & votirupæ a Religione apoftatæ, Quinti Evangelii verbicines ei admoverunt: ita contentione omni, & armatura Fidei obfiftendum eft.

II. Condonationes illæ, quæ ab ipfo exordio nafcentis Ecclefiæ, exemplo Sancti Pauli, cæterorumque Ecclefiæ Præfidum difpenfatæ funt, caute ac circumfpecte ex poteftate clavium, dataque folvendi ac ligandi facultate & poteftate defendantur.

III. Ad tollendos etiam errores, pro fuggeftu demonftrandum eft, Indulgentias omnes, in meritis (a) Paffionis,

(x) d. Decr. Seff. 25.
(z) d. c. Perlatum.
(y) Conc. Nic. 2. & Trid. d. loco c. Perlatum. De Confec. d. 3.
(a) Matth. 16. v. 19. & 18. v. 8. Joan. 20. v. 21. & 22.

nis, ac Sanguinis Christi fundari, qui ex copioso & inexhausto satisfactionis suæ thesauro, Ecclesiæ suæ, ejusque Præsidibus, reliquerit instructissimum eleemosynarum spiritualium sacrum ærarium, e quo parce, ac prudenter, pro inopum indigentia, & dispensatoris auctoritate, debiti alieni nomina, & inexsolutæ peccatorum pœnæ solvi possint (solvere enim Dispensatores Mysteriorum Dei possunt ex mandato Divino, quidquid ligatum est, sive culpa illud sit, sive pœna) accedente præsertim Sanctorum Dei amicorum, quasi collatitia (deprompta tamen ex meritis Christi) liberalitate.

IV. Præcipimus etiam, ne ullæ Indulgentiæ publicæ per Diœcesin nostram ab ullo seu Regulari, seu non Regulari, sine nostra scientia & approbatione proclamentur, ne qua incautis Catholicis ad superstitionem, vel Hæreticis ad iniquam calumniam occasio detur, cum illi interdum e taxo suaveolentiam, hi ex flore virus hauriant. Si vero Jubilæum publicum, aut aliæ communes vel privatæ Ecclesiarum, Ordinumque Indulgentiæ denuncientur, earum se compotes faciant Christi fideles.

V. Indulgentiarum sacrarum usum frequentem, si non induxit, consuluit tamen purgatorius, seu piacularis ignis, in quo inexpiatæ a pœnis temporalibus animæ detinentur, donec Apostolo (b) docente, detrimentum passæ salvæ fiant per ignem. Præivit in hoc misericordiæ opere exemplo Laicis omnibus Judas Machabæus, (c) qui ex communi veræ Ecclesiæ consensu, sanctam, & salubrem esse censuit cogitationem pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. Eapropter præcipimus, ut annuæ, vel aliis definitæ temporibus ac diebus, defunctorum piorum memoriæ, oblatione Sacrificiorum, eleemosynarum ab ipsis constitutarum elargitione, aliisque piis operibus, ex Ecclesiæ cujusque consuetudine receptis, & a Nobis probatis, pie, integreque peragantur. Pro Hæreticis vero, & infantibus in prima innocentia defunctis, suffragia hujusmodi ne fiant, cum nec hi indigeant, nec illis prosint.

VI. Quia vero ii, qui in pœnis Purgatorii detinentur, unius nobiscum corporis membra, fratres, & amici nostri, ope nostra & suffragiis maxime indigent, idcirco mandamus, ut diebus singulis sub vesperum, quando ad Salutationem Angelicam signum datum, ad Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ exemplum, alia campana in singulis Ecclesiis detur signum, quo audito, omnes ex Christiana misericordia pro Defunctis, pie ac diligenter Deum divitem in misericordia orent.

CAPUT X.

De dierum Festorum, esurialium, & Ferialium observatione.

§. I.

EXoleverunt jam in Christianismo fasti & nefasti gentilium dies; vanæ, & profanæ annorum, mensium, & dierum observationes, ex Genethliacorum disciplina, Apostolica sententia damnatæ sunt; Festos vero dies, vel Dei ipsiusmet jussu, (d) vel auctoritate Ecclesiæ, aut legitimi Magistratus institutos religiose celebrandos esse, exemplo nos suo optimus Magister noster, Encœnia visitans, (e) docuit. In nova etiam lege dies Christo Salvatori, ejusque Matri, & Angelis, nec non aliis Sanctis dicati, solenni ritu observandi sunt. Obeant itaque omnes & servent Festos dies, quos vel universus Christianus orbis, vel Diœcesis nostra, ex antiqua consuetudine, vel pia Prædecessorum nostrorum Constitutione, ad celebrandas Dei & Sanctorum laudes, sacros habet, de quibus ut constet omnibus, eorum numerum per menses distributum hic subjungere placuit.

FESTA MOBILIA.

Dominica Paschæ cum duabus sequentibus.

Ascen-

(b) 1. Corint. 3. v. 14. 15. (c) 2. Machab. 12. v. 43. (d) Gal. 4. v. 16.
(e) Joan. 10. v. 22.

Ascensio Christi.
Dominica Pentecostes cum duabus sequentibus.
Corporis Christi.

FESTA IMMOBILIA.

In Januario.

Die 1. Circumcisio Domini.
6. Epiphania Domini.
25. Conversio S. Pauli.

In Februario.

Die 2. Purificatio Beatissimæ Virginis.
24. vel anno Bissextili 25. S. Matthiæ.

In Martio.

Die 25. Annunciatio Beatis. Virginis.

In Majo.

Die 1. Philippi & Jacobi Apostolor.

In Junio.

Die 24. S. Joannis Baptistæ.
29. Ss. Petri & Pauli Principp. Apostolorum.

In Julio.

Die 2. Visitatio B. Virginis MARIÆ.
22. S. Mariæ Magdalenæ.
25. S. Jacobi Apostoli.

In Augusto.

Die 10. S. Laurentii Mart.
15. Assumptio Beatis. Virginis.
24. S. Bartholomæi Apost.

In Septembri.

Die 8. Nativitas Beatis. Virginis.
21. S. Matthæi Apost.
29. S. Michaëlis Archang.

In Octobri.

Prima Dominica post Festum S. Michaëlis celebratur Festum S. Angeli Custodis.
Die 28. Ss. Simonis & Judæ Apostol.

In Novembri.

Die 1. Omnium Sanctorum.
2. Animarum ante meridiem.
11. S. Martini Episcopi & Conf.
21. Præsentatio Beatis. Virginis.
25. S. Catharinæ V. & M.
30. S. Andreæ Apostoli.

In Decembri.

Die 8. Conceptio Beatis. Virginis.
21. S. Thomæ Apostoli.
25. Nativitatis Christi.
26. S. Stephani Protomart.
27. S. Joannis Apostoli.

II. Festis hisce diebus omnes officinas suas ac tabernas claudant, nemo negotietur, aut nundinetur, nemo quicquam emat aut vendat, nisi quod ad diei illius victum aut ægrorum curationem est necessarium. Abstineant etiam omnes ab operibus servilibus, & vel maxime a compotationibus, crapula, blasphemiis, choreis, spectaculis, omnique levitate & indecentia, cogitent potius, quomodo mentem negotiis sæcularibus tota hebdomade distractam colligere, Deum offensum propitiare, & salutem animæ (qui solennitatum hujusmodi finis est) per pœnitentiam salutarem, & Synaxin sacram procurare possint; Quapropter integrum Missæ Officium, concionemque attente ac religiose audiant, præcipua vero pietate obeant Festa Christi Salvatoris, Deiparæ Virginis, Ss. Apost., Sanctorum Angelorum, Patronorum Patriæ, &c.

III. Si qua evidens exercendi alicujus operis ac laboris necessitas incideret, messis potissimum tempore, facultas ad id a Nobis, vel Vicario nostro, aut si grave in mora esset periculum, a Parocho peti debet.

IV. Impense commendamus omnibus subditis nostris institutos ab Ecclesia, & religiose a Majoribus nostris observatos, jejuniorum & abstinentiæ dies, noverint frenum tunc maxime gulæ & ingluviei injiciendum esse, non solum idcirco, ne fratres suos, pro quibus mortuus est Christus, escæ vetitæ esu scandalizent, sed ut carni libidinis fomenta subtrahant. (*f*) Quadragesima igitur tota, quatuor anni temporibus, aliisque per annum præscriptis vigiliis, unica solum refectione contenti vivant, omnes, quos aut ætas, aut morbus, aut alia legitima causa non excusat. Sexta vero qualibet feria, & Sabbato, quemadmodum etiam ... tribus

(*f*) 1. Corint. 8. v. 11. & 13.

tribus Rogationum diebus, & Sancti Marci Festo a carnibus omnes abstinento: quoque contentius elaborant illi, quorum Deus venter est, ut pronum cæteroqui ad creophagiam vulgus, quocunque prætextu quæsito, a Matris Ecclesiæ obedientia (g) abducant, eo studiosius jejuniorum observationem Parochi commendent, & ne quis ignorationem causetur, pro concione dies esuriales sequenti hebdomade servandos palam denuncient.

CAPUT XI.

De Libris prohibitis.

§. I.

QUoniam vero nullum pestilentius venenum animabus, quam ex Hæreticorum libris propinatur, districte omnibus subditis nostris, tam Ecclesiasticis, quam Laicis prohibemus, ne Hæreticorum libros, qui in indicibus, post Concilium Trid. editis (h) designati, aut postea editi, aut alias pro talibus noti sunt, legant, vel apud se retineant, nisi a Sede Apostolica dispensationem desuper in scriptis obtentam, Nobis, aut Vicario nostro exhibuerint, sicuti supra *Cap.* 4. decretum est.

II. Pariter cum vetitis hisce Hæreticorum libris, damnamus omnes falsos, pernitiosos, improbatæ lectionis libros, scripturas, rhytmos, cantiones, chartas, picturas, sculpturas, & imagines quascunque, quæ obscœna, inhonesta, famosa, superstitiosa, aut his similia continent, quæ nec vendi, nec emi, nec uspiam in aut per Diœcesin nostram importari aut retineri possint. Quam curam diligenter Parochis singulis in suis Parochiis commendamus, qui refractarios & incorrigibiles, ad Nos, ac nostrum Vicarium referre non negligant.

III. Præterea prohibemus Typographis, ne ullum librum cujuscunque generis, sive Ecclesiasticum, sive profanum, absque nostra, aut Vicarii nostri Generalis, aut ad hoc specialiter a Nobis deputati Censoris singulari licentia imprimant, Bibliopolis similiter & Bibliopegis, ne improbatæ lectionis libros in Diœcesin nostram importent, compingant, vendant, aut apud se retineant: in quem finem committimus deputando librorum Censori, & illis, quos ipsi adjungemus, ut officinas Bibliopolarum, quoties illis necessarium videbitur, visitent, librosque inspiciant, & examinent.

CAPUT XII.

De Sacramentis in genere.

§. I.

SEptem esse novæ legis Sacramenta a Christo Domino instituta, & ab Apostolis, virisque Apostolicis veluti per manus ad nos transmissa, per quæ eis vera justitia (i) vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur, nullus Catholicorum ambigit. Quorum quanto major est dignitas atque præstantia, tanto sanctius ac religiosius sunt administranda ac suscipienda.

II. Quamvis vero ipsa per indignam administrationem non contaminentur, (k) neque a probitate conferentis eorum virtus atque efficacia dependeat, sed a solo Deo salutis, gratiæ & sanctitatis auctore; multum tamen honoris atque reverentiæ apud Christi fideles illis decedit, si in Ministris eorum nota aliqua, & macula vitæ sordidioris appareat. Monemus itaque in Domino, & serio requirimus Pastores omnes, & cæteros Ministros Sacramentorum, ut ea reverenter, pura mente, ac casta manu tractent, ac petentibus dispensent, ne dum aliis ad salutem ministerium exhibent, sibi damnationem acquirant; & vocati ad Sacramenta ministranda faciles paratosque se exhibeant, ne eorum tarditate aut negligentia quempiam sine Baptismo, Pœnitentia, sacro Viatico, aut Extrema Unctio-

(g) Phil. 3. v. 19. (h) Index Libr. prohibitor. a PIO Papa IV.
(i) Conc. Trid. Sess. 7. in princ. c. Ad abolendam. de Hæret.
(k) D. Aug. contra Crescon. Grammat. lib. 3. c. 6. Et refertur. De Consecr. dist. 4. c. Si inter. & per tot. dist. c. Si justus. & multis seq. qui sunt S. Aug. contra Donatist. 1. q. 1.

Unctione emori contingat: quam negligentiam pro culpæ qualitate Nos suspensionis ab officio, aut alia pœna arbitraria persequemur.

III. Volumus etiam, ut Divinorum horum Mysteriorum natura, usus, & salutares effectus (*l*) tam in concionibus & Catechismi explicatione, quam ipsorum administratione, quoties id necessarium & opportunum videbitur, ad captum tam suscipientium, quam adstantium, exponantur. Quod ut commodius fieri possit, Catechismum Romanum ex Concilii Tridentini Decreto editum, Parochis & aliis Ministris maxime familiarem esse convenit.

IV. Sacramenta omnia lingua latina, sobrie ante prandium in Parochiali Ecclesia (nisi necessitas aliud exegerit, aut ex causa Nobis, aut Vicario nostro probanda dispensatum fuerit) administrentur. In quo etiam repetimus & confirmamus, quod a Prædecessore nostro de Sacramentis in ædibus privatis sine gravi & urgenti necessitate, & expressa licentia non administrandis, est ordinatum. (*m*)

V. Quæ vero ad habitum decentem Ministrantium, item salarium & honorarium spectant, repetimus ea, quæ in Synodo præcedenti Osnabrug. a nostro Prædecessore rec. mem. salubriter sunt statuta. (*n*)

VI. Similiter ex eadem Synodo huc revocamus, quæ de ornatu & munditie Templorum & sacratiorum locorum ibid. a nostro Prædecessore recte sunt præscripta: (*o*) quibus adjicimus, ut Sanctissimum Domini nostri JESU Christi Corpus, aqua Baptismi, sanctum Chrisma & Oleum sacrum sub diligenti clausura honeste ac reverenter suis locis & in vasculis mundis asserventur & habeantur: Claves vero non penes Æedituos, sed Curatos, vel eorum socios custodiantur, (*p*) ne forte injuria vel prophanatio aliqua sacris Mysteriis irrogari possit.

VII. Ut vero ab usu universalis Ecclesiæ Romanæ in Sacramentorum administratione ac cæremoniis quam minimum recedatur, & uniformitas per omnia conservetur, librum Pastoralem Romanum typis datum cum utilissimis instructionibus ex Romano Catechismo Pastoribus nostris communicabimus, volumusque, ut Pastores, & quicunque animarum Curatores illo utantur, & ut preces omnes Sacramentales, maxime vero ipsæ Sacramentorum formæ pronuncientur distincte, attente, ac reverenter, magnaque diligentia curetur, ut materia legitima adhibeatur, nec quicquam ex consuetis benedictionibus, unctionibus, precibus, cæterisque cæremoniis prætermittatur.

VIII. Singulis annis sacrum Chrisma & Oleum sacrum (*q*) petant Pastores, aut ab ipsis ablegati Æditui, aut alias viri honesti, in vasculis mundis, argenteis, vel stanneis (non cupreis) ab Ecclesia nostra Cathedrali, & quicquid ex veteribus Oleis superest; comburatur, & cineres conjiciantur in piscinam sacram.

CAPUT XIII.

De Baptismo.

§. I.

CUm Baptismus janua sit salutis, (*r*) ac primum, maximeque necessarium Sacramentum, ac sanctæ regenerationis lavacrum, quo ex filiis iræ & diffidentiæ in gratiam regeneramur, & in filios Dei adoptamur; Volumus, ut tam Pastores, aut eorum Socii, Cooperatores seu Vicarii, hoc Sacramentum administraturi, quam patrini ac matrinæ baptizandum ad Templum comitantes non leviter & perfunctorie id agant, sed cum religiosa pietate ac gravitate ad tanti muneris functionem accedant, Deoque gratias agant, qui filium iræ & hæredem gehennæ, benigne ad Sacramentum regenerationis admittit, ut fiat filius Dei & hæres vitæ æternæ.

II. Ad majorem autem venerationem, pietatemque excitandam curandum

(*l*) Conc. Trid. Sess. 24. c. 7. de Reform. (*m*) C. 22. (*n*) C. 20. & 23.
(*o*) C. 4. & 23. (*p*) C. 1. de Cust. Euch. (*q*) C. Literis. De Consecr. dist. 3.
(*r*) C. Conveniens. De Presb. non baptiz. c. Cum itaque. in fin. De Consecr. dist. 4.

dum eſt, ut Baptiſmus ſemper ante prandium fiat, & ſuſceptores cum amicis pro veteris Eccleſiæ ritu infantem Deo præſentent & offerant, a prandio vero illud non facile admittatur, niſi neceſſitas aut periculum infanti imminens, aut habitatio remotior, aut alia juſta cauſa illud requirat.

III. Quoniam vero parvulorum & recens natorum infirma & inconſtans eſt valetudo, adeo ut collatio Baptiſini ſine vitæ periculo differri non poſſit, valdeque ſit abſonum, ut propter reſpectum aliquem externum diutius filius iræ permaneat, qui in adoptionem filiorum Dei admitti poteſt: Hinc præcipimus, ne ſub aliqua ſpecie, vel cauſa undecunque quæſita Baptiſmus infantium, etiam quorumcunque Nobilium, aut inſignium perſonarum, ultra octavum diem differatur.

IV. Quod ſuperiore Cap. *De Sacramentis in privatis ædibus ſine neceſſitate aut diſpenſatione non adminiſtrandis*, ex Synodo præcedenti repetiimus, hoc etiam de infantibus publice in Eccleſia (s) baptizandis intelligi volumus, articulo neceſſitatis excepto, ſi ob morbum mortisque periculum infans ad Eccleſiam deferri non poſſit, quo caſu Parochus propere acciri debet, aut ſi ejus copia non ſit, alius Clericus, aut illo quoque deficiente, quilibet alius Chriſtianus (t) homo, habita, quantum fieri poteſt, ſexus & ſtatus diſtinctione ac prælatione, Baptiſmum adminiſtrare poteſt, modo debita materia, quæ eſt aqua naturalis ſimplex, vel ſanctificata, & forma, quæ eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, adhibeantur: quod ſi ex periculo infans baptizatus ſupervixerit, ad Eccleſiam nihilominus deferatur, & Baptiſmo excepto, reliquæ cæremoniæ propter neceſſitatem omiſſæ, ſuppleantur.

V. Accurate vero Parochi examinent obſtetrices, vel alios, qui in articulo neceſſitatis baptizaſſe dicuntur: An, quomodo, quibus verbis, qua forma, qua materia & aqua, & cum qua intentione baptizarint: Quod ſi debitam materiam, formam & Eccleſiæ intentionem adfuiſſe cognoverint, Baptiſmum (niſi forte ex circumſtantiis legitima dubitandi ratio ſubſit) non repetant, ſed cæremonias conſuetas tantum adhibeant; ſi nihil horum adfuerit, aut unum ex illis defuerit, de novo baptizent; ſi probabiliter dubitent, num eſſentiale quippiam omiſſum ſit, Baptiſmum cum conditione conferant, videlicet: *Si tu es baptizatus, ego te non rebaptizo; ſi vero nondum es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

VI. Idem faciendum eſt in expoſititiis infantibus, ubi nullum certum & infallibile Baptiſmi ſui præ ſe ferunt teſtimonium.

VII. In perículoſo vero, imperfecto, & difficili partu ſecundum regulas prudentiæ obſervandum eſt, quod Eccleſiæ uſus habet, & Doctores tradunt.

VIII. Nullus, niſi prævia licentia Paſtoris prolem ſuam extra Parochiam ſuam baptizari curet, &, ubi baptizata fuerit, de collato Baptiſmo Paſtori teſtimonium ferat, quod etiam in libro Baptiſmali notetur: Paſtores tamen raro & non niſi ex gravi cauſa licentiam talem concedant.

IX. Baptizatis nulla alia nomina imponi debent, quam Sanctorum, quorum denominatio ac memoria adultis, ad virtutis imitationisque ſtudium, deſiderium accendere poſſit.

X. Diligenter quoque obſervare monentur Parochi illud, quod in Concilio Tridentino (u) ad evitandam difficultatem & pericula impedimenti cognationis ſpiritualis, de numero patrinorum conſtitutum eſt, ne videlicet plures, quam unus vel una, vel ad ſummum unus & una, ad ſuſcipiendum ſub quovis etiam prætextu admittantur, niſi noſtram indignationem & condignam pœnam ſuſtinere velint. Si qui vero alii forte Nobiles pro majori ſolennitate & familiæ ſuæ ſplendore ad tangendum infantem patrinorum inſtar

(s) Clem. 1. De Baptiſ. & ejus effectu. (t) C. In neceſſitate. c. Mulier. c. Sanctam. De Conſecr. diſt. 4. (u) Seſſ. 24. de Refor. Matr. c. 2. c. Quamvis. De cognat. ſpir. in 6. c. Non plures. De Conſecr. diſt. 4.

inftar fefe ingerant, volumus, ut Parochi ex ipfis duos defignent, qui veri fufceptores fint, infantem foli contingant, & cognationem fpiritualem contrahant, atque in librum baptizandorum a Parochis infcribantur, reliqui non item, quos tamen loco teftium Baptifmi folennitatibus intereffe non vetamus.

XI. Patrini ac Matrinæ fint homines pii, ac Catholici, maturæ ætatis, in Fide atque probatis moribus bene inftituti, ut filios fuos fpirituales in iisdem inftruere poffint: id enim ipforum, quam pro infantibus Deo & Ecclefiæ faciunt, (x) fponfio requirit, cujus diligenter a Parochis funt monendi, ac magis eligantur ii, qui faluti animæ confulere, quam muneribus augere queant.

XII. Arceantur autem merito ab ifta fponfione, qui nondum ad annos difcretionis pervenerunt, nec Fidei rudimenta tenent, utpote Symbolum Apoftolicum & Orationem Dominicam. Item, qui jufto impedimento ceffante, eo anno peccata Sacerdoti fuo confeffi non funt, neque in fefto Pafchæ Sacram Euchariftiam fufceperunt, quique hærefi infecti aut excommunicati funt. Neque enim convenit illos tanquam commiiniftros & teftes affiftere Sacramentis, qui vel de illis male fentiunt, vel quos Ecclefia a Divinis arcet, vel qui fe ipfos a communione & unitate Catholica fegregarunt.

XIII. Regulares quæcunque perfonæ (y) utriusque fexus de Baptifmo aliquem fufcipere, aut pro aliis fpondere facris Canonibus prohibentur. Paftores denique diligenter notent a fe vel aliis in fua Parochia baptizatos, ut in libro Paftorali expreffius continetur.

XIV. Alienum autem exiftimamus, magnam hujus mundi pompam circa Baptifmum adhibere, ne ubi unusquisque in Baptifmo pollicetur Satanæ renunciare, ejusque pompas deferere, in ipfo vitæ Chriftianæ limine iis rebus dari opera videatur, quibus potiffimum folenni fponfione renunciatur.

XV. Antiquam & religiofam illam confuetudinem, qua puerperæ poft abfolutum puerperii tempus in proximo ftatim egreffu ad Ecclefiam procedunt, ut Deo pro puerperii beneficio gratias agant, ac precibus & benedictione Sacerdotali expientur, tanquam piam ac laudabilem, confervatam ac revocatam volumus. Nulla vero puerpera ante 25. a partu diem ad benedictionem admittatur, eaque non nifi a proprio Parocho, aut ejus Vicario perficiatur.

CAPUT XIV.

De Sacramento Confirmationis.

§. I.

SAcramento Baptifmi fuccedit aliud, quod contra hæreticorum infeftationes in Divina Scriptura (z) fundamentum ac teftimonium habet, fecundum Ecclefiæ & Ss. Patrum receptam, ab omni antiquitate fententiam, & a Patribus antiquis Confirmatio, Unctio, Chrifma, vel Chrifmatis Sacramentum appellatur, a quo & nos Chriftiani denominamur. Quid enim aliud eft Chriftus, vel Chriftianus, (a) quam Chrifmate unctus? Quod Sacramentum etfi non omnibus ad falutem abfolute fit neceffarium, tamen cum in eo plenitudo Spiritus Sancti conferatur, roburque detur adverfus Carnis, Mundi, & Diaboli infidias, utque gratia roborati Fidem Chriftianam (b) aperta fronte, conftantique animo coram toto mundo fine hæfitatione profiteri non erubefcamus. Non leviter peccant, qui hanc fibi folicitudinem non affumunt, ut vel ipfi, vel quorum curam gerunt, hoc falutari præfidio muniantur, fortesque in Fide conftituantur, multo vero gravius, qui illud per contemptum negligunt: Ut propterea nos omnes & fingulos fubditos noftros ferio commonitos

(x) C. Vos autem. De Confecr. d. 4.
(y) C. Placuit. 16. q. 1. c. Pervenit. 18. q. 2. c. Non licet. c. Monachi. De Confecr. d. 4.
(z) Act. c. 8. & 19. Ad Ephef. 4. v. 30.
(a) Aug. lib. 2. contra literas Petil.
(b) Can. Omnes fideles. De Confecr. dift. 5. & eft Urbani Mart. qui vixit an. 227. in Epiftola ad omnes Chriftianos. c. Noviffime. ead. dift.

tos esse velimus, ut hanc Spiritus Sancti gratiam oblatam magno in pretio habeant, ejusque se participes faciant.

II. Pastores vero & Concionatores in Domino requirimus, ut eo majori diligentia, sollicitudine ac zelo in fructibus hujus Sacramenti explicandis versentur: quo vident amplius illud ab antiquis & nostri temporis hæreticis derisui & ludibrio habitum, ac præcedenti tempestate in his regionibus neglectum fuisse. De hoc præclare S. MELCHIADES (c) Papa: " In fonte Deus plenitudinem tribuit " ad innocentiam, in Confirmatione " augmentum præstat ad gratiam; in " Baptismo regeneramur ad vitam, post " Baptismum confirmamur ad pugnam; " in Baptismo abluimur, post Baptismum regeneramur."

III. Ne vero tam salutari remedio subditi nostri destituantur, eam in Nos curam assumimus, ut per Suffraganeum nostrum constituendum designatis ab Ecclesia temporibus, aliisque, quibus ipse Diœcesin nostram obiturus est, hoc Sacramentum conferatur: nec desint tunc Parochi, cum adventum hunc futurum intellexerint, ut piis exhortationibus & documentis populum, præsertim in pagis rudiorem, præparent ac disponant, ostendantque Confirmationis Sacramentum rem esse sanctitatis plenam, inde ab initio Ecclesiæ magno semper in pretio habitam, magnoque consensu Ss. Patrum approbatam, ac propterea huc magna religione, compositisque moribus pie accedendum esse.

IV. Inter alia vero de his populum doceant, ut non alii inter adultos Episcopo sistantur confirmandi, quam qui prima rudimenta sciant Christianæ Religionis, scilicet Dominicam Orationem, & Salutationem Angelicam, ac Symbolum Apostolorum.

V. Qui adulti ad Confirmationem veniunt, ne gratiæ Spiritus Sancti obicem ponant, Sacramentali prius Confessione (d) conscientias suas purgent, gravibus autem sceleribus obnoxii, vel infames, aut sententia excommunicationis ligati, antequam pœnitentiam agant & rite absolvantur, ad hoc Sacramentum non sunt admittendi.

VI. Patrinos autem ad offerendos eos, qui confirmati sunt, Episcopo declaramus idoneos, qui primum ipsi sint Catholici, confirmati, maturæ ætatis, ab omni excommunicationis sententia liberi, nec gravioribus criminibus palam obnoxii, tum qui, eo anno ad Sacramentum Confessionis ac Communionis accesserint, prima Fidei noverint rudimenta: Regulares autem personas ad hunc actum accedere prohibemus.

VII. Patrinus autem non assumetur, nisi (e) unus, alius ab eo, qui confirmandum ad Baptismum tenuerat.

VIII. Quilibet confirmandus, vel ejus Patrinus fasciam lineam adferat, novam & mundam, trium digitorum latitudinis, ac longitudinis sufficientis, qua confirmati frons & caput ad reverentiam Chrismatis obligetur, triduoque gestetur; quo transacto, deinde si potest fieri per Pastorem, aut Sacerdotem, aut Patrinum, aut alium e fidelibus deponatur, & panniculus interpositus, quo unctio munita fuit, comburatur, mittanturque cineres in piscinam sacram, frons autem confirmati abluatur, aqua lotionis in piscinam sacram, vel cœmiterium, vel profluentem effundatur, nullo modo in locum aliquem immundum.

IX. Parentes ac Patrini confirmatis suis Filiis diligenter attendant, invigilentque, ut vitam agant tanta cœlestium donorum ubertate dignam, iisdemque sæpe in memoriam revocent, quando, a quo, & ubi fuerint confirmati, & ut hac gratiæ plenitudine ad Dei gloriam & salutem suam recte utantur. Pastores etiam confirmatos in particulari libro notent, ut in Pastorali.

CAPUT

(c) Melchiades Papa Epistola ad Episcopos Hisp. & refertur. c. 2. de Consecr. dist. 5.
(d) C. Ut jejuni. De Consecr. dist. 5. (e) C. In Catechismo. cum seq. de Consecr. d. 5. c. ult. de cognat. spir. Conc. Trid. Sess. 24. c. 2. de Reform.

CAPUT XV.

De Sacramento Euchariſtiæ.

§. I.

CUm Euchariſtia ſit præcipuum (*f*) ac maximum Dei donum & longe Sacratiſſimum Sacramentum, (*g*) quo nihil habet Eccleſia dignius, admirabilius & ſalubrius, ipſum omnis boni ac gratiæ fontem & authorem continens; dolendum ſane eſt, multorum Sanctæ Religioni Catholicæ adverſariorum impia ſtudia, conatusque in oppugnationem hujus Diviniſſimi Sacramenti converti, multorum item & maxime malorum Sacerdotum impuritate ac vita mala Divinum hoc Sacramentum horrendum in modum profanari, atque contemni; ut mirandum non ſit, ſi Deus merito hinc (*h*) offenſus, graviſſimas in populum calamitates immittat. Cui utrique malo occurrere cupientes, ſerio Paſtoribus, ac quibuscunque Concionatoribus, & Divini verbi præconibus commendamus; ut quæ de aſtruenda hujus Sacramenti veritate, tranſubſtantiatione, adoratione, veneratione, ſumptione, oblatione, &c. Sancta Synodus Trident. (*i*) poſt Ss. PP. & DD. teſtimonia definivit, populo diligenter proponant atque explicent, ſimulque doceant, in Sacerdotibus quidem ſeu Sacrificantibus ambas Sacramenti ſpecies ſumendas, ſine quibus rite conſecratio & oblatio fieri non poſſet. In aliis vero fidelibus non ſacrificantibus, illud certum eſſe, (*k*) nullo eos Divino præcepto, ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub utraque ſpecie ſumendum aſtringi, nec Chriſtum in duas partes diſſectum, ſecundum duo Sacramenti hujus ſigna, ſed tam ſub una, quam ſub utraque ſpecie, imo ſub unius etiam Hoſtiæ conſecratæ particula Chriſtum totum exhiberi, atque ſumi, ſecundum Carnem, Animam, Sanguinem, Divinitatem, ſine ulla gratiæ, fructus, effectusque Sacramentalis diminutione.

II. Qui ritus communicandi tanto accuratius in Eccleſia noſtra eſt ab omnibus retinendus, quo certius conſtat, hoc evidenti Symbolo Catholicos ab Hæreticis hodie plurimum diſcerni; & eos, qui uſum Calicis, veluti rem ex inſtitutione Chriſti neceſſariam, ad ſalutem tantopere urgent, Eccleſiæ Catholicæ tum deſertores, tum contemptores eſſe; quos juvat magis de externis Sacramenti ſignis contendere, quam internam Euchariſtiæ virtutem & fructum quærere. Paſtoribus vero ſerio & ſub gravi pœna injungimus, ne in hoc quicquam moribus Eccleſiæ Catholicæ contrarium committant.

III. Ne vero ſimpliciores errore decipiantur, ut ablutionem ex calice ſumentes exiſtiment ſe Domini Sanguinem ſumere, repetimus, quod hac in parte a Prædeceſſore noſtro *Cap.* 3. Synodi ſtatutum eſt, & volumus ad rudis vulgi errorem abolendum, a Parochis vas quoddam honeſtum, diſtinctæ formæ, tam a calice, quam a domeſtico cyatho, atque illud, ubi commode haberi poteſt, argenteum, in Templo aſſervari, unde communicantibus & petentibus ablutio ſeu purificatio ab honeſto Laico porrigatur; eaque de re populus ne erret aut offendatur, diligenter inſtruatur.

IV. Volumus etiam, (*l*) ut in qualibet Eccleſia ſit domuncula, ſeu receptaculum, vel tabernaculum, ut vocant, Venerabilis Sacramenti, in loco elevato, conſpicuo, honorifico, mundo, ſicco, cancellis ac repagulis bene munito, in ipſo ſummo Altari ſecundum morem Romanum Tabernaculo aliquo excitato, quod optamus; vel quod toleramus ſecundum vetuſtam Germaniæ conſuetudinem in latere ſiniſtro Chori, ubi antiquiſſimo Eccleſiæ uſu pro adoratione & infirmorum Viatico Venerabile Sacramentum conſervetur. Ut vero ab ingredientibus Eccleſiam animadvertatur, ubi Sacroſancta Euchariſtia ſit adoranda, monitorio

(*f*) Chryſ. hom. 60. ad pop. & 83. in Matt. 45. in Joan. & 61. ad pop. Antioch.
(*g*) C. Multi. 1. q. 1. (*h*) 1. Reg. 4. 5. 6. 2. Reg. 6. 2. Cor. 11.
(*i*) Seſſ. 13. in Decret. de Ss. Euchar. Sacram. can. 1. 2. 3. 4. & 5.
(*k*) Conc. Trid. Seſſ. 3. De Sacr. Euchar. can. 3. item Seſſ. 21. de Commun. ſub utraque. can. 1. 2. 3. (*l*) C. Sane. de celebr. Miſſar. c. 1. De cuſtod. Euchar.

torio & conſpicuo aliquo opere, ſeu pia aliqua ſculptura id deſignetur, quæ ſpectantes ad pietatem & cultum hujus Sacramenti, dulcem beneficiorum memoriam, & præſentiæ Chriſti Domini noſtri venerandam admonitionem excitet.

V. In Tabernaculo ſit Monſtrantia (ut vocant) argentea, deaurata pro modo facultatum fabricæ, quæ ad Chriſti Venerabile Corpus ſuis temporibus exhibendum vel circumferendum ſerviat, ſimiliter ſit vaſculum decens ac mundum, ex argento, quo Hoſtiæ conſecratæ pro morientium Viatico & aliis neceſſitatibus conſerventur, eo numero, quo præſenti ægrotorum neceſſitati ſufficere videbuntur. Renoventur vero ſingulis menſibus bis aut ſemel, vel etiam ſæpius, ſi loca ſint humidiora, veteribus in Miſſa ſub Communione ante ablutionem ſumptis, & aliis in uſum infirmorum de novo conſecratis.

VI. Coram Tabernaculo, in quo Venerabile Sacramentum aſſervatur, jugiter lampas ardeat, ſumptibus fabricæ, vel alterius, qui ad hoc obligatur, quod ut non negligatur, Parochos & Sacriſtanos, ſeu Æditiuos ad hujusmodi incuriam & luminarium defectus, ubicunque fuerint, corrigendos, aut Nobis, vel noſtro Vicario quamprimum denunciandos ſub pœna Nobis arbitraria obligamus.

VII. Cum Sanctiſſima Euchariſtia ad ægrotos defertur, (*m*) id ſumma cum religione fiat, Sacerdos ſuperpelliceo & ſtola indutus ſit, præterea decoro impoſitum velamini ſacrum Domini Corpus ante pectus honeſte ferat, referatque, lumine ſemper prælucente & ſonante tintinnabulo, ut ſpectantium mentes ad honorandam Chriſti præſentiam efficacius excitentur.

VIII. Quoties autem Sacerdos ad miniſtrandum ægrotis Sacramentum accerſitur, ſemper duo ut minimum ex ipſius ægroti vicinis Presbyterum cum Cuſtode a Templo ad ægrotum uſque, detectis capitibus & cum maturitate deducant, & inde ad Eccleſiam reducant.

IX. Monentur vero omnes conſtituti in via, qua Sacerdos cum Venerabili Sacramento tranſit, ut ſummum illi honorem exhibeant, & ſive equo, ſive curru vehantur, religioſe deſcendant, & tam diu flexis genibus permaneant, quoad Sacerdos cum Venerabili Sacramento tranſierit, quod multam huic Sanctiſſimo Sacramento conciliat reverentiam, idque nullius dignitatem dedecere, ſed pro Fidei ſuæ devotione ac profeſſione vere glorioſum ac Chriſtianum eſſe arbitrari, omnes debent.

X. Curetur vero diligenter, ut in adminiſtratione hujus Sacramenti, ſicuti & Extremæ Unctionis, ægrotantis cubiculum expurgatum, decenterque ſit compoſitum, ac menſa aliqua linteo mundo inſtrata ſit, ac etiam Cruce, luminaribus, ac vaſculo aquæ benedictæ inſtructa præparetur, in qua pyxis cum Venerabili Sacramento conſtitui poſſit.

XI. Nolumus vero, ut in Civitatibus, oppidis & pagis pauciores, quam duæ ſacræ Euchariſtiæ particulæ ad infirmum deferantur, ne cum Sacerdos ad Eccleſiam redit, falſo exiſtimet populus, præſentem & adorandam Euchariſtiam adeſſe: quod ſi procul a Civitatibus, oppidis & pagis ad ægrotos Sanctiſſima Euchariſtia ſit deferenda, quia interdum periculum ſubeſſe poteſt, Sacerdos vel pedes, vel eques, vel in curru honeſte compoſitus, ac ſuperpelliceo & ſtola indutus in pyxide minore argentea honeſto loculo incluſa ex collo dependente, vel ante pectus geſtata, unam vel plures Hoſtias pro ægrotorum providendorum numero conſervabit, lumine præcedente uſque ad domum ægroti; diſpenſata vero Communione, Sacerdos depoſita ſtola & ſuperpelliceo ſine lumine in ſilentio & cum modeſtia ad Eccleſiam revertetur.

XII. Hortamur etiam atque etiam Parochos, & quamvis refrigeſcente charitate ac devotione populi Chriſtiani, Eccleſia omnes Chriſti fideles obliget ad ſacram Euchariſtiam ſemel minimum in anno circa Feſta Paſchalia (*n*) ſumendam, quia tamen ſicuti corpus mate-

(*m*) d. c. Sane, de Celebr. Miſſ.

(*n*) C. Omnis utriusque. De pœnit. & remiſſ.

materiali, ita anima ſpirituali cibo ſæpius reficienda eſt, ideo diligenter adhortentur ſubditos Parochi, ut ſæpius vel ſaltem celebrioribus Feſtis Exomologeſi præmiſſa, Sacroſanctum Chriſti Corpus reverenter ſumant, eosque ad hanc piam & ſalutarem frequentiam, verbo, exemplo publice ac privatim invitent.

XIII. Refert autem plurimum, quanta Fide, charitate, ac devotione præditi ſint, qui ad Euchariſtiam percipiendam accedunt. Hinc Parochi ſtudioſe populum doceant, de ratione pie ſancteque cum magna præparatione atque reverentia communicandi, diligenterque Canonem illum explicent Apoſtolicum, & illis, quaſi ob oculos ponant. (o) *Probet autem ſeipſum homo, &c.* Declarentque ex conſuetudine Eccleſiaſtica illam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi peccati mortalis conſcius, quantumvis ſibi contritus videatur, absque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere præſumat, quam conſuetudinem ſimul & Eccleſiæ præceptum ab omnibus communicaturis præcipimus inviolabiliter obſervari.

XIV. Sacro Paſchatis feſto ſinguli Parochiani in ſua Eccleſia Parochiali (p) communicent, nec quispiam illud differat, vel alibi faciat, ſine cauſa a Nobis, vel Vicario noſtro, vel Parocho approbata: Qui vero tempore Paſchali abſentes fuerint, aut ex neceſſitate, aut alia juſta cauſa alibi communicarint, intra octo dies a reditu impleti præcepti Eccleſiaſtici teſtimonium fide dignum Parocho exhibeant.

XV. Si quis vero iſtud Eccleſiæ mandatum contempſerit, & monitus non reſipuerit, & vivus communione fidelium privetur, nec ad Sacramentum etiam Matrimonii admittatur, & mortuus ſepultura Chriſtiana careat, ſecundum Canonem Concil. Lateranen. quem pro evidentiore intellectu hic inſeri curavimus.

XVI. "Omnis utriusque ſexus fi" delis, poſtquam ad annos diſcretio" nis pervenerit, omnia ſua ſolus pec" cata ſaltem ſemel in anno fideliter " confiteatur proprio Sacerdoti, & in" junctam ſibi pœnitentiam propriis " viribus ſtudeat adimplere. Suſci" piens reverenter ad minus in Paſcha " Euchariſtiæ Sacramentum, niſi forte " de proprii Sacerdotis conſilio, ob " aliquam rationabilem cauſam, ad " tempus ab hujusmodi perceptione " duxerit abſtinendum, alioqui & vi" vens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, " & moriens Chriſtiana careat ſepul" tura."

XVII. Parochi quoque teneantur annue non communicantium nomina Nobis, aut Vicario noſtro in ſcriptis deferre: quod, ut certius fieri poſſit, Paſtores & alii Confeſſarii ſuis pœnitentibus, uti etiam communicantibus, certas ſchedas, quas non imprimi curabimus, diſtribuant, illasque poſt Dominicam *in Albis* recipiant, ut de iis rationem reddere poſſint. Caveant vero diligenter, ne aliis, quam tempore Paſchali confitentibus & communicantibus illas tradant, aut alia fraus ſurrepat.

Pueros, ubi ad annos diſcretionis pervenerint, ne patiantur Parentes & Parochi a Sancta Communione diutius abſtinere, ſed eos pie ad Euchariſtiæ ſumptionem inducant, & Eccleſiæ offerant, prius tamen in Chriſtianæ Fidei rudimentis, & iis, quæ ad dignum tanti Sacramenti uſum ac fructum cognoſcendum pertinent, diligenter inſtructos.

Damnatis ad mortem de peccatis rite confeſſis & contritis negari non debet Euchariſtia; (q) ſed tamen danda ante diem ſupplicii, ſi commode fieri poſſit.

Quando Sacra Communio in Templo datur, præſertim in Paſchate & in Feſtis ſolemnioribus cum multi ſimul communicant, ut omnia ordine bono & cum debita reverentia fiant, condecens eſt, ut mares ſeorſim, & fœminæ etiam ſeorſim procedant.

Publici concubinarii, fornicatores, fœneratores, blaſphemi, uſurarii, Simoniaci, meretrices, excommunicati, alii.

(o) 1. Cor. 11. (p) d. c. Omnis utriusque. Conc. Trid. Seſſ. 13. de Sacram. Euchar. can. 9. & Seſſ. 14. de Sacram. Pœnit. c. 5.
(q) Can. Fures. 13. q. 1. Clem. Cum ſecundum. De pœnit. & remiſſ. c. Quod in te. eod. tit.

aliique notorie criminosi, (r) præsertim si post serias admonitiones vitam, moresque comperiantur, non emendasse. Item furiosi, amentes, & usu rationis destituti, nisi lucida habeant intervalla, ad Communionem non admittantur.

CAPUT XVI.

De Sacrificio Missæ & celebratione Missarum.

§. I.

Constans est Ecclesiæ vera doctrina, quam semper tradidit, & a suis Ministris doceri vult, Eucharistiam simul & Sacrificium (s) esse & Sacramentum. Sacrificium veræ laudis, gratiarum actionis, ac propitiationis pro fidelibus vivis & defunctis: Sacramentum autem spiritualis alimoniæ, quo vitam nostram spiritualem tueri & conservare possimus. Nec potuisse Salvatorem nostrum, quando seipsum in ara Crucis obtulit, illustrius erga nos suam charitatem testatam facere, quam cum nobis visibile Sacrificium reliquit, quo cruenti illius Sacrificii in ara Crucis semel immolati virtus & efficacia in nos derivaretur, cujusque memoria usque in finem sæculi quotidie summa cum utilitate ab Ecclesia, per totum terrarum orbem diffusa, recoleretur.

II. Cumque fateri cogamur, nullum opus adeo Sanctum ac Divinum a fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum Mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes incruento modo quotidie offertur; satis etiam apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, ut, quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditia & puritate, atque exteriori devotionis & pietatis apparatu ac specie illud ipsum peragatur.

III. Itaque Sacerdotes Deo placationis hanc Hostiam oblaturi, primum seipsos probent, ac conscientias suas scrutentur, easque, quotiescunque opus fuerit, Sacramentali Confessione expurgent, priusquam ad Altare sacrificaturi accedant, nunquam vero cum conscientia vel reatu peccati mortalis Mysteria ista Sacrosancta contrectent. (t) Quod si Confessarii facultas nulla sit, & urgeat alioquin celebrandi necessitas, cum contritione & proposito statim confitendi habita Confessarii copia, celebret, & peracta Missa, propositum illud quamprimum poterit, exequatur.

IV. Sacerdotes vino & temulentiæ dediti, impuritati vitæ, & aliis criminibus obnoxii, a Missarum celebratione arceantur, nisi sinceræ emendationis specimen exhibuerint.

V. Ut autem in conquirendis Confessariis minor sit difficultas, libere permittimus Sacerdotibus, qui Regulares non sunt, ut quem velint Confessarium a Nobis admissum, & juxta formam Concilii Tridentini approbatum, sibi eligere possint, per quem a peccatis omnibus, quæ Sedi Apostolicæ, aut Nobis reservata non sunt, absolvantur. Conabimur autem Diœcesin nostram in suas regiunculas distinguere, & singulis certas Parochias assignare, in illisque Decanum aliquem ruralem denominare, qui eminentiorem super alios curam, & certis in casibus potestatem habeat ampliorem.

VI. Præcipit sacra Synodus Tridentina, (u) ut, quæcunque in Missæ celebrationem irrepserunt, a tanti Sacrificii dignitate aliena, illa locorum ordinarii Episcopi prohibere, atque e medio tollere sedulo curent ac teneantur. Quamobrem Nos hujusmodi Decreto inhærentes, omnia & singula, quæ vel avaritia, vel irreverentia, vel superstitio, vel malus usus induxit, sublata esse volumus, sicuti sunt pactiones, mercedes, candelarum certus numerus, inusitatæ preces, & quæ sunt similia avaritiæ & superstitiosæ vanitatis sufflamina.

VII.

(r) C. Tua nos, &c. Quæsitum. De cohabit. Cler. & mulier. c. Pro dilectione. de Consec. d. 2. can. Multi. 2. q. 1. c. Si Sacerdos. De offic. Jud. ord.
(s) Conc. Trid. Sess. 22. c. 1. & 2. De Sacrific. Missæ.
(t) Conc. Trid. Sess. 13. De Sacram. Euchar. c. 7. & can. 11.
(u) Sess. 22. c. 2. in Decret. De observ. & evit. in Miss. celebr.

VII. Miſſæ nec nimis tarde, nec nimis feſtinanter, neque memoriter, ſed ex Miſſali legantur: omnes peregrinos & indecoros geſtus oris, capitis, manuum, brachiorum, ac totius corporis jactationes ab Auguſtiſſimo hoc Myſterio eliminatos eſſe volumus.

VIII. Sacerdotes, quæ debent ex inſtituto Eccleſiæ, palam clariori voce pronuncient, reliqua ſecrete recitent.

IX. Circa elevationem ſacræ Hoſtiæ Antiphonæ, vel aliæ cantiones intempeſtivæ ne intercinantur, nec organum pulſetur, ſed altum ſilentium cum recollectione animi, quod præſentibus tunc Myſteriis debetur, obſervetur; Poſt elevationem calicis, ſi muſice cantandum eſt, id devote & graviter fiat: ubi vero hactenus moris fuit, ut ad elevationem majori vel alia campana ſignum detur, etiam in poſterum obſervetur, ubi non fuit, introducatur; & populus admoneatur, ut tam domi, quam foris ad dictum ſignum reverenter, vel ſtet capite detecto, vel in genua procumbens oret, gratias agens Redemptori noſtro, quod propter nos & noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto, natus ex MARIA Virgine, & Homo factus eſt.

X. Nec ante auroram, nec poſt meridiem, niſi ex cauſa jure permiſſa, nec ſub concione Miſſæ celebrentur.

XI. In oppidis, pagis, & Collegiatis Eccleſiis tam hyberno, quam æſtivo tempore Horæ celebrandæ certo modo diſponantur, ut omnium devotioni & obligationi ſatisfiat. Ubi vero eodem die plures Miſſæ dici conſueverunt, is ordo ſervetur, ut prima in ipſo diluculo pro plebis commoditate, aliæ ſucceſſive, & ex intervallo dicantur, non vero plures (quatenus fieri poteſt) eodem tempore, præſertim diebus Feſtivis, ut pro majori ſua quisque commoditate præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro ſatisfacere poſſit.

XII. Celebrantibus autem ſemper Miniſter adſit, (*x*) qui ipſis inſerviat & reſpondeat, ſemper, ſi fieri poteſt, ſuperpelliceo indutus, alias corpore & moribus compoſitis, qui ab Altari non, niſi peracto Sacro, cum Sacerdote ſecedat.

XIII. Repetimus quoque ex Concilio Tridentino (*y*) & Synodo Oſnabrugenſi, (*z*) quod de Miſſæ Officio (*a*) in privatis Oratoriis, ſeu ædibus, aut ara portatili non dicendo eſt ordinatum, ſine ſpeciali noſtra, aut Vicarii noſtri licentia in ſcriptis obtenta.

XIV. Alienum eſt ab inſtituto noſtro & conſuetudine Eccleſiæ Romanæ, ut diebus Dominicis ac Feſtivis Miſſa defunctorum ſolennis propter exequias mortuorum ſervetur, quapropter ſatius eſt, ut juſta funebria in alios hebdomadæ dies rejiciantur. Quod ſi vero ob ſingulares cauſas ipſis Dominicis aut Feſtis peragendæ viderentur, id ita fiat, ut vel in Miſſa Dominicæ vel Feſti adjungatur oratio propria pro defunctis, in paramentis tamen Sacerdotalibus tempori convenientibus, vel præter conſuetam Parochialem Miſſam, una aut plures pro defunctis dicantur, ſi plures Sacerdotes haberi poſſint.

XV. In Altaribus, & circa illa nihil omnino ſit ſordidum vel incompoſitum, in veſtibus ſacris nihil lacerum, vel immundum, curentque Sacerdotes, ut paramenta habeant tempori & officio convenientia; nihil quoque deſit in ſacris vaſis ad Officium Divinum ſpectantibus. Altaris mappæ, purificatoria, corporalia, & alia Officii Divini inſtrumenta ſæpius laventur, mundaque & integra tutis in locis conſerventur.

XVI. Primam Miſſam celebraturi Sacerdotes, non ante id facere permittantur, quam in ſacris Miſſæ ritibus & tota ratione celebrandi juxta uſum Romanum ſufficienter fuerint inſtructi. Severe autem prohibemus omnem conviviorum luxum, ludorum, chorearum, & ſimilium abuſuum vanitatem, nec admittimus, niſi ad frugale convivium

(*x*) C. Hoc quoque. De Conſecr. diſt. 1. (*y*) Seſſ. 22. Decreto: De obſerv. & evit. in celebr. Miſſ. (*z*) C. 22. (*a*) C. Sicuti, cum ſeqq. c. His ergo. c. Nullus Presbyter. c. Clericos. De Conſecr. diſt. 1.

vium ex viris aliquot honeftos, ex fœminis matrem duntaxat, fororem & in fecundo gradu conjunctas. Nefas enim & valde indignum eft, Sacerdotes Chrifti illo die, quo primum puras in Sacrificio ad Deum manus levant, rebus profanis & ludicris occupari, aut, quod pejus eft, crapulari: In eos vero, qui in hoc deliquiffe inventi fuerint, graviter animadvertemus.

Multum vero pietatem ac devotionem in populo promovebit, fi Parochi ac Concionatores hujus Sacrificii a Chrifto in ultima Cœna inftituti (b) veritatem, excellentiam & admirabiles fructus fingulari ftudio doceant, eumque commonefaciant, ut non folum Dominicis & Feftis, fed aliis etiam diebus per hebdomadam facro Miffæ Officio intereffe ftudeant, neque fub reatu peccati mortalis Miffam diebus (c) Dominicis & Feftivis omittant: patres matresque familias etiam commonefaciendi funt, ne liberos fuos, fervos & ancillas talibus diebus ita occupent, ut Miffam & Concionem audire non poffint.

CAPUT XVII.

De Sacramento Pœnitentiæ, & Cafibus refervatis.

§. I.

Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum effet, ut juftitiam in Baptifmo, ipfius beneficio & gratia fufceptam, conftanter tuerentur, (d) non fuiffet opus aliud ab ipfo Baptifmo Sacramentum ad peccatorum remiffionem effe inftitutum. Quoniam autem Deus, qui dives eft in mifericordia, cognovit figmentum noftrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui fe in peccati fervitutem & Dœmonis poteftatem tradidiffent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapfis poft Baptifmum beneficium mortis Chrifti applicatur, ut merito Ss. PP. (e) & Concilium Trid. (f) Pœnitentiam fecundam poft naufragium tabulam appellarint, qua fcilicet ex vortice mortalis peccati, tanquam e naufragio fubvehi, & in portum falutis transferri unusquisque poffit.

II. Doceant autem Parochi diligenter fuos Parochianos poft lapfum ac mortalis peccati reatum, hoc medicamentum atque perfugium Chriftianis omnibus adeo ad reconciliationem falutemque neceffarium effe, ut fine illo, vel ejus voto, nemo in nova lege lethaliter peccato adftrictus falvari poffit. Hanc autem frugiferam effe pœnitentiam, (g) ut, quibus modis Deum offendimus, (offendimus autem corde, ore, ac opere) iisdem reconciliemur Deo, corde quidem per contritionem, ore per confeffionem, ac opere per fatisfactionem, quas integrales partes frequenter populo inculcandas, & præfertim ob laxiores hujus temporis opiniones oftendendum monemus, fpecialem peccatorum confeffionem, cum numero ac circumftantiis fpeciem peccati aut mutantibus, aut notabiliter aggravantibus, neceffariam effe, ut Sacerdos caufæ cognitionem recte ex ftatu pœnitentis intellecto inftituere, & ubi peccata folvenda, ubi liganda, recte difcernere poffit.

III. Cum toto anno, tum præcipuis Chrifti, & B. Virginis feftivitatibus, & Quadragefimæ potiffimum tempore, fidelibus pœnitentiæ atque confeffionis ufus, fructusque ferventer a Parochis & Concionatoribus erit commendandus, ac populus ad eorum frequentationem piis cohortationibus excitandus, monendique communiter omnes, cum per annum fæpius & quidem in graviffima peccata labantur, quanto cum falutis periculo conjunctum fit, fi falutare pœnitentiæ remedium non eligant, fed potius in tanto falutis fuæ æternæ difcrimine verfari, ac Dei gratia deftitui, majoremque hac confeffionis dilatione, humani generis hofti occafionem infidiarum ac

(b) Conc. Trid. Seff. 22. de Sacrific. Miffæ. c. 8. (c) C. Miffas. Cum ad celebrandas. De Confecr. dift. 1. (d) Conc. Trid. Seff. 22. de Sacram. Pœnit. c. 1.
(e) S. Hieron. in 3. c. Ifaiæ. ad Demetr. De fervanda Virg. S. Ambr. ad Virg. lapf. c. 8.
(f) Seff. 6. c. 14. & Seff. 14. c. 2. can. Secunda. De pœnit. dift. 1.
(g) S. Chryfoft. ferm. De vera pœnit.

ac malitiæ ſuæ in ipſos exercendæ præbere velint.

IV. Sacerdotes ſingulis quindenis, cæteri Clerici ſingulis menſibus minimum confiteantur.

V. Puerperæ periculoſe ægrotantes, & alii, quibus probabile vitæ periculum imminet, non differant, ſalutaribus pœnitentiæ remediis ſe munire, idque tempeſtive, ne cum corpore etiam animæ periculum incurrant, & ad hoc ſtudioſe advigilent Paſtores, atque etiam, cum neceſſarium judicaverint, ultro ſeſe offerant.

VI. Ad confeſſiones autem audiendas requiritur in Sacerdote præter poteſtatem, quam in ordinatione ſua accepit, etiam collata per Epiſcopum jurisdictio, (*h*) & abſolvendi poteſtas, prævio examine ſeu approbatione Epiſcopi, ſine qua nulla eſt abſolutio.

VII. Nullus itaque Sacerdos ſive Sæcularis, ſive Regularis confeſſiones audire præſumat quorumcunque, ſive Sæcularium & Laicorum, ſive Sacerdotum & Clericorum, niſi prius examine præmiſſo idoneus repertus, & a Nobis, aut noſtro Vicario Generali approbatus fuerit, excepto mortis articulo, quando approbatus Confeſſarius haberi non poteſt, tunc enim quilibet Sacerdos ab omnibus & quibuscunque peccatis, etiam Sedi Apoſtolicæ, aut Nobis reſervatis, in foro conſcientiæ abſolvere poteſt.

VIII. Præter hanc jurisdictionem præſentem requiritur vitæ integritas, ætatis, aut ſaltem morum maturitas, ſcientia Canonum pœnitentialium, cenſurarum, caſuum reſervatorum, diligens lectio probatorum & piorum Scriptorum, qui de Sacramento Pœnitentiæ ſcripſerunt, prudentia & diſcretio, (*i*) ut ſciant diſtinguere inter lepram & lepram, & ſalutarem medicinam peccatis contrariam applicare, pro peccato luxuriæ jejunium & continentiam, pro avaritia largitatem, pro furto primo reſtitutionem, deinde opera miſericordiæ, & ſimilia.

IX. Extra neceſſitatem confeſſiones non audiantur, niſi in Eccleſia, & loco aperto, maxime ſi confitentes ſint mulieres, quas convenit breviter expedire. Confeſſionalia ubique erigantur in loco commodo Templi, ſumptibus fabricæ.

X. Caveant autem Parochi & Presbyteri audientes confeſſiones, ne alii confiteri volentes, nimium appropinquent, & confitentem aut turbent, aut facultatem illi adimant libere proferendi peccata ſua, aut Confeſſario exactius interrogandi.

XI. Meminerint etiam Confeſſarii Sigillum Confeſſionis ſibi ſtrictiſſime obſervandum, (*k*) nec verbo, ſigno, nutu, aut quovis alio modo vel minimum veniale peccatum confitentis prodendum eſſe: idque etiam poſt mortem ſub pœnis a jure præſcriptis. Obſervent etiam, ne cum pœnitentibus, quorum exomologeſin audierint, extra confeſſionem de iis peccatis agant, quæ illis in confeſſione manifeſtata ſunt, niſi forſan prægnantibus de cauſis, petita ante venia, & ad ſingularem confitentis utilitatem id fiat.

XII. Magnopere vero ad Chriſtiani populi diſciplinam & Eccleſiæ auctoritatem pertinere ſemper viſum fuit, ut atrociora quædam & graviora crimina non a quibusvis, ſed ſummis duntaxat Sacerdotibus abſolverentur. Unde merito Pontifex Maximus (*l*) pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita, cauſas aliquot graviorum criminum ſuo peculiari judicio reſervavit, quod idem Epiſcopis in ſua cuique Diœceſi ſupra alios Sacerdotes inferiores auctoritate licitum eſſe Concil. Trident. (*m*) ex definitione Canonum antiquorum recte ſtatuit.

XIII. Peccata vero & crimina, reſervationi Summi Pontificis ſubjecta, multa ſunt, quorum præcipua in Bulla *Cœnæ*

(*h*) Conc. Trid. Seſſ. 14. de Sacram. c. 7. & Seſſ. 23. c. 15. de Reform.
(*i*) C. Deus, qui Eccleſiam. De pœnit. & remiſſ. Conc. Trid. Seſſ. 14. de Sacr. Pœnit. c. 8.
(*k*) C. Sacerdos. De pœnit. d. 6. c. Omnis utriusq. De pœnit. & remiſſ.
(*l*) Conc. Trid. Seſſ. 14. de Sacram. Pœnit. c. 7.
(*m*) d. Seſſ. 14. c. 7. & c. 1. & c. Si Epiſcopus. De pœnit. & remiſſ. in 6.

Cœnæ Domini ſigillatim referuntur, de quibus expedit legere Navarrum in Manuali, & Toletum in inſtructione Sacerdotum, Franciſcum Suarez & alios de Cenſuris, Sylveſtrum & alios Summiſtas verb. *Cenſura, Caſus reſervati, Excommunicatio*, &c.

XIV. In quibus tamen caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſi occulti ſint, Nos, & Vicarius noſter ut abſolvere & diſpenſare poſſimus, Concilium Trid. (*n*) ſtatuit.

XV. Cum vero multi ſint caſus Epiſcopali abſolutioni ac diſpenſationi de jure reſervati, qui a multis Doctoribus in unum ſunt collecti, ac in Paſtorali Romano a Nobis in publicum dando deſignantur, ex iis tamen plerosque Nobis de jure & conſuetudine reſervatos hic ponendos exiſtimavimus.

Caſus reſervati Clericorum.

Fornicatio cum filia confeſſionis.

Concubinatus publicus, & vaga fornicatio.

Revelatio confeſſionis.

Furtiva ſuſceptio ſacrorum Ordinum ſine debita licentia, & Dimiſſorialibus ab alieno Epiſcopo, aut cum Cenſuris irretitus quispiam Ordinem ſuſcipit, aut ſine Ordinibus celebrat, aut miniſtrat.

Caſus reſervati Laicorum.

Matrimonium contractum cum alia conjuge adhuc vivente, ſcienter, aut antequam de morte prioris ſatis certificetur, aut clandeſtine initum non ſervata forma Concilii Tridentini; machinatio in mortem conjugis, morte ſecuta.

Caſus reſervati Clericis & Laicis communes.

Homicidium voluntarium facto, præcepto, conſilio, vel conſenſu deliberato commiſſum.

Sacrilegium in re vel in perſona.

Inceſtus cum conſanguineis & affinibus in gradu a Conc. Tridentino determinato.

Adulterium.

Raptus.

Procuratio abortus vel ſterilitatis.

Incendium Eccleſiarum, domorum, aut ſegetum malitioſe factum.

Pollutio Eccleſiæ, cæmiterii, ſanguinis vel ſeminis effuſione.

Violatio immunitatis & libertatis Eccleſiaſticæ.

Item veneficium, ſortilegium, divinatio, incantatio, cum pacto Dœmonis expreſſo vel implicito, & abuſus Sacramentorum & rerum ſacrarum ad ſuperſtitiones & artes magicas.

CAPUT XVIII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

§. I.

ECcleſia Catholica contra omnes omnium temporum hæreticos ab ipſis Apoſtolorum temporibus palam ſemper ex D. Jacobi Apoſtoli (*o*) ſententia affirmavit, & docendum tradidit, Extremam Unctionem Sacramentum eſſe vere ac proprie dictum, quo migraturis ex hac vita Oleo ſalutis & Fidei oratione augetur robur contra hoſtes inviſibiles, in iſto momento (ex quo dependet æternitas) fortius impugnantes & calcaneo (*p*) ac fini vitæ inſidiantes, ac deinde gratia confertur remiſſionis reliquiarum peccatorum ad ſalutem corporis & animæ.

II. Ideoque hujus Sacramenti uſum & ſalutares effectus ſæpius Parochi ſuis ſubditis, (*q*) ac præſertim ægrotis explicent, ut, quod hactenus in Diœceſi noſtra fere in deſuetudinem abiit, in priſtinum, laudabilemque uſum revocetur.

III. Parochi induti ſuperpelliceo & ſtola hoc Sacramentum adminiſtrent periculoſe laborantibus, (*r*) & quorum jam deplorata videtur valetudo, licet etiam agonizantibus, & qui improviſa vi mortis opprimuntur ac ſenſibus carent, recte conferatur, modo antea bonæ & honeſtæ vitæ fuerint, & præcedenti tempore Paſchali communicarint. Cuſto-

(*n*) Seſſ. 24. c. 6. de Reform.
(*o*) Jacobi 5. v. 14. & 15.
(*p*) Conc. Trid. Seſſ. 14. in doctrina: De Sacram. Extr. Unctionis.
(*q*) d. Seſſ. 24. c. 7. de Reform.
(*r*) d. Seſſ. 14. c. 3.

Custodes quoque superpelliceis induti cum lumine sine nola præcedant.

IV. Observent vero Parochi Extremam Unctionem non esse dandam pueris, extremo supplicio afficiendis, amentibus, furiosis, qui non habent lucida intervalla, impœnitentibus, desperatis, excommunicatis, & qui præcepto Paschalis Communionis non satisfecerint.

V. Eximenda quoque est illa persuasio erronea & perniciosa ex mentibus hominum, qua sibi imaginantur, sese si iungantur citius morituros, ut propterea ad extremum vitæ halitum hoc Sacramentum differant.

VI. Invigilent vero Pastores, si ex suis infirmari aliquem graviter intelligant, & mortis periculum subesse existiment, ne forte prædicta opinione, vel negligentia, aut malignitate domesticorum, aut aliorum Unctionis Sacramentum impediatur, aut æquo justius differatur; quin potius ultro ex charitate, & officii sui ratione sese offerant, oviculam suam invisant, moneantque infirmum de cura salutis suæ habenda, frequentique visitatione ad mortem disponant, ac quatenus per occupationes licet, morituris consilio, solatio & auxilio adesse studeant; aut saltem curent, ut alius aliquis Sacerdos, aut Religiosus advocetur, qui luctantem cum morte adjuvet, habeantque Pastores in hanc rem assiduos sibi libellos quosdam pios, qui de ratione bene juvandi morientes a piis & doctis viris sunt compositi.

VII. Cætera, quæ ad rectam hujus Sacramenti administrationem spectant, ex libro Pastorali petenda sunt.

CAPUT XIX.

De Sacramento Ordinis.

§. I.

ORdinum collatio, seu manuum impositio cum ostium sit ad Ecclesiarum gubernacula, & ministeria exercenda, omni certe diligentia illud observandum est, quod hactenus diligenter curatum non fuisse multis in partibus Orbis Christiani lugemus: hinc enim tanta mala uno quasi impetu in Ecclesiam inundarunt, eamque misere afflixerunt, ut attentiorem posthac curam Episcopalem merito requirant, ne, quod D. Apostolus Paulus discipulo suo Timotheo (*s*) præscribit, id cum magno Ecclesiæ exitio contemnatur. Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis, qui etiam hujusmodi custodiæ formulam quandam charissimis suis Discipulis ex professo (*t*) præscribit, quam Nos sequentes circa ordinandos, & eorum ingressum, subjunctas conditiones observandas ex Conciliis & Canonibus depromptas præscribimus.

II. Primam tonsuram & Quatuor minores Ordines suscipere desiderans, debet esse (*u*) baptizatus, sacro Chrismate (*x*) confirmatus, ex legitimo Matrimonio (*y*) procreatus, aut natalibus restitutus, origine vel domicilio, vel beneficio (*z*) Diœcesanus, aut a suo Episcopo dimissus. Ad primam tonsuram requiruntur anni (*a*) septem completi. Eos, qui quatuor minores suscepturi sunt, expedit pauciores non habere, quam annos (*b*) duodecim. Ordinandi (*c*) Subdiaconi inchoasse debent annum ætatis suæ vigesimum secundum. Diaconi vigesimum tertium. Presbyteri vigesimum quintum, de quo fidem facere debent publico Magistratus loci, aut alio fide digno testimonio, sicuti & de justis natalibus, aut si eorum defectum patiantur, legitima restitutione ac dispensatione.

III. Præter hæc requiritur primo, ut ordinandi sint (*d*) liberi, mente & corpore (*e*) integri. Secundo non truncati, non mutilati, aut notabilem deformitatem (*f*) corporis patientes. Tertio Diœcesani, (*g*) aut a suo proprio Epi-

(*s*) 1. Tim. 5. (*t*) 1. Tim. 3. Ad Tit. 1. (*u*) C. 1. & fin. De Presbyt. non baptizat. (*x*) Conc. Trid. Sess. 23. c. 4. de Reform. (*y*) C. 1. De filiis Presbyt. in 6. (*z*) C. Cum nullus. De tempor. ord. in 6. (*a*) Can. De his. dist. 28. c. 2. dist. 77. c. ult. De temp. ord. in 6. (*b*) d. can. 2. (*c*) Conc. Trid. Sess. 23. c. 12. de Ref. (*d*) C. 1. & c. Consuluit. De serv. non ord. (*e*) C. Maritum. d. 33. & c. Clerici. ead. dist. (*f*) Dist. 55. per tot. & c. 6. & toto tit. De corp. vitiatis non ord. (*g*) C. 3. De temp. ord. in 6. dist. 71. & 72. per tot. Conc. Trid. Sess. 23. c. 8. de Refor.

Episcopo dimissi. Quarto, Matrimonii (*h*) vinculo non obnoxii. Quinto, non (*i*) excommunicati. Sexto, competenter (*k*) docti. Septimo, (*l*) vitæ probatæ. Octavo, titulum (*m*) sufficientem beneficii aut (*n*) patrimonii habentes, quæ omnia partim per evidentiam & ocularem demonstrationem, partim per Examen, partim Literis & Testimoniis constare debent.

IV. Qui ad superiores Ordines promoveri petunt, literas primæ tonsuræ, seu accepti prioris Ordinis exhibeant. Ad Diaconatum & Presbyterium ordinandi fidem faciant defunctionibus priorum Ordinum debite exercitis, de Horis Canonicis recitatis, de gestato habitu & corona Clericali.

V. Cum nonnunquam contigisse animadvertamus, quod nonnulli Civitatis & Diœcesis nostræ Clerici indocti, ac vitæ non satis probatæ dimissoriales variis modis extorserint, & sub earum prætextu in exteris Diœcesibus Ordines furtive susceperint: Volumus & serio mandamus Vicario nostro in Spiritualibus, ne in posterum sine gravi & legitima causa literas hujusmodi Dimissoriales concedat, præsertim quando Nos in Diœcesi nostra per Vicarium nostrum in Pontificalibus Ordines conferri curabimus.

VI. Qui Beneficia Parochialia, sive quævis alia curata adepti sunt, illa non ante administrent, (*o*) quam per legitimum examen & approbationem, a Nobis jurisdictionis executionem accipiant.

VII. Sacris majoribus Ordinibus initiati, vel in minoribus Beneficium obtinentes, sciant se secundum Constitutiones Ecclesiasticas ad preces Horarias quotidie persolvendas sub pœna peccati mortalis, & restitutionis fructuum, pro rata temporis (quo Officium non impleverunt) teneri, ideoque huic obligationi studiose satisfaciant.

VIII. In Cantu Ecclesiastico addiscendo hactenus magna ordinandorum negligentia animadversa fuit; non sine gravi scandalo populi, ut aut muti sint multi in Choro Clerici, Cantus Ecclesiastici imperiti, aut in voce inconcinna & absona mutis deteriores sæpe reperiantur: Quare serio mandamus omnibus ad sacros Ordines aspirantibus, ut Cantum Gregorianum seu Choralem ex principiis, usu, atque exercitatione addiscant. Cujus etiam in examine posthac rationem accuratam haberi volumus.

CAPUT XX.

De Sponsalibus & Sacramento Matrimonii.

§. I.

Recte ex antiqua Ecclesiæ consuetudine Matrimonii Sacramentum præcedere solent Sponsalia, quæ sunt futurarum nuptiarum repromissio, & Matrimonii quædam præludia atque præparatio, (*p*) ne scilicet temere, ac præcipitanter, sine magna consultatione & deliberatione contracta Matrimonia, postea vel impedimento aliquo afficiantur, vel difficiliores pariant exitus. Quæ Sponsalia cum a Sacro Concil. Tridentino in suis terminis ac juris communis dispositione relicta sint, præterquam quod nunc, sublato Matrimonio clandestino, per carnalem copulam in Matrimonium non transeant, certum est tamen valida esse, & servari debere, etiamsi coram Parocho ac testibus contracta non fuerint, nec posse contrahentes leviter ac voluntate sua, nisi ob causas jure definitas, & a Nobis, aut nostris deputatis Commissariis approbatas, a Matrimonio contrahendo resilire: quod juste illis concedetur,

(*h*) Dist. 27. 28. & 32. per tot. & c. 5. De conv. conjug.
(*i*) C. Cum illorum. De sent. excommun. & c. 1. De eo, qui furt. Ord. susc.
(*k*) C. Illiteratos. dist. 36. c. Pœnitendi. 55. c. fin. De ætate & qual. ord.
(*l*) Conc. Trid. Sess. 23. c. 5. 7. & 12. de Reform. dist. 49. & 50. per tot.
(*m*) Dist. 70. per tot. & c. Cum secundum. De Præb. & dignit. c. Accepimus. De ætat. & qual. Conc. Trid. Sess. 21. c. 2. de Refor. (*n*) d. 7. Sess. 21. c. 2. & Sess. 23. c. 16.
(*o*) Conc. Trid. Sess. 24. c. 12. de Ref. (*p*) Can. Nostrates. 30. q. 5. l. 1. v. 2. ff. De Sponsal.

detur, ubi causa petendi justa apparebit.

II. Ut vero minor sit controversiarum occasio, Sponsalia non clandestine, vel in angulo, sed in domo aliqua honesta, aut in loco sacro, parentibus, cognatis, Tutoribus, aut pluribus testibus, aut etiam Parocho præsentibus contrahantur, admoneanturque a Parochis adolescentes & puellæ, ne invitis & insciis parentibus, vel Tutoribus Sponsalia vel Matrimonium inire, nec in hac re magni momenti quicquam inconsulto calore, præsertim quod contra honestatem pugnet, inchoare præsumant. Sed & monendi parentes, ac tutores, ne ipsi morositate sua liberos ætatis maturæ tardius doceant, illisque vel incontinentiæ, vel fugæ, aut inconsultæ actionis pœnitendam præbeant occasionem.

III. Grave peccatum est, frequens tamen in his regionibus, quod post contracta Sponsalia desponsi, antequam legitime Matrimonium contraxerint, se carnaliter cognoscant: ad quod periculum incontinentiæ evitandum moneant Parochi Sponsos, ut intra sex septimanas ad Matrimonii celebrationem procedant, (q) nec ante benedictionem in Templo suscipiendam sub eodem tecto habitent, aut soli conversentur; quod si contra hoc aliquid attentaverint, eos Nobis, aut Vicario nostro denuncient.

IV. Monemus vero omnes Parochos, ut, quæ ex Concilio Trident. (r) de contractu Sponsaliorum ac Sacramento Matrimonii, de trinis proclamationibus ac denunciationibus, assistentia proprii Parochi, ac testium, præparatione contrahentium, &c. post ejusdem Concilii publicationem & receptionem tempore Prædecessoris nostri factam, speciali mandato per Nos iterum inculcata sunt, ut quam diligentissime observentur, & bis in anno populo proponantur, scilicet prima Dominica post festum Epiphaniæ, & prima post festum Trinitatis, sub pœna decem aureorum florenorum, quoties illud neglectum fuerit.

V. Cum Matrimonium a Deo primitus in Paradiso ad propagationem generis humani (s) sit institutum, & in Evangelio confirmatum, utile quidem infirmis hominibus ad remedium, ac Christianis conjugibus ad officium mutuum præstandum, Deique populum augendum, magnumque propterea Sacramentum ab Apostolo (t) dicatur, arctissimam juxta ac sanctissimam Christi Sponsi & Ecclesiæ Sponsæ conjunctionem adumbrans, ac propterea maxime deceat, ut res sacra non nisi sancte suscipiatur, honesteque tractetur. Hinc Parochorum diligens erit solicitudo, ut populum doceant de pio, rectoque contractu, atque usu Matrimonii, de gratia Sacramenti (quæ in nomine Domini convenientibus confertur) de bonis Matrimonii, fide, prole, ac Sacramento, ut sit honorabile in omnibus connubium, & thorus immaculatus.

VI. Caveant diligenter Parochi, ne alibi, quam in Ecclesia, (u) quæ Sacramentorum dispensandorum proprius locus est, & inter Missarum solemnia Matrimonio contrahendo assistant, in privatis vero ædibus, aut Nobilium arcibus id neutiquam faciant, nisi ex licentia nostra, vel nostri in Spiritualibus Vicarii in scriptis obtenta.

VII. Graviter monet Concilium Tridentinum (x) (quod Nos etiam serio cupimus observari) ut, antequam contrahant conjuges, vel saltem triduo ante Matrimonii consummationem, peccata sua diligenter confiteantur, & ad sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum reverenter accedant, ad majorem Dei gratiam, & felicem eventum impetrandum, cujus rei curam Nos Parochis serio commendamus.

VIII. Cum experientia didicerimus, multos in prohibitis gradibus præcedentibus temporibus conjunctos, in statu peccati adhuc vivere, pro quorum salute merito solicitudinem nostram Episcopalem ante hac sub decima quinta Septembris anni 1627. publicato Mandato interposuimus (quod iterum repetimus) hinc volumus, ut omnes

(q) Conc. Trid. Sess. 24. c. 1. de Refor. Matr. (r) d. loco 1. (s) Gen. 2. v. 22.
(t) Ad Ephes. 5. v. 32. (u) d. Sess. 24. c. 1. (x) d. loco.

omnes in prohibitis gradibus consanguinitatis, aut affinitatis cohabitantes, Pastoribus suis sese exhibeant, ipsi etiam Parochi in eos ac gradus eorum consanguinitatis & affinitatis inquirant, & si dispensatio aliqua prætexatur, hujus editionem postulent, ac rem totam cum circumstantiis omnibus ad Nos, aut nostrum in Spiritualibus Vicarium Generalem pro remedio competenti referant, & ad conjunctionem, nisi declaratione a Nobis, vel Vicario nostro habita, non procedant, refractarios vero & contumaces ab ingressu Ecclesiæ arceant, aut aliis modis puniendos Nobis denuncient.

IX. Quæ ad dignoscenda Matrimonii impedimenta, gradusque affinitatis ac cognationis, naturalis & spiritualis, & legalis, item justitiæ, publicæ honestatis rationem, ac reliqua obstacula Matrimonium impedientia aut dirimentia pertinent, Parochi diligenti lectione addiscant, & in dubiis nihil temere statuant, sed alios doctiores, & potissimum Nos, & nostros Commissarios consulant, nec aliquos scienter ad Sponsalia aut Matrimonium admittant, in gradibus a jure prohibitis, aut tempore ab Ecclesia interdicto, nisi cum speciali dispensatione.

X. Volumus autem tam in Matrimonio contrahendo, quam in conviviis nuptialibus omnem honestatem observari, & omnia vana, ludicra, & ridicula, & alia prodigalitatis & lasciviæ ostentamenta (quæ sub prætextu nuptialis lætitiæ exorbitanter nimis, (y) & scandalose interdum committuntur) removeri. Non enim decet Sanctorum filios conjungi, sicuti gentes, quæ Deum ignorant.

XI. De ignotis, peregrinis, & vagabundis, aut incertas sedes habentibus, id repetimus, quod in Concilio Tridentino (z) statutum est: similiter ordinamus, ut absentem (de cujus morte non certo constat) alter conjugum non solum septennium, sed etiam ulterius ad arbitrium Judicis expectare, nec prius ad alias nuptias transire debeat, (a) quam causa coram Nobis, aut nostro Officiali cognita, & licentia contrahendi in scriptis obtenta fuerit.

XII. Quoniam vero libera esse debent Matrimonia, & coactæ nuptiæ plerumque miserabiles exitus sortiuntur, monemus tam Parentes, quam Dominos, ac Tutores quoscunque, ne per vim, aut metum (b) suos filios aut subditos quovis modo directe vel indirecte ad hoc adigant, quo minus libera Matrimonia contrahant, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda: Parochis quoque sub pœna privationis Beneficii, aut suspensionis ab officio prohibemus, ne hujusmodi nuptiis intersint.

XIII. Causæ omnes matrimoniales, & ab ipsis dependentes, ad solam nostram, vel Vicarii, & Officialis nostri cognitionem & decisionem pertinent, (c) nec ullus alius Judex, sive Ecclesiasticus, sive sæcularis, cujuscunque dignitatis, conditionis, aut præeminentiæ fuerit, de Sponsalibus, Matrimonio, ejus impedimentis, de divortiis, & aliis ac iisdem dependentibus & connexis causis inquirere, cognoscere, judicare aut definire præsumat: sed eæ Nostro, & prædictorum nostrorum Officialium judicio reserventur.

CONSTITUTIONUM, ET DECRETORUM SYNODALIUM DIOECESIS OSNABRUGENSIS

PARS SECUNDA.

CAPUT I.

De vita & honestate Clericorum.

§. I.

Nihil fere est, quod hoc Sæculo tam sit exoptandum, quam ut ii, qui

(y) Tob. 8. (z) Sess. 24. c. 7. de Reform. (a) C. In præsentia, & ibi Panor. De Sponsal. c. 2. De secund. nupt. (b) C. Cum locum. & c. Requisivit. De Sponsal. c. Significavit. De eo, qui dux. in Matr. Conc. Trid. Sess. 24. c. 9. de Ref. Matr. (c) Conc. Trid. Sess. 24. de Sacr. Matrim. can. 12. & c. 20. de Refor. can. Multorum. 35. q. 6. c. 1. De consang. & affinit. c. Accedentib. De excess. Prælat.

qui in ſortem Dei vocati, Divina munera diſpenſant, ac Miniſteriis Eccleſiaſticis præficiuntur, vita & exemplo id præſtent, quod profeſſione, ſtatu, ac vocatione ſua promittunt; ut in eos, tanquam in ſpeculum, oculos ſuos conjicientes Laici, invenire poſſint, quod digne imitentur; hoc enim omnibus fere Sæculis compertum fuit, pro Sacerdotum vita, benedictionem aut maledictionem a Deo in populum procedere, nec quicquam gravius Eccleſiæ aut Reipubl. accidere, aut illam vehementius affligere, quam ſi a Clericis Laici bonæ vitæ incitamenta & exempla petere non poſſint. Quod graviſſime olim deploravit S. Gregorius, (*d*) & nos ipſius verbis repetimus: " Nullum puto, Fratres Chariſſimi, ab " aliis majus præjudicium, quam a " Sacerdotibus tolerat Deus, quando " eos, quos ad aliorum correctionem " poſuit, dare de ſe exempla pravitatis " cernit: quando ipſi peccamus, qui " compeſcere peccata debuimus, nul" la animarum lucra quærimus, ad " noſtra quotidie ſtudia vacamus, ter" rena concupiſcimus, humanam glo" riam intenta mente captamus; & " quin eo ipſo, quo cæteris prælati ſu" mus, ad agenda quælibet majorem " licentiam habemus, ſuſceptæ bene" dictionis miniſterium, vertimus ad " ambitionis augmentum, Dei cauſas " relinquimus, ad terrena negotia va" camus: locum ſanctitatis accipimus, " & terrenis actibus implicamur."

II. Hinc Nos ſerio ac ſub obteſtatione Divini judicii monemus omnes & ſingulos, ut, quo ſunt in Eccleſia Dei digniore loco & ordine, eo vitam gerant inculpatiorem, ſtatumque ſuum vitæ innocentia ac morum gravitate diligenter exornent.

III. Cum vero ſumma diſciplinæ Chriſtianæ in eo conſiſtat, ut abnegantes impietatem, ac ſæcularia deſideria ſobrie, pie, juſte vivamus in hoc ſæculo; (*e*) idque ad omnes univerſim Chriſtianos pertineat; intelligunt facile Eccleſiaſtici, qui cæteris in exemplum poſiti ſunt, quid ad ipſos ſpectet, qua illos morum gravitate in ſermone, geſtu, inceſſu, quo in cultu & veſtitu corporis moderatione & decentia, qua vitæ ſanctioris innocentia illos cæteris præſtare oporteat. De quibus cum multa ſparſim per Ss. Canones, Concilium Tridentinum, Statuta Provincialia, & noſtri Prædeceſſoris Conſtitutiones Synodales tradita ſint, illud Nos breviter hoc loco repetendum ducimus, quod de Clericali tonſura, deque veſtitu, & victu frugali in præcedenti Synodo Oſnabrugenſi (*f*) ſtatutum eſt, quibus Nos adjicimus, ut ne quiſpiam Clericorum poſthac rugatis, acu pictis, & nimium elaboratis collaribus utatur, ſed planis, ac quæ commode & decenter ſuper veſtem reflecti poſſint.

IV. Veſte omnes utantur honeſta ac decente, (*g*) ut materia, forma, colore, pretio, ac omni modo reſpondeat tum modeſtiæ ac dignitati Clericali, tum conditioni ac ſtatui ſingulorum, in quo uti vanitatem, & affectatam mundi curioſitatem, novas levitates ac nitorem, ſic abjectionem & nimias ſordes excluſas volumus. In omni veſtitu, præſertim externo, color tantum niger adhibeatur.

V. In Civitatibus ac oppidis talari veſte, in pagis aut villis brevioribus utantur. Itinerariæ veſtes breviores non ſint, quin fimbria infra genua diffluat, nec domeſticæ veſtes & intrinſecæ colore aut habitus ſpecie a domeſtica Clericali diſcrepent.

VI. Quod de coma, barbis, ac alis barbarum Prædeceſſor noſter mandavit, id Nos iiſdem verbis, & eodem vigore obſervandum ſerio repetimus, cui pro clariore intellectu hoc adjicimus, & admittimus, ut Eccleſiaſtici vel brevem Romano, vel antiquo hujus Patriæ more, uſque ad extremitates inferiores aurium defluentem comam geſtare poſſint, planam non reflexam, nec calamiſtratam, aut in concinnos compoſitam, aut inſtar ſetarum ela-

(*d*) Matth. 5. v. 13. Ad Tit. 2. v. 7. c. Qualiter. De accuſat. Homil. in c. 10. Lucæ.
(*e*) Ad Tit. 2. v. 12. (*f*) C. 10. (*g*) 1. Tim. 2. Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 12. de Reform. variis locis ſub tit. De vita & honeſt. Cler. extra. in 6. & Clement. c. penult. De vita & honeſt. Cler. c. 2. eod. in 6. c. Clerici. De vit. & honeſt. Cler.

elatam; Corona vero (insigne regalis Sacerdotii) conspicua appareat, renoveturque in iis, qui brevi sunt capillitio, singulis quindenis, qui longiori, singulis mensibus.

VII. Mensæ moderationem tum status Ecclesiastici ratio, tum præsens temporum necessitas, omnibus fere indicit, (h) volumus tamen hanc ob omnibus, pro conditionis qualitate observari, ut non desit, quod egentibus Christi membris, quibus id, quod superest, debetur, recte distribui possit.

VIII. Publicas & privatas comessationes, convivationes, longiores accubitus, ad æquales haustus provocationes, cum illæ omnes Christianos, & in primis Clericos maxime dedeceant; (i) omnes monitos volumus, ne his indulgeant, sed quanta fieri potest frugalitate, concessis sibi a Deo donis utantur.

IX. Si quando ad nuptias & alia convivia, gratia propinquitatis, aut necessitudinis invitentur, cæteris modestiæ, frugalitatis ac sobrietatis exemplo præeant, cauponas vero aut tabernas vitent, nisi in itinere constituti necessitatis gratia; a choreis vero & mimicis, seu jocularibus nugacitatibus ubique abstineant, sicuti etiam a lusibus jure prohibitis, aleis, taxillis, gladiis, hastis, sclopis, & similibus, quemadmodum etiam a venationibus illicitis & clamorosis. (k)

X. Similiter alienum est ab instituto Clericorum, ut quæstus gratia mercaturas, negotiationes, alienæ rei procurationes, advocationes, (l) nisi pro Ecclesia, necessariis, & miserabilibus personis, actiones, causarum præsertim apud Judices sæculares, Notariatus, & Tabellionatus, officia prophana, artem medendi, aut cauponandi utilitatem exerceant, quæ omnia, tanquam a jure reprobata, malorum irritamenta, Clericis prohibita esse volumus.

XI. Et generaliter quæcunque a sacris Canonibus, (m) & præsertim Concilii Tridentini, de vita, & honestate, modestiaque Clericorum conservanda, deque criminibus, ac superfluitatibus quibuscunque vitandis, salubriter constituta sunt, ea sub iisdem pœnis repetita, & omnibus pro debita observantia serio commendata & inculcata esse volumus.

CAPUT II.

De Concubinatu.

§. I.

IMmundum & damnabilem Concubinatum, quo nihil magis ab honestate Clericorum, & Ministrorum Christi Virginis Filii, alienum est, post serias Prædecessoris nostri Synodales Constitutiones, (n) & nostras subsecutas, diversas mandatorum insinuationes, & monitiones, Nos iterum hoc Decreto nostro execramur, damnamus, & profligamus, & ad superabundantem cautelam, & pro tollendâ omni ulteriore excusatione, omnibus notum hisce facimus, Nos nemini hoc in crimine parcituros, sed posthac simpliciter & de plano, ad privationem Beneficiorum, & seriam ac publicam executionem, contra auctores, complices & fœdas amasias ac focarias, ubicunque locorum processuros, quam rem iterum Vicario nostro in Spiritualibus Generali, & quos ipse pro executione requisierit, serio injungimus.

II. Quæ de prolibus ex fœdo concubinatu susceptis, earumque cum Parentibus Clericis cohabitatione, a Prædecessore nostro ZOLLERANO decreta sunt, (o) hic de verbo ad verbum repetimus, & serio observari volumus. Similiter vetamus, ne Clerici Parentes, in Baptismo, Sponsalibus, Nuptiis,

(h) Can. Prohib. &c. can. Clerici. dist. 23. can. Duo sunt. 12. q. 1. d. c. Clerici.
(i) Ad Philip. 3. v. 19. c. A crapula. De vit. & honest. Cleric.
(k) Dist. 44. per tot. Conc. Trid. Sess. 24 c. 12. de Refor. (l) d. c. Clerici. Trid. Conc. Sess. 22. c. 1. de Refor. can. Qui venator. & seqq. dist. 86. tot. tit. De Cler. venat. c. 1. & 2. & c. Secundum. Ne Cler. vel Monach.
(m) Tot. tit. De postulando. c. Sicut. Ne Cler. vel Monach. c. Sententiam. eod. tit.
(n) C. 8. De Concubin. (o) C. 8.

tiis, exequiis, aut ſimilibus actibus publicis ſuorum illegitime natorum, ullo modo interſint, nec in publico facile cum iis compareant, aut eos in plateis circumducant, quos certe videre ac nominare non poſſunt, niſi in pœnam & infamiam.

III. Concubinas vero ad minus dietam unam a cohabitatione ſuarum, cum quibus peccavere & vixere, relegari volumus; & omnem prorſus cum ipſis converſationem ſub pœnis privationis Beneficiorum, aut alias pro qualitate delicti arbitrarie infligendis prohibemus.

IV. Similiter etiam huc repetimus, tam quæ in ſacris Canonibus & Conciliis Provincialibus, quam a Prædeceſſore noſtro, (*p*) de illegitimis Clericorum Liberis ad hæreditates, donationes, & fructus Beneficiorum percipiendos, non admittendis, ſalubriter ſtatuta ſunt.

CAPUT III.

De Simonia.

§. I.

SImonia grave ac deteſtabile crimen, quod tamen frequens in hac Diœceſi noſtra fuiſſe deprehendimus, nos cum ipſo Authore, tam ex Conſtitutione Canonum, (*q*) quam Legum civilium, damnatum ac reprobatum, ſub iisdem pœnis, a ſacris Canonibus comprehenſis, in Diœceſi noſtra, prohibemus ac damnamus, & in hoc omnem ſeveritatem Legum, ac præcedentium Conſtitutionum Prædeceſſoris noſtri renovamus & confirmamus.

II. Volumus etiam in ingreſſu ſeu receptione ad Beneficia, (*r*) expenſas pro ſtatutis & finalibus, ut vocant, ac ſimilibus, ad eam moderationem redigi, ut tam quoad exactionem, quam quoad diſtributionem, nulla Simoniæ, avaritiæ, ac ſordium ſpecies ſubeſſe poſſit.

CAPUT IV.

De Uſuris.

§. I.

POpularis frequentia, criminis uſurarum ipſius fœditatem & enormitatem ex animis hominum pœne delevit, adeo, ut etiam verendum ſit, ne ſpes doloſi lucri interdum multos decipiat, ac in ſalutis ſuæ præcipitia deducat. Ut tamen, quantum in Nobis eſt, ex omni hominum ordine hujus criminis contagio eliminetur, præſenti Decreto prohibemus ac damnamus omnes contractus uſurarios ſive in mutuo, ſive in emptionibus annuorum cenſuum ac redituum, & exceſſu penſionum ſeu præſtationum, ſeu quocunque alio modo a jure reprobato, contingant; & tam contra uſurarios, quam uſurarum proxenetas, miniſtros, contractuum Scribas & Notarios, (*s*) præter cenſuras Eccleſiaſticas, privationem ſcilicet Communionis & ſepulturæ, ac reſtitutionem juſtam, arbitrariis pœnis procedemus.

II. Hortamur vero omnes Eccleſiarum Parochos, Concionatores, Confeſſarios, & alios curam animarum habentes, præſertim in celebrioribus Diœceſis noſtræ Civitatibus & oppidis, ut de hoc pernicioſo crimine ex Canonibus & probatis libris & auctoribus ſeipſos diligenter informent, ac populum ſibi commiſſum doceant, quid in hujusmodi contractibus licitum, quid vero prohibitum ac cavendum ſit.

III. Ut vero pœnam in Uſurarios a jure ſtatutam omnes agnoſcant, repetenda ad verbum viſa fuit Conſtitutio in Lateranenſi Concilio (*t*) edita, quæ ſic habet:

" Quia in omnibus fere locis crimen uſurarum invaluit, ut multi aliis negotiis prætermiſſis, quaſi licite uſuras exerceant, & qualiter utriusque teſtamenti pagina condemnentur, nequaquam attendant; ideoque

(*p*) d. c. 8. §. 3.

(*q*) Cauſa 1. q. 1. per tot. tit. De Simonia. L. Si quenquam. 31. De Epiſc. & Cler. Novel. 123. §. Sed neque Clericum. Et quidem apud gentiles ambitus quæſtio fuit contra Sacerdotium petentem. L. 1. Ad L. Jul. De ambitu.

(*r*) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 12. de Ref. Conſtit. Pii V. incip. *Durum nimis edita*, anno 1570.

(*s*) C. 3. de Uſuris.

(*t*) C. 3. de Uſuris.

" que constituimus, quod usurarii " manifesti, nec ad Communionem " admittantur Altaris, nec Christianam " (si in hoc peccato discesserint) acci" piant sepulturam, sed nec oblatio" nes eorum quisquam accipiat; qui " autem acceperit, vel Christianæ tra" diderit sepulturæ, & quæ acceperit " reddere compellatur, & donec ad " arbitrium Episcopi sui satisfaciat, ab " officii sui maneat executione suspen" sus. "

CAPUT V.

De Beneficiis, eorum Collationibus, seu Jure Patronatus, Institutionibus, Resignationibus & Permutationibus.

§. I.

IPsa rerum magistra experientia loquitur, nihil ita Ecclesiæ obesse, quam quod ipsa suis stipendiis, quæ benignitate Sponsi sui, & Christi fidelium liberalitate obtinet, & ex Christi ærario elargitur, idoneos Ministros, & digne sibi servientes invenire non possit, sed illa sæpe depeculentur ignavi ventres, Beneficiorum Ecclesiasticos reditus usurpantes, non tanquam publica officiorum stipendia & virtutum merita, sed tanquam privata commercia, atque compendia nundinantes. Quæ res merito curam nostram Episcopalem excitat, ut diligentius de remediis, in communi calamitate cogitare, ac providere debeamus, ne pro utilibus & maxime necessariis Ecclesiæ Ministris, rudes pueri, aut alias ætate, scientia, moribus inepti extremo Ecclesiæ exitio, & tam conferentium, quam acceptantium periculo intrudantur, sed ut omnia hac in parte recto modo, & ordine procedant.

II. Inprimis autem cum longo abusu & deploranda corruptela præcedentium temporum irrepserit, quod Patroni, præsertim Laici, qui jus nominandi, vel præsentandi habuerunt, nimis libere, ac contra juris rationem, ac primævas institutiones ac fundationes, de Beneficiis Jurispatronatus, tanquam de familiaris patrimonii ac privati juris bonis hactenus fere disposuerint; sine ulla fere distinctione ætatis, ordinis, ac qualitatum de jure necessariarum, scire Patronos omnes volumus, illis Jure Patronatus ex præscripto Canonum & Concilii Tridentini, (u) ita moderate prudenterque utendum esse, ut neminem pro suo arbitrio violenter intrudant, sed ad Beneficia idoneos, ætate, scientia, vita ac moribus præsentent; aut non ægre ferant, si præsentati inutiles, jure a Nobis repellantur, cum ex Jure Patronatus aliud illis nihil competat, quam potestas præsentandi Episcopo, aut illi, qui jus instituendi habet, Clericum idoneum ad Beneficium vacans.

III. Illud etiam Patronis, cujuscunque Ordinis ac dignitatis sint, observandum ex Canonibus & Concilio Tridentino (x) præcipimus, ut in Beneficiorum bona aut perceptiones fructuum, proventuum, obventionum, quorumcunque Beneficiorum, etiamsi vere de Jure Patronatus ipsorum, & fundatione & dotatione Parentum ipsorum & Majorum sint, nullatenus, nullave causa vel occasione sese ingerant, sed illos libere Rectori seu Beneficiato non obstante quacunque corruptela præcedentium temporum distribuendos dimittant, sub pœna privationis Juris Patronatus.

IV. Qui hactenus ex Patronis laicis, corrupto temporum abusu, Beneficiorum, quorum Catholici ipsorum Majores, pii Fundatores fuerunt, redditus suppresserunt, aut ad se traxerunt, aut in alios usus converterunt, monentur serio, ut quamprimum omnia in pristinum statum restituant, aut nostram seriam executionem expectent.

V. Quod ipsum etiam omnibus Magistratibus, Communitatibus, Universitatibus, ac quibuscunque aliis hominibus utriusque status, sive in publica potestate constitutis, sive privatis, sub arbitraria Nobis pœna serio injungimus.

VI. Cum vero Nominatio, Præsen-

(u) C. Piæ mentis. cum seq. 16. q. 7. c. Præterea. & parum tot. tit. De Jure patr. Conc. Trid. Sess. 14. c. 12. & Sess. 25. c. 9. de Refor. (x) Sup. alleg.

ſentatio, Collatio, ſeu Electio, gradus primus & acceſſus ſit ad Beneficia, in quo periculoſe perſæpe peccatur, dum ſine diſcrimine ac certa electione, ex affectuum aut precum importunitate magis, quam virtutum merito proceditur. Nos ad mala, quæ hinc oriri ſolent, evitanda, in ipſo ſtatim principio hoc cavemus, ut citra ullam diſſimulationem aut interpretationem, nullus ad quodlibet Beneficium, ſeu Miniſterium Eccleſiaſticum admittatur, qui non ætatem, ſcientiam, mores, Ordines, Beneficio pares adferat, prout iſtud tenor fundationis & obligationis requirit.

VII. Volumus enim ante omnia, ut fundationum piarum qualitates, ab ipſis Fundatoribus expreſſæ, exactiſſime obſerventur, uti ſi Capellania etiam ſimplex, aliudve Beneficium, etiam Juris Patronatus ex præſcripto erectionis & fundationis, aut alterius Conſtitutionis certum Ordinem, aut alias conditiones requiret in eo, cui vel collationis, vel inſtitutionis, vel alio nomine de ipſo eſt providendum, illud Beneficium, ne cuiquam conferatur, etiam Patronorum accedente conſenſu, qui vere eo Ordine non ſit initiatus, aut in ea ætate conſtitutus, ut infra tempus a jure ſtatutum initiari valeat, neque qui iis conditionibus præditus non ſit, quas illa erectio, fundatio, vel conſtitutio requirit, in quo verba mentemque Fundatorum exacte obſervari volumus, quæve actum in Ordinibus ſacris inducant ac requirant, quæve aptitudinem ſeu habitudinem admittant, ne quid contra jus & voluntatem Fundatorum temere committatur.

VIII. Qui vero Beneficium qualecunque aſſecutus eſt, ejus Titulum & Fundationem, etiam non monitus, intra menſem Nobis, aut noſtro in Spiritualibus Vicario oſtendat: quod ſi non fecerit, dimidia parte fructuum, ac proventuum unius anni mulctetur, nec minus omni modo titulum exhibere cogatur, qui iidem tituli, ac fundationes, quotiescunque id a Nobis, aut noſtro in Spiritualibus Vicario, requiſitum fuerit, a quolibet, ſine ulla cunctatione offerantur. (y)

IX. Intelligimus autem multa eſſe per Diœceſin noſtram Beneficia, quorum Fundationes, atque Inſtitutiones jam perditæ, aut obliteratæ ſunt, eorum vero fructus & obventiones ſæpe ab ignavis hominibus, ſine ulla obſequii Eccleſiaſtici præſtatione uſurpantur, cui incommodo ut, quantum in Nobis eſt, occurratur, volumus, ut Paſtores & Curati Decretum Concilii Tridentini (z) populo proponant, isque intelligere poſſit, quam ſit facinus enorme & grave Chriſti patrimonium & Miniſtrorum Eccleſiæ alimoniam injuſte poſſidere. Quæ vero prædicti Curati, aut alii Prælati & Eccleſiarum Rectores, ac quicunque Eccleſiaſtici & Laici animadverterint in hoc genere remedio indigere, ea diligenter notata ad Nos, vel Vicarium noſtrum in Spiritualibus referant, ut Nos ex officio noſtro Epiſcopali priſtina officia reſtituere, ſique non ſatis aliunde conſtare poſſit, qualia illa eſſe debeant, Nos pro ratione fructuum onera, Miſſas, Divinaque Officia celebrandi iis imponere, aut, ubi Capellæ ſeu loca pia extincta ſunt, ſecundum Canonicas Sanctiones Beneficia & eorum titulos transferre poſſimus.

X. Extra omne dubium eſt, eos, qui hujusmodi Beneficiorum fructus & emolumenta hactenus, ſine ullius ſervitii Divini exhibitione perceperunt, ad perceptorum fructuum reſtitutionem teneri, nec aliter in foro conſcientiæ tutos eſſe. Hinc Nos omnibus & ſingulis ſub arbitraria Nobis pœna injungimus, ne ullo modo perceptioni fructuum ſeſe immiſceant, antequam fundationis tenorem ſciant, illique ſatisfaciant, ac noſtrum deſuper arbitrium ac conſenſum requirant. De perceptis vero ita conſtituturi ſumus, ut & Eccleſiæ læſæ ſatisfiat, & conſcientiæ, receptione indebitorum gravatæ, exonerentur.

XI. Interdicimus vero iis, qui jus habent conferendi Beneficia, ſeu ad ea eligendi, nominandi, præſentandi, ne vel ipſi, vel eorum Miniſtri familiares, aut Officiati, quicquam ab aliquo, cui Beneficium Eccleſiaſticum conferatur, ſub quolibet prætextu aliquid tale capiant,

(y) C. 1. De reg. juris in 6.

(z) Seſſ. 22. c. 10. de Reform.

capiant, quod pallio gratitudinis involvatur, revera autem speciem Simoniæ & injustæ & avaræ acceptationis habeat, quia sub illo velo multa latent, quæ hominibus quidem obscurantur, oculos vero Dei non fugiunt, & Simoniacæ subjacent pravitati.

XII. Iniquæ etiam ac sacris Canonibus contrariæ & prohibitæ pactiones, ac conditiones non ineantur, neque resignationes, præsertim in favorem, cessiones, translationes, ac permutationes aliter, nec coram aliis, quam jure id licitum est, permittantur.

XIII. Monemus vero & obtestamur omnes Patronos, Collatores, & Prælatos, vel ad quoscunque provisio Beneficiorum pertinet, ne illi in suos consanguineos, familiares, ministeriales Beneficia ita conferant, ut illa tanquam operæ & laboris pretia, aut consanguinitatis, aut propinquitatis jura accepisse videantur, sed ut omnes humani affectus, qui, quæ sua sunt, quærunt, non quæ JESU Christi, ab hujusmodi suffragiis, & Beneficiorum collatione separentur.

XIV. Neminem vero præsentatum, vel nominatum, vel electum, vel ab inferioribus provisum prius ad Beneficium admittendum vel instituendum ducimus, quam is præter Professionem Catholicæ Fidei, coram Nobis, aut nostro Vicario in Spiritualibus, aut iis, quibus id competit, factam, infrascriptum quoque juramentum præstet.

Ego N. N. juro & promitto obedientiam & reverentiam Illustrissimo & Reverendissimo Domino meo Episcopo Osnabrugensi & Successoribus ejus canonice intrantibus, Beneficio, ad quod institui peto, secundum oneris annexi exigentiam fideliter deserviam, atque ab eo sine ejusdem Domini Episcopi, aut Vicarii ejus licentia non discedam, res, bona, & jura Ecclesiæ, & Beneficii nullatenus alienabo, & indebite alienata, quantum in me erit, fideliter recuperare studebo. Sic me DEUS &c.

XV. Quia vero per annos gratiæ, seu expectantiarum, ut vocant, ac alias præstationum impositiones, ac portionum detractiones, multum Divinis Officiis detrahitur, & ut consulatur defuncto, aut ejus hæredes persæpe ditentur, aut Ecclesiæ fabricæ aliquid accedat, Deus ipse negligitur, & defuncti, Beneficiorumque Fundatores, multarum personarum suffragiis ac intercessionibus, multis quandoque annis fraudantur, ideo maturo consilio, cum præscitu Venerabilis Capituli nostri, tantæ deformitati Ecclesiæ occurrere studebimus, ne cum fraude Divini servitii, ac Fundatorum piæ intentionis Officia Ecclesiastica tanto tempore deserantur.

CAPUT VI.

De Residentia Clericorum.

§. I.

SCiant omnes, qui Divinis mancipati sunt Officiis, (a) & Ecclesiasticos reditus percipiunt, se ideo de Altari vivere, & populi peccata comedere, ut Officium Ecclesiasticum strenue ac pure peragendo totius generis humani causam in se suscipiant, ac congemiscentis Ecclesiæ vota, preces, ac laudes Deo offerant.

II. Ideoque omnibus Beneficia vel Officia Ecclesiastica, (b) & ex iis reditibus & obventiones in nostra Diœcesi obtinentibus, quibus personale in Ecclesia obsequium est annexum, illud incumbit, ut in Ecclesia & Officio Divino sint assidui, nec sine causa aliqua singulari ac probata, & scitu suorum Superiorum se absentent.

III. In primis vero omnibus Parochis, Plebanis, & curam animarum gerentibus mandamus atque præcipimus, ut ovibus sibi a Deo commissis, in propria Ecclesia residendo præsint, (c) ut ex Divino præcepto eas agnoscere, verbo doctrinæ, & vitæ exemplo, & Ss. Sacramentorum administratione pascere, & quæ bonum ac legitimum Pastorem decent, munia Pastoralia debite exercere possint, nec oves metu periculi, vel pestis tempore, aut sub prætextu

(a) C. Ad hoc. De Clericis non resid. (b) Conc. Trid. Sess. 24. c. 2. de Refor.
(c) Conc. Trid. Sess. 6. c. 1. & 2. & Sess. 23. c. 1. de Reform.

textu aliorum negotiorum deſerant, aut ad menſem abſint, ſine noſtra, aut noſtri in Spiritualibus Vicarii licentia, nec non idoneo ac approbato Vicario cum debita mercedis aſſignatione conſtituto.

IV. Hanc in reſidendo aſſiduitatem Eccleſiarum Decani, Scholaſtici, Cantores, Cuſtodes, aut qui ſimilium dignitatum Beneficia habent, quos Majores noſtri, tanquam moderatores & inſpectores Eccleſiaſticæ diſciplinæ, eſſe voluerunt, ſerio præſtare tenentur, ut ii non facile, nec niſi ad breve tempus abeſſe poſſint, (*d*) aut ſi diutius abeſſe neceſſe fuerit, id ſpeciali noſtra licentia, & non aliter fiat.

V. Repetimus præterea, ac omnibus obſervanda injungimus, quæ rec. mem. Prædeceſſor noſter in proxima Synodo Oſnabrugenſi (*e*) generaliter hac de re ſtatuit, quibus ad evidentiorem notitiam adjungenda exiſtimamus, ut, quorum fundationes perſonalem reſidentiam requirunt, illi ipſi reſideant, aut ſi neglexerint, de facto a proventuum perceptione ſuſpenſi ſint, & adverſum eos, ex ſacrorum Canonum (*f*) & Concilii Tridentini (*g*) præſcripto procedatur, nec valeant diſpenſationes, colluſiones aut diſſimulationes de non reſidendo, aut fructibus in abſentia percipiendis.

CAPUT VII.

De Prælatis & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, & Collegiatarum.

§. I.

Eccleſiaſticæ diſciplinæ retinendæ & conſervandæ cauſa, Eccleſiarum dignitates ſunt conſtitutæ, quibus etiam pro merito laborum & amplioris curæ majora ſtipendia ſunt aſſignata, quæ certe non recte uſurpabunt, niſi labore, miniſterio, atque induſtria reſpondeant, ac Divinum cultum promovere, Eccleſiaſticam diſciplinam conſervare, ac Nos opera & officio juvare ſtudeant.

II. Præpoſiti, tanquam præcipui Eccleſiarum Prælati, illud diligenter curent, ut res, bona, jura, & privilegia Eccleſiarum ſuarum defendant, (*h*) ab omni injuria, damno & moleſtia vindicent ac conſervent, eaque provideant ac procurent, quæ ad Eccleſiarum (a quibus dignitates ac ſtipendia majora percipiunt) defenſionem, pacem, & tranquillitatem ſpectant, ut tanquam fideles ſervi, quos conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, a magno Patrefamilias agnoſcantur.

III. Decanos quoque officii ſui admonuit præcedenti Synodo (*i*) Anteceſſor noſter, quæ Nos huc repetimus, & cum ipſis ſingulariter ex officio illa commendata eſſe debeant, quæ circa Miniſteria Eccleſiæ, & Eccleſiaſticarum perſonarum vitam, Chorique ac Capituli diſciplinam, exceſſus ac correctionem deſiderantur; merito ab illis requirimus, ut omnia, quæ ad honeſtatem & vitam bonam omnium Canonicorum, Vicariorum, Clericorum, ac Miniſterialium Eccleſiæ ſuæ pertinent, ea ut diligenter ab omnibus & ſingulis obſervari curent. Quod, ut majori cum fructu fiat, vita ac moribus ita compoſiti ſint Decani, ut alios ad imitationem provocent, talique ſcientia ac peritia prædití, ut aliis recte poſſint conſulere. Ut vero hac in re bene ſancteque ab ipſis procedatur, antiquum illud Capitularis diſciplinæ jus, in vetuſtis Eccleſiæ codicibus fere obliteratum, in uſum revocent, ac ſolicitudine ſua monitiſque ſanctis procurent, ut omnes ipſis ſubjecti vitam ducant, ſuo ſtatu ac ordine dignam.

IV. Cum vero neutiquam conveniat, ut jurgia, liteſque inter illos verſentur, quos tanquam fratres in domo Dei unanimes ambulare oportet, omnino advigilent, ut ſi quam ortam inter Clericos Collegii ſui controverſiam animadvertant, eam in ipſis ſtatim principiis ſopire ſtudeant, graviores vero emer-

(*d*) Conc. Trid. Seſſ. 21. c. 3. de Reform. (*e*) C. 7.
(*f*) C. Conquer. c. Ex parte. c. Int. quat. & c. penult. & ult. De Cler. non reſid. c. fin. De Reſcript. in 6. (*g*) Conc. Trid. Seſſ. 21. c. 3. de Reform.
(*h*) C. Quamvis. De verb. ſig. c. Nullus. diſt. 60. (*i*) C. 12.

emergentes exceſſus aut contumaciam, aut inſolentias majores (præſertim ſi in publicum prodeant) pro remedio competenti ad Nos referant.

V. Cum vero officium Decani curam habeat animarum annexam, nolumus, ut quisquam ullis Decanalibus functionibus ſeſe immiſceat, niſi confirmatione a Nobis prius petita & accepta.

VI. Qui præter Decanos dignitates & officia in Cathedrali & Collegiatis Eccleſiis obtinent, diligenter curent, ut ſuis officiis ſecundum Canones, & cujusque Eccleſiæ conſuetudinem faciant ſatis.

VII. Si quæ Præbendæ Canonicales certum habeant annexum Ordinem, illud Poſſeſſores curare debent, ut Ordinem illum ſuſcipiant, & oneri annexo ſatisfaciant, neque onus in alios rejiciant, niſi approbatis fundationibus aliter ſit conſtitutum.

VIII. Vicarii, quos vocant, Chori nomini ſuo reſpondeant, ac Canonicis in perſolvendis Officiis Divinis auxilio ſint, & omnia illis incumbentia onera ex fundatione vel conſuetudine Collegii aſſidue ac religioſe perſolvant.

CAPUT VIII.

De Archi-Diaconis.

§. I.

ARchi-Diaconi cum functionibus & officio Nobis conjuncti, ac in partem ſolicitudinis noſtræ Epiſcopalis vocati ſint, adeoque a Canonibus Oculi Epiſcopi, ejusque Vicarii aliquando vocentur, (k) quod Epiſcopi Miniſtri ſint, & ea omnia, quæ exercent, ad Epiſcopum pertineant, hinc illos in Domino monemus, ut pro data ſibi commiſſione ſtrenue Nos adjuvent, recteque ſuo officio fungantur, nec ſupra conceſſam jurisdictionem ſeſe efferant, ac repetimus ea, quæ a recol. mem. Prædeceſſore noſtro (l) de Commiſſariis ipſorum, deque mulctarum exactione & converſione in uſus pios ex Canonibus & Concilio Tridentino ſunt mandata.

II. Cum etiam hactenus animadverſum ſit in Synodis Archi-Diaconalibus, interdum magnam infrugalitatem exerceri, (m) cum non exiguo gravamine Eccleſiarum ac Paſtorum: Volumus in his actionibus eam moderationem adhiberi, ne, dum aliorum correctio ſuſcipitur, talia admittantur, quæ alios lædere, & emendatione digna eſſe judicari poſſint.

CAPUT IX.

De Decanis ruralibus.

§. I.

DIœceſis noſtræ amplitudo ac moles tanta negotiorum, præſertim redeuntibus vicinis Regionibus, eam neceſſitatem Nobis imponit, ut ad facilem, magisque ſecuram ſolicitudinis noſtræ Epiſcopalis explicationem, remedia atque ſubſidia opportuna & ſubordinata adhibeamus. Quamobrem viſum eſt Nobis exemplo aliorum bene conſtitutorum Epiſcopatuum per ſuperiorem & inferiorem Germaniam, & præſertim Eccleſiæ Metropolitanæ Colonienſis, Epiſcopatum noſtrum & vicinas Regiones, jurisdictioni noſtræ Diœceſanæ ſubjectas, in certas regiunculas dividere, eisque certum aliquem Paſtorem præficere, quem vulgo Decanum Ruralem appellant, qui ſupra alios Paſtores majorem auctoritatem ac jurisdictionem obtineat, in vitam ac mores eorum, & an ſuo muneri & Officio Divino per omnia ſatisfaciant, item in pia loca, res, ac jura Eccleſiaſtica diligenter attendat, ac Nos, & Vicarium noſtrum, in cura tam ampla ſubſidiaria opera ſua adjuvet & ſublevet. Quod, ut majori Eccleſiæ bono fiat, curabimus, ut deinceps Regiones hujusmodi prudenti conſilio diſtinguantur ac deſcribantur, leges certæ hujusmodi Decanis ruralibus dentur, ac ei muneri quam maxime idonei præficiantur.

CA-

(k) C. 1. & c. Ad hæc. & tot. tit. De offic. Archidiac. (l) C. 3.
(m) Argumento c. Inter cæt. & c. Relatum. 10. q. 1. c. Cum Apoſtolus. De cenſib. & c. 1. §. Procurat. eod. tit. in 6.

CAPUT X.

De Parochis & Curatis.

§. I.

CUm salus & incolumitas Christiani gregis a Pastoribus, aliisque, quibus animarum cura commissa est, dependeat, qui tanquam Cooperatores in partem solicitudinis Episcopalis assumpti sunt, eapropter magnopere Nobis providendum est, ut quod humano ore dicuntur, illud in oculis Dei esse inveniantur, ut scilicet vere digni sint & idonei, quibus animarum cura tuto credatur, ut ipsi forma gregis facti ex animo eundem pabulo verbi Dei & Sacramentorum pascant, (*n*) ac in viam dirigant salutis æternæ.

II. In quo etsi temporis successu sperare ampliora, quam ab initio statim præstare possimus, quando per Dei gratiam Seminarium Pastorale a Nobis erigendum maturos fructus fecerit: omnem tamen, quantum in Nobis est, curam interim adhibentes, monemus in primis omnes & singulos, qui quomodocunque in sordibus impuræ vitæ hactenus hæserunt, ut omnem hujusmodi labem, & vel minimam etiam suspicionem posthac bonæ vitæ exemplo a se avertant, eaque vitæ integritate cæteris prælucere studeant, ut reliqui ad eorum exemplum conformati, pietatis, justitiæ, integritatis, sobrietatis, & Christianæ disciplinæ perfectionem sectentur.

III. Sciant vero in primis Pastores, Curati, ac Rectores Ecclesiarum se ex Divino præcepto ad assiduam apud oves suas residentiam, (*o*) & ad debita Pastoralis suæ solicitudinis officia exhibenda obligatos esse, itaque inviolabiliter observent, quod supra Capite VI. *de Residentia* insinuatum est.

IV. Ac quidem, cum ipsi Ecclesiæ ac populi Dei curam habere debeant, primum domui suæ bene præesse studeant, ut nihil in ea sit, quod non pietatem, Dei zelum, frugalitatem, & omnem honestatem sapiat.

V. Deinde frequenter domos Parochiæ suæ obeant, ac perlustrent, ægrotos invisant, pauperum, viduarum, pupillorum, & aliarum miserabilium personarum curam in se suscipiant, iras & inimicitias suorum Parochianorum componant, publica blasphemiæ, adulterii, concubinatus, fornicationis, usurarum, & similia scandalosa crimina, quæ ad cognitionem & correctionem Ecclesiæ pertinent, seria, gravique commonitione atque interpositione corrigere studeant, & ubi monitione sua non profecerint, Nos, & Officiales nostros ad coercendos & puniendos pertinaces implorent.

VI. Conciones statis Festis ac Dominicis diebus diligenter habeant, Festos dies & jejunia, & quæ alias publice denuncianda sunt, populo diligenter post concionem significent. (*p*)

VII. Missas frequenter ac devote celebrent, habita præcipua ratione fundationum & piarum consuetudinum, populumque moneant, ut iis religiose intersit.

VIII. Funebria justa pie ac fideliter persolvant, & si qua in conviviis funebribus superflue ac immodice fieri hactenus animadvertant, illa tollere studeant, aut Nobis denuncient.

IX. Ecclesiam, & quæ ad ejus cultum & nitorem pertinent, diligenter curent, & si quid reparandum aut sarciendum, illud tempestive provideant.

X. Reliquias Sanctorum, vestes sacras, libros, calices, patenas, corporalia, & reliqua ejus generis Ecclesiastica instrumenta & ornamenta ad Altaris ministerium pertinentia, solicite procurent, asservent & custodiant.

XI. A nimia Laicorum familiaritate caveant, magis vero a conviviis, tabernis, compotationibus, & a sordibus & avaritiæ nota, quæ vilipendium generant.

XII. Denique cum multa, quæ in variis Titulis hujus nostræ Synodi, de Officio Divino, administratione Sacramentorum, Matrimonialibus denunciationibus, ornatu & cura Templorum, & similibus hinc inde constituta sunt & definita, Parochos, eorumque curam & officium concernant, volumus,

(*n*) 1. Pet. 5. (*o*) Conc. Trid. Sess. 23. c. 1. de Reform. (*p*) Sup. P. 1. c. 10.

mus, & ſerio iis præcipimus, ut ea omnia ipſimet integre præſtent, & ab aliis obſervari faciant & procurent.

XIII. Repetimus præterea & confirmamus, quod de Parochorum variis miniſteriis, & ad illa pertinentibus, de peregrinis, vagis & ignotis Clericis ad celebrationem & adminiſtrationem Sacramentorum ſine noſtra, aut Vicarii noſtri licentia non admittendis, ſicuti etiam de libris Baptiſmali, Matrimoniali & deſcriptorio vicinitatum ac familiarum a Prædeceſſore noſtro rec. mem. in Synodo ordinata ſunt.

XIV. Volumus etiam & mandamus, ut omnes Eccleſiarum Parochialium Rectores, cum ad Paſtoratus poſſeſſionem admittuntur, ultra Profeſſionem Fidei, (q) etiam ſubſequens Juramentum coram Vicario noſtro præſtent.

Ego N. N. juro & promitto obedientiam, reverentiam, & honorem Summo Pontifici Romano, ac Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Oſnabrugenſi N. eorundemque Succeſſoribus.

Item juro & promitto, quod Eccleſiæ meæ Parochiali N. fideliter deſerviam ſecundum oneris eidem annexi exigentiam, & in ea perſonaliter reſidebo.

Bona Paſtoratus vel Eccleſiæ meæ non alienabo, & mea alienata, quantum in me erit, recuperare ſtudebo.

Specificationem omnium fructuum Paſtoratus cum debita deſignatione hypothecarum, limitum, & terminorum intra trimeſtre, Reverendiſſimo Epiſcopo, aut ejus Vicario tradam.

Non deſeram aut reſignabo Eccleſiam mihi commiſſam, neque alio me transferam ſine conſenſu Epiſcopi, aut ejus Vicarii.

Fructus anni, in quo me mori, aut Eccleſiam dimittere contigerit, ſubjicio & obligo ad deſervituram uſque ad proximam ſementem, mortem aut dimiſſionem meam proxime ſubſequuturam. Sic me DEUS &c.

CAPUT XI.

De Teſtamentis Clericorum.

§. I.

CUm in officiis (r) charitatis ac piæ remunerationis, primo loco illis teneamur obnoxii, a quibus beneficium nos cognoſcimus recepiſſe, facile intelligunt omnes Eccleſiarum noſtrarum Clerici & Beneficiati, qui de Eccleſiæ ſtipendiis ac reditibus vivunt, ut de iis, quæ ex juſta ſuarum rerum diſpenſatione ſuperſunt, in ſupremæ voluntatis declaratione non ex carnali affectione, ſed pro Eccleſiæ Dei utilitate (s) diſponant. Licet enim refrigeſcente charitate, & cupiditate ac cura carnis ſuccreſcente, paulatim irrepſiſſe videatur, ut Clerici etiam de acquiſitis per Eccleſiam teſtentur; attamen magno ſalutis periculo conjunctum eſt, ut mox ad Tribunal Chriſti rapiendi, deque omnibus uſque ad extremum quadrantem rationem reddituri, carnem & ſanguinem Chriſto, & ejus Eccleſiæ ac pauperibus præponant, magis vero ſecurum voluntati & gloriæ Divinæ, rationi & animarum ſaluti conſentaneum, ut quæ ipſis ex patrimonio Chriſti, & bonis Eccleſiaſticis (quorum Procuratores, (t) Adminiſtratores, ac Diſpenſatores dicuntur, & ſunt) poſt honeſtam ipſorum ſuſtentationem ſuperſunt, ea in pios uſus convertant, ac in cœlum præmittant in theſauris cœleſtibus invenienda, & præſertim Eccleſiarum (quibus adſcripti ſunt) pauperum, aliarumque piarum cauſarum rationem habeant, ne, dum forte conſanguineos ſuos ex bonis Eccleſiaſticis temporaliter locupletare contendunt, rectum charitatis & obligationis ordinem invertant, & ſibi, aliisque damnationem acquirant.

II. Inter cætera vero pia loca vehementer commendamus omnibus teſtari volentibus Seminarium noſtrum Paſtorum, quod pro Diœceſis noſtræ neceſſitate & utilitate erigere mediamur, ut ſupra pag. 1. C. 6. *De Semina-* rio

(q) C. 15. 16. 17. 18. 20. 21. 22. 23. 24. & 25.

(r) C. Cum in offic. De teſtam. & ult. vol.

(s) C. Placuit, & ſeq. 12. q. 3. c. 1. & 3. ead. q. 4. c. 1. & c. Fixum. 12. q. 5. c. Cum in officiis. c. Ad hæc. c. Quia. c. rel. De teſtam. tot. tit. De pecul. Cleric.

(t) C. 2. De donat. cum ſimilib.

rio monuimus, ad quod omnes pro modo facultatum suarum aliquid relinquent. Quod si ab aliquo neglectum fuerit, illud Executores ex hæreditate supplere tenebuntur.

III. Quoniam vero in voluntatibus extremis, præsertim ad pias causas tendentibus, Episcopus supremus est quasi Executor, cui providendum est, ut secundum defuncti desiderium omnia fideliter fiant, (*u*) ac non raro contingit, ut tam Clericorum, quam Laicorum testamenta, & extremæ voluntates, & præsertim ad loca sacra & pios usus legata & testata, dolosis machinationibus varie impediantur & retardentur. Hinc universis nostræ Diœcesis, tam Ecclesiastici, quam Politici status hominibus gravissime, & sub Canonicis censuris ac pœnis præcipimus & mandamus: ne quarumcunque personarum, quos jura a Testamenti factione non repellunt, Testamenta, Codicillos, Legata, ac alias legitimas voluntatis declarationes præsertim ad pios usus sese extendentes, earumque executiones quovis modo negligant, impediant, aut retardent.

IV. Qui in Clericorum Testamentis Executores deputantur, sive Clerici, sive Sæculares fuerint, præmissa eorum exhibitione & approbatione ab Officiale Curiæ nostræ Episcopalis facta, fideles sint ac diligentes in exequendo. Legata omnia, præsertim ad pias causas, statim persolvant, & intra annum Testamentum executioni mandent, Nobisque, vel Vicario nostro ad nostram, vel ejus requisitionem de omnibus & singulis rationem reddant, nisi res ad judicium seu contentiosum forum sit deducta, quo casu Officiali nostro decisio relinquetur; consuetudinem tamen a Capitulo nostro Cathedrali, quoad suos de gremio hactenus observatam, non immutamus.

V. Repetimus quoque ac firmiter observari volumus, quod de prohibitione Legatorum, institutione, ac donatione a Clericis, concubinis, ac aliis personis turpibus non facienda, a Prædecessore nostro (*x*) statutum est, idque nec sub fictitiis nominibus, nec per substitutos aut interpositas personas admittimus, sub expressis & aliis pœnis Nobis arbitrariis.

CAPUT XII.

De Ecclesiis, Capellis, Oratoriis, Altaribus, Hospitalibus, Sodalitatibus, seu Fraternitatibus, & aliis piis locis.

§. I.

Similiter cum Prædecessore nostro declaramus, nostri juris Ecclesiastici & Episcopalis esse, Ecclesias, Capellas, Oratoria, Altaria, Hospitalia, & alia quæcunque pia & Deo dicata loca (*y*) per Diœcesin nostram, in quibuscunque locis, Civitatum, oppidorum, pagorum, agrorum, arcium, domorum, sive illa extent, sive per injuriam temporum ac hominum diruta sint aut conciderint. Item quæcunque ad hujusmodi pia loca a Majoribus Christi-fidelibus olim deputata, & ad servitium Divinum applicata semel fuerunt, sive mobilia illa sint, sive immobilia, quæ declaramus sine sacrilegii reatu ab aliis hominibus detineri vel usurpari non posse. Horum vero omnium restitutionem & restaurationem, & omnimodam dispositionem secundum Decretum Concilii Trid. (*z*) Nobis reservamus, diligentem vero indagationem nostro in Spiritualibus Vicario committimus, omnesque & singulos nostros subditos, maxime vero Ecclesiasticos, sub pœnis alias in jure expressis, de rerum Ecclesiasticarum detentoribus, eorumve fautoribus, monemus & requirimus, ut quicquid harum rerum ad notitiam devenerit, id Nobis, aut nostro in Spiritualibus Vicario designent ac significent.

II. Mandamus etiam omnibus & singulis, ad quos ea res pertinet, ut Templa, Ecclesias, Capellas, Oratoria,

(*u*) C. Si hæred. c. Tua nobis. c. Si Johan. De Testam. Conc. Trid. Sess. 22. c. 8. de Ref. auth. Licet. c. De Episc. & Clericis. (*x*) C. 8. §. 3.

(*y*) C. Omnes Basilicæ. 16. q. 7. Clem. Quia contingit. De relig. dom. Conc. Trid. Sess. 22. c. 8. de Reform. (*z*) Sess. 21. c. 7. de Refor. & Sess. 22. c. 11. de Refor.

ria, Offaria, & fimilia loca facra diligenter reftaurent, ac farta tecta confervent, contra negligentes vero Nos ad damnorum reftitutionem, & aliis pœnis procedemus.

III. Si quæ Sodalitates aut Fraternitates in honorem Dei, aut Sanctorum ex præcedentium temporum injuria relictæ fint, quæ inftitutionem piam habent, eas in probato ufu permanere volumus fublato omni abufu, maxime fi cenfus & reditus in comeffationes impendantur, quos magis conveniet in ufus pauperum, Ecclefiæ aut Parochi converti. Harum autem Sodalitatum ac Fraternitatum inftitutio ac forma a Nobis, aut noftro Vicario examinanda, ac quod redditis quotannis coram Parocho rationibus fupererit, ad ufus Ecclefiæ & pauperum convertendum erit.

CAPUT XIII.

De rebus Ecclefiæ confervandis & non alienandis.

§. I.

Diligentem porro curam & rationem ab omnibus Prælatis, ac iis, quorum intereft, inftitui volumus, ut ea, quæ a Majoribus noftris in pios ufus donata, legata, & alio modo conceffa, & Ecclefiæ acquifita funt, noftris temporibus non intereant, & quæ præcedentibus temporibus interverfa funt, iterum ad rectum ufum & dominium Ecclefiæ redeant. Mandamus itaque omnibus & fingulis Præpofitis, Decanis, Abbatibus, Prioribus, Abbatiffis, Prioriffis, Collegiis, Clericis, & Beneficiatis, Paftoribus, Curatis, Vicariis Civitatis ac Diœcefis noftræ Ofnabrugenfis, omnibusque piorum locorum Adminiftratoribus, ut Ecclefiæ bona ftrenue defendant, & fi aliqua norint Ecclefiæ effe fublata aut detracta, ea pro virili recuperare conentur, noftrumque defuper confilium & auxilium in neceffitatibus fuis implorent.

II. Nulla vero bona feu reditus, proventus & jura Ecclefiaftica (*a*) vendant, obligent, aut quocunque modo in perpetuum vel ad longum tempus contra Canones alienent, elocentve, fine fpeciali noftra facultate, & cum plena caufæ cognitione, num hujusmodi venditiones, alienationes, obligationes, in evidentem cedant Ecclefiæ utilitatem. Si quis contra aliquid attentaverit, ipfos contractus invalidos & nullos, de jure decernimus, nihilominus contra transgreffores ad Canonicas pœnas proceffuri.

III. Similiter mandamus omnibus Paftoribus & Proviforibus Ecclefiarum, maxime ruralium, ne nomine Ecclefiarum ullam litem inchoent ipfi pro juribus Ecclefiæ, (*b*) aut etiam excipiant, vel patiantur, fine noftro, aut noftri in Spiritualibus Vicarii præfcitu: fi quas vero nunc lites judiciales aut controverfias cum quolibet habeant, eas Nobis, aut noftro in Spiritualibus Vicario intra femeftre indicent.

CAPUT XIV.

De Proviforibus Templorum & Fabricæ.

§. I.

Proviforibus, ædilibus feu ftructuariis Ecclefiarum & Capellarum idem injunctum volumus, quod Prædeceffor nofter in Synodo Ofnabrugenfi (*c*) ftatuit: qui viri Catholici, providi, idonei ac boni teftimonii fint; quorum officii erit, ut, quafi Tutores ac Curatores Templorum, omnes cenfus ac reditus ad fabricam pertinentes, diligenter colligant, ac recipiant, fideliterque expendant, Ecclefiæ, turris, campanarum, facrorum vaforum ac veftium, aliarumque rerum (quæ ad Ecclefiam & fabricam fpectant) curam habeant, vinum, oleum, ceram, thus, & alia ad Officium Divinum neceffaria tempeftive procurent, Parochis fuis (quos Nos tanquam Ecclefiarum & Ecclefiafticarum rerum fuperiores Procuratores declaramus) requirentibus neceffaria in iis, quæ ad Officium Divinum pertinent, miniftrare non detrectent,

(*a*) C. Prædia. c. Non liceat, cum feq. 12. q. 2. tot. tit. ext. in 6. & Clem. De reb. Ecclef. non alien. (*b*) C. Quod quis. 35. q. 9. c. Si quis Presb. De reb. Ecclef. non alien. c. un. Extravag. eod. (*c*) Cap. 27.

ctent, quæ sordida sunt, mundari, quæ fracta vel corrupta, refici ac sarciri diligenter faciant, rationes ministerii sui singulis annis coram Pastore ac Deputatis facere teneantur, eaque in singulari cista templi reponant, ut requisiti omni momento exhibere possint. Negligentes in his Parochi Nobis, aut Vicario nostro denuncient.

II. Habeatur in singulis Ecclesiis cista, in qua literæ redituum, jura & pecuniæ fabricarum conserventur, sub trium clavium clausura, quarum unam Parochus, reliquas duas alii duo Provisores habeant. Volumus etiam, ut iidem conficiendo inventario rerum, jurium, ac monumentorum omnium, in Episcopali Archivio reponendorum, diligenter collaborent.

III. Indignissimum est, Ecclesiæ reditus ac eleemosynas piorum congestas, in non rectum usum converti, aut etiam in compotationibus abliguriri, proinde sub restitutionis, ac aliis pœnis Nobis arbitrariis, prohibemus convivia & compotationes, dum conventiones instituuntur, vel quicquam ratione Ecclesiæ emitur, aut tractatur, cerei conficiuntur, vel annuæ rationes rerum fabricæ traduntur; quod diligenter Pastoribus curandum commendamus.

IV. Provisores fabricæ nullas arbores vendant, cædant, minus vero donent, vel ipsi sibi usurpent ex sylvis Ecclesiæ, sub pœna restitutionis quadrupli, & alia Nobis arbitraria, in quo diligentes inspectores Parochi esse monentur.

V. Eleemosynæ pauperibus addictæ, vere pauperibus, frugi & Catholicis sine humano affectu distribuantur, ordinatis temporibus, ac maxime diebus Dominicis & Festivis post Sacrum & Concionem, quibus pauperes interesse debent.

CAPUT XV.

De Immunitate Ecclesiastica.

§. I.

EXemptiones ac immunitates rerum ac personarum Ecclesiasticarum (*d*) tam Divinæ Scripturæ auctoritate, quam perenni usu ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio concessæ ac confirmatæ, posteriorum temporum injuria, ac hæreseon malevolentia in his Regionibus nonnihil concussæ ac labefactatæ conspiciuntur, quas Nos cum antiquis Religiosiss. Impp. (*e*) & hujus Diœcesis Fundatore CAROLO MAGNO, (*f*) & Ss. Concilii Tridentini (*g*) Patribus hoc nostro Synodali Decreto, in pristinum gradum restituimus, & innovamus omnia Concilia Generalia, Apostolicas & Imperiales Sanctiones in favorem Ecclesiasticæ libertatis, & contra ejus violatores decretas, ac propterea omnes & singulos Magistratus, Officiatos, ac Ministros nostros hortamur, ut libertatem Ecclesiasticam impigre defendant, & in illos, qui illam perturbant aut impediunt, graviter animadvertant.

II. Nullus in personas Ecclesiasticas, aut earum bona, aut loca, contra Juris Canonici & Civilis Constitutiones sibi quicquam vendicet, aut Clericum coram sæculari Judice (*h*) conveniat, aut mulctam & pœnam, (*i*) vel indignum & sordidum onus ei imponat, minus illum captivare, vel in vincula conjicere præsumat, sed delinquentes Clerici Nobis, aut nostro Vicario denuncientur.

III. Quod si vero Clericus enormiter valde deliquisset, (*k*) & vehemens fugæ suspicio adesset, permittimus, ut a sæculari Magistratu in loco certo & honesto, donec Nos, vel Vicarius noster certiores facti fuerimus, detineatur, aut vinctus securo, sed decenti modo ad Nos mitti possit.

IV.

(*d*) Gen. 47. v. 26. 1. Esd. 7. v. 24. L. 12. c. De sacr. Eccl. l. Omnes. c. De Episc. & Cler. l. De nobis. & l. ult. eod. tit. l. Privilegia & Const. seq. Cassa. c. De sacro. Eccl. l. Si vener. cum Const. seq. c. De Episc. & Cler. c. Non minus. 4. & c. Adversus consules. De immunit. Eccles. & eod. tit. in 6. & in Clem.
(*e*) Constantino, Valentiniano, & Justiniano, Anastasio, Justiniano, &c. sup. allegatis ll.
(*f*) Lib. 6. leg. c. 109. (*g*) Sess. 25. c. 20. de Ref. (*h*) C. Qualiter. De jud. Citet aut. (*i*) C. Nullus. De foro comp. (*k*) Facit. c. Ut famæ. De sent. excom.

IV. Quod de aſylo (*l*) & immunitate ac ſecuritate Eccleſiarum & Cœmiteriorum conſtitutum eſt, ut nullus inde extrahi poſſit, inviolabiliter quoque obſervari volumus, exceptis publicis (*m*) latronibus, qui per induſtriam proximum occiderint, incendiariis, vel nocturnis agrorum depopulatoribus, qui itinera obſident aggreſſionum inſidiis, denique qui ſub immunitatis ſpe in Eccleſiis delinquunt.

V. Si vero a confugientibus ad Eccleſias talia ſint commiſſa crimina, quæ ne impunita permaneant, interſit Reip. tantisper ſæcularis poteſtas a manuum injectione abſtineat, donec Nos, aut noſtri Officiales conſulantur, & ab iis licentia impetretur.

VI. Ad hanc quoque immunitatem Eccleſiæ & Cœmiteriorum ſpectat, ne quid in iis ædificetur aut conſtruatur, aut exerceatur, quod uſibus prophanis ſerviat, quapropter loca ſacra ubique diligenter clauſa, & a negotiis prophanis libera eſſe volumus. Judicia vero ſæcularia, (*n*) ludos hiſtrionum, & joculatorum, forum rerum venalium, prandia publica, compotationes, choreas, ſaltationes, & ſimiles inſolentias in iis diſtricte prohibemus.

VII. Animadvertimus etiam in Diœceſis noſtræ multis Cœmiteriis habitationes & ædes Laicorum erectas contra ſacrorum Canonum prohibitionem, & Eccleſiaſticæ libertatis immunitatem. Cui malo, cum debito modo mederi velimus, illud inprimis ſtatuimus, ne poſthac ullæ ædes amplius in Cœmiteriis ſub quocunque prætextu ædificentur: quæ autem a tempore recol. mem. Prædeceſſoris noſtri exſtructæ ſunt, ut dejiciantur, quæ vero jam antiquatæ, aut prope ruinam ſunt, ne amplius inſtaurentur. Conandum vero erit, ut hujusmodi ædes, ad alia loca transferantur, & in primis, ut fimeta ac vaccarum & porcorum ſtabula, & ſimiles impuritates ex locis ſacris removeantur; Quod curæ Paſtorum & Officialium noſtrorum, quos ipſi ad hoc imploraverint, ſerio committimus, quorum negligentiam arbitraria animadverſione perſequemur.

VIII. Prohibemus quoque ſerio, ne mercatus, etiam tempore Dedicationis & aliarum ſolennitatum, in Eccleſiis, Cœmiteriis, Templorum veſtibulis, ac porticibus inſtituantur, (*o*) quod ſimiliter ſerio Paſtoribus & aliis Officiatis noſtris, quos illi pro auxilio imploraverint, committimus.

IX. Etſi quidem ob hoſtilem incurſum, ſubita incendia, aut alios improviſos caſus, ad loca ſacra cum rebus ſuis confugere non ſit illicitum: Volumus tamen, ut periculo aut neceſſitate ceſſante, quæ illata ſunt, rurſus inde exportentur, nec lino, frumento, lana, panno, cibariis, ciſtis, haſtis, enſibus, ſclopis, ſignis militaribus, aliisque impedimentis, Templa, Sacella, Sacraria per annum repleta maneant, uti in multis locis apparet, & Paſtoribus diligenter emendandum injungitur.

X. Magna cura a Prædeceſſoribus noſtris proviſum fuit, ut inſignes ædes in immunitatibus, præſertim Cathedralis & Collegiatarum Eccleſiarum ædificarentur, ut iſta excellentium ædificiorum commoditate & jucunditate Canonici & Eccleſiarum Miniſtri ad reſidentiam & perſonale obſequium invitarentur. Quæ omnia in plerisque locis contra primam inſtitutionem & ſacrorum Canonum Sanctionem perverſa & immutata ſunt, & domus, quæ olim Canonicorum & Miniſtrorum Eccleſiaſticorum habitationi comparatæ ac dedicatæ fuerunt, nunc laicis conjugatis, mercatoribus, forſitan etiam interdum non ſatis honeſtis ac plane hæreticis locantur, magno contemptu & irreverentia Eccleſiæ & Conſtitutionum Eccle-

(*l*) Can. Miror. c. Frater. c. Nullus Cleric. c. Si quis. c. Metuentes. c. Definivit. c. Id conſtituimus. 17. q. 4. tot. tit. De immunit. Eccl. Ext. & in 6. l. Fidel. & l. Pateant. c. De his, qui Eccl. confu.

(*m*) C. Sicut antiquitus. 17. q. 4. c. Inter. & c. fin. De immunit. Eccleſiarum.

(*n*) C. 1. De immunit. Eccleſ. c. Decet. eod. tit. in 6.

(*o*) C. Decet domum. De immunit. Eccleſ. in 6.

Ecclesiasticarum, eoque minus tolerando, quod ab iis hæc injuria in Ecclesia enascatur, a quibus hujusmodi jurium defensio merito requiritur. Quare, ut quæ tam bona & utili Ecclesiæ Majorum intentione bene sunt constituta, posteriorum negligentia ad Ecclesiasticæ disciplinæ enervationem & immunitatis violationem non confundantur, præsenti Decreto statuimus ac districte prohibemus, (*p*) ne de cætero quispiam domos Capitulares sive hæreditarias ab aliqua Ecclesiarum dependentes, quas Canonici, seu Beneficiati ipsius Ecclesiæ inhabitare consueverunt, laicalibus seu extraneis personis quibuscunque sine nostra licentia dare, vel locare, committere, seu vendere ad inhabitandum, nullatenus vero ad nuptias, choreas publicas, vel alia sæcularia negotia in eis exercendum, concedere præsumant.

XI. Etsi forte actu aliquæ domorum hujusmodi locatæ, ac concessæ sint, locationes & concessiones hujusmodi illi, ad quos pertinent domus, intra competentem terminum studeant cum effectu revocare; alioquin Nos præter arbitrariam Nobis pœnam locationis pretia eo ipso commissa, & judicio nostro piis locis applicanda declaramus.

XII. Quia vero ædes Canonicales ac Beneficiales pudore publico, ac magno Ecclesiarum ac Beneficiorum detrimento destructæ ac ruinosæ conspiciuntur; mandamus omnibus & singulis Capitulis, Collegiis, Structuariis, Provisoribus, & aliis, ad quos ea res pertinet, ut ædes hujusmodi ruinosæ annue inspiciantur, visitentur & restaurentur, ac inposterum sarta tecta conserventur, sub pœna arbitraria contra negligentes.

CAPUT XVI.

De Archivio Episcopali.

§. I.

Magna Ecclesiæ ac piis locis incommoda accidunt, quod, quæ a Majoribus in pios usus donata sunt, sæpe negligentia vel avaritia posterorum aut intercidant, aut ignorentur, aut intervertantur, ut sæpe necessarium sit post obitum Beneficiatorum novas designationes redituum ex aliorum relationibus facere, antiquis registris vel monumentis deperditis; unde præter defraudationes Ecclesiarum sæpe lites oriuntur, quibus ob ignorationem monumentorum, jurium & designationum non facile decisio invenitur, multaque ex patrimonio Christi deperduntur ac negliguntur.

II. Hinc Nos pro Pastoralis nostri muneris obligatione hujusmodi incommodis obviare volentes, statuimus Archivium Episcopale in nostra Cathedrali Ecclesia Osnabrugensi, vel alio loco commodo a Nobis designando erigendum esse, ac volumus, ut singuli Parochi ac Beneficiati intra sex menses a publicatione hujus nostræ Synodi, vocatis iis, quorum interest, inventarium omnium & singulorum bonorum tam mobilium, quam immobilium, jurium, actionum, annuorum censuum, jurisdictionum, privilegiorum, ac scripturarum, debitorum, & aliorum quorumcunque ad ipsas Parochias seu Beneficia pertinentium, cum eorum confiniis & plena descriptione per publicam personam, in præsentia duorum saltem testium confici procurent, ac Nobis, aut nostro in Spiritualibus Vicario tradant, in Archivio illo publico recondendum.

III. Repertorii hujus duo exempla in forma authentica per eandem publicam personam conscribantur, quorum alterum apud Parochialem, seu aliam Ecclesiam, in Archivio, seu in loco alio bene munito & custodito, qui duabus aut tribus differentibus clavibus aperiatur, quarum unam Parochus, alias Provisores Templi, vel cum Diœcesis nostra in Regiunculas suas & Decanatus rurales divisa fuerit, Decanus ruralis illius Capituli habeat, alterum exemplum in dicto Archivio Episcopali ad hoc deputato conservetur: singulis autem decenniis inventarium illud renovari volumus.

IV. Idem faciant & hujusmodi Inventaria conscribant, Capitula omnia &

(*p*) Vide Constit. Archi-Episc. Col. Friderici c. 7. fol. 227.

& Collegiatarum Ecclesiarum, Hospitalium, ac quorumcunque piorum locorum Gubernatores seu Administratores, & alii quicunque, qui Beneficia Ecclesiastica quæcunque, cum cura vel sine cura, quocunque nomine nuncupentur, obtinent, intra annum a publicatione hujus Synodi, & alterum exemplum in communi suo Archivio retineant, alterum in Archivio Episcopali asservandum tradant. Contra negligentes hac in parte pœna arbitraria procedemus.

V. Nullus autem Pastorum unquam in Pastoratu suo instituatur, quin omnium bonorum mobilium in domo Pastorali inventorum, similiter calicum, paramentorum, librorum, & quorumcunque instrumentorum Ecclesiasticorum inventarium intra 14. dies Nobis, aut Vicario nostro in Spiritualibus exhibeat, simul cum designatione, si quid in ædibus Pastoralibus corruptum, destructum, demolitum, aut deperditum fuerit, sub pœna 20. aureorum irremissibiliter solvendorum.

CAPUT XVII.

De Examinatoribus.

Quæ de Examine Ordinandorum, ac præcipue ad curam animarum ex Concilio Tridentino (q) a Prædecessore nostro (r) salubriter sunt statuta, debite observari volumus, ac propterea diligenter nostro Vicario, & Examinatoribus commendamus, ne quenquam ad curam animarum exercendam admittant, nisi quem ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis idoneum judicaverint. Similiter stricte prohibemus, ne quispiam in Pastorales functiones se se ingerat, nisi prævio examine & approbatione licentiam in scriptis a nostro Vicario obtinuerit.

Nolumus ullum posthac cujuscunque status ad Ordines & Beneficia, maxime curata, sine hujusmodi examine admitti, Provisiones autem, collationes, institutiones, investituras aliter factas nullius roboris declarantes.

Deputamus autem Examinatores cum Vicario nostro in Spiritualibus Generali:

Præpositum & Decanum Cathedralis nostræ Ecclesiæ.

P. Priorem Prædicatorum.

P. Guardianum Franciscanorum de Observantia.

P. Rectorem Societatis JESU.

Concionatorem nostræ Ecclesiæ Cathedralis, cum tribus aliis doctrina & bonis moribus præditis ex Clero nostræ Civitatis a Nobis nominandis.

CAPUT XVIII.

Judices delegatos Causarum Apostolicarum nominamus.

Præpositum Cathedralis Ecclesiæ.

Decanum Cathedralis Ecclesiæ.

Decanum Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ.

Judicem ordinarium seu Officialem nostrum.

Et unum de Clero nostro secundario Civitatis nostræ a Nobis nominandum.

CAPUT XIX.

De Censore Librorum.

Cum a Nobis *Parte I. Cap.* 11. statutum sit, ne quispiam posthac libros vetitos, aut alios suspectos imprimat, invehat, vendat &c. Hinc deputabimus unum, vel plures librorum Censores de Clero nostro, sine quorum consensu & censura nemo librum ullum imprimat, vendat, aut in nostram Diœcesin invehat, quorum officium quoque erit Typographias & Officinas librorum visitare, libros vetitos confiscare, & alia secundum rationem officii illius persolvere & perficere.

CAPUT XX.

De Pœnitentiario.

In Pœnitentiarium publicum in nostra Cathedrali Ecclesia constituimus, quendam ex Patribus S. Francisci Fratrum Minorum de Observantia, ex quibus successive alium qualificatum nominabimus.

CON-

(q) Sess. c. 7. Sess. 13. c. 5. 7. & 12. & Sess. 24. c. 18. de Refor. (r) C. 34.

CONSTITUTIONUM, ET DECRETORUM SYNODALIUM DIOECESIS OSNABRUGENSIS

PARS TERTIA.

CAPUT I.

De Regularibus & Personis Religiosis.

§. I.

QUanti intersit Reip. Christianæ, ac cujuslibet Provinciæ, Civitatis, ac Communitatis, in sinu suo fovere Regulares & Religiosas personas, quæ peculiari modo a mundi vanitate separatæ, tribus Sacræ, ac Religiosæ vitæ votis substantialibus, Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ sese Deo adstringunt, & noctes diesque in mortificationis, placationisque operibus, contemplationibus Divinis, & precibus, continuas quasi pro cætero populo excubias agunt, Deique iram, infinitis eorum, qui de mundo sunt, & sæcularia desideria sequuntur, peccatis provocatam, sedare & placare contendunt, (s) omnes facile intelligere possunt, qui altiori consideratione expendunt, quanta ex piis eorum exercitationibus, ac vita religiosa commoda atque emolumenta in Remp. redundant, cum pro paucorum, aut etiam unius aut alterius innocentia, & vitæ integritate, sese Deus communitati etiam integræ ac populosæ parciturum promiserit. Hinc uti optandum est, ut plurimi hujus instituti sancti ac Religiosi in Repub. & Diœcesi nostra alantur, sic illis connitendum est, ut dignos ac speratos fructus altioris istius vitæ ad populi ædificationem, Divinæ vindictæ mitigationem ac publicam salutem, pacem, ac prosperitatem proferant.

II. Volumus itaque, ut quicquid in Monasteriis & Religiosis domibus, vel socordia hominum, vel injuria præcedentium temporum, vel senio quodam, & torpore antiquorum Ordinum irrepsit, ac deformatum est, id magno studio ac fervore spiritus resumpto renovetur, ac in pristinum gradum reponatur.

III. Religiosæ vero vitæ disciplina tunc recte restituetur, si qua ratione quibusque factis illa primum constituta, diuque conservata est, eadem etiam in restitutione & reformatione adhibeantur.

IV. Constituta vero & conservata est diligenti & accurata Regularum & Constitutionum, & trium præsertim substantialium votorum observatione, (t) atque adeo simili modo erigetur & restituetur, ubi collapsa est. Nihil enim, nisi ad Regulam, recte fit.

V. Inprimis autem curandum est Religiosis, ut continentiam ac castimoniam colant, (u) ejusque conservandæ media sedulo amplectantur: quod tunc maxime fiet, si fuga sæculi ac sæcularium negotiorum, evitent scopulos illos, in quos multi caute non ambulantes, ac nimium sibi præfidentes impegerunt.

VI. Ab omni itaque prohibito aspectu, colloquio, consuetudine, ac familiaritate disparis sexus abstineant, fœminæ omnes ab ambitu, refectorio, dormitorio, & aliis secretioribus locis Monasterii arceantur. Extra clausuram & loca Conventualia, si quæ fœminæ ex necessitate ad colloquium sint admittendæ, honestatis tamen ubique ratio habeatur.

VII. Ad conservationem vero castitatis valent cætera communia fere omnibus Ordinibus religiosa instituta, sancta sobrietas, virtutum omnium aut parens, aut soror, mortificationes quotidianæ, in jejuniis, vigiliis, silentio, cultus asperitate, otii fuga, ac corporali fatigatione, ad quæ, si sacra lectio, sancta meditatio, orationis frequentia accedant, tutum facile constituent Religiosum ab omni turpitudine actus & delectationis carnalis.

VIII. Si quis vero in his præstitam Deo

(s) Genes. 18. v. 23. & seqq. Ezech. 22. v. 30. (t) Clem. Exivi. De verb. signif. c. Cum ad Monast. De statu Monach. Conc. Trid. Sess. 25. c. 1. de Regular.
(u) Caus. 27. q. 1. per tot.

Deo fidem irritam faciat, ac ſibi fœdam quidem ſacrilegii notam inurat, Ordini vero ſuo turpem incontinentiæ labem aſpergat, ſecundum Statuta, Regulam ac Canonicas ſanctiones graviter puniatur, & ad aliud Monaſterium (acta tamen prius ſalutari pœnitentia in loco delicti) ablegetur, nec niſi ex ſpeciali noſtra licentia in Diœceſi noſtra morari poſſit.

IX. Religioſa paupertas exigit a Chriſti diſcipulis, & veræ Religionis ſectatoribus, ut affectum, amoremque omnem a terrenis rebus divertant, & ad cœleſtia transferant. Ut autem voluntaria ſit paupertas, non ſufficit, ut voto libero ſit confirmata, & tamdiu contenta, quamdiu omnia, quæ ſunt neceſſaria, affatim ſubminiſtrantur, ſed & ipſa penuria neceſſaria, aut quæ facile evitari non poteſt, & quæ ex illa ſequuntur moleſtiæ & incommoda, voluntati tam ingrata eſſe non debent, ut linguam in murmur aut contradictionem reſolvant, aut ad alias ſolicitudinum improbas cogitationes auſusque convertant.

X. Prælatis vero, ac quibuscunque Superioribus Monaſteriorum ſerio injungimus, ut pro neceſſitate ac Monaſterii facultatibus, juxta vocationis & Regulæ ſuæ rationem, neceſſaria in victu, potu, veſtitu, cæterisque vitæ ſubſidiis decenter ac benigne ſubminiſtrent; ne ſordida ipſorum tenacitas paupertatis votum grave faciat.

XI. Religioſis ſimiliter injungimus, ut quæ ipſis religioſa ſobrietate præſtantur, magna animi gratitudine ſuſcipiant, & ſi in omnibus appetitui non fiat ſatis, memores ſint promiſſæ paupertatis, ad quam ſpectat, quod de ſe dicit Apoſtolus (*x*): Ego didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe; ſcio enim humiliari, ſcio & abundare (ubique & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia poſſum in eo, qui me confortat.

XII. Eliminamus vero omne illud, quicquid in Religioſis ſanctam paupertatem vitiat, (*y*) aut, ut vocatur, proprietati anſam præbet, ſive penſiones vitales, annui reditus, mobilia vel immobilia bona, cujuscunque ſpeciei, aut quocunque titulo habeantur, ſed omnia ad communitatis participationem redacta; omnia ex eadem deprompta eſſe volumus, ut, quæ radix eſt omnis boni charitas, inter fratres ſimili modo ac forma viventes, facilius conſervetur, & radix malorum cupiditas exſtirpetur.

XIII. Communem quoque vitam, quantum ad victum & veſtitum attinet, ab omnibus Religioſis obſervari volumus, ut ex eodem cellario & veſtiario neceſſitati eorum ſatisfiat, in eodem Refectorio comedant, & eodem dormitorio requieſcant, nec quiſpiam ſibi aliquid operetur, ſed omnia in commune fiant, majore ſtudio & frequentiori alacritate, quam ſi ſinguli ſibi facerent propria.

XIV. Nullus in Monaſterio alio pretioſius aut alia forma veſtiatur, (*z*) nec quiſpiam veſtibus populo placere ſtudeat, ſed moribus, & ſive Superior, ſive ſubditus, domi foriſque habitum ac tonſuram profeſſioni ſuæ convenientem gerat.

XV. Omnis pecunia, vel res, quam Religioſus qualibet occaſione, donatione, labore, induſtria, aut quocunque modo acquirere poteſt, Superiori tradatur, (*a*) & in commune peculium conferatur, ne contingat illa deteſtanda perverſitas, ut alius, qui conſanguineos in ſæculo divites habet, abundet, alius vero, qui Deo derelictus eſt, neceſſitatem patiatur.

XVI. Ad hujus vitii exſtirpationem quoque pertinet, ut prudenti Superiorum conſilio a Religioſis illa ſubtrahantur, quæ non raro cum affectu & ſpecie proprietatis retinentur, qualia ſunt cochlearia, & alia inſtrumenta argentea, cultri elegantius elaborati, ſudariola acupicta, & ſimilia, quæ interdum etiam ſub pietatis ſpecie detinentur, & quamvis exigua videantur, affectum tamen inordinatiſſime detinent.

(*x*) Philip. 4. v. 11. & ſeq. (*y*) C. Cum ad Monaſterium. De ſtatu Monach.
(*z*) Clem. Ne in agro Divino. De ſtatu Monach. (*a*) d. c. Cum ad Monaſt. & c. Monachi. De ſtatu Monach. c. Non dicatis. 12. q. 1. Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 2. de Regul.

nent. Indignum enim eſt, ut qui toti mundo ſeſe renunciaſſe profitetur, minimis rebus adhæreſcat.

XVII. Obedientiam cum Religioſi omnes profiteantur, eam Præpoſitis ſuis exhibeant ex animo, tanquam Deo ſervientes, imitatores facti iſtius, qui obediens fuit uſque ad mortem, ſubmota omni murmuratione & contradictione, cujus obedientiæ ſolida, ſanctaque ſint exercitia, præſertim in Novitiis, dum illi ſpecimen futuræ vitæ ſuæ anno probationis exhibent, ut hujus virtutis exercitatio faciliorem ſuavioremque illis reddat vitam poſteram, Superioribus rectionem & curam.

XVIII. In ſuſcipiendis Novitiis omnis pactio Simoniaca vitetur, nec ante Profeſſionem, excepto victu & veſtitu, quicquam detur, ut libertas diſcedendi non arctetur. (b) Nemo ante annum decimum ſextum ætatis expletum, & poſt integrum probationis annum exactum ad Profeſſionem admittatur, nemo ad alicujus Religionis Profeſſionem emittendam, vi, metu, dolove inducatur. In ſuſceptione Religioſorum non affectibus humanis res agatur, neve divitiæ, natales, & ſimilia ſpectentur, ſed ſolum purus Dei honor, & animarum ſalus quæratur. In receptione nullæ, in Profeſſione ac Primitiarum oblatione vel celebratione ſobria ac moderata convivia ſint, quæ magis referant ſpeciem lætantium ac exultantium in Domino ob peccatoris converſionem, quam inanem mundi vanitatem aut applauſum.

XIX. In Monaſteriis, quorum Capitula ſeu Congregationes ſingulares Novitiatus non habent, locus aliquis pro Novitiis ſeparetur, (c) iiſque deputetur vir religioſus, pius, prudens, doctus, ac diſcretor ſpirituum, qui uniuſcujuſque mores, affectus, animi motus & propenſiones diligenter exquirere, & iis remedium opportunum adhibere poſſit.

XX. Ad Officia Divina tam diurna, quam nocturna omnes ſine diſtinctione (niſi quos procuratio rerum exteriorum Monaſterii interdum excuſat) eo diligentius conveniant, quo perſpectius habent idipſum omnibus ſecundum ſtatum, Regulas, Conſtitutiones, Fundationes, ac laudabiles conſuetudines magna pietate ac diligentia præſtandum eſſe, ac cum in locis omnibus, tum vel maxime in Choro præſentem Deum agnoſcant & revereantur omni, qua poſſunt, interna pietate, & externa reverentia, morumque gravitate. Nihil ibi fiat, quod a domo Domini, quam decet ſanctitudo in longitudinem dierum, ſit alienum.

XXI. In expiatione conſcientiarum, & humili peccatorum confeſſione, ac Ss. Euchariſtiæ frequentatione id fiat, quod in Religioſis deſiderata vitæ integritas, & cujuſque Ordinis Regulæ & probatæ conſuetudines requirunt.

XXII. Capitula, quæ vocant culparum, ad diſciplinæ conſervationem inſtituta, diligenter, frequenterque habeantur. (d) In quibus non ſolum vitia ſevere corrigantur, ſed etiam virtutum ſtudium, & diſciplinæ amor excitetur, fervor ſpiritus foveatur, languor & lenitudo in progreſſu vitæ ſpiritualis excutiatur: vita enim Religioſi ſi languida eſt, ſi in virtute non proficit, ſi ad libertatem carnis aſpiret, ruinæ proxima eſt. In his Capitulis ad amuſſim Regulæ & Conſtitutionum, vita cujuſque examinetur & exigatur, & iis Superiores, quibus de his maxima cura incumbit, ſemper intereſſe ſtudeant.

XXIII. Regulares Prælati, præſertim non mendicantes, ſuos Fratres non facile, nec abſque rationabili & magna cauſa ex Monaſteriis dimittant, (e) vagabundos vero, & apoſtatas diligenter inquirant, & ad Monaſteria ſua reducant, & tam in receptione, quam pœnarum impoſitione, ita manſuetudinem cum vigore juſtitiæ temperent, ut nec diſciplinam ſine miſericordia, nec miſericortiam ſine diſciplina reliquiſſe videantur.

XXIV.

(b) C. Monachi. De ſtatu Monach. c. Quoniam Simoniaca. De Simon. Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 15. de Regular. (c) Clem. Ne in agro Dominico. De ſtatu Monach.
(d) Clem. Ne in agro Dominico. (e) C. Ne Religioſi. De Regul. & tranſ. d. Clem. Ne in agro.

XXIV. Nolumus etiam, ut Religiosis sub quocunque prætextu, Parentes, consanguineos, amicos, affines invisendi, & ad prandia ipsorum, multo minus ad nuptias, Dedicationes, Baptismalia, aut similia convivia accedendi licentia a Superioribus detur, ac sub hujusmodi prætextu peregrinationes ac profectiones suscipiantur.

XXV. Cum vero Religiosis interdum ex necessitate Monasterii proficiscendum est, omnibus iis, quibuscum versantur, modestiæ religiosæ & bonorum operum præbeant exemplum, tabernas, nisi præcisa necessitate, in via non frequentent, & expedito eo, propter quod emissi sunt, quam citissime ad Monasterium redeant.

XXVI. Cum vero periculosissime peccetur, si indignis prælatio aliorum deferatur, eaque res affectibus sinistris, non judicio recto, sinceraque intentione agatur, si enim, qui suis affectibus dediti sunt, consentientem sibi Superiorem eligant, actum esse de omni disciplina & reformationis studio, tot insignes deformationes & ruinæ Monasteriorum testantur. Hinc Superiores & Visitatores, aut Commissarios eorum Ordinum, qui in Diœcesi nostra sunt, graviter monemus, & in Domino obtestamur, ut in hoc negotio cauti ac diligentes sint, ne nostram a Canonibus (f) probatam curam & inspectionem merito adhibere cogamur.

XXVII. Qui canonice electi fuerint Ordinum Superiores utriusque sexus, & a Nobis ex antiqua consuetudine benedictionem seu confirmationem expectare debent, non ante se administrationi ingerant, quam a Nobis confirmationem obtinuerint, eamque intra mensem exhibito Nobis electionis seu postulationis publico instrumento petere, ac solitum obedientiæ ac fidelitatis juramentum præstare teneantur, (g) alioquin ab administrationis officio & dignitatibus, ad quas assumpti fuerint, sese noverint esse suspensos.

XXVIII. Constituti autem Monasteriorum Prælati ac Præfecti illud sciant, se ut Ss. Patrum, quorum Regulam profitentur, Successores ac Vicarios obligatos esse ad reddendam rationem pro singulis sibi commissis, a quibus amari magis appetant, quam timeri. Meminerint quoque se bonorum ac fructuum Monasteriorum non Dominos esse, sed dispensatores tantum, (h) nec se pro arbitrio & voluntate sua, sed secundum intentionem piorum Fundatorum, & Ecclesiæ, pro necessitate & utilitate Monasterii ac Fratrum suorum dispensare debere.

XXIX. Caveant itaque diligenter, ne sumptibus non necessariis Monasteria onerent, in conviviis splendidis, sumptuosis ædificiis, superfluo famulatu, equorum numero, donationibus in propinquos, aut aliis superfluitatibus; & demum nihil admittant in se, vel in suis Religiosis, quod professæ paupertati sit contrarium.

XXX. Hospitalitas ea exerceatur, quæ non luxuriem & infrugalitatem sapiat, sed religiosam sobrietatem & moderationem, (i) si hospites necessario suscipiendi sint, quod aliter non fiat, quam cum Religiosi ac pauperes, honesti ac necessarii amici, aut alii, qui iter justa de causa isthac faciunt, aut negotiorum in Monasterii utilitatem tractandorum gratia accedunt, omnia modeste & frugaliter exhibeantur, absit crapula, ebrietas, invitatio ad æquales haustus, sermo scurrilis & inutilis, & quicquid demum religiosæ modestiæ repugnat. Ii vero, qui non nisi Symposiorum, superfluæ visitationis, & sui causa, cum damno Monasterii accedunt, speciali hoc nostro mandato excludantur.

XXXI. Officialium inferiorum, qui post Prælatum sunt, electio non ex gratia & affectu, sed ex dignitate & aptitudine personarum fiat, qui vero ad hujusmodi officia deputati sunt, & rerum exteriorum administrationem habent, de rebus sibi commissis secundum Constitutiones ac consuetudines Ordinis, ac quoties id Superiori visum fuerit, rationem reddant, &, dum aliis ex charitate servire coguntur, id satagant, ne exteriorum solicitudine interioris

---

(f) C. Si quis. 18. q. 2.
(g) C. Ne Dei Ecclesiam. De Simon.
(h) d. Clem. Ne in agro.
(i) Dist. 42. per tot.

rioris hominis jacturam faciant, sed Mariæ pietatem cum solicitudine & officio Marthæ conjungant, & sæpius ad cellæ quietem sese conferant, nihil vero committant, quod vel immodestiam, elationem in officio, studium proprii compendii, vel simile quid sapiat, quod si a Superiore animadvertatur, ad cellæ quietem & suæ salutis curam relegentur.

XXXII. Regulares, sive in ipsis Monasteriis, quibus cura animarum est annexa, sive extra illa, Parochiæ præficiantur, (k) Sacramenta non administrent, nec curam animarum quocunque modo exerceant, nisi prævio examine a Nobis, aut Vicario nostro approbati sint. In iis vero, quæ ad dictam curam & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni nostræ sint subjecti.

XXXIII. Nihil hoc sæculo tam ornat Religiosum, quam cum pietate conjuncta doctrina, quæ inter Sectariorum versutias & obtrectationes maxime est necessaria. Itaque post ea, quæ a Concilio Tridentino (l) de sacræ Scripturæ lectione sapientissime præscribuntur, cum studium Theologicum publicas exercitationes requirat, Nosque jam in Civitate nostra Osnabrugensi cum Seminario nostro Theologici studii principium fecerimus; hortamur Superiores Religiosorum, ut juniores fratres omnes, maxime qui bonæ sunt indolis, ac in suis Monasteriis in literis sufficienter erudiri non possunt, vel ad Civitatem nostram Osnabrugensem, vel ad vicinam Monasteriensem aut Paderbornensem Universitatem Studiorum gratia dimittant, & in Monasterio vel Collegio aliquo collocent, ubi cum accessione doctrinæ Monasticæ disciplinæ jacturam nullam faciant.

XXXIV. Huc etiam spectat, ut Bibliothecæ in Monasteriis instituantur, restaurentur, conserventur, augeantur, & repurgentur a libris vetitis, maxime hæreticorum.

XXXV. Temporis pretium cum infinitum sit, maximeque conveniat, ut Religiosis istius certa constet ratio, cupimus omnino, ut, quod tempus a Divino Officio superest, in solidis pietatis exercitiis, sacris meditationibus, orationibus, lectione sacrorum librorum, & similibus sanctis exercitationibus traducatur, ad quod multum valeret, accurata temporis & occupationum distributio mane facta, ac meridiana, vespertinaque rationis repostulatio, & observatio diligens negligentiarum & humanorum lapsuum, renovatio propositorum ac cura diligens particularis examinis. Hoc, si a Religiosis cum ipso tyrocinio inchoaretur, suavem iis vitam religiosam redderet, magisque statui ac vocationi suæ facerent satis.

XXXVI. Demum ea omnia, quæ a Canonibus, Concilio Tridentino (m) & aliis etiam locis hujus Synodi constituta sunt, & Regulares concernunt, ea omnia Monasteriorum Superioribus & Regularibus quibuscunque commendatissima esse cupimus.

CAPUT II.

De Sanctimonialibus.

§. I.

SAnctimonialium eadem est cum Monachis obligatio, in conservandis votis substantialibus, per quæ Deo devotæ sunt atque obstrictæ, unde ad hujusmodi observationem eas diligenter adhortamur.

II. Inprimis vero, quoniam Christi Sponsæ sunt, cui virginitatem suam consecrarunt, omni cura illis advigilandum est, ut, sicuti Virgines decet, castæ sint corpore & spiritu, (n) Fidem ac integritatem suam Deo dedicatam corde, ore, & opere conservent.

III. Proinde omnia hujus castitatis conservandæ media & adminicula, jejunia, orationes, meditationes, silentium, solitudinem, laborem manuum, ac alias carnis mortificationes ultro amplectantur, vana vero & mundana colloquia, præsertim cum viris, particu-

(k) Conc. Trid. Sess. 25. c. 11. de Regular.
(m) Sess. 25. de Regul.
(l) Sess. 5. c. 1. de Refor.
(n) Causa 27. q. 1. per tot.

ticulares & ſuſpectas familiaritates cum quibusdam perſonis, etiam Eccleſiaſticis & Religioſis, & quæ ſunt ſimilia malorum irritamenta, omnino fugiant.

IV. Quoniam vero præcedentibus annis, quibus multa contigerunt, puritati Religioſæ vitæ adverſa, (o) interdum etiam Moniales, laxatis libertatis habenis,& virginali verecundia ſepoſita, licentius Monaſteriis egreſſæ, & ad convivia, nuptias, Primitias, Dedicationes, viſitationes Parentum & amicorum proceſſiſſe dicuntur, hujusmodi ſimiles omnes abuſus hac noſtra Conſtitutione abominamur, & ſublatos eſſe volumus; graviter tam in contra facientes, quam earum Superiores, ſi quid ab ipſis remiſſione, negligentia, aut indulgentia peccatum fuerit,animadverſuri.

V. Carentiam proprii, uſque ad paupertatis faſtigium Sanctimoniales ament & colant, (p) nulla ſibi proprium aliquid dicat aut ſervet, ſed omnia in Præfectæ poteſtate conſtituta ſint.

VI. Quicquid Monialis hæreditate, donatione, vel alia quavis juſta cauſa acquirit, id omne in communem Monaſterii uſum redigatur, nihilque muneris aut donarii ſive a Clericis, ſive a Sæcularibus capiat, nihil viciſſim det, etiam devotionis aut Religionis cauſa ſine Præfectæ præſcitu & conſenſu.

VII. Cenſus vitales, ancillas, catellos, gallinas, columbas, aves, aut ſimilia nulla Monialis habeat ſub pœna proprietatis.

VIII. Ad faciliorem,ſuavioremque paupertatis ſeu carentiæ proprii tolerantiam curetur, ut exquiſita illa & Religioſæ vitæ communis ratio & uſus in Monaſteriis ſtudioſe introducatur & conſervetur, quoad cibum, potum, veſtitum, cæteraque neceſſaria, ne ſub prætextu neceſſitatis ſancta paupertas violetur, (q) ideoque nec plures Moniales aſſumantur, quam ex reditibus Monaſterii ali poſſint.

IX. Veſtitus ſit ſimplex, & Ordini conveniens, nihil, quod mundi ſuperfluitatem aut vanitatem ſapiat. (r) Si quid ex præcedentibus annis curioſæ vanitatis & deformationis in veſtitu Religioſo relictum ſit, id cura Superiorum, Viſitatorum, ac Commiſſariorum tollatur, ſub pœna Nobis arbitraria, ſi hic indiligentia aut diſſimulatio appareat.

X. Ut etiam omnis proprietatis occaſio in hoc genere tollatur, Præfectæ ac Confeſſarii Monialibus perſuadeant, ut veſtes omnes, laneæ, lineæ, pelliceæ, aut cujuscunque generis in uno loco aſſerventur, duæque ex Monialibus deputentur, quæ purgandis, excutiendis, ſarciendisque veſtibus ſint conſtitutæ, quæ etiam ſororibus in ſingulas ſeptimanas, &, prout uſus poſtulabit, eas diſtribuant: nulla vero Monialis veſtes apud ſe habeat, præter eas, quæ ad uſum præſentem ſunt neceſſariæ. In hunc autem uſum in quolibet Monaſterio locus communis veſtium conſtituatur.

XI. Moniales nihil clavibus obſeratum, in ſcriniis, ciſtis, aut alibi habeant; ſi quid tale fuerit, a Præfecta illico auferatur, quæ etiam una cum diſcretis ſeu ſenioribus conſilii Sororibus ſingulis annis bis, aut ter ſingularum Monialium ſupellectilem diligenter inquirat ac ſcrutetur, ne ulla quicquam proprii habeat, aut amplius, quam ad uſum, ei fuerit conceſſum.

XII. Cibum omnes ſimul capiant in uno Refectorio, (s) ad campanæ ſonum omnes conveniant ad Benedictionem menſæ, deinde ordine diſcumbentes, non prius diſcedant, quam Deo gratiæ actæ fuerint: ad menſam quotidie ſpiritualis aliquis liber legatur, qui ad pietatem accendat, omnibus cum ſilentio & attentione audientibus, ut una cum corpore mens reficiatur.

XIII. Dormitorium idem omnibus ſit, (t) ſingulæ in ſingulis lectis ſeparatim dormiant, & in ſingulis cellis, ſi

(o) C. Periculoſo. De ſtat. Monach. in 6. Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 5. de Regul.
(p) d. c. Cum ad Monaſticum. Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 2. De Regul.
(q) d. Seſſ. 25. c. 3. De Regul. (r) d. Seſſ. 25. c. 1. (s) c. Perniciofum. 18. q. 2.
(t) d. c. Perniciofum.

ſi tanta ſit cellarum copia, ut omnes capere poſſint. Cellæ vero vel apertæ ſint, vel ita clauſæ, ut tamen communi clave a Præfecta reſerari poſſint; Dormitorium vero noctu ſit clauſum, clave penes Præfectam exiſtente.

XIV. Communis ille curationis ægrotantium locus, (u) quem Infirmariam vocant, ubi adhuc ædificatus non eſt, quam citiſſime conſtituatur. Extra ejus loci fines Moniales ægrotantes non cubent: charitas erga valetudine afflictas cum primis exerceatur, & convenientes cibi, medicamenta, aliaque neceſſaria ſecundum Monaſterii facultates ſuppeditentur.

XV. Præfectæ Monaſterii Moniales omnes reverentiam & obedientiam præſtent, (x) quemadmodum earum promiſſio poſtulat. Quæ vero ejus juſſa neglexerit, aut ſuperbe ac contumelioſe reſponderit, aut pœnitentiam ſibi injunctam præſtare noluerit, aut Præfectam tergiverſando, excuſando, defendendo impedierit, quo minus illas, quæ aliquid commiſerint, reprehendat, aut caſtiget, pro modo delicti & inobedientiæ gravius puniatur, humi proſtratione, veli privatione, flagellatione, cibi ſubtractione, carceris inclusione, & ſimilibus Religioſæ caſtigationis modis.

XVI. Cum Sanctimoniales eo fine e terra & cognatione egreſſæ ſint, ut peculiari modo Deo ſerviant, (y) eundemque ſacrificio laudis honorent, ac pro populi peccatis deprecentur. Hinc valde convenit, ut in ipſius laudibus & honore aſſiduæ ſint, diu, noctuque Chorum frequentent, preces ſuas horarias ac ſacra Officia ex communi Eccleſiæ & Ordinis inſtituto corde & ore perficiant, quibus omnes ſine exceptione intereſſe ſtudebunt, niſi quas officii ratio, & juſti impedimenti excuſatio, Præfectæ judicio exemerit.

XVII. Singulæ autem in ipſo ſtatim initio Divinorum Officiorum adſint, in congruenti ſuo habitu propriisque locis, & uſque in finem perſeverent, niſi juſta aliqua neceſſitate exigente, Præfecta, vel quæ ejus vicem gerit, diſceſſus veniam dederit.

XVIII. Cantum Ordini ac tempori convenientem adhibebunt, cum tractu & debita moderatione, ut voci mens concordet, & Divina Majeſtas digne laudetur.

XIX. Et quoniam ſacra meditatio plurimum mentem afficit, ac in Deum convertit, piisque in hac vita magnum adfert ſolatium & fructum; ideo conandum eſt, ut ſacrarum meditationum uſus in Monaſteriis introducatur, & præter Horas Canonicas aliaque Divina Officia tempus aliquod commodum deputetur, quo in unum quotidie in Choro univerſæ convenientes ſaltem per horam mentali Orationi vacent, ſemi hora ſcilicet poſt Matutinum & Completorium. Poterunt vero hujusmodi ſacris meditationibus ſervire myſteria vitæ & Paſſionis Chriſti, & Redemptionis noſtræ conſideratio, beneficiorum Dei, generalium & particularium, quatuor noviſſimorum, ſtatus & vocationis, & vitæ Sanctorum, &c. aliaque hujusmodi, quæ ad Dei gloriam, propriam, proximorumque ſalutem pertineant.

XX. Ad promovendam in Monialibus pietatem, conſervandamque corporis & animæ puritatem, plurimum confert Divinorum Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ frequentatio. Quamobrem monemus diligenter Moniales omnes, ut ſecundum Concilii Tridentini Conſtitutionem (z) ſemel ſaltem ſingulis menſibus, nec non celebrioribus Chriſti Domini & Deiparæ Virginis feſtivitatibus, aliisque ab Ordine & Conſtitutionibus præſcriptis diebus peccatorum confeſſionem faciant, & Sacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant, ut eo ſe ſalutari præſidio muniant ad omnes oppugnationes dœmonis fortiter ſuperandas.

XXI. Ut autem afflictis quarundam conſcientiis conſulatur, præter ordinarium Confeſſorem (a) alius extraordinarius Confeſſarius iisdem bis, aut ter in anno, a Nobis approbatus offeratur.

XXII.

(u) d. c. Cum ad Monaſter. De Confecr. d. 5. c. Quæ tua. 12. q. 1. d. Clem. Ne in agro. (x) d. c. Cum ad Monaſter. (y) Facit. c. Nunquam. (z) Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 10. de Regul. (a) d. Seſſ. c. 10.

XXII. Quæ de Abbatiſſæ, Prioriſſæ, Magiſtræ aut Præfectæ, quocunque nomine appelletur, electione, (*b*) ut ſcilicet ætatis ac Profeſſionis annos habeat a Concilio Tridentino deſignatos, ac cæteras qualitates requiſitas, quantum fieri poteſt, omni modo obſervari volumus.

XXIII. Hæc non ambitu, conſpiratione, colluſione, aut alio modo conſtituatur, (*c*) ſed collectis ſingularum, Dei gloriam & communem Monaſterii utilitatem præ oculis habentium, ſecretis votis eligatur, quæ omni ſiniſtro affectu remoto, ad id magis digna & idonea judicata fuerit.

XXIV. Præfecta Monaſterii, tanquam communis omnium Monialium Mater, ea ſibi omnia quam diligentiſſime commendata habeat, quæ ad ipſarum corporis & animæ ſalutem ſpectant: Cum primis vero eas admoneat, ut puræ ſint corde & corpore, perfectionem ſectentur, pacem & tranquillitatem conſervent: ſtudeat etiam, ut ſingulæ ſuo recte fungantur officio, & ut obedire libenter diſcant, refractarias vero & contumaces ſecundum Conſtitutiones Ordinis, & iis modis, quibus ſupra indicatum eſt, aliisque coerceat.

XXV. Capitulum culparum ſingulis ſeptimanis habeat, in eoque graviter & ſine contentione corrigat ea, quæ unaquæque Monialis in ſui officii munere neglexerit, quorum veniam ipſæ ſponte ac humiliter coram omnibus petant, curetque Præfecta, ut pœnitentiæ ac mortificationes adhibeantur, quæ ex inſtituto ipſarum traditæ ſunt, ad profectum in humilitate ac ſui contemptu, obedientia, aliisque virtutibus religioſis faciendum.

XXVI. Religioſi etiam ſilentii ſingularem curam habeat, ne ſuperfluis, vaniſque colloquiis a Monialibus tempus inſumatur, neve quiſpiam extraneus ad colloquendum facile cum Monialibus admittatur, aut Monaſterium abſurdis & inanibus rumoribus compleatur.

XXVII. Volumus vero, ut ſilentii obſervatio diebus ſacris diligenter cuſtodiatur, idcirco quibus diebus ſacra Euchariſtia ſumitur, item feſtis diebus, tempore Adventus & Quadrageſimæ, & in Vigiliis Sanctorum, & ſub Divino Officio Moniales cum extraneis ne loquantur, magna neceſſitatis cauſa excepta.

XXVIII. In negotiis gravioribus, Præfecta nihil decernat, niſi ſcientibus & conſentientibus majori ex parte Senioribus conſilii Sororibus. Quæ vero majoris ſunt momenti, ad conſultationem totius Capituli referantur, idque ratum ſit, quod majori & ſaniori Monialium parti placuerit.

XXIX. In quibus Monaſteriis Sanctimonialium labor manuum in communi Officina jam in uſu eſt, diligenter conſervetur, in aliis locus aliquis ſingularis deputetur, in quo operibus elaborandis Moniales diligenter exerceantur, ſitque una laboris Magiſtra, quæ illa, quæ elaboranda ſunt, recipiat, diſtribuat, laborum vero pretia ac mercedes Præfecta accipiat, nec quæpiam alia in hujusmodi curam ſeſe ingerat.

XXX. Novitiarum quoque curam una ſola Magiſtra ad hoc conſtituta, (*d*) in loco, ſi fieri poteſt, ſeparato habeat, quæ Novitias in timore & cultu Dei, & obſervatione Ordinis erudiat, easque aſſiduis monitionibus, vitæque exemplo ad Religioſæ vitæ diſciplinam & perfectionem formet, ut, Deo adjutore, perfectæ ipſius ancillæ poſſint evadere.

XXXI. In Novitiatum nulla recipiatur ſine habitu Regulari, (*e*) ad habitum nulla, niſi duodecim annis major, ad Profeſſionem vero non niſi poſt annum 16. ætatis & integrum probationis completum, & poſtquam Nos, vel Vicarius noſter, aut aliquis ad id a Nobis deputatus Virginis voluntatem diligenter de libertate Profeſſionis exploraverit. Teneaturque Præfecta inſtante Profeſſionis tempore, Nos, aut noſtrum

(*b*) Seſſ. 25. de Regul. c. 7. (*c*) d. Seſſ. c. 6. (*d*) d. Clem. Ne in agro.
(*e*) d. Seſſ. 25. c. 15. de Regul.

ſtrum Vicarium menſem ante, de futura Profeſſione certiorem reddere.

XXXII. Puella, poſtquam ſemel Novitiarum habitum induerit, Monaſterio exire non poſſit, niſi forſan nondum Profeſſam pœniteret Monaſterium introiſſe. Si vero ſemel exierit, nulla in poſterum redeundi facultas facile concedatur.

XXXIII. In receptionibus puellarum ab illicitis pactionibus & contractibus abſtineatur, nec ante Profeſſionem quicquam Monaſterio detur, præter id, quod ad victum & veſtitum ejus, quoad in Novitiatu fuerit, neceſſarium eſt.

XXXIV. Incluſionem Monialium tanquam hoc ſæculo nequam, præcipuum conſervandæ pudicitiæ & integritatis virginalis medium maximopere Concilium Tridentinum (*f*) ac Summi Pontifices Ordinariis locorum etiam ſub obteſtatione Divini Judicii, & interminatione maledictionis æternæ commendatam eſſe voluerunt, illamque rem tot conſtitutionibus & reſcriptis ſtabilierunt, ut Moniales merito agnoſcere debeant, nullam nimiam diligentiam videri poſſe ad ejus theſauri cuſtodiam, cujus cauſa ipſæ, Mundo, Parentibus, omnique rei ac ſpei in hoc ſæculo valedixerunt, ac Monaſteriis ſeſe incluſerunt; Placet autem ad evidentiorem intellectum, ipſam Concilii Sanctionem hic ſubjungere.

"BONIFACII OCTAVI Conſtitutionem, quæ incipit: *Periculoſo*, renovans ſancta Synodus, univerſis Epiſcopis ſub obteſtatione Divini Judicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus Monaſteriis ſibi ſubjectis, ordinaria, in aliis vero Sedis Apoſtolicæ auctoritate clauſuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtitui, & ubi inviolata eſt, conſervari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, quacunque appellatione poſtpoſita, compeſcentes, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Quod auxilium, ut præbeatur, omnes Chriſtianos Principes hortatur ſancta Synodus, & ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda omnibus Magiſtratibus ſæcularibus injungit. "Nemini autem Sanctimonialium liceat poſt Profeſſionem exire a Monaſterio, etiam ad breve tempus, quocunque prætextu, niſi ex aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda; indultis quibuscunque & privilegiis non obſtantibus. Ingredi autem intra ſepta Monaſterii nemini liceat, cujuscunque generis aut conditionis, ſexus vel ætatis fuerint, ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Dare autem tantum Epiſcopus, vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſariis, neque alius ullo modo poſſit, etiam vigore cujuscunque facultatis vel indulti hactenus conceſſi, vel in poſterum concedendi."

XXXV. Memores itaque ſalutis noſtræ, cupientesque a Nobis avertere Divinæ ultionis vindictam, præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus Sanctimonialium Monaſteriorum Superioribus, Commiſſariis, ac Viſitatoribus, ut Monaſteria omnia Monialium ſibi ſubjecta ad debitam clauſuram, & communem vitæ rationem, relegata omni proprietatis ſpecie, quamprimum redigant.

XXXVI. Et quamvis in Diœceſi noſtra Monaſteria Sanctimonialium omnia extra Civitates & oppida ruri, & apertis fere locis ſita ſint, eam tamen rationem iniri volumus in conſtituendis janius, feneſtris, rotis, cancellis, ingreſſu Monaſterii, & in omni forma ædificiorum, ut omnia ad accuratam formam incluſionis, ſeu clauſuræ debitæ quam proxime accedant.

XXXVII. Januæ ſeptorum Monaſterii diu noctuque ſint clauſæ, duabus ſeris, quarum altera intus, altera foris claudatur, ac unam clavem habeat Præfecta, ſeu ex ejus commiſſione Janitrix ſenior, alteram Pater ſeu Confeſſarius: non aperiantur vero januæ, niſi ex cauſis neceſſariis, & tunc Moniales non audeant eo accedere, ut exter-

(*f*) Seſſ. 25. c. 5. de Regul.

externum quidpiam aſpiciant, vel cum mare aut fœmina colloquantur.

XXXVIII. Extra caſus neceſſarios & in jure expreſſos non admittantur mares & fœminæ cujusvis generis intra ſepta Monaſterii, etiamſi Monialibus inſerviant, nec ſinantur ibidem pernoctare ſub pœna excommunicationis, quibus aliæ pœnæ arbitrariæ addentur.

XXXIX. Animadvertimus quoque puellas ſæculares interdum, educationis, aliave cauſa in Clauſuris Monaſteriorum commorari, quæ res cum aliquanto periculo non careat, volumus, ut poſthac nullæ hujusmodi puellæ in Monaſteria recipiantur ſine expreſſa noſtra licentia in ſcripto conceſſa, ac Superioris regularis, ſi ei ſubjectum fuerit Monaſterium.

XL. Hujusmodi vero puellæ habitu incedant modeſto, nigri coloris, vel fuſco, non varii coloris, aut qui nimiam mundi vanitatem ſapiat, & advertatur, ne moribus aut verbis Moniales offendant.

XLI. Quod de Hoſpitalitate Religioſorum ſtatutum eſt Cap. præcedente, hoc in Monialibus multo magis obſervetur, caveaturque, ne ſub ſpecie familiaritatis, viſitationis, & amicitiæ hoſpites alii facile excipiantur, quam qui neceſſarii ſunt.

In cæteris omnia Conſtitutionibus Ordinum & Ss. Concilii Tridentini Decretis relinquuntur, eaque ſtudioſe ſervanda Sanctimonialibus, ac earum Præfectis & Superioribus ſerio commendantur.

CAPUT III.

De Sanctimonialium Superioribus, Viſitatoribus ac Confeſſariis.

§. I.

Nihil æque conſervat Religioſum ſtatum, & in eo viventes Deo conſecratas perſonas, quam frequens Superiorum inſpectio & viſitatio, quæ præſertim teneras Virgines, eo magis in ordine atque officio continet, quo illæ ob ſexus fragilitatem ampliori cura ac vigilantia ſuorum Superiorum indigent.

II. Superiores itaque Monialium (quos certe cupimus viros graves, prudentes, Conſtitutionum Ordinis ac ſtatus Monaſterii intelligentes, (g) zelo ac rerum ſpiritualium ſcientia præditos,) Sanctimoniales curæ ſuæ commiſſas, temporibus a Regula vel Conſtitutionibus definitis, ſerio ac ſolicite viſitent, ac quæ corrigenda ac reformanda ſunt, in meliorem ſtatum reponant, dictumque ſibi ab Apoſtolo (h) exiſtiment: Rogamus autem vos Fratres, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, patientes eſtote ad omnes.

III. Viſitationes ſuas prudenter inſtituant, & ante ipſam poſterioris Viſitationis chartam perluſtrent, defectus examinent, qui emendandi præſcripti fuerint, & an emendatio debita ſubſecuta ſit, diligenter perquirant.

IV. In ipſa autem viſitatione hunc modum teneant, ut ſeorſim ſingulas de votis ſubſtantialibus, de Regula & Conſtitutionibus, & an illa bene obſerventur, conceptis ſecundum morem Ordinis aut præſentem neceſſitatem vel occaſionem interrogationibus percunctentur.

V. Item de vita communi, de Officio Divino, de frequenti Communione, confeſſione, & exercitiis ſpiritualibus, & quæ iſthuc ſecundum prudentiam ſuam ſpectare exiſtimaverint.

VI. An clauſura ſecundum præſcriptum Concilii Tridentini bene obſervetur, an ipſæ Moniales extra Monaſterii ſepta ſe conferant, an permittatur viris aut mulieribus ingredi ſepta, excepta cauſa inevitabilis neceſſitatis; an libellos prohibitos, picturas ſæculares, converſationem ſuſpectam cum aliis habeant, an permittatur eis accipere vel dare epiſtolas, quas non prius legerit Præfecta, an in colloquiis extraneis modus debitus ſervetur, & Sorores auſcultatrices ſemper adſint. An ad cancellos vel rotas convivia & compotationes fiant cum amicis & aliis?

VII. De munuſculis, an modus excedatur.

(g) Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 9. de Regul.

(h) 1. Theſſ. 5. v. 14.

VIII. Quibus exercitationibus ac laboribus poſt Divinum Officium tempus traducatur, ubi attendendum, ne nimis ſtudioſæ ſint Moniales iſtius artificioſæ exercitationis in acupictura, opere acuario, & ſimilibus, quæ magis decent Sæculares, quam Religioſas.

IX. An ſint inter eas conſpirationes, ſeu, ut vocant, ligæ, & partes, diffidia, rixæ, contentiones, obtrectationes, calumniæ, murmura, &c. Quæ harum cauſæ, primipilares ſeu choragæ & incentrices, quæ omnino diligenter corrigendæ, & pax & conciliatio omni modo conſtituenda.

X. Item interrogentur de Officialibus.

XI. De Abbatiſſa, Prioriſſa, Subprioriſſa, Magiſtra Novitiarum, Celleraria, &c. an legitime ſint conſtitutæ; an bene ſe gerant in officiis ſuis, quis in qualibet defectus. An res Monaſterii procedant, an in deterius vergant, ac cujus id culpa fiat, animadvertendum.

XII. Novitiæ quomodo recipiantur & inſtituantur: interrogentur quoque de Patre ſeu Confeſſario, an ſit vir gravis, integer, diſcretus, prudens, qui Monialium conſcientias bene tractare norit, an quicquam in illo deſideretur, an is permittat, ut bis vel ter alius Confeſſarius per annum Monialibus offeratur, item de Concionatore, an bene ſuo muneri ſatisfaciat?

XIII. Et ſi videatur etiam de perſonis externis, Oeconomo, Scriba & aliis de familia, ſi quiſpiam ex iis Monaſterio inutilis, ſcandaloſus, aut periculoſus ſit.

XIV. Inquiſitione ſeu examine perfecto mature conſideratis & perpenſis omnibus depoſitionibus, Viſitatores chartam viſitationis conficiant, & in domo Capitulari ſecundum morem Religioſum omnia peragant, ſtudeantque, ut, quoad ejus fieri poteſt, pax & tranquillitas in Monaſterio conſtituatur & relinquatur, Divini Officii, clauſuræ & votorum bona ratio habeatur.

XV. Si quæ vero ſupra modum tentatæ ac perturbatæ, & puſillanimes videantur, in iis ſedandis & ad æqualitatem animi reducendis omnem modum adhibeant, atque etiam, ſi neceſſarium videatur, viros eruditos & Religioſos procurent, qui eos ſolentur, inſtruant, & tranquillitati ſuæ reſtituant. Caveant etiam, ne aliquæ ſub ſpecie pietatis, apparitionum, & viſionum, præſertim ſi melancholicæ, & validæ imaginationis ſint, a maligno eludantur aut decipiantur.

XVI. Qui Monaſteriis præſunt Abbates ac Superiores, magno cum delectu Confeſſarios ac Patres Monialium conſtituant, viros pios, maturos, prudentes, doctos, ſenſualitatis, & hujus ſæculi contemptores, ac tales, qui anteactæ vitæ experimento oſtenderunt, ſe inter Sponſas Chriſti ſecure & cum fructu ſpirituali converſari, easque non minus verbis & cohortationibus, quam vitæ exemplo ad Religioſam modeſtiam, humilitatem, pietatem, ac vitæ puritatem informare & excitare poſſe, quod etiam diligenter facere, & ſe in omnibus bonorum operum exemplum præbere ſtudeant.

XVII. Familiaritatem vero nimiam, colloquia privata (niſi informationis ſpiritualis gratia) evitent, cum iis nec prandeant, nec bibant, munuſcula vero vel ab iis capere, vel iis dare auctoritate ſua indignum exiſtiment.

XVIII. Ipſa rerum magiſtra experientia docet, artem artium eſſe regimen animarum, & maxime Sanctimonialium, tractare conſcientias & confeſſiones excipere. Quapropter maxime decet Sanctimonialium Præfectum, ut penitus omnes animæ earum morbos, & in quibus contra vota Religioſa & Regulam peccatur, cognoſcat, perſpiciat, & remedia in promptu habeat, quomodo hujusmodi tentationibus, æmulationibus, puſillanimitatibus, & cæteris animi affectibus medendum ſit, ut Deo ſacratæ Virgines in vocationis ſuæ amore & Religioſæ perfectionis ſtudio confirmandæ & promovendæ.

XIX. Confeſſarius Sanctimonialium, neque nimis rigidus, neque nimis laxus, nec nimis remiſſe, neque nimis minutim ac ſcrupuloſe in quibusdam

dam interrogare debet, quæ omnia cum una Regula comprehendi non possint, Unctio Spiritus Sancti orationibus ferventibus impetrata, pietatis studium, profectus spiritualis diligens conatus desiderantem docebunt.

XX. Verendum etiam est, ne præposterus in confessione metus, & pudor aliquando in Monialibus efficiant, ne illæ coram ordinario suo Confessario conscientiam suam plane exonerent. Unde, quod a Conclio Tridentino in hac parte indultum, etiam ante in Constitutiones Synodales relatum est, ut alius extraordinarius Confessarius illis bis aut ter offeratur, id ne a Præfectis seu Confessariis Monialium ordinariis tanquam suæ potestatis derogatorium negetur, aut constringatur, cum expediat etiam sæpius hanc potestatem cum Superiorum licentia facere, & libertatem aliquam salutarem ad alia mala præcavenda hac in parte permittere, si perspicuis argumentis angi suarum conscientias animadvertant.

CONSTITUTIONUM, ET DECRETORUM SYNODALIUM DIOECESIS OSNABRUGENSIS

PARS QUARTA.

CAPUT UNICUM.

De Jurisdictione & Judicio Ecclesiastico.

§. I.

CORruptionem tribunalium nostrorum, & confusionem jurisdictionum, ac inde procedentem juris ac justitiæ perversionem, Nos in ipso statim in Diœcesin nostram Osnabrugensem ingressu, facile animadvertimus, & res ipsa adeo manifesta loquitur, ut nullus inficias ire possit, ex illa judiciorum corruptela, infinita sequi incommoda, dum aut coram non suis Judicibus, aut inidoneis, aut non recto ordine, aut ab iis hominibus, qui ad hoc idonei non sunt, causæ perverse tractantur, lites ex litibus seruntur ac pertrahuntur, justitia obscuratur, subditi nostri misere vexantur ac distrahuntur, innocentes opprimuntur, hæreditates ac patrimonia exhauriuntur, & infinita mala oriuntur, quibus, ut obviam procedamus, ac, quantum in Nobis est, integritatem juris ac justitiæ in utroque foro constituamus, ac sartam, tectamque conservemus, officii nostri Episcopalis ratio a Nobis exigit.

II. Quamvis autem sicuti necessarium judicamus, ita votis omnibus desideremus, ut quamprimum accurata judiciorum reformatio, præsertim in foro nostro Episcopali subsequatur, temporis tamen angustiæ, Provincialium negotiorum accumulatio, multitudo, & gravitas non patiuntur, ut in Synodali hoc Conventu, iis rebus omnibus certum ordinem dare possimus, sed in aliud tempus commodum suspendere cogamur.

III. Interim tamen volumus, ut in judiciis nostris tam Officialatus, quam aliis, certi ac definiti Procuratores & Advocati sint, ac non alii, quam Catholici, compertæ probitatis, fidelitatis, & convenientis eruditionis, quique Fidei professionem secundum Decreta Synodi hujus nostræ fecerint, juramentumque a Nobis proponendum præstiterint, quos etiam volumus ab omni procacitate, maledicentia, superfluis & inutilibus allegationibus, comperendinationibus, protelationibus, pactis de quota litis, & aliis illicitis lucris, munerum acceptionibus, & similibus prohibitis actionibus abstinere sub arbitraria Nobis pœna.

Causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, non alibi, neque coram alio, quam judicio nostro Ecclesiastico agantur, tractentur, definiantur; nec iis cognoscendis ac definiendis Judices sæculares sive in principio, sive per viam appellationis sese immisceant, quocunque prætextu illius consuetudinis vel usurpationis, cui Nos hac nostra solenni protestatione & Synodali Constitutione contradictum, & omnes contrarios actus interruptos esse volumus.

Cætera, quæ de forma & ordine judiciorum ulterius desiderantur, Nos cum præscitu & consilio Venerabilis nostri

noſtri Capituli, Deo dante, ad publicam Diœceſis noſtræ utilitatem, & ſubditorum noſtrorum tranquillitatem ac proſperitatem diligenter ac ſerio poſthac curabimus.

ET quia Ego JUDOCUS UPHAUS, *J. U. D. Comes Palatinus, Cantor & Canonicus Eccleſiæ Collegiatæ S. Joannis Oſnabrugenſis, a ſupra memorato Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Domino Præſide in Actuarium deputatus, præinſertorum Decretorum Synodalium promulgationi interfui, idcirco eadem Decreta, in fidem eorundem, prævia debita requiſitione, propria manu ſubſcripſi. Acta ſunt hæc anno a partu Virgineo, M. DC. XX VIII. Indictione duodecima, Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri D. URBANI Papæ Octavi, anno Sexto, diebus, menſe, & loco quibus ſupra, præſentibus Venerabilibus & Doctiſſ. Dominis* Hippolyto Franciotti, & Petro Davans, *Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Domini Epiſcopi Oſnabrugenſis Capellanis Aulicis, Teſtibus fide dignis.*

JUDOCUS UPHAUS, *J. U. D. Comes Palatinus, Cantor & Canonicus D. Joannis, ſubſcripſit.*

Subnectitur cum brevi ad Lectorem monito,

CATALOGUS PRÆLATORUM, COLLEGIORUM, utriuſque ſexus Monaſteriorum, ſingularumque Parochiarum ad Synodum Epiſcopalem Oſnabrugenſem, die vigeſima octava menſis Martii, Anno Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octavo celebratam vocatorum, tam eorum, qui per ſe, vel alios comparuerunt, quam eorum, qui omnino emanſerunt.

REverendiſſimus & Illuſtriſſimus Dominus, D. FRANCISCUS GUILIELMUS, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Oſnabrugenſis, Sacri Romani Imperii Princeps, Præpoſitus Ratisbonenſis, Comes de Wartenberg, Dominus in Waldt, &c. Præſidens, ac Synodum Diœceſanam convocans.

Reverendiſſimus in Chriſto P. Dominus JOANNES PELCKINGIUS, Epiſcopus Cardicenſis, Reverendiſſimi & Sereniſſimi Bavariæ Ducis FERDINANDI, Epiſcopi Padibornenſis, &c. Suffraganeus.

Capitulum Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ Oſnabrugenſis.

Admodum Reverendus & Prænobilis Dominus
- Sixtus a Liaukema, Præpoſitus, Archi-Diaconus, hujus & Cathedralis Eccleſiæ Paderbornenſis Canonicus.
- Theodorus a Morrien, Decanus.
- Ludolphus a Varendorff, Senior, Scholaſticus, atque Archi-Diaconus.
- Caſparus a Nehem, Rever. Epiſc. Oſnabrugenſis Capellanus in Melle.
- Henricus a Mallingkrott, Cantor & Archi-Diaconus.
- Joannes a Melſchede, hujus nec non Cathedralis Eccleſiæ Hildeſienſis Canonicus & Cantor.

Admodum Reverendus & Prænobilis Dominus
- Godefridus Droſte, hujus & Cathedralis Eccleſiæ Monaſterienſis Canonicus.
- Benedictus a Nehem.
- Joannes Heidenricus a Vörden, Illuſtriſſimi Principis Oſnabrugenſis Capellanus in Laer, nec non Eccleſiarum Cathedralis & Collegiatæ S. Pauli Monaſterienſis reſpective Præpoſitus & Scholaſticus.
- Rudolphus a Lutten, Theſaurarius atque Archidiaconus.
- Joannes Otto a Dorgelo, Rever. Epiſc. Oſnabrug. Capellanus in Schledehauſen.
- Stephanus Schenkingk.
- Benedictus a Galen, Rever. Epiſc. Oſnabrug. Capellanus in Diſſen.
- Adm. Reverendus & Illuſtris D. Enno Philippus, Comes Oeſtfriſiæ & Ritpergenſis, D. de Eſens, Stettesdorff, & Wittmondt, Metropolitanæ Colonienſis, nec non Cathedralis Argentinenſis, & Collegiatæ S. Gereonis Colonienſis Eccleſiæ reſpective Canonicus & Scholaſticus.
- Joan. Eberhardus a Nehem.
- Jodocus Fridericus Vincke, hujus & Cathedralis Eccleſiæ Mindenſis Canonicus.

Admo-

Admodum Reverendus & Prænobilis Dominus	Nicolaus Hermannus Vincke. Joannes Jodocus Ledebur. Franciſcus Theod. Weſtphael. Joannes Wernerus a Leradt. Caſparus Wilhelmus a Melſchede. Eberhardus a Galen, Collegiatæ Eccleſiæ Wildeshauſanæ Canonicus.

Abbates, & Præpoſiti Regulares.

Adm. Rev. D. Joannes Waſmuth, Abbas Iburgenſis, Ord. S. Bened.
Adm. Rev. & Nobilis D. Joannes Schillinck, Præpoſitus Claholtanus, Ordinis Præmonſtratenſis.

Commenda S. Joannis Hieroſolymitani.

Commenda in Laghe, Ordinis Melitenſis, pro tempore vacat per mortem defuncti Commendatoris quondam Adm. Reverendi & Prænobilis Henrici a Bernſaw.

Commenda S. Georgii Martyris Ordinis Teutonici in Civitate Oſnabrugenſi.

Adm. Rev. Prænobilis & Strenuus Dominus Hermannus ab Itterſumb, Commendator S. Georgii in Civitate Oſnabrugenſi.

Capitulum Canonicorum Collegiatæ Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ in Civitate Oſnabrugenſi.

Adm. Rev. & Prænobilis Dominus Henricus a Mallingkrott, Præpoſitus, Archi-Diaconus, nec non Cathedralis Eccleſiæ Oſnabrugenſis Canonicus & Cantor.
Adm. Rev. & Doctiſſimus D. David Fabritius, Decanus.
Rev. & Nobilis D. Jodocus a Werne, ad S. Mauritium extra muros Monaſterienſes Scholaſticus.
Rev. & Clariſſ. D. Jodocus Uphaus, J.U.D. Cantor.
R.D. Georgius Heiſterman, Scholaſticus.
R. D. Joannes Uphaus, Theſaurarius.
R. D. Hermannus Holtappell.
R. D. Joannes Eickrodt.
R. D. David Martingius.
R. D. Conradus Schmidt.
R. D. Joannes Tilmannus Heiſterman.
D. Franciſcus Hermannus Uphaus.
R. D. Rabanus Heiſterman, Canonicus Cathedralis Eccleſiæ Lubecenſis.
D. Georgius Switerdingh.
R. D. Gotſcalcus Heiſterman.
Reliqui vacant propter alienam Religionem.

Capitulum Canonicorum Collegiatæ Eccleſiæ S. Alexandri Martyris in oppido Wildeshauſano.

Præpoſitura vacat per mortem.
Adm. Rev. Dnus Hermannus Wilagius, Decanus.
R.D. Arnoldus Meyer, Senior & Scholaſticus.
R. D. Joannes Hillebrandt, Subſenior.
R. D. Joachimus Biſpinck.
R. D. Caſparus ab Elmendorff, Theſaurarius.
R. D. Henricus Biſpinck.
R. D. Theodorus Sleppegrelle.
R. D. Joannes Meyerinck.
R. D. Georgius Nutzhorn.
R. D. Hermannus Vincke.
R. D. Hermannus ab Ohr.
R. D. Chriſtophorus Grotegeſe.
R. D. Theodorus Nutzhorn.
R. D. Joannes Vale.
R. D. Hermannus Düvel.
Adm. Rev. & Prænobilis Dnus Eberhardus Galen.

Capitulum Canonicorum Collegiatæ Eccleſiæ Ss. Ægidii Abbatis, & Caroli Imperatoris in Civitate Widenbrugenſi.

Adm. Rever. & Prænobilis Dnus Joannes a Melſchede, Præpoſitus, Archi-Diaconus, & Canonicus Cathedralium Eccleſiarum Oſnabrugenſis & Hildeſienſis.
Decanatus vacat per mortem.
R. D. Bitterus Vloeg, Scholaſticus.
R. D. Petrus Stroſchneider, Theſaurarius.
R. D. Bartholdus Croppius.
R. D. Chriſtophorus Strengerus.
R. D. Joannes Sprengerus.
R. D. Theodorus Hollenhagen.

Capitulum Canonicorum Collegiatæ Eccleſiæ S. Sylveſtri Papæ in Civitate Quakenbrugenſi.

Præpoſitura vacat per reſignationem.
Decanatus ſimiliter vacat per reſignationem.
R. D. Engelbertus Schröderus.
R. D. Hermannus Hilbrinck.
R. D. Bernardus Manicæus.
R. D. Rudolphus Mönnick.
Reliqui vacant per privationem ob alienam Religionem & inqualificationem.

Capitulum S. Mariæ in Drebber, cujus nomine nullus comparuit ob alienam Religionem.

Monaſteria Crucigerorum.

Reverendus ac Religioſus Pater Prior Gerardus Houwerus, nomine totius Oeſterber-

gensis, seu Montis Orientis Conventus comparuit.

Nomine Monasterii Appelensis ejusdem Ordinis, comparuit idem P. Gerardus Houwerus.

Monasterium Ordinis S. Dominici Prædicatorum, in Civitate Osnabrugensi.

Rever. ac Religiosus Pater Nicolaus Altenhausen, Prior, nomine totius sui Conventus adfuit cum Socio.

Monasterium Ordinis S. Francisci de Observantia, in Civitate Osnabrugensi.

Rev. ac Relig. P. Theodorus Reinfeldt, Guardianus, pro Conventu comparuit.

Item Rev. ac Relig. P. Felix Silvius, Parochialis Ecclesiæ S. Catharinæ in Civitate Osnabrugensi Ecclesiastes.

Collegium Societatis JESU in Civitate Osnabrugensi, & Residentiæ ejusdem Societatis in Civitatibus Widenbrugensi, Quakenbrugensi & Meppensi.

Reverendi ac Religiosi PP.

P. Joannes Alting, Rector Collegii Osnabr.

P. Wilhelmus Aschendorff, Theologus, & Cathedralis Ecclesiæ Osnabr. Ecclesiastes.

P. Cornelius Heuwer, Parochialis Ecclesiæ B.M.V. in Civitate Osnabr. Ecclesiastes.

Monasteria Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti.

Pro Admodum Reverenda Abbatissa Margaretha Spikers, ac nomine totius Conventus Sanctimonialium in Hersenbrock, Reverendus Pater Fridericus Eleinck, ejusdem Ordinis Professus in Iburgh, comparuit.

Pro Adm. Rev. D. Barbara ab Hövell, ac nomine totius Conventus Sanctimonialium in Monte S. Gertrudis, R. P. Joannes Schevinghausen comparuit, ejusdem Ordinis Professus in Abdinckhoff, Padibornæ.

Pro Adm. Rev. D. Alheide a Langen, ac nomine totius Conventus in Malgern, seu Horti S. Mariæ, comparuit R. P. Joannes Martini, Confessus, & ejusdem Ordinis Professus in Iburgh.

Pro Adm. Rev. D. Margaretha Schölers, ac nomine totius Conventus in Oezede, comparuit R. P. Hermannus Gerdinck, ejusdem Ordinis Professus in Iburgh.

Abbatiæ Sanctimonialium Ordinis Cisterciensis.

Pro Adm. Rev. Abbatissa Lucretia Elisabetha Vincke, ac nomine totius Conventus in Bersenbrugk comparuit R. P. Severinus Raeckman, Confessus, & ejusdem Ordinis Professus in Marienfeldt.

Pro Adm. Rev. Abbatissa Sophia a Schagen, ac nomine totius Conventus in Rulle, seu ad fontem S. Mariæ comparuit R. P. Bernardus Tor-Bruggen, Confess. & ejusdem Ordinis Professus in Marienfeldt.

Pro Adm. Rev. Abbatissa Gertrude ab Althauss, ac nomine Conventus in Börstel nemo comparuit.

Pro Adm. Rev. Abbatissa Maria a Grothauss, ac nomine totius Conventus in Gravenhorst habuit mandatum R. P. Guilhelmus Aschendorff, Soc. Jesu.

Monasteria Sanctimonialium, quorum nomine ob alienam Religionem modo nullus comparuit.

Quernheim, Ledem, & Scholde.

Conventus, seu Domus Sororum tertiæ Regulæ S. Augustini.

Pro Matre, ac nomine totius Conventus S. Mariæ, dicti Marienstet, in Civitate Osnabrugensi nemo comparuit.

Pro Matre, ac nomine totius Conventus S. Augustini in Civitate Widenbrugensi nemo comparuit.

Parochiæ Civitatis Osnabrugensis.

S. Petri Apostoli, in Ecclesia Cathedrali.
Beatissimæ Virginis Mariæ, in foro.
S. Joannis Baptistæ, in Ecclesia Collegiata.
S. Catharinæ Virginis & Martyris.

Parochiæ in Districtu, seu Satrapia Iburgensi.

Iburgh.	Oezede.	Bissendorff.
Glaen.	Borgloe.	Belem.
Laer.	Dissen.	Rulle.
Glandorff.	Hilter.	Walenhorst.
Hagen.	Holte.	Schledenhausen.

Parochiæ in Districtu, seu Satrapia Reckenbergensi.

Widenbruck.	Gutersloe.	Langenberg.
S. Viti.		

Parochiæ in Districtu, seu Satrapia Fürstenawensi.

Fürstenaw.	Quakenbrugk.	Bippen.
Bergen.	Anckum.	Alffhusen.

Newen.

Newenkirchen in Hulse.	Barbergen.	Swastrupff.
	Ufflen.	Mersen.
Menslage.	Voltlage.	Bersenbrugk.

Parochiæ in Districtu, seu Satrapia Vördensi.

Vörden.	Bramsche.	Engter.
Newenkirchen.	Damme.	Gerde.

Parochiæ in Districtu, seu Satrapia Gröneborgensi.

Melle.	Newkirchen.	Baur.
Gesmell.	Rimslohe.	Olden-
Wellingholthusen.	Hoijell.	dorff.

Parochiæ in Districtu, seu Satrapia Witlacensi.

Essen.	Barckhausen.	Lintorff.

Parochiæ in Districtu, seu Satrapia Honteburgensi.

Honteborg.	Oester-Cappelen.	Venne.

Sequuntur Parochiæ Diœcesis Osnabrugensis, in districtu temporali Episcopi & Principis Monasteriensis, in Satrapia Vechtensi.

Vecht.	Vestrup.	Lutten.
Cappel.	Dincklage.	Goldenstette.
Conen.	Backum.	&
Visbeck.	Oijtte.	Twisterinck.
Steinfelt.	Embstecke.	

Parochiæ Diœcesis Osnabrugensis, sub districtu temporali Episcopi & Principis Monasteriensis, in Satrapia Kloppenburgensi.

Cloppenborg.	Molbergen.	Essenn.
Crappendorff.	Frisöte.	Scharle.
Löningen.	Aldenöte.	Reinschlagh.
Lastrup.	Linderen.	Strucklin-
Marckhausen.	Bassell.	gen.

Parochiæ Diœcesis Osnabrugensis, sub districtu temporali Episcopi & Principis Monasteriensis, in Satrapia Bevergernensi.

Risenbeck.	Dreyerwaldt.	Hobsten.
Grauenhorst.		

Parochiæ Diœcesis Osnabrugensis, sub districtu temporali Episcopi & Principis Monasteriensis, in Satrapia Meppensi, seu Embslandia.

Haselünne.	Stennevelt.	Locupf.
Grotenwüllen.	Bockloe.	Bersen.
Hesope.	Hede.	Landecke.
Wesewe.	Neede.	Sögelen.
Lathen.	Werdt.	Meppen.
Dorpe.	Holte.	Rede.
Asschendorp.	Haren.	Hasselcke.

Parochiæ Diœcesis Osnabrugensis, sub districtu temporali Episcopi & Principis Monasteriensis, in Satrapia Wildeshusana.

Wildeshusen.	Hundtlosen.	Kneten.

Parochiæ Diœcesis Osnabrugensis, sub districtu temporali Episcopi & Principis Mindensis.

Quernheim, & aliquæ aliæ omnes hæresi infectæ, ut major pars sequentium.

Parochiæ Diœcesis Osnabrugensis, in Comitatu & Satrapia Ravensbergensi.

Halle.	Borckholthausen.	Versmelde.

Parochiæ Diœcesis Osnabrugensis, in Comitatu & Satrapia Sparenbergensi.

Waldenbrug-ge.	Hepen.	Steinhagen.
	Darenberg.	Iselhorst.
Engern.	Brauwede.	Hiddenhausen.
Jollenbecke.	Brockhagen.	&
Schilske.	Spenge.	Werter.

Parochiæ Diœcesis Osnabrugensis, in Comitatu & Satrapia Limburgensi.

Punde.	Borninghausen.	&
Renckhausen.	Aldendorff.	Helthusen.

Parochiæ Diœcesis Osnabrugensis in Comitatu Tecklenburgensi.

Tecklenburg.	Cappelen.	Laffte.
Lengerke.	Wersen.	Linen.
Ledde.	Latbergen.	Oesterberg.

Parochiæ Diœcesis Osnabrugensis in Comitatu Ritpergensi Catholico.

Ritpergh.	Mastholt.	Varle.
Newkirchen.		

Parochiæ Diœcesis Osnabrugensis in Comitatu Oldenburgensi.

Westerwede, cum aliis quibusdam hæresi infectis, uti etiam sequentes.

Parochiæ Diœcesis Osnabrugensis in Comitatu Diepholtano.

Oistdrebber, & Bernstorpff cum aliis, quæ per hæresim vel obliteratæ, vel mutatæ sunt.

Parochiæ Diœcesis Osnabrugensis in Rhedensi Dominio alienæ Religionis sitæ.

Rheda.	Hersenbrock.	Claholtz.

AD LECTOREM.

Cum hæresis a plurimis annis hac in Diœcesi invaluerit, Episcopos & Administratores infecerit, vel ab illis nutrita fuerit, sicut plurima alia, vel incuria, vel malitia perierunt documenta, ita & hic Cleri, jurisdictionisque Ecclesiasticæ subjectorum locorum compilatio non sine magnis difficultatibus ex monumentis, antiquis designationibus, aliisque documentis authenticis erui debuit. Uti vero nemini per hoc præjudicatum volumus: ita & si quid omissum, nullatenus concedimus. Vale.

FRANCISCUS GUILIELMUS, Ferdinandi, utriusque Bavariæ Ducis, Filius A. 1593. Calendis Martii primam lucem aspexit. Studiis partim Ingolstadii, partim Romæ, qua in Urbe quatuor ipsum Ordinibus minoribus initiavit Bellarminus, maxima sui commendatione absolutis, meta quodammodo erat, ad quam vota & Summorum in Imperio Principum & Capitulorum ex aliis aliorum, novis Wartenbergium dignitatibus illustrare studentium, contendebant. Præcipuas hic refero: Anno 1625. ad Cathedram Osnabrugensem; A. 1629. ad Mindensem; A. 1630. ad Verdensem; A. 1649. ad Ratisbonensem; Anno demum 1660. ad S. R. E. Purpuram est evectus, Princeps egregia semper tum continentiæ & integritatis laude, tum singulari prudentiæ, virtutumque omnium luce conspicuus, Heros utraque fortuna major, Osnabrugensis Academiæ alter veluti sub Urbano P. VIII. & Ferdinando II. Imp. parens, Defensor rei Catholicæ gravissimas inter procellas acerrimus, constantissimus, gloriosissimus. Operum Francisci memoria dignissimorum catalogum, testatur in *Syntagmate Suffraganeorum S. Colon. Ecclesiæ* §. 96. *pag.* 130. Cl. Gelenius, sentire se facilius animis testium, quam adolescente calamo posse percurri. Obiit Franciscus anno Chr. 1661. ætatis 68. Epitaphium magni Principis & Episcopi, quod Osnabrugi in Cathedrali ad columnam, Choro proximam, ingenti tabulæ ligneæ literis prominentibus insculptum prostat, qua mihi fide ac religione missum fuit, huc transscribo:

PIE LECTOR
Sydus sine jubare
Speculum sine imagine
Agnus sine vellere
Oliva sine oleo
Apis sine aculeo
OMNIA
EMINENTISSIMUS ET REVERENDISSIMUS S. R. E. CARDINALIS
FRANCISCUS GUILIELMUS
D. G. EPISCOPUS OSNABRUGENSIS RATISBONENSIS MINDENSIS ET VERDENSIS
S. R. I. PRINCEPS COMES DE WARTENBERG ET SCHAUENBURG
DOMINUS IN WALD ET HACKENBURG
E prælio ad Patriam evocatus
Certavit enim ut coronaretur
Et mundo mortuus ut æternitati viveret
Clausit oculos vanitati
Aperuit Divinitati
In moribus Purpura & Infulis dignis
Ut sydus radiat fæcunda WILHELMUS Oliva
FRANCISCUS justis est speculum Agnus Apis
Hæc conare omnia imitari Lector
Pii affectus & memoriæ
ergo posuerunt DD. Executores
& Testamentarii.

Vide Hist. Eccles. Germaniæ gallice editam Tom. II. & Actorum Synodalium Osnabr. Ecclesiæ editionem Kalcovianam supra cit. variis locis, maxime sub Seriem Epp. Ratisbon. pag. 281. *& seqq.*

SYNO-

SYNODUS YPRENSIS DIOECESANA,

Anno Christi MDCXXIX. Urbani VIII. Papæ VII. Ferdinandi II. Imp. XI.

Sub GEORGIO, (*) VI. Yprensi Episcopo
2da & 3tia OCTOBRIS
HABITA.

STATUTA & ORDINATA

A Reverendissimo Domino GEORGIO, Episcopo Yprensi, in Congregatione Decanorum suæ Diœcesis,
Habita Ypris secunda & tertia Octobris
M. DC. XXIX.

GEORGIUS, DEI gratia Episcopus Yprensis.

POst Consecrationem nostram conati fuimus, juxta Decreta Concilii Tridentini, statum propriæ Diœcesis personali visitatione cognoscere: sed cum propter ejus amplitudinem & variam difficultatem, cui pro majori anni parte subjicitur, ac necdum expletam primi anni residentiam, totam perlustrare Nobis adhuc fuerit impossibile; non injuste etiam potuissemus differre quarumcumque Ordinationum publicationem, donec plenius informati, maturiori deliberatione super omnibus opportune provideremus: eo magis, quod Decretis Provincialibus, nostrorumque Prædecessorum Synodaticis, ac aliis Statutis, ea prudenter ordinata sint, quæ ad Parochorum directionem abunde sufficiunt, si debite observarentur. Verum cum lapsu temporis pleraque magna tepiditate flaccescere, eosdemque defectus & abusus in singula fere Diœcesis loca irrepsisse; tum ex visitatione magnæ & notabilis ejusdem partis, tum ex relatu eorum, qui de statu ejusdem notitiam habere poterant, Nobis sufficienter constitisset: ne diutius dilatum remedium difficiliorem redderet curationem, convocatis & auditis juxta Statuta Synodatica, Decanis, judicavimus infrascriptas Ordinationes pro Pastoralis Officii nostri exigentia publicandas, ac typis evulgandas; ut facilius ad eorum notitiam perveniant, pro quorum instructione emanarunt. Adjunximus insuper instructionem pro Confessariis, aliamque pro Concionatoribus, ab omnibus per Diœcesim nostram observandas, cum brevi schemate vitæ Pastoralis; ut hac compendiosa deductione Parochi officii sui munus intelligant.

ORDINATA

A REVERENDISSIMO DOMINO GEORGIO, EPISCOPO YPRENSI.

De Decanis, Pastoribus, aliisque Ecclesiæ Ministris, ac eorumdem officio.

I.

INprimis, quia periculosum est, Parochum pro libitu a Parochia sua sese absentare; declaramus, nulli Pastori posthac licere ultra quinque dies con-

(*) Vide sub finem Statutorum.

continuos abesse, nisi de licentia sui Decani, scriptis obtenta: quod si ultra decem dies abesse cogatur, similem licentiam a Nobis, aut Vicario nostro, prius impetrabit: contravenientes mulctabuntur toties, quoties decem solidis grossorum, ac alias arbitrarie.

II.

Nullus etiam Pastorum vel ad unum diem a Parochia sua abesse præsumat, nisi alteri idoneo, & a Nobis admisso Sacerdoti vices suas delegaverit, quique officium, durante ipsius absentia, in se susceperit, quo casu, Substitutus iisdem tenebitur legibus.

III.

Nimia facilitas adhibendi exorcismos, tot & tanta peperit inconvenientia, ut pro remedio cogamur revocare, prout præsenti Decreto revocamus, omnes licentias exorcizandi ab aliquo Prædecessorum nostrorum, vel a Nobis ipsis, ante hunc diem, quibusvis etiam Regularibus, verbo vel scripto concessas: quicunque autem posthac a Nobis admittentur, gratis id officium charitatis præstare tenebuntur: servabuntque ea, quæ in Pastorali Mechliniensi, ac hujus Diœcesis, ordinata & præscripta sunt.

IV.

Ne tamen indigentes hoc exorcismorum remedio, per hanc nostram revocationem careant necessario auxilio; Concedimus per præsentes facultatem exorcizandi omnibus Decanis, in suis respective Districtibus, ac etiam illis Pastoribus, quorum nomina dictis Decanis tradidimus, publicanda in proxima cujusque congregatione.

V.

Nihil est hodie æque necessarium, ac juventutis debita instructio & catechizatio: quare omnes & singulos Parochos serio monemus, & obtestamur, ut attenta Pastorali obligatione, quam susceperunt, sedulo suo officio hac in parte satisfaciant; & seposita quacumque excusatione, singulis hebdomadibus, die, loco, & hora magis competenti, per se catechizare non omittant, vel ubi id onus alteri incumbit, ipsi diligenter superintendant.

VI.

Decani in suis visitationibus convocata juventute, breve examen Catechisticum instituant; ut hac ratione Pastorum diligentia, & puerorum profectus melius ipsis innotescat, & populus hanc instructionem magni æstimet, quam Superioribus ita cordi esse perspiciet.

VII.

Quoniam vero pauperes, qui eleemosynis vitam sustentant, vel qui addiscendæ arti mechanicæ dies feriales impendunt, ordinarie quo rudiores, eo sunt tardiores, licet hac instructione maxime indigeant; singulariter horum curam commendamus Parochis, quatenus diebus Festis, vel Dominicis illos statuta hora venire procurent, nulloque parcant labori, ut illos necessaria Fidei rudimenta edoceant.

VIII.

Et quia in visitatione nostra Domini temporales & Magistratus magna promptitudine Nobis addixerunt, se curaturos, ut juxta Decretum Concilii Provincialis & Edictum Principum desuper emanatum, ubique Schola Dominicalis erigatur; mandamus omnibus Decanis & Pastoribus, ut pro illius executione efficaciter insistant, atque in notis proximæ visitationis, Decani Nobis successum ejusdem significare non omittant.

IX.

Non sufficit semel in anno simpliciter visitare per familias totam Parochiam, nisi exinde fructus aliquis percipiatur; quare hac occasione maxime curabunt Parochi descriptam habere juventutem aptam Catechizationi, ut si quos negligentes invenerint, frequentare compellant.

X.

Atque ut unus & idem modus in docendo & discendo Christianam doctrinam juxta Decretum Concilii Provincialis, quantum fieri potest, ubique, teneatur: injungimus Decanis, ut in proxima convocatione Pastorum singulis super modo catechizationis auditis, concipiant pro suis respective Districtibus certam & uniformem methodum,

quam

quam ſequenti Decanorum Congregatione Nobis referent, ut deſuper aliquid communi conſilio ſtatuatur: in Scholis vero trivialibus non alios libros doceri permittimus, quam qui in catalogo, juſſu Prædeceſſoris noſtri edito, continentur, donec aliter ordinaverimus.

XI.

Reipſa compertum eſt, magnam doctrinæ & morum corruptelam ſpargi per libellos, cantilenas, ephemerides, & ſimilia, quæ vel plateatim, vel ante fores Templorum, aut aliis locis publicis exponuntur venalia: ideo ſerio monemus Decanos & Paſtores, ut magna diligentia obſervari curent ea, quæ deſuper Concilium Provinciale ordinata ſunt; inſtentque apud Prætores & Præfectos juſtitiæ, ut non permittant per circumforaneos ſimilia divendi; ſed ad confiſcationem ejusmodi librorum, cantilenarum & ephemeridum procedant juxta Articulum XIII. Edicti Sereniſſimorum Principum, publicatum anno M.DC.XVI.

XII.

In locis ubi fœminæ, ſive Religioſæ, ſive aliæ, Scholas aperiunt, volumus, ut ſolæ puellæ ibidem inſtruantur, maſculi autem ſoli apud Ludimagiſtrum: ubi autem tales fœminarum Scholæ non reperiuntur, prohibemus Ludimagiſtro puellas aliter docere, quam locis & inſtertitiis a maſculis ſeparatis.

XIII.

Nemo a Parochiis concionari permittatur, de cujus debita admiſſione ſcripto ipſis non conſtiterit: & ſicut ſolitas ſtationes a Terminariis auferre nolumus, ita nec inſolitas aut novas concedi permittimus. Quod ut præcaveri poſſit, curabunt Paſtores, auditis Magiſtratu vel Præfectis loci, cum Ædituis, Nobilibus, ac Senioribus Parochiæ, fieri inſtrumentum authenticum ſuper numero & diebus ſtationum; illudque ſervabitur cum munimentis Eccleſiæ.

XIV.

Quod noviſſimo Concilio Provinciali ſalubriter inſtitutum eſſe dignoſcitur, ut Paſtores Eccleſiarum ruralium ſingulis diebus Dominicis, ſub concione recitent vernacula lingua tractim & intelligibiliter Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, Præcepta Decalogi, & Eccleſiæ; id accurate in hac noſtra Diœceſi poſt hac obſervari volumus, Nobisque per Decanos inter acta viſitationis negligentes denuntiari.

XV.

Serio monemus Paſtores, ut juxta Decretum Concilii Provincialis, neminem ad Parochiam ſuam commigrare permittant, cujus vitam & Religionem per teſtimoniales ultimi Paſtoris (quas gratis tenebuntur dare) cognitam non habuerint: & ſi quis illas exhibere recuſaverit, vel diſtulerit, talem ſine delatione Nobis denuntiari volumus. Sed nec Paſtores ſimiles atteſtationes facile concedent, niſi bene notis, & meritis.

XVI.

Quando alicui committitur examen alicujus Religioſæ ad Profeſſionem, ne forſan humano favore minus aptam admitti contingat, poterit Examinator inquirere ab aliquibus Monialibus ſeparatim, an examinanda, ſit debite in Capitulo per libera ſuffragia admiſſa: nec ad examen procedat, ſi juſtam habeat occaſionem dubitandi de legitima admiſſione.

XVII.

Omnes proviſi de Beneficio Eccleſiaſtico, ſeu Matricularia, curabunt ſe cum ſolemnitatibus, per Statuta Synodatica requiſitis, introduci, antequam ulli adminiſtrationi ſe immiſceant; ſub pœna amiſſionis fructuum.

XVIII.

Paſtores etiam advigilabunt, ut ad officium Ludimagiſtri nemo admittatur, niſi qui perite ſcribere, ac per ſe alios docere ſciat: itemque ut Cuſtodes ſub Officio Divino induantur toga una cum ſuperpelliceo.

XIX.

Quando Monialibus permittitur eleemoſynas per noſtram Diœceſim in pagis colligere, nolumus illas in ædibus

bus Paſtorum, vel aliorum Eccleſiaſticorum, multo minus ſæcularium virorum pernoctare: ſed ita ſuos dies diſtribuent, ut noctu divertere queant vel ad Religioſas, vel ad ædes honeſtæ alicujus matronæ.

XX.

Valde offenditur populus, dum videt Sacerdotes ſuis ancillis tam familiares, ut cum illis ad convivia, aut proxima oppida divertant; unde eoſdem in ſuſpicionem incontinentiæ trahit. Prohibemus itaque, ne in prædictis aut ſimilibus actibus ſe ancillis ſuis ſocios aut comites præbeant: ſi quis contravenerit, ad monitionem noſtram ancillam abdicare tenebitur, ſub pœna arbitraria.

XXI.

Meminerint Paſtores, & omnes Clerici, ſe non ad iners otium, aut ignaviam, ſed ad Eccleſiaſticæ militiæ labores vocatos eſſe; atque ideo tempus, quo a Divinis Officiis vacant, in lectionem Divinarum Literarum, ſpiritualiumque librorum, ac ſanctas meditationes, piaque charitatis officia debere impendere.

De Sacramentis, Sacramentalibus, Eccleſia, Officioque Divino.

I.

IN tota noſtra Diœceſi volumus uniformiter ſervari infra ſcriptum modum deſcribendi Baptizatos in regiſtro, idque manu propria Baptizantis, & ab illo ſignari, antequam baptizatus extra Eccleſiam deferatur.

II.

Anno N. die N. menſis N. ego infraſcriptus baptizavi N. filium N. & N. (nomen & cognomen utriusque parentis) *conjugum, natum die N. Suſceptores fuerunt N. & N. ex Parochia N.*

III.

Si infans non fuerit ex legitimo Matrimonio natus, nomen ſaltem alterius parentis, de quo conſtat, ſcribatur; omnis tamen infamiæ vitetur occaſio. Si vero de neutro conſtat, ita ſcribatur.

IV.

Anno N. &c. ut ſupra, *baptizavi infantem, cujus Parentes ignorantur, & impoſitum eſt nomen N.* &c.

V.

Si expoſitus ſit infans, exprimatur, quo die, ubi, & a quo repertus, & baptizetur ſub conditione.

VI.

Porro in Matrimoniali regiſtro volumus deſcribi & ſignari, ut ſupra, notitiam contractuum ſub forma ſequenti.

VII.

Anno .. die ... menſis .. præmiſſis tribus denuntiationibus, ego infraſcriptus Rector Eccleſiæ Parochialis N. (vel) *de licentia D. Rectoris) per verba de præſenti, conjunxi Matrimonio N. Parochiæ N. & N. Parochiæ N. præſentibus Teſtibus N. & N.*

VIII.

Nullam hactenus invenimus in noſtra Diœceſi Eccleſiam, quæ juſte ſe excuſare poteſt ab obſervatione Decreti Concilii Provincialis de procurando lumine ante Tabernaculum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ: quare, ut ſaltem de die perpetuo illud ardeat, procurabunt Paſtores.

IX.

Sicut non licet Regularibus Sacrum Viaticum ad infirmos publice deferre, ita nec ſecreto Sacramentum Euchariſtiæ absque noſtra ſpeciali licentia iisdem adminiſtrare: ſed nec Paſtores absque ſimili noſtra licentia ſecreto alicui, licet longa infirmitate detento, deferent Sacram Euchariſtiam; nec aliter, quam juxta præſcriptum Concilii Provincialis, & Decreta Prædeceſſoris noſtri, extra caſum neceſſitatis.

X.

Conſuetudinem quorumdam locorum deferendi paſſim in omnibus fere proceſſionibus Venerabile Sacramentum abrogari cupimus, nec id fieri, niſi diebus ſolemnioribus, vel publicæ neceſſitatis cauſa; nec tum quidem aliter, quam ſub umbella, deferenda ab honeſtioribus Parochianis; quam ex fidelium oblationibus, vel expenſis fabricæ

bricæ, ante proximum feſtum Corporis Chriſti ſingulæ Eccleſiæ ſibi comparabunt.

XI.

Similem quoque honorem optaremus deferri Auguſtiſſimo huic Sacramento, quoties id ad infirmos defertur, maxime in locis, ubi frequentior eſt populus, & viæ ſunt ſtratæ lapidibus; ac ædes Eccleſiæ viciniores.

XII.

Merito mandavit Concilium Provinciale, ut plures ſacræ Hoſtiæ ad uſum ægrotorum, in ſingulis Eccleſiis Parochialibus continuo aſſerventur: quod ita ab omnibus obſervari volumus, ut ordinarie ad minimum ſex Hoſtiæ conſecratæ reperiantur, quas ſingulis quindenis renovari mandamus.

XIII.

Ad occurrendum diverſis defectibus, qui circa confectionem azymi panis occurrere poſſunt: per totam hanc Diœceſim Paſtores utentur iis, qui conficiuntur in Civitate Yprenſi, vel apud Joannem Focke Ballioli, Beghinas Dixmundæ, vel Norbertinas Furnis.

XIV.

Altarium multiplicatio parit irreverentiam, quando ſine ornamentis ſordeſcere permittuntur: quare nulla nova poſthac erigi permittimus absque noſtro ſpeciali conſenſu; prout nec imagines, vel ſedilia, vel epitaphia, aut inſcriptiones in Eccleſiis poni, niſi approbante Decano.

XV.

Optamus Proceſſionem, quæ paſſim in hac Diœceſi fit feria quarta Pentecoſtes, fieri vel die præcedenti, aut alio magis commodo, ex eo, quod plures illius occaſione ſolvant jejunium: & ut illa fiat cum requiſita devotione, omnisque compotationis & inſolentiæ tollatur occaſio, procurabunt Paſtores, dictæ Proceſſionis circuitus ita breviari, ut ad ſummum una cum concione, quæ tunc haberi ſolet, & benedictione frugum, non ultra duas horas durare debeat: ſed nec equis aut curribus incedere ulla ratione permittimus.

XVI.

Parochi ſub concionibus, & alias, data occaſione, tempeſtive ſuis Parochianis ſignificabunt, Nos poſthac futuros difficiles in relaxandis proclamationibus Matrimonii futuri, nec ſine gravi cauſa diſpenſaturos in re, tam provide a ſacro Concilio Tridentino ordinata.

XVII.

In locis, ubi obſtetrices juramentum per Concilium Provinciale & Edictum Principum requiſitum, nondum præſtitiſſe conſtiterit, curabunt Paſtores, ut infra terminum competentem, per ipſos ſtatuendum, idipſum ſe feciſſe doceant, vel per Decanum Nobis defectuoſas denuntiabunt.

XVIII.

In admiſſione alicujus ad Congregationem, ſeu, ut vulgo nominant, Ghildam, ſicubi utantur aliqua cæremonia, quæ Sacramenti Eccleſiæ ritum præ ſe ferre videtur; ut ſunt, certæ intinctiones in aqua ſub concepta verborum forma, & ſimilia, quæ fiunt inter pocula, & vergunt in vilipendium & injuriam rerum ſacratarum, curabunt Paſtores id abrogari: & ſi ad illorum monitionem ab hujusmodi non abſtineant, a tali convivio ſe ſe abſentabunt, & nihilominus Nos quantocius reddent certiores.

XIX.

Ad abolendam pravam conſuetudinem, qua quibusdam in locis, præſertim ruri, Baptiſmus infantum differtur uſque in diem Dominicam poſt ſummum Sacrum, cujus occaſione ſæpe contingit plures illo die Miſſam non audire; Paſtores tempeſtive populum & parentes præmonebunt, ſe extra caſum neceſſitatis die & hora ſupradictis infantes non baptizaturos, niſi conſtiterit, concomitantes Sacro interfuiſſe.

XX.

Interpretando *Cap. XI. Tit. VII.* Statutorum Synodaticorum *de Decanis ruralibus*, declaramus Decanos Chriſtianitatis poſſe excipere confeſſiones ſubditorum ſui Diſtrictus, ad ſe ex cauſa recurrentium, etiam tempore Paſchali.

XXI.

Super Altaria, etiam lateralia, curabunt Paſtores erigi tabulata, ad arcendas ſordes, quæ communiter ex tecto ſolent decidere.

XXII.

Decet Divinum Officium, maxime vero ipſam Miſſæ celebrationem, fieri cum requiſito decore, & exacta Rubricarum obſervantia: quare nemini poſthac licebit Primitias celebrare, niſi prius bene edoctus a peritis, ſuæ etiam peritiæ ſpecimen exhibuerit coram Decano loci.

XXIII.

Summopere dolemus, dies Feſtos Sanctorum ita paſſim negligi, quaſi illorum transgreſſio nullius aut levis culpæ reatum induceret: quare Paſtores ſæpius de ſuggeſtu, & quacumque data occaſione, maxime circa Feſta, quæ ſolent parvi æſtimari, inculcabunt, omnes teneri ſub peccato mortali dictis diebus integrum Sacrum audire, & abſtinere a ſervilibus, ſicut diebus Dominicis.

XXIV.

Et quamvis propter neceſſitatem quædam opera de licentia noſtra certis diebus & horis quandoque permittantur; non licet propterea abuti benigna Eccleſiæ diſpenſatione, & pro libitu illam extendere ultra conceſſos terminos; prout faciunt, qui ſub Divino Officio eſculenta & poculenta divendunt, frumentum molunt, in meſſe toto matutino tempore operantur, ut pomeridiano liberius ſe recreent; quique equos tunc maxime curant, quando vacandum eſt Divinis: quos ſicut a peccato excuſare non poſſumus, ita etiam ut Feſti transgreſſores puniri curabimus.

XXV.

Similiter etiam Paſtores conabuntur emendare malam, licet fere ordinariam ruri conſuetudinem, qua populus diebus Dominicis & Feſtis ſub finem *Pater noſter*, vel *Agnus Dei*, in Miſſa diſcedit; docendo, tales non ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro.

XXVI.

Poſt hac nullos Calices, Patenas, vel Ciboria conſecrabimus, quæ non ſint ex argento, ſaltem intrinſecus deaurato: vaſcula item pro ſacris Oleis, ſi quæ fiant nova, non ex alia materia fiant, quam ex argento: ubi autem ſunt ex ſtanno, adhibebunt Paſtores diligentiam, ut nova conficiantur.

XXVII.

Sacra Olea nunquam ſerventur in repoſitorio Venerabilis Euchariſtiæ, ſed in loco aliquo ſeparato, & ſera clauſo; utpote Oleum infirmorum, ſi fieri poſſit, juxta dictum repoſitorium; Oleum vero Catechumenorum, & ſacrum Chriſma, intra baptiſterium prope fontem Baptiſmalem.

XXVIII.

Claves Tabernaculi Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, ſacrorum Oleorum, & fontis Baptiſmalis, ſervet ſolus Paſtor, & Capellanus admiſſus ad Sacramentorum adminiſtrationem; nec umquam relinquentur in loco aperto, quantumvis ſecreto vel ignoto.

XXIX.

Sngulis annis Paſtores per ſe, vel per aliquem Sacerdotem, aut in ſacris Ordinibus conſtitutum, ſacra Olea petent a ſuis Decanis.

XXX.

In omnibus Parochialibus Eccleſiis circa fontem Baptiſmalem volumus fieri Baptiſterium ſepimento clauſum, & intra illud piſcinam, ad uſus ibidem neceſſarios, juxta Statuta Synodatica & Decreta Concilii Provincialis: ipſum etiam fontem interius obduci plumbo, ne aqua tam facile poſſit corrumpi, vel tempore gelu ex fiſſione lapidis effluere.

XXXI.

Sacrarum rerum munditiem ſummopere Paſtoribus commendamus: quare Eccleſiam totam, ſi opus fuerit, interius ſemel nitide dealbari, & a ſolo uſque ad faſtigium ſub tecto incluſive ſingulis annis totaliter ſcopis bene purgari, parietes ad altitudinem feneſtrarum, ipſaſque feneſtras bis in anno mundari, pavimentum ſingulis hebdo-

hebdomadibus verri, ter vero in anno, si lutum adhæserit, eradi; vasa ænea suavi spongia, candelabra panno laneo semel in hebdomada, accuratiori vero fricatione ter in anno; argentea etiam deaurata, sexto quoque mense aqua tepida ablui; lampades, thuribula, emunctoria semel in mense, convenienti purgatione extergi solicite curabunt.

XXXII.

Ornamenta Divino cultui dicata, sive linea, sive lanea, vel ex pretiosiori materia, ita in Sacristiæ scriniis vel cistis decenter complicata serventur, ut nec rugas, nec maculas ex indecenti projectione contrahant: superior altaris mappa, seu tobalea, finita Missa, tegatur panno laneo, vel corio, renoveturque singulis mensibus: inferiores quater in anno: & ubi plures sunt Celebrantes, corporalia & albæ singulis mensibus; purificatoria & amictus singulis quindenis mutentur: superpellicea, manutergia, & similia toties, quoties necesse erit, modo semper nitida habeantur.

XXXIII.

Optaremus ornamenta non tantum pro Sacerdote celebrante, sed etiam pro altaribus variari secundum differentiam Officii, juxta præscriptum Rubricarum: quod Pastores diligentia sua conabuntur procurare, ne frustra ab Ecclesia videatur ordinatum.

XXXIV.

Ornamentorum omnium, & utensilium Ecclesiæ, mandamus fieri inventarium authenticum, ante proximam Decanorum visitationem, & illud recludi cum aliis Ecclesiæ munimentis.

XXXV.

Tabernaculum, seu Repositorium Venerabilis Sacramenti interius ornetur decenti pictura, & ad crates fenestellarum (si forte tales sint) appendantur intrinsecus cortinæ, vel apponantur vitra, ad arcendos pulveres; sitque semper pyxidi suppositum corporale, quod singulis mensibus renovabitur.

XXXVI.

Ubi novum debet erigi Tabernaculum, seu Repositorium pro Venerabili Sacramento, decet, ut illud collocetur, & aptetur super altare majus in choro; quod & minoribus fiet expensis, & erit magis honorificum.

XXXVII.

Plura circa munditiem & ornatum possent præscribi, quæ non tantum decorem domus Dei, sed etiam fabricæ & utensilium præservationem (quæ a munditia plurimum dependet) spectare dignoscuntur, sed minutiora, & quæ circa præcipuas Solemnitates observare convenit, diligentiæ & zelo Parochorum practicanda relinquimus.

XXXVIII.

Procurabunt Pastores cœmeteria claudi, ubi nulla ratione fieri potest, ita saltem, ut non pateat liber ingressus animalibus majoribus & immundis.

XXXIX.

Oratio mentalis, qua veluti cœlesti cibo spiritus impinguatur, adeo viris Ecclesiasticis deberet esse familiaris & commendata, ut singulis diebus huic exercitio certam horam haberent assignatam; quod cum ita negligi videamus, ut ex ipsius ignorantia Divinum Officium, defectu debitæ attentionis, perfunctorie sæpius percurratur; declaramus, Nos posthac nullum sæcularem ad sacrum Ordinem admissuros, nisi prius aliquot diebus sub Directore spirituali exercitatus, per congruas meditationes se se ad futurum onus suscipiendum, & ad vitam conformiter instituendam debite præparaverit.

XL.

Ut juxta Decreta Concilii Tridentini Solemnitates nuptiarum ea, qua decet, modestia & honestate fiant, advigilabunt Pastores, ne convivii nuptialis tempore ullæ insolentiæ perpetrentur; maxime tales, quæ in contemptum pudoris quibusdam in locis exerceri solent; ut est histrionica & indecens repræsentatio sepultæ virginitatis: quod si moniti a similibus abstinere noluerint, Pastorem volumus a con-

vivio discedere, & contravenientes Nobis denuntiare.

XLI.

Dolendum est, tam multos, etiam grandiores, ignorare principia Fidei: quare Pastores, antequam ullos, de quibus subest ratio dubitandi, admittant ad Sponsalia, examinabunt illos in Catechismo: quod si omnino rudes invenerit, diligenter doceat; nec ad proclamationem bannorum procedat, nisi se se instrui patiantur.

De Computubus, & conservatione bonorum Ecclesiasticorum.

I.

IN tanto negotiorum concursu impossibile Nobis est, ita singulis vacare, ut omnium Ecclesiarum, piarumque fundationum computus & rationes per Nos ipsos semper audire valeamus: quocirca omnes Decanos, Ecclesiarum Parochialium Rectores, conjunctim & divisim authorizamus, ut nostro nomine dictos computus suos suorum respective Districtuum sibi præsentari faciant, ac audiant, bona, juxta Decreta Concilii Provincialis, debite elocari, ac administrari videant, aliaque omnia faciant, prout decet bonos & fideles patrimonii Christi Dispensatores.

II.

Circa quæ pro meliori directione, curabunt sequentia observari.

III.

Primo: ut in singulis locis, de communi consilio, & consensu, quorum interest, statuatur certa dies annua ad dictas rationes reddendas.

IV.

Recurrente dicta die, illa de suggestu (si sit moris) tempestive notificetur; quatenus Receptores parati, & alii, in Templo vel loco consueto, modo non in taberna, sese sistant.

V.

Sub eodem verborum tenore fiat præsentatio Pastori, quo fit aliis.

VI.

Dicta præsentatio, & quæcumque aliæ apostillæ, scribantur in loco Congregationis, antequam auditores discedant, & omnibus audientibus relegantur.

VII.

Si quid difficultatis oriatur, amicabili communicatione auditores inter se id sopire studeant: & si convenire nequeant, Pastores sui Decani, vel nostrum desuper responsum exspectabunt.

VIII.

Computus similiter signabuntur, antequam a loco auditionis discedatur, etiam a Pastore: ita tamen, ut si consuetudinis sit, quod unus nomine omnium signet, id fiat exprimendo: De mandato Auditorum in præsentatione nominatorum.

IX.

In quolibet computu adducatur clausura præcedentis computus sub prima rubrica receptæ, si sit in anterioribus; expositorum, si fuerit in posterioribus.

X.

Si qui reditus fuerint redempti, nummi capitales non permittantur distrahi; sed prima opportunitate impendantur in emptionem similis reditus: & donec id factum fuerit, in quolibet computu post clausuram fiat hujus memoria.

XI.

Reditus passivi non admittantur in expositis, nisi sub quitantia.

XII.

Non permittant bona Pastores fabricæ, & mensæ pauperum, vel aliarum fundationum, confundi; sed nec mutuo sibi succurrere, absque nostra licentia; vel de novo grassari pensionibus pro sustentatione Ministrorum Ecclesiæ, maxime si non sint, de necessitate: nisi sic habeat fundatio, vel longa consuetudine sic fuerit practicatum.

XIII.

Agant Pastores cum Æditui, & aliis Præfectis, ut elocationes terrarum spectantium ad Ecclesiam, & mensam pauperum, reducantur, si fieri possit, ad eundem terminum; quatenus hac ratione, minori cum molestia & sumptu arrendæ simul renovari possint.

XIV.

XIV.

Post solutam Congregationem, nulli erit licitum aliquid inscribere vel delere in dictis computubus, nisi iterum in simili Congregatione, consentientibus auditoribus.

XV.

Ideirco dicti computus, saltem exemplar unum debite signatum, statim, ubi fuerint auditi, recludetur cum aliis Ecclesiæ munimentis in loco tuto, sub diversis seris & clavibus, quarum unam servabit Pastor; unde nemini licebit aliquid auferre, nisi relicto ibidem suo recipisse.

XVI.

In constituendis Æditus, seu Præfectis fabricæ & mensæ pauperum, similibusque piarum fundationum Administratoribus, vices nostras Pastoribus delegamus.

XVII.

In singulis Parochiis mandamus fieri tabulam authenticam omnium fundationum, affigendam in Sacristia, ut secundum illam Missæ & Anniversaria expleantur.

XVIII.

Denique quidquid pro meliori regimine dictorum bonorum, sive in elocatione, sive in administratione statuendum, vel ordinandum erit, intentio nostra est, ut Parochi solicitudinem & authoritatem Pastoralis vigilantiæ, nomenque suum, & consensum, conjunctim cum iis, quibus etiam hoc respective incumbit, interponere non omittant, & quandocumque in difficilioribus negotiis per Laicos auditores vel Administratores, ad Superiorem sæcularem pro consilio recurritur, ipsi Pastores similiter suos Decanos consulent, vel a Nobis resolutionem petent, & eidem se se conformabunt.

XIX.

Pluribus in locis adeo neglecta est reparatio domus Pastoralis, ut magnum exinde Pastores sentiant incommodum & gravamen: quare monemus omnes Decanos, ut in suis visitationibus diligenter exequantur ea, quæ Statuta Synodatica & Concil. Provinc. desuper ordinarunt.

XX.

Pastores omnes, præter registrum bonorum Pastoralium, in quo sint designati limites & hypothecæ, habeant etiam exactum Manuale dictorum proventuum & reddituum; quod Decanis visitantibus exhibere tenebuntur, & sequi ipsius præceptum, quoad formam notitiæ ibidem servandam: dictumque Manuale & Registrum morientes vel discedentes relinquent suis Successoribus.

Instructio pro Confessariis per totam Provinciam Mechliniensem.

I.

INprimis monentur serio omnes & singuli Confessarii, ut parce, caute, & valde caute interrogent circa peccata carnis, non solum quando virgines habent confitentes, sed etiam quando conjugatos, aut quoscumque cœlibes.

II.

Ad confessionem non necessaria non misceantur in confessione, nisi quatenus ad salutarem instructionem evidenter pertinent. Reliqua, ut etiam volens narrare pœnitens sileat, moneatur a Confessario.

III.

Complicum nomina Confessarius non inquirat; uti nec ipsorum pœnitentium.

IV.

Interdicimus etiam prolixiora colloquia fœminarum in confessione, uti & invitationes earum, ad nimis frequenter sibi confitendum: potius allaborandum, ut serio vitam emendent, & saltem eo confitendi intervallo sint contentæ, quod plerisque etiam Monialibus præscribitur.

V.

Non utantur Confessarii scientia ex confessione accepta: difficulter enim id fit sine gravamine confessionis, cum ita facile soleat peccator, peccatum vel confessio prodi, aut in suspicionem venire.

VI.

Intolerabile est, quosdam adeo sui oblivisci, ut etiam in conviviis referant ea, quæ in confessione audiverunt, aut modum, quo quidam confitentur; maxime si peccata ipsa referant, & addant, illo ipso die se ea audivisse. Hoc omnes Confessarii caveant; alioqui sciant, a pœnis sacrilegii se non fore immunes.

VII.

Non inducant pœnitentem ad sibi soli confitendum; imo etiam volentem id promittere vel vovere prohibeant, sed hoc potius curent, ut omnis tollatur contentio, qua quis dicat: Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Zephæ.

VIII.

Confessarii caveant, ne familiares sint fœminis sibi confitentibus: imo eo ipso, quo eas audiunt in confessione, sciant, se ab earum familiaritate peculiariter debere abstinere.

IX.

Sciant item Confessarii, Sedi Apostolicæ inter cætera esse reservata vota perpetuæ Castitatis, & Religionis. Quoad reliqua vero vota, & excommunicationes, caveant, ne temere se se immisceant, neque excedant, permutando vel absolvendo, potestatem suam.

X.

Caveant etiam Confessarii, ne qua commoda temporalia sibi, vel suis occasione confessionis a pœnitentibus aucupentur: neque convenit, ut ipsorum temporalibus bonis administrandis se se immisceant.

Instructio pro Concionatoribus, per Diœcesim Yprensem.

I.

INprimis doceant populum, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiando eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia, quæ declinare, & quas virtutes sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant.

II.

Explicationi Evangelii, Symboli Fidei, Orationis Dominicæ, Salutationis Angelicæ, Præceptorum Decalogi, Sacramentorum, sacrorumque rituum, serio incumbant.

III.

Frequentationem Doctrinæ Christianæ, Festorum observantiam, Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ necessitatem & utilitatem sæpius inculcent.

IV.

Omnium ætatum ac ordinum, utpote Patris, & filii, uxoris, & mariti, Domini, ac servi, Magistratus, ac privati, officia circumspective demonstrent.

V.

Ubi corruptelas in populo maxime frequentes intellexerint, circa illarum reprehensionem sine dissimulatione versentur; ita tamen graviter, ut vitia insectentur, non personas, nec tacitus aliquem designent.

VI.

Superioribus omnibus, tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus reverentiam & obedientiam a populo deberi doceant; neque tales publice reprehendant; sed, si opus fuerit, officii sui generatim dumtaxat admoneant.

VII.

Apud rudem plebem difficiliores ac subtiliores quæstiones, quæ ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, non tractent.

VIII.

Moneant populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem Dominicis & majoribus Festis, accedant; teneri unumquemque suæ Parochiæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.

IX.

Fucum orationis, Poëticam locutionem, aut verba peregrina ne sectentur.

X.

Sacra Scriptura secundum vulgarem editionem utantur, eamque interpretentur ex consentienti Sanctorum Patrum authoritate.

XI.

XI.

Contra eos, qui Sacræ Scripturæ ſententiis & verbis abutuntur, graviter quandoque invehantur.

XII.

Allegorias ex probatis tantum Eccleſiaſticis Scriptoribus adhibeant.

XIII.

Apocryphis authoribus aut hiſtoriis non utantur.

XIV.

Fabulis, & earum allegoriis abſtineant: niſi pro veritatis confirmatione interdum earum aliquid breviter referre expedierit.

XV.

Hæreticarum opinionum argumenta non referant.

XVI.

Ubi autem neceſſe erit ipſas opiniones referre, gravi redargutione, & ſolidioribus tantum argumentis refutent.

XVII.

Miracula nova, niſi prævia approbatione Ordinarii, non promulgent.

XVIII.

Indulgentias item authoritate Ordinarii non approbatas, publicare, aut proponere caveant.

XIX.

Neminem, multo minus ſeipſos, paupertatis nomine, niſi de Ordinarii licentia, fidelium eleemoſynis de ſuggeſtu commendent.

XX.

Antequam concionandi initium faciant, Paſtori loci admiſſionis ſuæ teſtimonium (ſi illud nunquam oſtenderint) exhibeant.

XXI.

Denique, ne cum aliis prædicaverint, ipſi reprobi efficiantur, tanta in privatis colloquiis, victu, vitaque quotidiana, gravitate, modeſtia, & Eccleſiaſtica diſciplina aliis prælucere ſtudeant, ut, quod verbis ædificant, moribus confirment; ſicque aliquando uberes laboris ſui fructus colligere mereantur.

FINIS.

GEORGIUS CHAMBERLINUS, maximi Vir ingenii, omnique laudum apparatu inſignis, quem, Patre Anglo, Prænobili Comitum Transquervillorum familia orto, ſed orthodoxam ob fidem, cujus erat tenaciſſimus, glorioſo exule, Gandavum luci dedit, illuſtri, verum tam egregiis ejusdem virtutibus atque animi dotibus inferiore, apud Hoſchium noſtrum *Eleg. Lib.* 3. *pag.* 136. epitaphio commendatur. Juvat nonnulla inde decora excerpere. Scribitur Antiſtes fuiſſe GEORGIUS, quem Italia, Hiſpania, Gallia, Belgica non minus, quam Britannia, ob linguarum peritiam civem ſuum crederent; quem adhuc adoleſcentem admirabundi Reges perorantem audirent; quem Theologiæ, Philoſophiæ, Juris ſcientia, Oratoria ac Poëtica Facultas, prudentia omnibus admirabilem, comitas, modeſtia, manſuetudo, animi ſubmiſſio, cum illuſtri genere conjuncta, omnibus carum, Religio, pietas, fides, Paſtoralis cura cœlo, terræque glorioſum efficerent. Varia ad poſteros, eruditaque monumenta transmiſit, carnem aſpero edomuit cilicio, quotidianis mentem meditationibus pavit, creditum ſibi gregem tum lectiſſimis orationibus ſacris, tum virtutum exemplo prorſus intaminato ſemper enutriit. Ex mortali hac vita ad Superos evolavit, immortalem conſecuturus XIX. Decemb. anno MDCXXXIV.

Vide Hoſchium cit., *Chronolog. de Caſtillion*, *Swertii Athenas Belg.*, & *Anton. Sanderi de Gandavenſibus erud. fama claris Lib. I. pag.* 44.

SYNO-

SYNODUS OSNABRUGENSIS DIOECESANA,

Eodem anno Christi MDCXXIX.

Sub FRANCISCO GUILIELMO, Comite Wartenbergio, Osnabrugensi LIX. Episcopo,

FERIA 3*tia* POST DOMINICAM: *OCULI*, DIE 20. MARTII CELEBRATA,

Præsidentibus in eadem Nomine altememoratæ Celsitudinis Suæ, Admodum Reverendis, Prænobilibus & Doctissimo, Dominis SIXTO a LIAUCKEMA, & THEODORO MORRIEN, Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis Præposito & Decano, & ALBERTO LUCENIO, Proto-Notario Apostolico, & Reverendissimæ ac Illustrissimæ Celsitudinis Suæ in Spiritualibus Vicario Generali, &c.

INDEX EORUM, QUÆ IN HAC SYNODO CONTINENTUR.

ORDO ET CÆREMONIÆ SERVATÆ SYNODI.

FEria tertia post Dominicam: *Oculi*, circa octavam horam, comparentibus ad signum magnæ campanæ in Cathedrali Ecclesia Dominis Præposito, Decano, cæterisque Cathedralis Ecclesiæ & Collegiatarum Canonicis; item diversarum Religiosarum, respective Abbat., Prioribus, Guardianis, Patribus Confessariis, & Civitatis ac Diœcesis Pastoribus & Curatis, &c. cantatum est Sacrum de Sancto Spiritu, per Reverendissimi Episcopi in Spiritualibus Vicarium Generalem. Quo absoluto, processum fuit ad locum consuetum Synodi servandæ; ac primum Deputati Synodi Præsides in scamno tapete instrato, & ad caput fere majoris Aulæ collocato, ita consederunt, ut Domini Præpositi in medio consistentis dexteram Dominus Decanus, sinistram Dominus Vicarius in Spiritualibus Generalis, &c. clauderet.

Incœptus vero fuit Hymnus: *Veni Creator Spiritus*, per D. Vicarium in Spiritualibus, quem prosecuti sunt e Clero præsentes, subjunctaque Collecta de S. Spiritu, ex Pontificali Romano: præparatoriam Orationem clara voce pronunciavit idem D. Vicarius:

Adsumus, Domine Sancte Spiritus, adsumus, peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati: Veni ad nos, adesto nobis, dignare illabi cordibus nostris: doce nos, quid agamus; quo gradiamur, ostende; quid efficiamus, operare: Esto solus, & suggestor, & effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, & ejus Filio nomen possides gloriosum: non nos patiaris perturba-

tores

tores esse justitiæ, qui summe diligis æquitatem; ut sinistrum nos non ignorantiæ trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris, vel personæ corrumpat; sed junge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono; ut simus in te unum, & in nullo deviemus a vero; quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam; ut hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna.

℞. *Amen.*

Qua finita, omnibus considentibus, prædictus Dominus Vicarius in Spiritualibus assurgens, præsentem Synodum his verbis est allocutus:

Admodum Reverendi, Prænobiles, Venerabiles, Religiosi, & Honorabiles Viri, ac Domini, &c. Reverendissimus & Illustrissimus Princeps ac Dominus, D. FRANCISCUS GUILIELMUS, Episcopus Osnabrugensis, &c. Dominus noster Clementissimus, cum animadverteret, instante hac Synodo Quadragesimali, aliis se negotiis & occupationibus gravioribus impeditum, quo minus ad hanc Synodum accedere, eique personaliter præsidere posset; ne quid tamen eorum, quæ ad reformandos mores ac disciplinam Ecclesiasticam restaurandam ac confirmandam facere possunt, omittatur, aut suspendatur; Admodum Reverendis & Prænobilibus Viris ac Dominis, D. Præposito & D. Decano Cathedralis Ecclesiæ, una mecum in mandatis dedit, ut Celsitudinis Suæ nomine huic Synodo celebrandæ præsideamus, eaque omnia faciamus, curemus & præstemus, fierique ac præstari curemus, quæ ex jure & veteri ac laudabili more fieri debent, ac consueverunt, prout in hanc rem Celsit. Sua speciale mandatum clementissime est impertita, & singulares quasdam Ordinationes in hac Synodo promulgandas simul transmisit.

Tradita deinde est Commissio Notario, quam is clara voce prælegit, tenoris subsequentis:

FRANCISCUS GUILIELMUS, DEI & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Osnabrugensis, Præpositus Ratisbonensis, Comes de Wartenberg, Dominus in Waldt, &c. Venerabilibus, Nobilibus, atque Doctissimo, devote Nobis in Christo Dilectis atque fideli, Sixto a Liauckema, Theodoro Mörrien, & Alberto Lucenio, *respective Cathedralis nostræ Ecclesiæ Osnabrugensis Præposito & Decano, & in Spiritualibus Vicario nostro Generali, Salutem in Domino.*

Venerabiles, Nobiles, Doctissime, devote Nobis in Christo dilecti, & fidelis.

CUm per nostræ gravissimæ solicitudinis publicas occupationes impediamur, quo minus futuræ Synodo, quæ in Civitate nostra Osnabrugensi, feria tertia post Dominicam: Oculi, *incidentem in vigesimum diem mensis Martii, ex laudabili Majorum nostrorum consuetudine celebrabitur, personaliter interesse & præsidere possimus; Nos vobis, de quorum prudentia, zelo, pietate & legalitate, singularem gerimus fiduciam, præsentium tenore in Domino committimus, ut dictæ Synodo nostro nomine præsideatis, & Synodales hasce, quas vobis transmittimus Constitutiones promulgari curetis, ac ad earum observationem Clerum nostræ Diœcesis debite admoneatis, &, prout juris est, admoneri faciatis, & quicquid Nos in dicta Synodo personaliter agere possemus, nostro nomine peragatis, insuper etiam illius Synodi acta, & præsentium, & absentium nomina ad Nos in scripto referatis. Hæc est seria nostra voluntas, manu & Sigillo nostro roborata. Valete in Domino. Datum ex Arce nostra solitæ Residentiæ Episcopalis Iburgensis, decima octava Martii. Anno Millesimo sexcentesimo vigesimo nono.*

Franciscus Guilielmus,
Episcopus Osnabrugensis.

Locus Sigilli subimpressi.

Finita lectione Commissionis, Dominus Vicarius assurgens, signum dedit Reverendo Patri *Wilhelmo Asschendorff*, Societatis JESU Presbytero, & Ecclesiastæ Ecclesiæ Cathedralis, ut is collationem seu Orationem Synodalem haberet, qui pulpitum ascendens, quædam pro temporis & personarum ratione dixit.

Concione Synodali peracta, Reverendissimi & Illustrissimi Episcopi Vicarius iterum assurgens, præsentes monuit, ut ad lectionem Synodalium Statutorum attenderent, quæ ex manibus Admodum Reverendi Domini Præpositi Cathedralis Ecclesiæ accepta, Reverendus Dominus *Conradus Burenius*, in eadem Ecclesia Vicarius & Curatus, ex suggestu publice prælegit.

SE-

SEQUUNTUR

CONSTITUTIONES SYNODALES.

FRANCISCUS GUILIELMUS, DEI ET APOSTOLICÆ Sedis gratia Episcopus Osnabrugensis, Præpositus Ratisbonensis, Comes de Wartenberg, & Dominus in Waldt, &c. Venerabilibus, Religiosis, Honorabilibus, Nobis in Christo sincere Dilectis, atque Devotis, Ecclesiæ nostræ Cathedralis Præposito, Decano & Capitulo, omnibusque & singulis Ecclesiarum Collegiatarum, Regularium & Parochialium, Abbat. Præpositis, Decanis, Prioribus, Guardianis, Pastoribus, Rectoribus, Clericis, & Personis Ecclesiasticis, quibuscunque nominibus censeantur, aut in quacunque Ecclesiastica dignitate seu functione per Civitatem & Diœcesin nostras Osnabrugen. constitutis, Salutem in Domino.

CUm Nos inter ipsa auspicia inauguralis nostri in Civitatem nostram Osnabrugensem ingressus, atque inter ingruentia undecunque molimina motuum bellicorum, nihil magis in votis habuissemus, quam ad Sanctam Religionem Catholicam restituendam, corrigendos excessus & reformandos Cleri mores, profliganda vitia, virtutesque inserendas, animum intendere, illud ante annum indicto ac singulariter conscripto Synodali congressu egimus, ut generales quædam certæque regulæ, tam ad doctrinam Christianam, Sacramentorum administrationem, & alias functiones Ecclesiasticas, quam ad mores repurgandos, & honestatem, libertatem ac immunitatem Ecclesiasticam reparandam, tuendamque pertinentes in ordinem redigerentur, quas etiam debite promulgavimus, publicavimus, confirmavimus, & ut ad omnium & singulorum notitiam devenire possint, prælo commisimus.

CAPUT I.

De Synodo majore Osnabrugen. typis data, & ejus copia ab Ecclesiasticis procuranda.

MAndamus vero tenore præsentium districte, & sub arbitraria Nobis pœna, omnibus & singulis Prælatis, & aliis in dignitatibus & officiis Ecclesiasticis constitutis, Canonicis, Pastoribus, Curatis, Sacellanis, & aliis Clericis ac Beneficiatis quibuscunque, ut post publicationem hanc typis factam, exemplaria sufficientia hujus Synodi sibi comparent, nec ullus sit, qui non exemplar harum Constitutionum Synodalium habeat, diligenter legat, & requisitus ostendere possit.

CAPUT II.

De habitu Clericali competente.

HAbitum Clericalem statui, honori & ordini Ecclesiastico convenientem in multis Ecclesiasticis adhuc desiderari, nec in hoc tam generalibus Sanctionibus Canonicis, etiam pœnalibus, quam Prædecessoris nostri & nostris Synodalibus Constitutionibus, satisfactum esse animadvertimus. Quare iterum post tot monitiones serio mandamus omnibus & singulis sub pœna juris & alia Nobis arbitraria, ut legum Ecclesiasticarum & jussis nostris obtemperent.

CAPUT III.

De Exequiarum ac Funerum Catholicis ritibus reducendis.

CUræ mortuorum & piarum Exequiarum antiquitati utrumque Testamentum (*) suffragatur, magnaque religione priscis temporibus Christianorum funera sunt curata. Quia ratio-

(*) Genes. 49. v. 29. & 50. v. 2. & seqq. & v. 26. Deut. 34. v. 8. 2. Reg. 1. a v. 17. Tob. 12. v. 12. Matth. 14 v. 12. Luc. 23. v. 53. Act. 8. v. 2. Dionys. de cœlesti Hierarchia cap. 7. & de divi. nominib. lib. 1. c. 3. D. Ambros. orat. funebr. Impp. Theodosii & Valentiniani majoris, item Satyri fratris sui. D. Gregor. Nazianz. funeb. orat. Patris, fratris Cæsarii, sororis Gorgoniæ & Magni Basilii. Hieron. Epist. ad Eustoch. de Epitaph. Paulæ.

ratione Nos etiam volumus, ut eorum funera, qui in vera Religione ac cum pietate dormitionem acceperunt, competenti modo ducantur; mandamusque tenore præsentium, ut in sepultura mortuorum Catholici ritus ac cæremoniæ veteres in usum iterum revocentur, & secundum Pastorale Romanum exerceantur; neque existimetur superfluum esse, aut inane, si mortuis justa funebria fiant, quod ea ad mutuam inter nos benevolentiam declarandam, spem resurrectionis profitendam & excitandam, (*) & mortalitatis admonitionem multum valeant.

CAPUT IV.

De nominibus communicantium & non communicantium in Paschate notandis & exhibendis.

CUm etiam, ut oves nostras, quæque ad ovile gregis nostri pertinent, propius agnoscamus, plurimum nostra intersit: volumus, ut singuli Pastores quarumcunque Parochialium Ecclesiarum omni modo satagant, ut omnium in Paschate confitentium & communicantium nomina, quatenus fieri potest, ordine, per vicos, plateas, & familias diligenter notata intra tres septimanas a Paschate sequentes, Nobis, aut nostro Vicario in Spiritualibus exhibeant, uti etiam non communicantium nomina denotent. Per Paschale autem tempus intelligimus illud, quod a Dominica *Lætare* usque ad Dominicam *in Albis* inclusive intercedit, quo tempore omnes Catholici præcepto S. Matris Ecclesiæ satisfacere teneantur.

CAPUT V.

De nominibus Conversorum in Civitate & Diœcesi notandis & exhibendis.

ITem mandamus, ut eorum, qui in Civitate nostra Osnabrugensi ad Fidem Catholicam redeunt, nomina singulis septimanis, in oppidis vero, & pagis, singulis mensibus Nobis, aut Vicario nostro tradantur a singulis Curatis, & Religiosis, qui confessiones de nostra licentia, vel suorum Superiorum excipiunt.

CAPUT VI.

De inventario supellectilis sacræ literarum ac monumentorum, & rationibus Ecclesiarum exhibendis.

EX gravibus causis animum nostrum ad hoc moventibus, & ne Ecclesiæ Diœcesis nostræ ornatu & apparatu necessario desertæ permaneant, volumus, ut Pastores intra mensem ab harum promulgatione sequentem, omnium & singulorum mobilium, calicum, hierothecarum, Reliquiarum, paramentorum Sacerdotalium, corporalium, mapparum, & quorumcunque instrumentorum utensilium, & ornamentorum Ecclesiasticorum, legitimum inventarium ad Nos, aut nostrum Vicarium transmittant. Item designationes literarum, monumentorum ac jurium Ecclesiæ, ac ubi, quomodo, quibus sub custodibus ac custodiis ea conserventur.

Item quatuor annorum ultimo elapsorum rationes Ecclesiæ cum pariatione & subscriptione tam Pastoris cujuscunque loci, quam eorum, qui reditus administrant.

Præterea, ut vos omnes & singuli de Clero nostro compendium eorum, quæ proxime ad vitam & disciplinam Ecclesiasticam, proximique ædificationem pertinent, veluti in speculo compendiose contueri possitis, volumus, ut singulis consessibus Synodalibus, in fine ea, quæ in Pontificali Romano succincte continentur, nostro nomine vobis prælegantur, ut sequitur:

FRATRES DILECTISSIMI, ET SACERDOTES DOMINI, COOPERATORES ORDINIS NOSTRI ESTIS.

" NOs, quamvis indigni, locum
" Aaron tenemus; vos autem
" locum Eleazari, & Ithamari. Nos
" vice duodecim Apostolorum fungi-
" mur, vos ad formam septuaginta duo-

(*) Chrysost. hom. 4. in 2. Epist. ad Hebr.

" duorum Discipulorum estis. Nos " Pastores vestri sumus, vos autem Pa- " stores animarum vobis commissarum. " Nos de vobis rationem reddituri su- " mus Summo Pastori nostro Domino " JESU CHRISTO, vos de plebibus " vobis commendatis. Et ideo, Fratres " Dilectissimi, videte periculum ve- " strum. Admonemus itaque, obse- " cramus Fraternitatem vestram, ut quæ " vobis suggerimus, memoriæ com- " mendetis, & opere exercere studea- " tis: Imprimis admonemus, ut vita " & conversatio vestra sit irreprehensi- " bilis. In domibus vestris suspectæ " mulieres non cohabitent. Officium " vestrum horis certis decantate. Nul- " lus, nisi jejunus Missam celebret, & " non in vestibus communibus, sed " sacris & nitidis, amictu, alba, cingu- " lo, manipulo, stola & casula, quæ " ad alios usus non serviant. Missas " religiose celebrate: Corpus & San- " guinem Domini nostri JESU CHRIS- " TI cum omni reverentia, & tremore " sumite; Corporalia mundissima sint. " Vasa sacra propriis manibus abluite, " & extergite diligenter. Nulla fœmi- " na ad Altare Domini accedat, nec " calicem Domini tangat. Altare sit " coopertum mundis linteis, saltem " tribus diversis. Et desuper nihil po- " natur, nisi Reliquiæ, ac res sacræ, & " pro Sacrificio opportunæ, Missale, " Breviarium, & Martyrologium unus- " quisque habeat. Ecclesiæ vestræ be- " ne sint coopertæ, & mundæ. In Sa- " cristiis, sive Secretariis, aut juxta Al- " tare majus sit locus præparatus ad " infundendum aquam ablutionis cor- " poralium, & vasorum sacrorum, ac " manuum, postquam sanctum Chris- " ma, aut Oleum Catechumenorum, " vel infirmorum tractaveritis: ibique " pendeat vas cum aqua munda pro " lavandis manibus Sacerdotum, & " aliorum, qui rem sanctam & Offi- " cium Divinum sunt peracturi, & pro- " pe linteum mundum ad illas abster- " gendum. Atria Ecclesiæ sint bene " munita. Nullus sine scitu & con- " sensu nostro, per potestatem sæcula- " rem, Ecclesiam obtineat. Nullus " Ecclesiam, ad quam intitulatus est, " dimittat, & ad aliam quæstus gratia " se transferat. Nullus plures Eccle- " sias sine titulo, & contra sacrorum " Canonum dispositiones nancisci præ- " sumat. Nullatenus etiam una Eccle- " sia inter plures dividatur. Nullus ex- " tra Ecclesiam in locis non consecratis " celebret. Nullus alterius Parochia- " num, nisi itinerantem, & tunc de " Rectoris sui licentia, ad Communio- " nem recipiat. Nullus in alterius Pa- " rochia absque proprii Sacerdotis li- " centia Missam celebret. In celebra- " tione quisque calicem, & oblata, non " circulo aut digitorum vacillatione, ut " quidam faciunt, sed junctis, & ex- " tensis digitis cruce signet, sicque be- " nedicat. Calix & patena sint aurei, " vel argentei, non ærei, aut aurichal- " ci, vitrei vel lignei. Quisque Pres- " byter Clericum habeat, vel Schola- " rem, qui cum eo Psalmos cantet, Epi- " stolam & Lectionem legat, & in Missa " respondeat. Ipse quoque Presbyter " infirmos visitet, & reconciliet, & " juxta Apostolum propria manu com- " municet, Oleo sancto inungat. Nul- " lus præsumat tradere Communionem " Laico, aut fœminæ, ad deferendum " infirmo. Nullus pro baptizandis in- " fantibus sive adultis, aut infirmis re- " conciliandis, aut mortuis sepelien- " dis, præmium vel munus exigat. Per " negligentiam vestram nullus infans " sine Baptismo, & adultus sine Com- " munione pereat. Nullus vestrum sit " ebriosus, aut litigiosus. Nullus arma " ferat, nullus canum aut avium jocis " inserviat, nullus in tabernis bibat. " Quisque vestrum, quantum sapit de " Evangelio, Dominico, & cæteris Fe- " stivis diebus suæ plebi annunciet. " Verbum Domini prædicate. Curam " pauperum, peregrinorum, viduarum " & orphanorum habete; ipsosque pe- " regrinos ad prandium vestrum vo- " cate. Estote hospitales, aliis exinde " bonum exemplum præbentes. Sin- " gulis diebus Dominicis, ante Missam, " aquam, qua populus aspergatur, be- " nedicite, ad quod proprium vas ha- " bete. Sacra vasa, & vestimenta Sa- " cerdotalia nolite negotiatori aut ta- " bernario in pignus dare. Minus " digne pœnitentem cujuscunque rei " gratia ad reconciliationem non addu- cite,

" cite, neque ei reconciliationis testimonium perhibete. Usuras non exigite. Nullus etiam res, possessiones, aut mancipium Ecclesiæ vendere, commutare, aut quocunque ingenio præsumat alienare. Nullus decimam ad alium pertinentem recipiat. Nullus pœnitentem carnem manducare, aut vinum bibere invitet, nisi pro eo tunc eleemosynam fecerit. Quisque fontes baptismales lapideos habeat bene mundos, quos, si habere non poterit, vas aliud ad hoc opus solum deputatum teneat. Omnibus Parochianis vestris Symbolum Apostolorum, & Orationem Dominicam insinuate. Jejunia Quadragesimæ, quatuor temporum, & alia Ecclesiæ mandata significate observanda. Ante Quadragesimam quarta feria populum ad peccatorum confessionem invitate, & confessis juxta qualitatem criminum pœnitentiam injungite. Tribus temporibus in anno, id est, Nativitate Domini, Pascha, & Pentecoste, omnes fideles accedere ad Communionem Corporis Domini nostri JESU CHRISTI admonete, & ne desit ullus, quin saltem in Pascha communicet. Certis temporibus conjugatos abstinere ab uxoribus exhortamini. Nullus vestrum rubeis, aut viridibus vel laicalibus vestibus utatur. Diem Dominicam, & cæteras Festivitates, absque opere servili, a vespera in vesperam celebrari docete. Cantus & choreas mulierum in atrio Ecclesiæ prohibete. Incantationes super mortuos, nocturnis horis a vulgo fieri consuetas sub contestatione Dei Omnipotentis vetate. Cum excommunicatis nolite communicare. Nec quis vestrum in eorum præsentia celebrare præsumat, quod etiam plebi nunciate. Et nullus ex plebe uxorem domum ducat, nisi prius nuptiæ temporibus ab Ecclesia permissis publice fuerint celebratæ. Quod nullus ad raptam, vel consanguineam accedat, aut alterius Sponsam ducat, omnimodis prohibete. Porcarios, & alios pastores saltem Dominica die faciatis venire ad Missam. Patrinos, ut filios Symbolum & Orationem Dominicam doceant, aut doceri faciant, exhortamini. Sacramentum Eucharistiæ, sanctum Chrisma, & Oleum Catechumenorum, ac Sanctum, seu infirmorum, in Ecclesia in loco mundo, condecenti, & securo, sub sera & fida custodia diligenter servate. Quisquis vestrum expositionem Symboli, & Orationis Dominicæ juxta orthodoxorum Patrum traditiones penes se habeat, easque, atque orationes Missarum, & Epistolas, Evangelia, & Canonem bene intelligat; ex quibus prædicando, populum sibi commissum sedulo instruat, & maxime non bene credentem. Introitum Missæ, Orationes, Epistolam, Graduale, Evangelium, Symbolum, & cætera non secreta, alta & intelligibili voce proferat; Secreta vero, & Canonem morose & distincte submissa voce legat. Psalmorum verba, & distinctiones, regulariter cum canticis consuetis intelligibiliter pronunciet. Symbolum S. Athanasii de Trinitate, & Fide Catholica memoriter teneat. Exorcismos, & orationes ad Catechumenos faciendas, ac reliquas preces super masculum & fœminam pluraliter, vel singulariter respective distincte proferat. Ordinem baptizandi, & ad succurrendum infirmis, reconciliationis & commendationis animæ, & in agendis exequiis defunctorum, juxta modum Canonicum observet. Exorcismos & Benedictiones salis, & aquæ pertinenter legat. Canticum diurnum & nocturnum sciat. Computum etiam minorem ad inveniendam literam Dominicalem, tempus intervalli diei Paschæ, & majorum mobilium Festorum non ignoret. Volumus autem, Fratres dilectissimi, quatenus quæ nostra percepistis traditione, bonis studeatis operibus adimplere, præstante Domino nostro JESU CHRISTO, cui cum Patre & Spiritu Sancto est honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Absoluta lectione Constitutionum, & hujus vitæ Clericalis compendii, ac nemine ulterius aliquid proponente, prædictus Dominus Vicarius, feriam reiteratam commo-

 nitio-

nitionem diligentis obſervationis prædictorum Statutorum, ac Decretorum majoris Synodi Oſnabrugenſis, & aliorum Eccleſiaſticorum Canonum, ad mores, vitam & honeſtatem Clericorum pertinentem interpoſuit, deinde proximam Synodum conſueto tempore indixit, cui ſicuti & aliis ſequentibus inſinuavit omnes ex veteri more ſine ſpeciali indictione, vel citatione loco & tempore ſuo occurrere, & intereſſe debere.

Lectis deinde per Notarium nominibus omnium, & abſentium ſingulariter notatis, recitata fuit per Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis & Epiſcopi Vicarium in Spiritualibus Generalem deprecatio ex Pontificali Romano.

ORATIO.

NUlla eſt, Domine, humanæ conſcientiæ virtus, quæ inoffenſe poſſit tuæ voluntatis judicia experiri, & ideo, quia imperfectum noſtrum viderunt oculi tui, perfectioni deputa miſericors DEUS, quod perfecto æquitatis fine concludere peroptamus; te in noſtris principiis occurſorem popoſcimus, te in hoc fine judiciorum noſtrorum indultorem noſtris exceſſibus ſperamus, ſcilicet, ut ignorantiæ parcas, errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris, & quia conſcientia remordente tabeſcimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut præceps forſan voluntas impulerit juſtitiam declinare: hoc te poſcimus, te rogamus, ut ſi quid offenſionis in hac Synodi celebritate contraximus, te miſerante indulgentiam ſentiamus, ut in eo, quod ſoluturi ſumus, aggregatam Synodum a cunctis primum abſolvamur noſtrorum nexibus delictorum, qualiter & transgreſſores venia, & confitentes tibi ſubſequatur remuneratio ſempiterna. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. *Amen.*

Subjunctoque Verſic.

℣. *Salvum fac ſervum tuum.*
℟. *Deus meus ſperantem in te.*

Et Orationibus ſubſequentibus:

DEUS, omnium fidelium Paſtor & Rector; famulum tuum FRANCISCUM GUILIELMUM, quem Paſtorem Eccleſiæ Oſnabrugenſi præeſſe voluiſti, propitius reſpice; da ei, quæſumus, verbo & exemplo, quibus præeſt, proficere, ut ad vitam una cum grege ſibi credito perveniat ſempiternam.

OMnipotens ſempiterne DEUS, cujus Spiritu totum corpus Eccleſiæ ſanctificatur & regitur: exaudi nos pro univerſis ordinibus ſupplicantes; ut gratiæ tuæ munere, ab omnibus tibi gradibus fideliter ſerviatur. Per Dominum, &c. in unitate ejuſdem Spiritus Sancti Deus.

Cum benedictione ac conſalutatione ſoluta eſt Synodus in nomine Domini, Amen.

SYNODUS DIOECESANA OSNABRUGENSIS

HABITA,

Anno Chriſti MDCXXX. Urbani VIII. Papæ VIII. Ferdinandi II. Imp. XII.

Præſidente eodem Revmo & Illmo Principe ac Domino, D. FRANCISCO GUILIELMO, Oſnabrugenſi LIX. Epiſcopo, &c.

FERIA 3*tia* POST DOMINICAM: *OCULI*, QUÆ ERAT QUINTA MENSIS MARTII.

INDEX EORUM, QUÆ IN HAC SYNODO CONTINENTUR.

CON-

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM

ORDO ET CÆREMONIÆ
SERVATÆ SYNODI.

FEria secunda post: *Oculi*, pridie ejus diei, quo celebranda erat Synodus, ab hora quinta pomeridiana usque ad sextam per omnes Civitatis Ecclesias compulsu campanarum factum est initium Synodi altera die celebrandæ, & piorum mentes excitatæ ad gratiam Dei pro felici auspicio, & profectu diligentius implorandam. Insequente die, quæ erat quinta Martii, circa horam octavam campanis summæ ædis concrepantibus Reverendissimus & Illustrissimus Episcopus & Princeps Osnabrugensis, &c. indutus habitu Episcopali, cappa & rocheto, ex domo Residentiæ, Clero præcedente, & ordine alias servato, ad Cathedralem Ecclesiam processit. Ingresso in Templum Reverendissimo & Illustrissimo Episcopo & Principi aspergillum præbuit Admodum Reverendus & Prænob. Dominus *Sixtus a Liauckema*, Præpositus Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis, quo sibi primum, deinde aliis prope circumstantibus Cathedralis Ecclesiæ Canonicis, aquam lustralem aspersit Reverendissimus Episcopus, ac deinde per gradus ascendens in Chori vestibulo ad primum Altare venerabundus Sanctissimum Sacramentum adoravit, deinde ad Chorum progrediens thronum ac baldachinum in eo præparatum ascendit, expectans, donec Admodum Reverendus D. Abbas Monasterii S. Clementis in monte Iburgensi, ad Sacrum pro felici auspicio cantaturus, in Pontificalibus procederet. Cantatum vero fuit ab eodem Domino Abbate Sacrum de S. Spiritu solemniter, cui ut Ministri servierunt istius Ecclesiæ Vicarii Sacerdotes.

Divino Sacrificio finito, subjuncta fuit Antiphona: *Exaudi*, &c. quam Admodum Reverendus Abbas Iburgensis pluviali indutus, excepit Oratione: *Adsumus*, &c. ante medium Altare clara voce pronunciata, subinde inchoato Hymno: *Veni Creator*, &c. Reverendiss. & Illustriss. uti & Clerus, ordine suo processit ad Capitularem Aulam majorem, locum Synodo deputatum, Hymnum vero subsecutæ sunt Litaniæ, ex Pontificali Romano, quas Oratione clausit dictus Abbas Iburgensis.

A Diacono vero cantatum Evangelium diei tertiæ Synodi ex Pontificali Romano, quo per Reverendissimum & Illustrissimum osculato, ac incensatione in suam Celsitudinem subsecuta, signum datum est a Domino Vicario Episcopali, ut sessum omnes caperent.

Omnibus considentibus, Reverendissimus & Illustrissimus Episcopus, conceptis ex Romano Cæremoniali verbis, præsentes in Synodo est allocutus, *FRATRES*, &c. ac deinde per Dominum Vicarium Generalem indicio dato, Reverendus P. *Paulus Rotmannus*, Societatis JESU Theologus, & Ecclesiastes Cathedralis Ecclesiæ, a Reverendissimo & Illustrissimo licentia petita, & flexis genibus accepta benedictione, ex suggestu Orationem Synodalem habuit personis & tempori convenientem.

Oratione Synodali finita, Reverendiss. & Illustriss. Episcopi Vicarius in Spiritualibus, ex mandato Suæ Celsitudinis, assurgens præsentem Synodum est allocutus, monuitque, ut ad Statuta Synodalia prælegenda diligenter attenderent, quæ ex manibus ejusdem Reverendissimi & Illustrissimi Episcopi reverenter accepta, R. D. *Conradus Buiren*, in Cathedrali Ecclesia Vicarius & Curatus, ex suggestu publice legit.

SEQUUN-

SEQUUNTUR CONSTITUTIONES SYNODALES.

FRANCISCUS GUILIELMUS, DEI ET APOSTOLICÆ

Sedis gratia Episcopus Osnabrugensis, & Verdensis, Præpositus Ratisbonensis, Comes de Wartenberg, & Dominus in Waldt, &c. Venerabilibus, Religiosis, Honorabilibus, Nobis in Christo sincere Dilectis atque Devotis, Ecclesiæ nostræ Cathedralis Præposito, Decano & Capitulo, omnibusque & singulis Ecclesiarum Collegiatarum, Regularium & Parochialium, Abbat. Præpositis, Decanis, Prioribus, Guardianis, Pastoribus, Rectoribus, Clericis, ac personis Ecclesiasticis, quibuscunque nominibus censeantur, aut in quacunque Ecclesiastica dignitate seu functione per Civitatem & Diœcesin nostras Osnabrugen. constitutis, Salutem in Domino.

CAPUT I.

De distinctione Diœcesis Osnabrugensis in certas Regiunculas, seu Decanatus.

CUm Nos ex debito solicitudinis nostræ Episcopalis, eam merito curam suscipere debeamus, quomodo Diœcesis nostræ satis amplæ, & vicinarum Regionum Ecclesiasticæ jurisdictioni nostræ subjectarum accessione, magis dilatatæ, cum prudenti circumspectione ac distributione particularium quarundam solicitudinum ac industriarum, faciliorem possimus reddere rationem ac curam, nulla Nobis succurrit ratio melior, quam quæ olim exemplo Moysis (a) demonstrata, jure Ecclesiastico (b) approbata, & a multis retro Archi-Episcopis Coloniensibus tanquam Metropolitanis, aliisque Præsulibus, per Christianum Orbem ante multa sæcula suscepta, & pro idoneo medio conservandæ disciplinæ Ecclesiasticæ, maxime inter Pastores (a quorum exemplo populi probitas dependet) existimata fuit, nempe ut Diœcesis nostra in certas Regiones & quasi classes distinguatur, quarum unaquæque certum & determinatum Parochiarum numerum contineat, quibus unus ex Pastoribus, cæteris vita & doctrina excellentior præficiatur, quem Decanum ruralem vulgo appellare solent, qui præcipuam super alios curam, & in certis casibus auctoritatem habeat ampliorem, ac cæterorum Presbyterorum per diversas Parochias habitantium vitam jugi circumscriptione custodiat, (c) & qua quisque industria Divinum opus exerceat, Nobis renunciet, minora emendet, cuncta tamen ad Nos referat, nec aliquid contra nostrum Decretum ordinare præsumat, ut in nullo titubet Ecclesiastica solicitudo. Cujus rei cum Nos in Synodo nostra majore, anno Millesimo sexcentesimo vigesimo octavo celebrata, (d) spem atque expectationem excitaverimus, eandem nunc, quantum in Nobis est, perficere cupientes, statuimus & ordinamus, ut posthac in Episcopatu nostro Osnabrugensi, & locis Diœcesanæ jurisdictioni nostræ subjectis, subsequentes Regionum, seu Decanatuum distributiones observentur.

CAPUT II.

Designationes Decanatuum.

DECANATUS PRIMUS

Civitatis nostræ Osnabrugensis, cujus erunt hæ Ecclesiæ Parochiales.

S. Petri in Cathedrali Ecclesia.
B. Mariæ Virginis in foro.
S. Joannis in Collegiata Ecclesia.
S. Catharinæ in Civitate prædicta.

Bissendorp. Rulle. Belem.
Walenhorst. Schledehausen.

DECANATUS SECUNDUS

Widenbrugensis.

Parochia Civitatis Widenbrugensis.
Gutersloe. Langenbergh. S. Viti.
Rit-

(a) Exod. 18. v. 18. (b) C. Ut singulæ. De offic. Archipresb.
(c) Ex d.c. Ut singulæ. De offic. Archipresb. (d) P. 1. c. 16. §. 5. & P. 2. c. 19.

Ritpergh. *Mastholt.* *Hersenbrœck.*
Newkirchen. *Rheda.*
Warle. *Claholt.*

DECANATUS TERTIUS
Iburgensis.

Iburgh. *Dissen.* *Borgloë.*
Glaën. *Glandorff.* *Ozede.*
Laër. *Hagen.*
Hilter. *Holte.*

DECANATUS QUARTUS
Fürstenowensis.

Parochia Civitatis Fürstenowensis.
Parochia Civitatis Quackenbrugensis.

Bippen. *Newkirchen im Hülse.* *Voltlage.*
Bergen. *Menslage.* *Schwastorff.*
Anckum. *Batbergen.* *Mersen.*
Alffhausen. *Uffelen.* *Bersenbrugk.*

DECANATUS QUINTUS
Vördensis.

Parochia oppidi Vördensis. *Damne.*
Newkirchen prope Vörden. *Engter.*
Bramesche. *Gerde.*

DECANATUS SEXTUS
Grönenbergensis.

Melle. *Newkirchen.* *Buer.*
Gesmel. *Riemslohe.* *Oldendorff.*
Wellinckholthausen. *Hoyell.*

DECANATUS SEPTIMUS
Witlacensis.

Essen. *Lintorff.* *Oestercappelen.*
Barkhausen. *Honteburgh.* *Venne.*

DECANATUS OCTAVUS
Primarius Embslandiæ.

Parochia Civitatis Meppensis.

Haselünne. *Hesepe.* *Stennebiell.*
Boëcklohe. *Wesme.* *Dorpe.*
Borsen. *Lathen.*

DECANATUS NONUS
Secundarius Embslandiæ.

Aschendorff. *Werdt.* *Landecke.*
Bersumb. *Locroff.* *Soëgelen.*
Heede. *Holte.* *Grœtenwullen.*
Rhede. *Haren.* *Hasselcke.*

DECANATUS DECIMUS
Wildeshausensis.

Parochia Wildeshausensis Civitatis.

Hundtloësen. *Visbeck.* *Oitte.*
Kneten. *Steinfelt.* *Embstecke.*
Vecht. *Vestrup.* *Lutten.*
Coënen. *Dincklage.* *Güldenstedde.*
Cappel. *Backum.* *Twisterinck.*

Oëstdreber, Bernstorff, &c. & aliæ in Comitatu Deipholtano.

Wetterstede, & aliæ in Comitatu Oldenburgensi.

DECANATUS UNDECIMUS
Cloppenburgensis.

Cloppenburgk. *Altenoëte.* *Scharle.*
Crapendorff. *Frisoëte.* *Struiklingen.*
Loëningen. *Lindern.* *Risenbeck.*
Lastrup. *Bassel.* *Dreyerwalt.*
Marckhausen. *Essen.* *Hobsten.*
Morbergen. *Rainschlag.*

DECANATUS DUODECIMUS
Tecklenburgensis.

Tecklenburgh. *Cappelen.* *Lotte.*
Lengercke. *Wersen.* *Linen.*
Ledde. *Latbergen.*

DECANATUS DECIMUS TERTIUS.
Ravensbergensis.

Halle. *Broeckhagen.* *Renckhausen.*
Borckholthausen. *Spenge.* *Bönninckhausen.*
Versmelde. *Iselborst.*
Waldenbrugge. *Hildeshausen.* *Oldendorff.*
Enger. *Werter.* *Holthausen.*
Jollenbecke. *Büne.*

CAPUT III.

De constitutione Decanorum ruralium.

UT vero hæc res melioribus auspiciis inchoetur, Nos in singulis Decanatibus, seu Regionibus supradictis aliquem nominamus & constituimus, quem, auditis aliorum testimoniis, existimamus aptiorem. Sunt autem sequentes:

Ad Decanatum Civitatis nostræ Osnabrugensis denominatus est *P. Casparus Münsterus*, Ss. Theologiæ Doctor, & Parochus Ecclesiæ B. Mariæ Virginis in Civitate Osnabrugensi.

Ad Widenbrugensem *D. Judocus Dultenius*, Ecclesiæ Collegiatæ ibidem Decanus & Pastor.

Ad Iburgensem *Fr. Jacobus Thorwahrt*, Benedictinus, & Pastor in Hilter.

Ad Fürstenowensem *D. Reinerus Hardement*, Pastor in Batbergen.

Ad Vördensem *D. Henricus Krumpelman*, Pastor in Engter.

Ad Grönenbergensem *D. Hermannus Hoffhaus*, Pastor in Melle.

Ad Witlacensem *F. Joannes Thor-Westen*, Benedictinus, & Pastor in Barckhausen.

Ad Decanatum primarium Embslandiæ *D. Antonius Fredebal*, Pastor in Stennebiel.

Ad Decanatum secundarium Embslandiæ idem Pastor in Stennebiel, donec alius substituatur.

Ad Wildeshausensem *D. Henricus Petzius*, Pastor Vechtensis.

Ad Cloppenburgensem *D. Albertus Kramer*, Pastor in Crapendorff.

Ad Tecklenburgen. ex causis hac vice nullus est constitutus.

Ad Ravensbergen. ex similibus causis nullum hac vice constituimus.

CAPUT IV.

De successiva mutatione & nominatione Decanorum.

AD hujus vero rei firmitatem ac perpetuitatem conservandam, volumus posthac singulo triennio ante Quadragesimalem Synodum, circa Dominicam *Invocavit*, ex Pastoribus uniuscujusque Decanatus unum magis idoneum nominare, qui Professionem Fidei in Synodo post Dominicam *Oculi* publice emittet, ac fidelitatis juramentum præstabit, quibus præviis illi confirmationem in scripto dari curabimus.

Constitutus vero Decanus in alterum etiam triennium, si ex rationabilibus causis ita Nobis videbitur, continuari poterit. Si quis vero Decanus ante triennium moriatur, alius a Nobis surrogabitur.

CAPUT V.

Forma Juramenti Decanorum ruralium.

EGo N. &c. juro & promitto, quod Reverendiss. & Illustriss. Domino Episcopo Osnabrugensi, & ejus Successoribus canonice intrantibus, fidelis & obediens ero, & ejusdem Reverendissimi Episcopi, & ejus Ecclesiæ commoda promovebo, & damna avertam, atque officium Decanatus, & commissa mihi ac mandata fideliter exequar, absque omni dolo & fraude. Sic me DEUS, &c.

CAPUT VI.

De Officio Decanorum ruralium.

I.

DEcanis ruralibus in primis commendata sint omnia, quæ in Canonibus, Statutis Synodalibus, ac Provincialibus, de officio, vita, & honestate Parochorum, Sacerdotum, & Clericorum sunt præscripta, & ut ea in seipsis exhibeant, & in aliis suæ Regiunculæ existentibus Pastoribus observent ac requirant.

II. Ad Decani ruralis officium pertinet, bis in anno ante Synodum Diœcesanam, nimirum mense Februario & Septembri, ad Congregationem communem, seu Capitulum suos Pastores convocare; Ecclesias Parochiales, Capellas, Sacristias, sepulturas, cæmiteria, Hospitalia, Parochorum, aliorumque Clericorum ædes ac familias, & alia pia loca districtus sui, quotannis simul, una cum Camerario, vel alio adjuncto visitare ac diligenter inspicere, idque curare, ut sarta tecta serventur, & quæ ad Divinum cultum sunt necessaria, vasa sacra, ornamenta, vestes, libri, recte & integre suo loco & ordine conserventur.

III. Diligenter quoque inquirant in jura & bona Ecclesiastica sui Decanatus, an recte administrentur, conserventur? An ex iis aliquid alienatum sit, aut ab aliis usurpetur? An Ecclesia aliqua turbetur, debitis oneretur, litibus implicetur, cum quibus & ex qua causa?

IV. Præterea solicite ac prudenter, de Pastorum, Sacerdotum, Custodum, Ludimagistrorum, Æedituorum, seu Provisorum ac Ministrorum Ecclesiæ vita ac conversatione inquirant: num scilicet illi in functionibus suis, celebratione Missarum, verbi Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, Catechismi doctrina, Horarum persolutione, decentia morum, victus ac vesti-

vestitus ratione, studii assiduitate, & alii similiter pro ratione functionis suæ officio suo satisfaciant, ac quid ubique locorum desit aut desideretur, accurate considerent, ut ea ad nostram cognitionem referre possint.

V. Demum graviores Cleri & populi excessus, ac crimina publica, quibus Ecclesia scandalizatur, Decani ad Nos referant, ut mature scandalis obviare, & hujusmodi mala, antequam latius serpant, e medio tollere valeamus.

VI. Decanis ruralibus serio etiam commendatur & injungitur, ut quæ de libris baptismalibus & matrimonialibus, nominibus communicantium,& id negligentium, post Pascha Nobis, aut nostro Vicario designandis, in præcedentibus Synodis præscripta sunt, in praxin redigi curent.

VII. Cum contigerit aliquem ex Parochis, Curatis, aut Cooperatoribus ægrotare, Decani est eundem invisere, eamque solicitudinem adhibere, ne quicquam illi desit ex iis, quæ ad animæ seu corporis curam spectant. Si eorum quispiam obierit, rerum relictarum per se, vel Camerarium, aut unum ex deputatis Pastoribus, adjuncto Notario (si haberi possit) & tribus testibus Inventarium conficiet, easque obsignabit, ut piis legatis, & aliis creditoribus de solutione debitorum cautum sit, atque omnia Registra & monumenta Ecclesiæ vel Pastoratus in usus eorundem conserventur, nec in aliorum manibus relinquantur, etiam sub prætextu, quod iis ad executionem Testamenti indigeatur, quibus tamen pro necessitate copia dabitur.

VIII. Quæ autem Decani in Capitulis ac visitationibus quotannis fecerint, curaverint, cognoverint, ea omnia per Camerarium scripto comprehendant, ut requisiti diligentiam suam comprobare possint: bis vero singulis annis, scilicet ante Quadragesimalem & Autumnalem Synodum, muneris sui rationem, vel coram, vel scripto Nobis, aut nostro in Spiritualibus Vicario faciant, & quæ ipsis mandabuntur, cæteris Pastoribus & subditis nostris tempestive ac mature insinuabunt; in negligentes privatione Decanatus, aut aliis pœnis animadvertemus.

CAPUT VII.

De Congregationibus Capitulorum.

I.

Congregationes Capitulares annis singulis bis habeantur, ante Synodum Quadragesimalem & Autumnalem, die aliqua minime impedita. Convenient vero ad Citationem Decani omnes istius districtus Parochi, Sacellani, & Clerici, ac Regulares, si qui ad curam animarum admissi sunt, ad locum a Decano designatum, qui vel Ecclesia erit, vel Sacristia, vel domus Pastoralis, aut alterius Ecclesiastici viri. Qui adesse non poterunt, legitime impediti, excusationes suas & causas scripto proferant, sub pœna arbitraria.

II. Operæ vero pretium est, ut convenientes, tanquam ad rem seriam accessuri, per Confessionem Sacramentalem expiati ac præparati, in loco Capitulari pridie compareant, nisi quidam tam prope habitent, ut eodem die tempestive accedere possint.

III. Camerarius id curabit, ut, ubi Capitulum celebrabitur, adventibus Pastoribus de hospitiis honestis, ipsorum tamen sumptibus, provideatur.

IV. Ipso die Capituli celebrandi Sacrum pro fratribus & benefactoribus, tam vivis, quam defunctis, & alterum de S. Spiritu ab his, qui a Decano præmoniti sunt, celebrabitur.

V. Sacro finito, fiat progressus ad locum Capituli, ubi omnibus ordine considentibus, postquam Decanus (qui tanquam caput congregationis directionem actionum Capitularium habet) absentium excusationes audiverit, omnes assurgentes in genua procumbent, ad imaginem Crucifixi, quæ in mensa ponetur, aut, si in Ecclesia celebretur Capitulum, ad Altare conversi, alternatim recitabunt Hymnum, *Veni Creator Spiritus*, &c. Decano Collectam de S. Spiritu, & pro Romano Episcopo subjungente.

VI. Ad has Congregationes Capitulares nemo, sive Clericus, nisi de gremio

mio Capituli, nec quispiam Laicus, ſub quocunque etiam prætextu, accedet, aut admittetur.

VII. Conſidentibus iterum congregatis, a Decano proponetur, ſi quid ipſi ſingulariter mandatum aut injunctum fuerit, ac pro temporis ratione prælegetur, vel dicetur aliquid de his, quæ ad Paſtorum, Sacerdotum, aut Clericorum vitam & officia pertinent.

VIII. Deinde inquiretur, ſi quod gravamen perſonæ Eccleſiaſticæ, vel loco, vel Beneficio ſit impoſitum, vel lis aliqua mota, unde periculum timeatur?

IX. Si quis iſtius Regiunculæ Clericus, vel etiam Laicus, alterius potentia innocenter prematur, cui merito auxilium ferendum ſit?

X. Si in Diſtrictu quispiam ſit vagus & ignotus, qui ſine legitima inſtitutione & approbatione, Divinis & Sacramentorum adminiſtrationi ſe ingerat?

XI. Si quispiam Parochus aut Sacellanus, particulare gravamen quoad muneris ſui executionem, expertus ſit?

XII. Si ullus Paſtor, aut Beneficiatus in iſta Regiuncula ſit, in quo deſideretur honeſtas Clericalis, in vita, moribus, ſtudiis, doctrina, habitu, familia?

XIII. Si in iſta Regiuncula ſint hæretici, ſchiſmatici, apoſtatæ, concubinarii, turpiter, impie, ac ſcandaloſe in peccatis publicis viventes, aut de his, & aliis publicis criminibus ſuſpecti aut diffamati, quos ipſe diligenter notabit ac inſinuabit; horum vero, aut ſimilium criminum examinationi, diſcuſſioni, aut correctioni, vel notabilium rerum definitioni Decani nullatenus ſe ſe immiſceant; quod nulla ipſis jurisdictionis competat auctoritas, ſed ſolum miniſterii & officii induſtria, & ad Superiores relatio.

XIV. His peractis, Decanus vel prælegeт, vel prælegi curabit ex Synodalibus Conſtitutionibus illa, quæ ad Paſtores, Sacerdotes, ac eorum officia ſpectant; & ſi inter legendum occurret, de quo præſentes, vel eorum aliquem monendum, aut informandum putet, id breviter & efficaciter faciet; ac deinde Capitulares actiones per convenientes preces concludet, ſubjungetque Orationem ex Romano Pontificali, *Nulla eſt Domine*, &c. quæ habetur in cæremoniis Synodi Oſnabrugenſis, anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi noni.

XV. Quæ in his Capitulis propoſita & acta ſunt, Camerarius in librum peculiarem referet, ad memoriam & directionem neceſſariam.

XVI. In his Conventionibus Capitularibus, ut ſymbola fraterna & honeſta conſtituantur, præſertim pro iis, qui procul Parochiis abſunt, nec intra tres aut quatuor horas domum ſuam pertingere poſſunt, non videtur improbandum.

XVII. Illud tamen cavendum eſt, ne hujusmodi conventiones, aut prandia, in caupona vel diverſorio, ſed in domo Decani, aut alterius Paſtoris, vel Eccleſiaſtici viri ſerventur, ac valde ſobria, moderata, & ſuccincta ſint, nec ullus ad ea admittatur, niſi qui ſit de congregatis Capituli.

XVIII. Hujus collationis ſumptus, abſentes cum præſentibus ſimul tolerabunt, & ſi quis notabilis exceſſus admiſſus fuerit, illum Decanus Nobis denunciare tenebitur, ſub pœna arbitraria.

XIX. Ad vitandam vero inanitatem ac ſuperfluitatem otioſi ſermonis, initio menſæ ſacra lectio, de Officio Paſtorum, ex probato Auctore inſeri poterit, per juniorem inſtitutione Paſtorem, qui etiam in conventionibus Capitularibus Oſtiarium aget.

XX. Omnes vero Paſtores, & præſentes alii Sacerdotes, ad ſilentium & ſecretum Capituli debitum obligati erunt, ſub pœna arbitraria.

XXI. Decanis ſuis Paſtores & Clerici debitam reverentiam & obedientiam exhibeant, ad Capitulum vocati compareant, aut legitimas ſuas excuſationes mittant, de vitiis, erroribus, defectibus & criminibus interrogati, reſpondeant, correctiones libenter ſuſcipiant, mandatis obtemperent, inobedientes ac rebelles, quos ad Nos deferri volumus, gravi pœna compeſcemus.

CA-

CAPUT VIII.

De Camerariis.

CAmerarii Decanis in ſubſidium & auxilium adjuncti, & iis legitime impeditis ſubſtituti ſunt, qui ea, quæ propoſita, tractata, indicata, & notata ſunt, diligenter in unum librum conferant, & Decano ad viſitationes, inſpectiones, atque quaſcunque actiones progredienti comites ſint, ſimulque cum Decano intendant, ut res & jura Eccleſiarum debite conſerventur, atque omnia & ſingula, quæ Decano præſcripta ſunt, ſedulo curentur.

Camerarii ſingulis bienniis officio ſuo defungentur, & ſimili modo, ut Decani a Nobis conſtituentur, & Profeſſionem fidei, fidelitatisque juramentum præſtabunt.

CAPUT IX.

De conſtitutione Camerariorum.

NOminantur vero hac vice ſubſequentes:

Camerarius Decani Civitatis Oſnabrugenſis, *D. Martinus Fiſcher*, Paſtor in Biſſendorff.

Civitatis Widenbrugenſis *D. Joannes Sprenger*, Paſtor S. Viti.

Iburgenſis *D. Theodorus Mauritii*, Paſtor in Hagen.

Fürſtenowenſis *D. Theodorus Liſte*, Sacellanus Batbergenſis.

Vördenſis *D. Alexander Hepges*, Paſtor Vördenſis.

Groënenbergenſis *D. David Groëthauſs*, Paſtor in Buer.

Witlacenſis *D. Lucas Beckman*, Paſtor Vennenſis.

Pro primario Embslandiæ *D. Joannes Streng*, Paſtor in Weſewe.

Pro ſecundario Embslandiæ *D. Joannes Schöele*, Paſtor in Boëckloë.

Wildeshauſenſis *D. Bernardus Brockman*, Sacellanus Vechtenſis.

Cloppenburgenſis *D. Joannes Brandt*, Paſtor in Eſſen.

Pro Tecklenburgenſi, & Ravensburgenſi, denominationem ex cauſis differimus.

CAPUT X.

De Feſtis Conceptionis & Annunciationis B. MARIÆ Virginis ſolemniter cum publica gratiarum actione celebrandis.

CUm Invictiſſimus Imperator Romanus FERDINANDUS II. in perpetuam memoriam, gratiarumque actionem, Omnipotenti DEO pro glorioſis victoriis hactenus ipſius gratia conceſſis exhibendam, ſingulari cultu & honore, Deiparam Virginem MARIAM proſequendam, pie judicaverit; ac deſideraverit, ut per Romanum Imperium feſtum Conceptionis ejusdem Immaculatæ, ſolenni ac magnifico ritu, cum gratiarum actione quotannis celebretur, repetimus, atque in his Decretis Synodalibus pro monumento perpetuo inſerimus programma illud, quod in hanc rem a Nobis antehac publicatum fuit; volumusque, ut eodem die anniverſario, nunc & futuris temporibus, per totam noſtram Diœceſin, preces publicæ & gratiarum actiones in hanc intentionem fiant.

SEQUITUR

EDICTALIS PROMULGATIO.

FRANCISCUS GUILIELMUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS OSNABRUGENSIS, PRÆPOSITUS RATISBONENSIS, COMES DE WARTENBERGH, ET DOMINUS IN WALDT, &c.
VENARABILI CLERO CIVITATIS ET DIŒCESIS NOSTRÆ OSNABRUGENSIS, SALUTEM IN DOMINO.

" CUm in præcedentium aliquot annorum periculoſa Eccleſiæ Dei, & Romani Imperii perturbatione, hoſtiumque machinationibus, Invictiſſimus ſimul ac Religioſiſſimus Imperator FERDINANDUS II. auxilium de cœlo ac præſentem manum Domini, evidentiſſimis ſignis ac miraculoſis a Deo conceſſis victoriis expertus fuerit, atque a ſuis Majoribus, ac præſertim inclytæ Domus Auſtriacæ propagatore RUDOL-

" PHO I. didicerit, pietate magis, " quam armis elevari familias, dilatari " & firmari Imperia, ſtare ac parari vi- " ctorias, Deumque Omnipotentem ad " miſericordiam ſuam ac beneficentiam " in nos continuandam, & augendam, " tum maxime moveri, cum pro præ- " ſtitis beneficiis & bonis demiſſum " animum, ac debitæ gratitudinis me- " morem, ac ejusdem voces, ſignaque " exhibentem experitur. Hinc Dei " præſentem in ſe miſericordiam, & ma- " num auxiliatricem extollere, ac omni " poſteritati conteſtatum facere cu- " piens, e cœlo petitas ac datas eſſe vi- " ctorias, inde ulterius expectandas; " & per æternam gratiarum actionem " impetrandas: rectiſſime cupit & in- " tendit, Reginæ cœli, & Eccleſiæ, ac " Imperii contra hæreſes Patronæ ac " Protectricis, Immaculatæ ſemper Vir- " ginis Conceptionis diem feſtum, in " tot, tantarumque victoriarum per- " petuam recordationem ſolemnius ce- " lebrari, idque per univerſum Roma- " num Imperium ſanciri & publicari. " Nos igitur piiſſimo huic deſiderio " haud immerito conſentientes, juſtum " ac rationabile veræ pietatis obſequi- " um exiſtimamus, ut Divinæ miſeri- " cordiæ opera honorifice concelebren- " tur, ac Deo gratiæ agantur, qui de- " dit victorias per Dominum noſtrum " JESUM CHRISTUM. Proinde " præcipimus, hortamur, & obſecra- " mus univerſos Diœceſis noſtræ ſub- " ditos, primum omnium fieri gratia- " rum actiones, obſecrationes, oratio- " nes & poſtulationes pro Eccleſia San- " cta Dei, Summo Pontifice, Impera- " tore, & omnibus, qui in ſublimitate " conſtituti ſunt, proque ſubditis, ut " tranquillam vitam agamus in omni " probitate & caſtitate. In quem finem " dictam Immaculatam Conceptionis " feſtivitatem, in perpetuam accepto- " rum beneficiorum memoriam, in " Choro & foro ſolemniter inſtar ſum- " mi Feſti, cum Octava perpetuo cele- " brari, ac pridie (modo Dominica " non ſit) abſtinentiam a carnibus ob- " ſervari mandamus, atque confiſi de " Divina miſericordia, quadraginta die- " rum Indulgentias omnibus, qui ipſo " die Feſto, & per Octavam uni majo- " rum horarum, aut Sacroſancto Miſſæ " Officio interfuerint, elargimur. Da- " tæ Oſnabrugi decimo ſeptimo Janua- " rii, anno milleſimo ſexcenteſimo tri- " geſimo."

Ne vero etiam Nos, ac Succeſſores noſtri, gratæ mentis ſignificationem, qua Divinam manum Adjutricem in recuperanda Diœceſi Oſnabrugenſi, ac cæteris noſtris actionibus ſingulariter expertos nos eſſe cognoſcimus, & ab eadem ulterius omnia bona expectamus, omittere videamur, ſimiliter per præſentes edicimus & ſtatuimus, ut poſthac ſingulis annis feſto Annunciationis Matris Chriſti (quo die anno milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo octavo, exploſis erroribus, falſisque dogmatibus, quæ Civitatem Oſnabrugenſem plurimis annis occupaverant, reſtitutio ſanctæ Religionis, Parochiarum, & Monaſteriorum, ac reformatio per Diœceſin facta eſt) publicæ gratiarum actiones per Civitatem & Diœceſin noſtram, & omnes ejusdem Eccleſias, in Summo Sacro inſtituantur: In Civitate vero Oſnabrugenſi eodem die poſt prandium Clerus & populus ad Templum B. MARIÆ Virginis hora prima pomeridiana conveniat, & ex eo Litanias de B. MARIA Virgine per viam cantando ad Cathedralem Eccleſiam, pro gratiarum actione procedat; Proceſſionis vero tempore omnes per Civitatem campanæ ſolemniter compulſentur. Finitis Litaniis concio, ac deinde canticum, *Te Deum laudamus*, &c. cum ſolenni ſono campanarum Cathedralis Eccleſiæ ſubſequatur.

CAPUT XI.

De habitu Clericorum, & uſu Romano.

CUm animadvertamus multos de Clero necdum honeſtati ſtatui ſuo competenti, in habitu & corona Clericali ſatisfacere, (*) non ſine vilipendio ſtatus Eccleſiaſtici, & ſcandalo publico: Hinc iterum & peremptorie iisdem, præſertim vero, qui in Civitate noſtra

(*) C. Præcipimus. 21. q. 4. Conc. Trid. Seſſ. 14. c. 6. de Ref. Clem. 2. De vit. & honeſt. Cleric.

noſtra ſunt (cum pericula per Dei gratiam ceſſarint) cujuscunque conditionis ſint, ſerio injungimus, ut non differant debitam in hoc ſacris Canonibus, & noſtris reiteratis juſſionibus, obedientiam exhibere. Contra inobedientes & contumaces pœnis in jure comprehenſis, & aliis Nobis arbitrariis proceſſuri.

Similiter mandamus omnibus & ſingulis, ut poſt tot monitiones noſtras uſum Officii Romani ſine ulteriori cunctatione recipiant, & ſe Statuto noſtro ante biennium edito, tandem conforment.

Tenor autem Statuti illius habetur in Synodo majori Oſnabrugenſi, *Part. II. C. 7. §. 2.*

CAPUT XII.

De Mendicantibus.

CUm etiam ipſa experientia notum ſit, multos vagos, ignotos, & validos Mendicantes, etiam ſub ementita ſpecie & habitu Religionis, & ſub prætextu falſarum cauſarum, & teſtimonialium literarum, eleemoſynas conquirere, & in uſus non pios convertere. Hinc monemus omnes & ſingulos Parochos, Curatos, & quoscunque alios, ne hujusmodi vagis & ignotis hominibus fidem ullam adhibeant, nec admittant, ut eleemoſynas publice per Parochias quærant, minus ex bonis aut ærario Eccleſiæ iis aliquid contribuant, niſi publicum teſtimonium & mendicandi licentiam a Nobis, aut noſtro Vicario exhibuerint. Per hoc tamen nolumus excludere, aut diminuere charitatem in veros & notos hujus Diœceſis Religioſos & alios Chriſti pauperes.

Statutorum Synodalium lectione finita, ſubjunxit antedictus D. *Conradus Buiren*, ex Pontificali Romano deſumptum compendium Sacerdotalis & Clericalis vitæ, ſecundum præſcriptum Synodi præcedenti anno habitæ. Deinde Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Epiſcopi Vicarius, juſſu Celſitudinis Suæ præſentem Synodum eſt allocutus: *Num placeret cuiquam amplius aliquid proponere, quod ad hujus Synodi diſcuſſionem, aut deciſionem ſpectare poſſet.*

Omnibus vero tacentibus, idem D. Vicarius monuit Curiæ Epiſcopalis Notarium ſeu Actuarium communem, ut is nomina omnium eorum, qui de jure & antiqua conſuetudine Synodo intereſſe ſolerent, ex breviculo recitaret, & abſentium nomina obſervaret ac notaret.

Lectione completa, multorumque abſentia animadverſa, qui vel ob itinerum pericula, vel Religionis mutationem, vel ob alios reſpectus ad Synodum non venerunt; idem Dominus Vicarius coram Synodali conſeſſu, ac præſente Notario proteſtatus fuit, quod hujusmodi abſentium inobedientia, contumacia, tergiverſatio, ſeu emanſio, ex quacunque alia cauſa, huic Diœceſanæ Synodo celebratæ, ac in poſterum celebrandæ, aliisque juribus Epiſcopalibus in nullo præjudicare poſſit aut debeat.

Poſt hanc proteſtationem ſubjunxit Admodum Reverendus Abbas Iburgenſis orationem ex Pontificali Romano: *Nulla eſt Domine*, &c. cum orat. ſubſeqq. pro Epiſcopo & communi ſtatu Eccleſiæ, ut in Synodo præcedenti, ac cum ſolemni benedictione, ac Indulgentiarum conſuetarum promulgatione Synodus eſt finita in nomine Domini.



ORDI-

ORDINATIONES

Reverendissimi Domini JOANNIS MALDERI, (*) Episcopi Antverpiensis VI.

In Congregatione Decanorum Christianitatis Eodem anno Christi MDCXXX. XXVIII. Augusti.

CUrabunt Pastores, ut Catechismus ubique singulis septimanis forma interius præscripta fiat, neque omittatur, etiamsi pauci pueri compareant, sub pœna viginti st. singulis vicibus, quibus omittetur, incurrenda. Præstat enim paucos instrui, quam tam necessariam functionem interrumpi.

Instruent Pastores populum de impedimentis Matrimonii, præsertim de cognatione spirituali, eamque non minus contrahi in Confirmatione, quam in Baptismo. Et an id fecerint, informabunt se Decani in proxima Visitatione.

Annotabunt Pastores eos, qui recentes ad Parochiam habitatum veniunt, & curabunt, ut serventur Edicta circa tales edita.

Custodes & Ludimagistri solita juramenta præstent, & examina subeant etiam illi, qui reipsa serviunt, iis non præmissis.

Quantum fieri potest, curandum, ne desint in pagis saltem celebrioribus Obstetrices juratæ & idoneæ.

Pastor baptizet prolem peregrinæ aut vagabundæ mulieris, etiamsi non fuerit cautio præstita de ea alenda sine gravamine communitatis aut mensæ pauperum, & annotet in libro Baptizatorum talem fuisse prolem.

Confessiones non audiantur, nisi a Pastoribus, aut iis, qui approbationem nostram habeant in scriptis, quam in visitatione exhibeant, & confessionalia sint ubique cancellata, & juxta Decretum Synodi Provincialis deinceps nemo extra ejusmodi confessionalia fœminarum confessiones audire præsumat, nisi in casu necessitatis, sub pœna arbitraria.

Communicantium numerus, & non communicantium nomina, ubique in scriptis Nobis danda. De non communicantibus autem statuetur, prout in Domino expedire videbitur. Cura magna est adhibenda, ut ubique honesto loco asservetur Ven. Sacramentum, & lampas sit ubique ante illud ardens, saltem ubi, & quando id sine periculo, quod a furibus nocte timetur, fieri potest.

Remonstrantiæ ubique, ubi desunt, curandæ, uti & Ciboria, quæ oportet esse ex argento & benedicta, sicut & lunula Remonstrantiæ. Calices stannei in posterum nullo prætextu tolerandi.

Mundities & ornatus omnino curanda in altaribus, ne sacra mensa sit vilior, quam prophana, & qui in ultima Visitatione in eo, ac etiam in custodia decenti Ss. Eucharistiæ negligentes deprehensi fuerunt, a Decanis pro ratione negligentiæ mulctentur.

Oportet etiam debita cum reverentia ab Ecclesia deferre ad ægros sacrum Viaticum; adeoque quando non nimis procul ab Ecclesia deferendum, mandamus non aliter deferri, quam ab induto superpelliceo, & prævio lumine, & pulsu nolæ, sub pœna viginti st.

Pueri, qui ob minorem ætatem non communicant, nihilominus sunt visitandi a Pastoribus in infirmitate sua, præsertim si ad pubertatem jam proxime

(*) Vide sub finem Ordinationum.

me videantur accedere, & de vita periclitentur.

Nullo modo negligant Paſtores juxta Synodum Diœceſanam, in Dominica *Paſſionis* publicare Decretum Conc. Lateranenſis Cap. *Omnis utriusque ſexus*, de ſaltem ſemel Sacramento Euchariſtiæ ſuſcipiendo in Paſchate: & moneant iidem Paſtores, aliique Concionatores huic Eccleſiæ præcepto non ſatisfieri ab iis, qui a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſive, in propria Parochia ne ſemel quidem communicaverint, etiamſi alibi eo tempore communicaſſent.

Præter dictum Caput: *Omnis utriuſque ſexus*, tria Capitula Synodi Provincialis, prout inferius ſubjiciuntur, verbotenus eodem die publicentur.

Nullos ignotos Sacerdotes admittant Parochi ad celebrandum absque noſtra licentia, ſub pœna trium floren. ab ipſis admittentibus ſolvenda. Aliquem autem reſidere tanquam Capellanum, absque noſtra admiſſione non permittent ſub pœna duodecim floren. Quod ſi contigerit aliquem per Sæculares intrudi, ſtatim indicare teneantur.

Vaſcula ſacrorum Oleorum, quantum fieri poteſt, ſint argentea, & ſufficienti oleo referta.

Paſtores, qui admiſerint alienos Parochianos ad contrahenda Sponſalia, incurrent mulctam ſex floren.; qui autem tales ad Matrimonium admiſerint, ſciant juxta Decretum Conc. Trid. ſe eſſe ſuſpenſos, & mulctam in Synodo conſtitutam incurriſſe.

Sub pœna gravi arbitraria nemo Paſtorum audeat jungere non diſpenſatos ſuper eo, ſine proclamationibus a Concilio Tridentino requiſitis.

Contra Sponſas, quas publice conſtat concubuiſſe cum ſibi deſponſis ante contractum per verba de præſenti, ſine diſſimulatione procedatur, prout de jure, præſertim ſi incontinenter vivant.

Sicubi ſint aliqui adulteri, concubinarii, aut in divortio, Paſtores quamprimum eos Nobis absque diſſimulatione denuntiabunt, ut remedium adhiberi queat.

Caveant Paſtores, etiam æſtivo tempore, omittere Concionem diebus Dominicis, ſub pœna trium floren. Neque etiam omittant iisdem diebus poſt concionem commendare nominatim Defunctos, pro quibus in eum finem, aliquid eſt relictum, ne inique percipiant mercedem operis, quod non præſtant.

Non licet Paſtoribus in gravamen ſubditorum ſine neceſſitate ſubſtituere Religioſos mendicantes, quando iſti non habent ſtationes ſuas ordinarias.

Absque noſtra licentia non permittent Religioſos alias accipere ſtationes, quam ab antiquo habuerunt, ſub pœna duodecim flor.

Omnino agendum, ut Capellani, ubi deſunt, aſſumantur, & ut matutinales Miſſæ ubique celebrentur tempore alias præſcripto.

Paſtores advigilent, ut Capellani, Cuſtodes & Ludimagiſtri debite ſuo fungantur munere; & ubi defectum deprehenderint, quem per ſe emendare non poſſunt; ſtatim Decano denuntiabunt, qui, ſi opus fuerit, ad Nos recurſum habebit.

Teneantur Cuſtodes veteri more ter in die ad preces pulſando populum excitare, mane, meridie, & veſperi.

Curandum, ut, quemadmodum ſæpe ordinatum fuit, oneribus Beneficiorum, & piis fundationibus ubique debite ſatisfiat, & proviſionaliter, donec aliter ſtatutum fuerit, concedimus, ut eleemoſynæ in Synodo pro Miſſis conſtitutæ augeantur ad duos ſtuferos, & pro Anniverſariis ad quatuor ſtuferos.

Per Paſtorem vero conficiatur Catalogus Fundationum. Defectuoſos autem in proxima viſitatione Decani annotabunt.

Pari modo curandum, ut cantetur Divinum Officium, ubi id fieri ſolet; & Laudes veſpertinæ ubique reſumantur. Eosque non ſatisfacere, qui ante meridiem canunt, quod veſperi cantandum eſſet, declaramus.

Moneant Paſtores ſerio noſtro nomine Officiarios, ut impediant ſympoſia tempore Divini Officii. Idem judicium de venationibus.

Laſcivia juventutis utriusque ſexus Sacro tempore compotantium mulctanda pœna arbitraria. Et omnino impediendum, ne juvenes puellas Templum adeuntes, vel ex eo redeuntes ad tabernas trahant, ſub pœna nuper ſtatuta.

Præcepta Eccleſiæ de jejuniis, delectu ciborum, & Feſtorum violatione ſæpe inculcentur e ſuggeſtu, populo fideli ſub peccato mortali eſſe ſervanda.

Nemo, præter deſignatos pro ſingulis Diſtrictibus & ſpecialiter admiſſos, præſumat exorcizare maleficiatos, aut a Dœmone vexatos, ſine ſpeciali noſtra commiſſione; ac multo minus præſumat ſuperſtitioſum aliquem ritum ad curandum infirmos adhibere.

Decani in viſitatione diligenter obſervent ea, quæ converſationem, honeſtatem & vitam Sacerdotum concernunt, & curent, ut quoad tonſuram & habitum ſervetur Decretum Synodi Provincialis *Tit.* 18. *C.* 2. 3. & 4.

Paſtores non habitent extra limites Parochiæ, & qui neceſſitatem allegare volunt, ut id faciant, non niſi in ſcriptis obtenta a Nobis licentia, extra Parochias aliter, quam Jura & Ordinationes noſtræ permittunt, pernoctent.

Sine literis ſuæ commiſſionis nemo deſerviat in Beneficiis, aut Officiis, & Deſervitores Eccleſiarum Parochialium ſingulis annis ante feſtum S. Joannis Baptiſtæ teneantur a Nobis petere renovationem Commiſſionum ſuarum, niſi habuerint ſpeciale indultum, ſub pœna decem floren. Deſervitores autem Capellaniarum ſub pœna trium flor.

Adminiſtrationes Beneficiorum non ſunt relinquendæ Æditui in poſterum, niſi de novo eas a Nobis in ſcriptis impetraverint; ſed proximo feſto S. Joannis omnes iſtiusmodi commiſſiones revocatæ cenſeantur.

Habeant curam Paſtores, ut Eccleſiæ debite reparentur & ornentur, utque ad ingreſſum Eccleſiarum in vaſe convenienti non deſit aqua benedicta. Curentque quam primum tolli, & extra conſpectum populi collocari imagines deformatas & mutilatas, prout ſæpius ordinatum fuit, alioqui arbitrarie punientur.

In locis, ubi ſupellectilia adhuc ſunt in Templis, Paſtores quamprimum agent cum Magiſtratu, ut judicet, an, & quouſque ea poſſint & debeant amoveri: & ſecundum ipſius judicium amovenda, ſtatim amoveantur ab iis, quorum ſunt, ſub pœna trium floren. fabricæ applicanda, ut eſt in Synodo.

Cœmeteria debite ſepiantur & mundentur.

Collectæ fiant in Eccleſia circumeundo pro fabrica omnibus diebus Dominicis.

Ædiles intelligant ſe in officio ſuo debere ſequi directionem Decani & Paſtoris.

Ubi Archiva nondum facta ſunt, quamprimum curent Paſtores, ut fiant: & ſi difficultatem repererint, eam Decano denuntient ante Natalem Domini proximum, alioqui mulctabuntur.

Limites agrorum & quorumcumque fundorum ſingulis ſaltem decenniis renoventur.

Alienationes indebite factæ retractentur.

Elocationes publice fiant plus offerentibus, & attendant Paſtores, ne in elocatione bonorum fabricæ & menſæ aut fundationum fiant ſumptus inutiles. Ubi id deprehenderint, ſtatim Decano indicabunt, ut remedium adhibeatur.

Computus adminiſtrationum ſingulis annis fiant ſtato & certo die. Reliquationes omnes ſub certo ſtipendio recipiantur.

Singuli computatores unum annum integrum in poſterum in recepta referant, & de eo reſpondeant.

Summæ reſtantes & receptæ ad reditum dentur, vel ſecundum Decani diſpoſitionem applicentur; non autem relinquantur in manibus Adminiſtratorum. Idem fiat de capitalibus reddituum redemptorum.

Tempore Quadrageſimæ Decani ad Nos relationem ſcripto mittant, quid actum ſit de harum Ordinationum executione.

De Mandato Reverendiſſimi Domini Præfati.

P. Cans Secret.

Ad

Ad vacantes medio anno Antverpienſes Infulas evexit JOANNEM MALDERUM non inanis quædam ambitio, ſed ſola virtutum, doctrinæque fama, ut conſtans, ſic integerrima. Natus is fuit anno 1562. Zegero patre, matre Eliſabetha Walraevens, in municipio ad ſecundum ab urbe Bruxellenſi lapidem, *Leeuwis S. Petri* nuncupato. Ariſtotelem, quem Duaci hauſerat, Lovanii explicuit, Ss. Theologiæ Magiſterio ab anno florentis ætatis primo & trigeſimo, die nimirum 22da Auguſti a. 1594. ob inſignem, quem iſta in ſcientia fecerat, progreſſum ibi condecoratus. Magnam ſibi æſtimationem peperit intra ipſos ſedecim annos, quos Profeſſor Regius ſimul & ad D. Petri Canonicus docendæ Lovanii Theologiæ, & Meditationibus Theologicis, præter alia ſucci plena & eruditionis opera, in lucem edendis impendit; majorem, dum per annos tredecim Regio Paſtorum Seminario ibidem præfuit; maximam, cum Antverpienſi in Cathedra, quam die Auguſti ſeptima a. 1611. per Revmos DD. Matthiam Hovium, Archiep. Mechlin., Carolum Maſium Gandav. ac Jacobum a Caſtro Ruræmund. Epiſcopos inauguratus conſcenderat, ceu carus omnibus & venerabilis, Pater, Paſtor, Præſul annis 22. menſibus 2. diebus 14. præfuerit, profuerit, præluxerit. Antverpiæ ſeptuagenario major deceſſit anno Chriſti 1633. XII. Cal. Nov. ibidemque in Choro Cathedrali tumulatus, ſplendido ſub marmore quieſcit. Magnificum oſtentat Lovanienſis Academia Collegium Theologorum, ſumptibus Malderi erectum.

Vide Hiſtor. Epiſcopatus Antverp. apud Franc. Foppens a. 1717. Bruxellis editam, & Caſtillionii Sacr. Belg. Chronolog.

STATUTA & ORDINATA

A Revmo Domino, D. GEORGIO, Epiſcopo Yprenſi,
Eodem anno Chriſti MDCXXX.
in Congregatione Decanorum ſuæ Diœceſis,
HABITA
YPRIS *2da* ET *3tia* OCTOBRIS.

GEORGIUS, DEI gratia, Epiſcopus Yprenſis.

ANno præterito, poſt factam viſitationem magnæ partis bujus noſtræ Diœceſis, curavimus publicari Ordinationes, quas in congregatione Decanorum, habita initio Octobris, conceperamus: verum cum peracta jam prima totius Epiſcopatus noſtri viſitatione, Nobis conſtitiſſet, pleraque executioni necdum eſſe demandata, aliaque etiam notaſſemus, quæ merito a ſolicitudine noſtra remedium poſtulare videntur; præhabita iterum deliberatione cum Decanis, omnibusque mature conſideratis, neceſſarium judicavimus, dictas noſtras Ordinationes innovare, prout præſenti Decreto innovamus; ac inſuper, pro ſalubri directione Cleri & populi Nobis commiſſi, infraſcriptas præcedentibus adjungere: mandantes omnibus & ſingulis, quorum intereſt, ſub pœnis prout de jure, ut tam his, quam illis ſeſe ſumma promptitudine conformare non omittant.

De Decanis, Paſtoribus, ac eorumdem congregatione & viſitatione.

I.

QUia moleſtum & ſumptuoſum foret, ſingulis annis ſolemnem Synodum Diœceſanam celebrare; diverſis aliis Diœceſibus Nos conformantes, & in primis Sedi Metropolitanæ, cui ſubſumus, Congregationem Decanorum, loco ſolemnis Synodi, annuatim celebrare decrevimus; ad quam

ſicut neminem alium evocandum duximus, ita quoque liberum facimus Paſtoribus (ne ſimul omnes a ſuis Parochiis abeſſe cogantur) ut per dictos ſuos Decanos; aliis vero, ad Synodos Diœceſanas veniendi jus habentibus, ut in perſona propria, ſi voluerint, compareant, & proponant, ſi quæ proponenda judicaverint.

II.

Quare omnes Decani poſthac, absque alia convocatione, quotannis, prima feria ſecunda Octobris, juxta Statuta Synodatica, aderunt Ypris; & altero die mane hora octava in Sacello noſtro domeſtico ſe ſiſtent, gratiam Spiritus Sancti nobiscum invocaturi; ac deinde audituri, quæ poſt mutuam collationem, & deliberationem, pro utilitate animarum ſtatuenda & ordinanda duxerimus.

III.

Ut autem dicta Congregatio fiat cum majori fructu, Decani quotannis, poſt feſta Paſchalia, præmittent viſitationem Eccleſiarum ſui diſtrictus, juxta inſtructionem Statutis Synodaticis præſcriptam; in qua, præter ea, quæ ibidem continentur, diſpicient, an Ordinationes noſtræ obſerventur, & an habeant librum ſtatus animarum; docebuntque illos dictum librum conficere juxta formam Ritualis Romani. Præterea ſi quem defectum in moribus vel decenti Sacrorum adminiſtratione notaverint, gravi monitione emendare ſtudebunt; actaque ſuarum viſitationum ante medium menſis Julii, nitide deſcripta, & ſignata, ad Nos transmittent.

IV.

Inter alia etiam ſingulariter commendamus Decanis, ut, dum viſitant, ſerio moneant & hortentur Paſtores, quatenus vitam ſuam ita componere ſtudeant, ut nullum tempus otio diffluere ſinant: in quem finem poterunt ab illis exigere rationem & diſtributionem temporis, qualiter ſcilicet illud tranſigant, & in quibus ſe exerceant, an, & quos libros ſpirituales legant; an ſingulis diebus aliquod tempus orationi mentali impendant; an conſcientiam ſuam ſtatuto tempore examinent; cui & quoties confiteantur; an, & quibus ſtudiis vacent: inſpectisque illorum libris, non erit inutile aliquando his de rebus familiares ſermones inſtituere, ut & profectum illorum intelligere, & Nos ſuo tempore debite valeant informare.

V.

Præterea poſt feſtum S. Joannis celebrabunt Decani annuatim Capitulum Paſtorum ſui diſtrictus, ordine ac tempore hic deſcripto: Decanus Poperingenſis prima feria ſecunda poſt feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ: Feria quarta immediate ſubſequente, celebrabit Capitulum Decanus Bergenſis: huic feria ſecunda proxima ſuccedet Capitulum Furnenſe: deinde feria quarta ſubſequente Neoportuanum: poſt illud prima feria ſecunda celebrabitur Capitulum Dixmudanum: deinde feria quarta Waeſtenenſe; ſubſequente feria ſecunda Baillionanum: ac feria quarta Casletenſe. Porro aliquo Feſto in feriam ſecundam aut quartam incidente, celebrabitur Capitulum poſtridie.

VI.

In his Capitulis, poſt invocationem Spiritus Sancti, ſingulis erit licitum, ordine ſuo proponere, & ſerio tractare difficultates, quas in adminiſtratione ſui officii, & executione Statutorum, ac Ordinationum Epiſcopalium patiuntur, communique ſuffragio remedium in facilioribus adhibere, vel per Decanum (ad quem etiam Paſtores pro Concilio immediate ſemper recurrent, prout Decani ad Nos) graviora, & ea, quæ pro utilitate Eccleſiarum expedire judicabunt, tempeſtive Nobis ſuggerere, ut deſuper in proxima Congregatione Decanorum, vel alias, opportune providere valeamus.

VII.

Porro ſicut ſumptuum exceſſum in viſitationibus Decanorum, & Congregationibus Paſtorum, merito damnarunt Statuta Synodatica; ita etiam Nobis viſitantibus moderamen ſervari volumus: ac in illum finem Paſtores conabuntur impedire inutiles expenſas, quas paſſim in ſingulis pagis, prætextu noſtræ viſitationis, fieri dolemus: quod ſi

ſi circa meridiem alicubi deflectendum erit, tempeſtive curabimus ſignificari, ac moderatam ibidem refectionem Nobis parari permittemus.

VIII.

Neceſſitati afflictorum conſulere volentes, authoriſamus Decanos, ut Paſtoribus ſuorum reſpective diſtrictuum, aut alicui idoneo Sacerdoti ſæculari, vel Regulari poſſint committere facultatem exorcizandi; limitatam tamen, vel ad tempus, vel pro certa perſona, familia, aut loco, prout in Domino expedire judicaverint: quare Paſtores, quibus non eſt conceſſa ſimilis facultas, ſuos ſubditos, hoc remedio indigentes, ad Decanos mittent, ne cum magno incommodo ad Nos recurrere cogantur.

De Sacramentis, & Sacramentalibus.

I.

QUotidiana experientia advertimus, plures in pagis eſſe adultos necdum confirmatos, ex eo, quod ſæpius ſimiles pro dicto Sacramento ad Nos excurrant: quare monemus Paſtores, ut hos in libro ſtatus animarum annotatos, diligenter moneant, curentque, ut ad hoc Sacramentum rite ſuſcipiendum bene inſtructi, & parati Nobis ſe ſiſtant.

II.

Caveant Paſtores in Manuali confitentium notas aliquas ſcripto apponere, unde vel infamiæ, vel ſuſpicionis alicujus juſta præbeatur occaſio.

III.

Reipſa compertum eſt, per nimiam caſuum reſervationem pœnitentes, dum ad alios remittuntur, ſæpius vel a confeſſionis remedio arceri, vel a Paſtoribus ſuis alienari. Quare huic malo obviam ire volentes, poſthac ſolos infraſcriptos caſus Nobis reſervare decrevimus, prout præſenti declaratione reſervamus: nimirum, incendium ex deliberata voluntate factum aut procuratum, hæreſim, homicidium voluntarium, Sodomiam cum eodem ſexu, & alia ejuſdem generis graviora, raptum virginum, adulterium publicum, inceſtum in primo & ſecundo gradu cum conſanguineis, aut affinibus ex thoro legitimo, fornicationem ſacrilegam cum Sanctimonialibus, injectionem manuum violentam deliberato propoſito cum læſione in parentes factam; & omnia delicta, quæ excommunicationem Ordinario reſervatam annexam habent.

IV.

Omnibus porro & ſingulis Parochis, ac quibuſcumque Confeſſariis inhibemus, ne de caſibus ſupradictis cognoſcere, aut quemquam ab illis, extra mortis periculum, abſolvere præſumant, niſi ſpecialiter, & expreſſis verbis a Nobis facultatem obtinuerint.

V.

Valde incommodum & indecens eſt, ſedes confeſſionales in angulis Eccleſiarum, vel ita Altaribus contiguas collocari, ut pœnitentes, ac celebrare aut communicare volentes impediant, prout multis in locis practicari vidimus. Quare committimus Decanis, ut in proxima ſuorum diſtrictuum viſitatione curent ſimiles ſedes transferri loco decenti, honeſto, & conſpicuo, ut ad illas facilis & liber pateat acceſſus.

VI.

Meminerint etiam Confeſſarii, ſe, dum pœnitentes audiunt, in ſacro Eccleſiæ tribunali ſedere ut conſcientiarum Judices, atque ut ſpirituales animarum Medicos & Doctores: ac proinde nec leviter, nec perfunctorie hoc Sacramentum tractandum, ſed cum magna attentione, judicio, & circumſpectione; ut cognito pœnitentium interiori ſtatu, congrua adhibeant vitiis remedia, ſententiamque ferant animarum ſaluti opportunam.

VII.

Sub initium Quadrageſimæ Paſtores ſubinde monebunt & docebunt populum, ut ad Sacramentum Euchariſtiæ in Paſchate ſumendum digne ſe præparent; nec ſatisfacere præcepto, qui extra Eccleſiam ſuam Parochialem communicaverit; vel tempus Paſchale, absque noſtra, vel Paſtoris ſui licentia, niſi in caſibus permiſſis, prævenerit, aut procraſtinaverit; ſed tales Curiæ noſtræ denuntiandos: in quem finem

Paſtores viſitabunt ſuam Parochiam tempore per Statuta Synodatica præfixo, & ante feſtum Pentecoſtes nomina defectuoſorum transmittent Promotori.

VIII.

Ad ſacros Ordines promovendi, niſi juxta Decretum Concilii Tridentini, & Provincialis, ac Statuta Synodatica, vitæ, morumque, ac proclamationis factæ, debita attulerint teſtimonia, ne quidem ad examen poſthac admittentur: quod ut omnibus innoteſcat, uno menſe ante proximam ordinationem hoc ipſum publicari per Paſtores mandamus.

IX.

In teſtimonio natalium, quod pro prima tonſura requiritur, non ſufficit exprimere nomen patris & matris ipſius ordinandi, ſed etiam exprimi debet, an ſit parentum ſuorum filius legitimus.

X.

Facile contingit vinum Sacrificio Miſſæ deſtinatum aceſcere vel corrumpi, niſi poculo bene mundato, & clauſo, ac loco convenienti aſſervetur: ideo Paſtores advigilabunt, ut Cuſtodes, vel illi, quibus hoc incumbit, neceſſariam diligentiam adhibeant; & nihilominus non ultra tres, aut quatuor dies dictum vinum extra proprium vas in poculis conſervari mandamus.

XI.

Altarium portatilium permiſſio in conſuetudinem trahi non debet. Quare cum in ſingulis locis operam noſtram ad conſecrationem eorumdem impenderimus, nemo in Eccleſiis, in quibus aliquod altare eſt conſecratum, deinceps in portatili celebrare præſumat: ubi vero nullum adhuc eſſet conſecratum, altaris portatilis uſum uſque ad Kalendas Octobris anni inſequentis tolerantes, deinde omnino & ſtricte prohibemus ſub pœna ſuſpenſionis, niſi ex urgente cauſa, ſcriptis expreſſa, alicubi permiſerimus.

XII.

Dedecet auferre lapides a ſepulchris, & illos applicare pro tabulis altarium, maxime quamdiu in illis apparent effigies vel inſcriptiones defunctorum: quare poſthac ſimilibus uti ad dictos uſus prohibemus.

XIII.

Ubi nova vaſcula pro ſacris liquoribus debent confici, ſicut illa poſthac ex argento fieri præcedentibus Ordinationibus mandavimus; ita etiam unum, ab aliis ſeparatum, pro Oleo infirmorum, curabunt Paſtores; ſingulaque ſuis notis & characteribus ita clare diſtincta, ut facile ab invicem diſcerni queant: videlicet his notis, ſacrum Chriſma, CH. Oleum Catechumenorum, O. C. Oleum infirmorum, O. I.

XIV.

Pravam conſuetudinem, qua plerumque ruri non ſolet accerſiri Paſtor ad ægros, niſi jam moribundos, conabuntur ſedulo omnes curam animarum habentes, qua monendo, qua exhortando emendare; & nihilominus, ne ſimiles cum animæ periculo Sacramentis Eccleſiæ deſtituantur, Paſtores, quandocumque domo egrediuntur, domeſticis ſuis, vel Cuſtodi ſignificabunt, quonam vadant, & ubinam, occurrente neceſſitate, reperiri poterunt.

XV.

Poſtulat fraterna charitas, ut, quos in vita habuimus laborum ſocios, iiſdem poſt mortem Chriſtianæ pietatis impendamus officium. Quare mortuo aliquo Paſtore, cæteri ejuſdem diſtrictus, per Decanum moniti, prima commoditate Miſſam pro refrigerio ipſius animæ celebrabunt: & ſimiliter pro Decano non ſolum Paſtores ſui diſtrictus, ſed omnes hujus Epiſcopatus Decani idipſum præſtare non omittent.

XVI.

Et quia plures, juxta Decreta Concilii Tridentini & Provinc. ac Principum Edicta, jubentur facere Profeſſionem Fidei, quæ ſecundum formam a PIO Quarto præſcriptam intelligi debet; judicamus eamdem Flandrico idiomate in fine harum Ordinationum inſerendam, pro uſu & intelligentia eorum, qui Latinam linguam ignorant.

De

De Officio Divino, & observatione Festorum.

I.

QUia in novissimo Concilio Provinciali ordinatum est, ut in omnibus pagis totius Provinciæ Missa Parochialis Dominicis & Feriis diebus certa & eadem hora semper fiat; eam, quantum fieri potest, determinantes quoad hanc nostram Diœcesim, mandamus, quatenus officium Parochiale matutino tempore ita disponatur, ut Summum Sacrum una cum concione in æstate finiatur circa undecimam, hyeme ad medium duodecimæ.

II.

Decani & Pastores omnem adhibeant diligentiam, ut dies Festi & Dominici debite colantur: ac inter alia serio & tempestive agent cum Dominis temporalibus, & illis, quorum interest, ut nullo prætextu permittant diebus Dedicationis, aut Festivæ alicujus solemnitatis, exponi venales merces, usui domestico aut familiæ necessarias, vel vestibus conficiendis, aut corporis ornatui destinatas: sed tantum ea, quæ ex usu Ecclesia hactenus per dissimulationem toleravit, ut sunt crepundia, & puerorum ludicra, idque extra Officium Divinum: quod si dictos Dominos temporales, vel Magistratus, aut Officiarios, difficiles hac in parte repererint, Nobis rescribent, ut de fortiori remedio prospiciamus.

III.

Quando propter necessitatem occurrentem aliqua opera manualia videntur permittenda, illud fiet de licentia Decani, si ibidem resideat, aut facilis ad illum detur accessus; alias sufficiet licentia Pastoris: ita tamen, ut dicta licentia non detur ultra unum diem: & ad præcavendas fraudes, quæ in similibus aliquando practicantur, volumus, ut in testimonio licentiæ concessæ annotetur hora dictæ concessionis.

IV.

Ordinationem Prædecessoris nostri, qua exequiæ, & anniversaria celebrari prohibentur die Dominico, aut Festivo, ab omnibus observari volumus: authorisamus tamen Decanos, ut necessitate urgenti occurrente, idipsum in suo districtu permittere possint.

De bonis Ecclesiasticis conservandis & administrandis.

I.

EXpedit Pastores vel Sacellanos per se recipere fructus sui Beneficii, nec permittere illud Sæcularibus in subsidium pensionis, annuatim a Parochia recipiendæ: si quid tamen ad justam competentiam defuerit, illud ex conventione cum Scabinis & notabilibus facienda, ab illis recipi poterit.

II.

Omnes Beneficiati in hac Diœcesi, si a capta possessione suorum Beneficiorum non tradiderint Decano, cui subsunt, plenam & exactam, atque ab ipsis signatam specificationem omnium fructuum sui Beneficii, cum debita designatione hypothecarum, limitum, & terminorum, prout præscribitur in novissimo Concilio Provinciali, id præstabunt in proxima visitatione Decanorum, quæ fiet post Pascha anni subsequentis; addendo insuper onera, censûs & reditus, quibus dicta bona gravantur, de quorum adimpletione & solutione singulis annis tempore dictæ visitationis per apochas vel aliter sufficienter docebunt, & Decani inter acta visitationis, qualiter hoc factum fuerit, annotabunt.

III.

Præterea Decani, ubi habuerint dictas specificationes, non different sibi conficere exactum eorumdem registrum, cum expressione limitum, hypothecarum, & onerum, ut supra; illudque Nobis postea transmittent, in Archivis Episcopalibus asservandum.

IV.

In auditione computuum fabricæ, mensæ pauperum, aliarumque piarum fundationum, curabunt Decani, vel Pastores, qui nostro nomine illos audiunt, non solum ut adducatur clausura computus præcedentis, prout habent nostræ Ordinationes; sed etiam ut purgetur clausura super illo computu, annotando ibidem, qualiter dicta clausura sit adducta in computu sequenti.

V.

V.

Quia ſæpenumero contingit, Eccleſiam, vel menſam pauperum, aut ſimiles pias fundationes magnum pati damnum, ex eo, quod arbores in fundis illarum plantatæ negligantur, vel indebite alienentur: idcirco poſthac in ſingulis computubus volumus annotari in quolibet articulo, ſi quæ arbores ibidem creſcant, quot, & quales illæ ſint, donec ad uſum & utilitatem fundationis legitime applicentur, vel divendantur: quod nec tunc aliter fieri permittimus, quam novis ibidem ſubſtitutis; quæ ſicut in locum veterum ſuccedunt, ita etiam in ſequentibus computubus ſimilis earumdem fiet mentio.

VI.

In hunc finem primo quoque tempore, vel ſaltem antequam expiret currens arrenda, luſtrabuntur dictæ terræ per Paſtorem & Præfectos, fietque dictarum arborum per ſingulas terræ partes ſpecificatio, & inventarium, per eoſdem ſignandum, & aſſervandum cum reliquis Eccleſiæ munimentis; cujus copia dabitur Receptori, ut juxta illud computum formare valeat: & ſi quæ ſint terræ minus plantatæ, aptæ tamen ad arbores ferendas, in nova arrendinatione curabunt per futurum conductorem tot & tales plantari, & enutriri, quot & quales natura & quantitas fundi permittit.

VII.

Similis diligentia fiet futuris temporibus ante finem cujuslibet arrendæ; tum ut collato inventario diſpicere valeant, an aliquæ arbores indebite fuerint exciſæ, & an conductores ſatisfecerint conditionibus ſtipulatis; tum ut ex oculari inſpectione inſtructionem capiant pro proxima elocatione.

VIII.

Denique, ſi quas difficultates Paſtores præſciant vel prævideant movendas in computubus, tempeſtive præmonebunt ſuos Decanos, ut a Nobis, ſi opus fuerit, conſilium petere, vel, ſi intereſſe potuerint, inſtructi venire valeant.

IX.

Et quia ad ſumptus Seminarii Epiſcopalis ferendos, juxta Decretum Concilii Tridentini & Provincialis, Beneficia Eccleſiaſtica, quæcumque illa ſint, portionem aliquam contribuere tenentur, quam dictum Concilium Provinciale declaravit eſſe circiter ſexageſimum nummum: ne aliqui Paſtores aut Beneficiati, prætextu alicujus forſan conniventiæ, aut nimii oneris, diutius ſe excuſatos credant, ſingulis moderatam aliquam taxam aſſignavimus, quam ex ſuis Decanis in proxima Congregatione intelligent, & quotannis, dum pro ſacris Oleis accedunt, ad manus eorumdem ſine dilatione ſolvi volumus.

De Scholis, & Catechiſmo.

I.

EA, quæ noviſſimo Concilio Provinciali, noſtriſque ac Synodaticis Ordinationibus pro Scholarum directione, juventutis educatione, ac puerorum catechizatione ſancita ſunt, ab omnibus, ad quos ſpectant, ſæpius relegi, & ſepoſita omni excuſatione obſervari volumus: quibus, pro faciliori methodo, infraſcripta duximus adjungenda.

II.

Nulli in hac Diœceſi permittitur Scholam aperire, niſi facta prius Fidei profeſſione, a Nobis, vel hujus Civitatis Yprenſis, vel oppidi Scholaſtico, aut ſui diſtrictus Decano, admiſſionis ſuæ teſtimonium in ſcriptis habuerit.

III.

Si quis ex nunc admiſſis Fidei profeſſionem in ſua admiſſione non emiſerit, infra menſem a die monitionis ipſi faciendæ illud ad manus Scholaſtici, vel Decani, ut ſupra, præſtabit; ſimulque promittet, ſe has Ordinationes pro poſſe ſuo ſervaturum.

IV.

Inſequendo mentem ultimi Concilii Provincialis, qua maſculos a viris, puellas a mulieribus tantum inſtrui exoptat, ſerio monemus omnes, & hortamur, ut Ludimagiſtri puellas, quas nunc docent; ſimiliter Ludimagiſtræ maſcu-

masculos a Scholis suis dimittant, nec similes posthac amplius recipiant: ubi tamen nullæ sunt mulierum Scholæ, vel ubi propter parentum importunitatem illud adhuc tam cito impetrari non poterit, expresse inhibemus, aliter puellas a viris, & masculos a mulieribus doceri, quam horis, vel locis, seu interstitiis separatis.

V.

Item ordinamus, ut primus liber, qui pueris legendus proponetur, sit parvus Catechismus, cujus titulus est A.B.C. oft Beghinsel der Wyshendt; nec ad alium legendum quemquam admittant, donec illum perfecte & memoriter calluerit: deinde utantur Catechismo Mechliniensi, & sic ad alios libros docendos transire poterunt; non alios tamen, quam qui in Catalogo, nostro jussu edito, & infra inserto, continentur; nec aliam materiam ad scribendum proponent, quam quæ ad formandam pietatem, vel bonos mores subservire poterit.

VI.

Initium docendi semper faciet Magister formando signum Crucis alta & intelligibli voce, quem pueri omnes similiter sequentur; & pro conclusione, antequam dimittantur a Scholis, vel ipse Magister, vel alius ex peritioribus, simili voce præleget aliquid de dicto parvo Catechismo, cæteris similiter respondentibus.

VII.

Ludimagistri assignabunt pueris singulis hebdomadibus aliquam lectionem ex dicto parvo Catechismo; quam memoriter discent, & pridie Catechismi illam cunctis audientibus recitabunt: cui exercitio seu examini ad minus una hora impendetur.

VIII.

Omnes, quibus Scholam aperire est concessum, ducent suos discipulos diebus statutis ad lectionem Catechisticam: in quem finem curabunt illos tempestive adesse in Scholis, ut exinde bini & bini per ipsos Magistros ad locum destinatum deduci valeant, singulique ferent secum suum Catechismum, quem in Scholis discunt.

IX.

Templum ingressi, omnes simul in medio Ecclesiæ flexis genibus recitabunt submisse *Pater noster*, & *Ave*; & tunc accipient scamna assignata; ita quod ubi plures sunt Scholæ, singulæ suis distinguantur scamnis, & quisque Magister suis adsit discipulis, ut illos in modestia contineat.

X.

Singuli catalogum suorum Scholarium conficient, & secum ad Catechismum ferent, ut videant, an omnes sint præsentes; dictumque catalogum Præfectis Catechismi petentibus tradere non recusabunt.

XI.

Finito Catechismo, eodem ordine, suos discipulos, binos & binos, ad Scholas usque cum modestia reducent, vel saltem non ante dimittent, quam longe ab Ecclesia & aliis Scholis separatos.

XII.

Quod si aliquis discipulorum aliquoties a Catechizatione sese absentaverit, & monitus se non emendaverit, deferetur ipsius nomen per Ludimagistrum Catechistæ, vel Pastori, aut Decano, vel Scholastico; ut de convenienti remedio provideant, vel Superioribus negligentiam parentum (si forsan illi fuerint in mora) denuntiabunt.

XIII.

Et quia in locis, ubi plures sunt Scholæ, sæpius contingit pueros de una ad aliam transire, unde aliquando inter Ludimagistros oriuntur simultates & odia, Scholasticus, Decanus, vel Pastor studebit has & similes difficultates paterne & pacifice sopire, ita tamen ut ante omnia satisfiat Magistro a quo.

XIV.

Advigilabunt Magistri, ut suos discipulos non tantum legere & scribere doceant, sed vel maxime, ut in pietate & modestia erudiant; qualiter nimirum Sacerdotes, Religiosos, Parentes, Magistratus & Seniores observare & revereri debent; res sacras, & loca Deo dicata honorare; petulantiam & rixas tam domi, quam in plateis vitare;

tare; Templa & Officium Divinum frequentare: illosque omnes quinquies in anno, videlicet ante Festa Paschæ, Pentecostes, Assumptionis B. MARIÆ Virginis, Omnium Sanctorum, & Nativitatis Christi, uno, eodemque die ad Confessionem in sua Ecclesia Parochiali ducent, ubi a Pastore, vel Confessario assignato confessionis factæ scedulam accipient, Ludimagistro tradendam: & si aliquem defectuosum invenerit, talem Scholastico, vel Decano, aut Pastori denuntiabit, aliter, nisi satisfecerit, corrigendum.

XV.

Quæ de Ludimagistris puerorum superius dicta sunt, eadem etiam de Ludimagistrabus puellarum intelligenda declaramus.

XVI.

Si quis circa supradicta se negligentem ostenderit, subjacebit mulctæ decretæ vel decernendæ: & si contumaciter in sua negligentia perseveraverit, inhibebimus ipsi in hac Diœcesi Scholas aperire; rogantes Magistratus & Præfectos locorum, ut juxta intentionem Concilii Provincialis sine conniventia tam pueros, quam Ludimagistros ad horum observationem compellant.

XVII.

Pastoribus etiam injungimus (in locis, ubi nullus residet Scholasticus, aut Decanus, quibus alias hoc ipsum incumbit) ut Scholas ad minus semel in mense visitent, singulorum diligentiam in legendo & scribendo explorent, de pietate & modestia illorum inquirant, ad frequentationem Catechismi illos alliciant; in primis principiis doctrinæ Christianæ, de oratione matutina & vespertina, de modo faciendæ confessionis, inserviendi Sacro, similibusque minutioribus, ad unicujusque captum, breviter examinent; materiam proximæ lectionis Catechisticæ proponant; ad respondendum & repetendum, imo ad inter se, vel cum aliis Scholis, si plures sint, certandum animent: denique nihil omittant eorum, quæ ulla ratione teneram ætatem juvare, & utiliter dirigere posse existimabunt.

XVIII.

Similiter Pastores, maxime ruri, conficient duplicem catalogum eorum, qui sunt apti ad catechizationem, unum frequentantium Scholas, alterum non frequentantium, distinctum per vicos & familias; quem singulis annis, dum Parochiam suam visitant, secum conferent, ut, quorum nomina addenda aut delenda fuerint, una eademque opera id commode fieri valeat: quod si ad opus tam necessarium comitem unum ex Magistratu aut notabilibus impetrare possent, prout in pluribus locis magno cum fructu practicatur, laudabile esset, & valde commendandum.

XIX.

Si quis extra Parochiam suam Scholam frequentet, vel viciniorem habet Ecclesiam alterius Parochiæ, suamque valde distantem, & difficilis accessus, Pastoris sui petat arbitrium: qui, si concesserit, ut alienam adeat Ecclesiam, tunc illius adscribetur catalogo, & iisdem tenebitur legibus, quibus illius loci Scholares.

XX.

Pueri, non Scholares, sedebunt locis seu scamnis distinctis a Scholaribus, prout etiam Scholares inter se, ubi plures sunt Scholæ; tum ut hac ratione, dum ex catalogo singulorum nomina recensentur, facilius annotari possint absentes; tum ut Catechista melius sciat examen seu quæstiones captui singulorum accommodare; tum vel maxime, ut pia æmulatione pueri, ipsique Magistri stimulentur, dum una pars recitantium unius est Scholæ, altera alterius.

XXI.

Rogandi etiam erunt Domini temporales, & Magistratus, prout instanter rogamus, & obsecramus, quatenus etiam ruri semel in anno, vel sæpius, si opus judicaverint, curent renovari Edicta de frequentatione Catechismi, mulctasque absentibus impositas exigi, ac tempore Catechismi omnes choreas, lusus publicos, & spectacula prohiberi.

XXII.

Et attento, quod Serenissima Princeps sæpius per literas suas declaraverit,

verit, voluntatem suam esse, ut in singulis locis aliquis de Magistratu, vel ab illo deputatus assistat Catechizanti, ad hoc ut ipsius præsentia tam necessarium & utile opus authorisetur; ne nos huic sancto Principis zelo defuisse videamur, viginti dies Indulgentiarum concedimus & elargimur illi, qui ex parte Magistratus catechizationi intererit.

XXIII.

Porro methodus catechizandi, licet semper & ubique difficulter possit esse una & eadem, tamen generalia quædam puncta ordinarie servari poterunt; verbi gratia, ut, pueris suis locis, ut supra, dispositis, &, si opus fuerit, recensitis, lectio catechistica dividatur in tres partes. In prima, Catechista clara & alta voce formet sibi distincte signum Crucis, quod ipsum omnes pueri imitantur; deinde aliquot ex junioribus, seu rudioribus, etiam non Scholaribus, jubet surgere, idipsum facere, & similiter alta voce, ac tractim, ac distincte recitare Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei; interrogetque eosdem, vel alios aliquanto peritiores de Deo trino & uno, de Persona incarnata, de Spiritu Sancto, de Mysterio Eucharistiæ, de animæ immortalitate, & similibus doctrinæ Christianæ primis principiis: ignorantes instruat, ac respondere doceat, aliquoties eadem ad captum auditorum explanando, & in responsionibus adjuvando.

XXIV.

Consumpto in hac prima parte circiter horæ quadrante, Catechista seligit aliquot paria juvenum, sive ex eadem, aut diversis Scholis, sive ex non Scholaribus; jubetque illos stare in angulis oppositis, loco eminentiori; ac facto signo Crucis, memoriter alta voce ac distincte recitare lectionem assignatam ex Catechismo, vel partem illius, ita ut unus interroget, alter respondeat, vicissimque sibi succedant: poteritque subinde inter recitandum illorum responsiones breviter repetere, & elucidare.

XXV.

Quibus finitis, ad tertiam & præcipuam partem lectionis Catechisticæ accedendum erit; quæ in eo consistit, ut lectionem recitatam paulo fusius explicet, proponendo sibi ipsi brevissimas quæstiunculas ad illius clariorem intelligentiam, ac illis respondendo, exemplisque ac similitudinibus illustrando: deinde easdem quæstiunculas proponet capacioribus pueris, ut ad eas respondeant, timidos & verecundos adjuvando, verbumque unum aut alterum quandoque suggerendo, quibus responsionem ostendat; quam si puer compleverit, vel aliquot verbis insinuet se aliquo modo intelligere, illum laudabit, & responsionem prosequetur, curando illum, vel alterum, aliquoties idipsum repetere. Et sic faciet Catechista de aliis quæstiunculis a se propositis, si tempus superfit; ita ut sicut ingeniosiores primo interrogat, sic postea eos, qui minus ingenio vel memoria valent, respondere faciat, ut omnes juxta capacitatem proficiant.

XXVI.

His peractis, poterit assignari lectio pro sequenti Catechismo, eadem, vel alia, prout Catechista expedire judicaverit: & sic facto per omnes signo Crucis, absolvitur lectio prout cœpta fuit.

XXVII.

In locis frequentioribus juvabit aliquando instituere celebrius aliquod certamen Catechisticum, & invitare Dominos temporales, Magistratum, & notabiles, ut velint interesse, ac præmia distribuere, adhibito ad splendorem exteriori aliquo apparatu, quo pueri ad similia exercitia excitentur, & animentur.

XXVIII.

Sæpius etiam recogitent Parochi, hanc juventutis instruendæ obligationem adeo functioni Parochiali annexam, ut si in hac parte remissiores vel negligentiores extiterint, ipsorum periculo hoc Religionis & Reipublicæ semen sine fructu corrumpetur; e contrario, si, prout debent, zelo animarum agantur, fient aspera in vias planas, omneque laboris tædium unctio cœlestis alleviabit.

XXIX.

XXIX.

Ac quamvis methodus antedicta maxime serviat pueris in doctrina Christiana instruendis, qui ordinarie sub catechistica lectione videntur comprehendi: tamen quia Parochi omnibus sunt debitores, nec grandiores natu, si rudes sint vel ignari, ut plerumque sunt famuli, mechanici, & artifices, debeant negligi; idcirco, attentis circumstantiis loci, & personarum, sedulo dispicient Pastores, quibus mediis similes erudiri valent.

XXX.

In quem finem non inconsultum putamus, dum Parochias suas visitant, convocatis subinde unius familiæ prolibus, in præsentia adultorum speciem aliquam examinis catechistici ita artificiose instituere, ut etiam grandiores natu, quasi familiari colloquio, ad respondendum invitentur: item, si semel in mense, die Festivo, pro materia concionis proponant aliquam materiam catechisticam, divisam in aliquot puncta & conclusiones, quas ingeniosi aliquot pueri, prius ad hoc instructi, ordine possent recitare, & Parochus ex suggestu tractim, & ad captum rudiorum singula clare explicare: speramusque, novitate hujus exercitii, maxime si Dominica præcedente sub concione invitentur, plures cum fructu alliciendos.

XXXI.

Denique, ut paucis multa complectamur, serio commendamus Parochis, quatenus soliciti pro animabus sibi commissis, omni loco & tempore, opportune, importune occasionem lucrandi oblatam arripiant, nec ullum, quantumvis pauperem, miserum, mendicum, aut vagum, defectu diligentiæ & instructionis, in ignorantia sua jacere permittant; quippe qui eodem illo magno pretio redempti, ac ejusdem cum cæteris Christianis gloriæ capaces, sicut eumdem habent Patrem in cœlis, ita & eodem doctrinæ pane a fideli dispensatore enutriri debent in terris. Actum ut supra. (*)

GEORGIUS, *Episcopus Yprensis.*

(*) Subjicitur lingua Belgica & Professio Fidei, & Catalogus librorum, in Scholis prælegendorum juventuti, atque explanandorum.



STATUTA ET ORDINATA

A Revmo Domino, D. GEORGIO, Episcopo Yprensi,

Anno Christi MDCXXXI. Urbani VIII. Papæ IX. Ferdinandi II. Imp. XIII.

in Congregatione Decanorum suæ Diœcesis,

HABITA

YPRIS *7tima* ET *8va* OCTOBRIS.

GEORGIUS, DEI gratia, Episcopus Yprensis.

INterfuimus Capitulis, seu Congregationibus, quas juxta nostras Ordinationes, anno præterito emanatas, Decani in suis districtibus hoc anno celebrarunt, pluraque in singulis Nobis utiliter fuerunt suggesta, super quibus tamen nostram resolutionem distulimus, donec omnibus auditis, & in congregatione Decanorum postea propositis, ac mature discussis, ea statuerentur, quæ pro necessaria & magis commoda directione Cleri, & populi Nobis commissi, communi suffragio viderentur opportuna. Quare dicta deliberatione cum iisdem præbabita, infrascriptas Ordinationes duximus publicandas; quas simul cum iis, quæ duobus annis præcedentibus statuimus, ab omnibus, quorum interest, diligenter observari mandamus.

I. Ac

I.

AC in primis, ſicut præcedentibus noſtris Ordinationibus Paſtorum abſentiam ad limitatos dies reſtrinximus; ita etiam Capellanos, qui ad ſubſerviendum Paſtori in ſuis functionibus & Officio Divino admiſſi ſunt, ultra tres dies continuos a Parochia ſua abeſſe non permittimus, niſi de licentia Decani: ſed nec ad unum diem, niſi Paſtore præmonito, & conſentiente; ut hac ratione debita ſubordinatio ſervetur, & utriusque ſimul præcaveatur abſentia: idque ſub mulcta trium librarum Pariſienſium, toties, quoties contravenerint, incurrenda.

II.

Cuſtodes etiam, qui omni hora parati eſſe debent, ut Paſtoribus ſubſerviant, cavebunt ſine ipſius licentia a Parochia ſeſe abſentare: imo quoties ob negotia domo ſua abeſſe cogentur, domeſticis, ſi quos habent, vel ipſi Paſtori, aut vicino, ſignificabunt, quonam vadunt, ut, ſi neceſſitas ingruat, ſtatim inveniri queant.

III.

In aſſumendis dictis Cuſtodibus advigilabunt Paſtores, ut ea exacte ſerventur, quæ in ultimo Concilio Provinciali & Statutis Synodaticis, quoad illorum perſonas & officia, ordinata ſunt; maxime autem, ut Sacerdotes præ cæteris aſſumantur, vel alias in Sacris conſtituti: ubi vero tales haberi non poſſunt, poſthac ſoli cælibes & tonſurati ad hujusmodi miniſterium admittantur (niſi ob evidentem utilitatem, aut neceſſitatem, aliquando diſpenſandum judicaverimus) qui ſe in Divino Officio non ſolum ſuperpelliceo, ſed etiam togá uſuros promittant: quam ſi paratam non habent, infra breve tempus, per Paſtorem vel Decanum præfigendum, ſibi comparare tenebuntur; quod, ut efficacius obtineatur, poterit illorum prima admiſſio, ſi opus ſit, ad ſimile tempus, & ſub tali conditione limitari.

IV.

Cuſtodes porro ſemel admiſſos ſæpius monebunt Paſtores, & diligenter inſtruent in iis, quæ ſui ſunt muneris; ſignanter, ut ea, quæ cultum & Officium Divinum ſpectant, non perfunctorie, non negligenter, ſed cum ſumma decentia, & debita conſideratione exequantur; Eccleſiam, & ſacram ſupellectilem, ſibi concreditam, mundam, nitidam, & bene compoſitam habeant: ad quod plurimum juvabit, ſi Paſtores ipſi ſuo exemplo præeant, & non ſolum ea, quæ alias ſuper hoc præſcripſimus, magna ſedulitate obſervare ſtudeant, ſed ſua etiam induſtria Miniſtros Eccleſiæ adjuvare non detrectent.

V.

In omni ſupellectile argentea curabunt Paſtores inſculpi nomen Eccleſiæ, ad quam illa pertinet; ut hac ratione facilius ad verum Dominum redeat, ſi forte furto auferatur, aut alias deperdatur.

VI.

Sæpius contingit, maxime ruri, clauſuras computuum fabricæ, dum eſt in anterioribus, nimis facile impendi in emptionem novarum campanarum, ſine neceſſitate: unde fit, ut ad plures annos maneat Eccleſia gravata, interim dum illa indiget ſupellectile & ornamentis omnino neceſſariis, & quibus carere non debet pro Officio Divino, ut decet, complendo: quare Paſtores poſthac ſimiles expenſas ad onus fabricæ fieri non permittent absque noſtra ſpeciali licentia.

VII.

Decet omnino, ut uniformitas ubique ſervetur in iis, quæ Divinum ſpectant Officium, ac ut omnes Rubricis Cæremonialis Romani ſeſe conformare ſtudeant: quare in locis, ubi concio ſolet haberi ſub Summo Sacro, illam immediate poſt decantatum Evangelium fieri debere declaramus.

VIII.

Similiter ſtudebunt Paſtores in Officiis trium dierum ante feſtum Paſchæ, ſeſe conformare Rubricis & Ordinationibus Miſſalis & Cæremonialis Romani, tam quoad Communionem Cleri, quam celebrationem Sacri.

IX.

Inexcuſabile eſt, & ſcandaloſum, Paſtores & deputatos Magiſtratuum,

 cum

cum Terminariis in Quadragesima, prædicata Passione, edendi vel bibendi causa tabernam accedere. Itaque Pastoribus idipsum sub pœna sex florenorum interdicimus; mandamusque iisdem, ut tempestive præmoneant omnes, ad quos pertinet, ne sumptus ea occasione fieri permittant; quodque similes expensas curabimus posthac rationibus Ecclesiæ & mensæ pauperum expungi: si autem defatigatio Terminarii requirit refectionem, poterit illi dari extra tabernam, & quæ sacro tempori sit congrua.

X.

Parochi omnem adhibeant sollicitudinem & diligentiam, ut tremendum Eucharistiæ Sacramentum, quo nihil habet Ecclesia dignius, nihil sanctius, ea, qua decet, reverentia, summoque cultu custodiant, tractent, & administrent; præscriptas genuflexiones accurate observent, quoties sub Officio Divino vel Missa exponitur, aut quando repositorium, in quo custoditur, aperiunt, claudunt, vel pertranseunt: dictas genuflexiones, velut etiam benedictiones cum pyxide vel remonstrantia faciant tractim, cum decore, & summa modestia, oculis, ac toto corporis habitu ad devotionem compositis: demum nihil omittant, sive in ornatu, sive in exteriori apparatu, eorum, quæ vivam fidem de tantæ Majestatis præsentia in populo excitare valent.

XI.

Singulis annis, quando sub initium Quadragesimæ promulgabit Pastor Decretum de Communione Paschali, simul etiam declarabit pœnas Cap. *Omnis utriusque sexus*, contra negligentes statutas; nimirum, quod qui in Parochia sua non communicaverit, vivens ab Ecclesiæ ingressu arcebitur, & mortuus Christiana carebit sepultura. Et quia intelleximus, non deesse, qui proles suas a perceptione Eucharistiæ retardant, prætextu quod non pervenerint ad annos discretionis; re tamen vera, ut jura exequiarum non solvant, si illas ante susceptam in Paschate Eucharistiam e vivis discedere contingat; volumus, ut prima Communio a Pastoris pendeat judicio: qui sicut nec promiscue omnes admittere debet; ita etiam, delectu per familias habito, grandiores, prius bene probatos & instructos, ac aliquot ante diebus examinatos, ad dictam primam Communionem in Paschate sumendam serio monebit: & quos procrastinare perceperit, dictis pœnis subjiciendos declarabit. Et ulterius declaramus, omnes, qui completo duodecimo ætatis anno moriuntur, teneri ad jura exequiarum, licet nondum communicaverint. Non intendimus tamen per hoc præjudicare consuetudini, ubi dicta jura persolvuntur ab iis, qui communicarunt etiam ante dictum annum duodecimum.

XII.

Quod Statutis Synodaticis ordinatum est, ut Matrimonium celebretur inter Missarum solemnia, ita omnino servari volumus, ut diebus Dominicis & Festivis desponsi contrahere volentes, compareant in Ecclesia ante summum Sacrum; (nisi aliud Sacrum celebretur, sub quo possint contrahere;) diebus vero feriatis hora per Pastorem præfigenda, quam ultra medium duodecimæ differri non permittimus; authorisantes Pastores ad hoc, ut serius venientes in alterum diem remittant: quod etiam locum habere volumus in mulieribus, quæ pro purificatione Ecclesiam accedunt, si tarditatem ex negligentia provenire Pastor deprehenderit: & ne quis hujus ignorantiam prætendat, mandamus illud de suggestu publicari, & nihilominus, data occasione, sponsos hac de re tempestive præmoneri.

XIII.

Proclamationes antenuptiales semper fieri debent in Parochia, ubi contracturi Matrimonium degunt: si tamen recenter ad illam advenerint, fient etiam dictæ proclamationes in locis, ex quibus venerunt, & ubi ratione domicilii, aut habitationis propriæ, vel parentum, certior notitia haberi poterit: quod si diversarum sint Diœcesium, Decanatuum, vel Parochiarum, servetur Decretum novissimi Concilii Provincialis *Tit. X. Cap. III.* moderantes quoad hoc Statuta Synodatica, & declarantes, quod, quoties faciendæ sunt aliquæ

aliquæ proclamationes in locis, ubi ſponſi aut ſponſæ non habitant, non obligantur ſolvere, niſi conſuetum jus proclamationum.

XIV.

Noverint Paſtores, *Cap. XV. Tit. XIX.* in Statutis Synodaticis prohiberi non tantum ſolemnitates nuptiarum, ſed etiam contractum matrimonialem tempore clauſo, niſi a Nobis, aut Vicario noſtro licentiam obtinuerint.

XV.

Attento, quod taxa Paſtoratuum ad uſum Seminarii Epiſcopalis ſit omnibus notificata, declaramus, primi anni ſolutionem cedere in Paſchate M.DC.XXXII. & ſic de anno in annum, quam ad manus Decani ſinguli curabunt numerari, dum pro ſacris Oleis accedunt.

XVI.

Ordinationem anni ſuperioris, de exigenda per Decanos ab omnibus Beneficiatis in hac Diœceſi ſpecificatione fructuum ſui Beneficii, innovantes, declaramus, illud etiam intelligi de Regularibus, qui Paſtoratus adminiſtrant Monaſteriis unitos, vel ab iis dependentes: quos etiam in omnibus, quæ officium Paſtorale concernunt, Ordinationibus noſtris, & Decanorum curæ ſubeſſe, nulli poteſt eſſe dubium: quod ſi aliqui horum non habeant certam dotem, authoriſamus Decanos, ut in proxima viſitatione, vel prima opportunitate, cum Prælatis tractent de aſſignanda illis certa competentia: ac inter acta viſitationis referant illorum reſponſum.

XVII.

Porro in dicta ſpecificatione bonorum facienda per Beneficiatos hujus Diœceſis, volumus etiam fieri debitum inventarium arborum, in fundo dictorum bonorum creſcentium, ad finem, ut juxta Statuta Prædeceſſorum noſtrorum, nullus ſine noſtra licentia easdem cædere præſumat.

XVIII.

Dolendum eſt, rudem populum adeo ſuperſtitionibus inquinari, ut paſſim plures vanæ obſervationes, quaſi certa boni vel mali ominis ſigna, habeantur; quare ex regula tradita in Concilio Provinciali *Tit. XV. Cap. III.* ſubinde docebunt Paſtores (maxime in locis, ubi iſti abuſus vigent) obnoxium eſſe ſuperſtitioni, quod deſponſi nolint audire ſuas proclamationes antenuptiales: quod illas velint fieri potius diebus Dominicis, quam Feſtis: quod mulieres nolint purificari feriis ſextis: quod ancillæ nolint inchoare ſervitium feria ſecunda: quod abundantiam fructuum ſibi pollicentur, ſi certo die arbores circumligentur ſtramine; & cætera hujusmodi, quæ operibus, alioquin non malis, circumſtantias admiſcent, quæ nec ex natura ſua, nec ex ordinatione Eccleſiæ, nec ex inſtitutione Divina, effectum aliquem producere poſſunt.

XIX.

Abominanda eſt etiam & intoleranda malitia eorum, qui ad præcavenda vulnera utuntur diabolicis remediis, & altis, ut vocant, ſeu potius magicis nominibus, quorum fiducia in cædes ruunt, ſuo & aliorum damno, animarumque æterno periculo: cumque execranda iſta temeritas latius ſerpat, quam ut paternis monitionibus poſſit præcaveri, acriori cenſura coercendam judicavimus. Paſtoribus itaque noſtræ Diœceſis mandamus, ut ter, vel quater in anno, videlicet circa ſolemnitatem Paſchæ, Nativitatis Domini, & Dedicationis Eccleſiæ, ac tempus nundinarum, publice de ſuggeſtu denuntient, nos omnes & ſingulos, qui ſimilia alta ſeu magica nomina geſtaverint, vel aliis geſtanda conceſſerint, pœnæ excommunicationis, ipſo facto incurrendæ, ſubjicere, abſolutionemque iſtius delicti, tanquam homicidii voluntarii, Nobis reſervare: ac inſuper per præſentes prohibemus Paſtoribus, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, ne quem in loco ſacro ſepelire præſumant, qui cum iſtis altis nominibus occiſus deprehendetur.

XX.

Multis flagitiis cauſam præbet diſſolutio illa, qua paſſim ruri puellæ, excuſſo pudore, una cum procis ſuis, aliisque juvenibus, tabernas audent frequentare, ibidemque ad plures horas

ras

ras inverecunde potitare: quare Pastores strenue hanc gulæ & libidinis corruptelam conabuntur extirpare, qua concionando, qua parentes damnabilis socordiæ reprehendendo, qui in filiabus suis tantum æstimationis & honoris periculum dissimulant.

XXI.

Abusum comedendi diebus Sabbati intestina, farcimina, & extremitates animalium, qui in quibusdam hujus Diœcesis locis paulatim irrepsit, conabuntur Pastores extirpare, agendo cum Magistratibus, ut per Edictum publicum, si opus sit, id prohibeatur; & publice denuntiando, id esse prohibitum per Ecclesiam; quodque sine conniventia similes puniri curabimus.

XXII.

Quando Decani, vel Pastores aliquos denuntiabunt super gravioribus delictis, simul etiam transmittent circumstantias, ex quibus Promotor possit habere sufficientem instructionem, ad capiendam desuper informationem: prout etiam Pastores, quando mittent puerperas, quæ ex illegitimo concubitu pepererunt, ad Decanos pro consensu ad purificationem, adjungent etiam literis clausis informationem, qualem habere possunt, de qualitate delicti.


XXIII.

Multa hactenus tam in Concilio Provinciali, quam Synodaticis ac nostris Decretis, salubriter ordinata sunt pro promovenda necessaria & utili instructione Catechistica, quibus accessit Serenissimorum Principum auctoritas & mandatum. Hæc, si exacte servarentur, non esset opus iterata monitione: sed quia non desunt adhuc aliqui Pastores, qui obligationem suam vel ignorant, vel parvipendunt; alii etiam inveteratam populi socordiam suo zelo & labore necdum superare potuerunt; cogimur iterum illorum negligentiam (quam dissimulare non intendimus) arguere, horum diligentiam (quam satis laudare non possumus) excitare; omnesque serio monere & hortari, ut novo fervore præcipuum hoc vocationis Pastoralis opus aggrediantur, bonumque facientes, nullo tædio affecti deficiant; tempore enim suo metent: quod si pro munusculis comparandis a Magistratu loci subsidium impetrare non possint, poterit in hunc finem diebus Dominicis & Festis, sub Officio Divino & concionibus institui Collecta, inducendo aliquem ex magis cordatis Parochianis, qui hujus rei curam ex charitate suscipiat.

XXIV.

Denique, ut paucis omnia complectamur, sæpius recogitent Pastores, etiam ipsis in persona Apostolorum a Christo dictum esse: *Vos estis lux mundi, Vos estis sal terræ*; caveant, ne, dum lumen Ecclesiasticæ vocationis, & sal Pastoralis officii proximis impendunt, de pulvere hujus sæculi maculas contrahant, & tenebræ fiant, vel per iners otium diffluant, & infatuentur; sicque, dum aliis prædicaverint, ipsi reprobi efficiantur: attente relegant compendiosum vitæ Pastoralis schema, quod singulis distribui curavimus: certoque sibi persuadeant, eo melius se officio suo satisfacere, quo diligentius & exactius illud studuerint observare. (*)

GEORGIUS, *Episcopus Yprensis.*



CON-

(*) Schema laudatum, una cum Instructione pro Confessariis Diœcesis Ypr. latio sermone adnectitur.

CONCILIUM PROVINCIALE CAMERACENSE,

QUOD

Reverendissimus in Christo Pater Dominus,

D. FRANCISCUS VANDER BURCH, (*)

Archi-Episcopus VI. & Dux Cameracensis,

Eodem anno Christi MDCXXXI.

CELEBRAVIT CAMERACI.

MANDATUM CONVOCATIONIS.

FRANCISCUS VANDER BURCH, DEI ET APOSTOLICÆ Sedis gratia Archi-Episcopus & Dux Cameracensis, Sacri Romani Imperii Princeps, Comes Cameracesii, &c. Omnibus his visuris, Salutem in Domino.

CElebrationem Synodi Provincialis, ob plures causas ex consilio bonorum virorum dilatam, aliquibus earum modo cessantibus, haud diutius differendam judicamus. Itaque super ea, ejusque loco & tempore, cum Reverendissimis Dominis Fratribus nostris Comprovincialibus, ac Venerabilibus Dominis in Christo plurimum Nobis dilectis Præposito, Decano & Capitulo Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, nec non Vicariis nostris communicatione habita, de eorumdem consilio Provincialem Synodum convocandam, in hac Civitate Cameracensi celebrandam, & Dominica Cantate, *quæ est quarta post Pascha, seu decima octava die mensis Maji currentis anni, sub horam octavam matutinam inchoandam duximus. Utque omnibus, qui de jure vel consuetudine interesse debent, nota sit hujus Concilii celebratio, & nemini aut ignorantiam prætendere, aut se contemptum dicere liceat, universis & singulis, qui sua quomodolibet interesse putaverint, etiam exemptis & nullius forte Diœcesis intra limites nostræ Provinciæ existentibus, per hoc Edictum valvis nostræ Metropolitanæ, omniumque Cathedralium, & aliarum insignium Ecclesiarum nostræ Provinciæ affigendum, Provincialis Concilii futuram celebrationem significamus & denunciamus, cum comminatione pœnarum a sacris Canonibus adversus non-comparentes & contumaces statutarum, nec non intimatione, quod absentium contumacia non obstante, ad dictæ Synodi Provincialis celebrationem procedemus, & procedi faciemus, prout juris fuerit & rationis. Porro si qui justo impedimento detenti (de quo fidem facient competentem) personaliter comparere non valuerint, per legitimos Procuratores suos cum plena potestate constituendos, absentiam suam supplere debebunt, si excusati haberi voluerint. In quorum fidem hoc Edictum confici, ac per Secretarium nostrum subscribi, ac nostri Sigilli impressione muniri jussimus. Datum Cameraci, anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo primo, mensis Januarii die octava.*

De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Archi-Episcopi præfati.

(L.S.) FOULON *Secret.*

INDEX

(*) Vide de hoc Archi-Episcopo Tom. h. IX. pagg. 240. & 241.

INDEX TITULORUM
CONCILII PROVINCIALIS CAMERACENSIS.

DECRETA & STATUTA
SYNODI PROVINCIALIS CAMERACENSIS,
HABITÆ
CAMERACI, ANNO MDCXXXI. MENSE MAJO.

TITULUS PRIMUS.
De Fidei professione, ac his, quæ ad ejusdem Fidei integritatem conservandam pertinent.

CAPUT I.

CUm Fides sit Symbolum, quo Catholici ab aliis distinguuntur, sacra Synodus Provincialis Cameracensis ab ea principium ducens, in nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, statuit ac decernit, ut juxta formulam a PIO IV. sanctæ memoriæ præscriptam, Fidei professionem faciant omnes Ludimagistri, & Ludimagistræ, atque etiam hypodidascali, non solum in oppidis, sed etiam in pagis, ac locis quibusque aliis. Fiet autem ea in manibus Scholastici, ubi is est, alibi coram Archi-Presbytero, seu Decano Christianitatis.

CAPUT II.

Abbates, & quicumque alii Superiores Regulares a suorum etiam Monasteriorum Professoribus regularibus, sive sæcularibus, professionem Fidei ad præscriptum ejusdem Constitutionis PII IV. sanctæ memoriæ excipiant, antequam eos ad docendum admittant; exigantque ab iis, qui jam docent, si necdum illam præstiterint.

CAPUT III.

Decretum S. Concilii Tridentini, (a) ut provisi de Beneficiis curam animarum habentibus, coram Episcopo, ejusve Vicario Generali, provisi vero de Canonicatibus & Dignitatibus in Ecclesiis

(a) Seff. 24. c. 12. de Reform.

clesiis Cathedralibus, non solum coram Episcopo, ejusve Vicario, sed etiam in Capitulo Fidei professionem faciant, si forte alicubi observari desierit, in usum revocetur: sciantque omnes provisi, quod sine ejusmodi Fidei professione non faciunt fructus suos, nec illis possessio suffragabitur. Eamdem Fidei professionem facient provisi de Canonicatu & dignitate in quacumque Ecclesia Collegiata.

CAPUT IV.

Presbyteri sæculares ad prædicandum, vel confessiones audiendum idonei judicati, facient Fidei professionem in manibus eorum, a quibus examinati fuerint, qui & de ea facta, & de idoneitate, iisdem literis testabuntur.

CAPUT V.

Regulares ad concionandum, vel confessiones fidelium excipiendum admitti volentes, præstabunt Fidei professionem, quilibet in manibus sui Superioris: & is in literis præsentationis, eas illam fecisse Ordinario testabitur.

CAPUT VI.

Pastor quilibet a singulis ad suam Parochiam commigrantibus, intra quindenam a die scientiæ, Fidei professionem exiget, si sufficiens testimonium suæ fidei & conversationis a Pastore loci suæ ultimæ residentiæ non attulerint, & ipse eorum vitam & fidem aliunde cognitam non habuerit. Et si quis eam facere recusaverit, Ordinario denuncietur.

CAPUT VII.

Custodes quoque Ecclesiarum Parochialium & Obstetrices, Fidei professionem emittent, singuli coram suo Pastore.

CAPUT VIII.

Nullus quoque Medicus, vel Chirurgus ad medicinam, vel artem Chirurgicam exercendam admittatur, nisi facta prius Fidei professione in manibus Episcopi, seu ab eo deputandi: quam & intra semestre facient, qui jam admissi sunt.

CAPUT IX.

Typographi, Bibliopolæ & Librarii intra sex menses, ac deinde singulis annis renovabunt Fidei professionem, & juramentum de non invehendis, nec distrahendis, nec compingendis libris prohibitis: habeantque propterea singuli Catalogum librorum prohibitorum, & scire curent, si qui de novo prohibeantur.

CAPUT X.

Iidem nec alios libros impriment, quam qui ab Ordinario, vel a Censore ab eodem Ordinario approbato examinati & approbati fuerint, nec alios venales exponent, aut secreto distribuent, nisi quorum Catalogus ab Ordinario, vel ut supra approbato Censore sit visus & approbatus, sub pœnis pro qualitate & circumstantiis facti infligendis.

CAPUT XI.

Nemo præter Typographos, Bibliopolas & Librarios juratos, ullos libros, cantilenas, rhythmos, aut similia typis committat, aut venalia exponat.

CAPUT XII.

Regula quarta Indicis librorum prohibitorum salubriter statuit, ut nemini absque legitima licentia Episcopi, vel Inquisitoris, sacra Biblia in lingua vulgari legere, seu habere liceat, & aliter ea legere, seu habere præsumens, peccatorum absolutionem percipere non possit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis: utque hoc Statutum exactius observetur, Pastores, & alii Concionatores crebro insinuent.

CAPUT XIII.

Si quis contra fidem aliquid fecerit, aut verba hæretica protulerit, librosque, aut scripta prohibita penes se habuerit, Pastor id resciens non dissimulet, sed, quidquid cognoverit, fideliter eum omnibus circumstantiis ad Ordinarium, ejusve Vicarium referat. Idemque fiat, si quis diebus prohibitis carnes comederit.

CAPUT XIV.

Si quis verba Scripturæ sacræ ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, sortes, aut libellos famosos usurparit, tanquam temerator & violator verbi Dei, juris & arbitrii pœnis coerceatur. (b)

CA-

(b) Conc. Trid. Sess. 4. in fine.

CAPUT XV.

Libri domorum mortuariarum (c) non ante distrahantur, quam ab approbato Censore, vel alio ad id ab Ordinario deputato visitati & vendi permissi fuerint. Et visitatio ista gratis fiat.

CAPUT XVI.

Ludi theatrales in lingua vulgari, actionesque mimorum & histrionum non ante exhibebuntur, quam Ordinarius, vel ab eo deputatus facta visitatione nihil in iis esse, quod sanæ fidei adversetur, aut bonis moribus officiat, in scriptis declararit.

CAPUT XVII.

Personis laicis de Fide Catholica publice vel privatim disputare, sub pœna excommunicationis prohibitum esse, (d) Pastores, aliique Concionatores subinde, populo inculcent.

TITULUS II.

De Doctrina & Prædicatione verbi Dei.

CAPUT I.

QUicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, memores Decreti sacri Concilii Tridentini (e), per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & Festis solemnibus plebes sibi commissas, pro sua, & earum capacitate, pascant salutaribus verbis, docentes, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. Et quicumque id præstare neglexerint, etiam exempti & Regulares, sine conniventia debite puniantur, & ad officium implendum pro arbitrio Episcopi compellantur.

CAPUT II.

Meminerint quoque iidem, & alii, ad quos spectat, Mandati prætacti (f) Concilii, ut Dominicis & aliis Festivis diebus, pueros fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & parentes diligenter doceant, seu doceri curent. Et negligentes etiam per censuras suo muneri satisfacere cogantur.

CAPUT III.

Monet hæc S. Synodus verbi Concilii Tridentini (g) omnem populum, qui intra limites Provinciæ continetur, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.

CAPUT IV.

Ubi viget consuetudo, eo tempore, quo Missa Parochialis, & officium Vesperarum in Ecclesia Parochiali celebratur, in Ecclesiis Regularium prædicatio non fiat, præterquam in festo Patroni, & alia simili solemnitate.

CAPUT V.

Pastores, & alii Prædicatores verbi Dei in explicatione Evangelii, vel Epistolæ, per totam Provinciam sequentur usum Romanum, etiamsi alius sit usus Ecclesiæ alicujus particularis quoad Missam.

CAPUT VI.

Parochi neminem omnino vel Regularem, vel sæcularem Sacerdotem in Ecclesiis suis concionari permittant, qui de admissione sua, & licentia Ordinarii loci in scriptis non prædocuerit.

CAPUT VII.

Nullus quoque Sæcularis, vel Regularis etiam in Ecclesiis sui Ordinis, contradicente Episcopo, prædicare præsumat, prout decrevit S. Concilium, (h) & Constitutio sacræ mem. GREGORII XV.

CAPUT VIII.

Prædicatores neminem nominatim, aut tacite illum designantes, insectentur, nec in Ordinem ullum, statum aut vitæ genus ab Ecclesia receptum invehantur, neque etiam Prælatos aut civiles Magistratus cum auditorum offensione asperius objurgent.

CAPUT IX.

Si (quod absit) Prædicator errores aut scandala disseminaverit in populum,

(c) Reg. X. Indicis Libr. prohibit.
(e) Sess. 5. c. 2. de Reform.
(g) Ibid. Sess. 24. c. 4. de Reform.
(d) C. 2. §. Inhibemus quoque. De Hæret. in 6.
(f) Sess. 24. c. 4. de Reform.
(h) Ibid. Sess. 24. c. 4. de Reform.

pulum, etiamsi in Monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat. (i) Et si quis ejusmodi interdictionem contempserit, secundum Canonicas Sanctiones puniatur.

CAPUT X.

Nemo extraneus paupertatis nomine e suggestu commendetur, nisi testimonium in scriptis ab Ordinario attulerit.

CAPUT XI.

Dum habetur concio, nec solemnes, nec privatæ Missæ celebrentur in ea Ecclesia, sed nec per ipsam Ecclesiam quisquam pauper mendicare permittatur, nec Horæ Canonicæ decantentur, nec Cantores, Vicarii, aut Canonici eas incipere audeant ante concionem finitam. Quod si Concionator prolixior æquo fuerit, modeste per aliquem moneatur, non autem hoc prætextu in sua concione turbetur. (*Conc. 2. Prov. Tit. 2. cap.* 7.)

CAPUT XII.

Clerici, Cantores, Capellani & Canonici concionibus frequenter intersint, ut ipsorum exemplo Laici ad verbum Dei frequentius audiendum incitentur. (*ibid. cap.* 8.)

CAPUT XIII.

Decani Christianitatis referant Episcopis, aut eorum Vicariis, si quos deprehenderint Pastores, vel ob imperitiam, vel ob negligentiam a prædicatione verbi Dei abstinentes, & longe magis, si quos noverint, qui suis prædicationibus magis destruant, quam ædificent. (*ibid. cap.* 6.)

CAPUT XIV.

Eadem hora, qua concionem habebit Episcopus, nullibi in toto oppido alia concio habeatur. (*ibid. cap.* 9.)

TITULUS III.

De Missa, & aliis Divinis Officiis, ac locis sacris.

CAPUT I.

Omnia, quæ ad Sanctissimum Missæ Sacrificium celebrandum pertinent, munditia & puritate commendentur. Ideoque graviter puniantur quicumque Sacerdotes corporalibus, purificatoriis, mappis & indumentis sacris uti, sordidis & laceris, sive in visitationibus, sive alias reperti fuerint. (*Conc. 2. Prov. Tit. 3. cap.* 4.)

CAPUT II.

Ne alibi, quam in locis Deo dicatis, & ab Episcopis visitatis & designatis Missæ Sacrificium fiat, Tridentini Concilii Decretis inhærendo, omnino prohibet hæc Synodus: nisi quis forsan speciale Privilegium Apostolicum ad hoc habeat, quo etiam uti nequeat (sive Sæcularis, sive Regularis sit) quin prius illud loci Ordinario, aut ab eo deputatis ostenderit, sub pœna suspensionis ad tres menses. (*ibid. cap.* 5.)

CAPUT III.

Interdicit vero quibusvis Sacerdotibus, ne quidquam in Officio Missæ, maxime in Canone, etiam prætextu pietatis intermiscere, aut novas cæremonias inducere præsumant: ipsumque Canonem secreto pronuncient. (*ibid. cap.* 7.)

CAPUT IV.

Mandat insuper Synodus, ut si quis temulentia, vel alio notorio crimine scandalum dederit, & nihilominus postridie celebraverit, aut in officio Diaconatus, vel Subdiaconatus Celebranti inserviverit, Officiali, aut Promotori severe castigandus denuncietur. Qui vero alius Sacerdos id sciverit, nec denunciaverit, arbitraria pœna corrigatur. (*ibid. cap.* 8.)

CAPUT V.

Horam præscriptam singulis Parochis per Statutum ipsius Concilii Provincialis ad celebrandum Missam Parochialem, nempe a festo Paschæ usque ad festum Remigii circa horam octavam; a festo vero Remigii usque ad Paschæ circa horam nonam, ut obvietur querelis multorum, uniformiter & exacte per totam Provinciam (quacumque in contrarium allegatione non obstante,) hæc Synodus mandat observari, sub pœna suspensionis a Divinis, ipsis Parochis contravenientibus infligenda. (*ibid. cap.* 10.)

(i) Conc. Trid. Sess. 5. c. 2. de Reform.

CAPUT VI.

Organorum usum in Missis atque Divinis Officiis sic servari statuit sancta Synodus, uti Concilio Tridentino mandatum est: id est, ne modulatione lascivas cantiones imitentur, neque illa musica in Ecclesiis admittatur, quæ choreis potius, quam Choro congruat. (*Conc.* 1. *Prov. Tit.* 6. *cap.* 4. & 3.)

CAPUT VII.

In Choro cum psallitur, Canonici omnes, qui in Choro fuerint, & Sacellani psallant; nec sint in sedibus suis otiosi; nec putent se functos officio, si Vicaria tantum opera cultum Divinum celebrari curent: modo tamen psallere per valetudinem queant, nec aliis impediti justis de causis fuerint. Colloquia vero nulla permittantur, sed omnes Divino cultui intendant. (*ibid. cap.* 7. & 9.)

CAPUT VIII.

Deambulationes in Templis, Divini Officii præsertim tempore, omnino tollantur, & transgressores puniantur pœnis in Constitutione sanct. mem. PII Quinti expressis, & insuper Canonicis pereat ejus diei totum emolumentum distributionis ordinariæ, Capellanis vero, & Vicariis arbitraria pœna infligatur. Correcti si pergant, contumacesque se præbeant, uti inobedientes puniantur Superioris arbitrio. (*ibid. cap.* 9.)

CAPUT IX.

In Ecclesiis sive Cathedralibus, sive Collegiatis non constituantur Vicarii, qui Canonicas, quas vocant, Horas in Choro canant; nisi aut Sacerdotes, aut in sacris Ordinibus constituti, aut saltem Lectores ordinati, atque hi, quantum fieri potest, sint cælibes, quorum mores, vitaque probata fuerit. Nec permittantur in Choro psallere, nisi vestitu & habitu corporis, Ministros se esse Dei & Ecclesiæ demonstrent. (*ibid. cap.* 15.)

CAPUT X.

In omnibus Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, distributiones fiant exacte juxta Decreta Concilii Tridentini, curentque Episcopi, ne ab iis in quoquam recedatur.

CAPUT XI.

Hortatur præsens Synodus, ut in omnibus Ecclesiis sæcularibus totius Provinciæ recipiatur usus Romanus, etiamsi illum Cathedralis Ecclesia non receperit, non obstante contrario Statuto Synodi præcedentis. (*)

CAPUT XII.

Quæcumque Ecclesiæ Collegiatæ, & aliæ majores, proprium usum habent, & tanto tempore habuerunt, ut juxta Bullam san. mem. PII V. eum retinere possint: si eum retinere desiderent; intra triennium proximum omnia officia sua, etiam prosas seu sequentias, debite ab incertis & apocryphis purgari, ac corrigi curabunt, repurgata Episcopo vel Superiori exhibebunt, & sic repurgata ad Sedem Apostolicam transmittant pro confirmatione. Et nisi id fecerint, mandat iis hæc Synodus, ut veteri usu relicto Romanum recipiant intra annum proximum, sub pœna interdicti ipso facto incurrenda.

CAPUT XIII.

Quæcumque Ecclesiæ usum Romanum receperunt, aut recipient, propria Officia Sanctorum suorum, quæ cum Officio Romano servare voluerint, repurgari, ad formam usus Romani, ut supra, accommodari, ac debite approbari a Sede Apostolica curabunt. Et quamdiu id non fecerint, iis omissis facient Officium juxta Rubricas Breviarii Romani.

CAPUT XIV.

Unumquemque Episcopum hortatur hæc Synodus, ut in Ecclesiis Provinciæ recipiatur Rituale Romanum san. mem. PAULI Quinti.

CAPUT XV.

Nullus peregrinus & ignotus Sacerdos, sive Sæcularis, sive Regularis, sine sui Ordinarii literis ab Episcopo loci recognitis & approbatis, ad Divina celebranda, & Sacramenta administranda admittatur. (*k*)

CAPUT XVI.

Consuetudinem abigendi per strepitum eos, qui Chorum tardius ingrediuntur, corruptelam esse, & sine scandalo

(*) Conc. Prov. 1586. Tit. 3. cap. 1.

(*k*) Conc. Trid. Sess. 23. c. 16. in fine. de Reform. & Sess. 22. De observ. in celeb. Miss.

dalo tolerari non posse declarat, ideoque & aboleri mandat Synodus. Quare si alicubi corruptela ista necdum fit abrogata, Capitulum istius Ecclesiæ mox abrogari curet, puniatque pro modo scandali ejusmodi strepitum in posterum excitantes.

CAPUT XVII.

Officia Divina, etiam quæ pro fidelibus defunctis persolvuntur, & parvum Officium B. MARIÆ non cursim, & perfunctorie, sed diligenter, distincte & accurate peragantur.

CAPUT XVIII.

Onera Missarum Beneficiis suis incumbentia plene ac debite non explentes, hoc ipso (etiamsi in loco privilegiato resederint,) a fructibus Beneficiorum suorum suspendantur, & suspensi maneant, donec debite docuerint de impleto onere Missarum, ob cujus omissionem suspensi fuerant.

CAPUT XIX.

Dum Missæ Sacrificium celebratur, Crux in altari adsit, & duæ semper candelæ cereæ in eo, aut circa illud ardeant. Nec Celebrans vel ei ministrans, pileum, biretum, chirothecas, claves, aut aliquid simile in altari ponat. Illi quoque, quibus sacri Canones annulum gestare permittunt, dum Missæ Sacrificium celebrant, eumdem deponant, Prælatis exceptis.

CAPUT XX.

Nemo celebret Primitias, antequam Ordinarius, seu ab illo deputatus, eum in cæremoniis rite obeundis satis instructum noverit & probarit.

CAPUT XXI.

Sciat quilibet Sacerdos se pluribus stipendiis unica Missa in conscientia satisfacere non posse.

CAPUT XXII.

Audiendæ Missæ rationem populum Parochus doceat, quo ex propitiatorio illo Sacrificio uberiorem is fructum capere possit. Et frequenter ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponat juxta Mandatum Concilii Tridentini (*l*), quod & ait magnam in ea contineri populi fidelis eruditionem.

CAPUT XXIII.

Omnes graviter ac modeste in processionibus procedant, colloquiisque exclusis, Psalmis, Hymnis, aliisque sacris precibus operam dent, nec ordinem suum quis mutet, non magis in processionibus, quæ septimana sancta instituuntur, quam in aliis.

CAPUT XXIV.

Ubi tam longi sunt processionum circuitus, ut occasionem præbeant in itinere bibendi, vel Reliquiæ, aut imagines, seu effigies Sanctorum commode a peditibus circumferri nequeant, vel populi devotio languescat; ita illi contrahantur & abbrevientur, ut omnis scandali & irreverentiæ tollatur occasio, & viarum longitudine devotio non tepescat.

CAPUT XXV.

Ubicumque cœmeteria necdum sufficienter clausa sunt, sine mora, muris, fossis aut sepibus ita concludantur, ut equis, vaccis, porcis, aliisque similibus animalibus nullus pateat accessus. Nec in iis unquam tripudietur, nihilque permittatur, quod loci religioni & decentiæ repugnet.

CAPUT XXVI.

In campanili Ecclesiæ columbæ non alantur: nec ullæ puellæ aut aliæ fœminæ ad pulsandas campanas illud conscendant, ne prætextu quidem festi alicujus Sanctæ.

CAPUT XXVII.

Campanas & tintinnabula ad harmoniam pulsantes, ejusmodi modulatione non profanas cantiones, at potius hymnos & cantica Ecclesiæ exprimant.

CAPUT XXVIII.

Exorta aëris tempestate campanæ pulsentur, tum ad tempestatem illam vi Divina, quæ ex solemni prece, sacraque benedictione illis inest, depellendam; tum ut fideles ad orandum & Dei misericordiam piis orationibus implorandam excitentur.

CAPUT XXIX.

Mendici ad valvas Ecclesiæ consistant, nec intra illam eleemosynas petere permittantur: nullæque in ea deambulationes unquam fiant.

CA-

(*l*) Sess. 22. de Sacrific. Miss. cap. 8.

CAPUT XXX.

Capellæ collapſæ, vel ſemidirutæ, quæ in aliquibus hujus Provinciæ locis viſuntur, ſumptibus eorum, ad quos de jure vel conſuetudine pertinet, debite reſtaurentur. Si quæ autem ob inopiam reſtaurari nequeant, Ordinarius loci juxta Decretum (*m*) Concilii Tridentini, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, prius omnino dirutas in profanos uſus non ſordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertat, & Beneficia in iis fundata in alias Eccleſias transferat, ſervata ejusdem Oecumenici Concilii forma.

CAPUT XXXI.

Cum jure ſtatutum ſit, ne ſupellex profana in Eccleſias admittatur, niſi propter hoſtiles incurſus, aut incendia repentina, ſeu alias neceſſitates urgentes, ad eas oporteat habere refugium; & neceſſitate ceſſante res in loca priſtina reportari debeant: hoc ipſum in uſum revocetur, & exacte ubique ſervetur.

CAPUT XXXII.

Clerici conjugati pluvialibus non induantur, nec in proceſſione, nedum Chorum & Cantum dirigant.

CAPUT XXXIII.

Nulli adultero, fornicatori, aut blaſphemo notorio, cum Sacerdotibus, vel aliis Eccleſiæ Miniſtris, in Eccleſia pſallere, aut alia Divina Officia canere permittatur.

CAPUT XXXIV.

Conventicula puellarum, & adoleſcentium, quæ uſurpato nomine Confraternitatum S. Nicolai & S. Catharinæ in variis locis inſtituuntur, ob graves exceſſus, & ſcandala etiam in Eccleſia data, hæc Synodus improbat, & abroganda judicat.

TITULUS IV.

De Superſtitione & Exorciſmis.

CAPUT I.

PAſtores, & alii Concionatores in eas ſuperſtitiones particulariter invehantur, quas ſciunt eo in loco a pluribus committi. Et generaliter populum doceant, ſuperſtitioſum eſſe expectare quemcumque effectum a quacumque re, quem res illa nec ex ſua natura, nec ex inſtitutione Divina, nec ex ordinatione vel approbatione Eccleſiæ producere poteſt: prædictaque congruis & aptis exemplis explicare in particulari conabuntur.

CAPUT II.

Non modo ſortilegi, incantatores, & dantes alta nomina, vel ignotos caracteres, quique ſuper futuris eventibus, aliisque ſecretis rebus reſponſa dant, ſed illi etiam, qui tales conſulunt, altisque nominibus utuntur, ſecundum ſacros Canones & Apoſtolicas Conſtitutiones debite puniantur.

CAPUT III.

Sine licentia Ordinarii in ſcriptis præobtenta, nemo exorcizare præſumat, & quicumque ejusmodi licentiam obtinuit, in ejus muneris functione, graviter, pie ac religioſe in primis ſe gerat, quæſtumque fugiat, & ab omni curioſa percunctatione abſtineat, nec aliis Exorciſmis utatur, quam quos Ordinarius approbarit.

CAPUT IV.

Immundum ſpiritum nimis loquacem tacere jubeat, ejusque nugas, riſus & criminationes cohibeat; ac præſentes moneat, ne hæc curent, aut credant; ſed Dœmonem mendacii patrem eſſe meminerint.

CAPUT V.

Nemo mulieri energumenæ aut maleficiatæ exorciſmum adhibeat, niſi in præſentia duarum ſaltem perſonarum probatæ vitæ.

CAPUT VI.

Exorcizaturus ſe oratione & jejunio præparare ſtudeat, & conſcientia ab omni culpa pura & munda, magna cum humilitate ac fide ad id munus obeundum accedat, ipſosque energumenos adhortetur, ut omnis anteactæ vitæ peccata diligenti conſcientiæ diſcuſſione confiteantur.

CAPUT VII.

Quilibet Exorciſta eorum, quibus exorciſmum adhibet, actiones caute conſideret, videatque, an non ſubſit ali-

(*m*) Seſſ. 21. c. 7. de Reform.

aliqua fictio, præsertim, si exorcizandus sit pauper. Medicum etiam, si expedire censuerit, consulat, adhibeatque; ut is judicet, an, quod agitur, non fiat vi morbi vel atræ bilis.

CAPUT VIII.

Observet etiam, ad quæ verba Dœmones magis contremiscant, & ea sæpius repetat. (*n*)

CAPUT IX.

Sanctissima Eucharistia super caput obsessi, vel aliter ejus corpori non admoveatur, ob irreverentiæ periculum. (*o*)

TITULUS V.

De Festis & Jejuniis.

CAPUT I.

PAstores singuli qualibet die Dominica, sub concione vel summo Sacro dies Festos & jejunia ea septimana occurrentia populo denuncient, iidemque & alii Concionatores obligationem servandi Festa, sæpe ac serio inculcent, nihilque omittant, quod ad deterrendum populum a scelere violationis eorum facere possit.

CAPUT II.

Meminerint Exempti, etiam Regulares, dies Festos, quos in Diœcesi sua servandos Episcopus præceperit, a se quoque servari debere.

CAPUT III.

Ad tollendos abusus, quibus in hunc usque diem præcedentium Conciliorum Decreta mederi non potuerunt, ut videlicet impedirentur deambulationes, lusus, spectacula ludicra, exercitia sagittariorum, balistariorum, gladiatorum, & similium, piscationes & potationes, aliaque opera profana, Dominicis & aliis Festis diebus tempore Divini Officii, maxime Vesperarum & Concionis: decernit sacra Synodus, ut in singulis Ecclesiis Parochialibus singularum urbium totius Provinciæ Vesperæ canantur eadem hora, & semper post prandium extra Quadragesimam: & ante finem earum prædicta prohibeantur, immo exitus e portis urbium hujusmodi exercitiorum causa, tam Vesperarum, quam Missæ Parochialis & concionis tempore omnino impediantur. (*Conc. 2. Prov. Tit. 4. cap. 1.*)

CAPUT IV.

De salute opilionum, bubulcorum, ac similium solicita, hæc Synodus mandat Pastoribus, ut cum parentibus, aut heris eorum desuper agant, curentque, quantum fieri potest (juxta directionem Pastoris) tantum temporis concedi, quo rem Divinam audiant, & Catechesi intersint, pecoribus eorum interim domi reclusis, vel aliis ipsorum loco pascentibus.

CAPUT V.

Festa in populo servanda, si in talem Dominicam inciderint, ut transferri debeant; ea translatio fiet tantum quoad Officium in Ecclesia præstandum, & nullo modo quoad solemnitatem & venerationem in populo: excepto festo Annunciationis B. MARIÆ, quod incidens in aliquam Dominicam Quadragesimæ, præterquam Palmarum, celebrabitur feria secunda proxime subsequente, etiam a populo feriandum juxta devotam & antiquam consuetudinem. Si vero inciderit in Dominicam Palmarum, vel inter eam & Dominicam in Albis occurrerit, celebrabitur feria secunda post Dominicam in Albis tam a populo, quam a Clero, & alias juxta ritum Romanum.

CAPUT VI.

Festo Purificationis B. MARIÆ incidente in Dominicam *Septuagesimæ, Sexagesimæ*, aut *Quinquagesimæ*, in Ecclesiis Beatissimæ Virgini non dedicatis Officium transferetur in diem sequentem: Benedictio tamen candelarum, & processio fient ipsa Dominica, contrario statuto vel consuetudine non obstante.

CAPUT VII.

Festum incidens in diem Cinerum, transferetur in diem proxime sequentem.

CAPUT VIII.

Festum S. Marci, si in hebdomada Paschæ, vel Dominica *Quasimodo* evenerit, transferetur in sequentem feriam post

(*n*) Rituale Rom. Pauli V. (*o*) Ibidem.

poſt *Quaſimodo* feſto ſolemni non impeditam, una cum proceſſione, & abſtinentia a carnibus per totum diem, & jejunio uſque ad prandium, ubi ea eſt conſuetudo. Si vero in aliam Dominicam inciderit, feſtum ſervabitur ipſa die Dominica, ſed proceſſio, abſtinentia a carnibus per totum diem, & jejunium uſque ad prandium, ſervabuntur die ſequenti, juxta conſuetudinem receptam.

CAPUT IX.

Totis tribus Rogationum diebus feſtum Aſcenſionis Domini præcedentibus, abſtinendum eſt a carnibus: jejunium vero ſervabitur uſque ad prandium, ubi ea eſt conſuetudo.

CAPUT X.

Si in diem Aſcenſionis Domini aliud Feſtum inciderit, illud transferetur in diem proxime ſequentem quoad Officium; ſed non celebrabitur a populo, niſi fuerit feſtum Patroni loci, vel Dedicationis Eccleſiæ.

CAPUT XI.

Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ incidens in feſtivitatem Corporis Chriſti, transferetur in diem ſequentem, celebrandum etiam a populo ex devotione, juxta conſuetudinem. At jejunium ſervabitur feria quarta præcedente, quemadmodum & tunc, quando poſtridie Corporis Chriſti, feſtum S. Joannis evenire continget.

CAPUT XII.

Quando dies Commemorationis omnium fidelium Defunctorum incidet in Dominicam, transferetur in feriam ſecundam proximam, etiam in iis locis, ubi aliter fieri conſuevit.

CAPUT XIII.

Feſto Nativitatis Domini in feriam ſextam incidente, (*p*) carnes comedere omnibus licitum eſt, qui voto vel profeſſione non impediuntur.

CAPUT XIV.

Eſum ovorum & carnium tempore vetito ægrotantibus permittere nemo præſumat, qui ad hoc ſpecialem conſenſum Ordinarii non habuerit.

CAPUT XV.

In Quadrageſima cibi vetiti, ad ægrotantium uſum in foro, aut alio loco publico venales non exponantur. Nec alii eos domi vendant, quam quibus Epiſcopus, ſeu ab eo deputatus id permiſerit. Ii quoque neque omnibus, neque omne carnis genus paſſim divendant, ſed iis ſolum, qui ſcriptam ab Epiſcopo, ejusve deputato facultatem habuerint, illudque dumtaxat, quod uſui ſit ægrotantibus.

CAPUT XVI.

Illi quoque, quibus ob juſtam cauſam uſus ciborum vetitorum in Quadrageſima permittitur, publice iis non utantur.

CAPUT XVII.

Omnibus omnino diebus, qui vel Eccleſiæ præcepto, vel conſuetudine coluntur, in Parochiali Eccleſia, hora ſecunda Parochus Veſperarum Officium peragat.

CAPUT XVIII.

Moneatur populus, ut frequenter ad ſuas Parochias ſaltem Dominicis, & majoribus Feſtis accedat (*q*): & Regulares ad hoc ipſum plebem in ſuis concionibus & catechiſmis adhortentur.

TITULUS VI.

De Imaginibus, & Reliquiis Sanctorum, ac Miraculis.

CAPUT I.

PAſtores, ac cæteri docendi munus curamque ſuſtinentes, de ſacrarum Reliquiarum honore & legitimo Imaginum uſu fideles diligenter inſtruant, juxta Mandatum Concilii Tridentini (*r*), docentes inter alia imaginibus Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum debitum honorem, & venerationem impertiendam; non quod credatur ineſſe aliqua in iis Divinitas vel virtus, propter quam ſunt colendæ, vel quod ab iis aliquid ſit petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda: ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant, ita ut per ima-

(*p*) C. ult. extra. De obſerv. jejun. (*q*) Conc. Trid. Seſſ. 22. in Decreto: De obſerv. & evitand. in celebr. Miſſ. Clem. VIII. an. 1591.
(*r*) Seſſ. 25. in Decreto: De invoc. & vener. & Reliq. SS. & ſac. Imaginibus.

imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.

CAPUT II.

Sanctorum Reliquiæ non modo in decentibus capsulis asserventur, sed eædem capsulæ sint debite obseratæ, & in loco honesto, extra Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, custodiantur. Nec per alios in processionibus deferantur, quam per Clericos in Sacris constitutos, & sacris vestibus ornatos, quantum fieri poterit.

CAPUT III.

Nullæ novæ Reliquiæ publicæ venerationi exponantur, etiam in Ecclesia quomodolibet exempta, nullaque nova miracula publicentur, nisi Episcopo juxta Decretum (s) Concilii Tridentini recognoscente & approbante, & servata forma Decreti sacræ Congregationis Rituum novissime editi.

CAPUT IV.

Si quæ sacræ tabulæ aut imagines nimia vetustate, carie, situ, aut sordibus pene deletæ, aut mutilatæ, tam indecenti aspectu sint, ut contemptum potius, quam venerationem excitent, eæ pie, religioseque restaurentur, aut si id fieri nequeat, ab Ecclesiis tollantur. (*Syn. Cameracen.* 1617. *cap.* 21.)

CAPUT V.

In nulla Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ulla insolita imago ponatur, nisi ab Episcopo approbata fuerit, qui & cavebit, ne quid pingatur, aut sculpatur, quod veritati Scripturarum, Traditionum aut Ecclesiasticarum historiarum adversetur, ne, cujus lectio prohibetur, ejus imago populo proponatur. Caveatur quoque, ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur. (t)

CAPUT VI.

Nihil ad ornatum Supplicationum proponatur, quod oculos spectantium offendat.

CAPUT VII.

Concionatores sæpe & acriter, in lascivas, & ob nuditatem, vel aliter obscœnas picturas & imagines invehantur. Et nemo Ecclesiastici Ordinis in suis ædibus aut hortis tales habeat, sub pœna arbitraria.

CAPUT VIII.

Quia naturaliter fieri potest, ut proles viva edatur, quæ tamen ad tempus aliquod, nulla externa vitæ animalis prodat indicia, adeo ut mortua videri possit, quæ nondum est talis: & nihilominus nonnulli pro miraculo habeant motus ab infante ejusmodi postea editos, quasi ad vitam revocatus esset: Mandat hæc Synodus, ne quis campanarum pulsu, vel quovis alio modo, id pro miraculo publicet, nisi prius ab Ordinario loci fuerit approbatum.

TITULUS VII.

De Sacramentis in genere.

CAPUT I.

SAcramenta Sanctissimæ Eucharistiæ & Extremæ Unctionis administraturi, superpelliceo & stola sint induti. Idem servetur in Sacramento Baptismi extra casum necessitatis, & in Sacramento Pœnitentiæ. Quod pariter statuitur in Parocho, vel Presbytero, qui celebrationi Matrimonii intererit, & in Concionatoribus.

CAPUT II.

Pastores ad administranda Sacramenta vocati, officio suo fungi non tardent, graviter alioqui puniendi: gravissime vero, si quem ipsorum negligentia sine Baptismo, Confessione, sacro Viatico, aut Extrema Unctione ex hac vita migrare contigerit. (*Syn. Cameracen.* 1617. *cap.* 7.)

CAPUT III.

S. Concilium Tridentinum (u) pie constituit, ut Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ Legati, Ecclesiarum Rectoribus tot Sacerdotes adjungant, quot & ad Sacramenta Parochianis administranda, & ad cultum Divinum satis esse possint. Ideo hæc Synodus mandat, ut in iisdem Ecclesiis Capellanias obtinentes, quos ex originali vel authentica fundationis copia ad personalem residentiam & ad Pastori in

(s) Conc. Trid. ubi supra. (t) Ibid.

(u) Seff. 21. c. 4. de Reform.

in prædictis cooperandum obligari constet, huic obligationi satisfaciant. Verum, quia vix ulla ejusmodi fundationis copia, multoque minus ipsum originale, haberi potest: rogat hæc eadem Synodus Patronos aliarum Capellaniarum in iisdem Ecclesiis fundatarum, quarum scilicet fundationes vel non reperiuntur, vel possessorem ad personalem residentiam non obligant, ut onus personalis residentiæ, & Pastori in Sacramentis administrandis, Divinisque Officiis obeundis subserviendi, iisdem Capellaniis annecti, utque Capellanis residentibus non desit, unde vivant, plures ejusmodi Capellanias debite uniri, permittant. Et, ubi hoc fieri aut obtineri non poterit, Pastores bene dotati, & numerosum populum habentes, tot Sacerdotes suo sibi sumptu adjungere compellantur, quot ad Sacramenta Parochianis administranda, & ad Divinum cultum satis esse possint.

CAPUT IV.

Quodvis Sacramentum administraturus, magna cum religione id præstet, ac singula verba, præsertim quæ ad formam pertinent, tractim ac distincte pronunciet.

CAPUT V.

Simulatque Pastor aliquem e suis Parochianis de hæresi non temere suspectum ægrotare cognoverit, eum accedere non differet, etiam non vocatus; agetque cum eo candide & aperte, indicando suspicionem hæreseos, qua laborat; & discrete proponet, quæ ad resipiscentiam & contritionem excitandam facere judicabit; exigetque ab eo Fidei professionem; & ad piam Sacramentorum susceptionem inducere conabitur. Et si ita monitus, debitam Fidei professionem emittere, ac Sacramenta suscipere pertinaciter recusaverit, eidem morienti Ecclesiastica denegabitur sepultura: ita tamen ut Ordinarius ante consulatur, si res tantam moram patiatur.

CAPUT VI.

Archi-Presbyteri, seu Decani Christianitatis quotannis ab Ordinario suo sanctum Chrisma, & sacra Olea tempestive petent, & per honestum Clericum in Sacris constitutum in mundis vasculis, iisque argenteis, vel stanneis, non autem testaceis aut vitreis, ad locum residentiæ suæ ferri curabunt. Et mox Pastores singuli ab Archi-Presbytero suo, vel ex ea Ecclesia unde consueverunt, per se, vel alium Sacerdotem, aut saltem Diaconum, vel Subdiaconum, in similibus vasculis sanctum Chrisma, & sacra Olea reverenter ad Ecclesiam suam deferent.

CAPUT VII.

Sanctum Chrisma, & sacra Olea fideliter a Parochis, & aliis custodiantur: & nemo ea sub prætextu medicinæ, vel maleficii tollendi, alicui tradere præsumat. (x) Claves quoque armarii, in quo ea custodiuntur, sicut & Tabernaculi Sanctissimi Sacramenti & fontis Baptismalis, Pastor ipse diligenter asservet, nec alteri non-Sacerdoti eas committat.

CAPUT VIII.

Episcopi sanctum Chrisma & sacra Olea in tanta quantitate consecrent, ut iis oleum non-consecratum nunquam vel raro admisceri debeat. Et si quando necessum fuerit admisceri, guttatim hoc fiat; quantitasque ejus, quod una vel pluribus vicibus infundetur, semper minor sit prima quantitate olei consecrati.

TITULUS VIII.

De Sacramento Baptismi.

CAPUT I.

Fons Baptismalis honesto semper operculo tegatur, ne quid sordium in eum possit incidere, seraque insuper muniatur, & dum novæ aquæ consecrandæ sunt, veteres in piscinam infundantur.

CAPUT II.

Si alicubi aquas sacri Fontis corrumpi, vel marmoreum ejus vas gelu vel aliter findi, atque ita aquas effluere contigerit; Parochus non expectato Sabbato Sancto vel vigilia Pentecostes, novas aquas quam citissime consecret, juxta formam in Manuali Diœcesano, vel Rituali Romano (y) præscriptam: &

(x) Pontific. Rom. (y) Rituale Pauli V.

& vas plumbo prius obduci, vel novum comparari curet.

CAPUT III.

Etsi jam olim certum ac definitum sit, Baptismum ab hæreticis collatum esse validum, quando nimirum, juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ baptizant: Si tamen, præmonito Episcopo, & factis diligentiis, adfuerit dubium, an hujusmodi ritu S. R. E. servato Baptismus sit collatus, iterum sub conditione baptizetur.

CAPUT IV.

Nemo extra Ecclesiam Parochialem, ubi sacri Fontes sunt, baptizare audeat; nisi in necessitate, aut Principum liberos. (z)

CAPUT V.

In necessitate domi baptizato cæremonias, quæ tunc defuerunt, postea in Ecclesia Pastor adhibeat. Et si alius domi ad Baptismum, alius in Ecclesia ad Catechismum, exorcismumque adhibitus sit Patrinus, utriusque nomen in librum baptizatorum ita referatur: *Susceptor in Baptismo* N... *Susceptor in Catechismo & Exorcismo* N.... qui tamen nullam cognationem spiritualem contrahit, sed is tantum, qui Susceptor fuit in Baptismo.

CAPUT VI.

Qui per Procuratorem infantem e sacro Fonte suscipit, cognationem spiritualem contrahit, & non Procurator: eoque casu uterque libro baptizatorum inscribatur hoc modo: N... *nomine* N...

CAPUT VII.

Monachi, etsi Abbatiali fulgeant dignitate, de Baptismo aliquem suscipere, compatresque aut commatres habere sacris Canonibus (*a*) prohibentur. Quare nec per Procuratorem ejusmodi cognationem contrahere ipsis licet.

CAPUT VIII.

Meminerint Pastores sibi non licere sine exorcismo, & alia solemnitate debita aliquem baptizare extra casum necessitatis: utpote, si infans peste laboret, aut eo nomine suspectus sit, quia ex matre pestifero morbo laborante natus sit.

CAPUT IX.

Ubicumque Pastores duas habent Ecclesias, unam scilicet principalem, & alteram secundariam, quæ vulgo Succursus vocatur, ne infantem, dum ex loco Succursus ad Ecclesiam principalem (quæ sæpe longe distat) baptizandus defertur, in itinere mori contingat: permittit hæc Synodus, ut in Ecclesiis Succursuum de consensu Pastoris, sine præjudicio Ecclesiæ principalis, sacri Fontes erigantur.

CAPUT X.

Nulla deinceps ad obstetricandi officium admittatur, quam & materiam, & formam Baptismi probe nosse Pastori non præconstiterit. Et quoad eas, quæ jam sunt admissæ, Pastor easdem desuper examinet, ac ignorantes debite instruat; curetque pueros baptizandos intra diem tertium sibi denunciari.

CAPUT XI.

Rogetur Obstetrix, dum ad Ecclesiam infans baptizandus defertur, an eum baptizarit: si affirmet, rogetur, quam materiam, & cui corporis parti adhibuerit, an ipsa formam pronunciarit, & quo modo. Si post hæc, Obstetricis conditione, respondendi modo, & aliis circumstantiis consideratis, nullum sit Sacerdoti morale dubium, quin Baptismus rite sit collatus, abstinens a Baptismo, solemnitates dumtaxat suppleat: si vero in Baptismi substantia erratum fuisse deprehenderit, absolute infantem baptizet. Si aliquod ei de valore Baptismi morale dubium vel hæsitatio superfuerit, sub conditione Baptismum conferat.

CAPUT XII.

Caveat Baptizans, (*b*) ne aqua capiti infantis infusa in Fontem recidat; sed aliquo vase recepta in Baptisterii sacrarium effundatur, ut pericula contagii & morborum vitentur.

CAPUT XIII.

Parochus ob id, quod puer baptizandus sit illegitimus, vel ex parenti-

 bus

(z) Clement. unic. De Baptismo.
(*a*) Dist. 4. can. 103. & 104. de Consec.
(*b*) Rituale Rom.

bus pauperibus & exteris casu illic natus, nullusque pro ejus alimentatione fidejussor se offerat, ipsum baptizare non recuset, nec differat: etiamsi Magistratus loci, vel alii quicumque ob prædictas, vel alias causas puerum baptizari prohibeant.

CAPUT XIV.

Baptizans ipse, manu propria nomina & cognomina uniuscujusque baptizati, illiusque patris & matris, susceptoris & susceptricis, registro inscribat, sub forma sequenti:

Tali *die*, talis *mensis*, talis *anni*, *per me infra-scriptum baptizatus*, vel *baptizata est*, N. *filius*, vel *filia* N. N. *&* N. N. (exprimendo nomen & cognomen utriusque parentis) *Susceptor fuit* N. N. *Susceptrix* N. N.

Et hoc registrum quot annis Visitatori exhibeatur. Quando tamen infans non est legitimus, & de altero parente tantum publice constat, illius tantum nomen & cognomen scribatur. Porro, si de neutro parente publice constiterit, ita scribatur:

Baptizavi infantem, cujus parentes ignorantur, natum tali *die*, talis *mensis*, talis *anni. Susceptor fuit* N. N. &c. ut hac ratione omnis infamiæ vitetur occasio, prout ordinat Rituale Romanum PAULI Quinti.

CAPUT XV.

Si expositus sit infans, exprimatur quo die, ubi, & a quo repertus, & quot dierum verisimiliter sit: & baptizetur sub conditione, si ignoratur fuisse baptizatum. (*c*)

TITULUS IX.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

Episcopis hoc Sacramentum administraturis non tantum illic, ubi illud conferent, at in locis quoque vicinis ejusdem Diœcesis, hoc ipsum tempestive publicetur.

CAPUT II.

Episcopi Sacramentum Confirmationis administraturi, aliquot ante diebus curent per Parochos populum de sequentibus diligenter moneri: in primis, de dignitate, vi & effectibus hujus Sacramenti: de confessione præmittenda ab iis, qui erunt confirmandi, si ad discretionis annos pervenerint: de prohibita ejusdem Sacramenti iteratione sub pœna sacrilegii, eo quod imprimat characterem: denique de patrinis aut matrinis necessariis non minus, quam in Baptismo, ut proinde singuli puerorum ab aliquo præsentandi adducantur, mares quidem quoad fieri poterit a viris, & puellæ a mulieribus, quorum etiam officium Parochus declaret, nempe quod eorum puerorum, quos susceperint, tanquam filiorum spiritualium curam gerere, eosque prima Fidei rudimenta docere debeant, si ea ignorent. Qui quidem Susceptores ipsi antea sint sacro Chrismate confirmati, majores quoque natu iis, quos præsentant, aut suscipiunt, cum minor majori monendo aut corrigendo patris vice esse non possit. Moneantur etiam de conferendis mundis linteis justæ longitudinis, ut fronti & capiti circumcingi possint. (*Conc. 2. Prov. Tit. 7. cap. 1.*)

CAPUT III.

Qui in Baptismo Patrinus esse prohibetur, nec in Confirmatione esse potest.

CAPUT IV.

Dubitantes, an hoc Sacramentum aliquando susceperint, causas dubitandi Episcopo exponant, ut sub conditione confirmentur, (si is ita fieri debere judicaverit.)

TITULUS X.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

Statuit S. Synodus Tridentina (*d*) nullum Presbyterum, etiam Regularem, posse confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopo idoneus judicatus ejusdem approbationem obtineat, privilegiis, & consuetudine quacumque immemoriali non obstantibus. Itaque ejusmodi Beneficium vel approbationem non habentes, confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, excipere non præsumant, extra mortis articulum.

CA-

(*c*) Rituale Rom. Pauli V.

(*d*) Sess. 23. c. 15. de Reform.

CAPUT II.

PIUS V. Constitutionem INNOCENTII III. de qua in C. *Cum infirmitas.* ✠ *De pœnit. & remiss.* innovando (*) statuit, ac decrevit sub excommunicationis & aliis gravissimis pœnis, ut Medici ad infirmos in lecto jacentes vocati, ipsos ante omnia moneant de confessione peccatorum facienda, & inobedientes tertio die ulterius non visitent. Cumque hoc ipsum exacte servari salus animarum deposcat; quatenus opus sit, imploretur etiam brachium Regis Catholici, ut ab omnibus & singulis Medicis præsentibus & futuris juramentum præstari jubeat, quo id facturos se promittant; & contravenientes debite puniantur.

CAPUT III.

Ad audiendas confessiones debite admissus, aliorum confessiones excipere non præsumat, quam in quos ordinariam, vel delegatam habet jurisdictionem. Et is, qui non absolute, sed pro certo loco tantum admissus est, sciat se alibi etiam cum consensu Pastoris confessiones excipere non posse.

CAPUT IV.

Ubi necdum erecta sunt confessionalia, quæ Confessarium a pœnitente asserculo cancellato, ac pœnitentem a sequentibus alio asserculo disjungant, fiant intra quatuor menses post publicationem Statutorum hujus Synodi, expensis fabricarum, eademque in loco patenti & aperto constituantur. Et nemo deinde absque licentia Ordinarii extra ejusmodi confessionalia, fœminarum confessiones audire præsumat, nisi in casu necessitatis, ita ut ab aliis conspici, non autem audiri possit, sub pœna arbitraria.

CAPUT V.

Confessarius fœminarum ægrotantium confessiones non audiat, ostio cubiculi, ubi illæ decumbunt, penitus clauso.

CAPUT VI.

Dum tenebræ sunt, nemo, nisi adhibito lumine, fœminarum confessiones excipiat.

CAPUT VII.

Confessarius sedens confessiones excipiat, quacumque etiam dignitate pœnitentes fulgeant : & non nisi cooperto capite, Sacramentalis absolutionis sententiam ferat.

CAPUT VIII.

Prudentes sint Confessarii in examinando pœnitentes, præsertim circa vitia carnis: ne indiscretis interrogationibus eos doceant peccata, quæ ignorant, vel aliter scandalizent.

CAPUT IX.

Habens facultatem absolvendi a reservatis, prudenter ea utatur, exponendo pœnitenti gravitatem peccatorum; sciatque se super irregularitatibus dispensare, aut a censuris & votis reservatis absolvere non posse, nisi id specialiter fuerit concessum.

CAPUT X.

Quilibet Confessarii, secundum præscriptum Concilii Tridentini, (e) quantum spiritus & prudentia suggesserit, convenientes satisfactiones injungant, habeantque præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.

CAPUT XI.

Occasiones propinquas peccandi mortaliter vitare nolentibus, beneficium absolutionis non impendatur.

CAPUT XII.

Neminem vero obligent Pastores, aliive Confessarii, ut perpetuo sibi soli, & non alteri confiteatur. Si quis id fecerit, gravissime puniatur. Et si hoc Statutum non ignorarit, ipso facto ab audiendis confessionibus sit suspensus, sive Sæcularis, sive Regularis is fuerit, etiam exemptus : & ejusmodi obligationem, etiam juramento vel voto firmatam, tanquam irrationabilem & indiscretam hæc Synodus irritam esse declarat, &, quatenus opus est, irritat.

CAPUT XIII.

Sigillum confessionis strictissime servandum esse, nemo ignorat. Illud ipsum ad ea se extendit, quæ occasione eorum,

(*) Vide supra. (e) Sess. 14. c. De Satisf. necess. & fructib.

eorum, quæ in confessione detecta sunt, post datam absolutionem a Confessariis interrogati pœnitentes vel repetunt, vel fusius enarrant. Ideo & ea non minus, quam alia in confessione dicta, secreta sunt habenda.

CAPUT XIV.

Nullus sæcularis, vel regularis Sacerdos præsumat usurpare formam verborum Absolutionis Sacramentalis, dum infirmo confert Indulgentias, nisi tum etiam confessionem ejus exceperit, & simul velit a peccatis absolvere.

CAPUT XV.

Episcopus ab audiendis confessionibus suspendat, aut omnino amoveat Confessarios, etiam Regulares jam approbatos, quos pro suæ conscientiæ religione viderit graviter offendere, & in eo munere non ita sincere & cum ædificatione se gerere, quemadmodum & tanti ministerii sanctitas postulat, & animarum salus deposcit.

TITULUS XI.

De Sacramento Eucharistiæ.

CAPUT I.

SCiat unusquisque fidelis, qui ad annos discretionis pervenit, quandocumque a Pastore idoneus judicabitur, se saltem in Paschate (quod juxta declarationem EUGENII Quarti Dominicam Palmarum & sequentes dies usque ad Dominicam in Albis inclusive comprehendit) in sua Ecclesia Parochiali communicare debere, nec satisfacere Ecclesiæ præcepto alibi communicando. Si qui vero a Parochia eo tempore abfuerint, domum reversi, intra quindenam, vel in Ecclesia sua Parochiali communicent, vel alibi se id præstitisse doceant. Neutrum facientes & quicumque alii præcepto Ecclesiæ de Communione Paschali non satisfacientes, postquam a Pastore moniti fuerint, Episcopo, ejusve Vicario denuncientur, ut secundum præscriptum Canonis: *Omnis utriusque sexus*, x. *De pœnit. & remiss.* in exemplum aliorum debite puniantur.

CAPUT II.

Parochi paulo ante tempus Paschale Parochianos diligenter instruant, non modo quasi præparatione ad Sacramentum Pœnitentiæ, verum etiam quanta reverentia & humilitate ad tremendum Eucharistiæ Sacramentum accedere debeant, quantaque illis supplicia sint parata, qui indigne suscipiunt.

CAPUT III.

Curent Parochi, ut mendici & vagi tempore Paschali in sua Parochia agentes communicent, eosque antea de requisitis ad dignam Confessionem & Communionem particulariter instruant.

CAPUT IV.

Præceptis Ecclesiæ de annuâ Confessione & Communione Paschali non satisfacientes, eleemosynis mensæ pauperum gaudere non merentur. Quare & satagant Pastores, ut illis pro aliqua parte, prima vice, & si se non emendarint, in totum deinde priventur, in exemplum aliorum.

CAPUT V.

Pastor sacram Eucharistiam ægrotanti administraturus, præmoneat, ut ejus cubiculum prius purgetur, mensaque mundo linteo, Cruce, luminaribus, & vasculo aquæ benedictæ instructa præparetur, in qua pyxis cum Sanctissimo Sacramento collocetur.

CAPUT VI.

Pastores, eorumque Vicarii, Venerabilis Corporis Christi Sacramentum ad ægrotos deferentes, superpelliceo vel alba, & stola sint induti; & Clericus superpelliceo vestitus, lumen & campanulam sonantem præferat, etiam quando frequentius eidem ægroto in eodem morbo administraretur. Insuper, ubicumque commode fieri poterit, sub honesto baldachino deferatur: omnibusque & singulis illud deferentibus, nec non iis, qui pro illo habendo contribuent, quilibet Episcopus in sua Diœcesi quadraginta dierum Indulgentias in Domino largitur. Nullusque omnino regularis vel sæcularis Sacerdos, etiam exemptus, illud occulte ad ægrotum deferre præsumat, nisi forte Episcopus ob justam causam aliud permiserit.

CAPUT VII.

Quando Parochus, dum per aspera & difficilia loca illi gradiendum est, unam

unam dumtaxat sacram Hostiam ad ægrotum defert; inane vasculum, occulte, silente campanula & sine lumine, exutus stola & superpelliceo, ad Ecclesiam referet; iis, qui comitati fuerint, præmonitis, unam dumtaxat sacram Hostiam ad ægrotum delatam fuisse.

CAPUT VIII.

Cum quis Sacerdoti Sanctissimi Corporis Domini Sacramentum ferenti obviam fit, flexis genibus tamdiu in adoratione permanebit, quoad ille cum Sacramento transierit, & ad id debite præstandum, si equo vel curru vehatur, ex eo descendet.

CAPUT IX.

Ultimo supplicio afficiendis, pridie, vel saltem quinque aut sex horis ante mortem, S. Eucharistia administretur, si ad eam recipiendam debite fuerint dispositi.

CAPUT X.

Peste affecto, statim ut confessus fuerit, etiam non jejuno S. Eucharistia pro viatico, & Sacramentum Extremæ Unctionis administrentur.

CAPUT XI.

Populo, postquam S. Eucharistiam sumpserit, vinum pro ablutione e calice consecrato ne præbeatur.

CAPUT XII.

Satagant Pastores, ut vascula, & pyxides S. Sacramenti ubique sint ex argento.

CAPUT XIII.

Tabernaculum Sanctissimæ Eucharistiæ tale sit, ut ipsa commode ex eo depromi possit: nihilque præter eam in eodem conservetur.

CAPUT XIV.

Curent Parochi, ut ante Tabernaculum Sanctissimæ Eucharistiæ continuo tam de nocte, quam de die lumen ardeat: & ubi facultates Ecclesiæ sumptum istum ferre non possunt, excitetur devotio Parochianorum ad liberaliter contribuendum, aut ex communi ærario, aut per particulares collectas. Et si alicubi nec hac quidem ratione continuum lumen haberi possit, recurratur ad Episcopum, qui pro sua prudentia judicabit, quomodo subveniendum. Hac ratione pro cæteris quoque diebus paulatim, per pia legata & fundationes, sufficiens oleum habendum sperari debet, maxime si Pastores serio ad id allaborent.

CAPUT XV.

Singulis septimanis, aut circiter, & (si humiditas loci requirat) etiam sæpius, species Sacramentales renoventur.

CAPUT XVI.

Advigilent Pastores, ut hostiæ tam majores pro Celebrantibus, quam minores pro Communicantibus, sint delicatæ, honesteque rescissæ, ac recenter coctæ, dum emuntur: utque conserventur in pyxidibus nullo malo odore infectis, & nunquam ultra mensem.

CAPUT XVII.

Ut occurratur defectibus, qui contingere possunt circa panem, qui in S. Eucharistiam est consecrandus, per Ordinarios, seu ab illis substitutos, in singulis suarum Diœcesium civitatibus ac oppidis deputetur aliquis, qui dictum panem ex optimo & purissimo tritico, ac ea, quæ illi præscribetur forma, exactissime conficiat, exacto prius juramento de officio fideliter præstando: neque liceat cuiquam Parocho, vel Sacerdoti, ab alio, quam sic deputato, sibi panem ad Missam celebrandam comparare, nisi forte ab aliquo Monasterio ei subministretur.

CAPUT XVIII.

Magna solicitudine ubique provideatur, ut vinum, in tremendo Sacrificio in Sanguinem Domini transubstantiandum, semper sit purum, & nullo modo acidum, aut cœptum corrumpi. Et cum re ipsa sæpe compertum sit vendi hydromel, siceram, vel liquorem mixtum ex utroque, aut similem pro vino Hispanico, vel alio; nemo deinceps hujusmodi vino, aut liquore ad celebrandum utatur, nisi certitudinem habeat, ipsum esse verum & purum vinum.

CAPUT XIX.

Ubi toties publicæ processiones cum Sanctissimo Sacramento instituuntur, ut nimia frequentia minuat reverentiam: Episcopi debitam moderationem adhibeant.

CAPUT XX.

Nemo concionetur, vel ſermonem habeat ante Sanctiſſimum Sacramentum publice expoſitum, capite coopertо.

CAPUT XXI.

Albæ, amictus, mappæ altarium, & alia benedicta, cum profanis linteis non laventur: & dum corporalia, & purificatoria mundantur, primæ lotionis aqua in piſcinam projiciatur.

TITULUS XII.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

IN primis, teſtimonia vitæ & probitatis morumque, adferri debent a ſingulis ordinandis: quæ ſignata ſint a Decanis Chriſtianitatis, ac deinceps ab eisdem Decanis clauſa & obſignata mittantur, ſub pœna rejectionis eorumdem, & non admiſſionis ipſorum ordinandorum. Si quis autem ſine literis illis venerit, is non admittatur, immo ne quidem examinetur. (*Conc.* 2. *Prov. Tit.* 10. *cap.* 1.)

CAPUT II.

Proclamationes promovendorum ad ſingulos Ordines, fiant juxta Decretum Concilii Tridentini: & qui de his (ſive Sæculares, ſive Regulares) fidem non fecerint in examine, rejiciantur. (*ibid. cap.* 2.)

CAPUT III.

Sæculares ad minores Ordines promovendi, ejusmodi teſtimonia adferant a Parocho, & Magiſtro Scholæ, quam frequentant: majoribus Ordinibus inſigniendi, ſi in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata reſideant, a Capitulo; ſi in Collegio vel Pœdagogio aliquo degant, ab illius Præſide; alioquin a proprio Parocho: & ſi Theologiæ vel Philoſophiæ dent operam, etiam a Profeſſore prætacta teſtimonia habere debeant.

CAPUT IV.

Religioſi, etiam Ordinum mendicantium, a Superiore ſuo ætatis ac vitæ, morumque probitatis teſtimonia in ſcriptis adferant, doceantque de Ordinibus ſuſceptis per literas a Secretario Epiſcopi expeditas, & ſigillo ejusdem Epiſcopi communitas, antequam ad altiorem Ordinem admittantur. Inſuper ad Subdiaconatum promovendi, declarent ſe libere, & ſine ulla coactione profeſſionem feciſſe aut ratam habuiſſe, illudque in regiſtro ordinatorum annotetur.

CAPUT V.

Epiſcopi ſubditos ſuos non aliter, quam jam probatos & examinatos, ad alium Epiſcopum ordinandos dimittent, juxta Decretum S. Concilii Tridentini. (*f*)

CAPUT VI.

Virtute literarum dimiſſorialium Clerico alterius Diœceſis majores vel minores Ordines collaturus, ſciat ſe cum eo ſuper interſtitiis temporum diſpenſare non poſſe.

CAPUT VII.

Tituli patrimoniales, & beneficiales ſint ſufficientes ad victum, judicio Epiſcopi, ideoque ad minimum, centum florenorum. Et qui canonicam inſtitutionem, & pacificam poſſeſſionem Beneficii non obtinet, ejus titulo non ordinetur.

Forma vero Juramenti, quod præſtare tenebuntur ii, qui patrimoniali titulo ad Ordines promovebuntur, ſit hæc:

Ego N. . . juro, quod in acquiſitione bonorum meorum patrimonialium, ad quorum Titulum ſum promovendus ad ſacros Ordines, nulla fraus aut dolus interceſſit, quodque illa vere poſſideo, neque in poſterum directe aut indirecte alienabo, niſi fuerit mihi de Beneficio Eccleſiaſtico æque ſufficienti proviſum; quo caſu id ipſum non faciam ſine conſenſu mei Epiſcopi, in literis ipſius alienationis ſpecialiter exprimendo. Beneficium autem, quod in dicti Tituli mei locum ſucceſſerit, ſine ſimili conſenſu non reſignabo. Ita me DEUS adjuvet, & hæc ſancta DEI Evangelia. Et alias ad præſcriptum ſacri Concilii Tridentini. (*Conc.* 2. *Provinc. Tit.* 10. *cap.* 4.)

CAPUT VIII.

Ordinandus Titulo patrimoniali, juramentum a Synodo præcedenti *hoc Tit. c.* 4. præſcriptum, de verbo ad verbum

(*f*) Seſſ. 23. c. 3. de Reform.

bum præstabit, nec antea literæ approbationis tituli expedientur: quæ & testabuntur præstitum fuisse. Simile juramentum, mutatis mutandis, præstabunt ordinandi Titulo beneficiali.

CAPUT IX.

Subdiaconatum suscepturi, vitæ rationem, cui se illum suscipiendo sancte obstringunt, diligentius perpendant. Utque omnis ante-actæ vitæ peccatorum accuratam confessionem præmittant; & Diaconi ad Sacerdotii gradum accessuri, paulo ante in loco semoto, ab omnibus curis & occupationibus liberi, exercitia spiritualia obeant, utrosque hæc Synodus hortatur in Domino.

CAPUT X.

Ne quis forte a susceptione Ordinis Sacerdotii ab Episcopo rejectus, ad confusionem apud suos evitandam, ministerium Sacerdotale, quod non accepit, sacrilega temeritate usurpare attentet; mandat hæc Synodus, ut celebratio Primitiarum nemini permittatur, antequam Superiori Ecclesiastico sæculari vel regulari loci, ubi quis eas celebrare intendit, literas suscepti Sacerdotii exhibuerit.

TITULUS XIII.

De Sponsalibus & Matrimonio.

CAPUT I.

ETsi Sponsalia de futuro a Concilio Tridentino sint intacta, ea tamen ad diversa inconvenientia evitanda inter alienos Parochianos coram se contrahi Parochus non permittat, sub pœna arbitraria, nisi de Ordinarii, vel proprii Parochi consensu fidem fecerint.

CAPUT II.

In taberna quoque Sponsalia contrahere volentibus Parochus non assistat, & nullis unquam potu captis.

CAPUT III.

Satagant Pastores, ut Matrimonium contrahere volentes, si non sint confirmati, curent se confirmari, antequam illud contrahant: sciantque Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, præceptaque Decalogi & Ecclesiæ.

CAPUT IV.

Parochi Sponsos, & Sponsas hortentur, ut, antequam contrahant Matrimonium, peccata sua diligenter confiteantur, & Sacramentum Eucharistiæ pie sumant; utque ante Sacerdotalem Benedictionem in eadem domo non habitent. (*g*)

CAPUT V.

Decretum Concilii Tridentini, (*h*) irritans & annullans Matrimonia, quæ aliter, quam præsente proprio alterius contrahentium Parocho, vel alio Sacerdote de ejusdem Parochi, vel Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus contrahuntur, in omnibus & singulis Ecclesiis Parochialibus totius Provinciæ intra proximum semestre denuo publicetur: omnesque Decani Christianitatis & alii Visitatores, in prima visitatione tempus illud subsequente, serio ubique inquirent, num id præstitum sit, & in actis visitationis singularum Ecclesiarum expresse annotabunt, an huic Mandato satisfactum sit, necne.

CAPUT VI.

Matrimoniis vagorum, & qui certam sedem non habent, non possunt Parochi interesse, ad præscriptum S. Concilii Tridentini *C.* 7. *Sess.* 24. *de Reform. Matrim.*

CAPUT VII.

Si Parochus Sponsam, vel Sponsum non libere, sed coacte ad Matrimonium procedere adverterit, nec ipse eos Matrimonio jungat, nec alteri ad hoc vices suas committat, sub pœna suspensionis ab officio & beneficio.

CAPUT VIII.

Matrimonii denunciationes a Parochis fiant, cum vir & mulier, eorumve parentes, vel ii, qui puellæ curam habent, id postularint.

CAPUT IX.

Proclamationes Matrimoniorum tribus continuis Dominicis vel aliis Festivis diebus licite fiunt, juxta Decretum Concilii Tridentini. (*i*)

CAPUT

(*g*) Conc. Trid. Sess. 24. c. 1. de Reform. Matrim.

(*h*) Ibidem.

(*i*) Ibidem.

CAPUT X.

Quo die de Matrimonio contrahendo denunciatio ultima facta est, eo ipso die illud non celebretur, nisi is novissimus dies sit ante Quadragesimæ aut Adventus initium.

CAPUT XI.

Si quando dispensatio super bannis, seu denunciationibus matrimonialibus impetretur; ea, sicut & reliquæ omnes dispensationes Ordinario ostendantur, (k) priusquam executioni mandetur. Et qui aliter eam exequi præsumpserit, debite puniatur.

CAPUT XII.

Ex omissione proclamationum, quas Concilium Tridentinum Matrimonii celebrationi præmittendas saluberrime præscribit, gravia incommoda enasci pronum est: propterea statuit hæc Synodus, ut raro, & non nisi ex justa & legitima causa, in iis dispensetur.

CAPUT XIII.

Quia Matrimonia inconsulta, & præcipiti juventutis fervore inita, infelices sortiri solent exitus, stricte præcipitur omnibus, præcipue autem Universitatum, & similium locorum Parochis, ut si hujusmodi Matrimonia præter parentum voluntatem contrahi conspexerint, non statim intersint, sed consulto prius Ordinario; qui scandalis & malis, quæ inde forsan provenire possent, occurret.

CAPUT XIV.

Cum ex longa conjugis absentia non resultet certitudo de ejus obitu, & mors non præsumatur, sed probanda sit: ad secundas nuptias convolare desiderans, Matrimonio non jungatur, nisi probato prius legitime obitu conjugis.

CAPUT XV.

Non sunt ferendæ in quibusdam locis depravato morum usu introductæ corruptelæ, ut a nubentibus, præsertim viduis ad secundas nuptias convolantibus, vel ex aliena Parochia uxorem ducentibus, pecunia extorqueatur. Ideoque Episcopi eas, & quascumque alias a Christianæ pietatis institutis, & Matrimonii, quod celebratur, sanctitate alienas, extirpari & funditus tolli curent, etiam invocato (si necesse fuerit) auxilio brachii sæcularis.

CAPUT XVI.

In Ecclesia Parochiali tantum, & mane seu ante prandium, Matrimonium celebretur: nisi Episcopus aliud permiserit.

CAPUT XVII.

Quilibet Pastorum impedimenta Matrimonii exacte nosse & in memoria habere studeat, & subinde in concionibus ea populo declaret.

CAPUT XVIII.

Impedimento aliquo denunciato, etsi postea a denunciante fuerit revocatum, vel Matrimonio desponsorum oppositione aliqua facta, Parochus ad ulteriores proclamationes non procedet, & multo minus ad Matrimonii solemnizationem, antequam re ad Ordinarium, ejusve Officialem delata, sibi hoc permitti cognoverit.

CAPUT XIX.

Registrum Matrimonio junctorum non per Clericum, sed per Pastorem, ejusve Vicarium conscribetur, sub forma sequenti:

Pastor hujus Ecclesiæ, vel *N.N.* (exprimendo nomen & cognomen Sacerdotis) *de expressa licentia Episcopi,* vel *Pastoris,* tali *die,* talis *mensis,* talis *anni, Matrimonio junxit N. N. & N. N.* (exprimendo nomen & cognomen Sponsi, & Sponsæ) *Parochianos hujus Parochiæ,* (& si alter fuerit alterius Parochiæ, id quoque scribetur, & Parochia nominabitur) *præsentibus N.N. & N.N.* exprimendo nomina & cognomina testium.

CAPUT XX.

Omnes & singuli Decani Christianitatis, & alii Visitatores, quotannis in visitatione singularum Ecclesiarum Parochialium, librum Matrimonio junctorum examinent, videantque, an nomina & cognomina eorum, & testium, diemque ac locum contracti Matrimonii contineat: & si quem errorem adverterint, debite corrigi curent.

TITU-

(k) Conc. Trid. Sess. 24. c. 5. de Reform.

TITULUS XIV.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT I.

PAstores non modo subditos suos subinde e suggestu moneant susceptionem hujus Sacramenti non esse ad extremum differendam, sed insuper ægrotos diligenter visitent, etiam non vocati, satagantque, ut sensibus & usu rationis adhuc integris, illud sibi administrari petant, atque ita uberiorem ejus fructum percipiant.

CAPUT II.

Pastores subinde populum doceant, hujus Sacramenti susceptione non imminui spem convalescendi, nec adimi potestatem testamento, vel aliter de bonis temporalibus disponendi. Et si forte alicubi statuto, vel usu introductum sit contrarium, declarat hæc Synodus ejusmodi statutum non esse rationi & æquitati consonum, nec obligatorium, talemque consuetudinem etiam immemorialem pro corruptela habendam esse, utpote causam, cur tam salutaris Sacramenti susceptio a pluribus ad extremum vitæ spiritum differatur, iique interim effectus Sacramenti non percipiant, & non pauci sine eo moriantur.

TITULUS XV.

De Funeribus, Sepulturis & Exequiis.

CAPUT I.

USurarium manifestum, etsi per testamentum usuras restitui mandaverit, nemo tamen ad Ecclesiasticam sepulturam admittat, nisi actualiter, & prout facultates tulerint, usuras restituerit, vel de iis restituendis idonee caverit, juxta Constitutionem GREGORII Decimi, (*l*) sub pœna Canonum.

CAPUT II.

Eos etiam, qui in duello mortui sunt, quosque insuper novissima Synodus secundum Canonicas Sanctiones Ecclesiastica sepultura privandos esse (*m*) declaravit; nemo in loco sacro sepelire audeat, sub pœnis Canonum, Constitutionis CLEMENTIS Octavi, & aliis arbitrariis.

CAPUT III.

Extra duellum occisorum, & in loco sacro sepultorum exequiæ non differantur: Et ubi contraria est consuetudo, eam ut irrationabilem & irreligiosam hæc Synodus detestatur.

CAPUT IV.

Infantes sine Baptismo decedentes, non sepeliantur in loco sacro, nec in parentum, vel aliorum privatorum hortis, sed communis aliquis locus juxta cœmeterium, eorum sepulturæ deputetur.

CAPUT V.

Infantes post Baptismum defuncti, non nisi præsente Pastore, aut alio Sacerdote de ipsius licentia, & cum hymnis, ac cæremoniis ab Ecclesia præscriptis, sepeliantur.

CAPUT VI.

Cum pie speretur corpora in Fide Catholica defunctorum, ad gloriam resuscitanda: æquum est, ut Christiana & honesta sepultura non careant: & si adeo pauperes illi obierint, ut quo ea procuretur, in bonis non reliquerint, eapropter ejusmodi pauperum sepultura sine Missa, duobus cereis ardentibus, & pulsu unius ex minoribus campanis non peragatur, sumptusque ille a mensis pauperum feratur.

CAPUT VII.

Parochus, intra cujus Parochiæ fines aliquis alienæ Parochiæ occisus est, ejus corpus libere alio transferri nullo prætextu prohibeat: nihilque ea de causa accipiat, nisi translatio ista cum funere fieret, quo casu liberum ei sit uti jure suo.

CAPUT VIII.

Cerei, funalia, intortitiave in funere ne extinguantur, nisi sacro Officio, etiam sepulturæ, absoluto & expleto.

CAPUT IX.

Dum in funere aut exequiis Defunctorum concio habetur, referat ea ad

(*l*) Cap. Quamquam. de Usur. in 6.

(*m*) Conc. Trid. Sess. 25. c. 19. de Reform.

ad humanam miſeriam fidelium oculis proponendam, omnesque ad vigilandum cohortandos. Abſtineatur vero ab immodicis & adulatoriis laudibus, nihilque dicatur, niſi quod certum ſit, & auditores ædificet.

CAPUT X.

Etſi jura funeralia per totam Provinciam nequeant eſſe uniformia, quod ea multis in locis ſint, magna pars congruæ portionis Paſtorum, alibi vero absque iis honeſte Paſtoribus ſit proviſum: curent tamen Decani Chriſtianitatis, & alii Viſitatores, ut eadem, & quævis alia jura Paſtoralia ſint certa in ſingulis Parochiis, agendo deſuper cum Paſtore, & Magiſtratu uniuscujusque loci, ac aliis, quos res tangit: & ſi alicubi communi conſenſu illa determinari non potuerint, id ipſum ad Epiſcopum referatur, ut ipſe ſuam auctoritatem interponat, etiam invocato (ſi opus fuerit) brachio ſæculari.

CAPUT XI.

Nemo ex ulla Eccleſia aut cœmeterio mortui corpus perpetuæ ſepulturæ traditum exhumare, vel aſportare audeat, (n) ſine permiſſione Epiſcopi in ſcriptis præobtenta.

TITULUS XVI.

De Oblationibus, Decimis, & Portione Canonica.

CAPUT I.

DEcretum Concilii Tridentini (o) contra ſubtrahentes, & non ſolventes Decimas, quod huic Capiti de verbo ad verbum ſubjungetur, ſæpe Concionatores populo inculcent, & ſingulis annis paulo ante meſſem omnes Parochi e ſuggeſtu publicare non omittant.

Non ſunt ferendi, qui variis artibus Decimas &c. (tenor habetur ſup.)

CAPUT II.

Cum in multis locis Paſtores, quibus olim de Portione Canonica tolerabiliter proviſum fuit, ob malitiam temporum & rerum omnium caritatem, ſufficientem modo vivendi competentiam non habeant, nec bovi trituranti os claudi debeat, æquum eſt, ut iis omnibus debite provideatur. Ideoque mandat hæc Synodus, ut omnes, qui ad portionem canonicam Parochis aſſignandam tenentur, per unionem Beneficiorum faciendam per Epiſcopum ad præſcriptum S. Concilii Tridentini (p) iisdem provideant infra quatuor menſes a die publicationis Decretorum hujus Concilii. Quod ſi id fieri non poſſit, Epiſcopi, ſeu eorum Vicarii, aut Officiales, ſummarie ea forma, quæ *hoc Titulo cap.* 7. præſcribitur, procedentes, quod ipſis Parochis deeſſe compererint ad ſummam inferius taxatam, per modum proviſionis, ſuper qua appellatio executionem non ſuſpendet, adjudicabunt.

CAPUT III.

Pro ſufficienti Paſtorum ſuſtentatione, curabit Epiſcopus, ſi per Beneficiorum unionem, non tamen Regularium, id fieri non poſſit, ut Primitiarum vel Decimarum aſſignatione, aut per Parochianorum ſymbola ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro eorum neceſſitate decenter ſufficiat.

CAPUT IV.

Taxa ſit in Pagis ducentorum ut minimum florenorum, & non major ducentis & quinquaginta: in Urbibus autem, non minor ducentis quinquaginta, & non major trecentis florenis. Porro in æſtimatione valoris bonorum cujusque Paſtoratus tam in Pagis, quam in Urbibus, habebitur ratio eorum accidentium, quæ tribus aut quatuor communibus annis ſimul computatis, aliqualiter ad ſuum valorem in ſingulos annos reduci poſſunt. Per hoc tamen Eccleſiis Parochialibus melius dotatis, nihil a Patronis, aut quibusvis aliis detrahi poſſe, hæc Synodus declarat.

CAPUT V.

Nulla nova Gazophylacia, vulgo *des Tronques*, in Eccleſia ponantur, ſine licentia Ordinarii loci.

CAPUT VI.

Puellæ pro ornatu Altarium, vel alia quacumque re, eleemoſynas in Eccleſia non petant.

CA-

(n) Rituale Rom.

(o) Seſſ. 25. cap. 12. de Reform.

(p) Seſſ. 24. c. 13. de Refor.

CAPUT VII.

Epiſcopi, ſeu eorumdem Vicarii, aut Officiales ſummarie & de plano ſine ſtrepitu & figura judicii, audita nuda petitione Parochorum, ac eorum, quorum intereſt, reſponſione, & facta deſuper ſummaria informatione, quod ipſis Parochis deeſſe compererint ad ſummam ſuperius taxatam, per modum proviſionis, ſuper qua appellatio executionem non ſuſpendat, adjudicabunt. Dicta autem Parochorum petitio continere debebit veram & certam, ſeu particularem bonorum ipſis ratione ſuæ Eccleſiæ Parochialis competentium & onerum annexorum (quæ deduci debebunt) proprio juramento firmatam declarationem; in qua ſi ipſi Parochi aliquid ſcienter ſuppreſſiſſe deprehendantur; & cauſa cadant, & graviter arbitrio Ordinarii puniantur. Decimarum tamen aſſignationes ita fiant, ut onerum uniuſcujusque æqua ratio habeatur. (*Conc.* 2. *Prov. Tit.* 14. *cap.* 6. *&* 7.)

TITULUS XVII.

De recta bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratione.

CAPUT I.

IN eo, quod decernitur, de alienationibus bonorum Eccleſiaſticorum, quæ ſine Decreto & cauſæ cognitione factæ ſunt, revidendis & irritandis: de omnibus & ſingulis, quæ in commiſſionibus Apoſtolicis ad decretum alienationis interponendum præſcribuntur, exacte ſervandis: de non faciendis elocationibus, ultra tempus legitimum: de bonis Eccleſiarum Parochialium, Capellaniarum, & piorum locorum, non niſi præmiſſis proclamationibus & publice elocandis: de piis fundationibus ad alios etiam pios uſus per Adminiſtratores non convertendis: & de Concilii Tridentini Decretis quoad Hoſpitalia, & alia pia loca executioni mandandis, ſtricte præcipit præſens Synodus obſervari Statuta & Decreta Eccleſiaſtica.

CAPUT II.

Decretum Concilii Tridentini (*q*) contra occupatores quorumcumque bonorum & jurium Eccleſiaſticorum, ſubinde populo per Parochos, & alios Concionatores inculcetur, eumque in finem de verbo ad verbum hic ſubjungitur.

Si quem Clericorum vel Laicorum, &c. (omittitur tenor, quia habetur ſupra.)

CAPUT III.

Poſſeſſores quorumcumque Beneficiorum literas fundationum eorumdem, Archi-Presbyteris, vel aliis, quorum viſitationi ipſa Beneficia ſubſunt, intra trimeſtre poſt publicationem præſentis Synodi exhibebunt, & copiam authenticam relinquent: vel, ſi eas ſe habere negent, juramento ſe deſuper expurgabunt.

CAPUT IV.

Rectores quarumcumque Eccleſiarum Parochialium, Perſonatusque & Capellanias obtinentes, intra ſemeſtre a publicatione hujus Synodi, Decano Chriſtianitatis, vel alteri Viſitatori, tradant plenam & perfectam declarationem omnium & ſingulorum bonorum ac fructuum ad ſua Beneficia ſpectantium, a ſe ſubſignatam & juramento firmatam, cum debita deſignatione quantitatis terminorum, & hypothecarum, nec non cenſuum, redditUum & quorumcumque onerum, quibus bona illa gravantur. Deinceps quoque collationem ſimilium Beneficiorum accepturi, hoc ipſum intra annum præſtabunt, & ſe præſtituros jurabunt, antequam poſſeſſionem accipiant: quod ſi qui præſtare neglexerint, bona eorum arreſtentur, etiam invocato auxilio brachii ſæcularis, ſi neceſſum fuerit.

CAPUT V.

Ne bona beneficialia, ob reditus, & cenſus, quibus ea gravantur, non ſolutos, in controverſiam cum damno Eccleſiæ trahi contingat, quilibet Beneficiatus omnia onera bonis ſui Beneficii incumbentia ſe perſolviſſe, tempore viſitationis per apochas, vel aliter ſufficienter docebit, ſub pœna arbitraria.

CAPUT VI.

Ubi nulla, vel imperfecta ſunt regiſtra bonorum fabricarum, menſarum pauperum, aliarumque piarum fundationum,

(*q*) Seſſ. 22. c. 11. de Reform.

tionum, ea intra annum debite fiant, aut perficiantur, cum debita designatione quantitatis & limitum quoad terras arabiles, prata, vivaria, & similia, nec non hypothecarum quoad census, & reditus. Ubi quoque ejusmodi registra nunc sunt, sed a quindecim annis renovata non fuerunt, intra annum proximum & deinde singulis quindecim annis, debite renoventur.

CAPUT VII.

Computus fabricarum, mensarum pauperum, omniumque piorum locorum singulis annis, vel saltem bienniis debite reddantur, & ad hoc certi dies ubique constituantur. Episcopus quoque vel quem is deputaverit, illos auditurus, examinatis præcedentibus computibus videat, num eorum conclusiones debite purgatæ, seu reliqua eorum plene soluta sint: utque omnia debite administrentur, diligenter advigilet.

CAPUT VIII.

Quia injuria temporum multa interciderunt munimenta bonorum Ecclesiasticorum, mandat hæc Synodus universis Beneficiatis hujus Provinciæ, ut singuli conficiant sibi Manuale, in quo sibi factas solutiones bonorum sui Beneficii debite annotent, illudque & Visitatori quotannis exhibeatur, & Successoribus gratis relinquatur.

CAPUT IX.

Elocationes bonorum Ecclesiasticorum anticipatis solutionibus non fiant. Et si fieri contigerit, nullatenus in præjudicium Successorum validæ intelligantur, quocumque indulto vel privilegio non obstante, ut decrevit Concilium Tridentinum. (r)

CAPUT X.

Census & reditus caponum, anserum, quorumcumque granorum, olei, halecum, ceræ & similes, qui Beneficiis, fabricis Ecclesiarum, mensis pauperum, Hospitalibus, & quibuscumque aliis piis locis debentur, non in certa semper, & eadem quantitate pecuniæ solvi permittantur.

CAPUT XI.

Munimenta bonorum fabricarum, Ecclesiarum Parochialium, & mensarum pauperum, sub tribus distinctis clavibus conserventur, & una earum sit penes Pastorem.

CAPUT XII.

In qualibet Ecclesia Parochiali & Capella, fiat Inventarium omnium ornamentorum & utensilium ejusdem Ecclesiæ & Sacelli, subsignandum ab eo, cui illorum custodia committitur: qui & idoneam cautionem præstabit de illis fideliter custodiendis, dum requiretur. Et quandocumque aliquid novi ornamenti vel supellectilis accedet, id ipsum Inventario ascribetur.

CAPUT XIII.

Visitatores Ecclesiarum Parochialium visitabunt etiam quotannis domos Pastorales & Capellaniarum, & quando eas reparatione indigere advertent, mox eam fieri jubebunt: & non-obedientes Episcopo, vel alteri, ad quem spectat, denunciabunt, ut ad debitas reparationes compellantur, & pro præterita negligentia puniantur. Et si vivente Pastore, qui fructus per aliquod tempus considerabile perceperit, ejusmodi reparatio facta non fuerit; ad eam hæredes urgeantur, & Decanus Christianitatis tamdiu bona defuncti sub arresto teneat, donec dicta reparatio integre facta fuerit.

CAPUT XIV.

Hospitalia pro peregrinis erecta, aleatoribus, histriônibus, aliisque id generis hominibus non pateant, & in iis mares cum fœminis, etiam prætextu Matrimonii, versari ne permittantur.

CAPUT XV.

In distribuendis eleemosynis mensarum pauperum, omnis humanus affectus seponatur, nec iis gaudeant, nisi qui vere sunt pauperes: neque tamen solius paupertatis, sed morum etiam & vitæ probitatis ratio habeatur. Quo in genere inter cætera de illis investigetur, an doctrinæ Christianæ Scholas frequentent, aut ad eas liberos suos mittant, an Fidei prima rudimenta teneant, & an religiose ac pie vivant.

CAPUT XVI.

Executores ultimarum voluntatum, pia legata a testatore relicta solvere

(r) Sess. 25. c. 11. de Reform.

vere negligentes, a Paſtore loci deſuper ſerio moneantur. Ita moniti, & intra annum non ſatisfacientes, Epiſcopo, ejusve Vicario denuncientur; qui eos etiam per cenſuras compellet.

TITULUS XVIII.

De vita, habitu & honeſtate Clericorum.

CAPUT I.

QUæcumque in ſacris Canonibus & Concilio Tridentino de vitandis comeſſationibus, ebrietate, tabernis, luſu alearum, choreis, & fidejuſſionibus cum renunciatione privilegii Clericalis, de ſervanda frugalitate, modeſtia & caſtitate, de tonſura Ordini & gradui congrua, & ſemper conſpicua habenda, de pœnis non legentium Horas Canonicas, & de ſimilibus, ſalubriter ſtatuta ſunt, ea omnia hæc Synodus ſervari præcipit, additque ea, quæ ſequuntur.

CAPUT II.

Quoniam mundana curioſitas quotidianas adinvenit levitates, omnis ille habitus quibuslibet Eccleſiaſticis perſonis interdictus ſit, a quo Epiſcopus abſtinendum mandarit. Et qui ab Epiſcopo moniti, etiam per Edictum publicum, honeſtum habitum Clericalem non geſtaverint, per ſuſpenſionem ab Ordinibus, Officio & Beneficio, ac fructibus & redditibus, ac proventibus ipſorum Beneficiorum, nec non ſi ſemel correpti iterum in hoc deliquerint, etiam per privationem Officiorum & Beneficiorum, per ſuos Ordinarios coerceantur. (*s*)

CAPUT III.

Meminerint Sacerdotes dignitatis ſuæ, & ad ea officia ſe non abjiciant, quæ illam imminuere & contemptum apud Sæculares parere poſſint.

CAPUT IV.

Clerici beneficiati, vel in Sacris conſtituti, decimas, terras, prata, & ſimilia quæſtus faciendi gratia non conducant, neve ullam negotiationem ſæcularem exerceant: nec in profanis negotiis officium Tabellionis & Procuratoris faciant, ſub pœna arbitraria.

CAPUT V.

Meminerint Clerici ſe non ad inertiam & ignaviam, ſed ad ſpiritualis & Eccleſiaſticæ militiæ labores vocatos eſſe; ideoque non in rerum ſæcularium colloquiis, profanisque actionibus, ſed in Eccleſiis frequentandis, Divinis Officiis obeundis, Divinarum Literarum ſtudiis, rerum cœleſtium meditationibus, & ſanctis piisque officiis tempus traducant.

CAPUT VI.

Quilibet Clerici beneficiati, quamdiu in Sacris non fuerint, in quatuor ſaltem majoribus Feſtivitatibus anni ſacram Euchariſtiam reverenter ſumant, ſalva conſuetudine earum Eccleſiarum, ubi frequentior Communio eſſe ſolet.

CAPUT VII.

Sacerdotes ſaltem Dominicis & Feſtis ſolemnibus Miſſam celebrent. (*t*)

CAPUT VIII.

Nemo in Sacris conſtitutus barbam geſtet alatam. Inſuper quilibet Sacerdos ſuperius labrum ita ſemper reſciſſum habeat, ut Sanguinem Chriſti ſumpturo non ſit impedimento. (*Syn. Cam.* 1617. *c.* 5.)

CAPUT IX.

Nullus Clericus pila palmaria, globis, clava, aut ſimiliter ludat in loco publico, ſub pœna arbitraria.

CAPUT X.

Ab omni venatione, quæ cum armis, aut non ſine ſtrepitu ſit, Clericus abſtineat.

CAPUT XI.

Cum neces, & cruciamenta, ad quæ improbi homines condemnati ſunt, multitudini ſpectanda proponuntur, nulli Eccleſiaſtici Ordinis viri iis interſint, niſi eorum pia opera, conſolandique officium uſui futurum illis ſit, qui ad ſupplicium ducuntur.

CAPUT XII.

Sciat unusquisque, cui de Beneficio ad vitam honeſte ſuſtentandam eſt proviſum, ſe licite alterum Beneficium etiam

(*s*) Conc. Trid. Seſſ. 14. c. 6. de Reform.

(*t*) Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 14. de Reform.

etiam ſimplex habere (u) non poſſe ſine legitima diſpenſatione.

CAPUT XIII.

Sciat Clericus beneficiatus, vel in Sacris conſtitutus, ſibi non licere coram Judice laico teſtimonium dicere, ſine Eccleſiaſtici Superioris ſui (x) licentia, & in caſibus a jure permiſſis.

CAPUT XIV.

Concubinarii, ſi qui fuerint, (quod Deus avertat) vel ſuſpectam cum mulieribus conſuetudinem habentes, juxta Decreta Concilii Tridentini (y) & alias Canonicas Sanctiones debite puniantur. Et hujusmodi mulieres, ſi monitæ ab Ordinario, ſe ab eorum conſuetudine non ſeparaverint, extra oppidum vel Diœceſim, invocato etiam (ſi opus fuerit) brachio ſæculari, ejiciantur.

CAPUT XV.

Quanto magis Clericos decet manſuetudo & ſpiritus lenitatis, tanto gravius ſcandalum patitur populus, ſi eos viderit ad verbera venire. Eapropter quilibet ab omni percuſſione abſtineat, ſub pœna gravis & exemplaris correctionis. Et ſi percuſſio in tabernis, vel cultro, aut aliis majoribus armis facta fuerit, mox percuſſorem carceribus mancipari, recidivum a Divinis ſuſpendi, ac incorrigibilem Beneficio privari mandat hæc Synodus. (*)

CAPUT XVI.

Dici non poteſt, quam Simoniæ labes in Dignitatum, omniumque Beneficiorum tam ſæcularium, quam regularium proviſione & acquiſitione, ſacris Canonibus damnata ſit, quam incurri facilis, difficilis reparari. Omnes igitur, qui negotium proviſionis Beneficiorum, ſive in ſua, ſive in aliorum cauſa tractant, monet, atque obteſtatur hæc Synodus, ut omne pactum jure non permiſſum, etiam implicitum, ac tectum, quo illudi poteſt hominibus non Deo, ſumma ſolicitudine caveant. Quod ſi aliqui tam tetram labem contraxiſſe deprehendantur, in eos Judices Eccleſiaſtici pœnas a jure ſtatutas absque diſſimulatione exequantur.

CAPUT XVII.

Nullus Paſtor aliquem Eremitam intra limites ſuæ Parochiæ admittet, ſeu habitare vel agere patietur, etiam ad modicum tempus, niſi ei conſtiterit de prævia admiſſione, & conſenſu Epiſcopi. Et ſi quis extraneus Eremita, vel geſtans habitum Eremiticum ſcandalum dederit, mox eum, invocato etiam (quatenus opus ſit) brachio ſæculari, debite puniri, & ſcandalum impediri curabit.

TITULUS XIX.

De Epiſcopis, & Sede vacante.

CAPUT I.

MEminerint Epiſcopi ſe ad labores & ſolicitudines pro Dei gloria vocatos eſſe: & non ea, quæ mundi ſunt, ſed ſalutem animarum & cœleſtem patriam cogitantes, factis ipſis ac vitæ actionibus, quod eſt veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, ſe muneri ſuo conformes oſtendant: moresque ſuos ita componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, & quæ nos tantopere commendat Deo, ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint. (z)

CAPUT II.

Quæ in ſacris Canonibus & in Concilio Tridentino de viſitatione, ac reliquo Epiſcopali officio continentur, quilibet Epiſcopus diligenter legat, & exequi conetur.

CAPUT III.

Epiſcopus, quantum per occupationes Epiſcopales licebit, præſens adſit in examine ordinandorum, & ad Eccleſias Parochiales promovendorum, eorumque, qui ad confeſſiones audiendas, aut concionandum admitti volent.

CAPUT IV.

Cum excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmiſſis ad finem revelationis, aut pro deperditis, ſeu ſubtractis rebus ferri ſolent, a nemine pror-

(u) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 17. de Refor.
(y) Seſſ. 25. c. 14. de Reform.
(z) Seſſ. 5. c. 1. de Reform.
(x) C. Quamquam. & ibi gloſſ. penult. 14. q. 2.
(*) Vid. Syn. 1617. c. 4.

prorſus præterquam ab Epiſcopo decerni poſſint juxta præſcriptum Concilii Tridentini, (a) is merito literas earum non concedat, ubi probabiliter negligi, aut contemni dubitet.

CAPUT V.

Capitulum Sede vacante ſequetur Conſtitutionem Concilii Tridentini *Seſſ.* 24. *C.* 16. *de Reform.*

CAPUT VI.

Sicut non licet Capitulo, Sede vacante, infra annum a die vacationis ordinandi licentiam aut literas dimiſſorias ad Ordines, etiam minores, alicui, qui Beneficii Eccleſiaſtici recepti ſive recipiendi occaſione arctatus non fuerit, concedere (b), ſub pœna interdicti; ita quoque illud ſibi non licere meminerint, quicumque in jurisdictione Epiſcopi loco Capituli, Sede vacante, ſuccedunt. (c)

TITULUS XX.

De Capitulis & Canonicis.

CAPUT I.

SCiant Canonici ea, quæ ſuperius de vita, & honeſtate Clericorum ſtatuta ſunt, ad ſe quoque pertinere.

CAPUT II.

Si quæ in ſacris Canonibus & Concilio Tridentino ſpecialiter de Capitulis & Canonicis conſtituta ſunt, non ſatis ſerventur, præſens Synodus debite ſervari mandat.

CAPUT III.

Diebus Feſtis Capitula, ſeu congregationes Capitulares non habeantur, niſi ob urgentem cauſam.

CAPUT IV.

Decretum S. Concilii Tridentini (d) de tempore, ultra quod in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis abeſſe non liceat, exacte ubique ſervetur.

TITULUS XXI.

De Archi-Presbyteris, ſeu Decanis Chriſtianitatis, Paſtoribus & Cuſtodibus.

CAPUT I.

ARchi-Diaconi, ubi jus viſitationis habent, Decani Chriſtianitatis, & alii pro conſuetudine & more cujuscumque Diœceſis, officium Viſitatorum exercentes, ſinguli Eccleſias Parochiales, Capellas & Hoſpitalia, aliaque pia loca diſtrictus ſui, quotannis diligenter viſitent, actaque viſitationis nitide deſcripta, & a ſe ſubſignata intra tempus ab Ordinario præſcriptum, vel præſcribendum, ad ipſum, ipſiusve Vicarium Generalem transmittent.

CAPUT II.

Inter cætera, dum viſitant, ſerio inquirant, an Paſtores debite concionentur, & catechizent: an ipſi, ac reliqui Sacerdotes, & Miniſtri Eccleſiæ ſint bonæ vitæ: an omnes, ad quas tenentur, Miſſas debite exonerent: an bona fabricarum & pauperum bene & fideliter adminiſtrentur.

CAPUT III.

Curent quoque ſibi quotannis a Beneficiatis omnibus exhiberi apochas de cenſibus, & aliis oneribus, quibus bona Beneficiorum gravantur, debite perſolutis: videantque, an domus Paſtorales & Capellaniarum ſint ſartæ tectæ.

CAPUT IV.

Paſtore, & quocumque alio Beneficiato ex hac vita emigrante, Decanus Chriſtianitatis, cui is ſuberat, domum defuncti mox adibit, omniaque munimenta, chartas & manualia, Eccleſiam, menſam pauperum & Beneficia concernentia ad ſe recipiet (niſi alteri Eccleſiaſtico per immemorialem conſuetudinem ſit jus quæſitum): ac deinde, quæ ad fabricam & menſam pauperum ſpectant, cæteris earum munimentis adjungi curabit. Literas vero originales Beneficia tangentes, cæteraque hujusmodi Ordinario tranſmittet, exceptis Manualibus, quæ Succeſſori defuncti in Beneficio tradet.

CAPUT V.

Semper, & ubique Eccleſiæ Parochiales conferantur ſecundum præſcriptum Concilii Tridentini *Seſſ.* 24. *C.* 18. *de Reform.* Et Examinatores, ut ibidem mandatur, jurent omnes ad Sancta Dei Evangelia, ſe quacumque humana affectio-

(a) Seſſ. 25. c. 3. de Reform.
(b) Seſſ. 7. c. 10. de Reform.
(c) Seſſ. 23. c. 10. de Reform.
(d) Seſſ. 24. c. 12. de Reform.

fectione postposita, fideliter munus executuros: caveantque, ne quidquam prorsus occasione hujus examinis accipiant, alioquin pœnas incurrant ad præscriptum ejusdem S. Concilii Tridentini.

CAPUT VI.

Admissus ad Pastoratum ultra Professionem fidei, & solitum cujusque Diœcesis Juramentum, faciet quoque illud, quod sequitur, antequam cura animarum vel possessio ei detur.

Ego N. . . juro & promitto obedientiam, reverentiam & honorem Summo Pontifici Romano, & Reverendissimo Domino Episcopo N. . . eorumque Successoribus. Item juro & promitto Ecclesiæ meæ Parochiali de N. . . fideliter deservire secundum oneris illi annexi exigentiam, & in ea personaliter residere. Bona Pastoratus, vel Ecclesiæ meæ non alienabo, & indebite alienata, quantum in me erit, recuperare studebo. Specificationem omnium fructuum Pastoratus mei cum debita designatione quantitatis, hypothecarum, limitum & terminorum, simul & onerum, intra annum Decano Christianitatis, vel alteri Visitatori tradam.

CAPUT VII.

Quilibet Pastores sibi comparent Statuta hujus Synodi, simulatque impressa fuerint, habeantque Concilium Tridentinum: eaque omnia cum adscriptione proprii nominis & cognominis in prima pagina, singuli Decano Christianitatis, vel alteri Visitatori quotannis exhibebunt: & sæpe, diligenterque legent, & quæ passim in iisdem ponuntur, officium Pastorale concernentia, quam diligentissime exequentur.

CAPUT VIII.

Nullum quoque Sacerdotem in Ecclesia sua confessiones excipere permittent, vel in officiis Pastoralibus obeundis sibi adjungent, ne quidem ad brevissimum tempus, qui se ab Episcopo loci approbatum esse in scriptis non prædocuerit.

CAPUT IX.

Rectores Ecclesiarum Parochialium, quibus aliquod Beneficium est unitum, quotannis in visitatione declarabunt onus Missarum, ad quod ratione illius obligantur, & an illi satisfecerint.

CAPUT X.

Parochis non idoneis ad munus suum obeundum, Coadjutores, aut Vicarios Episcopi deputent, cum assignatione partis fructuum: aut aliter pro sua discretione provideant, juxta Decretum Concilii Tridentini. (e)

CAPUT XI.

Pastores Succursum habentes, serio de ratione cogitent eum in Ecclesiam Parochialem erigendi: & si quam invenerint, Episcopo proponant, eique pro virili cooperentur, ut res effectum sortiatur.

CAPUT XII.

Parochi, etsi domum Parochialem non habeant, intra fines tamen Parochiæ resideant. Si vero de ædibus Parochialibus illis provisum sit, eas, & nullas alias inhabitent sine Episcopi expressa licentia.

CAPUT XIII.

Ubi Parochiales Ecclesiæ partem habent sui populi extra mœnia urbium vel oppidorum, & Pastor nocturno tempore illis hominibus Sacramenta administrare non potest: curet Episcopus eorum necessitatibus debite provideri, aut per unionem istius partis ad commodiorem Parochiam, aut per novæ Parochiæ erectionem, aut alio quovis meliori modo, juxta dispositionem sacrorum Canonum.

CAPUT XIV.

Archi-Presbyteri quotannis in actis visitationum annotabunt, qui sint Possessores Capellaniarum, ubi degant, an onera debite impleant; & si non, ubi bona sint sita.

CAPUT XV.

Capitula Pastorum singula eo die, quem Episcopus præfixerit, celebrentur. Et ita quidem, ut ea non ad comessandum, sed ad tractandum de rebus seriis indicta esse, omnes intelligant.

CAPUT XVI.

Officium Custodis nemo exercere incipiet, antequam se tonsuratum, cantus Gregoriani peritum, probatæ vitæ, &

(e) Sess. 21. c. 6. de Reform.

& alias sufficienter idoneum apud Ordinarium suum prædocuerit.

CAPUT XVII.

Custodes quarumcumque Ecclesiarum Parochialium, & ab iis dependentium, promittent se Pastori in iis, quæ officii sui sunt, obedituros, & in Officio Divino, etiam diebus ferialibus, nec non in administratione Sacramentorum superpelliceo semper usuros.

CAPUT XVIII.

Iidem, dum requirentur, dabunt idoneam cautionem pro his, quæ ipsorum curæ committentur. Et tabernarii vel cauponis officium, seu aliud a Clericali professione alienum non exercebunt, nec criminalibus se immiscebunt.

CAPUT XIX.

Quando Sacerdotes bonæ vitæ, & ad docendum juventutem idonei haberi possunt, illi potius, quam alii Clerici, ad officia Custodum assumantur.

TITULUS XXII.

De Regularibus & Monialibus.

CAPUT I.

QUæ S. Concilium Tridentinum & sacri Canones salubriter de Regularibus & Monialibus constituerunt, amplectens præsens Synodus nonnulla ex iis, ut exactius observentur, inculcanda, & paucula adjicienda duxit.

CAPUT II.

Si in aliquibus Monasteriis Decreto S. Concilii Tridentini (*f*) de lectione sacræ Scripturæ habenda, non satisfiat; Abbates ad id per Episcopum loci, ut Sedis Apostolicæ delegatum, opportunis remediis compellantur, ad præscriptum Concilii Tridentini.

CAPUT III.

Abbates, & alii Superiores regulares, tanquam Duces proprii gregis, in frequentatione Divinorum Officiorum, ac cæteris omnibus exemplo suis studeant prælucere: compotationes, lusus taxillorum & chartarum strictissime prohibeant, nec unquam permittant: Missarumque & alias fundationes debite expleri curent.

CAPUT IV.

Licet vestis Religiosum non faciat, plurimum tamen ad virtutis atque inprimis modestiæ ac humilitatis, quam Religiosi specialiter profitentur, argumentum, augmentumque conducit. Proinde Regularium Superiores, vestes cultumque corporis, sæculi vanitatem redolentes, subditis non permittant: illasque virtutes, quas ab iis exigunt, in seipsis, tanquam in speculo spectandas, illorum oculis objiciant: fastumque & apparatum sæcularem ita fugiant, ut appareat eos cum dignitate mundi contemptum, quem professi sunt, & cum auctoritate modestiam & humilitatem religiosam retinere.

CAPUT V.

Synodus injungit Ordinariis, ne permittant Prælatos Beneficia Pastoralia, quæ Regularibus conferri solent, (*g*) mensis suis applicare, aut pensiones novas eis imponere, aut veteres augere, nisi ad præscriptum S. Concilii Tridentini. (*h*)

CAPUT VI.

In omnibus & singulis Monasteriis utriusque sexus Regula, & Statuta sæpe ante Professionem Novitiis legantur & explicentur: iisque formandis, tales præficiantur, a quibus in contemptu mundi, pietate, humilitate, obedientia, charitate, cæterisque virtutibus, ac disciplina regulari quam optime institui valeant.

CAPUT VII.

Cum Monachos Capellaniis sæcularibus deservire, & ea de causa extra Monasterium degere non conveniat, id ipsum prohibet hæc Synodus.

CAPUT VIII.

Quoad Religiosas, etiam ex fundatione servientes ægrotis, cujuscumque Ordinis sint, servetur Breve Sanctissimi Domini nostri.

CAPUT IX.

In conventuali Religiosorum & Monialium mensa lectio sacra, quantum res patitur, nunquam omittatur.

(*f*) Sess. 5. c. 1. de Reform.
(*h*) Sess. 7. c. 7. de Reform.
(*g*) Clem. unic. De suppl. neg. Prælat.

CAPUT X.

Nullus Religiofus vel Monialis literas, vel ab aliquo recipiat & aperiat, vel ad aliquem fcribat & mittat, fine fcitu & confenfu Superioris, vel ab eo deputati, cui & liberum erit eas legere, quandocumque volet.

CAPUT XI.

Si alicubi Officialibus Monafteriorum aliqua jura, & emolumenta adhuc concedantur, Superiores id ftricte prohibeant & impediant.

CAPUT XII.

Religiofi non-Paftores pro Miffis celebratis vel celebrandis quidquam pro eleemofyna non recipiant, fine fpeciali permiffione fui Superioris. Et Superiores quorumcumque Monafteriorum, quæ non funt Ordinum Mendicantium, non facile eam concedant.

CAPUT XIII.

Nemini quoque pro cibo, vel potu, aut veftimentis pecunia affignetur: fed victus omnis, & veftitus, & quidquid neceffarium fuerit, decenter, quantum facultates domus ferent, ac benigne fingulis adminiftretur.

CAPUT XIV.

Sicut cogentes aliquam ad ingreffum Monafterii, vel fufceptionem habitus, aut profeffionem; & auxilium præbentes, anathemati fubjiciuntur: ita & illi fciant fe fubjici, qui fanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem voti emittendi quoquo modo fine jufta caufa impediunt. (i)

CAPUT XV.

Confeffarii, & quicumque Superiores Monialium, fepta claufuræ non ingrediantur, nifi Sacramenta ægrotis adminiftrandi, moribundas confolandi, aut alia neceffaria caufa, fub pœnis contra ingredientes a jure decretis. Illosque, & alios quofcumque ex neceffitate clauftrum ingredientes, & intra fepta illius agentes, duæ ex fenioribus Monialibus affidue comitentur. (k)

CAPUT XVI.

Epifcopi, vel ab iis deputati Virginum Deo dicandarum voluntatem ante fufceptionem habitus, & rurfus ante profeffionem diligenter explorent, conformiter Decreto S. Concilii Tridentini (l): & ita quidem, ut nemo, quæ rogantur, & quæ puella refpondet, audire poffit: eaque omnia ab Examinatore fcribantur, & ab examinata fubfignentur.

CAPUT XVII.

Capilli Novitiarum non nifi in profeffione, vel paulo ante refecentur: & in earum, aut Novitiorum veftitione nulli fumptus fiant.

CAPUT XVIII.

Confeffarius extraordinarius ab Epifcopo & aliis Superioribus bis aut ter in anno Monialibus offeratur, (m) qui omnium confeffiones audire debeat.

CAPUT XIX.

Moniales claufuram profeffæ, (etiam exemptæ, & Ordinis Mendicantium,) ad aliud Monafterium fe non transferant, fine confenfu Epifcopi loci in fcriptis præobtento, ultra licentiam Superioris regularis, in vim facultatis obtinendæ a Sede Apoftolica.

CAPUT XX.

Ne nimia Religioforum mendicantium utriusque fexus multitudine Monafteria graventur, cum magno Civitatum & oppidorum, in quibus exiftunt, onere: curent Epifcopi omni meliori modo, quo poterunt, ut in iis certus numerus conftituatur, ac in pofterum confervetur, & quidem non major, quam qui ex redditibus propriis Monafteriorum (fi quos habeant) & ex confuetis eleemofynis commode poffit fuftentari, fub pœnis contra ipfos Superiores regulares contentis in Decretis Sacræ Congregationis Concilii, de celebratione Miffarum de anno M.DC.XXV. editis.

CAPUT XXI.

Infuper cuilibet Monafterio Monialium non mendicantium, certum numerum Epifcopus præfigat, etiam exemptarum Superiore Monafterii interveniente, nec numerus ille unquam excedatur.

CA-

(i) Conc. Trid. Seff. 25. c. 18. de Reg. & Mon. (k) Conftit. Greg. XIII. incip. *Dubiis, quæ emergunt.* (l) Seff. 25. c. 17. de Reg. & Monial.
(m) Conc. Trid. Seff. 25. c. 10. de Reg. & Mon.

CAPUT XXII.

Ac ne in immensum dotatio hujusmodi novorum Monasteriorum sese extendat, quilibet Episcopus in Monasteriis sibi subjectis, juxta qualitatem locorum, personarum, ac aliarum circumstantiarum, certam summam annuam pro dote sufficiente iis præscribet, quam in posterum nullatenus excedent.

CAPUT XXIII.

Quæ in hac Synodo, Concilio Tridentino & in sacris Canonibus, de Fidei professione, de verbi Dei prædicatione, de Officio Divino, ac recta bonorum Ecclesiasticorum administratione statuta sunt, ea omnia, quatenus Regulares concernunt, ab iis diligenter serventur.

CAPUT XXIV.

Eremitæ non-Religiosi habitum Religionis non ferant.

TITULUS XXIII.

De Scholis & Seminariis.

CAPUT I.

UBicumque Scholæ quotidianæ, aut Dominicales adhuc requirentur, agant Decani Christianitatis (etiam invocato, quatenus opus sit, brachio sæculari,) ut ea mox erigantur, simulque rationem ineant Ludimagistris de annuis stipendiis providendi.

CAPUT II.

Satagatur ubique, ut viri masculos, fœminæ puellas dumtaxat doceant. Et si in aliquibus pagis id obtineri forte non possit, saltem locis & interstitiis masculi a puellis separentur.

CAPUT III.

Nemo libros prælegat, qui aliquid non sanæ fidei continent, vel quod bonis moribus officiat: sed eos tantum, quos Ordinarius approbarit.

CAPUT IV.

Instent Pastores apud Magistratus & alios auctoritatem habentes, ut pauperes per subtractionem eleemosynarum, alios aliis pœnis, liberos, aliosque domesticos suos ad Scholas Dominicales ad lectionem Catechisticam mittere compellant: eoque tempore, quo juventus docetur & catechizatur, a publicis choreis, lusibus, & aliis recreationibus abstineatur.

CAPUT V.

Singulis semestribus Scholæ singulæ visitentur a Scholasticis Capitulorum, quæ illis subsunt: cæteræ a Decanis Christianitatis, vel aliis ab Episcopo ad id deputatis, iisve, quibus jus visitandi competit.

CAPUT VI.

In Scholis Dominicalibus non tantum doceantur pueri & puellæ, legere & scribere: verum etiam & quidem præcipue Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, præcepta Decalogi & Ecclesiæ, modumque confitendi; & qui grandiores sunt, rationem insuper parandi se ad Communionem.

CAPUT VII.

Ludimagistri & Ludimagistræ Scholarum linguæ vernaculæ, juventutem suam statis diebus ad Catechesim deducant, & sub ea in officio contineant.

CAPUT VIII.

Singuli in sua ad Seminarium assumptione, declarabunt se habere animum ad statum Ecclesiasticum; & insuper promittent se, cum idonei invenientur, officium ab Episcopo injungendum in Ecclesia Dei obituros, aut refusuros expensas, quibus illud affecerint; a quibus tamen liberabuntur, qui Religionem aliquam ingredientur, & cum quibus Episcopus ob aliam justam causam dispensandum judicabit.

CAPUT IX.

Alumni Seminariorum & aliorum Collegiorum Sacræ Theologiæ operam dantes, cantum quoque Gregorianum diligenter addiscant.

TITULUS XXIV.

De Foro, Jurisdictione & Immunitate Ecclesiasticis.

CAPUT I.

STatuit penultima Synodus Provincialis, ut omnes Officiales Episcoporum, aut alii ab Episcopis deputandi ad Metropolitanam Ecclesiam convenirent, atque cum ejus Ecclesiæ Officiali, quoad rationem jurisdictionis ex-

exercendæ, Statuta Curiarum, ſalaria & ſtipendia Miniſtrorum ac Practicorum earum, cæteraque ejusmodi, communem formam & regulam conciperent: quæ Metropolitani & Suffraganeorum auctoritate ſtabilita, ab omnibus deinde per totam Provinciam ſervarentur. Sed quia ob varias turbationes, quæ mox toti Patriæ ſupervenerunt, id executioni mandatum non fuit, mandat præſens Synodus intra ſemeſtre proximum executioni mandari.

CAPUT II.

Cætera a Concilio Tridentino & ſacris Canonibus de jurisdictione Eccleſiaſtica & appellationibus, easque concernentibus, Decreta & Statuta ab omnibus obſerventur. Et ſi quæ alicubi a Judicibus ſæcularibus impedimenta injiciantur, ad ea tollenda monitionibus & cenſuris agatur, atque etiam invocato (quatenus opus ſit) brachio ſæculari.

CAPUT III.

Singuli Epiſcopi in proxima ſua Synodo Diœceſana, deſignabunt aliquot perſonas, quæ qualitates habeant juxta Conſtitutionem BONIFACII VIII. quæ incipit: *Statutum*, & alioquin ad id aptas, quibus præter Ordinarios locorum cauſæ Eccleſiaſticæ ac ſpirituales, & ad forum Eccleſiaſticum pertinentes in partibus delegandæ committantur, earumque nomina & cognomina & qualitates ad S. Sedem transmittent. (*n*)

CAPUT IV.

Judices omnes Eccleſiaſtici, cujuscumque dignitatis exiſtant, in cauſis judicialibus (quandocumque executio realis aut perſonalis, in qualibet parte judicii, propria auctoritate ab ipſis fieri poterit) abſtineant ſe, tam in procedendo, quam definiendo a cenſuris Eccleſiaſticis. (*o*)

CAPUT V.

Regulares, quibus ex privilegio jus competit Conſervatores eligendi, ad quos in judicium vocentur, quos ſemel delegerint ex Judicibus in Synodo Diœceſana deputatis, juxta Conſtitutionem GREG. XV. non mutent; eorumque præterea nomina intra menſem Epiſcopo Diœceſano ſignificent. Alioquin ad Epiſcopale forum in jus illos vocare liceat.

CAPUT VI.

Epiſcopus, etiam tanquam delegatus Sedis Apoſtolicæ, Notarios, de quorum ſufficientia dubitandi cauſam habet, debite examinet, iisque non idoneis repertis, aut quomodocumque in officio delinquentibus, officii in negotiis, litibus & cauſis Eccleſiaſticis ac ſpiritualibus exercendi uſum perpetuo aut ad tempus prohibeat. (*p*)

CAPUT VII.

Advocati & Procuratores ad cauſas, in foro Epiſcopi non admittantur, priusquam jurejurando ſe obſtrinxerint, ſe nullam cauſam ſuſcepturos aut proſecuturos, quam a juſtitia & æquitate alienam exiſtimaverint.

CAPUT VIII.

Etſi ab indebita incarceratione appellari poſſit, & appellationi deferri debeat, carceratus tamen per Judicem appellationis non relaxetur, niſi cauſa cognita.

CAPUT IX.

Similiter, etſi a definitiva in cauſis viſitationis & correctionis appellari poſſit, appellatio tamen executionem non ſuſpendit. Ideoque Judex, ad quem inhibere non præſumat, præterquam in caſibus a jure permiſſis, inter quos cenſendus eſt, ſi Viſitator citata parte, & adhibita cauſæ cognitione judicialiter proceſſerit. (*q*)

CAPUT X.

A ſententia definitiva contra verum contumacem prolata appellatio non recipiatur; nec inhibitio, aut alia quævis proviſio concedatur, quamdiu appellans in hujusmodi vera contumacia perſtiterit, ad præſcriptum ſacrorum Canonum.

CAPUT XI.

Paſtores coram Officiali Eccleſiaſtico citati, perſonaliter comparere non tenebuntur, niſi ob delicti enormitatem, vel aliam juſtam cauſam, ipſe Officialis diſertis verbis id mandet.

TITU-

(*n*) Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 10. de Reform.
(*o*) Seſſ. 25. c. 3. de Reform.
(*p*) Seſſ. 22. c. 10. de Reform.
(*q*) Seſſ. 13. c. 1. & Seſſ. 24. c. 10. de Reform.

TITULUS XXV.
De Synodo Provinciali & Diœcesana.

CAPUT I.

STatuta hujus Synodi nemo publicet, antequam a S. Sede Apostolica, juxta Bullam SIXTI V. quæ incipit: *Immensa*, approbata fuerint.

CAPUT II.

Literis Confirmationis Decretorum Concilii Provincialis a Sua Sanctitate obtentis, ea mox imprimantur, impressaque a singulis Episcopis in Synodo Diœcesana intra sex menses celebranda, promulgentur.

CAPUT III.

Statuta a S. Canonibus, & Concilio Tridentino, ut ad Synodum vocati personaliter compareant, nisi legitima causa impediantur: ut tunc virum Ecclesiasticum Procuratorem constituant cum pleno mandato: ut nemo sine justa causa, & licentia in scriptis obtenta, & debite registrata, a Synodo recedat: utque ea durante solemnis processio instituatur: pro hic repetitis habeantur.

CAPUT IV.

Deinceps singulis trienniis Provincialis, & quotannis Diœcesana Synodus celebretur, juxta Decretum Concilii Tridentini. (*r*)

CAPUT V.

Synodo Diœcesanæ universi & singuli intersint, quicumque Canonum jure, vel Ecclesiasticis Sanctionibus, vel Tridentino Decreto, vel consuetudine, aliave ratione interesse debent.

Ego FRANCISCUS, Archi-Episcopus Cameracensis, his Decretis consentiens subscripsi.

Ego MAXIMILIANUS, Episcopus Tornacensis, his Decretis consentiens subscripsi.

Ego PAULUS, Episcopus Atrebatensis, his Decretis consentiens subscripsi.

Ego ENGELBERTUS, Episcopus Namurcensis, his Decretis consentiens subscripsi.

Ego Christophorus Morlet, Ecclesiæ Cathedralis Audomarensis Sede vacante Vicarius Generalis a Capitulo deputatus, ejusdem Ecclesiæ Decanus, his Decretis consentiens subscripsi.

Nos infrascripti Notarii Apostolici, Ecclesiæ Metropolitanæ Cameracensis Canonici Presbyteri, ipsiusque Synodi Provincialis Secretarii, præmemorata Decreta & Statuta Synodalia, aliena manu fideliter scripta, & cum originalibus collata & concordata, in fidem omnium & singulorum in eisdem contentorum, subscriptionibus nostris consuetis signavimus.

FOULON *Secretarius.*

J. POLMAN *Secretarius.*

Breve Apostolicum
Super Confirmatione Concilii Provincialis Cameracensis.

URBANUS PP. VIII.
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

SPeculatores Domus Israël, quæ est Ecclesia DEI viventis, ineffabili ejus providentia constituti, inter multiplices, gravissimasque Apostolicæ servitutis curas, in eam peculiari studio jugiter incumbimus, ut felici Ecclesiarum quarumlibet statui ad majorem DEI gloriam & spiritualem Christi fidelium ædificationem Pastorali Præsulum solicitudine consulatur, & personæ Ecclesiasticæ, quæ in sortem Domini vocatæ & supra candelabrum positæ sunt, tanquam lucernæ ardentes, flamma charitatis, aliarumque virtutum splendore luceant in Domo Dei, illique serviant in sanctitate & justitia coram ipso. Unde illa, quæ propterea per ipsarum Ecclesiarum Præsules matura consultatione adhibita in Synodis Provincialibus statuta & decreta sunt, ut perpetua roboris validitate subsistant, & ab omnibus, quos illa concernunt, inviolabiliter observentur, Apostolicæ Confirmationis patrocinio libenter communimus, prout conspicimus in Domino, salubriter expedire. Exponi siquidem Nobis nuper fecit Dilectus filius Andreas Cruesen, *Canonicus & Scholasticus Ecclesiæ Cameracensis, ac Venerabilium Fratrum* FRAN-

(*r*) Conc. Trid. Sess. 24. c. 2. de Reform.

FRANCISCI Archi-Episcopi Cameracensis, nec non Episcoporum Comprovincialium suorum Procurator, quod in Synodo Provinciali per ipsos Archi Episcopum & Episcopos Comprovinciales suos nuper celebrata, nonnulla Decreta confecta, & a Venerab. Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus examinata, recognita, emendata atque approbata fuerunt. Quare dictus Andreas *Archi-Episcopi & Episcoporum Comprovincialium suorum nominibus humiliter supplicari fecit, ut pro majori eorumdem Decretorum firmitate & observantia illa Apostolica auctoritate approbare & confirmare de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur egregiam FRANCISCI Archi-Episcopi & Episcoporum Comprovincialium præfatorum pietatem, singularemque Domus Dei & Catholicæ Religionis, nec non gregem sibi commissum verbo & exemplo pascendi zelum summopere commendantes, & communi eorumdem Decretorum in illa Provincia observationi, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, bujusmodi supplicationibus inclinati, omnia & singula Decreta in Synodo bujusmodi confecta, & ab eisdem Cardinalibus examinata, recognita, emendata atque approbata, ut præfertur, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, eaque ab omnibus & singulis personis Ecclesiasticis tam sæcularibus, quam cujusvis Ordinis, Congregationis & Instituti Regularis, cujuscumque dignitatis, status, gradus & conditionis existentibus, cæterisque, ad quos quomodolibet spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari præcipimus & mandamus: cum expressa tamen declaratione, ut in bis, in quibus agitur de Regularibus a jurisdictione Archi-Episcopi seu Episcoporum exemptis, ac de rebus ad eosdem pertinentibus, per bujusmodi Synodalia Decreta nullum intelligatur illatum præjudicium eorum privilegiis; sed illa, quatenus alias non fuerit eis legitima auctoritate derogatum, in suo robore permaneant, volentes nihilominus, ut Regulares ipsius Provinciæ teneantur exhibere Archi-Episcopo, seu Episcopis respective, in quorum Diæcesibus morantur, seu sita sunt eorum Monasteria, omnia sua privilegia in corpore Juris non clausa. Quocirca FRANCISCO Archi Episcopo & Episcopis præfatis per præsentes committimus, ut Synodalia Decreta bujusmodi, sicut præfertur, examinata, recognita, emendata atque approbata, in suis Diæcesibus publicent & publicari, illaque ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari faciant, contradictores quoslibet & rebelles per sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad boc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis: decernentes irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus, quatenus opus sit, quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac quarumcumque Ecclesiarum, Ordinum, Congregationum & Institutorum in dicta Provincia existentium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis: quibus omnibus & singulis eorum, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. Aprilis M. DC. XXXII. Pontificatus nostri anno nono. Sic signatum: *M. A. Maraldus.* Eratque hoc Breve Apostolicum in pergameno sive charta membranea descriptum, & munitum annulo Piscatoris in rubra cera.

SYNO-

Concilium hoc Provinciale Rdmi & Illmi Vander Burch, nomine & omine Archi-Episcopi, tum ab aliis admissum, tum a supremo Belgicæ Senatu fuit. Et spes est, *pergit cit. h. T. pag.* 241. *Cl. Fullonius*, fore aliquando, ut tota Camerac. Provincia, ejus Decretis . . . erudita, post hos turbines temporum, novam induat formam. &c. *Quod elogium in editione, qua usi sumus, adjicitur.*

SYNODUS NAMURCENSIS
DIOECESANA
Sub ENGELBERTO DESBOIS, (*) VII. Namurcensi Episcopo,
Anno Christi MDCXXXIX. Urbani VIII. PP. XVIII. Ferdinandi III. Imp. II.
7ma JUNII CELEBRATA.

ENGELBERTUS DESBOIS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS gratia Episcopus Namurcensis, Dilectis Nobis in Christo Clero, & populo totius nostræ Diœcesis, Salutem in Domino.

TAmetsi a Prædecessoribus nostris abunde ordinata sint, quæ ad Officia Divina rite obeunda, & ad canonicam morum directionem, atque eorundem reformationem conducunt; tamen solicitudinis nostræ Episcopalis munus exigebat, ut quotannis ex præscripto S. Concilii Tridentini, Synodum Diœcesanam institueremus, quam usque nunc ab assumptione nostra ad Episcopatum distulimus, quod ejus initio celebrata fuerit hujus Provinciæ Synodus, ad cujus normam Synodi Diœcesanæ Decreta concipi debebant, uti & Nos intendebamus, quæ tunc quidem absoluta fuit, & a S. Sede approbata, sed huc usque in lucem prodire non potuit. Supervenerunt etiam bellorum calamitates, & ærumnæ, hostiumque quotidianæ incursiones, cum Militum nostrorum populationibus, quibus Diœcesis nostra sic afflicta, perturbata, ac desolata fuit, ut convocandæ Synodi, non modo spes omnis erepta, sed etiam toto sexennio eam visitandi (nisi obiter ac furtim) facultas sublata fuerit; erant autem præsentissima ac certissima, ab Hollandis, vitæ, fortunarumque pericula, quorum improbitate, ac perversitate factum est, ut plerisque locis, Dei cultus, Religionisque Catholicæ publicum exercitium, aliquot annis, magno dolore nostro, intermitti debuerit: quanta vero ex hac calamitate, animarum clades secuta sit, haud facile est æstimare; nec etiam in præsenti, molestiis, aut metu vacui sumus: sed his incommodis resistendum est, immo ultro occurrendum. Quapropter hanc Synodum celebrare, Typisque expressam evulgare, necessarium duximus, ut Divino imprimis cultui consulamus, collapsamque Ecclesiasticam disciplinam restituamus, & quantum efficere ac consequi, Deo adjuvante, possumus, mores depravatos corrigamus.

INDEX TITULORUM
SYNODI NAMURCENSIS DIOECESANÆ.

XVIII.

(*) Vide sub finem Synodi.

DECRETA
SYNODI DIOECESANÆ NAMURCENSIS
ANNI M.DC.XXXIX.

TITULUS PRIMUS.
De Fide, ejus Professione, & eam consequendi modo.

CAPUT I.

OMnes, qui juxta Sacri Concilii Tridentini dispositionem, ad Fidei professionem tenentur, eam deinceps faciant, secundum formam PII IV, in fine hujus Tituli subjunctam, non autem juxta formulam per Prædecessorem nostrum D. ANTONIUM HAVETIUM, initio suæ Synodi Diœcesanæ præscriptam, quam omnes convenientes ad hanc Synodum, facere tenebuntur, qui in aliqua præcedenti non fecerint.

CAPUT II.

Eandem etiam omnes Ludimagistri, & Magistræ facient, in manibus Scholastici, vel Pastoris loci, uti & Obstetrices in manibus Pastoris.

CAPUT III.

Pastores ante omnia invigilent, ut Fides Catholica, hactenus Dei beneficio, in nostra Diœcesi, integra & illibata conservata, in nullo diminutionem patiatur, ob inimicorum fidei viciniam & violentas incursiones.

CAPUT IV.

Renovamus, & in usum revocandum statuimus *Cap.* 5. *Tituli* 1. secundæ Synodi Namurcensis. Item *Cap.* 6. *ejusdem Tit.* de Juramento Bibliopolarum.

CAPUT V.

Censores librorum, Decani & Pastores serio attendant, ne Sabaudi, aut alii, vulgo dicti *Portpanniers*, libros invehant, fidei, bonis moribus, & pudicitiæ contrarios.

CAPUT VI.

Nemo retineat penes se libros suspectos, minusque eos legat; quemadmodum neque Biblia vernacula lingua, absque nostra licentia in scriptis obtenta.

CAPUT VII.

E domibus mortuariis nulli distrahantur libri, nisi a Censoribus, vel aliquo a Nobis deputato, visitati fuerint.

CAPUT VIII.

Si animadvertat Pastor aliquem hæreticum, vel de hæresi suspectum (sive is incola sit, sive advena) in sua Parochia hæresim disseminare, libellos distribuere, de fide disputare, præcepta Ecclesiæ contemnere, aut scandala aliqua facere, statim eum conveniat, &, quantum poterit, ad fidem reducere conetur, ne cancer ille serpat, quem, si incorrigibilem animadvertat, quamprimum ad Nos deferat.

CAPUT IX.

Aliunde adventantes in Parochiam ibi habitaturi, exhibeant suæ fidei, morum & conversationis literas, Parocho loci.

CAPUT X.

Sæpius inculcent Pastores, & Concionatores, graviter eos peccare, qui Nomen Dei sumunt in vanum, blasphemant, & verbis Scripturæ ad jocos & scurrilia utuntur.

Forma

Forma Juramenti Professionis Orthodoxæ Fidei juxta Bullam PII IV.

EGo N. firma fide credo & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, &c.

La maniere de faire Profession de Foy, selon le formulaire du Pape PIE IV.

JE N. croy de ferme foy, & confesse tous chacuns articles contenus au Symbole de la Foy, duquel use la Sainte Eglise Romaine, à sçavoir: Je croy en Dieu &c.

TITULUS II.

De Doctrina & Prædicatione verbi Dei.

CAPUT I.

HOrtamur omnes verbi Dei Præcones, ut conciones suas ita disponant, etiam diebus solemnioribus, ut potius Catechismum, quam concionem redoleant, & captui populi, quantum fieri potest, accommodent.

CAPUT II.

Iidem caveant pro concione dicere ea, ex quibus colligi posset particularis aliqua contra privatos animi exacerbatio, aut alicujus ab eis commissi criminis taxatio; multo magis ea proferre, ex quibus revelatæ confessionis suspicio oriri posset.

CAPUT III.

Pastoribus occupatis, Sacellani Catechismum publice doceant.

CAPUT IV.

Moneantur Patres familias, ut liberos suos, etiam juniores, famulos & ancillas, saltem e pluribus unum, successive, & alternatim, ad Divina Officia & Catechismum mittant.

TITULUS III.

De Missa, Divino Officio, & locis sacris.

CAPUT I.

ALtaria portatilia, quorum usum tantisper pro temporum præsentium injuria toleramus, sciant Sacerdotes ejus debere esse magnitudinis, ut hostiam & calicem commode continere possint, cum sacri Canones statuant, Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini nostri, nonnisi in altari lapideo, confici debere, quapropter illorum, quæ non sunt ejus capacitatis, & magnitudinis, usum ex nunc interdicimus.

CAPUT II.

Calices stannei, quos periculoso hoc tempore, non absque dolore nostro, & sine recordiorum remissione, permisimus, statim ubi meliora tempora supervenerint, omnino tollantur, & eorum loco, si non deaurati, argentei saltem substituantur: stanneos vero mandamus singulis saltem mensibus diligenter mundari. Pyxides autem, patenæ, & ciboria cuprea, ac remonstrantiæ ligneæ, penitus removeantur.

CAPUT III.

Singuli calices habeant sua parva cochlearia.

CAPUT IV.

In patenis nullæ fiant cœlaturæ, & ipsæ, quantum fieri potest, sint inauratæ.

CAPUT V.

Pallæ calicis inposterum ex lino fiant.

CAPUT VI.

In omnibus altaribus, dum in eis celebratur Sacrosanctum Missæ Sacrificium, habeatur tabella Secretarum & Crucifixus.

CAPUT VII.

Rectores suis altaribus de omnibus ornamentis, aliisque ad Missarum celebrationem necessariis, provideant.

CAPUT VIII.

Renovamus Titulum de ornamentis altarium, factum in Decretis Geldoniensibus.

CAPUT IX.

Nullæ Missæ, nisi ex Missali Romano, celebrentur, & si quas alicujus Sancti, v. g. Rochi, vel Rosarii, celebrare oporteat, desumantur ex communi ejusdem Missalis.

CAPUT X.

Missæ, uti & Vesperæ, in nulla sui parte, in cantu decurtentur, aut aliquid

in eis transponatur, vel ſuperaddatur, niſi ultimæ Collectæ: *Et famulos tuos*, & ad Elevationem: *O ſalutaris Hoſtia*, & Miſſis defunctorum, verſiculus: *Pie JEſu Domine.*

CAPUT XI.

Sacerdos celebrans, in fine ultimarum Collectæ, Secretæ, & Poſtcommunionis, ſuperaddat clauſulam: *Et famulos tuos*, &c. paſſim in Belgio dici ſolitam, quam hic ſubjungimus: *Et famulos tuos N. Papam, N. Antiſtitem noſtrum, N. Regem, Reginam cum prole Regia, exercitu & populo ipſis commiſſis, & nos ab omni adverſitate cuſtodi, pacem & ſalutem noſtris concede temporibus, & ab Eccleſia tua cunctam repelle nequitiam, gentes paganorum & hæreticorum dexteræ tuæ potentia conterere, & fructus terræ dare & conſervare digneris. Per Dominum &c.*

CAPUT XII.

Dominicis ac Feſtis ſumma Miſſa celebretur de tempore, neque illius loco Miſſæ votivæ, aut pro Defunctis peragantur.

CAPUT XIII.

Miſſæ & Veſperæ Parochiales, tempore & horis per ſecundam Synodum Namurcenſem conſtitutis, decantentur, ſub pœnis ibidem expreſſis.

CAPUT XIV.

Hora Divino Officio præfixa, propter Terminariorum conciones, vel confeſſionum exceptionem, non anticipetur, vel differatur.

CAPUT XV.

Diebus feriatis Miſſæ votivæ Parochiales, & quas Paſtor pro ſua devotione celebrabit, hyeme hora octava; æſtate hora ſeptima, dato antea pulſu competenti, celebrentur.

CAPUT XVI.

Capellani, ſive intra, ſive extra Eccleſiam Parochialem, tali tempore Miſſas non dicant, ut populus hac occaſione a Miſſa Parochiali, Concione, aut Catechiſmo non avertatur.

CAPUT XVII.

Quia intelleximus quoſdam unicam duntaxat Hoſtiam conſecrare, quam reponant in Remonſtrantia, & veterem, quæ in ea fuit, conſumere: ad conſervandam Sacroſancti Miſſæ Sacrificii integritatem, diſtricte mandamus, ut quotieſcumque conſecranda erit Hoſtia, reponenda in Remonſtrantia, Sacerdos celebraturus duas Hoſtias majores tunc conſecret, quarum unam ſumat, & alteram in Remonſtrantia reponat.

CAPUT XVIII.

Illa vero, quæ fuit in Remonſtrantia repoſita, abſoluto Officio, & Benedictione data, eodem die in Ciborium reponatur, a Celebraturo ſequenti die conſumenda, excepta Octava Venerabilis Sacramenti, qua durante, eadem Hoſtia permanere poterit in Remonſtrantia, poſtridie Octavæ ſimiliter conſumenda: Remonſtrantia vero, durante dicta Octava, collocetur in Tabernaculo Venerabilis Sacramenti: quod ſi ejus non ſit capax, extrahatur ſacra Hoſtia, & in Ciborium reponatur, nec unquam dicta Remonſtrantia cum ſacra Hoſtia in armarium, Sacriſtiam, vel alium locum minus decentem referatur.

CAPUT XIX.

Nulla ratione Sacerdotes aliter celebrent, quam cum majori hoſtia.

CAPUT XX.

Vinum ſingulis ſaltem octiduis quæratur novum.

CAPUT XXI.

Nemo vinum, quo celebratur, miſceat alterius generis vino, v. g. Hiſpanicum Rhenano.

CAPUT XXII.

Nullus binare audeat, niſi de noſtro conſenſu, cujus in proxima viſitatione Decanis fidem faciet.

CAPUT XXIII.

Renovamus *Cap.* 11. & 14. ſecundæ Synodi Namurcenſis, & *Cap.* 3. primæ Synodi, Tit. de Sacramento Euchariſtiæ.

CAPUT XXIV.

Ignotus Sacerdos, niſi oſtenſis Ordinationis ſuæ literis, vel Superioris ſui legitimo teſtimonio, celebrare non permittatur.

CAPUT XXV.

Nullus recens ordinatus Primitias celebrare præſumat, niſi iiſdem literis oſten-

oſtenſis, & qui ſufficienter in cæremoniis, judicio eorum, quos in ſingulis Decanatibus ad hoc deputavimus, non fuerit idoneus repertus.

CAPUT XXVI.

Primitiæ celebrandæ non extrahantur ultra ſex ſeptimanas ab ordinatione, niſi de noſtra licentia.

CAPUT XXVII.

Parochiani, etſi vicini alicui Capellæ ſub finibus Parochialis exſtructæ, præcipuis anni Feſtivitatibus & Dominicis Eccleſiam Parochialem frequentare non omittant; qui vero tribus continuis Dominicis ab illa ſe abſentaverint, admoneantur primum a ſuis Paſtoribus, & ſi monitionem contempſerint, ad Nos deferantur.

CAPUT XXVIII.

Nemo recedat a Miſſa, niſi ea integre abſoluta.

CAPUT XXIX.

Altaria, Collegiis, Parochialibus, Seminariis, vel aliis Beneficiis unita, ornentur ab iis, quibus unita ſunt, & eorum onera debite ſupportentur & exolvantur.

CAPUT XXX.

Inhibemus, ne quis propria auctoritate præſumat extra locum & horam fundationis Beneficiorum ſuorum onera exolvere, & Miſſas decantandas ſubmiſſe legere, ſub pœna arbitraria.

CAPUT XXXI.

Nullus propria auctoritate reducat Miſſas, Anniverſaria, & alia quæcumque onera ſuis Beneficiis incumbentia.

CAPUT XXXII.

Et quia intelligimus plures pauciora Sacra exonerare, quam primæva ipſorum Beneficiorum inſtitutio requirit, mandamus, ut de illorum reductione Nos doceant intra trimeſtre.

CAPUT XXXIII.

Nullus absque noſtra licentia audeat deſtruere, vel transferre altaria de loco ad locum, aut titulum diruti altaris, vel Capellæ alteri unire.

CAPUT XXXIV.

Altaria, quæ ad eleemoſynas recipiendas extructa ſunt, deſtruantur; & eorum loco abacus, in quo ſedere poſſit Mamburnus, erigatur.

CAPUT XXXV.

Paſtores, etiam Regulares, publica Officia Divina juxta ritum Breviarii & Miſſalis Romani in ſuis Parochiis perſolvant, & non alio, quam Romano Rituali, in Sacramentorum adminiſtratione utantur; qui autem non habent, infra ſemeſtre ſibi comparent, ſub pœna viginti quinque florenorum.

CAPUT XXXVI.

Singulis Dominicis, exceptis Paſchæ & Pentecoſtes, fiat præſente populo, immediate ante ſummum Sacrum, cum cantu, aquæ luſtralis benedictio, & ejus, ante & poſt idem Sacrum, aſperſio, quamvis illa, in prima Miſſa fuiſſet ſubmiſſa voce, benedicta.

CAPUT XXXVII.

Paſtores deinceps ſolemnium Feſtorum Vigiliis (prout diebus Dominicis & Feſtivis) decantent Veſperas; Matutinum vero, diebus Paſchæ, Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes, Sanctiſſimæ Trinitatis, Corporis Chriſti, S.S. Joannis Baptiſtæ, Petri & Pauli, omnium Sanctorum, Nativitatis, Circumciſionis, & Epiphaniæ Domini, Purificationis, Annuntiationis, Viſitationis, Aſſumptionis, Nativitatis, & Conceptionis Beatæ MARIÆ; Dedicationis, & Patroni Eccleſiæ, &, ubi uſus habet, illud etiam diebus Dominicis, vel aliis decantari, is inviolabiliter obſervetur.

CAPUT XXXVIII.

Paſtores non niſi gravi de cauſa abſint a Veſperis Dominicis & Feſtis; nolumus enim eas, Paſtore abſente, vel infirmo, a ſolis matricularii Laicis, aſſiſtentibus pueris, decantari.

CAPUT XXXIX.

Exhortamur omnes, ut morem, aliis in Diœceſibus receptum, in hanc inducant, pulſandi mane, meridie, & veſperi ad *Ave MARIA*.

CAPUT XL.

Nullus malæ famæ Paſtori in Divinis Officiis aſſiſtat.

CAPUT XLI.

Innovando *Cap.* 9. *Tit.* 2. Synodi ſecundæ Namurcenſis, mandamus tempore

pore concionis, & Divinorum Officiorum abstineri a lusibus, insolentiis, deambulationibus, & potationibus in tabernis, implorantes ad hoc auxilium brachii sæcularis.

CAPUT XLII.

Laici, in nulla parte Divini Officii, aut processionibus, intra vel extra Ecclesiam, cappis, seu pluvialibus, aut alio sacro habitu (superpelliceo excepto) utantur.

CAPUT XLIII.

Nullus aliquod Officium in aliena Ecclesia, sine Pastoris ejusdem loci licentia, facere præsumat.

CAPUT XLIV.

Dominicis, & Festis solemnioribus Supplicationes, circa Ecclesiam ante summum Sacrum, fiant.

CAPUT XLV.

Longiores processionum circuitus, per Pastorem, præsente Decano, & Magistratu, ad justos terminos reducantur.

CAPUT XLVI.

In processionibus, in quibus defertur Venerabile Sacramentum, nihil cibi, aut potus præbeatur.

CAPUT XLVII.

Quia experientia docuit, plura Anniversaria negligi, singuli Pastores, tam horum, quam aliarum piarum fundationum, primo tempore conficiant pertinentem tabellam in Sacristia appendendam.

CAPUT XLVIII.

In Capellis tam erectis, quam erigendis, sub aliqua Parochiali nullæ poterunt decantari Missæ, nisi Dedicationis & Patroni ipsarum respective diebus.

CAPUT XLIX.

In iis tamen, quæ Beatæ Virgini specialiter sunt dedicatæ, poterunt Missæ de Beata tantum decantari, idque diebus ipsius Festivis, & Sabbatinis.

CAPUT L.

Tam vero dictis diebus Festivis B. MARIÆ, quam Dedicationis, & Patroni celebrari debebunt hæ Missæ, una hora ante, vel post Missam Parochialem, sicuti & Missæ privatæ, quando iisdem diebus Festivis vel Dominicis, illas celebrari continget, ut Parochiale Officium non impediatur.

CAPUT LI.

Tenebitur Ædituus, seu Custos cujuslibet dictarum Capellarum, Pastorem, Capellanos, & Matricularium loci, ad dicta decantanda Sacra invitare, vel personas, quæ Sacrum petunt decantari, ad eosdem remittere.

CAPUT LII.

Nulli enim permittimus Sacerdoti, vel Matriculario externo supradicta Sacra decantare, nisi Pastor & Matricularius loci requisiti id facere recusarint: excepto casu, quo circumvicini Pastores, cum populo, processionaliter venerint ad aliquam illarum Capellarum, devotionis ergo, solemniter celebraturi.

CAPUT LIII.

Nullo modo in præfatis Capellis reservetur Venerabile Sacramentum, licet illud sub Missæ tempore consecrari, & adventantibus ministrari possit.

CAPUT LIV.

Nullæ etiam ibi habeantur conciones, nisi diebus Dedicationis, Patroni, uti & Festivitatum B. MARIÆ, in Capellis ei specialiter dedicatis, idque a solo Pastore, vel ab alio de ejus assensu & extra tempus Divinorum Officiorum, in Parochiali fieri consuetorum.

CAPUT LV.

In nulla quoque dictarum Capellarum aliquod munus Parochiale exerceatur, ut sunt purificationes post partum, candelarum, aquæ lustralis, cinerum, palmarum, & novorum fructuum benedictio, neque Exequiæ, Missæ parvulorum, Anniversariorum, & Matrimoniorum celebrentur, aut solemnizationes eorumdem, vel alia officia, per Pastores fieri consueta, peragantur, nisi a Pastore, vel alio de ejus consensu.

CAPUT LVI.

Oblationes Missæ, seu Missarum, quas in illis Pastor, aut Rector in sua Capella personaliter celebrabit, solus respective accipiet; aliarum vero Missarum per quoscumque illæ celebrentur, etiamsi essent Capellani loci, modo non

non Rectores, cedent integre ipsis solis Capellis.

CAPUT LVII.

Æditui vero dictarum Capellarum, seu Mamburni præsentabuntur per Fundatores, vel iis deficientibus, per Communitatem, Decano vel Pastori loci, ut ab his approbentur, & constituantur, recepto juramento, de illis fideliter administrandis.

CAPUT LVIII.

Qui tenebuntur quotannis iisdem de receptis & expensis fideliter rationem reddere, præsentibus Fundatore, vel ejus hærede, & aliquibus de Communitate.

CAPUT LIX.

Earumdem Capellarum Fundatores, seu Dotatores, poterunt, quoad vixerint, Æditui officium subire, sub præfata obligatione reddendi quotannis computus & rationes.

CAPUT LX.

Ad quem effectum Æditūus, sive Mamburnus quilibet dictarum Capellarum diligenter, & ex conscientia colliget & conservabit eleemosynas, & oblationes, quæ quoquomodo a fidelibus fient.

CAPUT LXI.

Gazophilaciorum, vulgo *Troncq*, eleemosynæ sub duabus clavibus excipiantur, quarum unam Pastor, alteram Ædituus habeat.

CAPUT LXII.

Æditui nihil expendant de præfatis eleemosynis, aut oblationibus, nisi de consilio Pastoris.

CAPUT LXIII.

Capellæ Parochialibus Ecclesiis astructæ, seu adhærentes, ab illis reparentur, & conserventur, qui ad id de jure vel consuetudine tenentur.

CAPUT LXIV.

Si vero dictæ Capellæ sint extra Parochialem, Ædituus oblationes in earum conservationem & reparationem impendat, & iis non sufficientibus, Rector altaris, si quis sit, adjuvet, cujus si tenuiores sint redditus, populus, qui illis ütitur, contribuat, nisi aliud de consuetudine servetur.

CAPUT LXV.

Innovamus *Cap.* 4. *Tit.* 4. secundæ Synodi Namurcensis, de Mendicantibus per Ecclesias, tempore Divini Officii, quod optamus exacte servari, & in usum reduci.

CAPUT LXVI.

Ut caveatur insolentiis, quæ intempestiva nocte commemorationes fidelium defunctorum accidere solent ex pulsu campanarum, mandamus, ne ultra nonam vespertinam pulsentur, & ante quartam matutinam.

CAPUT LXVII.

Inhibemus, ne herbæ cœmiteriorum ab ullius, etiam Pastoris animalibus depascantur, nec eo loci lintea dealbentur, neque in Ecclesiarum vestibulis grana excutiantur.

CAPUT LXVIII.

In cœmiteriis arbores frugiferæ deinceps non plantentur.

CAPUT LXIX.

Nemo, absoluto Divino Officio, in Ecclesiæ vestibulo vel cœmiterio confabulationes misceat; & minus jurgia.

CAPUT LXX.

Pueri non permittantur ludere in cœmiteriis.

CAPUT LXXI.

In iisdem cœmiteriis, aut locis sacris nullæ merces venales exponantur.

CAPUT LXXII.

Renovamus *Cap.* 14. *Tit.* 11. secundæ Synodi Namurcensis, de Cœmiteriis.

TITULUS IV.

De Superstitione & Exorcismis.

CAPUT I.

NUllus se, vel animalia sua a morbo curari, & a periculis præservari procuret per superstitionem, aut verba magica, &, quod gravius est, non consulat Divinos, aut cribrum verti curet, ad cognoscendum, quis rem suam, vel alterius surripuerit, aut sibi malum intulerit.

CAPUT II.

Cum intelligamus, quotidie Matrimonia ligaturis perturbari, eorumque finem impediri, non obstante Præ-

decefforis noftri graviffimo Decreto, quo pernitiofiffimum hunc abufum, fub pœna excommunicationis, etiam fibi refervatæ, feveriffime prohibuit, Nos idem Decretum fub iisdem pœnis renovantes; mandamus Paftoribus, ut hujus flagitii gravitatem fæpius populo inculcent, & excommunicatos effe denuntient eos, qui ejusmodi ligaturis, aut aliis quibuscumque maleficiis, actum Matrimonii inter conjuges quomodolibet impedire conantur; cujus flagitii & excommunicationis, prout Prædeceffores noftri, abfolutionem Nobis refervamus.

CAPUT III.

Renovamus etiam *Cap.* 7. & 8. *Tituli* 1. fecundæ Synodi Namurcenfis.

CAPUT IV.

In fingulis Decanatibus tres vel quatuor Paftores defignentur, qui a Nobis obtineant facultatem exorcizandi.

CAPUT V.

Permittimus Sacerdotibus ufum legendi Evangelium S. Joannis, vel aliud conveniens, fuper capita fidelium, ftola in modum Crucis illis fuperpofita.

TITULUS V.

De Feftis & Jejuniis.

CAPUT I.

SI Feftum S. Marci in hebdomada Pafchæ, vel Dominica *Quafimodo* occurrere contingat, transferatur in primam feriam poft dictam Dominicam, Fefto folemni non impeditam, una cum proceffione, & abftinentia a carnibus per totum diem, & jejunio ufque ad prandium.

CAPUT II.

Quod fi in alia Dominica occurrat, Feftum fervetur ipfa die Dominica; at proceffio, abftinentia a carnibus per totum diem, & jejunium ufque ad prandium ferventur die fequenti.

CAPUT III.

Feftum Dedicationis Ecclefiæ noftræ Cathedralis, quod incidit in ultimam Dominicam Aprilis, eadem die per totam Diœcefim ab omnibus, etiam Regularibus, fervetur.

CAPUT IV.

Quia feftum S. Albani Martyris, Civitatis & Diœcefis Namurcenfis Patroni primarii, incidens in 21. Junii ob concurfum Feftorum, & Octavarum, non poteft ita commode cum fua Octava celebrari, & populus ratione meffis fubinde ab eo rite colendo avocatur: Feftum cum fua Octava in 22. Octobris (quæ eft ejusdem Sancti Translationis dies) a populo tunc celebrandum, transferimus. Ordinantes, ut dies ejus Natalis dicta 21. Junii ritu duplici per totam Diœcefim celebretur.

CAPUT V.

Renovamus *Cap.* 3. de Feftis, primæ Synodi Namurcenfis.

CAPUT VI.

Tempore fementis, tam Vere, quam Autumno, diebus Dominicis aut Feftivis terras colere, aut arare prohibemus.

CAPUT VII.

Renovamus *Cap.* 2. *Tit.* 5. de Feftis fecundæ Synodi Namurcenfis.

CAPUT VIII.

Permittimus Paftoribus, ut tempore meffis, urgente neceffitate, & extra tempus Divini Officii, Parochianis fuis operandi licentiam concedere poffint.

CAPUT IX.

Dominica *Quinquagefimæ* Paftores publicent Jejunium quadragefimale & abftinentiam a lacticiniis feria quarta Cinerum, & fexta Parafceves obfervandam; & declarent, quod nos aliis Quadragefimæ diebus, eorum ufum toleramus, modo qui illis utentur, pro recepto more, quinquies *Pater* & *Ave*, quotidie legant, vel capitatim duos ftuferos, in gazophylacia, ad hoc in fingulis Parochialibus conftituta, inferant, fabricæ Ecclefiæ noftræ Cathedralis applicandos.

CAPUT X.

Ultra jejunia hactenus in hac Diœcefi obfervari folita, etiam Vigilia Pentecoftes jejunetur ex præcepto.

CAPUT XI.

Fefto Venerabilis Corporis Chrifti occurrente in Vigilia S. Joannis Baptiftæ,

ſtæ, vel Nativitate ejusdem, jejunium ſervetur feria quarta præcedente.

CAPUT XII.

Eodem Feſto occurrente in die Nativitatis ejusdem Sancti, Feſtum S. Joannis transferatur in diem ſequentem, celebrandum etiam a populo.

TITULUS VI.

De Imaginibus & Reliquiis Sanctorum.

CAPUT I.

NEmo venerationi populi novas Reliquias, a quocumque oblatas, vel acceptas exponat, niſi prius a Nobis recognitas & approbatas.

CAPUT II.

Et ſi quæ modo non approbatæ alicubi exponantur, ſtatim removeantur, donec a Nobis ſint recognitæ & approbatæ, exceptis iis, quæ ab immemoriali tempore pro veris Reliquiis habitæ & cultæ fuerunt.

CAPUT III.

Dum vero exponentur, Paſtores, & ii, quorum intereſt, caveant, ne qua iis fraus fiat, adhibita congrua cuſtodia, & nunquam exponantur, niſi cum debita reverentia, & ſuppoſita mappa, ſeu linteo, & nihil earum, Nobis inconſultis, cuiquam diſtribuatur.

CAPUT IV.

Feretra, a quibus ablatæ ſunt Reliquiæ, removeantur.

CAPUT V.

In proceſſionibus nullæ, uti hactenus, imagines, vel Reliquiæ per puellas deferantur.

CAPUT VI.

Quæ ad ornatum Supplicationum proponuntur, ejusmodi ſint, quæ oculos ſpectantium non offendant; eapropter tempore earum, nullæ imagines laſcivæ, vel quæ turpitudinem redolent, exponantur; cujus rei Paſtores ſubditos ſuos moneant.

TITULUS VII.

De Sacramentalibus & Sacramentis in genere.

CAPUT I.

OLeorum vaſcula permittimus turbulento hoc tempore fieri ex ſtanno, ſi non poſſunt ex argento. Separato vaſculo Olei infirmorum a duobus aliis ſimul junctis, ſuis notulis diſtincta; quæ omnia munde & honeſte conſerventur.

CAPUT II.

Si quando contingeret aliquod Oleorum ſacrorum exareſcere, aliud non benedictum non admiſceat Paſtor, ſed a Nobis, aut Archi-Presbytero noſtro petat benedictum.

CAPUT III.

Olea ſacra loco decenti, tuto, a Venerabilis Sacramenti Tabernaculo, & a majori Altari ſeparato, reponantur, videlicet in loculis, in quibus hactenus Sacra Euchariſtia reſervata fuit, quam nunc in Altari aſſervandam mandavimus.

CAPUT IV.

Quando veterum ſacrorum Oleorum vaſcula, pro novis imponendis mundanda erunt, parentur honeſta alia vaſcula, in quibus pro populi neceſſitate tantisper hæc conſerventur, donec nova allata ſint.

CAPUT V.

Cineres goſſipii Oleorum ſacrorum, feriæ quartæ Cinerum, linteorum Confirmationis, corporalium, & ex aliarum rerum ſacrarum combuſtione provenientes, in piſcinam vel cœmiterium projiciantur, & non in ignem domeſticum.

CAPUT VI.

Nullus Sacerdos, etiam Regularis, præſumat absque noſtro conſenſu cuipiam occulte Sacramenta deferre.

CAPUT VII.

Ante Sacramenti ad infirmos delationem, aliquot campanæ pulſus dentur, ut populus ad comitandum Sacerdotem, & pro infirmis orandum, invitetur.

CAPUT VIII.

Moneatur populus, Nos iis viginti dierum Indulgentias concedere, qui audiendo Sacrum genua flectent a *Sanctus, Sanctus*, usque ad Calicis sumptionem, & omnibus, qui comitabuntur Parochum deferentem sacrum Viaticum, aut Extremam Unctionem infirmis.

CAPUT IX.

Procurent Pastores, ut in ingressu singularum portarum Ecclesiæ vas aquæ benedictæ apponatur.

CAPUT X.

Deinceps in singulis Parochiis Matricularius, vel alius ab eo substitutus, aquam lustralem ad domos Parochianorum Dominicis diebus deferat, nulla autem ratione ejus uxor, filia, vel alia mulier.

CAPUT XI.

Renovamus *Cap.* 4. *Tit.* 6. secundæ Synodi Namurcensis, de Sacramentorum administratione. Item *Cap.* 5. 8. 10. 14. 15. 16. 17. 19. *&* 20. *ejusdem Tituli.*

CAPUT XII.

Registra Pastoralia in Sacristia, & non domi Pastorum reserventur, ut facta alicujus Sacramenti collatione illico Pastores possint Baptizatorum, & Matrimonio junctorum nomina inscribere, juxta formulas Ritualis Romani.

TITULUS VIII.

De Sacramento Baptismi.

CAPUT I.

Fontes baptismales ubique sub sera & cancellis clausi & mundi, a sordibus & bestiolis serventur.

CAPUT II.

Infantem extra Ecclesiam Parochialem baptizare, nemo præsumat citra casum necessitatis, aut nisi filios Principum.

CAPUT III.

Nullus audeat infanti solum Baptismi Sacramentum, non adhibitis Ecclesiæ cæremoniis, conferre, eo quod Patrinus expectetur, sed intra triduum a nativitate omnes infantes solemniter baptizentur, & id facere negligentes, Decano, vel Nobis deferantur.

CAPUT IV.

Obstetrices moneantur, ut intra dictum tempus infantes baptizandos Pastoribus denuntient, significentque parentibus, ut procuratorem nomine exspectati Patrini accipiant, quandoquidem non ipse procurator, sed patrinus absens, fiat infantis susceptor, & cognationem spiritualem cum eo, & illis contrahat.

CAPUT V.

Parochus non differat Baptismum conferre, ex eo, quod baptizandus sit illegitimus, vel ex parentibus ignotis aut exteris, casu illic natus, sive quod nullus pro ejus alimentatione fidejubeat, etiamsi Magistratus loci, vel alius quilibet, ob prædictas vel alias causas puerum baptizari nolint.

CAPUT VI.

Infantes illegitime nati, ad Ecclesiam sine solemnitate deferantur, & illorum matres a puerperio non purificentur.

CAPUT VII.

Decreto Synodi a Prædecessore nostro habitæ anno 1625. Tit. *De administratione Sacramentorum.* §. *Si contingat.* pro pacificandis timoratorum Pastorum nostrorum conscientiis, addendum censuimus, ut hi, postquam de materia & ejus applicatione: de forma, & ejus pronuntiatione, deque Obstetricis, aut Ministri intentione, capacitate & conditione, respondendi modo, & aliis circumstantiis debite se informarint; si aliquod eis de valore Baptismi, morale dubium vel hæsitatio superfuerit, sub conditione Baptismum conferant.

CAPUT VIII.

Nullæ admittantur Obstetrices, nisi bene doctæ & juratæ.

CAPUT IX.

Renovamus, & sedulo observari præcipimus *Cap.* 8. *Tit.* 6. secundæ Synodi Namurcensis, quod de instructione, idoneitate & officio Obstetricum statuit.

CAPUT X.

Pastores inter concionandum, præsertim catechizandum, Parochianos doceant materiam & formam Baptismi, ut quisque in casu necessitatis aptus sit illum conferre.

CAPUT XI.

Hortentur Paſtores prægnantes mulieres, ut ad fœlicem partum per Sacramentum Confeſſionis, & Communionis ſuſceptionem ſe diſponant: maxime illas, quæ partum hactenus non ſunt expertæ.

CAPUT XII.

Ad proles ſuſcipiendas in Baptiſmo Paſtores non admittant eos, qui ebrii, vel ſemi-ebrii ſunt, aut juniores, qui neſciunt rudimenta fidei, neque plures, quam unum ſuſceptorem, aut ad ſummum unum, & unam admittant; nominaque Paganorum nulla ratione parvulis imponantur, immo ne veteris Teſtamenti: cum enim id hæreticis peculiare ſit, ideo ab eis abſtinendum declaramus.

CAPUT XIII.

Quando infans non eſt legitimus, & de utroque parente publice conſtat, utriusque nomen & cognomen in regiſtro Baptizatorum deſcribatur; & ubi tantum de altero parente publice conſtat, illius tantum nomen cum cognomine annotetur; porro ſi de neutro parente publice conſtat, Paſtor ſcribat in hunc modum: *Baptizavi infantem, cujus parentes ignorantur, natum N. menſis N. anni N. nomine N. Suſceptor fuit N. N.*

TITULUS IX.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

PAſtores moneant grandiores confirmandos, ſuſceptioni Sacramenti confeſſionem præmittere.

CAPUT II.

Item, ut die Confirmationis omnes ad illam præſentandi, cultiori habitu induti, munda facie, & jejuni, quantum tempus & ætas feret, lineis faſciis, mundis & oblongis, aliisque neceſſariis inſtructi, coram Epiſcopo, cum patrino reverenter compareant, nec recedant, niſi Sacramento & Benedictione Pontificis accepta.

CAPUT III.

Nullus alias confirmatus ad hoc Sacramentum iterato ſuſcipiendum ſe offerat.

CAPUT IV.

Pater, vel Mater, proles ſuas confirmandas nullo modo teneant, & nullus non confirmatus alium teneat, vel offerat, & qui Fidei rudimenta non calleat.

CAPUT V.

De quibus omnibus, uti & de cognatione ſpirituali inde contracta inſtante Confirmationis tempore, Paſtores ſubditos ſuos præmoneant & inſtruant.

TITULUS X.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

COnfeſſionalia, ſi quæ ſint in Sacriſtiis, inde quamprimum removeantur, & aperto loco reponantur, extra quæ mulierum confeſſiones non audiantur, nec in tenebris, niſi lumine adhibito.

CAPUT II.

Fiant autem ubique illa utrimque cum cancellis.

CAPUT III.

Confeſſarii nullius, nequidem Sacerdotis confeſſionem audiant, niſi ſedentes, nec aliter, quam tecto capite, uti Judices decet, pœnitentem abſolvant.

CAPUT IV.

Utantur autem forma abſolutionis, quam hic ſubjungimus: *Dominus noſter JESUS CHRISTUS te abſolvat, & ego authoritate ipſius te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis, (ſuſpenſionis) & interdicti, in quantum poſſum, & tu indiges, deinde te abſolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Si pœnitens ſit Laicus, omittatur verbum: *Suſpenſionis.*

CAPUT V.

Permittimus Paſtoribus, & eorum Vicariis, in quorum Parochiis ſunt Confraternitates, vel Indulgentiæ plenariæ, ut illarum diebus quosvis adventantes, & ubi eſt peregrinatio, omnes peregrinantes abſolvere poſſint: & ſi quis eorum facultatem habeat abſolvendi a caſibus Nobis reſervatis, illa erga eosdem tempore & loco prædictis uti poſſit.

CAPUT VI.

Reſervamus Nobis omnem caſum, cui annexa eſt excommunicatio major, de jure, aut ex Decreto S. Concilii Trid. Epiſcopis reſervata; Hæreſim, apoſtaſiam, homicidium voluntarium, incendium voluntate deliberata procuratum, concubitum contra naturam, raptum virginum, incœſtum cum Sanctimonialibus, conſanguineis, aut affinibus in primo & ſecundo gradu, adulterium manifeſtum, manuum violentam injectionem in parentes, veneficium, ſortilegium, ligaturam, & omne maleficium, quo impeditur actus matrimonialis in conjugibus, oppreſſionem tenellorum negligentia qualibet proveniente factam, Simoniam realem, & omnia alia prædictis graviora, in eodem genere peccati: Apoſtolicæ tamen Sedi, ſuis caſibus ſemper ſalvis.

CAPUT VII.

In unoquoque Decanatuum diſtrictu duo Parochi e prudentioribus locis opportunis reſidentes, in ſingulorum Congregatione Capitulari eligantur, & electorum nomina ad Nos referantur, qui accepta a Nobis licentia (ſicut & ipſi Decani) a ſupradictis caſibus Nobis reſervatis, ſuorum reſpective diſtrictuum Chriſti fideles in foro conſcientiæ tantum abſolvere poſſint, & valeant; Nemo tamen prædictorum, virtute ejusmodi conceſſionis, quempiam præſumat ab hæreſi abſolvere, niſi ſpecialem licentiam id faciendi, in ſcriptis obtinuerit.

CAPUT VIII.

Nullus nequidem Regularis, alicujus confeſſionem, niſi is infirmus fuerit, extra Eccleſiam, vel locum ſacrum audiat.

CAPUT IX.

Declaramus liberum eſſe Paſtoribus, & quibuslibet Diœceſis noſtræ Sacerdotibus confiteri, cuicumque voluerint Sacerdoti approbato.

CAPUT X.

Sacerdotes, quam poſſunt ſæpiſſime confiteantur.

CAPUT XI.

Doceant Paſtores Parochianos ſuos modum rite confitendi, & contritionem eliciendi.

CAPUT XII.

Renovamus *Cap.* 6. primæ Synodi Namurcenſis, de Pœnitentia.

CAPUT XIII.

Item §. *Confeſſarius*, Tit. *De adminiſt. Sacrament.* Synodi anni 1625.

CAPUT XIV.

A Nobis admiſſus ad audiendas in certa Parochia confeſſiones, in alia, etiam invitatus a Paſtore, audire non præſumat.

TITULUS XI.
De Sacramento Euchariſtiæ.

CAPUT I.

OMnia Tabernacula Venerabilis Sacramenti illico reponantur in medio ſummi Altaris.

CAPUT II.

Singulis ſeptimanis ſacræ Hoſtiæ renoventur, vel ſæpius, ſi loci humiditas id requirit.

CAPUT III.

Nunquam maneat expoſitum Venerabile Sacramentum ſine lumine, nec etiam ſine aliquo cuſtodiente, niſi clauſa Eccleſia.

CAPUT IV.

Quotiescumque Venerabile Sacramentum exponitur, ſemper ei ſupponatur corporale, & illo expoſito, in eodem Altari nullæ Reliquiæ ponantur.

CAPUT V.

Habeant Paſtores parvam pyxidem, in qua conſecrentur minores Hoſtiæ.

CAPUT VI.

Si noctu non poteſt, ardeat ſaltem de die lampas ante Venerabile Sacramentum, in quam rem deſpiciant Decani in viſitationibus ſuis, unde ſumptus præſtari poterunt.

CAPUT VII.

Paſtores ſemper penes ſe reſervent claves Tabernaculi Venerabilis Sacramenti, Repoſitorii, in quo vaſcula Oleorum ſacrorum aſſervantur, & Fontis Baptiſmalis, quas ex Parochia diſcedentes, cuſtodiendas committent Subſtituto ſuo.

CAPUT VIII.

Nulli Laico communicanti detur ablutio ex calice.

CAPUT IX.

Corporalia & purificatoria nulla ratione aqua benedicta, vel in ejus vase laventur, sed in alio mundo vase aqua naturali, quam postmodum in piscinam projiciant, vel in cœmiterium.

CAPUT X.

Nullus admittatur ad Sacramentum Eucharistiæ, qui non sciat: *Pater*, *Ave*, *Credo*, præcepta Dei & Ecclesiæ, & non sit de hujus Sacramenti Mysterio mediocriter instructus.

CAPUT XI.

Pastores promiscue non administrent Communionem Paschalem extra Ecclesiam Parochialem, nisi id rationabili de causa in Capella, vel Oratorio, infra Parochialem sitis, aliter fieri expediat.

CAPUT XII.

Optandum esset, ut populus simul cum Communione Paschali Missam Parochialem audiret, ad quod Parochi suos subditos exhortentur, nec ægre ferant Pastores, si illi antea privilegiatis sint confessi.

CAPUT XIII.

Pastor summum Sacrum celebrans, Communionem nemini, nisi Missa absoluta, administret.

CAPUT XIV.

Quem contigerit in Paschate ex justa causa extra Parochiam communicasse, is Pastori suo de eo fidem faciat.

CAPUT XV.

Infirmorum confessiones prius excipiantur, quam Pastor eis deferat Venerabile Sacramentum, excepto casu necessitatis.

CAPUT XVI.

Omnes Parochiani, dum incipiunt infirmari, curent sibi tempestive & de die Sacramenta administrari, quod si noctu aut vespera superveniente petant Sacramentum, mittant aliquos vicinos, qui Pastorem deducant, & comitentur.

CAPUT XVII.

Pastores plures semper Hostias infirmis Viaticum administraturi deferant, ut saltem cum una ad Ecclesiam redeant.

CAPUT XVIII.

At pluviosa aura, vel ad remotiora loca, unam duntaxat Hostiam ægroto deferentes, id non faciant, nisi stola & superpelliceo induti, cum lumine & nola, Matriculario comitante; sed regredientes, inane vasculum, occulte, silente campanula, & sine lumine, exuti stola & superpelliceo ad Ecclesiam redeant, iis, qui comitati fuerint, præmonitis, unicam tantum Hostiam ad ægrotum delatam fuisse.

CAPUT XIX.

Semper remaneat in Ecclesia pro adoratione fidelium saltem una Hostia consecrata, etiam dum Sacramentum ad infirmos defertur.

CAPUT XX.

In processionibus Dedicationum, ad quas populus convenit magis spectandi gratia, quam devotionis, non deferatur Venerabile Sacramentum, & quando continget deferri, nullæ aliæ Reliquiæ, vel imagines Sanctorum deferantur.

CAPUT XXI.

Insistentes ordinationi Prædecessoris nostri, Tit. *De Sacrament. administr.* §. 12. Synodi anni 1625. super frequentia delationis Augustissimi Sacramenti, quæ fieri solet minori cum reverentia, quam quæ tanto Sacramento debetur; mandamus, ne imposterum illud deferatur in processionibus, nisi in illis, quæ fiunt in festo Corporis Christi, & per ejus Octavas, festis Dedicationis Ecclesiarum, & Confraternitatum ejusdem Venerabilis Sacramenti, nec non in iis, quæ per Nos fient, aut fieri mandabuntur pro re gravi, & Ecclesiæ aut Patriæ necessitatibus: in die vero Patroni, sola ejus imago vel Reliquiæ deferantur.

TITULUS XII.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

INsistentes Prædecessoris nostri vestigiis, monemus, ne quis deinceps ad Ordines se præsentet, nisi prius Ecclesiam delegerit, cui per Nos adscribatur,

batur, ubi suis fungatur muneribus; & cum turpe sit, populo Divinis Officiis vacante, Sacerdotes, & alios in Sacris constitutos, cum illius scandalo eo tempore vagari: omnibus, qui hactenus absque hujusmodi adscriptione a Nobis ordinabuntur, præcipimus, ut inposterum omnia officia in Ecclesia Parochiali, sub qua degunt, diligenter frequententent, & reverenter Pastori obediant, cum ipsi, æque ac cæteri Laici, sint ipsius Parochiani.

CAPUT II.

Volumus formulis Testimonialium pro iis, qui ad Ordines promoveri desiderant, addi: quod sint de legitimo thoro procreati, ex parentibus N.N.

CAPUT III.

Quando autem ex depositione testium deficiente registro Baptismali dandæ erunt similes Testimoniales, dentur sub forma, præscripta in Synodo Namurc. anni 1625.

CAPUT IV.

Sciant promovendi ad Ordines majores, neminem a Nobis deinceps ordinandum, nisi examinandus exhibeat Nobis fide digna testimonia laudabilis vitæ anteactæ, proclamationum factarum in Ecclesia, sub qua residet, ætatis, Ordinum præcedentium susceptorum, eorumdemque facti exercitii, tituliqùe sufficientis documenta.

CAPUT V.

Subdiaconandi titulo Beneficii, æque ac Patrimonii, solitum juramentum præstent de eo non alienando.

TITULUS XIII.

De Sponsalibus & Matrimonio.

CAPUT I.

Cum Sponsalia justas ob causas ex Ecclesiæ consuetudine debeant præcedere Matrimonii Sacramentum; jubemus, ut illa a contracturis Matrimonium celebrentur.

CAPUT II.

Quæ nonnisi coram alterutrius desponsandorum Parocho, vel ejus vices gerente, aut altero, de nostra licentia contrahantur, neque etiam alibi, quam publice in Ecclesia, seu sacra aliqua Capella, & præsentibus testibus; nullo autem modo in tabernis, vel loco profano.

CAPUT III.

Proclamationes bannorum ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus Festivis, in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntientur; & si contrahentes Sponsalia, sint diversarum Parochiarum, illæ fiant in utraque Parochia.

CAPUT IV.

Et quia ex illarum omissione (quod S. Concilium Trid. Matrimonii celebrationi præmittendas, saluberrime præscribit) gravia incommoda enasci, pronum est, raro, & nonnisi ex justa & legitima causa in eis dispensabimus, renovando *Cap.* 5. Synodi 1. Namurc. nullo autem modo Pastores super illis dispensare præsumant.

CAPUT V.

Inquirat Pastor a desponsandis, seorsim ad se vocatis; præsertim si minus sibi noti sint, an sint confirmati, an credant, quidquid Sancta Ecclesia Catholica Romana credit, an sciant Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Dei & Ecclesiæ præcepta, & Sacramenta: an sponte & a nemine coacti mutuo fidem sibi daturi, convenerint: an sint liberi, & non altero Matrimonio, aut aliis Sponsalibus, vel voto perpetuæ castitatis illigati: denique an nullum noverint canonicum inter se consanguinitatis, affinitatis vel cognationis spiritualis, vel aliud ejusmodi impedimentum.

CAPUT VI.

Advertat diligenter Parochus, cum ad ea celebranda desponsandi venerint, an sobrii sint.

CAPUT VII.

Nullus Pastorum Sponsalia inter suos subditos contracta, propria authoritate remittere præsumat.

CAPUT VIII.

Curatus alicujus Ecclesiæ habens fixum domicilium in aliena Parochia, sine consensu Pastoris loci illius, neminem domesticorum suorum Matrimonio

nio jungat, aut eis Communionem Paschalem vel Viaticum administrare attentet, cum ipse illorum non sit Pastor, sed Parochus loci.

CAPUT IX.

Meminerint Parochi sub gravi pœna sibi non licere vagorum hominum, militum transeuntium, & eorum, quorum alter conjux abest, quantocumque etiam tempore abfuerit, nulla habita certitudine de ejus morte, Matrimoniis interesse, nisi re prius ad Nos, vel Vicarium nostrum delata, licentiam obtinuerint.

CAPUT X.

Qui alios, quam suos Matrimonio conjunxerint absque nostra, vel alterius contrahentis Parochi licentia in scriptis accepta; ultra pœnas contra ejusmodi transgressores a Concilio Trident. inflictas, mulctam triginta florenorum incurrant, vel aliam arbitrariam graviorem: quas pœnas etiam incurrat, qui omissis proclamationibus, vel aliqua earum, suos, vel aliquem suorum, cum alterius loci Parochiano conjunxerit, antequam de illis, eo in loco rite factis testimonio Pastoris, vel de earum legitima relaxatione, sibi constiterit.

CAPUT XI.

Si quis Parochianos suos non servata S. Conc. Trid. forma, aut inter quos impedimentum aliquod novit existere, non obtenta dispensatione, conjunxerit, pœnam incurrat quinquaginta florenorum.

CAPUT XII.

Qui vero aliquo ejusmodi impedimento existente, scienter, aut non servatis S. Conc. Trid. forma, & modo, coram Parocho non approbante, vel invito, Matrimonium contrahere præsumpserint, gravissima pœna pro facti exigentia, per nostrum Officialem puniantur.

CAPUT XIII.

Norint exacte Pastores omnia impedimenta dirimentia, & impedientia Matrimonii.

CAPUT XIV.

Renovamus *Cap.* 6. primæ Synodi Namurcensis, de tempore clauso, in Tit. *de Matrim.*

CAPUT XV.

Quia vero in Rituali Romano, quo nostra Diœcesis pridem utitur, Ordo celebrandi Sponsalia non continetur, illum hic ex Cameracensi referendum censuimus.

Ordo celebrandi Sponsalia.

SAcerdos indutus superpelliceo, & stola, vel paramento officii, constitutis ante se futuris conjugibus, & præsentibus testibus, compellat cunctis audientibus primo futurum Sponsum ex nomine, dicens:

N. Estes vous icy venu, de vostre libre volonté, & sans contraincte, pour promettre mariage à N. qui est icy presente? Resp. *Ouy.*

Tum futuram Sponsam similiter compellat, & dicit:

N. Estes vous icy venuë, de vostre libre volonté, & sans contraincte, pour promettre mariage à N. qui est icy present. Resp. *Ouy.*

Accepta ejus Responsione affirmativa cum decente verecundia utriusque dexteras apprehendet, & eas conjunget, dicens futuro Sponso, ut primum ipse solus post se dicat:

En la presence des assistans, je N. promet à vous N. (que je tiens par la main) que je vous prendray pour ma femme, si nostre mere la Sainte Eglise y consente.

Idem facere futuram Sponsam jubebit, dicens:

En la presence des assistans, je N. promet à vous N. (que je tiens par la main) que je vous prendray, pour mon mary, si nostre mere la Sainte Eglise y consente.

Postea subinfert Sacerdos: *Et Ego tanquam Ecclesiæ Minister, ejus nomine, mutuam hanc vestram promissionem approbo & accepto: in nomine Patris, & Filii † & Spiritus Sancti, Amen.*

Aspergensque eos aqua benedicta, dicit: *Aspergat vos DEUS rore gratiæ suæ, in vitam æternam.* Resp. *Amen.*

Deinde subjiciet:

Je vous fait commandement de la part de Monseigneur le Reverendissime Evêque de Namur, qu'en de dans quarante jour, vous

ayez accomplis vos promesses, & solemnize le mariage encommencé. Et cependant je vous admoneste l'un & l'autre, de vous comporter honêtement & modestement avec la crainte de Dieu, tout le têms que vous serez en fian çailles: & de vous confesser, & recevoir votre Createur, du moins deux ou trois jours devant vos nopces. Et je prie Dieu que cette alliance, puisse reüssir à son bonneur, à vostre salut & à la consolation de tous vos parens, & amis.

Quibus actis, describentur in registro eorum nomina, & cognomina, simul cum testibus, die, mense, & anno, quando & ubi hæc acta sunt.

Si Desponsati fuerint diversarum Parochiarum, Parochus, coram quo contracta sunt Sponsalia, hoc quamprimum significabit Rectori alterius Parochiæ, ut ipse ex sua parte proclamationes requisitas faciat: nec ille Parochus, coram quo Matrimonium erit celebrandum, sive viri, sive mulieris sit, ad ejus solemnizationem procedat, nisi visa alterius Parochi legitima attestatione: dum de dictis proclamationibus factis, nulloque cognito impedimento, tum quod contrahere volens, sit vere Catholicus, ac Confessione facta, sacram etiam Communionem perceperit. Si vero Desponsati sint diversorum Decanatuum, Parochus de supradictis rite peractis, certiorem reddet suum Decanum, qui hoc ipsum significabit alteri Decano. Quod si sint diversorum Episcopatuum, Decanus diriget literas suo Episcopo, vel ejus Officiali; qui deinde suis literis, in debita forma expeditis, testabitur prædicta omnia rite & legitime fuisse peracta, ut hac ratione multis fraudibus in re tanti momenti, admodum periculosis, obvietur.

Denuntiationes futuri Matrimonii, seu banna, tribus Dominicis, vel Festis, uno a se invicem ut minimum die distantibus, inter Missarum solemnia, sunt promulganda. Et si alter desponsatorum alienæ sit Parochiæ, ea etiam nominatim erit exprimenda, hac, vel simili verborum forma:

De l'auctorité de nostre Mere Sainte Eglise, & de Monseigneur l'Evêque de Namur, nous annonçons les premiers, deuxièmes, troisièmes bans entre N. de la Paroisse de N. d'une part, & N. de la Paroisse de N. d'autre part. Si quelqu'un sçait entre ces personnes quelque empechement de cousinage, affinite, comperage, impuissance, ou autre semblable, pour lequel elles ne pourroient être legitimement mariées, nous luy commandons sous peine d'excommunication, qu'il nous en advertist discretement & secretement.

Sequuntur vulgaria & communiora Matrimonii impedimenta, quæ ex Synodi præscripto, bis singulis annis populo sunt proponenda.

Les empechemens principaux de Mariage, desquels vous nous devez advertir, si vous les sçavez, ou si vous en doutez, sont ceux cy. Sçavoir:

S'i ceux qui se veuillent marier, ne sont pas autre part mariez.

Si leur partie est certainement morte.

S'ils n'ont pas fait voeu en Religion.

Si l'homme n'est pas Soubdiacre, Diacre, ou Prêtre.

S'ils n'ont pas levez l'un l'autre, au Batême, ou tenus l'un l'autre en la Confirmation.

Si ayans autrefois eu des enfans, ils n'ont pas leve au Batême, ou tenus à la Confirmation les enfans l'un de l'autre.

S'ils sont Oncle, Tante, Neveux, Niece, en plus haut ou plus bas degré, de ligne droite.

S'ils sont cousins germains, issus, ou remeus germains, l'un à l'autre.

S'ils ont fiancé, épousé ou charnellement connu les parens l'un de l'autre.

S'ils sont contraincts de se marier, ou fort menacez de leurs Parens, Tuteurs, ou autres.

S'ils ont quelque empechement secret, pour lequel mariage ne se puisse accomplir.

Absque tribus proclamationibus non præsumat Parochus ullos Matrimonio jungere, nisi earum remissionem viderit, per Episcopum, aut ejus Vicarium in scriptis factam: immo & post tertiam denuntiationem non nisi interjecto adhuc die, aliquos conjungat.

Si Parochus interea aliquod Canonicum impedimentum (dum dictæ Sponsalium publicationes fiunt) a quopiam rescifcat, non ultra progrediatur; sed

ſed totum negotium ad Ordinarium remittat.

Forma reſcriptionis Denuntiationum matrimonialium, ſeu bannorum, ſit hæc aut ſimilis:

Ego N. Parochus Eccleſiæ de N. fidem facio, quod tribus Dominicis, vel Feſtivis diebus in Eccleſia infra Miſſarum ſolemnia publice proclamavi banna N. mei Parochiani, & N. Parochianæ loci de N. rite affidatorum, quodque nullum legitimum oppoſitum fuit impedimentum, nec ipſe deprehendi, propter quod Matrimonio conjungi non poſſint: teſtor quoque eundem N. confeſſum fuiſſe, & Euchariſtiæ Sacramentum recepiſſe. Datum ſub mea ſignatura, anno Domini &c. &c. Ita teſtor N.N. Parochus loci de N.

TITULUS XIV.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT I.

PArochum ſacrum Oleum infirmorum ad ægrotos deferentem, Matricularius detecto capite comitetur, non tamen lumen, aut nolam ſonantem præferat, niſi ſimul deferatur Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ.

CAPUT II.

Si ægrotum inter ungendum ſpiritum emittere contigerit, Sacerdos ungere non pergat: ſi vero aliqua vi morbi, ſubito illum opprimente, dubitetur, vivusne ſit an mortuus, qui ungere cœpit, ſub hac conditione unctionem continuet: *Si tu es vivus, per iſtam Unctionem* &c. &c.

CAPUT III.

Parochus, ſi per errorem Oleum Catechumenorum, aut ſanctum Chriſma ad ægrotum ungendum adhibuerit; errorem advertens, Olei ſacri, quod proprium infirmorum eſt, unctionem eidem adhibeat, & Sacramenti formam iteret.

CAPUT IV.

Infirmis, qui ſana mente hoc Sacramentum petierunt, aut per vitam bene actam petiiſſe præſumuntur, etiamſi poſtea in amentiam inciderint, vel ratione, vel ſermone uti deſierint, Sacramentum hoc adminiſtretur.

CAPUT V.

Si quis membro careat, quod inungi præſcriptum eſt, inungatur pars illi proximior.

CAPUT VI.

Ungens oculos, aliaque membra, quæ in homine paria ſunt, cum utrumque membrum, unius tantum ſenſus ſit, utriusque unctio, abſolvatur unica ſolum membrorum forma, fiant tamen duæ Cruces, ſicut & duæ unctiones.

CAPUT VII.

Cœcis & ſurdis à nativitate, oculi & aures nihilominus inungi debent, quia peccare potuerunt per internas potentias, quibus ea membra reſpondent.

CAPUT VIII.

In ea ægritudine, etiam ad plures menſes perdurante, nemini hoc Sacramentum ſæpius conferatur, niſi peritorum judicio, ſtatus morbi mutatus fuerit.

CAPUT IX.

Quia advertimus ex pluribus viſitationibus, Paſtores tempore peſtis, negligere Sacramentum Extremæ Unctionis infectis impertiri, eo quod promiſcue teneant, nulli peſte infecto, illud eſſe miniſtrandum. Nos ſaluti ſubditorum noſtrorum conſulere volentes, ordinamus, ut Paſtores ſuis ſubditis, peſtilentia correptis, quantumvis Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ eis adminiſtraverint, non omittant etiam Extremam Unctionem illis dare, ſi id absque manifeſto vitæ periculo præſtare poſſint.

CAPUT X.

Qui autem peſte afflatus non eſt confeſſus, nec poteſt confiteri, Paſtor teneatur illi Extremam Unctionem, etiam cum vitæ periculo, dare.

CAPUT XI.

Ut autem proſpiciatur Miniſtro illud conferenti, & ſimul conſulatur integritati Sacramenti, quinque unctiones adhibeat, ungendo quinque ſenſuum organa, quæ ſunt in capite, videlicet ex duobus organis ejusdem ſenſus, ſaltem unum magis obvium, oculum ſcilicet, aurem, narem, os & genam pro tactu, vel certe continuata & celeri

celeri unctione, quæ omnia prædicta organa attingat, incipiendo ab aure, transeundo ad oculum, & ab oculo ad genam, ad narem & os sub hac forma: *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum & locutionem, & tactum.*

CAPUT XII.

Et ut minori cum periculo hoc Sacramentum conferatur, poterit illud Minister statim dare post confessionem & sacram Communionem factam, & receptam ab infirmo.

CAPUT XIII.

Sacerdos, quantum fieri potest, curet, ut infirmus aperto loco exponatur.

CAPUT XIV.

Deinde eminus ungat infirmum, gossipio Oleo infirmorum intincto, ad baculi, seu virgulæ oblongioris extremitatem alligato.

CAPUT XV.

Et preces omnes tam præcedentes, quam subsequentes, ejusmodi Sacramenti administrationem, in Ecclesia ipsa postea suppleat.

CAPUT XVI.

Habeat insuper antidota aliqua penes se, quibus de Medicorum præscripto se in ejusmodi occasionibus præmuniat.

TITULUS XV.

De Testamentis.

CAPUT I.

SCiant Decani, ex officio, se non posse valide recipere Testamenta Pastorum sibi subditorum, uti neque Pastores, alterius sibi Confratris Parochi, vel alterius Sacerdotis, sui non Parochiani.

CAPUT II.

Piam & receptam consuetudinem aliquid relinquendi Cathedrali Ecclesiæ in Testamenti confectione, Pastores testantibus commendent, ut aliquo legato eam agnoscant, quod ipsi recipient, Magistro fabricæ dictæ Ecclesiæ consignandum; & casu quo hæredes deficerent, vel negligentes se præberent, dictum Magistrum fabricæ de eo certiorem faciant: populum vero moneant interdum pro suggestu, & occasione, dum Testamentum condunt, hujus rei sint memores.

CAPUT III.

Caveant serio Pastores, ne a moribundis aliquid sibi Testamento legari petant, si autem nihil eis relictum sit, ab hæredibus nihil exigant, sub gravi pœna.

CAPUT IV.

Quia sæpe contingit fidelium Testamenta, etiam ad pias causas facta, ob Juris Civilis non servatas solemnitates, in dubium revocari, & sic Testatores, sua pia voluntate frustrari; ut huic malo medeamur, omnibus Pastoribus nostris, & eorum Vicariis injungimus, ut quæcumque deinceps Testamenta recipient, ea fideliter, & ad longum in scriptis redigant, observata 12. Articuli Edicti perpetui anni 1611. forma, juxta quam curent dicta Testamenta a Testatoribus, & duobus Testibus idoneis, viris probis, ad hoc vocatis subsignari, quæ deinde ipsimet etiam subsignent, & casu, quo dicti Testatores, vel Testes rogati ut subsignent, propter scribendi inscitiam, debilitatem, aut aliam causam subsignare non valerent, ejus impotentiæ causam annotent: Quod si quis Pastorum, vel eorum Vicariorum in supradictis negligens fuerit, pœna arbitraria ex nunc pro tunc per Nos infligenda, sciat se puniendum, & ad satisfaciendum parti sua incuria læsæ, obligatum.

CAPUT V.

Renovamus Titulum: *De Testamentis, & testamentorum Executoribus*, primæ Synodi Namurcensis.

CAPUT VI.

Ut autem in hoc rudioribus consulamus, sequentem formulam vernaculo idiomate, qua uti possint (si velint) subjungendam duximus.

Au nom du Pere, du Fils, & du Saint Esprit, Amen. Le N. jour, du mois N. de l'an N. Pardevant moy N. Pasteur de N. & les têmoins embas denommez, pour ce appellez, constitue N. au liet malade, neant moins en bon sens, memoire & entendent, lequel ne voulant mourir intestat, à fait son Testament, en la forme & mattiere suivante: revocquant tous

tous autres, qu'il pourroit avoir fait cy devant, voulant que le present sorte son plein & entier effect, retenant neant moins le pouvoir de l'augmenter, changer, ou diminuer. Premierement, aprés avoir recommandé son ame à Dieu, à la Glorieuse Vierge Marie, & à toute la Cour celeste, il a choisi sa sepulture au lieu de N.N. voulant que ses exeques, & funerailles soient faites honestement. Et disposant de ses biens, que Dieu luy a prêté en ce monde, il laisse à la fabrique de l'Eglise Cathedrale de S. Aubain N. N. instituant pour ses heretiers N. N., tels, tels, les enfans, en telle & telle part, ou bien tel & tel ses cousins, parents &c. &c. Laissant pour un Anniversaire N.N. telle chose à un tel &c. &c. Ainsi fait & testate, les jour, mois & an que dessus en la chambre &c. presents N. N. & N. N. comme têmoins pour ce appellez ayant ledit Testateur ou Testatrice icy apposé sa signature avec moy ledit Pasteur & les têmoins.

Et si le Testateur, Testatrice, ou têmoins êtans requis, ne pouvoint signer, ledit Pasteur ou Vice-Curé, tiendra note audit Testament de les avoir de ce requis & de la cause de leur impuissance.

CAPUT VII.

Meminerint autem Pastores, & eorum Vicarii ea omnia, quæ ad formam & solemnitatem Testamenti pertinent, unico contextu & eodem loco peragere, ita ut Testator, ipsis & Testibus præsentibus signet, & ipsi quoque eodem tempore idem præstent.

CAPUT VIII.

Si Testator ultimam voluntatem suam secretam, sive occultam esse velit, poterit eam a se, vel alio in charta conscriptam, & (ad cautelam) subsignatam, si norit scribere, sigillo aut alio modo curare claudendam, chartamque ita clausam exhibere Pastori, aut ejus Vicario, coram duobus testibus ad id vocatis, declarando, quod in illa contineatur ultima sua voluntas: Pastor deinde id in prædicta charta, extrinsecus in dorso adscribet, nimirum tali die, mense, & anno N.N. exhibuisse sibi chartam hanc clausam, & declarasse in ea contineri ultimam suam voluntatem, idque coram N. N. & N. N. Testibus ad id vocatis, qui Testes deinde eundem actum, una cum Testatore & Pastore subsignabunt, eodem modo, quo supra de Testamento aperto est dictum.

TITULUS XVI.

De Funeribus, Sepulturis, & Exequiis.

CAPUT I.

Infantes, quos constiterit rite ab Obstetrice fuisse baptizatos, ordinariis cæremoniis in loco sacro sepeliantur.

CAPUT II.

Missæ Angelorum non decantentur pro pueris defunctis, post septimum ætatis annum.

CAPUT III.

Corpus defuncti, etiam parvuli, quantumvis pauperis, non sepeliatur, sine debitis cæremoniis in Rituali præscriptis.

CAPUT IV.

Omnium, nisi peste defunctorum, corpora in Templa deferantur, ut persoluto Officio, sepulturæ tradantur.

CAPUT V.

Prædicatores verbi Dei sobrie habeant orationes funebres, in eis potius auditores consideratione mortis & judicii, ad peccatorum fugam excitando, quam immodice laudes defuncti propalando.

CAPUT VI.

Nulli deinceps infantes mortui absque Baptismo, in ulla parte cœmiterii sepeliantur, sed extra illud constituatur locus aliquis per Decanum & Magistratum, in quem inferantur.

TITULUS XVII.

De Oblationibus.

CAPUT I.

Laudamus veterem plerisque locis receptam consuetudinem, qua Parochiani suis Pastoribus in Paschate, Pentecoste, & Natali Domini, panes usuales, & ova donare solent, quam retineri maxime optamus.

CAPUT II.

Reddatur computus omnium collectarum, etiam Confraternitatum, & quocumque alio titulo, vel nomine fiunt

fiunt per Mamburnos in Ecclesia, præsente Pastore & Magistratu loci.

CAPUT III.

Oblationes, quæ fiunt in Ecclesiis Parochialibus, & Capellis in iisdem constructis, ad eos pertineant, qui hactenus illas ex antiqua consuetudine perceperunt.

CAPUT IV.

Et ubi consuetudine nihil introductum est, Pastor solus habeat oblationes, quæ fiunt ad majus altare, & ad altaria dictarum Capellarum, non habentium Mamburnum particularem.

CAPUT V.

Si quæ vero dictarum Capellarum Mamburnum habeat, oblationes soli Capellæ cedant; quemadmodum etiam Confraternitatibus Confraternitatum oblationes: illis exceptis, quæ offerentur in altari ad manus Celebrantis, tempore Missarum, quæ erunt Pastoris.

TITULUS XVIII.

De recta bonorum Ecclesiæ & pauperum administratione & conservatione.

CAPUT I.

QUia calamitoso hoc tempore (quo ad Ecclesias visitandas non est tutus accessus) intelligimus, illis in dies aliquid supellectilis deperire; mandamus illius inventarium ubique exacte fieri, & copiam authenticam Nobis transmitti.

CAPUT II.

Serio monemus Pastores, & Mamburnos, ne quid eorum, quæ sunt ad onus decimatorum, fieri procurent expensis fabricæ Ecclesiæ, sub pœna restitutionis.

CAPUT III.

Cum multi Beneficiatorum ad evitandas molestias, & expensas negligant bona Beneficiorum suorum deperdita recuperare, aut ea, super quibus quæstio movetur, lite conservare; districte mandamus eorum conscientiam onerantes, ut, qua possint diligentia, ea, quæ possident, conservent, & deperdita recuperare studeant, & in hunc finem omnes Beneficiati manuale conficiant, in quo redituum sui Beneficii à se receptorum rationes exacte describant, Successoribus relinquendum.

CAPUT IV.

Ad evitandam vero præscriptionem, judicium partis citatione, Nobis consultis inchoent, & quas desuper difficultates patientur, Decano significent, qui graviores, & majoris momenti causas, ad Nos deferet.

CAPUT V.

Bona Ecclesiarum, mensarum pauperum, & locorum piorum juxta Regium Edictum anni 1587. nonnisi proclamationibus factis, & pro termino ibidem expresso, elocentur.

CAPUT VI.

Quia sæpe observavimus, ex Pastorum indiscreta litium intentatione, Ecclesiis magnas expensas creari; volentes huic malo mederi, inhibemus, ne illi, & altarium Rectores, ullam imposterum pro conservatione aut recuperatione bonorum Beneficiorum, vel jurium suorum, nisi communicata Nobis sua difficultate, & obtenta nostra licentia, actionem instituant.

CAPUT VII.

Administratores fabricarum, mensæ pauperum, Hospitalium, & aliorum locorum piorum nullas lites assumant, nisi causa prius a Nobis & Magistratu approbata, ne alicui inconsulta temeritate injuriam inferant, aut inutilibus sumptibus fabricas & pia loca onerent, quos ipsimet in pœnam temeritatis suæ luant.

CAPUT VIII.

Pastoribus inhibemus, ne onus Mamburni Ecclesiæ, pauperum, vel pii loci acceptent, vel exerceant, neque soli ex proprio judicio, & auctoritate, distributionem bonorum Ecclesiæ aut pauperum, vel reparationem ad onus fabricæ pertinentes, faciant, inconsulto, longe minus repugnante Mamburno.

CAPUT IX.

Nullus Pastor, Beneficiatus, aut Mamburnus, quocumque prætextu, præsumat alienare, vel onerare aliquo annuo reditu, bona sui Beneficii, vel suæ

ſuæ adminiſtrationis, Nobis inconſultis.

CAPUT X.

Inhibemus, ne Paſtores, & altarium Rectores, dum bona ſuorum Beneficiorum elocant, onera ſpiritualia & Eccleſiaſtica ſuis Beneficiis incumbentia, in conductores rejiciant, ſed illa per ſe perſolvant, vel per alios idoneos exonerari curent.

CAPUT XI.

Bona Eccleſiaſtica & certa officia, certosve uſus relicta, ad alienos uſus converti vetamus.

CAPUT XII.

Paſtores, Collegia, Conventus, Monaſteria, Dignitates, Hoſpitalia, Seminaria, loca pia, cæterique Beneficiorum Rectores, ſeu qualitercumque bonorum Eccleſiaſticorum poſſeſſores, referant literas unionum Beneficiorum ſuis reſpective locis, in perpetuum, ſeu ad tempus factarum, idque ante feſtum omnium Sanctorum proximum, ut ſciamus, num conditionibus in unione præſcriptis ſatisfiat, ſub pœna arbitraria.

CAPUT XIII.

Literæ originales, regiſtra, munimenta, quæ vetuſtate conſumuntur, in authenticam formam tranſumpta, renoventur.

CAPUT XIV.

Obſervetur exacte Decretum Synodi ſecundæ Namurcenſis *Cap.* 6. *Tit.* 11. Item *Cap.* 7. cum cæteris omnibus Capitibus ejuſdem Tit. quæ in praxim reduci mandamus.

CAPUT XV.

Cenſus & reditus quorumcunque granorum, & aliarum rerum in ſpecie debiti, in natura recipiantur, aut ſaltem non in certa ſemper, & eadem quantitate pecuniæ ſolvi permittantur.

CAPUT XVI.

Nullus quoque cenſus irredimibilis, quantumvis exiguus, redimi permittatur.

CAPUT XVII.

Quandocumque nummi capitales alicujus reditus ad Paſtoratum, altaria, fabricam, & menſas pauperum pertinentis, refundentur; quamprimum ſecure ad novum reditum applicentur, nec eos liceat in alios uſus convertere, ſub pœna reſtitutionis.

CAPUT XVIII.

Ubi vero eorum reapplicandorum non ſe ſe offeret præſens occaſio, non penes ipſum Beneficiatum vel Mamburnum, ſed penes Nos & Magiſtratum loci reſpective deponantur, donec alium cenſum emendi, opportunitas ſe obtulerit.

CAPUT XIX.

Paſtores populo declarent, non eos tantum peccare, qui bona Eccleſiaſtica & illorum munimenta quoquo modo detinent, ſed & eos, qui, cum ſciant, non tamen deferunt detentores iis, quorum intereſt.

CAPUT XX.

Rogent etiam Magiſtratum civilem, ut ſubditis ſuis publico edicto mandent, ſi quem ſciant bona ad Eccleſiam, aut alias pias fundationes ſpectantia, per aliquem ſupprimi, ſeu detineri, quamprimum manifeſtent.

CAPUT XXI.

Requirant inſuper antiquorum cenſuum & jurium Dominicalium Receptores, Graphiarios, & Notarios, ut quando in ſuis regiſtris & inſtrumentis, quæ conficiunt & perlegunt, inveſtitionum, inhæredationum, inventariorum, hæreditatis diviſionum, tam factarum, quam faciendarum, in quibus mentio erit reditus alicujus, loco pio debiti, ut Paſtorem loci reddant certiorem, ſuaque regiſtra vel inſtrumenta quoad hunc articulum, eidem inſpicienda, exhibeant, digno aliquo honorario compenſandi.

CAPUT XXII.

Conficiatur Catalogus per Paſtorem & Magiſtratum loci, perſonarum, quæ in Parochia vere pauperes ſunt, ut deinceps bona menſæ pauperum iis ſolis diſtribuantur.

CAPUT XXIII.

Non detur ſubulcis, vel aliis communitati ſervientibus, aliquid ſtipendii e menſa pauperum.

CA-

CAPUT XXIV.

Diſtributiones panum, & aliarum rerum e menſa pauperum non fiant, niſi finita Miſſa, & his, qui illis interfuerint.

CAPUT XXV.

Quandoquidem juxta S. Concilii Trid. præſcriptum, Leproſariarum & Hoſpitalium, quæ ad certum peregrinorum, vel infirmorum, aut aliarum perſonarum genus ſuſcipiendum, ſunt inſtituta, ubi ſimiles perſonæ nullæ, aut perpaucæ reperiuntur, fructus in alium pium uſum, (qui eorum inſtitutioni proximior ſit, ac pro loco, & tempore utilior) converti debeant: mandamus, ut horum ædificiis conſervatis, iidem fructus in nullos alios, quam pauperum uſus convertantur.

CAPUT XXVI.

Quod, ut commodius fiat, deputetur dictorum bonorum ſpecialis Mamburnus, qui ſeparatim adminiſtrationis ſuæ rationes reddat, & occurrente neceſſitate, leproſi vel alterius, quod ei neceſſarium fuerit, ante omnia juxta inſtitutionis modum adminiſtret.

CAPUT XXVII.

Paſtores bona pauperum & fabricarum pro ſacris hebdomadariis, defunctorum, Venerabilis Sacramenti, ſupplicationum pompa citharœdis, ad libitum non expendant.

CAPUT XXVIII.

Moneant etiam Dominos temporales, non ſatisfacere obligationi, ſolvendi quod debent menſæ pauperum, ſi pauperibus pro ſuo arbitrio illud diſtribuant, ſed id totum Mamburni adminiſtrationi relinquatur.

TITULUS XIX.

De vita & honeſtate Clericorum.

CAPUT I.

CUm indecorum ſit Clericos ſortis, ad quam vocati ſunt, oblitos, in veſtibus, barba & capillitio potius ſe Laicos exprimere, quam Eccleſiaſticos, mandamus omnes decentem ſuæ conditioni habitum geſtare, alatam barbam deponere, nec capillitium oblongum nutrire, &, quantum fieri poterit, capillaturæ ubique ſit uniformitas.

CAPUT II.

Clerici tonſuram ſuo Ordini & ſtatui convenientem omnes gerant, eamque ſingulis menſibus, & præcipuis anni Feſtivitatibus, renovent.

CAPUT III.

Et quia intelligimus in dies, Decreta tam Provincialia, quam Prædeceſſorum noſtrorum Diœceſana (quibus Miniſtri Eccleſiæ ad comeſſandum, & potitandum tabernas frequentare prohibentur) male obſervari; idcirco diſtricte mandamus, ne quis Eccleſiaſticus, niſi itineris neceſſarii, aut alia juſta cauſa, tabernam bibendi gratia intret, ſub pœna trium florenorum prima vice, ſecunda dupli, tertia quadrupli; quod ſi non abſtineat, alia graviori. Si vero inebriatus fuerit, duodecim florenorum, ſecunda dupli; ſi ſæpius alia arbitraria & graviore.

CAPUT IV.

Conſtat Nobis nonnunquam concione Paſſionis abſoluta, quoſdam Eccleſiaſticos ad tabernas ſe recipere, non absque populi ſcandalo, quare ſerio omnibus mandamus, ut ea audita, deinceps domum revertantur.

CAPUT V.

Renovamus *Cap.* 5. 6. & 7. *Tit.* 8. ſecundæ Synodi Namurcenſis, de vita & honeſtate Clericorum.

CAPUT VI.

Dedecet Eccleſiaſticos canes ſuos habere circa altare; ideo vetamus, ne illos ad Eccleſiam admittant ſub pœna arbitraria, & conſtituatur in ſingulis Eccleſiis, qui eos arceat.

CAPUT VII.

Eccleſiæ Miniſtri non ita in die Dedicationis excedant, ut ad decantandas Veſperas inepti reddantur.

CAPUT VIII.

Nulli Eccleſiaſtici, loco publico, Dominicis & Feſtis ludant pila palmaria, aut alio luſu.

CAPUT IX.

Clericorum noſtræ Diœceſis ancillæ ſint honeſtæ converſationis & famæ. Si quæ vero ſuſpecta ſit, ad monitionem noſtram dimittatur, renovato *Cap.* 6. *Tit.* 8. ſecundæ Synodi Namurcenſis.

CA-

CAPUT X.

Nullus etiam Clericus in Sacris constitutus, proles ex illicito concubitu susceptas, penes se retinere præsumat.

CAPUT XI.

Prædecessorum nostrorum Decretis inhærentes, inhibemus, ne nostræ Diœcesis Ecclesiastici officiis sæcularibus, Procuratoris, Quæstoris, Tabellionis, Chirurgi, & similibus, quoquo modo se se immisceant, aut Nobilium famulitiis indecore se se subjiciant, vel litium & negotiorum alienorum curam suscipiant.

TITULUS XX.

De Capitulis, Canonicis, & aliis Beneficiatis.

CAPUT I.

Beneficiati, ubicumque habitent, fidem faciant de loco habitationis suæ, infra festum B. Mariæ Magdalenæ.

CAPUT II.

Qui vero resident in loco privilegiato, doceant Nos quot annis infra idem festum testimonio publico de illa sua Residentia.

CAPUT III.

Omnes supradicti, per testimonium Pastoris loci, de exoneratis anno præcedente oneribus suorum Beneficiorum, conservatione Altarium, & ædificiorum, si quæ sint, Nos doceant, sub pœna, quod deficientes placetum absentiæ a Nobis non obtinebunt, & quod non obstantibus literis suæ Residentiæ privilegiatæ eorum fructus arrestari curabimus.

TITULUS XXI.

De Decanis, Pastoribus, & Matriculariis, seu Custodibus.

CAPUT I.

Decernimus Decanum Christianitatis Pastorum sui Districtus proprium Sacerdotem esse & Pastorem, & pro tali ab omnibus agnosci debere: & Archi-Presbyterum Cathedralis nostræ non solum proprium Sacerdotem esse Pastorum sui Decanatus, sed insuper etiam Decanorum Christianitatis hujus Diœcesis.

CAPUT II.

Renovamus *Cap.* 3. 7. & 12. *Tit.* 9. de Decanis & Pastoribus, secundæ Synodi Namurcensis.

CAPUT III.

Cum propter bellorum tempestatem non pateat facilis ad Nos accessus, juxta concessionem S. Rituum Congregationis Nobis factam, subdelegamus Decanos nostros, ad benedicendum ornamenta Ecclesiastica, & alias quascumque res (in quibus sacra Unctio non adhibetur) pro servitio duntaxat Ecclesiarum sibi respective subjectarum. Intelligant tamen facultatem sibi olim factam, campanas benedicendi, jam sublatam esse, & Episcopo reservatam.

CAPUT IV.

Absoluta Synodo, Decani faciant suas visitationes, quas absolvant, & ad Nos nitide descriptas, infra Kalendas Septembris transmittant.

CAPUT V.

Præter visitationem ordinariam data occasione, sæpius Parochias sibi commissas invisant.

CAPUT VI.

Decani, cum sint Parochorum sui Districtus Pastores, & Archi-Presbyter Decanorum, soliciti sint de subditorum suorum respective salute, & profectu spirituali, ac diligenter eorum doctrinæ, vitæ & moribus intendant, hortenturque, ut quotidie aliquid temporis, orationi & lectioni spirituali tribuant, & singuli vicissim suum Superiorem agnoscant, revereantur, & ament.

CAPUT VII.

Iidem in visitationibus suis præcipue inquirant, num Pastores suo fungantur officio in concionando, & catechizando (super quo conscientiam eorum oneramus) & si muneri suo desint, ad Officiales nostros absque mora deferant, pro ratione negligentiæ mulctandos.

CAPUT VIII.

In dictis visitationibus suis diligenter inquirant, an onera Beneficiorum unitorum debite & integre exolvantur.

CAPUT IX.

Inquirant etiam, an onera realia, quibus Paſtoratus, & alia Beneficia gravantur, reipſa ſoluta ſunt, de quo per apochas, vel alias ſufficienter Paſtores & altarium Rectores illis fidem facient.

CAPUT X.

Singulis annis Decani mittant reſcriptiones ſuas ad Nos, ſeu ad Vicarium noſtrum Generalem, ante feſtum B. Mariæ Magdalenæ.

CAPUT XI.

Decani moneant Paſtores, & alios Sacerdotes defectuum etiam minorum, ſi ſcandalo ſint, vel eſſe poſſint; & ſi moniti non ſe correxerint, ad Nos, aut Officiales noſtros deferant.

CAPUT XII.

Quod ſi exceſſus ſint publici, & aliqua mulcta caſtigandi, ſuper iis non componant, ſed remittant ad Officiales Curiæ noſtræ, uti etiam eos, qui neglexerint parere Decreto *Cap.* 3. *Tit.* de ſent. excommunic. 1. Synodi Namurc.

CAPUT XIII.

Decani, vel Paſtores neminem criminaliter deferant, niſi expreſſis notorietate, & loco, ubi crimen eſt commiſſum, & nominatis congruis teſtibus, ſignificent autem Nobis privatim, ſi quid ſciant paterne corrigendum.

CAPUT XIV.

Mortuo aliquo Paſtore, etiam Regulari, Decanus ſtatim faciat inventarium bonorum, ut piis legatis, aliiſque creditoribus caveatur, quod ſi quis ante inventarium factum, bona domus mortuariæ, vel aliquam eorum partem auferre præſumpſerit, ſciat ſe debitorum & legatorum ſolutioni obnoxium.

CAPUT XV.

Mandamus Decanis exacte obſervare ea, quæ *Cap.* 6. *Tit.* 9. ſecundæ Synodi Diœceſanæ Namurcenſis, de conſervandis chartis, munimentis, regiſtris & mobilibus Eccleſiæ, & defunctorum Eccleſiaſticorum continentur, cujus vero culpa in horum aliquo defectus intervenerit, ſciat id a ſe repetendum.

CAPUT XVI.

Paſtorum Regularium exequias ſoli Decani celebrent; ſi vero alius de eorum conſenſu celebret, reſerventur illis ſemper ſua jura.

CAPUT XVII.

Sæpius advertimus Paſtorum defunctorum hæredes, quam minimo poſſunt, ſubſtituere deſervitores vacantis Eccleſiæ, non ſine evidenti animarum damno, idcirco juxta S. Concilii Trid. Decretum ſimilium Vicariorum deputationem, cum congruæ fructuum portionis, noſtro arbitrio conſtituendæ, aſſignatione, Nobis deinceps reſervamus.

CAPUT XVIII.

Quia plures negligentiores ſunt in perſolvendo conſtitutis temporibus obſonio, & Cathedratico, & noſtra interſit ejusmodi jura conſervare; mandamus Decanis Chriſtianitatis, ut pro antiquo more, quolibet anno præcedente annum biſſextilem, obſonium Archi-Diacono; & biſſextili, cathedraticum Nobis debitum, ante feſtum S. Blaſii, qui eſt 3. Februarii, perſolvatur, ſub pœna olim conſtituta.

CAPUT XIX.

Officia per Decanos fieri ſolita, ut puta Exequiæ Paſtorum, Sacerdotum, vel in ſacris Ordinibus conſtitutorum, Nobilium, leproſorum, & alia hujusmodi, ſi per Prælatum, vel alium fiant, ſerventur Decano ſua jura: ſimiliter Paſtori, ſi per Decanum, vel alium peragantur.

CAPUT XX.

Paſtores non ſolum intra limites Parochiæ, verum etiam, quantum commode fieri poterit, prope Eccleſiam, in domo Paſtorali reſideant, Matricularii autem idem faciant, quo Parocho & Parochianis, opportunius adeſſe poſſint.

CAPUT XXI.

Quod ſi talis aliqua non extet, habitent in honeſta aliqua domo, Eccleſiæ, quantum fieri poteſt, proxima.

CAPUT XXII.

Etſi eos contingat ſibi domum ædificare, eam non extruant, niſi in fundo Paſtorali, ſi quis ſit, ſub pœna gravi; ubi autem non eſt talis, agat Paſtor cum ſuis Parochianis, de modo & ratione alicujus ædificandæ.

CA-

CAPUT XXIII.

Pastores suarum domorum Pastoralium sarta tecta præstent, super quo Decani Christianitatis in suis visitationibus Nos specialiter informent.

CAPUT XXIV.

Permittimus Pastoribus, ut relaxandi animi gratia, vel occurrente aliqua rationabili causa, abesse possint a sua Parochiali ad tres dies, alteri idoneo, cura suorum commissa; quod si justa causa eos diutius abesse postulet, id non faciant, nisi a suo Decano obtenta licentia, quam non concedat, nisi pro sex diebus, quod si diuturniori indigeant, illam a Nobis petant, vel a Vicario nostro, quæ nonnisi in scriptis dabitur.

CAPUT XXV.

Sciant vero supradictas omnes absentias juxta Decretum S. Conc. Trid. *Sess.* 23. *Cap.* 1. *de Reform.* non posse extendi ultra bimestre, sive continuum, sive interruptum.

CAPUT XXVI.

Quare si quis ultra ejusmodi bimestre se absentaverit, sciat se præter peccati mortalis reatum, pro rata temporis absentiæ, fructus suos non facere, nec tuta conscientia (alia etiam declaratione non secuta) illos sibi retinere posse, sed teneri fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus loci erogare, nisi ex gravi causa, per Nos cognita & probata, licentiam diutius se absentandi in scriptis obtinuisset.

CAPUT XXVII.

Non temere Pastores stationem suam, & vigilias deserant, alicujus periculi prætextu, quod sibi imminere putarent.

CAPUT XXVIII.

Si contingeret (prout nuper ex causa retorsionum factum est) Pastores nostros gregem suum cogi deserere, & alio migrare, id non faciant, nisi nostro, vel Vicarii nostri consensu, & indicato loco, quo se recipiunt; & non minorem curam habeant conservandæ supellectilis Ecclesiæ, quam suæ.

CAPUT XXIX.

Singuli Pastores, præter Casuistam aliquem, pro dirigendis conscientiis, Biblia sacra, Concilium Tridentinum, Catechismum Romanum, & D. Nicolai Turlot, Ecclesiæ nostræ Cathedralis Præpositi, Decreta Provincialia Cameracensia, & Diœcesana Namurcensia sibi comparent; & quæ passim in iisdem habentur eorum officium concernentia, quam diligentissime exequantur, super quo Decani in suis visitationibus inquirant. Commendamus etiam iisdem, ut cum libello exercitii amoris, Thomam a Kempis de imitatione Christi, & alium, cui titulus est: *Brevis elucidatio totius Missæ, interrogationibus & responsionibus distincta* &c. jussu Illustrissimi Archi-Episcopi Cameracensis publicatum, diligenter evolvant, & pio illi exercitio quotidie aliquid temporis impendant.

CAPUT XXX.

Meminerint Pastores ad hoc se constitutos esse, ut non solum vita & exemplo, sed verbo etiam populum instruant; eapropter Dominicis saltem & Festis solemnibus, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, plebes sibi commissas, pro sua & eorum capacitate, pascant salutaribus verbis, docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant.

CAPUT XXXI.

Iidem etiam saltem Dominicis & aliis Festivis diebus pueros in suis Parochiis Fidei rudimenta doceant sub pœna unius floreni, qui alterutrum horum neglexerit, toties, quoties incurrenda; & graviora, si sæpius id omittant.

CAPUT XXXII.

Rudimenta Fidei, id est, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, præcepta Dei & Ecclesiæ, & septem Sacramenta, quantum tempus feret, etiam sub ipsa confessione, ignorantes doceant.

CAPUT XXXIII.

Intelligant Pastores non satis esse, si generaliter in suis concionibus pec-

cata arguant, ſed etiam obligari, quos vident in ſtatu damnationis verſari, privatim monere, & ſi monendo non proficiant, eos ad Nos deferant.

CAPUT XXXIV.

Præ cæteris etiam magnam rationem habeant pauperum, præſertim infirmorum, ſæpe eos viſitando, & temporali & ſpirituali ſolatio eosdem ſublevando.

CAPUT XXXV.

Decani habeant aliquot probos & ſibi fidos Paſtores, a quibus exceſſus vicinarum Eccleſiarum addiſcant, ſimiliter quilibet Paſtor habeat viros probos, & bonos e ſua Parochia, qui ſibi defectus Parochiæ referant.

CAPUT XXXVI.

Sæpius etiam per hebdomadam celebrent, ſaltem toties, quoties ipſorum curæ reſcriptio requirit.

CAPUT XXXVII.

Singuli Paſtores quotannis a feſto S. Joannis Baptiſtæ uſque ad idem feſtum anni revoluti, conficiant libellum, in quem referant hebdomadatim ſingula Officia ſingulis ſeptimanis celebranda, una cum denuntiatione Feſtorum, jejuniorum, bannorum Matrimonialium, Anniverſariorum, & obituum illa ſeptimana incidentium, quæ omnia ex eodem libello populo annuntient, & diligenter cum cæteris regiſtris ſuis conſervent.

CAPUT XXXVIII.

Nemo Eccleſiaſticorum conducat agros alienos, etiam fabricæ, pauperum, altarium, Monaſteriorum, aut aliorum piorum locorum, ut eos excolat propriis vel alienis ſumptibus, longe minus eos ſuis manibus ſerat; nec etiam ullam mercaturam, vel negotiationem exerceat, toties per Canones Clericis interdictam.

CAPUT XXXIX.

Iisdem tamen permittimus, ut per ſe Decimarum ſuarum dumtaxat quotam colligere poſſint, & agros proprios per ſuos domeſticos excolere.

CAPUT XL.

Singuli Paſtores, etiam Regulares, non omittant reſcriptiones ſuas, more præſcripto in Synodo anni 1626. quotannis facere, & Decanis mittere, ad Nos per eos transmittendas, ſub feſtum B. Mariæ Magdalenæ, ſub pœna triginta ſtuferorum, vel alia arbitraria.

CAPUT XLI.

Paſtores neminem pro ſuo Subſtituto vel Subſidiario nequidem ad celebrandas Miſſas, quantumvis alias a Nobis approbatum, aſſumant, vel ſemel admiſſum dimittant, Nobis inconſultis.

CAPUT XLII.

Parochi vicinis Confratribus operam ſuam collaturi, videant, ne id cum proprii gregis detrimento faciant.

CAPUT XLIII.

Quia intelligimus Paſtores præter officium ſuum, pro arbitrio & voluntate, ſcripto deſignare & aſſignare Milites, ubi hoſpitentur, diſtricte inhibemus, ne ulla ratione id faciant ſub pœna arbitraria, ſed id oneris Magiſtratui relinquant, apud quem poterunt nihilominus pro viduis & pauperioribus intercedere.

CAPUT XLIV.

Quando contingeret Paſtorem ab auditione computuum Eccleſiæ, pauperum &c. per Laicos arceri, ſtatim Nos moneat, &, cum interfuerit, computus exemplar in archivis Epiſcopi reſervandum procuret.

CAPUT XLV.

Eccleſiaſtici conentur in conviviis nuptiarum, & aliis ita modeſte ſe gerere, ut præſentibus exemplo eſſe valeant, & ædificationi.

CAPUT XLVI.

Puerperarum conviviis nunquam interſint Paſtores noſtri, nuptiarum vero, quam poterunt, rariſſime.

CAPUT XLVII.

Quando Paſtor infirmari cœperit, curet per ſuos domeſticos, vel alios Decanum moneri.

CAPUT XLVIII.

Decimatores, altarium Rectores, & Parochiani prius moneantur defectuum, quos ſarcire, & quibus providere reſpective tenentur, quam de iis ad Nos, vel Decanos noſtros deferantur.

CAPUT

CAPUT XLIX.

Nemo præter Paſtorem, vel nonniſi de ejus mandato & conſenſu, mulieres poſt partum purificet.

CAPUT L.

Nullus Sacerdotum Nobilibus aut Communitatibus operam ſuam collocet pro celebranda Miſſa in eorum Oratoriis, vel Capellis, niſi de noſtro conſenſu, ſub pœna arbitraria.

CAPUT LI.

Locorum vero Paſtores curabunt ab iis, qui in præfatis Oratoriis, vel Capellis celebraturi ſunt, literas prædicti noſtri conſenſus ſibi oſtendi, quas, ſi non exhibeant, eos hujus noſtri Decreti moneant, & ad Nos remittant.

CAPUT LII.

Admiſſus ad Paſtoratum, ultra Profeſſionem fidei, faciat Juramentum, quod ſequitur:

Ego N. juro & promitto obedientiam, reverentiam & honorem Summo Pontifici Romano & Reverendiſſ. Domino Epiſcopo Namurcenſi, eorumque Succeſſoribus. Item juro & promitto Eccleſiæ meæ Parochiali de N. fideliter deſervire, ſecundum oneris illi annexi exigentiam, & in ea perſonaliter reſidere. Bona Paſtoratus vel Eccleſiæ meæ non alienabo, & indebite alienata, quantum in me erit, recuperare ſtudebo. Specificationem omnium fructuum Paſtoratus mei, cum debita deſignatione quantitatis hypothecarum, limitum & terminorum, ſimul & onerum, intra annum Decano Chriſtianitatis, vel alteri Viſitatori tradam.

CAPUT LIII.

Matricularii non admittantur ad exercitium ſui muneris, niſi prius Nobis præſentati fuerint, & ſemel admiſſi, non dimittantur, niſi cauſa Nobis cognita & probata.

CAPUT LIV.

Iidem Nobis præſentandi, ſufficientem, Paſtoris, Decimatoris & Mamburnorum judicio, de ornamentis, & mobilibus Eccleſiæ fideliter cuſtodiendis, & juxta inventarium, quod eis datum fuerit, reſtituendis, præſtent cautionem.

CAPUT LV.

Non præſententur deinceps, niſi tonſurati, maturæ ætatis, bonæ famæ, periti cantus & ſcripturæ, nullo autem modo bigami.

CAPUT LVI.

In ſua admiſſione promittant aperire Scholam, & Synodorum noſtrarum Decreta, eorum officium concernentia, ſervare.

CAPUT LVII.

Magiſtri Scholarum deducant diſcipulos ſuos ad Catechiſmum, &, eo durante, eos in officio contineant.

CAPUT LVIII.

Vetamus Matricularios perpetuos reſervata ſibi fructuum matriculariarum ſuarum certa portione, quemquam ſubſtituere absque noſtro conſenſu, & qui ex iis reſidebunt, habitum Clericalem geſtent; annales vero vel temporales Matricularii, honeſtum & ſtatui ſuo convenientem, Dominicis ſaltem & Feſtis deferant.

CAPUT LIX.

Paſtor & Matricularius, ubi alii Sacerdotes non ſunt, nunquam, præſertim nocte, ſimul a Parochia abſint.

CAPUT LX.

Renovamus *Cap. 2. & 3. Tituli* de Matriculariis, Concilii Geldonien.

CAPUT LXI.

Matricularii tam in Officiis Divinis, quam adminiſtratione Sacramentorum Parocho aſſiſtentes, ſuperpelliceo utantur.

CAPUT LXII.

Nitide etiam ornamenta Eccleſiæ conſervent, eaque ſæpius cæteramque Eccleſiæ ſupellectilem mundent & viſitent.

TITULUS XXII.

De Regularibus & Monialibus.

CAPUT I.

NUlli Religioſi, niſi a Nobis admiſſi & approbati, præſumant in noſtra Diœceſi exorcizare, concionari, confeſſiones excipere, aut alia Sacramenta adminiſtrare.

CAPUT II.

Nulli Regulares, niſi de noſtro, vel Parochi loci conſenſu, audeant ex-

tra suas domos ulla Sacramenta, præter Pœnitentiæ, administrare.

CAPUT III.

De audita per eosdem alicujus infirmi confessione Pastorem admoneant.

CAPUT IV.

Regulares & Sanctimoniales attendant, ne vagum, aut alium Sacerdotem ignotum in suis Ecclesiis, & Capellis ullo modo Missam celebrare permittant; nisi exhibitis sui Ordinarii dimissoriis literis, & facultate celebrandi a Nobis data.

CAPUT V.

Nullus Regularis, nequidem Pastor vel Prælatus, fiat Susceptor in Baptismo, vel Confirmatione.

CAPUT VI.

Renovamus *Cap. ult. Tit.* 10. de Regular. secundæ Synodi Namurcensis.

TITULUS XXIII.

De Scholis.

CAPUT I.

SCholæ ubique erigantur loco commodo, & Ecclesiæ maxime vicino, & ubi temporum injuria collapsæ sunt, quantocius fieri poterit, restaurentur juxta *Cap.* 1. *Tit.* 2. Synod. Diœces. Namurc. 1604.

CAPUT II.

Nullus in posterum nisi de nostro consensu Scholam aperiat.

CAPUT III.

Meminerint Decani in visitationibus suis inquirere, num in pagis pueri a puellis separatim in Scholis sedeant, & instruantur, quod ubique fieri curent; at in Civitate & oppidis in separatis Scholis juxta Decretum Prædecessoris nostri anni 1626. doceantur.

CAPUT IV.

In omnibus Scholis post librum Alphabeticum Catechismus Namurcensis prælegatur.

CAPUT V.

Cum ex ignorantia cantus Ecclesiastici, minus convenienter Officium Divinum peragi videamus; in Scholis bis, terve per septimanam una hora doceatur.

CAPUT VI.

Matricularius, sive Ludimagister curet per unum singulis diebus sub exitum Scholæ clara voce Rudimenta fidei recitari, cæteris audientibus, & repetentibus.

CAPUT VII.

Pastores non ita occupent Matricularios privatis suis ministeriis, ut ab Officio Divino, aut Scholis abesse cogantur.

CAPUT VIII.

Renovamus *Cap.* 9. *Tit.* 2. Synodi secundæ Namurcensis.

CAPUT IX.

Decani Nobis referant Catalogum Scholarum sui cujusque Districtus.

TITULUS XXIV.

De Foro, Jurisdictione, & Immunitate Ecclesiasticis.

CAPUT I.

CUm personas Ecclesiasticas apud alium, quam Judicem suum Ecclesiasticum conveniri non posse, explorati juris sit: omnibus inhibemus, ne Clericos nostros alibi, quam coram Nobis conveniant, aut se conveniri permittant, neque eorum personas, aut bona mobilia arrestare, detinere, vel detineri facere, quam per Judicem Ecclesiasticum, præsumant.

CAPUT II.

Si aliquem nostræ Diœcesis Clericum, vel externum, in flagranti delicto apprehensum, a Judice sæculari detineri contigerit, id Parochus loci Decano significet, ut cum de captivi Clericatu sufficienter constiterit, eundem Judice requisito, ad Curiam nostram remitti curet.

TITULUS XXV.

De modo Ecclesias rescribendi.

CAPUT I.

ANtiquas & consuetas Rescriptiones qualitatum bonorum, & onerum Ecclesiarum hactenus mitti solitas, conficiant deinceps modo sequenti, quotannis ita tempestive Decanis suis tradendas, ut illi eas infra festum S.

S. Mariæ Magdalenæ Nobis remittere possint.

RESCRIPTIO ECCLESIÆ PARO-chialis de N. pro anno N.N.

Ecclesia mea de N. est integra, media, tertiana, quarta Capella, vel Filia, sub invocatione Sancti, vel Sanctæ N. decerpta ex Concilio N. & rescribitur ad NN. mod. Speltæ, Avenæ, vel Siliginis mensuræ N.N.

Reditus ejus consistunt in Decimis, terris, &c.

Habeo in Anniversariis N.N. mod. Speltæ &c. &c.

Collator ordinarius est N.N.

Majores Decimas percipiunt N.N.

Collectores autem earundem sunt N.N.

Habeo Capellanum, & in Curæ exercitio Coadjutorem N.N. a Reverendiss. Domino approbatum, & admissum.

Sunt in mea Ecclesia Altaria....

Altare sub invocatioue N.N. valet N.N. modios avenæ, speltæ & mensuræ N.N. ad collationem N.N.

Rector est N.N. personaliter deserviens, sub onere.... in hebdomada, quindena, mense &c. &c. vel absens.

Si absens, deservitur per N.N.

Matricularia est perpetua, vel annalis.

Si perpetua, rescribatur quis Collator, quis Rector.

Si annalis, per quem deserviatur, an per Clericum, vel conjugatum, cum expressione nominis.

Fabrica habet in reditibus annuis N.N. mod.

Mensa pauperum habet N. N. flor. mod. & mensuræ N.N.

Mamburnus fabricæ est N. N.

Mamburnus pauperum est N.N.

Subscribat se manu propria rescribens, notatis Anno mense die.

CAPUT II.

Quo plenius status Ecclesiarum Diœcesis nostræ tam in Ministris Ecclesiasticis, quam Parochianis, & illarum temporalibus bonis, præsertim turbato hoc tempore, quo morum perversitas late undequaque serpit, & hæresis antiquam fidem revellere conatur, Nobis innotescat; mandamus, ut singuli Pastores quotannis in Congregatione sui respective Concilii juxta methodum hic subjunctam, Rescriptiones suas conficiant, Decano suo exhibendas, Nobisque ulterius remittendas.

FORMA DECLARATIONIS FACIENDÆ à singulis Pastoribus in annali Congregatione Concilii sui Districtus, super statu suarum Ecclesiarum.

PERILLUSTRIS AC REVEREND. DOMINE, *Salutem & Obedientiam.*

Mitto Reverendissimæ Gratiæ Vestræ Ecclesiæ meæ statum hujus anni N.N.

Primo sarta tecta Ecclesiæ meæ de N.N. servantur, vel non.

Decimator circa magnum Altare in ornamentis, aut aliis, ad quæ major Decima obligatur, deficit in N.N.N. defectus exprimantur.

Parochiani mei deficiunt in reparandis N.N.N. v.g. campanili, accinctis, cœmiterio, &c.

Item exprimatur, in quibus Rectores Altarium vel Capellarum deficiunt, v.g. in ornamentis. &c.

Bona mei Pastoratus, Altarium, fabricæ, pauperum, Hospitalis, plene recipiuntur, vel non.

N.N. Mamburnus Ecclesiæ diligenter adimplet suum officium, vel in hoc, vel in illo deficit.

Computus suos de anno N. N. non reddidit, vel reddit die N.N. me præsente, vel non, quorum copiam habui, vel in Archivis Ecclesiæ meæ reposui.

Manet vero dictus N.N. Ecclesiæ reliquator in summa N. N. flor. quos solvit, vel solutionem addixit in diem N.

N.N. Mamburnus mensæ pauperum, suos similiter computus reddidit, vel non reddidit.

Bona Ecclesiæ bene applicantur, vel male, hoc vel illo modo.

Bona quoque mensæ pauperum rite distribuuntur, vel indebite, hoc vel illo modo, & distributioni adsum.

Ex quibus bonis hoc vel illud est alienatum, vel oppignoratum.

Solutio unius modii v.g. pro Anniversario, vel alias debiti &c. hactenus solvi soliti, denegatur a N.N. quod dicat.

Lis instituta est pro conservatione vel recuperatione bonorum mei Pastoratus, Altaris N. N. vel fabricæ, vel mensæ pauperum, contra N.N. in Cancellaria, vel N.N.

N. N. Matricularius meus cælebs, vel conjugatus, plene satisfacit officio suo, diligenter aperit Scholam, & exemplariter vivit, vel deficit in.

Item

Item de N. N. Capellano, qui alit familiam cum N. vel convivit cum N. N.

In Ecclesia mea præfata sunt Communicantes N. N. exprimatur numerus.

Omnes communicarunt hoc anno, exceptis N. N. exprimantur deficientes.

Hoc anno baptizati sunt & Matrimonio juncti N. N. N.

Omnes Parochiani mei, etiam septennes, norunt Rudimenta fidei, & suæ salutis curam habent, vel non.

Talis N. N. publice est de hæresi, vel veneficio suspectus, blasphemus, adulter, concubinarius, malis artibus deditus, non frequentans Ecclesiam, Festorum violator, & in quibus, a conjuge separatus, inimicitias gerens capitales, denique in quocunque alio vitio scandalosus (exprimatur) de quo eum sæpius serio & paterne, absque ulla secuta emendatione, monui. Quod si se emendaverit, nulla fiat ejus mentio.

Terminarii sunt N. N. qui toties in mense, sub summo Sacro, vel Vesperis concionantur, & catechizant, & veniunt hora statuta, vel non.

Nullum scio esse, qui in Parochia mea tentet seminare hæresim, nisi quod N. N. tale quid dixerit, fecerit, libros attulerit &c. &c.

Et quidquid Parochus adverterit a quopiam publice committi, quod in contemptum Divini honoris vel animarum detrimentum vergat: si in eo post debitam monitionem perseveret, id Parochus describat, sciens se de commissa in præmissis negligentia, districtam Christo Domino redditurum rationem.

TITULUS XXVI.

De Synodo Diœcesana, Visitatione & Congregatione Conciliorum Pastoralium.

CAPUT I.

Cum S. Concilium Trid. *Sess.* 24. *Cap.* 2. & 3. insequendo Canones Apostolorum, & varia Concilia Oecumenica, quotannis Synodos Diœcesanas celebrare mandaverit, diem Diœcesanæ nostræ Synodi annuatim celebrandæ, designamus feriam tertiam post Dominicam *Jubilate*, quæ est tertia post Pascha. Eapropter omnes, qui de jure vel consuetudine illi interesse debent, illo die deinceps compareant, nisi legitime impediti fuerint, omnes & singulos ex nunc pro tunc requirentes & monentes, ut absque alia convocatione aut monitione personaliter pridie illius diei hic adsint.

CAPUT II.

Dies Congregationis cujusque Concilii Decanorum serventur, prout infra, scilicet:

Floruci, feria secunda post Dominicam primam Septembris.
Nivellis, feria quarta.
Wavriæ, feria secunda post Dominicam secundam.
Gemblaci, feria quarta.
Hanreschæ, feria secunda post Dominicam tertiam.
Geldoniæ, feria quarta.
Hannuti, feria secunda post Dominicam quartam.
Andanæ, feria quarta.
Bivemiæ, feria secunda post Dominicam primam Octobris.
Prondremiæ, feria quarta.
Assessiæ, feria secunda post Dominicam secundam.
Namurci, feria quarta.

CAPUT III.

Quod si Festum in aliquem supradictorum dierum incidat, in diem proxime sequentem Synodus, vel Congregatio habenda, transferatur.

CAPUT IV.

In congregatione Conciliorum Decanalium tractetur de executione Decretorum Synodorum hujus Diœcesis, & a singulis Pastoribus in scriptis referatur status suarum Ecclesiarum, item quidquid in eis defectus animadversum fuerit, quorum omnium certiores Nos faciet Decanus, mittendo Nobis prætactas relationes infra Kalendas Decembris immediate sequentis.

CAPUT V.

Quæ in illis proposita, resoluta, & conclusa fuerint, ad Nos Decani nitide descripta, infra easdem Kalendas Decembris transmittenda curent, ut iis visis, ordinemus, quæ Nobis videbuntur opportuna.

CAPUT VI.

Convivia congregationis Conciliorum Decanalium ſint frugalia, ſobria, & mediocrium expenſarum.

CAPUT VII.

Decani dum viſitant, ſecum habeant exemplar formulæ viſitandi a Nobis præſcriptæ, & ſimul noviſſimæ ſuæ viſitationis, ad ejus normam factæ, cum defectibus in ea annotatis, ut advertere poſſint, utrum emendata ſint, quæ præcedenti viſitatione emendanda notaverant, & Nos emendari decreveramus, ut negligentes pro ratione delicti puniantur.

CAPUT VIII.

Viſitent Decani Sacella, & Oratoria ſub Parochialibus ſita, & advigilent, utrum debite ornentur, & eorum ſarta tecta conſerventur.

CAPUT IX.

Nullus in hac noſtra Diœceſi, quacumque dignitate præfulgeat, ſine noſtra ſpeciali commiſſione in ſcriptis obtenta, viſitare præſumat; exceptis Archi-Presbytero, & Decanis Chriſtianitatis, quibus id muneris in ſuis reſpective Diſtrictibus facere incumbit.

CAPUT X.

Renovamus §. *Reperimus*, de Viſitatione, Synodi 1625.

CAPUT XI.

Ad ſatisfaciendum Decreto S. Concilii Trid. *Seſſ.* 24. *Cap.* 18. *de Reform.* pro obeundo Examinatorum Synodalium munere proponimus

Reverendos Dominos

Nicolaum Turlot, Præpoſitum & Vicarium noſtrum Generalem,
Joannem Charlier, Decanum,
Nicolaum Dauvin, Archi-Diaconum,
Guilielmum Mieulx, Pœnitentiarium,
Bartholomæum de Grace, Officialem noſtrum Namurc.
Servatium Nollet, Archi-Presbyterum,
Nicolaum Deswatines, Officialem noſtrum per Gallo-Brabantiam,
Carolum Philippum de Wavre, Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Canonicos, S. Theologiæ & Juris utriusque reſpective Licentiatos.
Guilielmum Paradis, Decanum,
Pontianum Minet,
Petrum Moniot, Paſtorem, Canonicos Eccleſiæ Collegiatæ B. Mariæ Namurcenſis,
Martinum Fillee, Paſtorem S. Joannis Evangeliſtæ Namurcenſis, qui omnes jurarunt ad ſancta DEI Evangelia ſe quacunque humana affectione poſtpoſita, fideliter hoc munus executuros.

CAPUT XII.

Pro Judicibus etiam Synodalibus, deſignamus

Reverendos Dominos

Nicolaum Turlot, Præpoſitum & Vicarium noſtrum Generalem,
Joannem Charlier, Decanum,
Nicolaum Dauvin, Archi-Diaconum,
Bartholomæum de Grace, Officialem noſtrum Namurc.
Nicolaum Deswatines, Officialem noſtrum per Gallo-Brabantiam, Eccleſiæ Cathedralis Namurcenſis Canonicos, Sacræ Theologiæ & Juris utriusque reſpective Licentiatos.
Guilielmum Paradis, Decanum Eccleſiæ Collegiatæ B. Mariæ Namurcenſis,
Franciſcum Dandelot, Præpoſitum,
Henricum Reneri, Decanum, Canonicos Nivellenſes.

Reverendos Dominos

Gaſparem Benſel, Gemblacenſem,
Henricum vander Heyden, Villarienſem,
Joannem Roberti, Floreffienſem,
Joannem Piellemps, Geroldiſartenſem, Abbates: quorum nomina ad Ss. D. N. primo tempore transmittemus.

CAPUT XIII.

Et ſi quempiam ex deſignatis hic Judicibus ante proximam Synodum Diœceſanam mori contingeret, Nos cum Concilio Capituli noſtri, alium in ejus locum, uſque ad futuram Diœceſanam Synodum ſubſtituemus, eandemque ſubſtitutionem, ad S. Sedem Apoſtolicam transmittemus.

CAPUT XIV.

Supradicta omnia & ſingula hujus Synodi Decreta publicamus, promulgamus, & pro legitime publicatis ab omnibus haberi volumus: volentes &

jubentes, ut ea quamprimum debitæ executioni mandentur; insuper declarantes Prædecessorum nostrorum Statuta (qua parte non sunt a Nobis mutata) in suo robore & vigore permanere, & in usum reduci debere.

CAPUT XV.

Et ne quis horum ignorantiam prætexere possit, mandamus, ut singuli Pastores Decreta hæc, cum Typis excusa fuerint, sibi intra trimestre comparent, diligenter evolvant, observent, & a suis servari faciant.

Lecta & publicata fuerunt hæc Decreta Namurci in Capella Palatii Episcopalis Patribus Synodalis Congregationis, ac a Nobis infrascriptis præsentibus, de mandato Perillustris & Reverendiss. Domini Episcopi eidem præsidentis, die septima mensis Junii, anno Domini Millesimo sexcentesimo trigesimo nono.

JOANNES BLONDEAU, *præfati Reverendiss. Domini & Synodi Secretarius.*

JOANNES POTTELET, *Curiæ & Synodi Scriba.*

ENGELBERTUS DES-BOIS, origine Bruxellensis, J. U. L. Ecclesiæ Cameracensis Metropolitanæ primum Canonicus & Valencenensis Archi-Diaconus; hinc anno 1619. Præpositus Insulensis; inde Namurcensium a. 1629. summa omnium comprobatione creatus Episcopus, patrem habuit Catharinum, Angiæ Gubernatorem, matrem Franciscam Verreycken, feminam lectissimam, nobili apud Burgundos ac pervetusta satus familia, die nono Julii a. 1578. Inter cætera, quæ in eo relucebant, Præsulis vere magni decora hoc principem sibi locum a posteris contendat, ex omnibus Belgii Antistitibus quod, qui Bullam Urbani VIII. P. M. contra librum Jansenii susciperet, promulgaretque, primus fuerit. Abbatiam quoque Broniensem egregio Ludovici Blosii spiritu vix a. 1647. imbuerat, cum spirare ipse desiit XV. Julii a. C. 1651. sacri Magistratus 22., vitæ 74. Præter Synodi jam datæ Statuta, Namurci 1720. in 4. recusa, latine reddidit *Praxin bonarum intentionum* a quodam Soc. JESU conscriptam, Duaci 1619. in 12. typis Bogardinis editam.

Vide Valerii Andreæ Biblioth. Belg. pag. 204., *Ludov. de Castillion Sacr. Belgii Chronolog. pag.* 453. & *Foppensii Biblioth. Belg. P. I. pag.* 262.

SYNODUS DIOECESANA CULMENSIS,

Ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino, D. GASPARO DZIALYNSKIO, (*) *Culm. XXXIII. Episcopo,* LUBAVIÆ IN ECCLESIA PAROCHIALI

Anno Christi MDCXLI. Urbani VIII. Papæ XX. Ferdinandi III. Imp. IV.

DIE 12. JUNII ET SEQ. CELEBRATA.

INTIMATIO SYNODI.

GASPARUS a DZIALYN, DZIALYNSKI, DEI ET APOStolicæ Sedis gratia Episcopus Culmensis & Pomesaniæ, Admodum Reverendis, Reverendis, & Venerabilibus Prælatis, & Canonicis Ecclesiæ nostræ Cathedralis Culmensis, Præpositis, Archi Presbyteris, Parochis, Commendariis, cæterisque quibusvis Eccle-

(*) De CASPARE A DZIALYN DZIALYNSKI paucissima hæc refert *Christoph. Hartknochius* Diss. XIV. pag. 224.: "Caspar Dzialynski obiit Episcopus Culmensis. Scutarius porro Domus Dzialiniæ typus in area sua exhibet globum aureum dimidiatum, volatilisque tholi uncum, quo Religio Dzialiniorum simul ac fortitudo indicantur.

Ecclesiarum Rectoribus, & Presbyteris, qui de jure, vel consuetudine Synodo Diœcesanæ tenentur, vel consueverunt interesse, per & intra Diœceses nostras Culmenn & Pomesanienn. quomodolibet existentibus, ad quos præsentes nostræ pervenerint, tenore ipsarum requirendis, Salutem ab Eo, qui est omnium vera Salus.

DEcet Episcopum in iis, quæ suscepti muneris ratio ab eo postulat, non esse otiosum, sed in ea curam & solicitudinem convertere, quæ Sac. Concil. Trid., Decretorum Provincial. ac Diœcesanorum Statutorum diligentem & inviolabilem imprimunt observantiam. Quod nostrum animum etiam in Exordio functionis Episcopalis ad horam usque hodiernam, viva & continua pulsabat memoria illud Apost. Actor. 20. *v.* 28. *proponendo:* Attendite vobis & universo gregi &c. *Nec immerito. Quidquid enim ad Canonum antiquorum vel in Sac. Concil. Tridentino, & alibi editorum, observationem, mores Cleri & populi reformandos, excessus corrigendos, controversias componendas, hæreses extirpandas, injurias Ecclesiis vel ipsarum Rectoribus, populoque Catholico illatas, propulsandas, pravitati vitæ occurrendum, decori domus Dei, nostræque integritati prospiciendum pertinere dignoscitur, super his omnibus, aliisque a Ss. Can. permissis, & commendatis, sine debito terminandis, nulla interest invigilare, & veluti arcanorum Dei speculatorem omnia penitius intueri. Quorum ut seriam rationem ineamus, ac singula in suis limitibus constituamus, Synodum Diœcesanam (communicato prius consilio cum Ven. Capitulo nostro) in Ecclesia Parochiali Lubaviensi, die duodecima Junii, anni præsentis celebrandam esse duximus: Divinam opem implorantes, ut nostræ misertus imperfectionis, in his, ad quæ tractanda visitatio proxime præterita, copiosam Nobis subministravit materiam, & aliis præmissis, nostra consilia stabiliat, laborem sustentet, &, quod pro gloria Nominis ejus operaturi sumus, gratia sua illuminet. Eam itaque nostram intentionem & voluntatem vobis omnibus, & singulis supra scriptis, harum serie quomodolibet requirendis, intimamus & notificamus, volentes & sub pœnis Synodal. seu alias arbitrio nostro contra negligentes, & nostris mandatis non parentes, extendendis, præcipientes, ut pro die duodecima Junii, ad nostram Civitatem Lubaviensem, ejusque Ecclesiam Parochialem, summo mane, Domini Capitulares, & omnes, utriusque Diœcesis nostræ, Archi-Presbyteri, superpelliceis induti, sistere se contendant. Alii vero Ecclesiarum Rectores, quia multa Vicariorum, ob tenuitatem sustentationis, premuntur inopia, neque in locum suum quempiam habent surrogare, proinde a quolibet Archi-Presbyteratu unum, quem viderint idoneum, eligent ad Synodum, pro die assignata, pro hujusmodi negotio, & suis privatis vel publicis necessitatibus, una Nobiscum agitandis deputabunt, eodem die & mane, cum requisitis, in Ecclesia prædicta parituros. Ut autem opus hoc nostrum desiderato fine terminari valeat, Sacrificium Missæ de S. Spiritu præmitti faciemus. Volumus præterea, & sub pœnis memoratis præcipimus, ne de præmissis aliquam ignorantiam quispiam prætendat, ut præsentem Processum nostrum per omnes Archi-Presbyteratus, in utraque Diœcesi nostra, solita Cursoria transmitti, & pro exigentia ac debito publicari curent. Ultimus vero ad Cancellariam nostram publicatum, & legitime executum repræsentet; In quorum omnium & singulorum præmissorum fidem, ac evidentius testimonium, præsentes literas manu nostra subscripsimus, & sigillo nostro jussimus consignari. In Arce nostra Lubaviensi, die septima mensis Maji, anno Domini MDCXLII.*

PRÆFATIO
ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI EPISCOPI CULMENSIS & POMESANIÆ,
SYNODO PRÆMISSA.

NOn est sine dolore meo gravi, Fratres Charissimi, quod imbecillis hujus valetudinis meæ, aliarumque difficultatum causa, Synodum Diœcesanam, a compluribus annis intermissam, summe vero necessariam, hucusque indicere non potuerimus: postulabat sane non modo præscriptus per sacros Canones Ordo, dudum illam celebrari, sed ipsa Pastoralis

Officii nostri ratio, de indicenda, satis superque Nos admonebat: Quid enim statim, ac in Sede ista Episcopali feliciter consedimus, Nobis potissimum esse debuit, quam ut congregatis, more Patrisfamilias, Dominici ovilis Operariis, de laboribus illorum investigaremus, de grege intelligeremus, caulas ipsas, utrum lupis non patent perviæ, consideraremus. Recte admonet Sapiens Proverb. 27. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. *Unde porro de statu gregis, quam a Compastoribus certius intelligendum, quorum & gregem ab hædis distinguere, & ovium voces (quid nimirum laudum & qualiter Deo personent) & naturam conscientiarum, videlicet statum veraciter dignoscere est. Quod quidem facta universali, totius Cleri, utriusque Diœcesis congregatione, quominus assequeremur, gravi, ut dictum est, imbecillis valetudinis, & aliarum complurium difficultatum obice impediebamur. Ne tamen usquequaque, quid agatur, nescii simus, vestrum, Fratres Charissimi, pauculum hunc numerum convocandum esse censuimus, nimirum ex Vobis de grege nostro, imo etiam de Pastoribus gregis exploraturi. Renunciate mihi, si cuncta prospera sunt, erga Fratres meos, & pecora. Quænam vero prosperitas ista intelligenda est? Prospera sunt cuncta, si Nos, qui Pastores in universum, & Fratres ad invicem vocamur, in Domo Domini, quæ est Ecclesia Dei, in timore sancto, in charitate non ficta ambulaverimus; si animas Christi, curæ nostræ commissas, quomodo illas ambulare oporteat, docuerimus, si verbo salutis instruxerimus; si a lupis devorantibus, & gregem Dominicum dilaniare adnitentibus custodierimus; Monente nos super hoc apud Prophetam Domino, Ezech.* 34. *v.* 25. Audite Pastores verbum Domini: Vivo ego dicit Dominus DEUS; quia pro eo, quod facti sunt greges mei, in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset Pastor: Neque enim quæsierunt Pastores gregem meum, sed pascebant Pastores semetipsos, & gregem meum non pascebant: propterea Pastores audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus: Ecce ego ipse, super Pastores requiram gregem meum, de manu eorum. *Quis Pastorum ad hoc non paveat? Quis horrore gravi non contremiscat? Itaque Fratres Charissimi, quoniam periculosissimo munere fungimur, munus hoc solicite ac sedulo exequamur. Attendamus gregi nostro, quem de manibus nostris se requisiturum Dominus comminatur. Ipsi vero sobrie, caste, & sancte vivamus, præbentes Nos in omnibus exemplum bonorum operum, ut non vituperetur Ministerium nostrum. Consideremus, quali honore insigniti simus, nempe Sacerdotali, quibus sacris Altaribus adstare, Divina Mysteria tractare, atque ibidem præsentem vultum Dei cernere datum est. Nonne Moyses voce tantum & colloquio Domini usus? Et resplenduit facies ejus, quomodo nos claritatem puritatis splendorem sanctitatis, ex aspectu ejus non hauriemus? Quod si Ministrantibus & tantum vasa pro ministerio ejus ferentibus, per Prophetam intimatur:* Mundamini, qui fertis vasa Domini; *quanto magis Nos, qui non vasa ejus, sed ipsum solum manibus nostris attrectamus, Majestati ejus Moyse propius appropinquamus, mundi esse debemus? Quod ab ipso Datore, omnis boni DEO, ut Nobis largiri, & simul, ut præsentem saluti animarum, & bono Ecclesiæ indictam Congregationem nostram, Spiritus Sancti gratia aspirare dignetur, instanter postulemus.*

ACTA, SEU CONSTITUTIONES *SYNODALES.*

I. De Constitutionibus Diœcesanis observandis & imprimendis.

Cum laudabiles Reverendissimorum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, anteactis temporibus ad reformationem Cleri, populique Christiani nostrarum Diœcesum latæ sint, in se tam numerosæ ac sufficientes, ut quod ad gloriæ Divinæ augendam celebrationem, ordinis rectitudinem inducendam, in eis desiderari videatur, illud sane perexiguum possit inveniri. Ita enim tempora exigentiæ accommodatæ, ita personarum utilitati, prudentissi-

dentissimo sunt adaptatæ consilio, ut nulla occurrat difficultas, quæ ipsarum beneficio non sit resoluta, nullum vulnus emergat conscientiæ, cui efficacissima non propinetur medela, & ad bene, sanctèque vivendum non præscribatur directio. Verumtamen quia progressu temporis, abusus aliquos in eisdem Constitutionibus observandis, sensim irrepsisse intelleximus, ad occurrendum illis, nonnulla in hac Synodo statuenda censuimus. Non tamen ad novarum descendemus incrementum, priusquam antiquarum commendemus observantiam, illam Cleri & populi universi nostræ solicitudini subjecti, devotis mentibus imprimi contendamus. Accidit enim sæpenumero Presbyteros, cum discrimine salutis animarum, sibi commissarum, spiritualem acceptare gubernationem, in eaque sine fructu ipsarum, & profectu in virtutibus penitus immorari; ideo vel maxime, quod Diœcesanorum Statutorum nullam omnino ob inopiam exemplarium habeant notitiam. Cupientes ergo pro Pastorali nostra cura ignorantiam notitia reformare, erroribusque exinde provenientibus occurrere, Constitutiones tam recentiores hasce nostras, quam antiquiores Prædecessorum nostrorum, prælo committendas esse statuimus: districtè præcipientes omnibus & singulis, Ecclesiarum quidem Rectoribus, ut præfatas Constitutiones, Archi-Presbyteris vero, ut præter Diœcesanas Sanctiones Provinciales quinque libris contentas, & alias in eodem volumine (etiam Varsaviensi proxime celebrata compactas) nuper ex Decreto Synodi Petrykovien. cura & mandato Illustrissimi olim Dni JOANNIS WEZYK, Archi-Episcopi Gnesnensis editas, inter alia domestica necessaria habeant, illas memoria teneant, & in viridi observantia conservare studeant. Quarum rectitudine illustrati, & suæ prospicient integritati, & animabus curæ suæ concreditis, de æterna providebunt securitate.

II. *De Doctrina Christiana.*

QUemadmodum vita humana debito carens nutrimento, nequit subsistere: ita spiritualis competens requirit alimentum, quo non subministrato, vitam humanam ruere, & mori necesse est; quocirca omnibus Ecclesiarum Rectoribus, ac eorum loca tenentibus, præsentis Synodi authoritate in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna maledictionis æternæ, mercenariis jam dudum præparata, præcipimus, ne dies Dominicos & Festos celebres, absque celebratione Missæ, & verbi Dei prædicatione transire, suisque Ecclesiis ac ovibus relictis, alienas Ecclesias pro illarum solennitatibus visitare audeant, pœnas, ultra comminatam, etiam arbitrarias verituri. Mandamus prætereà, ut in villis, in quibus rudis plebecula est copiosa, diebus prædictis concione ad populum expedita, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, præcepta Decalogi, per se, vel suos Substitutos recitent; ita clare & distinctè, ut audientes percipiant, vocem pronunciatam sequantur, & quod expriment frequentius, memoria teneant, hac ratione suis animabus, & concreditis, consulturi. In Civitatibus vero & oppidis præscriptum Diœcesanum, quod præsentibus reassumimus, observetur. Insuper quos cognoverint fidei rudimenta prima ignorare, illos neque matrimonialiter copulent, neque officium patrinorum obire permittant, dumque illos absolvunt Sacramentaliter, præter alias pœnitentias salutares, ipsis juxta mensuram delictorum alias injungendas, fidei rudimenta ediscenda præcipiant; præfixo illis certo, & semel atque iterum prorogato, pro sua prudentia termino. Quod si aliqui semel ita ad Sacramentum Pœnitentiæ admissi, nihilominus postea in crassa hac ignorantia perseverare comperti fuerint, ad Nos deferantur, priusquam deinceps admittantur, ut saluti eorum efficacius, prout in Domino expedire viderimus, consulamus.

III. *De Sacramentis, & Sacramentorum administratione.*

QUia munus & officium Sacerdotale tam onerosum atque periculosum invenitur, ut etiam sit hume-

humeris Angelicis formidandum, illudque in administratione Sacramentorum consistat potissimum, magna profecto cum pietate, tum vel maxime indiget scientia, quæ non nisi multo labore, multisque authorum doctrinis & ipsarum voluminibus potest comparari. Cui negotio, quia nec vires plurimorum, nec tempus posset sufficere, & quæ de Sacramentorum administratione prolixe & sparsim in sacris Canonibus Concil. Trid. & Constitut. Provincial. Statuta & Decreta reperiuntur, ea omnia brevi compendio in Epistola Pastorali, magnæ memoriæ Illustriss. olim Cardinalis Macieiowlki, ab Eminentissimis Card. Concil. Trid. Interpretibus recognita, complexa reperiuntur, proinde illam nostris Constitutionibus Synodi præsentis adjungemus.

IV. De SS. Eucharistiæ Sacramento comitando.

NOn absque gravi cordis nostri amaritudine id sustinere cogimur, cum in his Diœcesibus hæretica pravitate infectis, populi Catholici, in venerando SS. Sacramento, intuemur desidiam: Nam contingit frequentissime Corpus Dominicum, absque ullo splendore & comitatu, ad infirmos per Sacerdotes deferri, Catholicis nullam ipsi assistentiam præstantibus. Proinde huic depravatæ consuetudini, mentibusque frigidis prospicere cupientes, majoremque pietatem & venerationem cordibus fidelium imprimere desiderantes; statuimus, & præsentis Synodi authoritate ordinamus, ut quoties per Oppida deinceps & Civitates hoc S. Sacramentum ad infirmos erit deferendum, signo parvæ campanæ in medio Ecclesiæ affixæ dato, populus ad illud comitandum, vel saltem adorandum invitetur; quod facientes devote, Quadraginta dierum Indulgentiam (quam Nos de Omnipotentis DEI misericordia concedimus) consequentur. Ut vero hæc Indulgentia sit nota Fidelibus, illam Rectores Ecclesiarum & Concionatores ex ambona publicare tenebuntur.

V. De Communione Paschali.

QUoniam de Paschali Confessione & Communione præter Concil. Trid., Statut. Provinc., in Epistola Pastorali, ac Diœcesana Constit. Tit. *de Pœnitentia & Eucharistia*, sufficienter reperiatur dispositum, proinde præscriptum hoc in prædictis contentum reassumentes, mandamus, quatenus Parochi locorum, contra negligentes Communionem Paschalem, quantum de jure, procedant; Nobis tamen prius hujusmodi obstinationis facturi notitiam.

VI. De Pœnitentiis injungendis.

ILlud quoque maximo cum dolore Nobis relatum percipimus, quosdam in locis aliquibus Sacramentum Pœnitentiæ ministrantes, magis lucro temporali, quam remedio salutari acquirendo invigilare consuevisse. Ne igitur hoc magnum Sacramentum ceu columnam salutis humanæ, ad quæstum potius, quam pietatem contingat ministrari, Statutis Prov. inhærendo, omnibus & singulis tam Sæcularibus, quam Regularibus quibuscunque, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis ibidem & in jure communi descriptis, inhibemus, quatenus deinceps passim & districte pro pœnitentia Missas per se celebrandas, pœnitentibus laicis non injungant, sed notam cupiditatis fugientes, fructus ex tali pœnitentia solitos provenire faciant pauperibus erogari.

VII. De Casibus reservatis.

UT & Pœnitentium conscientiis, & Confessariorum rudiorum commoditati salubriter consulatur, Casus, qui Sedi Apostolicæ & Ordinariæ sunt reservati, primo quoque tempore imprimi curabimus, ac per singulas Ecclesias Diœcesum nostrarum distribui faciemus. Quos quidem Casus sic impressos, Parochi, aut eorum Vicarii in confessionali loco conspicuo affigere, & quotannis prima Dominica Quadragesimæ, & feria quinta Cœnæ Domini, vel aliquo solenniori Festo, pro concio-

nibus

nibus publicare tenebuntur, eo etiam ſuperaddito, quod regulares Confeſſarii, cujuscunque Ordinis, neminem in iisdem caſibus, vigore Maris magni, & quorumcunque privilegiorum, ne Roſarii quidem Confraternitati datorum, juxta declarationem Sacræ Congregationis Cardinalium Sac. Conc. Trid. Interpretum abſolvere poſſint, quodque abſolventes ſine ſpeciali Sedis tam Apoſtolicæ, quam Ordinariæ licentia, pœnam in Clementina Conſt. *De Privilegiis & exceſſibus Privilegiatorum*, incurrant. Porro, ne aliquis in Diœceſibus noſtris prætendat ignorantiam dictæ Clementinæ, eandem ad calcem Conſtitutionum præſentium apponemus.

VIII. Ut libros Baptizatorum, Copulatorum, vivorum & mortuorum, Parochi fideliter conſcriptos habeant.

Licet ea de re, ultra præſcriptum Ritualis novi (quod in locum Agendorum Powodovianorum Synodus Provinc. Petrykovien. 22. Maji 1628. Anno celebrata, mandavit imprimendum, & hoc ad initium ejusdem Ritualis continet Præfatio, ubi antiqua jubentur aboleri) Statutis quoque Diœceſanis præſcriptum inveniatur, quibus Parochi, ipſorumque vices gerentes ad libros Eccleſiaſticos, ſcilicet Baptizatorum, Copulatorum, vivorum, & mortuorum ſuorum Parochianorum habendos, & cum fideli diligentia conſcribendos adſtringuntur, huic tamen obligationi, & ſtatutis perquam utilibus ac neceſſariis, multorum in Diœceſibus noſtris Presbyterorum non reſpondet negligentia, vel craſſa non capit ignorantia. Aut enim plurimi libros hujusmodi non habent, aut aliquem duntaxat ex illis, eumque multis refertum erroribus, gloſſatum, in viſitationibus producere non verentur, in quibus nomina & cognomina parentum, & plerumque baptizatorum omittuntur. Mandamus ergo omnibus noſtrarum Diœceſum Presbyteris, quatenus deinceps in ea cura ſe diligentiores exhibeant, neque ſuum officium in talibus ſub pœna Synodali negligere præſumant, aliisque gravioribus arbitrio noſtro infligendis.

IX. De Miſſæ Sacrificio bis in diem celebrando.

Multis in locis noſtrarum Diœceſum comperimus, Eccleſias belli præteriti injuria ad eam deveniſſe conditionem, ut, qui earum curam habere velint, non facile reperiantur: Hinc eſt, quod illas propriis Rectoribus ita deſtitutas, Parochis vicinioribus cogamur committere. Quia vero in prædictis Eccleſiis, ob tenuitatem proventuum Vicarii ſuſtentari, Divinaque Officia ſolennioribus Feſtis diebus, in illis non valent celebrari, idcirco ſcandalis & animarum periculis obviam ire cupientes, faciendum cenſuimus, ut Reſcripto LEONIS X. Pont. Max. incipit: *Sacroſanctæ*, de anno 1515. V. Idus Auguſti, pro Regno Poloniæ impetrato, inhærentes, dictis Parochiis, ac ipſorum locum tenentibus duas Miſſas, uno die, in diverſis Eccleſiis abſolvendi, concederemus facultatem, prout quidem concedimus, & indulgemus in Dei nomine præſentis Conſtitutionis vigore; ita tamen, ut eo in paſſu omnis avaritiæ vitetur ſuſpicio, & ſic Celebrans in Miſſa duntaxat ſecunda ſumat purificationem. Quod ne paſſim & in una Eccleſia contingat attentari, intentionem Reſcripti, ex corpore illius depromptam, declaramus: Miſſasque memoratas, urgente ſupra expreſſa neceſſitate, in Circumciſionis, Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes, Aſcenſionis Domini, nec non Purificationis, Aſſumptionis Beatæ MARIÆ Virginis, tum etiam Nativitatis Joannis Baptiſtæ, Petri & Pauli Apoſtolorum, ac Sanctorum omnium Feſtivitatibus, & Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, volumus celebrari.

X. De vita & honeſtate Clericorum.

Cum vita & mores Clericorum boni vel mali plerumque a populo trahi ſoleant in exemplum, neceſſario quilibet in ſortem Domini vocatus curabit faciendum, ut correctioni populi, non autem deſtructioni, vitam & mores

res accommodet. Væ enim Paſtori, qui verbo inſtruit, exemplo deſtruit. Quamobrem omnes & ſingulos Diœceſum noſtrarum Clericos, in quocunque ſtatu & præeminentia exiſtentes, authoritate præſentis Synodi, per viſcera miſericordiæ Salvatoris noſtri DEI monemus & obſecramus, ut vitam & mores ad præſcriptum Ss. Canonum, Statutorumque Synodalium conforment, a vitiis omnibus abſtineant, præſertim vero ab illis, quæ iisdem ſacris legibus vetantur. Quod ſi quispiam refractarius fuerit, Nos veritate facti ſummarie cognita, contra eum procedemus, condignasque neglectæ emendationis pœnas extendemus. Et quia in tabernis multorum delictorum occaſio ſolet evenire, & Clericalis dignitas per earum frequentationem maximam authoritatis incurrit diminutionem; idcirco ſuper ea re editas Conſtitutiones innovantes, authoritate præſentis Synodi, omnes, cujuscunque gradus & conditionis extiterint, Clericos monemus, ut ne tabernas compotandi gratia viſitare præſumant, ſub pœna carceris ad beneplacitum noſtrum ſuſtinenda.

XI. De Viſitationibus & Congregationibus per Archi-Presbyteros faciendis.

PORRO modum viſitationis Archi-Presbyterorum, in eorum Regionibus expediendæ, ſatis copioſe conſtit. Diœceſana ab Illuſtriſſimo Domino olim LAURENTIO GEMBICKI Prædeceſſore noſtro, deſcriptum videntes Actum, non agimus de tempore, tamen illius determinare perneceſſarium eſſe exiſtimavimus: ac proinde, ut Archi-Presbyteri locorum ſemel in anno, Culmenſes quidem a decima quinta Octobris non impedita, Pomeſanienſes vero poſt Octavam Ss. Corporis Chriſti tempore ſimiliter non impedito, in ſuis Diſtrictibus inſtituant; atque ſic inſtitutam, diebus non interruptis continuent, proceſſu de eadem maturius expedito. Acta autem viſitationis duplici ſcripto comprehendant, in altero quidem aperto, ſtatum, ſuppellectilem, reditus tam Eccleſiarum, quam Parochorum conſcribant: In altero obſignato, quæ ad Parochi vitam, officiumque ſpectabunt; ac viſitatione perfecta, utrumque ad Nos transferant, vel transmittant. Ita enim facilius Cleri & populi, noſtræ curæ concrediti, mores & vitam inſpicere, bonorumque, ſeu Eccleſiæ ſupellectilis, incremento, informari poterimus. Congregationes quoque per eosdem, tanquam Decanos rurales, bis in annum celebrabuntur, primam utraque noſtra Diœceſis in craſtino 2. Dom. poſt Paſcha, ſecundam Culmen. poſt primam Dominicam Octobris, Pomeſania vero tertia Februarii die, non impedita, expedire curabit: in quibus Archi-Presbyteri Epiſcopalis Paſtoralis, de Congregationibus Cleri per Decanos rurales facien. tum & prædictæ Conſtitut. Gembicianæ ſe ſe conformantes, ea tractabunt, quæ ad Reformationem Cleri, Eccleſiaſtici regiminis integritatem, vocationis Presbyteralis perfectionem, & populi ſalutarem utilitatem proficua judicabunt, & ea, quæ ibi fuerint agitata, conſcripta fideliter, ad Nos curabunt transportari. Si vero aliquis Presbyterorum dictæ Congregationi intereſſe neglexerit, neque de legalitate abſentiæ docuerit, pœna quinque florenorum, pro neceſſitatibus illius Eccleſiæ, cujus Archi-Presbyter Rector eſt, convertendorum, eundem puniant: quod ſi contumaces fuerint, eos ad Nos, vel ad Officium noſtrum pœna duplici puniendos deferant.

Inſuper volumus & ordinamus, ut in Culmenſi & Pomeſanien. Diœceſibus, infraſcriptas Eccleſias Archi-Presbyteri, ſub cura ſua temporibus perpetuis habeant.

IN DIOECESI CULMENSI

ARCHI-PRESBYTER CULMSEHENSIS.

Parochialem Culmſehen, Papowo, Trzebcz, Vnislaw, Grzybno, Nawra, Kielbaſino, Dzwierſno, Biskupiec, Grzywna, Goſtkowo, Gronowo, Lanka, Rychnowo, Zajaczkowo, Srebrniki.

ARCHI-PRESBYTER CULMENSIS.

Chelmno, Ibidem S. Spiritus, S. Georgii Mart., Patroni Pruſſiæ, S. Martini Conf. S. Agne-

S. Agnetis Virg. & Mart. *Starogrod,*
Kijewo, *Sarnowo,* *Lissowo,*
Wapcz, *Czyste,* *Szynych.*

ARCHI-PRESBYTER THORUNEN.

Thorun, *Ibidem S. Laurentii Martyris,*
Swierczyny, *Popowo,* *Ostromięczk,*
Bierzglowo, *Lubicz,* *Czarz,*
Ciarnowo, *Przeczno,* *Grębocin,*
Boliminko, *Lazyn,* *Rogowo.*

ARCHI-PRESB. GRAUDENTINEN.

Grudziadz, *Wiewiorki,* *Welcz,*
Mokre, *Tarpno,* *Blędowo.*

ARCHI-PRESB. LUBAVIEN.

LUbawa, in qua Capella B. M. V. Samplawa,
Byßwald, *Grodziczno,* *Rumian,*
Rozental, *Kazanice,* *Turowo.*
Zlotowo, *Grabowo,*
Swiniarz, *Pratnica,*

ARCHI-PRESB. NEOFOREN.

Nowe Miasto, *Chroslc,* *Lipinki,*
Mikolayki, *Gwiezdziny,* *Radomno,*
Lakorz, *Kurzętnik,* *Tylice,*
Swarczynowo, *Skarlin,* *Brzoze.*

ARCHI-PRESB. BRODNICEN.

Brodnica, in qua S. Spiritus, S. Valentini M.
Mßano, *Lembarg,* *Niezyvviec,*
Wrocki, *Pokrzydowo,* *Krusin,*
Bobrowo, *Zmijevvo,* *Brudzavvy.*

ARCHI-PRESB. GOLUBEN.

Golub, *Kurkocin,* *Radovviska,*
Lipnica, *Ostronite,* *Lobdovvo.*
Zelen, *Pluskovvęzy,*

ARCHI-PRESB. LAUTEMBERGEN.

Lidzbark, in qua Assumpt. B. M. V.
Wlevvsk, *Lenck,* *Kielpiny,*
Brozie, *Radoszei,* *Przylęk.*
Bolesino, *Mroczno,*

ARCHI-PRESB. FREDECEN.

Wabrzézno, *Orzechovvo,* *Niedzvviedz,*
Dembovva laka, *Lopatki,* *Kovvalevvo,*
Rynsk, *Novvàvviés,*
Chelmanie, *Osieczek,* *Ploznica.*

ARCHI-PRESB. RADZYNEN.

Radzyn, in quo S. Georgii Mart.
Okunin, *Burßtinovvo,* *Jablonovvo,*
Linovvo, *Gruta,* *Ryvvald.*
Ostrovvite, *Plovvaz,*

ARCHI-PRESB. LASINEN.

Lasin, in quo S. Mariæ Magdal. *Szembruk,*
Szynvvald, *Lisnovvo,* *Svvięte,*
Rogózno, *Sczepanki,* *Blumovvo,*
Gubino, Jankovvice, Dambrovvka, desolatæ.
Czarlin, Trumica, in manibus hæreticorum.

IN DIOECESI POMESANIÆ

ARCHI-PRESBYT. MARIÆBURGENSIS.

Malbork, *Ibidem Ecclesia S. Spiritus,*
Ecclesia S. Laurentii, *Capellæ 2. B. Mariæ V.*
Kozliczki, *Szonovvo,* *Montovvy,*
Gnojevvo, *Mileno,* *Beysterfeld.*
Pogorzala vvies, *Mistemberg,*

ARCHI-PRESB. NEITYCHEN.

Nytych, *Ibidem Ecclesia S. Spiritus.*
Lichnovvy, *Pragovvo, Capella desolata,* *Koncendorff,*
Borenty, *Lyssovvo,*
Novva Cerkievv, *Palßevvo Capella,* *Lezvvice,*
Szadvvald.

ARCHI-PRESB. SZTUMEN.

Sztum, *Brunsfald exusta,* *Petersvvald,*
Sztumska vvies, *Postolin,*
Koniecfald, *Novva vvies,*
Dambrovvka, *Sropy,* *Straßevvo,*
Kizling, *Kalvva,* *Tychnovvy.*

ARCHI-PRESB. CHRISTBURGEN.

Kißpork, *Fißevvo,* *Starytarg,*
Baumgarth, *Nocendorff,* *Novvytarg,*
Tyrgarth, *Konisgdorff,* *Mikolaiki,*
Rozengarth, *Poßolia,* *Szenvveza.*

ARCHI-PRESB. FÜRSTENWERDEREN.

Fürstenvverder, *Szensa,* *Marynovvy,*
Bervvald, *Szemberg,* *Tyga,*
Tygenhagen, *Szenhorst,* *Tamza,*
Petershagen Capella desolata. *Ladekop,* *Lignovvy.*
Orlovv Capella.

X. De Ecclesiis desolatis.

DOmum Dei decet Sanctitudo, sacrum testatur Eloquium, & indignum est, prout Sanctum dare canibus, ita quod cultui Divino, salutis humanæ ministerio, Majorum erexit pietas, id filiorum negligentia, in speluncam latronum, aut fætidum stabulum, aut jumentorum, seu quarumvis aliarum bestiarum converti receptaculum. Quapropter Synodi præsentis authoritate, omnes Ecclesiarum Patro-

nos & Collatores monemus & requirimus in Domino, quatenus Ecclesiis collapsis, vel quomodolibet vacantibus, quantocius subveniant, Patrimonia debita illis restituant, illas restaurari faciant, fructus earum suis usibus applicare, ac de illis pro libitu disponere, sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrenda, & interminatione judicii Divini, non præsumant, vacantibus vero de personis idoneis providentes, in spatio semestris præsentent, alias Jura Patronatus amissuri.

XI. De Victricis Ecclesiarum.

STatuimus præscripto Synodi Prov. inhærentes, ut singulis annis infra Octavas Nativitatis Christi, aliquod dierum dict. Octav. Rectores Ecclesiarum, vel alii Curati, communiter & divisim, quilibet in Parochia sua, cum Patrono Ecclesiæ, si Patronus ibi fuerit, & commode adesse poterit, vel saltem cum aliquibus Parochianis principalioribus, duos viros de statu laicali fide dignos eligant & deputent, qui sic electi & deputati, inprimis in facie Ecclesiæ, præsentibus iisdem fidelitatis præstent juramentum, & nemini Parochianorum ex proventibus Ecclesiæ, nisi Archi-Presbytero & Parocho reddant rationem, in reliquis præscripto Statut. Provinc. sese conformantes.

XII. De Erectionibus Ecclesiarum.

QUoniam erectiones & fundationes Ecclesiarum, in Episcopatibus nostris existentium, in Ducali Archivo, & alibi constat reperiri, & ob illarum defectum, non solum Regimini Ecclesiastico, verum etiam piæ Fundatorum intentioni pro debito, a Rectoribus earundem non potest responderi, operæ pretium faciendum censuimus, ut aliqua ratio ineatur, qua jura Ecclesiastica possint vindicari: ut autem hoc desiderium quantocius adimpleri valeat, Sac. Reg. Majestati supplicandum est, ut pro faciliori illarum recuperatione, suam interponat authoritatem, atque opportuno provideat remedio: ut vero in recuperatione omnis adhibeatur diligentia, Rdo Officiali Pomesaniæ; & Montoviensi Plebano committimus, quatenus Regiomontum, tempore ad id assignando descendentes, negotium hocce pro dignitate Ecclesiæ expediri faciant.

XIII. De rebus Ecclesiarum vindicandis.

INtelleximus in multis locis Diœcesum nostrarum, non solum bona mobilia, ut jumenta, summas pecuniarias, & alia hujusmodi, ad Ecclesias pertinentia, verum etiam immobilia, ut mansos, agros, juggera, prata, in usu & possessione tam Victricorum, quam aliorum Laicorum, longiore cujusdam pensionis prætextu detineri, cum magna jurisdictionis Ecclesiæ, & fructuum exinde habendorum diminutione, & juris Parochorum potioris præjudicio; Statuimus ergo, & firmiter hac Synodali authoritate præcipimus, ut Parochi bona hujusmodi, de manibus, malo jure possessorum eximant, jure mediante vindicent, & sic vindicata vel ipsi teneant, vel aliis, cum scitu Victricorum, (in loca tamen secura) collocari faciant, ne illa contingat otiari, ac proventus Ecclesiarum diminui, ubi autem summæ exiguæ in Ecclesiarum thesauros fuerint deportatæ, & illis necessitas pro fabrica, vel aliis requisitis indigeat, nec sit ratio, qua necessitati possit provideri, a locatione abstineant, in fabricam potius Ecclesiæ, & paramenta convertentes.

XIV. De Decimis & Missalibus.

CUm difficile sit egentem bene operari, opportune satis per Ss. Canon., Conc. Trid., Statut. Provinc. tit. *De Decimis ex Antiquis*, lib. 3. fol. 185. & in Epist. Pastorali tit. *De conservat. bonorum & jurium Ecclesiasticorum*, huic egestati provisum est: dignus enim est operarius mercede sua, & qui servit altari, de altari vivat, necesse est. Quare super hoc fusius descriptæ ordinationi addere nihil amplius volentes, omnes Ecclesiarum nostrarum Rectores, nunc & pro tempore existentes, monemus & requirimus, quatenus juramenti sui in susceptione Beneficiorum emissi memores

mores, jura Ecclesiarum suarum, super Decimis, aut quibusvis proventibus habita, ad effectum deducant, neque tam piam Ecclesiæ Dei provisionem, ceu Christi patrimonium distrahi, seu alias permittant aboleri. Volumus insuper & ita statuimus, ut de agris desertis, & in prædia per Dominos locorum conversis, vel ad usum Curiarum applicatis, de quibus (dum per Colonos inhabitarentur) Decimæ, seu Missalia, vulgo Taca, Rectoribus Ecclesiarum solvebantur, nostris quoque temporibus recipiantur, in quo Domini locorum erunt requirendi: Nolentes autem, jure mediante compellendi. Nefas enim est & impium, de iis, quæ sunt juris Divini, humana disponere temeritate, quodque Deo, ejusque Sponsæ Ecclesiæ antiquitus consecratum est, in eo filii perditionis, avaritiæ inhiantes, præsumant derogare.

XV. Ne bona post mortem quorumvis Spiritualium diripiantur.

CUm super hoc negotio Synodus Provinc. *lib.* 5. *cap.* 23. satis provide constituerit, non est, cur in eo immoremur, sed ipsius vigorem & rigorem renovantes: Statuimus in hac Synodali Constitutione perpetuo valitura. Interdicimus, ne bona Ecclesiastica post mortem quorumvis Spiritualium diripi, & spoliari permittantur. Cui negotio, moriente Plebano, Vicarius, decedente Vicario Plebanus, & ubi aliquis horum defuerit, Victrici Ecclesiæ serio invigilabunt, neque sub pœna refusionis dupli, & in supplementum excommunicationis, ipso facto per negligentes incurrendæ, deformare, diripere, & dilapidare, cuipiam Sacerdotum vel consanguineorum permittant, donec ea de re per Nos, vel Officium nostrum fuerit declaratum.

XVI. De injuriis Ecclesiarum, Parochorum, & Parochianorum.

RElatum est Nobis, in quibusdam Capitaneatibus & aliis Tenutis bonorum Regalium, contra subditos Catholicos, Majores nostris temporibus in Patria, quam contra Judæos tempore Pharaonis in Ægypto, consurgere servitutes & angarias, dum quasdam contributiones, pro Scholiarchis hæreticorum coguntur componere. Quam novitatem uti impiam, & libertati Catholicæ, imo & nomini Christiano præjudiciosam, abrogare & extirpare cupientes, statuimus, ut quicunque hujusmodi Capitaneorum vel Tenutariorum, seu Dominorum etiam hæreditariorum, subditos Catholicos, sic angariare, præsumpserit, quocunque nomine seu dignitate censebitur, excommunicationi majori, ipso facto incurrendæ subjacebit, nec ab ea, nisi mortis articulo, absolvetur, quam se mandantes, permittentes, vel hujusmodi ausus reprimere ac punire non curantes, noverint incursuros. Statuimus præterea, ut quotiescunque DD. Capitaneis, Tenutariis, vel Dominis hæreditariis in suas villas desertas Colonos hæreticos introducere contigerit, eosdem jurisdictioni Ecclesiæ subjiciant, neque illas ab eadem quomodolibet eximere præsumant, ut sic loca bonorum Catholicorum occupantes, Ecclesiis, ac ipsarum Rectoribus Missalia, Decimas, vulgo *Tace*, & alias obventiones, de agris prædictis antiquitus provenientes, pendere non negligant, alias nolentes authoritate eorundem compellantur. Insuper Statutum Provinc. reassumendo, ordinamus & constituimus, ne Domini temporales, aut ipsarum vices gerentes, pro libitu diebus Dominicis & Festis, antemeridiano tempore congregationem subditorum expediri faciant, sed necessitate id exigente, in pomeridianum transferri faciant; scientes, istud esse diabolicum inventum, qui, ut animos Christi fidelium a Divinis amoveant, vanis distrahit negotiis, & obtrudit temporalia, ut privet æternis.

XVII. De Regularibus.

ETsi vetitum est in alienam messem mittere falcem, nonnulli tamen Regulares in vetitum nitentes, in Ecclesiis vacantibus & Oratoriis privatis Pastoralia exercere officia, Missas in majo-

majoribus etiam Feſtivitatibus, videlicet Nativitatis Domini, Reſurrectionis, Pentecoſtes celebrare, aliaque Divina obire non verentur, unde fit, ut Parochiani proprios Parochos contemnant, Patroni ad vacantes Eccleſias idoneos præſentare negligant, fundos earundem Eccleſiarum ſibi uſurpent, Decimas, Miſſalia, aliasque obventiones perſonis Eccleſiaſticis debitas pendere detrectent, &, quod maxime dolendum eſt, animarum pretioſiſſimo Chriſti Sanguine redemptarum, ſalus periclitetur. Nos igitur huic malo, pro noſtro Paſtorali munere, eo ferventius occurrere volentes, quo minus ſacrorum Canonum Decreta, Synodalia Statuta, & Prædeceſſorum noſtrorum Edicta publicata, profeciſſe animadvertimus, omnibus in univerſum cujuſcunque Ordinis Regularibus, ſub debito juramento, quod Epiſcopis in receptione Sacerdotii præſtiterunt, & ſub anathematis pœna, eo ipſo incurrenda, inhibemus & interdicimus, ne in Oratoriis privatis, aut Eccleſiis vacantibus, in quibus Sæculares Jus patronatus prætendunt, Miſſam celebrare, verbum Dei prædicare, aut Sacramenta adminiſtrare, absque noſtra ſpeciali approbatione, & expreſſo conſenſu præſumant. Tempore vero, quo Parochiani ex præcepto propriis Parochis confiteri tenentur, ne in Eccleſiis quidem Ordinum ſuorum ullum Parochianum ad confeſſionem, & ad porrigendum ei Euchariſtiæ Sacramentum audeant recipere, niſi obtenta deſuper proprii Parochi in ſcriptis licentia. Atque ut multiplici hominum fraudi occurratur, viciſſim Regulares de audita confeſſione eorum, quos de licentia Parochi audiverint, teſtimonium in ſcriptis dare eisdem teneantur. Decreverat jam pridem Sacra Congregatio Cardinalium, negotiis Epiſcoporum & Regularium præpoſita, non licere Regularibus quorumcunque Ordinum, etiam ſpecialis alicujus conſuetudinis prætextu, Parochias cum Cruce proceſſionaliter, ad levanda & efferenda defunctorum funera, intrare, proprio eorum Parocho abſente, vel eo irrequiſito. Quod Decretum cum altercationum & ſcandalorum materiam amoveat, in Diœceſibus noſtris ad unguem obſervari mandamus, adjecta etiam ſuſpenſionis in transgreſſores pœna, per unam ſeptimanam extendenda, a qua non niſi a Nobis, vel Officialibus noſtris, prævia ſatisfactione, abſolutionis beneficium valeant obtinere. Inhærendo vero Statuto Synod. Provinc. ſub tit. *De Sepulturis*, lib. 3. monemus Regulares quoſcunque, ne aliquem ad vovendum, jurandum, vel ad promittendum inducant, ut ſepulturam apud eorum Eccleſias eligat, ſub pœnis ibi contentis.

XVIII. *De domo pro Senibus & pauperibus Clericis erigenda.*

MAgnus profecto Diœceſum iſtarum apparet defectus, quod ſolæ inter alias bene ordinatas, gravem laborum, & vitæ ſervitiis conſumptæ, redoleant ingratitudinem, dum pro Sacerdotibus ita enervatis, ſenio confectis, vel etiam morborum incurabilium amaritudine onuſtis & afflictis, nullum habeant ſolatium, nullum ſubminiſtrent reſpirium, nullum denique ad illis ſuccurrendum oſtendant receptaculum. Quod Nos corde ſolicito conſiderantes, Presbyterosque ſicut numeroſiores, ita ad ſerviendum iſtis Diœceſibus alacriores reddere cupientes, & hujusmodi gravitati reſpirio, amaritudini vitæ (quæ in talibus evenire ſolet) ſolatio proſpicientes, faciendum Nobis cenſuimus, ut piam Illuſtriſſimi olim Dni JOANNIS KUCZBORSKI, Prædeceſſoris noſtri, liberalitatem (qui tria millia florenorum, uti ex teſtamento ipſius patet, eo nomine apud Rel. Abbatiſſam, ejusque Conventum Culmenſem repoſuit) & Rel. olim MORTESKA dicti Conventus Abbatiſſæ intentionem, (quæ ad eum finem domum Culmæ curavit ædificari) promoventes, hujusmodi Presbyteros in domo eadem collocemus. Ne autem ita collocatis, fame potius, quam ſenio, vel infirmitate enervatis, mortem contingat accelerari, charitativo ſubſidio huic periculo providendum eſt. Quod quia univerſi harum Diœceſum Sacerdotes, ducta proportione Beneficiorum,

ciorum, communi laudo, & nemini repugnante, ſe daturos ſubmiſerunt, ipſi contributioni, in Culmenſi autumnalem, in Pomeſania hybernalem, congregationes aſſignavimus; Synodi præſentis authoritate, omnibus locorum Archi-Presbyteris mandantes, quatenus dictum ſubſidium, tempore ſibi aſſignato, collectum recipiant, receptum Proviſori (quem Archi-Presbyterum Culmenſem, nunc & pro tempore exiſtentem, eligimus ac deputamus) transmittant, omnemque adhibeant diligentiam, ne qua culpa negotium hoc impediant, retardent, vel, quod abſit, ſegniter tractent, ſub pœna arbitraria.

XIX. *De Seminario.*

QUanto uberiores fructus e Seminariis Clericorum, ad Eccleſiam Dei promanare compertum habemus, tanto promptius erigendis illorum domiciliis, noſtram ordinariam authoritatem accommodandam Nobis cenſemus. Cum itaque hiſce temporibus Spectabilis PAULUS PILKOWIC Conſul & Civis Culmenſis, domum peramplam, ſuis ſumptibus, in Civitate noſtra Culmenſi, extruxerit, eamque ex ſingulari devotionis affectu, quo commune Eccleſiæ bonum proſequitur, Seminario Clericorum erigendo dicaverit, Nos præfatam domum, uti rem piam, & ad promovendum cultum Divinum perutilem, in curam noſtram Paſtoralem, patrociniumque recipimus, a profana poteſtate ſegregamus, & jurisdictioni Eccleſiaſticæ ſubjicimus. Porro pro alendis Seminariſtis, & eorum neceſſitatibus providendis, communicato cum Venerabili Capitulo Eccleſiæ noſtræ Cathedralis conſilio, cenſum a ſumma Reſskoviana provenientem, qui hactenus nonnullis Studioſis Cracoviæ commorantibus ſolvebatur, una cum legato Generoſi olim ALBERTI PEPLOWSKI, Seminario ſupradicto incorporamus, & eidem perpetuo perſolvendum ordinamus. Ad eundem quoque uſum Cenſum, a ſumma undecim millium & trecentorum florenorum, per Religioſam olim *Magdalenam a Mortag*, Abbatiſſam Culmenſem, anno milleſimo ſexcenteſimo decimo octavo coram Judicio Scabinali Culmenſi inſcripta, juxta voluntatem dictæ *Magdalenæ a Mortag* converti debere decernimus. Interim tamen, quouſque hujus novi Seminarii fundatio non fuerit deducta ad effectum, volumus, ut Proviſores Seminarii, a Nobis & Venerabili Capitulo delecti, Cenſum debitum, ſine cujusquam reſpectu, diligenter exigant, &, ſi opus fuerit, contra detentores jure agant, ſi id neglexerint, de ſuo totidem, ad inſtantiam Inſtigatoris Curiæ noſtræ, depoſituri.

XX. *De Burſa Kuczborſciana.*

PIum ſatis & liberale Reverendiſſimi olim D. JOANNIS KUCZBORSKI, Prædeceſſoris noſtri, pro juventute, ad gloriam Dei augendam, Eccleſiarum ſubſidium, Patriæ propugnaculum, in erigendo convictu, ſeu contubernio relictum, extitit deſiderium. Cui utinam in tam vaſta iſtarum Diœceſum ſolitudine, perſonarum qualificatarum ſubminiſtratione, proviſum fuiſſet. Dederat ille Patribus Soc. JESU, Collegii Thorunenſis, decem millia florenorum, ad eum finem ſcilicet, ut quantocius Convictum, ſeu Burſam erigerent, juventutem aptam ſtudiis literarum perdiſcendis, in ea collocarent. Quia ergo tam laudabili deſiderio, tamque utili intentioni, eo uſque non eſt ſatisfactum, eaque ſumma non debuit eſſe otioſa; proinde Venerabili Capitulo noſtro Culmenſi, authoritate Synodi præſentis, mandamus, ut ſine procraſtinatione, a Patribus prædictis, dictam ſummam, cum cenſu debito recipiat, Burſam erigi curet, in qua juxta intentionem Fundatoris juventutem collocabit.

XXI. *De Schola Culmenſi ſtatui priſtino reſtituenda.*

SI quo in loco, de Scholis deſertis excitandis & reſtituendis, cura cogitatioque eſt ſuſcipienda, certe in hoc Epiſcopatu noſtro vel maxime, qui intra viſcera ſua, populum, diverſarum hæreſum contagione infectum, continens, tanto fortioribus doctrinæ ſalubrioris remediis, & præſervativis, quæ

in Scholis Catholicis reperiuntur, indiget, quanto periculosius intrinsecum errorum malum semper esse consuevit. Verum cum eam cogitationem, ob præteriti Belli Prussici, & pestilentiæ incommoda, ac summam bonorum vastitatem, ad effectum deduci, hoc præsertim rerum statu sit difficile, unam saltem Culmensis Civitatis, olim celeberrimam, e silentio excitandam, ac vigori pristino restituendam existimavimus. Volumus ergo, & ita præsentis Synodi authoritate ordinamus, ut Scholæ hujus Provisores, Magistros idoneos ex Academia Cracoviensi, ad eam invitent, studia pro exigentia loci & personarum tractari faciant, & quæ a Sede Apostolica sibi habeant concessa privilegia, illa non sinant otiari.

XXII. *De Translatione Festi S. Georgii Martyris.*

LIcet quemlibet Sanctum in cœlesti Curia cum Deo regnantem, & visione beatifica fruentem, condigna deceat veneratio, potissime tamen Regnorum vel Provinciarum Patronis exhibenda est; cum æquum sit, eorum præcipuam fieri memoriam, quorum nos patrocinio confidimus liberari. Proinde cum Ducatus Prussiæ, S. Georgium Martyrem, in patrocinium primarium assumpserit, & pro Patrono suo ab antiquo coluerit, consentaneum est, ut ipsius celebritas nostris quoque temporibus excitetur. Quia vero Festivitas ipsius, cum festivitate S. Adalberti, Regni Poloniæ Patroni, die vigesima tertia April. concurrit, eaque in diem sequentem, non impeditam, transferri consueverit, idcirco majori solennitate S. Patronum nostrum venerari cupientes, eandem in Dominicam infra Octavas S. Adalberti, præsentis Synodi authoritate, transferimus, ac de illo Officium cum Commemor. Dominicæ volumus recitari.

XXIII. *De Sacerdotibus vagis.*

FRustra Ecclesiæ implorat auxilium, qui contra illam delinquit: frustra quoque Sacerdotes debitum exigunt honorem, dum contra suam faciunt vocationem, ex Diœcesi in Diœcesim, de Civitate in Civitatem, ab Ecclesia ad Ecclesiam, prava conversatione corrupti, absque legitimo testimonio cursitantes, ac indebite, & cum periculo animarum, in Ministerium Sacramentorum sese intrudentes. Cui dissolutioni, animarum periculo, vitæ scandalosæ, ausibusque hujusmodi temerariis, remedio salutari occurrere cupientes, mandamus Diœcesum nostrarum Plebanis, ipsorum Vicariis, Commendariis, cæterisque quibusvis Presbyteris, ad quos cura animarum pertinere dignoscitur, ne Presbyteros peregrinos, vagos, & ignotos, tam sæculares, quam regulares Mendicantes, cujuscunque Instituti fuerint, ad Missas celebrandas, & Officia Divina, in suis Ecclesiis peragenda, sine literis testimonialibus, ab Ordinariis locorum, vel eorum Officialibus, alias obtinendis, admittere præsumant, neque leviter Superiorum testimoniis, fidem adhibeant. Nam sæpe numero contingit, ab ejusmodi hominibus peregrinis, vagis, ignotis, apostatis, ementita commonstrari testimonia, & ob quæstum Sacrilegum, pœnam damnationis promereri. Contra facientes Presbyteri, pœna Synodali, in Statut. Prov. *lib.* 1. *fol.* 69. comminata, irremissibiliter corrigentur.

XXIV. *De inutilibus & infidelibus Vasallis.*

NOn possumus, absque ingenti nostræ mentis acerbitate, intueri, quosdam Vasallos, seu Emphiteutas, nostri Episcopatus, eo dementiæ devenisse, ut patrimonium Christi, quod sanum, integrum, & illæsum, ab Ecclesia sibi concessum obtinuerunt, lacerare, desolare, pro hæreditate laica, cum sit spiritualis, æstimare impudenter non vereantur. Hinc est, quod non modo Canonem, in recognitionem directi Dominii, Ecclesiæ solvere detrectant, verum etiam, ausu plusquam temerario, jurisdictionem nostram manifeste præsumunt excutere. Cui malo & impietati, de debito Officii nostri, obviam ire cupientes, ac illorum effrenatam audaciam, cum temeritate refrenare volentes, hac Synodali Constitutione

tutione ſtatuimus, nullum hujusmodi Vaſallorum, ſeu quorumvis Emphiteutarum toleratum iri; ſed eos in crimine Feloniæ repertos, quosdam colluviæ hæretica contaminatos, juxta præſcriptum Juris communis & Ss. Canonum, abjudicandos decernimus; prout authoritate Synodi præſentis abjudicamus, & de bonis ab ipſis occupatis deoccupationem injungimus. Sicut enim extra Eccleſiam non eſt ſalus, ita neque porrigenda ſunt alimenta; cum non deceat ante porcos projici margaritas.

XXV. *De ſuperſtitioſa venarum ſectione.*

INolevit a multo tempore, in his partibus, quod plurimi non modo e plebe, verum etiam Nobiliores, venam jumentis, die S. Stephani, in craſtino Natalis Chriſti dicato, aperire ſoleant; quam conſuetudinem uti pravam, ſuperſtitioſam, & a Diabolo, ad retrahendos homines a cultu Divino, & Sanctorum veneratione, inventam, extirpandam, ac eradicandam eſſe duximus, extirpamusque, ac eradicamus, hac Synodali authoritate mandantes, omnibus Eccleſiarum Rectoribus, illorum vices gerentibus, & Concionatoribus, ut in ſuis Eccleſiis, concionibus, ejusmodi homines ſerio adhortentur, ne talia inpoſterum præſumant attentare. Magiſtratibus vero, & Dominis temporalibus perſuadeant, ut mandatis Eccleſiæ non obedientes, pœna temporali corrigant, ne in laqueum æternæ maledictionis incidant. Quod ſi monitis & perſuaſionibus non obtemperaverint, extunc præmiſſa fieri curantes, facientes, mandantes, permittentes, graviter noverint ſe in Deum, ejusque Sponſam Eccleſiam delicturos, a cujus delicti vinculo, a Nobis duntaxat poterunt relaxari.

XXVI. *De Judicibus Cauſarum Apoſtolicarum.*

EAdem authoritate Synodi præſentis, & juxta præſcriptum Ss. Conc. Trid. Judices, quorum virtuti ac dexteritati cauſæ cujuscunque meriti, ad Forum Eccleſiaſticum pertinentes, a Sancta Sede Apoſtolica Legatis, Nunciis, vel ſacri ipſius Palatii Auditoribus, alias committentur, Admodum Reverendos Dnos, *Petrum Sokolovvski*, *Georgium Alexandrum Dorpovvski*, *Joannem Schmak*, J. U. D. Cauſarum Curiæ noſtræ Auditorem, Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Prælatos, & Canonicos conſtituimus & deputamus.

XXVII. *De Examinatoribus, ad Ordines & Parochias promovendorum.*

EXaminatores quoque futurorum Parochorum, ad Eccleſias Parochiales, & Ordines promovendorum, tum & Concurſus non omittendi, eodem Sac. Concil. Trid. præſcripto eligere compellimur, illosque, circa Eccleſiam Cathedralem Culmenſem, Admodum Rdos Dnos, *Petrum Sokolovvski* Præpoſitum, *Georgium Alexandrum Dorpovvski*, Vicarium & Officialem Canonicum Culmenſem, Rdum *Alexandrum Radoſzkovvski*, Archi-Presbyterum & Concionatorem Culmſehenſem: In Curia vero Epiſcopali, Adm. Rdum D. *Joannem Schmak*, J. U. D. Canonicum & Archi-presbyterum Culmenſem, Curiæ noſtræ Cauſ. Auditorem, Rdos Dnos *Valerianum Radzynski*, Apoſtolicum, Curiæque noſtræ Cauſarum Notarium, *Andream Kezler*, J. U. D. eligimus ac deſignamus. Quibus Dominis Deputatis, Parochos ad Beneficia curata examinandi, concurſum circa eadem ſervari ſolita, cum opus poſtulaverit, adhibendi, ad ſortem Domini promovendi, Ordinibus Clericalibus adſcribendi, concedimus facultatem.

XXVIII. *De Conſervatoribus.*

CUm plurimum interſit, Status Regularium habere notitiam, ut ipſis exemptiones ſuas frequenter allegantibus, in Judiciis noſtris, facilius poſſit reſponderi, exceptionibusque eorum opportuno juris remedio occurri, idcirco Conſtitut. felicis recordationis GREGORII Papæ XV. *de Conſervatoribus*, in Synodis Provinc. Petricovienſi anno Domini M.DC.XXVIII. menſ.

mens. Maji die XXII. publicatam, in Varsaviensi anno Dni M.DC.XXXIV. mensis Novemb. die XIII. reassumptam, Nos etiam hac nostra Synodali Constitutione imprimis publicamus, postmodum reassumimus, declaramusque ac decernimus, ut omnes Religiosi, cujuscunque Instituti, & quomodolibet exempti, juxta exigentiam dictæ Constitutionis, infra duos menses a publicatione Synodi præsentis, Conservatores suos eligant & assumant, de assumptis & electis ad nostram Cancellariam documentum authenticum transmitti teneantur; alias terminum assignatum, ac ipsius Electionis testimonium negligentes, coram Nobis, & Officio nostro Ordinario respondere conventi, erunt adstricti.

Sancitis itaque unanimi omnium sententia Constitutionibus supra scriptis, iisque lectis & publicatis, tum querelis Cleri auditis, gratiisque Deo præpotenti actis, & aliis juxta ritum Pontificalis Romani observatis, Synodus est finita.

Acta fuerunt hæc Lubaviæ in Ecclesia Parochiali, Anno, mense, die, ut supra. In cujus rei fidem & testimonium, Sigillum Suæ Illustrissimæ & Reverendissimæ Celsitudinis est subimpressum.

Ita est

V. VALERIANUS RADZINSKI,
Apostol. ejusdemq; Illustriss. & Synodi præsentis Notarius.

Ex Concilio Viennensi SUB CLEMENTE V.

De Privilegiis & excessibus Privilegiatorum.

Religiosi, qui Clericis aut Laicis Sacramentum Unctionis Extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, Matrimoniave solennizare, non habita super his Parœcialis Presbyteri licentia speciali, aut qui excommunicatos a Canone, præterquam in casibus a jure expressis, vel Privilegiis Sedis Apostolicæ concessis, eisdem, vel a Sententiis per Statuta Provincialia, aut Synodalia promulgatis, seu (ut verbis eorum utamur) a pœna & culpa absolvere quenquam præsumpserint, excommunicationis incurrant sententiam, ipso facto, per Sedem Apostolicam duntaxat absolvendi: quos etiam locorum Ordinarii (postquam de hoc eis constiterit) excommunicatos faciant publice nunciari, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides, nullo Religiosis eisdem super hoc exemptionis vel alio privilegio suffragante.

Quibus etiam in virtute sanctæ obedientiæ & sub interminatione maledictionis æternæ, districtius inhibemus, ne in sermonibus suis Ecclesiarum Prælatis detrahant, aut etiam retrahant Laicos ab Ecclesiarum suarum frequentia, vel accessu, seu indulgentias pronuncient indisuetas: neve (cum confectionibus testamentorum intererunt) a restitutionibus debitis aut legatis matricibus Ecclesiis faciendis, retrahant testatores: nec legata, vel debita, aut male ablata, in certa, sibi aut aliis singularibus sui Ordinis Fratribus vel Conventibus, in aliorum præjudicium, fieri seu erogari procurent: nec etiam in casibus Sedi Apostolicæ, aut locorum Ordinariis reservatis, quenquam absolvere, aut personas Ecclesiasticas, præsertim coram Judicibus delegatis, e Nobis suam contra eos justitiam prosequentes, vexare indebite, aut ad loca plura, & præsertim multum remota, convenire præsumant. Si qui vero præmissa, vel aliquod de præmissis attentare præsumpserint, per duos menses subjaceant pœnis illis, quæ secundum eorum Regulam, vel Statuta, pro gravibus criminibus seu culpis, eis consueverunt imponi; super quibus, absque manifesta necessitate, cum eis non valeat dispensari. Cæterum Prælati eorum, nisi de iis, quæ occasione præmissorum excessuum ad eos quoquo modo pervenerint, Ecclesiis aut personis Ecclesiasticis damnificatis, vel læsis, satisfactionem plenariam exhibuerint, intra mensem, postquam super hoc fuerint requisiti, suspensionis sententiam, usque ad satisfactionem debitam, eo ipso incurrant, non obstantibus præmissis Statutis aut quibuslibet privilegiis, cujuscunque tenoris existant. Sane Religiosis illis, quibus est ab Apostolica Sede concessum, ut familiaribus suis domesticis, aut pauperibus, in Hospitalibus suis degentibus, Sacramenta possint Ecclesiastica ministrare, nullum ex præmissis volumus quoad hoc præjudicium generari.

Decretum Sacræ Congregationis

de non levandis funeribus sine scitu proprii Parochi defuncti.

Licet in Sacro Generali Lateranensi Concilio statutum & ordinatum fuerit, ut Fratres Ordinum Mendicantium, cæterique Regulares, non possint intrare Parochias cum Cruce ad levanda funera eorum, qui apud Ecclesias Domorum & locorum eorundem

rundem suam elegerint sepulturam, nisi prius præmonito & requisito ac recusante Parochiæ Presbytero, & tunc sine ejus & Ordinarii præjudicio. Significatum tamen est Sac. Congregationi S. R. E. Cardinal. negotiis Episcoporum & Regularium propositæ, nonnullos Fratres, præsertim Ordinis Minorum de Observantia, cujusdam consuetudinis prætextu, quam neque antiquitate vallari neque observantia viridi inniti, neque pacifica & non interrupta possessione firmatam esse constat, contendere sibi licere defunctorum funera, proprio eorum Parocho absente, eoque irrequisito efferre & levare, idque haud leves controversias & altercationes aliquibus in locis, non sine populi scandalo & Dei offensione excitasse, ideo volens eadem Sacra Congregatio omnem ejusmodi dissensionum & scandalorum materiam & occasionem præcidere, atque in futurum providere, ut tam Parochi, quam Fratres ipsi unanimi inter se voluntate, & ea, qua par est, charitate, ultima hæc Christianæ pietatis officia defunctis præstent, declarat, & hujus Decreti tenore statuit, prædictis Fratribus Ordinis Minorum de Observantia, aliisque quibusvis Regularibus, quorumcunque Ordinum & Congregationum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium existant, nullo modo licere, etiam specialis alicujus consuetudinis prætextu, Parochias cum Cruce processionaliter, aut alias, ad efferenda & levanda defunctorum funera, intrare, vel illa levare, & efferre, nisi vocato & expectato proprio defuncti Parocho, eoque ibidem præsente; si tamen ipse aliter fieri non consentiat, & permittat, vel, nisi requisitus, venire expresse omnino recuset. Atque ita observari mandat & districte præcipit, firmis cæteroqui & in suo robore permanentibus. Iis omnibus, quæ super quarta funerum, & Canonicâ portione, aliisque juribus ad sepulturas pertinentibus, a sacris Canonibus & Conciliorum Decretis, Summorumque Pontificum Constitutionibus, hactenus sancita, ordinata sunt, vel alias ex particulari consuetudine, vel alio jure observantur. Romæ die XII. Januarii MDCIV.

Ex libro tertio Constitutionum,
Synodi Provincialis, de Sepulturis.

QUicunque Religiosi, & sæculares Clerici, aliquem ad vovendum, jurandum, vel, fide interposita, seu alias, promittendum inducunt, ut sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel jam electam ulterius non immutent, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto: nec valet talis electio, & qui sic elegerit, nec apud sic electam Ecclesiam sepeliri, nec alibi poterit eligere sepulturam, nec contra votum, juramentum, vel promissum hujusmodi a se factum, materiam habeat veniendi, sed, contradictione qualibet cessante, sepeliatur omnino apud illam Ecclesiam, apud quam sepeliendus de jure fuisset, si alias, sepultura non electa, forsitan decessisset. Si vero iidem Religiosi vel Clerici prædictum in sua Ecclesia vel cœmiterio præsumpserint sepelire, ad restitutionem tam sepulti corporis, si petatur, quam etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illius perceperint quomodolibet, infra decem dierum spatium, integraliter faciendam obligantur: Quam, nisi fecerint, Ecclesia ipsa, ad quam sepultus fuerit, nec non ipsius cœmiterium, extunc, eo ipso sint, & tamdiu manebunt Ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis fuerit facta restitutio plenaria omnium prædictorum.

Ex eodem.

CUm sacris Canonibus sit consonum, ubi quis vivus recipit Ecclesiastica Sacramenta, quod ibi etiam mortuus requiescat, omnibus Christi fidelibus contritis & confessis, qui sepulti fuerint in suis Ecclesiis Parochialibus, vel cœmiteriis earum, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, & Beati Adalberti Martyris, Patroni nostri, meritis confisi, in relevamen suorum peccatorum, Quadraginta dies Indulgentiarum, de injuncta sibi pœnitentia, misericorditer relaxamus.

BREVE APOSTOLICUM,
In quo Clericis Regni Poloniæ facultas datur, causas in Criminalibus, per Procuratorem promovendi.

A tergo Brevis ejusdem inscriptio est talis:

Venerabilibus Fratribus Archi-Episcopo Gnesnensi Primati, Episcopis ejus, Suffraganeis, nec non Capitulis Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum, atque universo Regni Poloniæ Clero.

Intus vero:

GREGORIUS PP. XIII.

VENERABILES FRATRES ET DILECTI FILII, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

ET nostra Ecclesiarum omnium solicitudo, & vester erga Sanctam Sedem Apo-

Apoſtolicam ſinceræ devotionis affectus, requirunt, ut, quantum poſſumus, in Eccleſiarum veſtrarum regimine, & jurium ipſarum proſecutione, Vobis auctoritate noſtra opitulemur. Cum itaque Dilectus Filius Jacobus Brzeznicius, Canonicus Poſnanienſis, veſtro nomine Nobis expoſuiſſet, ſæpe accidere, ut in territoriis, villis, pagis, aliisque locis, quæ ratione veſtrarum Eccleſiarum poſſidetis, & in quibus temporale Dominium, ac forſan merum, & mixtum imperium, gladiique poteſtas vobis competit, Hæretici, Schiſmatici, Sectarii, ac alii Milites & prædones, etiam generis nobilitate pollentes, vobis, & aliis Eccleſiaſticis perſonis plurimum infeſti ſint, & frequenter territoria, villas, pagos, & vaſallos, & ſubditos, veſtrasque & illorum res, poſſeſſiones, & bona deprædari, extenuare, opprimere, & ibi graſſari, illisque varia diſpendia, & damna inferre, boves, equos, & alia armenta, vi, ex bonis veſtris, certis limitibus & confiniis circumſcriptis, ſeu circumdatis, diripere, & illinc abducere, ac denique infinita alia latrocinia, homicidia, neces, inſultus, & incurſiones facere & exercere audeant, & cum vos, qui alio modo ſimiles violentias, invaſiones, & veſtrorum Vaſallorum deprædationes, repellere non valetis, nec poteſtis, adverſus hæreticos, ſchiſmaticos, ſectarios, latrones, & homicidas, nec non alios delinquentes prædictos, criminaliter agere, & experiri, ac inquirere, debitisque pœnis coerceri & puniri facere intendatis, ſi vobis ad id Sedis Apoſtolicæ non ſuffragaretur auctoritas, & ideo Nobis idem pro parte veſtra humiliter ſupplicaverit, quatenus vobis in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos cupientes, ut delinquentium ſimiles auſus congruis remediis coerceantur, & aliis aditus committendi ſimilia præcludatur, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut per Procuratores a Nobis deputari ſolitos, quoscunque hæreticos, ſectarios, latrones, homicidas, & alios delinquentes præfatos, coram competentibus Judicibus accuſare, & deferre, & contra eos tam Civiliter, quam Criminaliter, & mixtim agere & experiri, nec non deſuper quoscunque proceſſus & inquiſitiones formari, ac ſententias ferri, & promulgari, easque debitæ executioni demandari petere, inſtare, & procurare, absque excommunicationis, aut irregularitatis, vel inhabilitatis, ſeu privationis Beneficiorum Eccleſiaſticorum, per vos pro tempore obtentorum, aut cujusvis alterius pœnæ vel cenſuræ incurſu, libere & licite poſſitis, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium, de ſpeciali gratia concedimus & indulgemus, ac vobiscum, quatenus opus ſit, deſuper diſpenſamus, non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die VIII. Aprilis MDLXXVII. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

Ex Concilio Generali Lugdunenſi, ſub GREGORIO X. Cap. 2. de Cenſibus, Exactionibus, & Procurationibus, Libro ſexto.

EXigit perverſorum audacia, ut non ſimus ſola dictorum prohibitione contenti, ſed etiam pœnam delinquentibus imponamus. Conſtitutionem itaque felicis recordationis INNOCENTII Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri, editam, ſuper non recipiendis in pecunia procurationibus, ac ſuper receptione munerum, viſitantibus, eorumq; familiaribus interdicta, quam multorum fertur temeritas præterire, volentes inviolabiliter obſervari, eam decernimus pœnæ adjectione juvandam, ſtatuentes, ut univerſi & ſinguli, qui ob procurationem, ſibi ratione viſitationis debitam, exigere pecuniam, vel etiam a volente recipere, vel alias, Conſtitutionem ipſam, recipiendo munera, ſive viſitationis officio non impenſo, procurationem in victualibus, aut aliquid aliud, procurationis occaſione violare præſumpſerint, duplum ejus, quod receperint, Eccleſiæ, a qua receptum id fuerit, intra menſem reddere teneantur. Alioquin extunc Patriarchæ, Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, duplum ipſum, ultra prædictum tempus reſtituere differentes, ingreſſum ſibi Eccleſiæ ſentiant interdictum. Inferiores vero ab Officio & Beneficio noverint ſe ſuſpenſos, quousque de duplo hujusmodi gravatis Eccleſiis, plenariam ſatisfactionem impendant, nulla eis in hoc dantium remiſſione, liberalitate, ſeu gratia valitura.

Concilium tamen Tridentinum

Seſſ. 24. *de Reformatione Cap.* 3. non obſtante Conſtitutione ſuprapoſita Concil. Lugdunenſis, viſitatis, ſi velint Procurationem, quam pro Viſitatore, ejusque comitatu, præter alia jura de præſcripto dicti Conc. Trid. providere tenentur, pecunia redimendi conceſſit facultatem, & Viſitator tenetur in ea ſpecie, quæ fuerit oblata, recipere; præſertim ſi adſit conſuetudo, vel aliqua compoſitio ſuper modo viſitandi facta ſit, illa ſervanda eſt. *Verba Concilii* ſunt. Sit tamen in optione eorum, qui viſitantur, ſi malint ſolvere id, quod erat antea ſolvi certa pecunia taxata conſuetum, an vero prædicta victualia

ctualia ministrare, salvo item jure conventionum antiquarum, cum Monasteriis, aliisque piis locis, aut Ecclesiis non Parochialibus, inito, quod illæsum permaneat.

Ex typo Gedanensi impressa hæc Synodus in 4. h. a. 1641.
Exemplar nobiscum communicabat Revmus & Illmus Dominus J. A. Comes Zaluski, Kijoviensis Episcopus, vir meritissimus.

SYNODUS DIOECESANA TORNACENSIS,

CELEBRATA
per Reverendissimum Dominum,
D. MAXIMILIANUM VILLANI a GANDAVO, (*)
Tornacensem LXXXIII. Episcopum,
Anno Christi MDCCXLIII. Urbani VIII. Papæ XXII. Ferdinandi III. Imp. VI.

DIE 21. APRILIS.

MAXIMILIANUS VILLANI a GANDAVO, DEI & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Tornacen. Universo Clero Diœcesis Tornacen. Salutem in Domino.

CUm a Nobis mandatum fuisset in Synodo Diœcesana, habita feria tertia post Dominicam Misericordia, *die decima sexta mensis Aprilis* 1641. *anteriores Synodales nostras Constitutiones revideri, ex iisque præcipua & maxime utilia colligi, & singula in ordinem sub Titulis redigi, eo quod in illis multa utilia & salutaria Mandata & Statuta continerentur, quæ paulatim lapsu temporum oblivioni tradebantur, & ut obviarerur, ne eadem alias ordinata sæpius repeterentur, in sequenti Synodo nondum peracta, necesse visum fuit hujusmodi negotium alicui e Vicariatu nostro, qui hanc curam susciperet, committere: quo tandem absoluto, in præsenti nostra Synodo exhibito, perlecto, reviso, ac mature examinato auctoritate nostra ordinaria approbavimus, & omnia, prout sequuntur, in ordinem sub Titulis redacta, tamquam nova Statuta & Decreta Synodalia publicari, & ut ab omnibus legantur, observentur, ac debitæ executioni demandentur, prælo committi curavimus.*

Finito Sacro de Spiritu Sancto, Reverendissimus Dominus omnes præsentes paucis exhortatus est ad procurandam animarum salutem, & Reip. Christianæ utilitatem.

Reverendus Dominus *Joannes Schelpin* legit Caput 1. de Resid. Conc. Trid. Sess. 23.

Reverendus Dominus *Petrus Masureel* Officialis legit Acta Synodi Diœcesanæ anni præcedentis.

INDEX TITULORUM SYNODI TORNACENSIS DIOECESANÆ.

IX.

(*) Vide sub Decreta Synodi.

ACTA & DECRETA
SYNODI DIOECESANÆ TORNACENSIS,

HABITÆ ET CELEBRATÆ IN PALATIO EPISCOPALI FERIA TERTIA POST DOMINICAM *MISERICORDIA* DIE VIGESIMA PRIMA MENSIS APRILIS M.DC.XLIII.

Præsidente Rdissimo Domino MAXIMILIANO VILLANI a GANDAVO, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Tornacensi, assistentibus ei RR. DD. Joannes Baptista Stratio, Ecclesiæ Cathedralis Tornacensis Decano, Joanne Boucher S. T. D. Archi-Diacono Tornac., Adriano Lamoraldo Villani a Gandavo, Thesaurario, Joanne Schelpin S. T. L. Andrea Catulle J. U. L. Thoma Massin J. U. D. Georgio Stalins S. T. L. Pœnitentiario, Lamoraldo Becquet J. U. L. (a) *Matthia Naveo S. T. D. Eustachio l'Escuyer J. U. L. Consiliario supremæ Curiæ Montensis, Petro Masureel J. U. L. Officiali præfatæ Ecclesiæ Cathedralis Tornacensis, Canonicis. RR. DD. Antonio de Roore, & Marco Denys, respective Monasteriorum S. Martini Ordinis S. Benedicti, & S. Marci dicti S. Nicolai, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini Civitatis Tornacen. Abbatibus. D. Petro Wullins J. U. L. Decano Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Cortracen. Joanne van Nes Tornacen. Nicolao Lamberto S. T. L. Insulen. Cornelio vanden Eynde, & Leonardo Schaerts Cortracen. Bono Camus Helchinien. Gallorum,* (b) *Antonio Cardon Amandinen. Guilielmo Beert Viroviacen. Jacobo de France S. T. L. Seclinien. Christophoro Gerard Ulmen. Districtuum Christianitatis Decanis, Judoco d'Hauvve Secretario, nec non D. Joanne Crols J. U. L. Advocato Fiscali, Joanne de Scheppre Scriba, & Guilielmo Fremaut Promotore Curiæ suæ Episcopalis Tornac.*

TITULUS I.
De Doctrina & Prædicatione verbi Dei.

CAPUT I.

QUia quorumdam Parochorum intolerabilis est negligentia in diebus Dominicis & Festis concionando, instruenda item juventute & catechizando: quæ tamen prima Fidei nostræ Catholicæ basis est, & fundamentum Doctrinæ Christianæ, indeque fiat, ut non solum juventus ipsa, sed etiam parentes ipsi, qui proles suas alias instruere deberent, in punctis & Articulis fidei sint prorsus ignari: omnes Pastores severe monemus, iisque præcipimus, ut imposterum diebus Dominicis & Festivis concionem instituant non nimis subtilem & doctam; sed pro captu populi accommodatam. Nec non ea, quæ in secunda Synodo Provinciali ordinata fuerunt; diligenter observent.

II.

Pastores igitur omnibus diebus Dominicis & Festis a prandio, commodiore ante vel post Vesperas, hora (in quo judicium Decanorum suorum omnino sequi tenebuntur) pueros campanæ

(a) *D. Joannes Ernestus Nieulant J. U. L. Archi-Diaconus Flandriæ* absfuit.
(b) *Franciscus Vander Cruycen, Decanus Helchinien. Flandrorum,* excusatus absfuit.

panæ pulſu convocatos prima Fidei rudimenta doceant, obſervando praxim catechiſandi a Nobis editam anno M. DC. XL. ſatis amplam, quam hic de novo renovamus, de qua in Synodo anni M. DC. XLI. Articulo primo. Si quis autem Parochus non legitime impeditus hoc tam neceſſarium officium, quod etiam ex Concilii Trident. Decreto præſtare debet, prætermiſerit, is toties mulctam trium florenorum; pro ſecunda vice, ſex, fabricæ ſuæ Eccleſiæ applicandam incurrat: pro tertia autem pœna arbitraria puniatur.

III.

Ac ut numquam Paſtores ſe a tam neceſſario catechiſationis officio excuſari poſſint, id ita præſtari volumus, ut ſi unus tantum aut duo ad Catechiſmum veniant, illis Doctrinæ Chriſtianæ rudimenta tradere non negligant; qua diligentia Paſtoris continuante, Deo (haud dubie) incrementum dante, paulatim auditorum numerus accreſcet, Magiſtratus omnes hortando, ut tam neceſſarium Reipublicæ officium, juxta Edictum Regium promoveant, ac negligentes venire compellant.

IV.

Quo facto alteri malo facile medebitur, videlicet, quod in aliquibus partibus juniores expectent ætatem nimis adultam, ut primum accedant ad Sacram Communionem, quos proinde volumus bene inſtrui, & diſponi, ut juxta diſcretionem ad hujusmodi Sacramenti dignam receptionem citius admittantur.

V.

Inſuper habeant Paſtores & conficiant catalogum omnium puerorum & puellarum ordine alphabetico, ſecundum quem ſingulis diebus Dominicis, hora deſignata, Cuſtos evocabit, & leget publice omnium nomina, & abſentes notabit, & ſingulis menſibus Paſtores domos abſentium adibunt, & ut ſint diligentiores ad mittendos, imo etiam cogendos ſuos pueros monebunt, & ſi ſæpius moniti officio ejusmodi ſuo deſint, eosdem Curiæ denunciabunt, ut tamquam de hæreſi ſuſpecti per Promotorem citentur.

VI.

Quoad parentes vero pauperes, qui proles ſuas ad Catechiſmum mittere neglexerint, ſi aliquoties moniti non fiant diligentiores, de libro menſæ pauperum deleantur, & eleemoſynis ſolitis priventur.

TITULUS II.
De Divinis Officiis.

CAPUT I.

Similiter hic diligenter obſerventur, quæ in ſecunda Synodo Cameracenſi & Tornacenſi ſtatuta ſunt, his adjunctis.

II.

Ut Divinum Officium, ac præſertim Horarum Canonicarum, conformiter ad uſum & obſervantiam generalem, atque etiam juxta præcepta Rubricarum Eccleſiaſticarum, etiam in Eccleſiis Parochialibus tanto decentius peragatur; mandamus & ordinamus, ut in omnibus Eccleſiis Parochialibus noſtræ Diœceſis Paſtores non omittant in Sabbato & Profeſtis cantare primas Veſperas: ſub pœna correctionis arbitrariæ contra negligentes & inobedientes decernenda.

III.

Et quia intelleximus aliquos noſtræ Diœceſis Paſtores ſiniſtre interpretatos ſuperiorem articulum, dicentes per eundem non fuiſſe obligatos ad cantandas Veſperas in Sabbato & Profeſtis, ubi non conſueverant cantari. Hinc eſt, quod tenore præſentium declaramus Nos intendere omnes ad id obligaſſe, prout de facto obligamus non obſtante non uſu in contrarium.

IV.

Eosdem etiam ſerio monemus, ut in obſervando uniformi tempore quoad decantandas Miſſam ſolemnem, & Veſperas diebus Dominicis & Feſtivis, Officio ſuo non deſint.

V.

Quod ut tanto exactius obſervetur, innovamus Statutum deſuper factum per quondam bonæ memoriæ MICHAELEM D'ESNE Epiſcopum Tornacenſem, noſtrum immediatum Præde-

Prædecessorem, in Synodo sua A. 1600. Et severe præcipimus omnibus nostræ Diœcesis Pastoribus, eorumque locum tenentibus, ut hujusmodi Missam Parochialem a festo S. Remigii usque ad Pascha hora nona, a Paschate vero usque ad festum S. Remigii hora octava celebrent, Vesperas vero decantent hora secunda pomeridiana sub pœna unius floreni pro quolibet defectu.

VI.

Et ut inter primam Missam, ubi illa celebrari consuevit, & Missam solemnem competens spatium intercedat, quo alii domum reverti, & alii ad Ecclesiam commode venire valeant, ordinamus hujusmodi primam Missam a Paschate usque ad festum S. Remigii præcise celebrari hora sexta, & a festo S. Remigii usque ad Pascha hora septima, sub simili pœna unius floreni contra Sacellanos, & alios, quibus hujusmodi Missæ celebratio incumbet, decernenda.

VII.

Inhibemus etiam severe Capellanis omnibus, & aliis quibuscumque officio Subdiaconi, vel Diaconi fungentibus in Missa solemni, ne cantatis Epistola seu Evangelio discedant ab altari, & Sacerdotem solum relinquant, etiam prætextu vel occasione confessionum audiendarum: sed continuo usque ad finem cum omni reverentia & gravitate Celebranti assistere mandamus, ordinando Pastoribus, ut deferant defectuosos.

TITULUS III.

De observatione Festorum & Jejuniorum.

CAPUT I.

Hic similiter legantur diligenter ea, quæ a Prædecessore nostro circa observationem Festorum & Jejuniorum in Synodo fuerunt statuta.

II.

Et quia ab aliquibus fuit dubitatum, an in mediis Festis obligetur populus audire Missam & abstinere ab operibus servilibus, declaravimus & mandavimus, ut Pastores publicent Festa Sanctorum Marci & Lucæ imposterum sub præcepto usque ad meridiem observanda esse, prout antiquitus fuit observatum.

III.

Ordinamus etiam servari Statutum Synodi Diœcesanæ de anno 1632. *art.* 8. & mandamus Decanis Christianitatis & Pastoribus locorum, ut Capitula Collegiata, ac Religiosos omnes, etiam exemptos, moneant de observando Festo Dedicationis Ecclesiæ nostræ Cathedralis per totam Diœcesim sub ritu duplici sine Festo, & ut Festum S. Gregorii, quod in eam diem incidit, differatur in diem sequentem.

IV.

Et quia interdum & a pauco tempore, nonnulli Domini temporales jurisdictionem Curiæ nostræ spiritualis, temerarie impedire, & super violationibus Festorum ad exclusionem Curiæ nostræ conantur cognoscere, sub frivolo prætextu juris, quod sibi prætendunt competere interessendi Synodo, quod vulgo nominant *Droit de Sennes*; mandamus & ordinamus Promotori nostro, & non obstante oppositione, quam forsan desuper continget fieri, contra eos, quos deprehenderint deliquisse, procedat ulterius, & Nos in jure & possessione nostra manuteneri procuret, ac alias Nos ea deturbari non permittat.

V.

Cum fuisset expositum in Synodo 1634. quod in pagis feria tertia & quarta Pentecostes fiant longæ & extensæ Processiones, ut durent quatuor aut quinque horis, sic ut contingat, populum sæpius hic illic potitare, frangere jejunium, & alias insolentias facere, committimus Decanis, ut de restrictione, divisione, seu coarctione ambitus processionum hujusmodi facienda, suo nomine conveniant cum Pastoribus, & Ballivis, ad tollendos omnes abusus.

VI.

Inhibetur etiam ob rationes, ne Tornaci, & alibi per Diœcesim in Processionibus, signanter in Festo Sanctissimi Sacramenti, vulgo *Sacre*, filiæ utantur superpelliceis Clericalibus, & ne feli-

ſeligantur ad ferendos cæreos, quæ excedunt 18. ætatis annum, & ut cærei non ſint adeo graves & magni, quin commode poſſint ab iis portari, & dum feruntur, ut ſint accenſi, & poſtea tanquam oblationes ad uſum Eccleſiæ applicandi relinquantur.

VII.

Promotor ſtricte invigilet contra eos, qui diebus Feſtis & Dominicis, etiam foribus clauſis, merces emere, vendere in Civitatibus præſumunt.

TITULUS IV.

De Sacramentis in genere.

CAPUT I.

Diligenter hic obſerventur, quæ Synodus Cameracenſis ſecunda, & Tornacenſis Reverendiſſimi Domini D'ESNE ordinarunt, & idem in ſequentibus ſervetur.

TITULUS V.

De Sacramento Baptiſmi.

CAPUT I.

UT Baptiſmus qua debet reverentia adminiſtretur, caveant diligenter Paſtores, ne ad proles ſuſcipiendas admittant eos, qui ebrii vel ſemi ebrii fuerint.

II.

Cum Suſceptores & Suſceptrices ſint tanquam parentes ſpirituales eorum, quos ſuſcipiunt, non admittantur ad hoc munus, niſi adulti, qui probe norint Chriſtianæ Fidei rudimenta, & confirmati: & ſi qui Paſtores contrarium fecerint, puniantur. (*c*)

III.

Et ad ſuſcipiendum de ſacro Fonte parvulum duo tantum, vir ſcilicet unus & mulier una, admittantur, nominaque paganorum nulla ratione parvulis indantur. Immo ne veteris Teſtamenti, non quod per ſe improbandum ſit, ſed quia in hæreticis peculiare eſt, etiam ab eis abſtinendum edicimus.

IV.

Ordinamus præterea juxta Synodum Provincialem ultimo celebratam, quamvis nondum publicatam conformiter ad Clementinam unicam *de Baptiſmo*, ne quis in privatis ædibus, ſed dumtaxat in Eccleſiis, in quibus ſacri Fontes ſunt, audeat aliquem baptizare, exceptis caſu neceſſitatis & Regum & Principum filiis; (*d*) per neceſſitatem autem ea intelligitur, propter quam ſine periculo non poteſt Eccleſia adiri, ſi baptizandus periclitetur de vita, & in itinere moriturus timeatur: per Principum filios, non quorumcumque Ducum, Marchionum, Comitum & Baronum infantes intelliguntur, ſed eorum, qui cum Superiorem non agnoſcunt, Regibus fere æquiparantur.

V.

Nemo igitur quoſcumque alios, ſi neceſſitas non urgeat, extra Eccleſiam, ubi ſacri Fontes habentur, baptizare præſumat, &, ſi contra fecerit, ſciat ſe exemplariter puniendum, juxta d. Clem. unicam *de Baptiſmo.*

VI.

Inſuper juxta eandem Synodum ſtatuimus, ut nemo extra caſum urgentis neceſſitatis ſine ſolemnitatibus & cæremoniis baptizet, easve a Baptiſmo ſeparet, ſeu in aliud tempus differat.

VII.

Quod ita volumus obſervari, ſive in Eccleſia Baptiſmus fiat, ſive domi: nulla admiſſa excuſatione propter expectationem compatrum, aut pompam magis ſolemnem. Ubi tamen urgens neceſſitas aliter coegerit, & infans ſupervixerit, eæ in continenti adhibendæ ſunt, & quidem in Eccleſia; utque parentes prætextu Patrini, quem expectant, moram non injiciant, doceantur & moneantur, illos, qui poſt Baptiſmum domi in neceſſitate collatum, ſolemnitatibus in Eccleſia aſſiſtunt, non effici patrinos, & compatres, etiamſi infantem teneant, eſſeque deſuper factam declarationem Cardinalium.

TITULUS VI.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

CUm ſumma ſit utilitas Sacramenti Confirmationis, (*e*) Paſtores & Con-

(*c*) Vid. Synod. an. 1574. & 1600.
(*d*) Clem. 5. in Conc. Vienn. Clem. lib. 3. Tit. 15.
(*e*) Vid. Synod. anni 1600.

Concionatores eam interdum populo declarent, & præsertim sub tempus visitationis Episcopalis vehementer adhortentur adultos nondum confirmatos, ut prima quaque opportunitate Sacramentum hoc suscipiant: Patres & Matres familias ut curent suos liberos, ut Curatores & Tutores fidei suæ commissos, prima quaque occasione confirmari, ad quod, ut facilius inducantur, admoneant, nullos posse deinceps admitti in Patrinos vel Matrinas, nec ad Confraternitates, vel Tonsura Clericali insigniri, vel ad Professionem vitæ Regularis seu Religiosæ admitti, nisi in Fide Christiana per Sacramentum Confirmationis roboratos & roboratas, ut partim Synodo (*f*) Provinciali *Tit.* 7. *Cap.* 1. & *Art.* 20. *Cap. ult.* partim Synodo Prædecessoris, & novo nostro Manuali decretum est.

TITULUS VII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Caput I.

Hic similiter diligenter observentur omnia ea, quæ circa hoc Sacramentum in nostro novo Manuali & Synodo Prædecessoris nostri ordinata sunt.

II.

Pro meliori observatione ejus, quod ordinatum est hoc *Tit. Cap.* 9. in 2. Synodo Cameracensi (*g*) insistentes antiquis Decretis nostrorum Prædecessorum, mandavimus omnibus Pastoribus, quatenus registrum conficiant omnium, quorum tempore Quadragesimæ Confessiones excipiunt, & eos, qui aliis ad confessiones audiendas admissis, confessi fuerint, serio moneant, ut allato testimonio Confessarii, cui confessi sunt, se in dicto registro describi curent, nec alios, quam hic descriptos, ad Sacramenta, aut Matrimonium, aut sepulturam admittant.

III.

Et quia intelligimus aliquos transire de Parochia in Parochiam post Festa Paschalia: ordinamus, ut nulli de una Parochia ad aliam admittantur per Pastores sine testimonio Confessionis & Communionis Paschalis per ipsos factæ.

IV.

Ad dubium in Synodo 1632. propositum, an aliquis Sacerdos habens facultatem audiendi confessiones, dum cum literis nostris dimissorialibus migrat ad aliam Diœcesim, possit virtute prioris facultatis, redire ad Diœcesim & audire confessiones, declaramus illos de novo debere admitti, & illius facultatem revocamus, cum dimittimus.

V.

Specialiter vero monitos volumus & præsenti Synodali Statuto monemus omnes nostræ Diœcesis Pastores, cuilibet ipsorum erga suos dumtaxat Parochianos non alienos competere jurisdictionem circa Sacramentorum administrationem, adeoque cavere debere, ne absque proprii Parochi licentia alienos Parochianos sibi confiteri volentes, absolvant.

VI.

Sacerdotibus etiam indifferenter, cuicumque velint, confiteri liberum non sit, sed illis tantum, qui juxta Decretum Concilii Trid. *Sess.* 23. *Cap.* 15. approbati fuerint, aut judicati idonei.

VII.

Cum Nobis constiterit per Pastores, quod sæpius contingat infirmos, necdum tamen morti proximos, dum confitentur, aperire casus reservatos, (*h*) (qui omnes in Manuali habentur) v. g. hæreses, homicidia, &c. Et illis petentibus, num expediret in simili occurrentia, illis dare facultatem ab illis absolvendi: ordinamus in hoc casu, ut Pastores ad Nos scribant: si tamen subsit aliquod periculum mortis; absolvant similes infirmos, etiam a reservatis, sed in casum reconvalescentiæ debebunt ad Nos rescribere, & facultatem absolvendi a reservatis impetrare, & qui fuit infirmus, de novo confiteatur.

VIII.

Quod in 2. *Cap.* Synodi Provincialis Prælatis concessum legitur, ut suis subditis Confessarios deputare possint: ad

(*f*) Vid. Synod. an. 1574. (*g*) Vid. Synod. an. 1574. & 1600.
(*h*) Vid. Synod. an. 1574. hic & 1600. de Casibus reservat.

ad Abbatissas & alias Sanctimonialium Præfectas trahendum non esse, declaramus: eorum Nobis deputationem reservantes.

IX.

Quoad subscriptionem Decani Christianitatis loci in licentiis audiendi confessiones, & prædicandi Sacerdotum, ac Religiosorum, cujuscumque Ordinis, de qua Decani conquesti sunt, plures eorumdem (ut dicunt) habere licentiam verbalem, non in scriptis, signanter Patres Societatis JESU. Ordinamus, ut omnes in scriptis obtineant & accipiant licentias suas juxta Synodum Cameracensem 2. Tit. *de Sacram. Pœnitentiæ*, & ad eum finem mandamus, ut Secretarius habeat exemplaria parata impressa, sine quarum licentiarum a Nobis, aut Prædecessoribus nostris in scriptis obtentarum prævie facienda ostensione, præcipimus & mandamus omnibus & singulis Decanis, Pastoribus, Ecclesiarum Rectoribus, & quorumcumque Regularium Superioribus Nobis subditis, sub obedientia Nobis debita, ut neminem, cujuscumque qualitatis, dignitatis aut authoritatis fuerit, Sæcularem seu Religiosum, etiam Societatis JESU Presbyterum, in suis Ecclesiis aut Monasteriis ad audiendum Confessiones & verbum Dei prædicandum admittant, etiamsi alias in dictis Ecclesiis, ac locis hactenus confessiones audire aut concionari soliti fuerint: contravenientes Curiæ nostræ denunciari, & severe puniri mandantes.

X.

Mandamus etiam & ordinamus innovando Statuta antiqua, ne amplius ullus Confessariorum audiat confessiones, præsertim mulierum, extra sedem confessionalem, & sine cancellis, & ut ubi non sunt, sedilia curentur extrui.

XI.

Ad obviandum abusibus, qui sæpius committuntur per Presbyteros sæculares, etiam eos, qui admissi sunt ad audiendas confessiones, & dimissa vel amissa conditione Capellani, aut alias, nihilominus continuant in audiendis confessionibus: quia de eorum admissione, approbatione & licentia interdum contingit dubitari: Ordinamus omnibus Decanis Christianitatis nostræ Diœcesis, ut singuli assumptis duobus Pastoribus, quos judicaverint expedire, singulis annis convocent omnes & singulos Clericos & Presbyteros suorum Districtuum, & eorum nomina scripto committant, cum expressione & adjunctione approbationum suarum & licentiarum, nec non testimonio vitæ, quæ omnia in ordine posita Nobis transmittent, serioque advigilent, ne ex alia Diœcesi venientes & dimissi, in nostra irrepant & commorentur.

TITULUS VIII.
De Sacramento Eucharistiæ.

Caput I.

Diligenter observentur, quæ hoc Titulo habentur in Concilio secundo Cameracensi, sub Illustrissimo Domino BERLAIMONT, & novo nostro Manuali.

II.

Cum ad infirmos defertur Eucharistia, moneantur parentes seu vicini ejus, ad quem defertur, ut accensis tedis (si quas habent) Venerabile Sacramentum comitentur, & ut magis ad hoc incitentur, de potestate Nobis concessa quadraginta dies Indulgentiarum singulis, qui illud comitantur, elargimur.

III.

Diebus solemnioribus in illis Parochiis, ubi est major populi frequentia, volumus, ut saltem unus Sacerdos constituatur, qui continue a mane usque ad meridiem petentibus Eucharistiam administret, sacræ Hostiæ, quæ pro infirmorum viatico præparatæ sunt, fideli custodia conserventur, & per Parochos singulis mensibus renoventur.

IV.

Et quia advertimus in aliquibus, etiam Collegiatis Ecclesiis contra omnem decentiam ac reverentiam promiscue in Sacellis & Altaribus Laicos per Presbyteros celebrantes communicari, eosdemque Laicos subministrare ac præbere Hostias consecrandas, etiam incepto Sacro ac sæpius oblatione facta; unde nonnumquam ipsi Celebrantes perturbantur, & Communiones fiunt absque

absque debita devotione, ſubindeque numerus Hoſtiarum non ſufficit ſeſe offerentibus. Inhibemus omnibus & ſingulis Sacerdotibus, ne impoſterum facile & promiſcue taliter communicare volentes admittant, & Hoſtias etiam præſentatas conſecrent, mandantes, in Altari ſeu Capella particulari ad hoc aſſignata ſufficientes Hoſtias conſecratas aſſervari, ibidemque publice Communionem diſtribui.

V.

Declaramus etiam famulos, famulas & convictores ſæculares Monaſteriorum exemptorum & Hoſpitalium, obligari in ſua Parochia in Paſchate communicare, niſi exhibeant privilegium, quod ſit in uſu.

VI.

Et cum ob nimis frequentes ſupplicationes cum Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, contingat reverentiam & venerationem tanto Sacramento debitas nimia aſſiduitate diminui. Inhibemus omnibus noſtræ Diœceſis Paſtoribus & animarum Rectoribus, ne hujusmodi proceſſiones impoſterum celebrent, niſi in prima Dominica cujusque menſis, & in Miſſa ſolemni de Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento, aut aliis diebus per Nos pro tempore deſcribendis.

VII.

Denique conformiter ad literas D. Stravii, Nunciaturæ Apoſtolicæ Adminiſtratoris, auctoritate etiam Apoſtolica mandamus, ut Presbyteri omnes, tam Sæculares, quam Regulares, præſertim exempti, inſequendo ſacros Canones & antiquam conſuetudinem, laudabilesque ritus, ultimam Miſſam meridie, aut paulo poſt finiant.

VIII.

Similiter prohibemus, ne Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ulli Sacerdotes, etiam Religioſi qualitercumque exempti, clam & occulte ſub veſte, ad ægrotos, ſeu ad filios, ſeu filias ſuas ſpirituales ullatenus deferre præſumant, niſi ex urgenti & juſta cauſa per Nos ſuper hoc expreſſe in ſcriptis fuerit diſpenſatum.

TITULUS IX.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

Diligenter etiam obſerventur, quæ in Concilio Cameracenſi hic ordinata ſunt.

II.

Imprimis ſtatuendum duximus, ut quisquis poſt hac ad ſacrum Subdiaconatus Ordinem & alios promoveri voluerit, tempore competenti ad ſubeundum examen, (a quo neminem cujuscumque ſtatus aut conditionis eximi volumus) paratus adſit adferens ſecum teſtimonium Decani Chriſtianitatis, Parochi, & aliorum, apud quos majorem vitæ partem, ordinandus exegit cum teſtimonio ætatis, bannorum proclamationis & miniſtrationis in Ordine.

III.

Inſuper ordinamus Vicariis & Officiariis noſtris, ut Tituli Ordinandorum bene diſcutiantur, ne fictis aut emendicatis titulis promoti, cogantur in grave Ordinis Clericalis dedecus, aut ſtipem hoſtiatim emendicare, aut (quod dolendum eſt) Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium quaſi venale facere.

IV.

Ad Primitiarum ſolemnia infra quadraginta dies a ſuſceptis Ordinibus, Presbyteros teneri palam ſit, & luxus procul exulabunt. (i)

V.

Statuimus etiam, ut quando aliquis fuerit promotus ad ſacrum Presbyteratus Ordinem, Paſtor loci eum moneat & mandet tempeſtive, ut Primitias non celebret, antequam ſe apud Decanum Chriſtianitatis, ſeu ab eo deputandum cæremonias uſus Romani probe noſſe docuerit.

TITULUS X.

De Sacramento Matrimonii.

CAPUT I.

Præter ea, quæ in Manuali noſtro fuerunt circa hoc Sacramentum ordinata, quæ diligenter a Paſtoribus legi & obſervari præcipimus, mandamus

(i) Vid. Synod. Tornac. an. 1574. cap. 4. de Ordine.

mus etiam, ne Parochus ullum ante Matrimonio conjungere ausit, quam tribus proclamationibus tribus festivis diebus, a Synodo per Diœcesim nostram observari præceptis, (k) die semper intermedio, infra Missarum solemnia factis & edictis, atque die post tertiam publicationem interposita: nisi causa cognita, aliter fuerit dispensatum.

II.

Et quod attinet ad bannorum proclamationes, eas fieri volumus tam in Parochia, ubi personæ annos nubiles vel viduitatis transegerint, quam in loco, ubi contraxerint Sponsalia, ut fraudibus omnibus & imposturis obvietur.

III.

Ordinamus etiam, ut in dispensationibus matrimonialibus, super tempore clauso, bannorum proclamatione, diversitate Diœcesium & Parochianorum non expediantur literæ, nisi prius visa attestatione Pastorum utriusque contrahere volentium; & inseratur in literis clausula, ut dispensatio hujusmodi prius Pastoribus utrimque ostendatur, & Parochus non præsumat procedere ad Matrimonii solemnizationem, nisi auditis utrimque parentibus contrahentium, aut si non sint, duobus saltem proximioribus amicis aut consanguineis, qui jurent nullum inter dispensatos canonicum subesse impedimentum, juxta stylum hujus Diœcesis antiquum.

IV.

Quæ ordinatio exacte jubetur observari, & mandatur, ut clausula semper inseratur dispensationibus, ut sint præsentes parentes, vel, iis deficientibus, proximiores amici consanguinei, qui jurent, ut sup. & etiamsi clausula illa esset fortuito aut inconsiderate omissa & non inserta, tamen Pastores non procedant ad Matrimonii solemnizationem, nisi auditis parentibus, aut duobus consanguineis aut amicis; simulque ne solemnizent Matrimonia post prandium, vesperi vel de nocte, ut honos debitus Sacramento conservetur, nisi ob causas graves a Nobis aliter expediat ordinari.

V.

Favore tamen prolis superstitis, nulla proclamatione facta, in duorum testium præsentia, concubinam cum viro non sine periculo mortis ægrotante Parochus Matrimonio conjungere poterit, (l) ea etiam cautela, ut si postea convaluerit, proclamationes rite fiant.

VI.

Nomina Matrimonio junctorum, nec non testium præsentium, dies & locus contracti Matrimonii in registro ad id specialiter ordinato per Parochos describantur. (m)

TITULUS XI.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

Caput I.

QUoad hoc Sacramentum nihil hic statuendum duximus, sed ut diligenter legantur & observentur ea, quæ in nostro Manuali ordinata sunt.

TITULUS XII.

De Sepulturis.

Caput I.

COrpora Fidelium defunctorum ex domibus mortuariis per plateas ad locum sepulturæ non deferantur sine Sacerdote & Custode ut minimum assistentibus. (n)

II.

Et quia in pluribus nostræ Diœcesis partibus subinde graves oriuntur difficultates super jure taxæ exequiarum: Pastoribus conquerentibus, sibi pro ratione præsentium temporum, durum esse & quasi impossibile taxæ antiquæ bonæ memoriæ Reverendissimi Domini VENDUILLII Episc. Tornac. se conformando, pro status sui decentia posse vivere; Parochianis ex altera parte plus solvere recusantibus. Nos habita præsentium temporum consideratione, auctoritate nostra ordinaria taxam

(k) Vid. Conc. Prov. Cam. an. 1586.
(m) Vid. cap. 8. an. 1600. ibid.
(l) Vid. cap. 7. Synod. an. 1574.
(n) Vid. cap. 1. Synod. a. 1574.

taxam sequentem ordinavimus, eamque in his partibus, ubi Pastores circa illam difficultatem patiuntur, observari mandavimus, nimirum:

III.

Pro omnino pauperibus, & qui vixerunt aut participarunt de mensa pauperum, nec habent, unde solvant, Pastor recipiet ex bonis mensæ pauperum —— viginti asses. Pro aliis pauperibus —— triginta asses. Pro mediocribus —— tres florenos. Pro divitibus —— sex florenos. Pro opulentis & nobilibus —— decem florenos.

IV.

Declarantes mentem nostram non esse per hujusmodi nostram novam taxam tollere laudabilem consuetudinem plus recipiendi, sed illam continuari volumus: sicut etiam per eandem non intendimus augere salarium seu jus Capellanorum & Custodum, sed dumtaxat ipsius Pastoris; mandantes iisdem Capellanis & Custodibus, ut jus & salarium antiquum non excedant, donec & quoad usque aliter per Nos fuerit ordinatum.

V.

Cum aliquando querelas & difficultates oriri contingat, quando Parochiani morientes, alibi, quam in sua Parochia sepulturam elegerunt, mandamus dicto casu in tota Diœcesi nostra modum hunc uniformem observari, ut scilicet Parochi, vel Presbyteri sæculares alterius Parochiæ, atque etiam Regulares, cujuscunque Ordinis existant, non præsumant levare cadavera e domo mortuaria, proprio Parocho irrequisito, sed teneantur dicti Presbyteri sive Sæculares, sive Regulares primo ad Ecclesiam Parochialem defuncti accedere, ibidemque convenire, & inde simul cum Parocho & Clerico ad domum, ex qua cadaver deferendum est, sese conferre, illudque primo deferre in Ecclesiam suam Parochialem ad benedictionem & ultimum vale a Parocho recipiendum.

VI.

Qua benedictione ibidem accepta, ita demum hujusmodi cadavera comitantibus Parocho & Clero ejusdem Ecclesiæ Parochialis, simulque aliis Presbyteris seu Sæcularibus, seu Regularibus ad locum electæ sepulturæ deferri præcipimus, nisi in ipsa Ecclesia parochiali non tantum benedictio danda sit, sed etiam inibi exequiæ super cadaveribus celebrandæ, quo casu volumus illas ita tempestive ibidem fieri, ut nullum inde incommodum, nullaque retardatio sequatur quoad faciendam sepulturam, sive etiam quoad ipsas exequias, in loco sepulturæ celebrandas.

VII.

Quod si vero super cadaveribus ipso die sepulturæ non celebrentur exequiæ, sed eæ differantur, declaramus solemniores exequias prius in Ecclesia propria parochiali fieri debere, antequam ullæ possint celebrari in loco electæ alibi sepulturæ.

VIII.

Si autem proprius Parochus a Presbyteris sæcularibus vel Regularibus monitus & requisitus, ac sufficienter in Ecclesia sua parochiali exspectatus recuset, aut plus æquo differat venire, liberum sit iisdem Presbyteris sæcularibus vel Regularibus, apud quos electa est sepultura, sese ad domum mortuariam conferre, & ex ea cadavera levare, eaque recto tramite ad suas Ecclesias, etiam ipso proprio Parocho invito, deferre.

IX.

Quæ omnia ex mente, & resolutionibus Sacræ Congregationis Rituum Curiæ Romanæ observanda esse decernimus, non obstantibus usibus in contrarium, omnibusque aliis, quæ eadem Sacra Congregatio voluit, non obstare, non intendimus tamen per hoc innovare aut infirmare concordias, aut transactiones speciales in nonnullis locis desuper factas, & initas, & a Nobis, seu Prædecessoribus nostris approbatas & confirmatas.

TITULUS XIII.

De Decimis & Oblationibus.

CAPUT I.

Serventur imprimis, quæ de his in prima & secunda Cameracensibus Synodis ordinata sunt.

II.

II.

Et cum intelligamus, Pastores non satisfacere suo officio, non denunciantes tempore messis juxta morem antiquum populo, quod sint obligati solvere Decimas sub pœna excommunicationis juxta Synodum Provincialem Camer. Ordinamus dictis Pastoribus, ut in suggestu annuncient populo, quod Decimas solvere teneantur sub pœna excommunicationis, (o) & imprimatur Constitutio dictæ Synodi tam Gallico, quam Flandrico idiomate, & valvis parochialium Ecclesiarum singulis annis tempore messis affigatur.

III.

Quoad gazophylacia, sive truncos, ut vocant, oblationum, clavis una sit penes Pastorem, alia penes Æedituos, ut administratio eorum fiat communi manu, & non per solos Laicos. (p)

TITULUS XIV.

De recta bonorum Ecclesiasticorum administratione.

Caput I.

IMprimis mandamus universis Beneficiatis nostræ Diœcesis, ut singuli librum manualem habeant, in quo annuam solutionem terrarum, seu bonorum ad sua Beneficia spectantium ita signent cum particulari designatione locorum, ubi bona hujusmodi sita sunt, ut ex eodem libro manuali legitima possessio successu temporis probari possit, & illi libri quotannis a Decanis, aut jus visitationis habentibus visitentur, & mortuo Beneficiato e domo mortuaria auferantur, & Successoribus in Beneficio gratis relinquantur.

II.

Item, ut singuli Beneficiati in adeptione sui Beneficii ultra juramentum huc usque præstari solitum, (q) jurent etiam se intra primum annum inventarium omnium bonorum suorum Beneficiorum in manibus Decani Christianitatis loci daturos, qui Decani invigilent, ut omnes, qui fuerunt defectuosi temporibus præteritis, ad id faciendum (si opus sit) etiam via juris compellantur.

III.

Cum intelligamus plures Pastores conqueri, quod aliqui Baillivi soli servent clavem cistæ, sive gazophylacii, quæ unica tantum est, ubi recluduntur chartæ & computus Ecclesiæ, eosque visitent insciis Pastoribus. Ordinamus servari Statuta desuper alias facta, ut sint duæ claves, una pro Pastore, altera pro Baillivo, aut Æedituis, qui non possint cistam aperire & visitare sine mutuo consensu.

IV.

Volentes etiam aliquorum Pastorum & Beneficiatorum nostræ Diœcesis comprimere audaciam, in excidendis sine prævio nostro consensu in scriptis obtento arboribus, in fundis curæ & Beneficii sui excretis, innovamus prohibitiones antea sæpius per Nos repetitas, & eisdem pœnam arbitrariam injungimus.

V.

Ne computus Ecclesiarum, piorumque locorum, qui quotannis reddi debent, omittantur, vel in longum tempus differantur, Pastores Nobis denuncient, si Ecclesiarum Æeditui redditionem rationum distulerint ultra duos menses ab eo die, quo reddi consueverunt: idem fiat de bonis pauperum.

VI.

Ut autem piæ testatorum voluntates plene executioni mandentur, diligenter observentur, quæ hac de re in 2. Cameracensi Synodo *hoc Tit. Cap.* 16. ordinata sunt.

VII.

Parochi quoque nostri legatorum ad pias causas factorum diligentem curam habeant, sic ut ante finem anni piis testatorum voluntatibus hac in re fiat satis.

TITULUS XV.

De Clericis in genere.

Caput I.

OMnibus Clericis Nobis subditis in virtute sanctæ obedientiæ mandamus,

(o) Decretal. lib. 3. tit. 30. (p) Vid. cap. 2. Synod. an. 1600.
(q) Vid. Synod. an. 1600. cap. 2.

damus, ne in domibus ſuis concubinas aut alias mulieres ſuſpectas ætate aut moribus retineant; alioquin contra delinquentes per irrogationem pœnæ a Concil. Trid. ſtatutæ ſine ulla diſſimulatione procedemus. Decanos, Promotoresque noſtros, ut ſedulo circa hæc invigilent, admonemus.

II.

Quod etiam ad Clericos ebrioſos & crapulæ deditos volumus extendi, & injungimus Officiali noſtro, ut contra eoſdem pœnis, quibus ſupra, procedat.

III.

Injungimus etiam Paſtoribus & aliis quibuſcumque Sacerdotibus, aut in Sacris conſtitutis & Beneficiatis, ne edendi vel bibendi cauſa tabernas ingrediantur, (r) niſi profectionis neceſſitate fuerint compulſi. Alioquin pro prima vice ſolvent ſex florenos, ſecunda duplum, tertia vice plectentur pœna carceris, & ſæpius recidivi tanquam incorrigibiles punientur, ne etiam ſub eadem pœna computus Eccleſiarum in taberna reddantur, & quandoquidem Eccleſiaſticus Ordo maximopere poſtulet, immo nunquam ſatis Clericis inculcari poſſit, ut cum vitæ, morumque integritate, illorum externus habitus congruat, omnes Clericos, præſertim Sacris initiatos, & maxime Sacerdotes, cujuſcumque conditionis exiſtant, juxta Decreta Sacroſ. Concilii Trid. & Prædeceſſorum noſtrorum repetitas Conſtitutiones Synodales ſerio monemus, ut veſtium gravitate & honeſtate a Laicis ſemper diſtinguantur, in eumque finem Decretum præfati Concil. Trid. *Seſſ.* 14. *Cap.* 6. legi, & ſtricte obſervari præcipimus.

IV.

Juxta quam Conſtitutionem (s) mandamus, ut veſtes Clericorum illius ſint longitudinis, ut ad talos uſque diffundantur, quamquam interior poterit eſſe ad tibiæ medium, itineris vero cauſa licet ſint breviores, omnino tamen ſint infra genua.

V.

Monemus etiam omnes Eccleſiaſticos, quatenus abſtineant ab uſu tabaci, maxime in publico ſeu conſortio Sæcularium, ſub pœna arbitraria.

VI.

Quod ſi vero eo temeritatis & irreverentiæ devenerint, ut ante celebrationem tremendi Miſſæ Sacrificii, ſeu alterius Sacramenti adminiſtrationem illud ſumere non erubuerint, mandamus omnibus illud videntibus ſeu ſcientibus, ut eoſdem ſine mora ad Curiam noſtram deferant & denuncient, ſevere pro gravitate tantæ irreverentiæ puniendos: alias contra ipſos, tanquam conniventes, procedi ordinamus.

VII.

Nemo in ſacris Ordinibus conſtitutus barbam geſtet alatam, inſuper quilibet Sacerdos ſuperius labrum ita ſemper reſciſſum habeat, ut Sanguinem Chriſti ſumpturo non ſit impedimento.

VIII.

Non decet Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, præſertim Sacerdotes, ad pſitacum vel ad ſcopum jaculari, aut in locis publicis ludere pila palmaria. Ideo quilibet deinceps ab iis abſtinebit, ſub pœna arbitraria.

IX.

Nemo exorcizare præſumat ſine licentia noſtra in ſcriptis præobtenta. Ita quoque admiſſus, non aliter fœminis exorciſmum adhibebit, quam in præſentia duarum perſonarum probatæ fidei, nec aliis exorciſmis unquam utetur, quam qui in Paſtorali Tornacenſi continentur, ſine ſpeciali noſtra licentia.

X.

Prohibemus etiam, ne quis in Diœceſi binare præſumat ſine noſtra licentia, aut ſaltem ſi ſubita neceſſitas tantam moram, ut ea haberi poſſit, non patiatur, ſine expreſſa licentia Decani Chriſtianitatis, cum cauſæ cognitione.

TITULUS XVI.

De Epiſcopis.

CAPUT I.

QUæ de Epiſcopis Synodus Trid. pro Eccleſiæ collapſæ reformatione ſalubriter ſtatuit & ordinavit,

(r) Vid. Synod. an. 1600. Tit. 16. cap. 10.

(s) Cap. 11. Tit. 16. Synod. an. 1600.

vit, similiter quæ hoc Titulo in Synodo Cameracensi decreta sunt, hic repetenda & renovanda non duximus, similiter de Capitulis, quæ in eadem Synodo decreta sunt, diligenter observentur.

TITULUS XVII.

De Pastoribus, Decanis & Custodibus.

CAPUT I.

Singuli Pastorum in proxima visitatione Decani exhibebunt ei Biblia sacra, Concilia, Tridentinum, utrumque Provinciale, & novissimam hanc Diœcesanam Ordinationem cum proprii nominis & cognominis ascriptione in prima pagina.

II.

Pastores ad administranda Sacramenta vocati promptos se exhibere non tardent, graviter alioquin puniendi, gravissime vero, si quem ipsorum negligentia sine Baptismo, Confessione, sacro Viatico, aut Extrema Unctione ex hac vita migrare contigerit.

III.

Et quia subinde Parochiani ob non præsentiam seu impedimenta Pastorum, vix audeant diebus Dominicis & Festivis interpellare, ad excipiendas Confessiones aut dandam Sacram Communionem: mandamus & ordinamus omnibus Pastoribus, & locum tenentibus, ac aliis ad audiendas confessiones & Sacramenta administranda per Nos deputatis, ut diebus Dominicis & Festivis compareant in Ecclesiis ad minus media vel hora integra aut amplius juxta populi devotionem, antequam inchoent Missam Parochialem, ut si qui desiderent recipere hujusmodi Sacramenta, facilem accessum reperiant, nec propter ipsorum incuriam devotio plurimorum refrigescat.

IV.

Monemus etiam Pastores, & alios, quibus incumbet cura animarum, (*t*) ut Medicos & Doctores requirant & hortentur, quatenus dum visitant infirmos, eosque deprehendunt, aliquo usque de vita periclitari, ipsos ægrotos seu domesticos, & ad minus Pastores de hujusmodi periculo certiorent, ut tempestive per Pœnitentiæ, Eucharistiæ & Extremæ Unctionis Sacramenta, saluti animarum provideatur; conformiter ad intentionem Bullæ PII V. de data 8. Martii 1566. editæ, circa ea, quæ Medici tenentur observare in curatione ægrotorum.

V.

Quilibet Pastor serio advigilabit circa Obstetricem suæ Parochiæ, an scilicet materiam & formam Baptismi probe norit, & ignorantem debite instruet.

VI.

Et ut Venerabili Sacramento debitus honor servetur, & secundum piam intentionem Serenissimorum Principum ALBERTI & ISABELLÆ gloriosæ memoriæ, in omnibus Ecclesiis ante illud lampas saltem de die accendatur, committimus Pastoribus locorum, ut pro illius observatione conveniant cum Custodibus suarum Ecclesiarum, eisque certam mercedem solvendam ex bonis fabricæ assignent.

VII.

Prohibemus Pastoribus sub pœna duarum librarum grossorum, ne aliquos Sacerdotes, etiam hujus Diœcesis ex una Ecclesia migrantes, in eorum Ecclesiis recipiant, ad celebrandum Missæ Officium, aut aliquod Sacramentum administrandum, nisi visis nostris literis, neque etiam Custodes ignotis subministrent ornamenta.

VIII.

Transeuntes vero per viam Sacerdotes celebrare petentes, servata super hoc Sacri Conc. Trid. Sanctione per Parochos nostros admitti possunt.

IX.

Advigilabunt etiam Pastores diligenter, ne circumforanei isti vendant libros, & si quos deprehenderint, capiant, ad hoc etiam, si opus sit, invocato brachio sæculari.

X.

(*t*) Decret. Greg. l. 5. tit. 38. cap. 23. Vid. Synod. an. 1366. c. 3. n. 32. Vid. etiam Edict. Reg. super hoc.

X.

Et quoniam ad Nos pervenit, diversis in locis hujus Diœcesis Dominicis & Festis diebus Vesperas ante prandium cantari, non sine multorum offendiculo, ne id deinceps fiat, strictissime prohibemus.

XI.

Nemo, etiam extraneus, fidelium eleemosynis e suggestu commendetur sine consensu nostro, seu Vicariatus nostri in scriptis.

XII.

Volumus etiam & mandamus omnibus nostræ Diœcesis Pastoribus, Presbyteris, ac quarumcumque Ecclesiarum, etiam Collegiatarum Canonicis, ut juxta morem hactenus in Ecclesia nostra Cathedrali, & alibi observatum, in Missa oblationes recipiantur a populo, antequam offeratur Hostia, & dicatur Oratio : *Suscipe sancte Pater*, &c. ut videlicet oblationes populi una cum hostia Deo offerantur.

XIII.

Ut vero Decretis Sacrosf. Concilii Trid. de frequentandis Ecclesiis Parochialibus satisfaciamus, (*u*) mandamus omnibus & singulis nostræ Diœcesis Pastoribus, aliisque verbi Dei præconibus, etiam quomodolibet exemptis, ut nostro nomine sæpius moneant populum Missam ac concionem, in Ecclesia sua Parochiali, dum commode fieri poterit, & ad minus diebus Dominicis & Festivis frequentare teneri.

XIV.

Cui præcepto ut tanto promptius, tantoque commodius obediatur, (*x*) & ne per ullos Regulares, etiam Patres Societatis JESU ullum in eo observando obstaculum fiat, providere volentes : serio inhibemus omnibus & singulis cujuscumque Ordinis Regularibus, ne imposterum in eorum Ecclesiis, seu Oratoriis, aut aliis locis privatis diebus Dominicis & Festivis sub horam concionis aut Missæ Parochialis, ullas congregationes aut sodalitates virorum aut juvenum non scholarium, quocumque nomine & titulo nuncupentur, habeant & celebrent, sed eas post meridiem extra tempus Divini Officii in Ecclesia parochiali celebrandi, differri & haberi volumus.

XV.

De novo etiam mandamus serio omnibus nostræ Diœcesis Pastoribus, ut sint accurati & diligentes in observandis registris, & in iis annotandis per seipsos solos, non alios, nominibus Baptizatorum cum expressione utriusque parentis, sive sint de legitimo Matrimonio, sive de illegitimo thoro, nec non suscipientium : item Matrimonio junctorum & testium, idque sub pœna arbitraria.

XVI.

Ordinantes insuper sub simili pœna, etiam ubi id hactenus non fuit in usu, ut conficiant registrum particulare, in quo ipsimet, & non alii, annotent nomina singulorum, qui infra limites Parochiæ cujusque discedent.

XVII.

Quæ registra vetamus confidi Custodibus, Fossariis, aut aliis, & si forte baptizentur aliqui per Capellanos, aut alios Sacerdotes de licentia Pastorum, aut in ipsorum absentia, tenebuntur Pastores requirere nomina singulorum, eademque in dictis registris annotare cum omnibus circumstantiis supra requisitis. Dicta etiam registra per Decanos diligenter volumus visitari, per eosque defectuosos Pastores in observatione eorumdem deferri.

XVIII.

Ordinamus etiam omnibus & singulis Pastoribus, ut ædes suas Pastorales inhabitent, ne (quod plerumque contingit) illæ destruantur, & si qui gratiam illas non inhabitandi habeant, curent illam renovari, propositis causis in Vicariatu, prima quaque data opportunitate.

XIX.

Mandamus etiam omnibus nostræ Diœcesis Pastoribus, aliisque Beneficiatis, quatenus pro conservatione jurium,

(*u*) Missa Parochialis. Vid. Synod. an. 1366. c. 3. n. 38.
(*x*) De frequentatione Parochiæ ad Missam solemnem, agitur de Consec. dist. 1. c. 52. ex S. Aug. quod vide.

rium, redituum, proventuum, & quorumlibet fructuum ad curam suam Pastoralem, seu Beneficium spectantium juridice, & in forma probante, seu vidimus, renovari curent fundationes, cartularia, registra, libros, seu rapportus, aliosque titulos, quos penes se habent, quibus dicta jura, reditus, proventus, & fructus quomodolibet probari possunt; Decanis vero invigilare præcipimus, ut dictas fundationes, registra, libros, cartularia, seu rapportus, adveniente morte alicujus Curati, aut alterius sui districtus Beneficiati, in domo mortuaria diligenter inquirant, & sibi reservent tradenda legitimis Successoribus in dicta Cura, seu Beneficio.

XX.

Prout etiam iisdem Decanis injungimus, ut adveniente morte alicujus Pastoris, omnino advigilent, ut Successori tradantur registra Baptisatorum & Matrimonio junctorum in sua Parochia, procurentque, ut eadem juxta Edictum perpetuum suarum Celsitudinum gloriosæ memoriæ ALBERTI & ISABELLÆ de anno 1611. expensis Ecclesiæ renoventur, & in Archivis conserventur.

XXI.

Renovamus Statutum in Synodo Reverendissimi D'ESNE a. 1600. per quod præcipitur, ut nulli alii deferant sacra Olea, nisi Pastores, aut aliquis Sacerdos, & compareant in Ecclesia parochiali, ubi Decanus residet, feria 4. post Pascha, sub pœna 30. stuferorum.

XXII.

Pastores, ne ultra triduum a suis Parochiis absint, non habita a suis Decanis Christianitatis licentia, sub pœna arbitraria, quam licentiam Decani ultra sex dies concedere non possint.

XXIII.

Insuper animadvertentes paulatim magis magisque invalescere detestabilem impietatem quorundam, qui altis nominibus, ut vocant, abutuntur, ea secum deferendo in scriptis, aut notis, & characteribus, contra ictus pugionum, gladiorum, aut alias, mandamus omnibus & singulis Pastoribus, ut sæpe eam impietatem a diabolo, ad animas illaqueandum sub prætextu pietatis introductam, in concionibus damnent, & tanquam continentem pactum saltem implicitum cum dœmone, fugiendam esse annuncient, & contra eos, qui hujusmodi alta nomina distribuunt, aut portant, serio inquirant, & Curiæ nostræ spirituali deferant, exemplariter puniendos: declarantes tales Ecclesiastica carere debere sepultura.

XXIV.

Juramentum, quod quisque Parochus post institutionem vel collationem sibi factam præstare tenebitur in manibus nostris, vel Vicarii nostri Generalis, vel a Nobis deputandi, formula hæc observetur: (y)

Ego N. accepturus institutionem & possessionem Parochialis Ecclesiæ N. juro & promitto obedientiam, reverentiam, & honorem Sedi Apostolicæ Romanæ, ac Episcopo Tornacensi, & ejus Successoribus, juro & promitto fideliter dictæ Ecclesiæ deservire, secundum oneris illi annexi exigentiam: Non alienabo aut distraham, vel in emphyteusim concedam Ecclesiæ meæ bona: & quæ alienata aut distracta cognovero, quantum in me erit, fideliter recuperare studebo. Fructus anni, in quo me mori, aut meam Ecclesiam dimittere continget, subjicio & obligo, ad laudabilem deservituram usque ad festum Nativitatis Sancti Joannis mortem meam, aut dimissionem proxime secuturum. Sic me DEUS adjuvet, & omnes Sancti ejus.

XXV.

Quoad Custodes diligenter observentur, quæ *Cap.* 8. 2. Synodi Camer. super eo ordinata sunt.

XXVI.

Quia indecens videtur viros conjugatos Clerici seu Custodis officio in Ecclesiis Parochialibus saltem in Civitate & oppidis defungi, auctoritate nostra ordinaria mandamus, decernimus & ordinamus, ut imposterum nulli conjugati ad hujusmodi officium exercendum saltem in oppido admittantur, eosdemque tenore præsentium ad hujusmodi custodias obtinendas & exercendas generaliter incapaces & inhabiles

(y) Juramentum Pastoris instituendi.

habiles declaramus. Desiderantes, ut ad hujusmodi custodiarum provisiones non solum cœlibes, cum animo perpetuo clericandi, sed etiam illi, qui ad sacros majores, etiam Presbyteratus, Ordines promoti sunt, aut promoveri intendunt, assumantur; quod etiam in ipsis pagis, quantum fieri poterit, practicari volumus, inhibentes Custodibus conjugatis jam existentibus & deservientibus usum capparum, sub pœna unius floreni.

XXVII.

Inter alia vero renovamus & de novo inhibemus omnibus Ecclesiarum Parochialium & succursuum nostræ Diœcesis Custodibus, ne sese ingerere præsumant exercitio suarum custodiarum seu matriculariarum, etiam a Laicis & Dominis temporalibus, aut aliis quibuscumque etiam Ecclesiasticis collatarum; antequam sese Nobis, aut Vicariatui nostro præsentaverint, exhibuerintque literas tonsuræ, & legitimæ provisionis, & iis visis, & constito, eos requisitas habere qualitates, ac nullum eis Canonicum impedimentum obstare, obtinuerint a Nobis, seu Vicariatu nostro gratiam hujusmodi custodias exercendi, eaque obtenta, in manibus Decani Christianitatis sui districtus præstiterint debitum & solitum juramentum fideliter hujusmodi officio defungendi, & notanter Nobis, & suo Parocho obediendi, stricte mandantes Promotori, ut contra refractarios rigorose procedat.

XXVIII.

Et ut omnes abusus circa Custodias seu Matricularias penitus tollantur, & officio earumdem debite satisfiat. Mandamus omnibus, qui aliquam custodiam in nostra Diœcesi obtinent, ut personaliter eidem deserviant sub pœna privationis, nullatenus tolerare intendentes corruptelam hanc, ut aliqui proventus earumdem recipiant, & alium sub parvo stipendio suo loco substituant, injungentes Promotoribus Curiæ nostræ, ut desuper invigilent & citent ad videndum & audiendum sese privari.

XXIX.

Quæ de officio Decanorum Christianitatis *Cap. 12. hujus Tit. & sequentibus* salubriter ordinata sunt in Concil. Camerac. bene observentur.

XXX.

Capitula Pastorum celebrentur bis quotannis in omnibus Decanatibus hujus Diœcesis, (z) primum quidem ante festum Ascensionis, alterum vero paulo post festum S. Remigii; in quibus per unum ex Parochis, quem Decanus elegerit, nostra Statuta, Synodalesque nostræ Constitutiones legantur, & si quos abusus contra has commissos Decanus deprehenderit, suos Parochos, recepto a singulis juramento, dictos abusus scripto fideliter tradere compellet: quos postmodum cum sufficienti instructione ad Curiam nostram corrigendos deferat.

XXXI.

Explicando licentias, quas solemus dare Sacerdotibus, etiam Religiosis cujuscumque Ordinis, prædicandi & confessiones audiendi. Resolvimus, quod non intelligamus eis licentiam prædicandi & confessiones audiendi concessisse, nisi Decanus Christianitatis loci expresse subscripserit.

XXXII.

Ordinamus etiam, ut Decani Christianitatis singulis annis inquirant, utrum Pastores suorum respective districtuum solverint reditus Dominiales & jura Cathedratica: ideoque prædicti Decani habeant specificationem onerum uniuscujusque Pastoratus, ac referant Promotori eos, qui solvere prætermittent.

XXXIII.

Insuper inquirant diligenter, an Pastores singulis annis exonerent reditus & Canonem, quibus pro reparatione domuum suarum Pastoralium de nostro consensu bona suorum Pastoratuum gravaverunt, & delinquentes ad Curiam nostram deferant, ut ad dictam exonerationem compellantur.

XXXIV.

Moneant etiam Decani suorum districtuum Pastores, ut citra laudabilem con-

(z) Vid. Synod. Tornac. an. 1600. tit. 19. c. 20.

consuetudinem nihil exigant ratione visitationis ægrotorum & Baptismi, sed omnino Manuali nostræ Diœcesis sese conforment.

XXXV.

Quoniam vero nihil magis rationi consentaneum est, quam in eo loco fieri exonerationem Missarum Beneficiis incumbentium, in quo eadem Beneficia sunt fundata, mandamus & ordinamus omnibus Decanis Christianitatis nostræ Diœcesis, ut omnium Beneficiorum, quorum Missæ non exonerantur in loco fundationis, fructus & proventus arrestent.

XXXVI.

Mandamus etiam Decanis juxta antiquam, eamque laudabilem consuetudinem, quam innovamus, ut imposterum quindecim diebus ante celebrationem Synodi nostræ Diœcesanæ, Nobis transmittant puncta in ipsa Synodo per ipsos proponenda, ut ea prævie per Nos in Vicariatu nostro examinari valeant.

XXXVII.

Cæterum Decanos Christianitatis instanter monemus, ut præsentium Synodalium nostrarum observantiam cordi habeant, easque a Pastoribus sui districtus nullatenus negligi patiantur, & serio invigilent, ut Pastores teneant Fontes baptismales sub clausura, prout etiam Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, cujus Tabernaculum intus & foris decenter volumus esse mundatum & ornatum; inhibentes, ne claves patiantur esse in potestate Custodum, sub pœna trium libellarum Parisiensium.

XXXVIII.

Ordinamus ad majorem confirmationem juris, quod habemus in fructibus vacantibus tam Parochialium Ecclesiarum, quam aliorum Beneficiorum nostræ Diœcesis, & mandamus omnibus Decanis Christianitatis, ut notificata Nobis vacatione Beneficiorum hujusmodi statim fructus eorumdem arrestari curent, & arrestent, nec arrestum levent, quousque de Beneficiis præfatis legitime provisum fuerit, pacifica possessione eorumdem subsecuta, in Parochialibus vero Ecclesiis tamdiu arrestent, serventque quousque & de nostra institutione ac fructuum remissione in scriptis obtenta sibi debite constiterit.

TITULUS XVIII.

De Regularibus.

CAPUT I.

PRohibemus Abbatibus, ne patiantur alicui portionem vini anticipari, aut eam, quæ in refectorio propinari solet, pecunia redimi, vel extra refectorium bibendam servari.

II.

Quia Religiosi Ordinum Mendicantium & Patres Societatis JESU, omni tempore, etiam Paschali, excipiunt Sæcularium confessiones, indeque maxima Pastoribus suboritur difficultas, & confusio cognoscendi & detegendi eos, qui præcepto Ecclesiæ de Confessione & Communione Paschali in sua Parochia non satisfaciunt: generalibus omnium fere nostræ Diœcesis Pastorum querelis providere cupientes. Insequendo Statuta provincialia sub Illustrissimo Archiep. BERLAYMONT *Tit.* 8. *Cap.* 9. Ordinamus, ut omnes Regulares & Patres Societ. JESU scribant nomina eorum, qui durante tempore Paschali apud ipsos confitentur, utque ea Pastoribus tradant in registrum suum conscribenda.

III.

Ad querelam Decanorum, quod Patres Societatis audiant confessiones, & prædicent verbum Dei in Ecclesiis parochialibus, nec exhibeant suam approbationem instar aliorum Religiosorum. Ordinamus, ut imposterum illam exhibeant non secus ac alii Religiosi mendicantes, prout decretum fuit a sacra Congreg. in visitatione liminum super punctis a Nobis transmissis, his verbis:

" Amplissimi Patres, ita responderi
" censuerunt Amplitudini tuæ, Presby-
" teros Societatis JESU non posse con-
" fessiones Sæcularium audire, nisi pri-
" mum ab Amplitudine tua per exa-
" men, aut alias idonei reperti fuerint,
" neque prædicare, etiam in Ecclesiis
" suorum Ordinum, nisi primum ab

„ Amplitudine tua benedictione ac„ cepta, in aliis vero Ecclesiis non suo„ rum Ordinum, ultra benedictionem „ etiam licentiam habere teneri.

IV.

Moneant etiam Decani Superiores Monasteriorum Monialium in districtu suo existentium, easdem sub pœna suspensionis officii, & dignitatis, teneri Nos monere, non solum uno mense ante professionem, sed etiam antequam aliquam filiam ad vestitionem aut habitum Religionis admittant, ut per Nos, aut Deputatum examinentur filiæ ad habitum Religionis, & exinde ad professionem adspirantes, ante crates, ut sic libertati earumdem omnino consulatur. Juxta declarationem Sacr. Congregat. Card. de data Junii 27. anni 1631.

V.

Et quia clausura Monialium, quæ a sacris Canonibus commendatur, ac notanter a Sacrosancto Tridentino Concilio exacte & rigorose observari præcipitur, in nonnullis locis per admissionem puellarum pro commensalibus ratione instructionis & doctrinæ sæpe & graviter violatur, dum dictæ puellæ promiscue pro libitu sæpius sive in hebdomada, sive in mense, tam causa jucunditatis, quam invisendi parentes, ac alias claustro egrediuntur, & rursum recipiuntur. Ordinamus omnibus & singulis quorumcumque Monasteriorum Religiosarum Monialium Superioribus tam Nobis immediate subjectis, quam etiam exemptis, ut imposterum hujusmodi puellas commensales, nonnisi ex causa necessaria claustro egredi permittant, sub pœna, quod contra easdem Superiores, tamquam clausuræ violatrices, procedi mandabimus.

VI.

Insuper ulterius consulere volentes bono præfatarum Monialium, quas convenit a præfatis puellis commensalibus esse separatas, inquiri mandamus, an dictæ puellæ commensales sint constitutæ, & cubent in parte distante & separata a dormitorio Religiosarum, ad quod legitime exequendum, committimus & deputamus RR. DD. Archi-Diaconos nostros, ut quilibet in suo respective districtu, assumpto secum Decano Christianitatis loci, visitet Monasteria Monialium nostræ Diœcesis, idque auctoritate ordinaria circa Nobis immediate subjectas, delegata vero quoad exemptas.

TITULUS XIX.

De Foro, Jurisdictione & Immunitate Ecclesiastica.

CAPUT I.

AD Ecclesiasticam libertatem in totum vindicandam, spectat providere, ne in Ecclesiis, cœmeteriis, aut locis sacris merces venales exponantur, & ne Domini temporales suis edictis subditos iisdem locis congregent. Nec confugientes ad ædem sacram tanquam asylum a Judice laico violenter extrahantur, juxta GREGORII IV. Bullam.

II.

Non posse personas Ecclesiasticas apud alium, quam apud Judicem suum Ecclesiasticum conveniri pro quacumque causa, certi juris est. Quo fit, ut pœnis & censuris legitimis omnibus inhibeamus, ne Clericos nostros alibi, quam coram Nobis conveniant, neque se conveniri permittant. Judicesque sæculares monemus, ne in hoc ulla ratione consentiant, alioquin tanquam libertatis Ecclesiasticæ effractores sciant se excommunicationis sententiam incursuros.

III.

Et cum intelligamus, quod paulatim obrepat consuetudo seu potius corruptela, qua satellites Regii præsumunt in causa *Complainte*, (quam vocant) citare partes ad Ecclesias, imo ad Chorum, ubi est Venerabile Sacramentum, & ibi facere placitationes, & ordinationes contra dispositionem sacrorum Canonum & honorem Sacrosanctis Ecclesiis debitum, declaramus hoc non debere, neque posse fieri; mandando omnibus Pastoribus & Custodibus, ne hujusmodi Satellitibus portas Ecclesiarum pro actibus illis juridicis aperiant, nec eosdem introire permittant: non intelligimus tamen inhibere, quin dicti Satellites suas citationes & placitationes

tationes exequi possint ad pedem cœmeterii, si locus controversus sit in, vel juxta Ecclesiam.

IV.

Ut juris est, illegitimos absque dispensatione ad sacros Ordines pertingere non posse, (a) sic Sacris initiati de bonis suis, præsertim mobilibus, sine speciali nostra licentia in scriptis obtenta testamento disponere non posse.

V.

Legitimos vero Clericos in sacris Ordinibus constitutos de bonis suis testari posse, eorumque testamenta valere, si modo in Pastoris, Notarii, aut personæ publicæ, duorumque testium præsentia confecta reperiantur, hac nostra Constitutione declaramus: quamvis ea quoque testamenta, quæ propria Testatoris signatura legitime notantur, ultimæ voluntatis favore non improbemus. Et inter Executores unus saltem Ecclesiasticus nominetur, alias authoritate nostra ordinaria a Nobis, aut Officiali nostro unus Ecclesiasticus substituetur.

VI.

Nullæ tamen horum voluntates ultimæ vim & robur testamenti obtineant, nisi quæ per patentes Officialis nostri literas approbatæ sint & roboratæ.

VII.

Nec Executorum testamentariorum fidei, vel aliorum per Officialem nostrum eorum loco surrogandorum, Testatoris bona prius committantur, quam ipsi in Decani præsentia de prædictis bonis inventarium fecerint, atque de debita eorum administratione, secundum Testatoris voluntatem, & infra annum a die obitus de rationibus reddendis, vocatis pro suo interesse vocandis, requisitum juramentum præstiterint.

VIII.

Præterea si quis Sacerdotum Nobis subditorum testamentum non condiderit, vel alias de suis bonis non disposuerit, secundum antiquam nostræ Diœcesis consuetudinem, ære alieno deducto, omnia mobilia tanquam ab intestato Nobis competant.

IX.

Quæ Concil. Trid. statuit circa excommunicationis gladium, sobrie & magna circumspectione exerceatur.

TITULUS XX.

De Usuris.

CAPUT I.

CUm Nobis fuerit relatum, quod in locis quibusdam, quando aliqui Æditui in redditione suorum computuum remanent debitores cujusdam summæ, eandem reservent cum obligatione certum censum annuatim pendendi, & insuper capitale quandocumque ab illis exigetur, refundendi. Declaramus id, cum usurarium sit, non licere, & ne deinceps amplius fiat, prohibemus.

Insequendo Decreta Concilii Tridentini Sess. 24. Cap. 18. Nominamus pro examine Pastorum: Reverendos DD. Joannem Baptistam Stratium, Decanum Ecclesiæ Cathedralis, Joannem Boucher S. T. D. Archi-Diaconum Tornac., Adrianum Lamoraldum Villani a Gandavo, Thesaurarium, Joannem Schelpin S. T. L. Andream Catulle J. U. L. Thomam Massin J. U. D. Georgium Stalins S. T. L. Pœnitentiarium, Lamoraldum Becquet, Joannem Ernestum Nieulant, Archidiaconum Flandriæ, J. U. L. Matthiam Navæum S. T. D. Petrum Masureel, Officialem, J. U. L. præfatæ Ecclesiæ Cathedralis Canonicos, Nicolaum Lamberti S. T. L. Insulensis, Cornelium vanden Eynde, & Leonardum Schaerts Cortracen. Christianitatis Decanos, & Pastores.

Deputati vero Judices Synodales RR. DD. Joannes Baptista Stratius J. U. L. Decanus Ecclesiæ Cathedralis, Joannes Boucher S. T. D. Archi-Diaconus Tornac., Adrianus Lamoraldus Villani a Gandavo Thesaurarius, Joannes Schelpin S. T. L. Andreas Catulle J. U. L. Thomas Massin J. U. D. Philippus de Boulongne J. U. L. Joannes Ernestus Nieulant J. U. L. Archidiaconus Flandriæ, Carolus de Steenhuys J. U. L. Petrus Masureel, Officialis, J. U. L. Canonici Ecclesiæ Cathedralis præfatæ, & Antonius de Roore, & Marcus Denys, respective Monasteriorum S. Martini, & S. Marci Civitatis Tornacensis Abbates.

De mandato Rdissimi Domini mei Episcopi Tornac. præfati

J. D'HAUWE, *Secret.*

(a) Vid. ex Synod. 1574.

MAXIMILIANUS VILLANI A GANDAVO, ſtirpem, qua apud Flandros illuſtri erat genitus, illuſtriorem virtutibus effecit, Majores ſuos, tum Religionis avitæ, tum patriæ, tumultuante potiſſimum Belgio, defenſores egregie imitatus. Annorum 30., queis pedum Epiſcopale tenuit, intervallo ſcripſit in Pſalmum 136. *Super flumina Babylonis*, verſibus Gallicis; Inſtructionem publicavit *contra diabolicas ſuperſtitiones*, ſpeculum Sacerdotum in 12. Tornaci a. 1634., brevem Commentarium in ſeptem Epiſtolas Chriſti ad ſeptem Angelos, ibid. a 1641. Demum Synodi, quam mox dedimus, Diœceſanæ, novies coactæ, Statuta, a. 1643. quæ Inſulis a. 1726. in 8. recuſa ſub titulo: *Summa Statutorum Synodalium* &c. *ad Sermum S.R.I. Principem Joannem Erneſtum a Lœwenſtein Epiſc. Tornac.* Nihil habuit antiquius, quam ut pulcher ubivis ordo dominaretur: Cathedralis ſuæ Canonicos & doctos eſſe voluit & virtute in paucis conſpicuos. Obivit Diœceſin pedes frequenter, aliquando mulæ inſidens, exiguo cum comitatu. Oviculas ſuas magnæ Dei Parenti & S. Maximiliano Patrono ſuo mirum in modum commendabat, ſymbolo, quo amabat uti: *Vigilate & orate*, quam probiſſime ſemper reſpondens. E vivis deceſſit die 29. Nov. 1644. annos natus 74. calculo, gangrenaque extinctus.

Vide Andreæ Catulli Tornacum, Bruxellis ex Typographia Mommartiana 1652. *ad calcem Operis in Ecloga. Caſtillionii Sac. Belgii Chronol. P. II. pag.* 424. *Foppenſii Biblioth. Belg. P. II. pag.* 884. *& Summam Statutorum cit. Cap. LVIII. a pag.* 156.

SYNODUS DIOECESANA ANTVERPIENSIS,

Eodem anno Chriſti MDCXLIII.

HABITA

DIE XXVIII. AUGUSTI

Sub GASPARE NEMIO, (*) Antverpienſi VI. Epiſcopo.

GASPAR, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA Epiſcopus Antverpienſis, Univerſo Clero noſtræ Diœceſis Salutem in Domino.

CUm plurima per Concilia Oecumenica, præſertim Tridentinum, & Synodos Provinciales & Diœceſanas ſalubriter inſtituta, & Ordinationes Prædeceſſorum noſtrorum bonæ memoriæ, ad exactiorem eorumdem obſervationem diverſis temporibus facta, paſſim negligantur & ignorentur: atque inſuper novi defectus & abuſus turbulentis hiſce temporibus paulatim irrepant; iiſdem ſalutare remedium adhibere volentes, ex conſilio Vicariatus noſtri, & Decanorum Chriſtianitatis, operæ pretium duximus a dictis Prædeceſſoribus noſtris poſt habitam Synodum, provide & prudenter Ordinata recolligere, per Titulos ejuſdem Synodi diſponere ac ordinare, prout ſequitur.

INDEX TITULORUM DIOECESANÆ ANTVERPIENSIS SYNODI.

(*) Vide poſt Ordinationes Synodi.

ORDINATIONES DIOECESANÆ ANTVERPIENSES,

RECOLLECTÆ & AUCTÆ, AC MANDATO PERILLUSTRIS ac REVmi DOMINI, D. GASPARIS NEMII, Episc. Antverpiens. PROMULGATÆ.

TITULUS I.

De Fide.

I. SCiant Pastores se sub gravi peccato teneri ad instruendos pueros & rudes in Doctrina Christiana; ideoque curent, ut Catechismus ubique singulis septimanis forma inferius præscripta fiat; neque omittatur, etiam si pauci pueri compareant: præstat enim paucos instrui, quam tam necessariam & salutarem functionem interrumpi.

II. Decani Christianitatis in actis visitationis suæ annotent, per quem & quo successu in singulis Parochiis sui districtus fiat Catechizatio.

III. Captent Pastores occasionem frequenter colloquendi cum hæreticis, si quos habuerint in sua Parochia; & suaviter conentur eos inducere ad conversionem.

IV. Si qui de novo ad hæresim perversi fuerint, denuntientur; sicut & omnes, qui eam profitentur, vel in Paschate in propria Parochia non communicant.

V. Maxime autem deferendi sunt, qui contra Religionem scandalum exhibuerint, vel conciones hæreticorum adire præsumpserint: adeoque diligenter inquirendum, an hæretici usquam conventicula habeant.

VI. Libri hæreticorum, aut alias prohibiti vel suspecti ad Nos deferantur, & exacte servetur Decretum Concilii Provincialis, quo caveatur, ne libri domorum mortuariarum distrahantur, nisi prius ab approbato aliquo Censore visitati & vendi permissi fuerint. Quod idem observandum in libris, qui sub auctione publica venduntur.

VII. Cum experientia constet, ex conferentiis cum ministris hæreticis exiguum fructum provenire, easque ordinarie desinere in verba & voces; monemus omnes, ne illas sine necessitate suscipiant, nec publicam cum hæreticis disputationem instituant sine speciali nostro assensu.

VIII. Advigilent Pastores, ne in Parochiis suis aliqui libelli suspecti, aut scandalosi, item cantiones, aut rhythmi inhonesti evulgentur; & ubi similia deprehenderint, ea ad se recipiant, Nobisque eadem deferentes denuntient.

IX. Curent etiam diligenter, ut ii, qui recenter ad Parochias adveniunt, exhibeant testimonium Pastoris ultimæ suæ habitationis, eosque annotent; & defe-

defectuosi denuntientur, juxta Decretum Serenissimarum suarum Celsitudinum datum pro exactiore observatione Synodi Provincialis Mechliniensis.

X. Servetur Decretum Synodi de facienda Professione fidei juxta formam a PIO IV. præscriptam, infra positam, ab iis, quæ ab hæresi convertuntur. Eandem Fidei professionem facient Ludimagistri & Custodes coram Decano, quando admittentur: & si qui illam necdum fecerint, faciant in proxima visitatione.

TITULUS II.

De Sacramentis.

I. PRo ratione negligentiæ mulctentur Pastores, qui defectuosi deprehensi fuerint circa observationem Ordinationum concernentium Fontem baptismalem, Tabernaculum Venerabilis Sacramenti, confessionalia, vascula sacrorum Oleorum, & registra Baptizatorum, & Matrimonio junctorum, & Defunctorum.

II. Qui nondum habent vascula argentea pro Chrismate & sacris Oleis, procurent illa ante proximum Pascha, sub pœna arbitraria.

III. Nemo citra casum necessitatis extra Ecclesiam baptizet; aut aliquos extra eamdem, aut post meridiem Matrimonio conjungere præsumat, sub pœna duodecim florenorum.

IV. Nomina Baptizatorum, parentum & patrinorum, item dies Baptismi annotentur propria manu Pastoris vel Vice-pastoris in libro distincto a Matrimoniali: in eodem etiam ex alia parte seorsim annotentur nomina Parochianorum defunctorum. Qui libri, cum jam completi fuerint, diligenter in Archivis custodiantur.

TITULUS III.

De Baptismo.

I. IN Ecclesiis Parochialibus, ubi nondum est Fons baptismalis lapideus, quamprimum per Pastores sumptibus fabricæ curetur, aut causam, ob quam non procuraverint, Nobis indicent, sub pœna arbitraria.

II. Pastor baptizet peregrinæ aut vagabundæ mulieris prolem, etiamsi non fuerit cautio præstita de ea alenda sine gravamine communitatis, aut mensæ pauperum: & annotet in libro Baptizatorum talem fuisse prolem.

III. Proles illegitimæ baptizentur in Parochia, in qua natæ fuerint, ne mori eas contingat sine Baptismo.

IV. Cum deprehensum sit aliquos Pastores baptizare proles alterius Parochiæ citra necessitatem & consensum proprii Parochi: ne id in posterum fiat, prohibemus sub mulcta quatuor florenorum, applicandorum pro una tertia Custodi loci, in quo proles baptizari debuisset, si ille denuntiarit.

V. Quantum fieri potest, curandum, ne desint in pagis celebrioribus saltem Obstetrices juratæ & idoneæ, vel saltem a Pastore probatæ circa formam & materiam Baptismi: moneanturque, ut non adhibeant superstitiosa.

VI. Nutrices moneantur, ne accipiant aliquas proles nutriendas, nisi constiterit esse baptizatas.

VII. Qui proles retinent ultra tres dies non baptizatas, denuntientur & puniantur mulcta duorum florenorum, qui vero distulerint ad octo dies, ad octo florenos mulctentur.

VIII. Pastores pro sua discretione conentur impedire compotationes, quæ fiunt occasione Baptismi parvulorum; & ubi hoc profuturum putabunt, curent potius mane deferri pueros ad Baptismum, & stricte servent Decretum Synodi Provincialis *Tit.* 3. *C.* 9.

IX. Quandoquidem Synodus prima Mechliniensis statuerit, puerperas secundum antiquam consuetudinem purificari, idque a propriis Parochis fieri conveniat, prout etiam statutum est in secunda Synodo Provinciali a Sede Apostolica approbata, monemus Pastores, ut denuntient puerperas, quæ in hoc defectuosæ fuerint.

TITULUS IV.

De Confirmatione.

I. DE Sacramento Confirmationis, ejusque effectu diligenter instruatur

ſtruatur plebs fidelis, præſertim circa feſtum Pentecoſtes, & alia tempora, quibus illud conferri ſolet; ne tam ſalutaris Sacramenti ſuſceptio negligatur.

II. Moneatur etiam in eodem conſanguinitatem ſpiritualem contrahi, quæ impedit Matrimonium, ſicut in Baptiſmo.

III. Reſcribatur in actis viſitationis, an multi in Parochia putentur non confirmati.

TITULUS V.

De Sacramento Pœnitentiæ.

I. Confeſſionalia ſint ubique cancellata; & juxta Decretum Synodi Provincialis deinceps nemo extra ejusmodi confeſſionalia fœminarum confeſſiones audire præſumat, niſi in caſu neceſſitatis, ſub pœna arbitraria.

II. Cura etiam habenda, ut ubique ſit ſufficiens Confeſſariorum numerus.

III. Sub pœna gravi nemo præſumat confeſſiones excipere, niſi Paſtor ſit; aut approbationem habeat in ſcriptis, ac jurisdictionem ordinariam vel delegatam; & non ſit ab iisdem ſuſpenſus.

IV. Monentur ſerio omnes & ſinguli Confeſſarii, ut parce, caſte & valde caute interrogent circa peccata carnis, non ſolum quando virgines habent confitentes, ſed etiam quando conjugatos, aut quoscumque cœlibes.

V. Ad confeſſionem non neceſſaria non miſceantur in confeſſione, niſi quatenus ad ſalutarem inſtructionem evidenter pertinent. Pœnitens, volens alia narrare, moneatur a Confeſſario, ut ſileat.

VI. Complicum nomina Confeſſarius non inquirat, uti nec ipſorum pœnitentium.

VII. Interdicimus etiam prolixiora colloquia in confeſſione fœminarum, uti & invitationes earum ad nimis frequenter ſibi confitendum; potius adlaborandum, ut vitam ſerio emendent, & eo confitendi intervallo ſint contentæ, quod plerisque etiam Monialibus præſcribitur.

VIII. Non utantur Confeſſarii ſcientia ex confeſſione accepta: difficulter enim id fit ſine gravamine confeſſionis.

IX. Intolerabile eſt quosdam adeo ſui oblviſci, ut etiam in conviviis referant ea, quæ in confeſſione audiverunt, aut modum, quo quidam confitentur; & addant illo ipſo die ſe ea audiviſſe: hoc omnes Confeſſarii caveant, alioqui metuant, ſe a pœnis ſacrilegii non fore immunes.

X. Non inducant pœnitentem ad ſibi ſoli confitendum: imo etiam volentem hoc promittere vel vovere prohibeant.

XI. Confeſſarii caveant, ne familiares ſint fœminis ſibi confitentibus: imo eo ipſo, quo eas audiunt in confeſſione, ſciant ſe ab earum familiaritate peculiariter debere abſtinere.

XII. Sciant item Confeſſarii Sedi Apoſtolicæ inter cætera eſſe reſervata vota perpetuæ caſtitatis & Religionis: quoad reliqua etiam vota & excommunicationes, caveant, ne temere ſeſe immiſceant; neque excedant, permutando vel abſolvendo, poteſtatem ſuam.

XIII. Caveant etiam Confeſſarii, ne quæ commoda temporalia ſibi vel ſuis occaſione confeſſionis a pœnitentibus aucupentur: neque convenit, ut ipſorum bonis temporalibus adminiſtrandis ſe immiſceant.

XIV. Diligenter obſerventur ac denuntientur, quinam omittant confiteri ſemel in anno.

XV. Quando quidem deprehenditur, aliquando fraudem committi a falſis pœnitentibus, caute eam vitet Sacerdos.

XVI. Qui contritionis ſignum dederint, etiamſi voce confiteri non poſſint, abſolvendi erunt; ſufficit enim, quod amiſſa voce indicium pœnitentiæ Sacerdoti faciant; imo ſi nec hoc poſſint, ſufficit, quod fidelium teſtimonio comprobentur, paulo ante petiiſſe Sacramentum Pœnitentiæ.

TITULUS VI.

De Indulgentiis.

Nullus exemplaria ſive ſchedas pro Indulgentiis, aut Sanctorum ſolemni-

lemnitatibus publicandis imprimet, aut imprimere curabit, nisi prius a Nobis, vel Deputatis nostris visa & probata fuerint, sub pœna arbitraria.

TITULUS VII.

De Sacramento Eucharistiæ.

I. Cura magna est adhibenda, ut ubique honesto loco asservetur Venerabile Sacramentum; & lampas sit ante illud ardens, saltem ubi, & quando id sine periculo, quod a furibus nocte timetur, fieri potest.

II. Ubi vero Tabernaculum non satis decens est, curent Pastores, ut quam primum fiat, aut causam Nobis indicent, sub pœna arbitraria: & interea provideant, ut saltem mundum sit intus, & candido corporali semper stratum, & exterius decente cortinula tectum, sub eadem pœna.

III. Custodiri autem debet in pyxide argentea, quæ, ubi deest, quam primum procuranda, ad hoc consecrata, absque impositione alicujus lintei. Pyxis vero ponenda est in Tabernaculo, decenter ornato, supposito corporali.

IV. Remonstrantiæ, ubi desunt, procurandæ, uti & ciboria; quæ oportet esse ex argento, & benedicta; sicut & lunulam Remonstrantiæ.

V. Communicantium numerus in visitatione exprimatur; & non communicantium nomina in scriptis Nobis deferantur.

VI. Nullo modo negligant Pastores, juxta Synodum Diœcesanam, in Dominica *Passionis* publicare Decretum Concilii Lateran. Cap. *Omnis utriusque sexus.* De saltem semel Sacramento Eucharistiæ suscipiendo in Paschate. Et moneant iidem Pastores, aliique Concionatores, huic Ecclesiæ præcepto non satisfieri ab iis, qui a Dominica *Palmarum* usque ad Dominicam *in Albis* inclusive in propria Parochia ne semel quidem communicaverint, etiamsi alibi eo tempore communicassent.

VII. Præter dictum Cap. *Omnis utriusque sexus.* tria Capitula Synodi Provincialis, prout inferius subjiciuntur, verbotenus eodem die publicentur.

VIII. Cum vero experientia constet, censuras Ecclesiæ contra defectuosos in Communione Paschali in propria Parochia facienda, non sufficere variorum hominum salutis suæ negligentium defectibus obviandis; constituimus, ut omnes & singuli, qui juxta dictum Capitulum: *Omnis utriusq.* mandato Ecclesiæ de communicando in propria Parochia, in quindena Paschali, legitimo impedimento & excusatione cessante, non satisfecerint; ultra pœnas dicto Capitulo expressas, mulctam viginti florenorum, piis causis arbitrio nostro applicandam, exoluere teneantur. Mandantes Parochis, aliisque curam animarum habentibus, ut hujus Constitutionis inviolabiliter observandæ populum sibi commissum Dominica *Passionis*, aut ante illam singulis annis tempore Quadragesimæ, serio moneant.

IX. Cum intelligamus, ideo quibusdam locis adolescentes tardius accedere ad Sacramentum Confessionis, & Sacram Communionem, adeoque etiam Sacra Unctione fraudari, si infirmari contingat, ne majora jura exequiarum pro eis solvantur, sordidum hunc respectum extirpare volentes, statuimus, ut ubi non conjugati hæc jura solvere solent, incipiant tunc præcise ea debere, quando fuerint quatuordecim annorum completorum, sive communicaverint, sive non.

X. Publici peccatores, utpote concubinarii, adulteri, fornicatores, lenones, non admittantur ad Communionem, nisi post condignam pœnitentiam.

XI. Non serventur pro infirmis plures Hostiæ, neque pauciores, quam requirit numerus Communicantium: renoventur autem singulis quindenis, nisi loci humiditas requirat, ut citius id fiat: & clavem Tabernaculi, in quo servantur, custodiat Pastor. Si quis in his negligens deprehendatur, mulctetur per Decanum tribus florenis.

XII. Oportet etiam debita cum reverentia ab Ecclesia præscripta deferre ad ægros sacrum Viaticum; adeoque quando non nimis procul ab Ecclesia est deferendum, mandamus aliter non

non deferri, quam ab induto ſuperpelliceo, & prævio lumine, & pulſu nolæ.

XIII. Parva pyxis pro Hoſtiis ad infirmos deferendis ſit argentea: & ſint ubique burſæ ad deferendam iſtam pyxidem, ubi via eſt longior vel periculoſior.

XIV. Cæterum exacte ab omnibus ſervetur Conſtitutio HONORII III. *de Celebr. Miſſ.* Cap. *Sane.* quæ ita habet: " Ne propter incuriam Sacerdotum Divina indignatio gravius exardeſcat; diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus a Sacerdotibus Euchariſtia in loco ſingulari, mundo & ſignato ſemper honorifice collocata, devote ac fideliter conſervetur. Sacerdos vero quilibet frequenter doceat plebem ſuam, ut cum in celebratione Miſſarum elevatur Hoſtia ſalutaris, ſe reverenter inclinet; idem faciens, cum eam defert Presbyter ad infirmum."

De celebratione Miſſarum.

XV. MUndities & ornatus omnino curentur in altaribus, ne ſacra menſa ſit vilior, quam profana.

XVI. Ornamenta altarium & Sacerdotum, ſi non ſint pretioſa, ſaltem ne lacera ſint & immunda.

XVII. Sint corporalia & abſterſoria munda: ſintque in altari ut minimum duæ mappæ, & duo cerei juſtæ magnitudinis, juxta Rubricas Miſſalis.

XVIII. Calices non habeant cuppam cupream; ſtannei etiam ulterius non tolerentur.

XIX. Imago Crucifixi nunquam tempore Sacrificii in altari deſit: & Cæremoniæ Romanæ deinceps tam in Miſſa, quam in aliis Divinis Officiis, quantum fieri poteſt, exacte ſerventur.

XX. Nullos ignotos Sacerdotes admittant Parochi ad celebrandum absque noſtra licentia, ſub pœna trium florenorum ab ipſis admittentibus ſolvenda.

XXI. Omnes licentiæ duas Miſſas eodem die celebrandi ſint revocatæ; quod ipſum Decani quam primum indicent omnibus, quos noverunt in ſuis diſtrictibus hoc facere.

XX. Extra locum ſacrum nemo celebrare præſumat, neque etiam in altaribus violatis ſive portatilibus, ſub pœna arbitraria.

TITULUS VIII.

De Extrema Unctione, Teſtamentis & Sepulturis.

I. EXtrema Unctio non differatur nimium: ſed ubi morbus ſatis invaluerit, etiam ſi forte ſenſu deſtitutus, aut alias vi morbi oppreſſus, confiteri aut communicare æger non potuerit, inungatur; non expectata incerta commoditate prius confitendi aut communicandi.

II. Adſint Parochi ægris, quando vocantur, etiam intempeſta nocte: moneatur tamen populus, ut ægri, quantum fieri poteſt, jejuni, & de die ſacrum Viaticum accipiant.

III. Ægri illi inungi non poſſunt, quando jam ſunt extra uſum rationis; qui, dum mentis compotes fuerunt, Eccleſiæ Communionem ſpreviſſe ſciuntur; etiam ſi id amici inſtanter petant: ſecus ſtatuendum de ignotis, qui præſumuntur boni; niſi aliter conſtiterit.

IV. Pueri, qui ob minorem ætatem non communicant, nihilominus ſunt viſitandi a Paſtoribus in infirmitate ſua; præſertim ſi ad pubertatem proxime accedere videantur, & de vita periclitentur; & qui ea ſunt diſcretione, ut peccare potuerint, de pœnitentia monendi.

V. Paſtores omnes ſerio noſſe curent, quæ neceſſaria ſunt ad legitimam Teſtamentorum confectionem: & ſe conforment Edicto perpetuo Sereniſſimorum Principum anni 1611. quo mandatur, ut tam Teſtatores, quam ad hoc vocati Teſtes, atque ipſi propria manu ea ſubſignent.

VI. Nemo alienum Parochianum ſepelire præſumat, non præmonito Paſtore defuncti, niſi extra propriam Parochiam defunctus fuerit, ſub pœna ſex florenorum.

VII. Non ſepeliantur in loco ſacro, qui non communicant in Paſchate; neque illi, qui in concubinatu, vel in alio peccato mortali notorio ſine pœnitentia mortui fuerint.

TITULUS IX.

De Ordine.

CUrent Paſtores, ut juvenes aſpirantes ad Tonſuram Clericalem, memoriter teneant Verſum: *Dominus pars hæreditatis meæ*, &c.

TITULUS X.

De Sponſalibus & Matrimonio.

I. Sponſalia ſolemnizentur coram proprio Parocho, aut ejus Vicario, ſuperpelliceo & ſtola induto, qui ſua manu contrahentium & teſtium nomina deſcribat in libro ad hoc deſtinato: in quo etiam deſcribat nomina eorum, qui per verba de præſenti Matrimonium ineunt cum expreſſione teſtium: & exacte curetur, ut nomina deſponſorum primo die Dominico, vel alio Feſtivo poſt contracta Sponſalia proclamentur ita diſtincte, ut ab omnibus præſentibus poſſint audiri.

II. Paſtores, qui Sponſalibus in tabernis aſſiſtere præſumpſerint, incurrant mulctam ſex florenorum.

III. Qui autem alienos Parochianos admiſerint ad Sponſalia, mulctam duodecim florenorum incurrant. Et nullo caſu admittantur poſt auditam horam decimam veſpertinam. Neque etiam aſſiſtat Paſtor Sponſalibus, invitis aut inſciis Parentibus, aut Tutoribus, ſine ſpeciali licentia Ordinarii, ſub pœna quinquaginta florenorum.

IV. Neque etiam contrahantur tempore jejunii ab Eccleſia indicti: ſi neceſſitas aliqua fuerit, ea tali tempore admittendi, id non fiat, niſi ante prandium, ne detur occaſio veſperi jejunium violandi.

V. Paſtor intelligens ſubeſſe impedimentum, non admittat Sponſalia, neque procedat ad proclamationes: & impedimentum Nobis, aut Vicario noſtro Generali vel Officiali denuntiet, ſub pœna ſex florenorum.

VI. Contra Sponſos ſub eodem tecto manentes, aut concumbentes ante contractum Matrimonium, aut ultra ſex ſeptimanas conjugalem contractum differentes, procedatur rigide. Si tamen ante Confeſſionem Sacramentalem nihil de carnali copula Sponſorum Paſtor certi cognoverit, poſt eam ſibi factam, omnino nolumus ipſum ulla ejus rei notitia etiam aliunde accepta, uti in ordine ad punitionem Sponſorum; ne apud imperitos confeſſio in odium hac ratione veniat, aut aliquibus imperfecte confitendi anſa præbeatur.

VII. Sub pœna gravi arbitraria, nemo Paſtorum audeat jungere non diſpenſatos ſuper proclamationibus a Concilio Tridentino requiſitis; & non mittant facile pro habenda diſpenſatione bannorum, niſi urgens ſit ratio.

VIII. Moneantur conjugium contracturi, ſe non fore idoneos, qui rudimenta fidei ſuas proles doceant, niſi ipſi Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, cum Symbolo, Decalogo & Præceptis Eccleſiæ teneant; ideoque ſi in his ignorantes fuerint, non admittantur, niſi, prout potuerint, ea didicerint.

IX. Inſtruant Paſtores populum de impedimentis Matrimonii, præſertim de cognatione ſpirituali; eamque non minus contrahi in Confirmatione, quam in Baptiſmo.

X. Servetur Decretum Concilii Diœceſani de non facile ad Matrimonium admittendis iis, qui non fuerint confirmati.

XI. Quamvis Concilii Tridentini Decreto ad valorem Matrimonii ſufficiat vel Sponſi, vel Sponſæ Parochum aſſiſtere; ne tamen confuſionis alicujus oriatur occaſio, quando duarum Parochiarum exiſtentibus Sponſis, uterque Paſtor prætendit aſſiſtere; Ordinamus, quod Parochus Sponſæ ſit præferendus: ita tamen, ut aliter fieri liceat, vel conſenſu Parochorum, vel rationabili de cauſa a Nobis probanda.

XII. Si qui in aliqua Parochia non habitaverint per medium annum, & ibi volent contrahere Matrimonium, procla-

proclamationes etiam fiant in Parochia, unde ultimo migrarunt.

XIII. Matrimonio eorum, qui recenter ad Parochiam inhabitandam advenerint, non assistat Pastor, etiamsi ibidem habuerint trinam proclamationem, nisi prius per examen Ordinarii constiterit, nullam subesse fraudem, aut impedimentum.

XIV. Qui alienos Parochianos conjunxerint sine proprii Sacerdotis licentia, præterquam quod grave Sacrilegii crimen & suspensionis pœnam, ac mulctam viginti florenorum, juxta Synodum Antverp. *Cap. 2. de Matrim.* incurrant, sciant, tale conjugium esse invalidum.

XV. Qui cum aliqua se contraxisse, sed more hæretico, aut sine Parocho, aut alias, invalide allegaverit, non admittatur quibuscumq; testimoniis munitus, ad contrahendum cum alia; nisi post cognitionem causæ apud Officialem parte audita, & ordine juris servato.

XVI. Hæreticorum matrimonio non assistant Parochi, etiamsi alter solum hæreticus fuerit: & cum constet hæreticos, ut ad contrahendum admittantur, subinde subornare alias personas, quæ ementito nomine a Confessariis testimonium factæ confessionis obtineant; advigilent, ne desponsi non satis noti alteri confiteantur, quam proprio Pastori, vel alicui ab eodem designando, qui eosdem noverit.

XVII. In Districtibus tamen sub Provinciis unitis proclamari poterunt a Pastore, qui desponsi fuerint coram Sacerdote, etiamsi alter eorum fuerit hæreticus; antequam autem tales admittet ad Matrimonium, conabitur hæreticum inducere ad conversionem.

XVIII. Divortium facientes conjuges, Parochi Nobis, aut Officiali nostro denuntient.

XIX. Meminerint Pastores, tametsi Concil. Trident. nullius momenti esse declaraverit Matrimonia sine Parocho & Testibus inita; non tamen eo Decreto comprehendisse Sponsalia & promissiones de futuro Matrimonio; sed illa in sua energia & antiqui juris terminis reliquisse; dictumque Decretum irritans Matrimonia sine Parocho & duobus testibus inita, Pastores suis subditis aliquoties in animo exponant; ob cujus ignorantiam multa sæpe incommoda & difficultates oriuntur.

XX. Si qui coram Pastore invito contrahere præsumpserint, aut attentaverint, statim denuntientur, ut exemplum statuatur.

XXI. In locis, ubi adhuc abusus est verberandi aut intercipiendi Sponsos, & extorquendi redemptionem, vel alias insolentias exercendi; moneatur Magistratus a Pastoribus, ut remedium adhibeat, alioqui ad Nos referant.

XXII. Conjugati extra necessitatem non permittantur habitare in locis sacris; qualis est etiam Sacristia & Cœmeterium.

XXIII. Sicubi sint aliqui in adulterio, concubinatu, aut in divortio viventes; Pastores quam primum eos Nobis absque dissimulatione denuntient, ut remedium adhiberi queat.

TITULUS XI.

De Prædicatione verbi Dei.

I. PAstores singulis diebus Dominicis, & in majoribus anni solemnitatibus, habeant concionem ad suos Parochianos secundum Conc. Trident. præceptum.

II. Caveant Pastores, etiam æstivo tempore omittere concionem diebus Dominicis, sub pœna trium florenorum: neque etiam omittant iisdem diebus post concionem commendare nominatim defunctos, pro quibus in eum finem aliquid est relictum; ne inique percipiant mercedem operis, quod non præstant.

III. Non liceat Pastoribus in gravamen subditorum sine necessitate substituere Religiosos mendicantes, quando isti non habent stationes suas ordinarias.

IV. Absque nostra licentia non permittant Religiosos accipere alias stationes, aut eleemosynarum collectiones, etiam per Fratres laicos, quam ab antiquo habuerunt, sub pœna decem florenorum.

TITULUS XII.

De Officio Divino.

I. CUretur, ut cum devotione, tractim & distincte Divina Officia fiant; ne per culpam negligentiæ & præcipitantiæ oratio nostra fiat in peccatum, Deum offendens & populum.

II. In Missæ Officio Sacerdos relicto Altari se non jungat Custodi ad cantandum; neque ex ipso altari aliud canat, quam quod Celebrantis Officium postulat.

III. Cantari debet Officium Divinum, ubi id fieri solet, & ubi fundatio ita habet: neque anticipatio permittenda est, ut quod Vespertinarum Laudum loco cantandum est, cantetur ante meridiem, dum populus est simul; sed in usum revocentur Laudes Vespertinæ: Laudes etiam Venerabilis Sacramenti, & Beatæ Virginis resumantur; saltem in magnis Festis non omittantur.

IV. Teneantur Custodes veteri more ter in die ad preces pulsando populum excitare, mane, meridie & vesperi.

V. Aqua lustralis est benedicenda singulis diebus Dominicis, exceptis die Paschæ & Pentecostes; quibus, juxta præscriptum Missalis, populus aspergendus aqua fontis pridie benedicti.

VI. Moneant Pastores serio nostro nomine Officiarios, ut impediant simposia & ludos tempore Divini Officii: idem judicium de venationibus. Si Officiarii idem faciant, etiam ipsi deferantur.

VII. Lascivia juventutis utriusque sexus sacro tempore compotantium mulctanda pœna arbitraria. Et omnino impediendum, ne juvenes puellas Templum adeuntes, vel ex eo redeuntes ad tabernas trahant sub pœna arbitraria.

TITULUS XIII.

De Festis & Jejuniis.

I. SÆpe inculcetur e suggestu populo fideli præcepta Ecclesiæ de jejuniis, delectu ciborum, & Festorum celebratione obligare sub peccato mortali; ac specialiter moneatur præceptum de audienda Missa, æque obligare diebus Festis ac Dominicis.

II. Contra violatores Festorum aliqui apparitores constituantur: & nihilominus Pastores, saltem secreto, eosdem violatores Officiali nostro denuntient, ut contra illos juridice procedi possit.

III. Tempore Divini Officii non tolerentur ludi aut exercitia guldarum, etiamsi pro præmiis fiant, aut compotationes.

IV. In locis ubi abusus est, ut in magnis solemnitatibus, aut aliis diebus juventus utriusque sexus simul potitet, & lasciviet, aut tripudiet, & monitiones & præcepta hactenus in contrarium facta non curantur; requirendos statuimus per Decanum & Pastorem Magistratus, ut cauponibus inhibeant tales istiusmodi diebus admittere sub gravi mulcta; & requisitionis factæ ac responsi in scriptis Nobis relationem faciant.

V. In magnis Solemnitatibus, & speciatim festo Assumptionis Beatæ Mariæ, non liceat in posterum Pastoribus summum Sacrum prævenire, & omnino mane celebrare, aut consuetum Officium Vesperarum aut Laudum vespertinarum omittere, sub pœna sex florenorum. Qui autem diebus Dominicis id fecerint citra necessitatem, luent pœnam arbitrariam.

VI. Pastores curent, ut eleemosynæ, quæ dantur in Quadragesima pro lacticiniis, pro medietate serventur ad usum Seminarii, juxta Decretum Synodi; alioqui ipsi erunt convenibiles, exceptis districtu Bredano & Berghensi; in quibus relinquuntur integræ pro Ecclesia.

TITULUS XIV.

De Imaginibus.

DEcani invigilent, ut imagines corruptæ, mutilatæ aut carie consumptæ juxta Decretum Synodi *Tit.* 14. *C.* 4. auferantur.

TITULUS XV.

De Superstitione.

I. NEmo præter designatos in singulis districtibus & specialiter ad-

admiſſos, præſumat exorcizare maleficiatos, aut a Dœmone vexatos, ſine ſpeciali noſtra commiſſione; ac multo minus præſumat ſuperſtitioſum aliquem ritum ad curandum infirmos adhibere, aut aliis exorciſmis uti, quam contentis in Rituali Romano, Paſtorali Mechlinienſi, aut Manuali exorciſmorum, pridem hic Antverpiæ edito.

II. Superſtitiones, & ſuperſtitioſi, item divinatores, ac præſtigiatores, ſi qui deprehendantur, ſtatim Nobis indicentur, ut remedium adhibere poſſimus.

TITULUS XVI.

De Archi-Presbyteris, Paſtoribus, Capellanis & Cuſtodibus.

I. DEinceps in viſitatione annotent Decani, an bene ſe gerat Paſtor loci in officio & converſatione, & an ſæpius a Parochia abſit. Similiter annotent, quomodo ſe gerant Capellani & Cuſtodes.

II. Exigant etiam teſtimonia eorum, qui ab ultima viſitatione ad Parochias commigrarunt, & nomina eorum, qui in Paſchate non communicarunt; annotent etiam emolumenta Cuſtodum; & quis conferat officium Cuſtodis.

III. Exigant etiam juxta inſtructionem ſuam, jura Cathedratica, & ea non ſolventes annotent, ut D. Sigillifer eos compellat.

IV. Acta viſitationis ſuæ deſcripta quotannis transmittant ante feſtum S. Jacobi, ut tempeſtive perlegi poſſint ante eorum congregationem.

V. Congregationes Paſtorum nunquam omitti diſtricte præcipimus: a quibus nemo Paſtorum ſe abſentabit, ſub pœna duorum florenorum ſupra taxam ordinariam per Oeconomos conſtitutam. Qui autem abſunt propter legitimum impedimentum, teneantur nihilominus contribuere perinde ac ſi adfuiſſent in congregatione.

VI. Ea tamen frugalitate convivium inſtituatur, ut taxa tres florenos non excedat, ſed iis ſit minor, ſi computus Oeconomorum permittat, non tamen amplior; nam ſuæ indemnitati Oeconomi per frugalitatem conſulere poſſunt.

VII. Decani Chriſtianitatis adminiſtrabunt Sacramenta Sacerdotibus externis, aut in Sacris conſtitutis, non Beneficiatis, & eorum exequias celebrabunt.

VIII. Paſtores non habitent extra limites Parochiæ: & qui neceſſitatem allegare volunt, ut id faciant, non niſi in ſcriptis obtenta a Nobis licentia extra Parochias habitent.

IX. A Parochiis ſe non abſentent unquam cum aliquo detrimento ſubditorum; quod fit, quando non habent idoneum Subſtitutum.

X. In Quadrageſima non liceat eis prætextu Terminariorum (qui tunc ſolent venire in ſubſidium Paſtorum, ut melius confeſſionibus audiendis vacare poſſint) ſe ſe a Parochiis abſentare quacumque de cauſa, niſi a Nobis facultate, propter magnam forte neceſſitatem, in ſcriptis prius obtenta.

XI. Quovis tempore, etiam ſi ſubſtituerint idoneum, non liceat ipſis abeſſe ultra octo dies, niſi de Decani licentia; & ultra duas ſeptimanas, niſi de noſtra licentia in ſcriptis obtenta; ſub pœna unius floreni in ſingulos dies, quibus abfuerint.

XII. Quando Paſtores propter metum captivitatis coguntur abeſſe a ſuis Parochiis, curent, ut iisdem Parochiis ſit ſufficienter proviſum pro neceſſitatibus; ipſisque non liceat abeſſe a diſtrictu ſuo absque noſtra licentia; ſed teneantur eſſe in proximis Civitatibus, quo a ſuis in difficultatibus occurrentibus poſſint adiri.

XIII. Paſtores advigilent, ut Capellani, Cuſtodes, & Ludimagiſtri debite ſuo fungantur munere; & ubi defectum deprehenderint, quem per ſe emendare non poſſint, ſtatim Decano denuntient: qui, ſi opus fuerit, ad Nos recurſum habebit.

XIV. Ineatur ratio, ut ubique ſint Primiſſarii, quantum fieri poteſt per unionem aut deſervituram Capellaniarum. Si vero ex proventibus menſæ

&

& fabricæ aliquid in eum finem desumi posse videatur, Nobis insinuetur; ut fiat, prout in Domino judicabimus expedire. Nulli autem assumantur, nisi a Nobis fuerint admissi; & Pastores neminem, non admissum, tamquam Capellanum residere permittant, sub pœna duodecim florenorum. Quod si contigerit, aliquem per Sæculares intrudi, statim Nobis indicare teneantur.

XV. Si qui vero absque nostra admissione recepti vel intrusi sint, curent Pastores, ut præsentent se Nobis, antequam admittantur ad celebrandum; ut dispicere possimus, an sint admittendi, nec ne, sub pœna arbitraria.

XVI. Teneantur Pastores omnes Concil. Trident. & Synodos Provinciales, & Diœcesanam, ac præsentes Ordinationes habere, sub pœna unius floreni, singulis vicibus in visitatione Decano persolvenda ad opus Seminarii: quæ pœna singulis annis, quamdiu sunt in aliquo defectu, duplicabitur.

TITULUS XVII.

De vita & honestate Clericorum.

I. PAstores non sint nimis frequentes in conviviis, ne tali familiaritate vilescant, vel ad officium personaliter quovis tempore obeundum minus sint parati.

II. Nullo modo vadant cum ancillis, etiam si consanguineæ sint, ad convivia, aut ad Dedicationes Confratrum, multo minus ad tabernas: nec inscribantur aut eligantur in Hoftmannum Guldarum aut Confraternitatum Laicorum, sub pœna sex florenorum: & si qui sint Hoftmanni, quam primum resignare teneantur, sub pœna duodecim florenorum.

III. Non decet Pastores ludos cum Laicis, etiam licitos, publice exercere: ideoque solemnem jaculationem psittaci eis interdicimus, sub mulcta sex florenorum applicandorum piæ causæ arbitrio Decani, nisi Promotor prævenerit.

IV. Contra eos Sacerdotes, qui in tabernis potitare reperti fuerint, aut se se uspiam inebriaverint, procedi volumus ad mulctam in Synodo constitutam.

V. Prohibemus, ne Sacerdotes occasione belli in Templis sæculari habitu compareant.

VI. Sacerdos, qui Scripturis sacris contra Concil. Trid. abusus fuerit, graviter puniatur.

VII. Quia deprehenduntur abusus in prætentionibus ancillarum, defunctis Sacerdotibus; ordinamus, ut in posterum in visitationibus Decanorum exprimant Pastores, & alii Sacerdotes suarum ancillarum stipendia: & ratione stipendii domus mortuaria nihil debeat ultra triennii stipendium, etiam si amplius prætendatur, nisi constiterit per liquidam obligationem.

TITULUS XVIII.

De Beneficiis & Officiis Ecclesiasticis.

I. OMnes Beneficiati non residentes teneantur juxta antiquam consuetudinem petere placetum absentiæ ante festum S. Joannis Baptistæ; & studentes in Universitate testimonium studii exhibere, atque Sigillifero nostro indicare quisnam (juxta *Cap.* 19. *Tit.* 18. Synodi 2. Antverpiensis) officio satisfaciat; alioquin idem Sigillifer administrationem accipiat.

II. Inquirant Decani, an nulli ad residentiam obligati ab ea absint; ut omnino, si qui Beneficiarii inveniantur teneri, ad eam mox compellantur. Circa incompatibilia obtinentes, præsertim sub eodem tecto Decani vigilent, & Nos moneant.

III. Sine literis suæ commissionis nemo deserviat in Beneficiis aut Officiis: & Deservitores Ecclesiarum Parochialium singulis annis ante festum S. Joannis Baptistæ teneantur a Nobis, seu Sigillifero nostro petere renovationem Commissionum suarum, nisi habuerint speciale indultum, quod eidem Sigillifero exhibeant, sub pœna decem florenorum; Deservitores autem Capellaniarum, sub pœna trium florenorum.

IV.

IV. Omnes tam Pastores, quam Capellani, qui a quinquennio non renovarunt registra sua, teneantur illa renovare, & Sigillifero nostro tradere ante festum S. Joannis Baptistæ proximum, sub pœna duodecim florenorum; nisi causam a Nobis probandam habuerint.

V. Attenta caritate horum temporum, provisionaliter honoraria Missarum, quæ certa hora celebrari debent, taxamus ad novem stuferos; si autem cum cantu; alias ad octo stuferos.

VI. Quantùm ad anniversaria attinet, ne illa negligantur, concedimus, ut quorum fundatio non excedit viginti quatuor stuferos, conjungi possint in unam massam; ex qua pro Vigiliis trium Lectionum & Missa cantatis, Pastor sive Celebrans habeat sexdecim stuferos, & Custos octo; ubi vero præter Custodem etiam sunt Capellani, singuli etiam habeant quantum Custos: portiones autem absentium maneant in massa.

VII. Administrationes Beneficiorum non sunt relinquendæ Æditiuis in posterum, nisi de novo eas a Nobis in scriptis impetraverint; sed cum pridem omnes istiusmodi commissiones revocatæ sint, Pastores significent eidem Sigillifero, ubi adhuc administrant: Decani in proxima visitatione sedulo inquirant & annotent, quid hac in re fiat.

VIII. Occurrente vacatione Pastoratus secundum Concilium Provinciale Mechliniense an. 1609. *Tit.* 17. *Cap.* 5. fructus pro rata temporis usque ad diem mortis relinquuntur defuncto, & Successori; item pro rata temporis a die inchoatæ residentiæ intermedii cedunt sigillo: adeoque a morte Prædecessoris statim a Sigillifero nostro accipietur administratio eo nomine hujusmodi proventuum. Beneficiorum vero simplicium per cessum vel decessum vacantium fructus cedunt defuncto usque ad diem obitus pro rata temporis; reliqui usque ad festum S. Joannis exinde proximum sigillo, juxta Synodum Antverpiensem *Tit.* 18. *Cap. ult.*

IX. Archi-Presbyter, ubi aliquem decedere contigerit, & officio suo functus erit, secundum præscriptum Synodi Antverpiensis, & registra ac manualia Beneficiorum ad se receperit, significabit obitum Sigillifero; & Testamentum transmittet: vel si testatus non sit, significabit; ut tam de peculio defuncti, quam nummo sexagesimo respective, & fructuum beneficialium administratione mox cura habeatur.

TITULUS XIX.

De Scholis.

I. SCholæ, ubi non sunt, erigantur, & de Ludimagistris provideatur; & diligenter observetur, ut sint Catholici, & doceant Catechismum juxta instructionem infra positam.

II. Cantus Ecclesiasticus etiam in posterum doceatur in Scholis Parochialibus.

III. Custodes & Ludimagistri solita juramenta præstent, & examina subeant etiam illi, qui iis non præmissis re ipsa serviunt.

TITULUS XX.

De conservatione Bonorum Ecclesiasticorum.

I. TEneantur Pastores ante Natalem Domini Decano aut Sigillifero tradere indiculum munimentorum concernentium bona Pastoratus, & aliorum Beneficiorum & piarum fundationum, quæ sub se habent.

II. Insuper ante festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ proximum tradant Archi-Presbyteris suis inventarium ornamentorum & supellectilis sacræ Ecclesiarum suarum, quæ extra Ecclesiam servantur, cum designatione loci & personarum, quibus tradita sunt, sub pœna trium florenorum.

III. In locis, ubi nondum sunt cistæ cum tribus clavibus, juxta Decretum Synodi, pro conservandis munimentis fabricarum & mensarum, curent Pastores, ut quam primum fiant; & transsumpta authentica ad Archivia nostra mittantur. Si quæ impedimenta occurrerint, quo minus ista fiant, Nobis

Nobis indicare teneantur: & Decani in proxima visitatione annotent loca, ubi nondum tales cistæ sunt procreatæ, ut remedium adhiberi possit.

IV. Limites agrorum & quorumcumque fundorum singulis saltem decenniis renoventur.

V. Alienationes indebite factæ retractentur, & bona sic alienata recuperentur.

VI. Elocationes bonorum fabricæ & mensæ pauperum aut fundationum piarum publice fiant plus offerentibus præsente Pastore, qui serio intendat, ne fraus aliqua committatur, aut fiant sumptus inutiles: quod si alicubi deprehenderit, statim Decano indicet, ut remedium adhibeatur.

VII. In posterum bona mensæ S. Spiritus non attribuantur Ecclesiis, Scholis, aut aliis eleemosynis sine nostro consensu.

VIII. Computus administrationum singulis annis fiant stato & certo die; & qui in defectu sunt, Nobis denuntientur.

IX. Reliquationes, si multæ sint, & negligantur, alicui diligenti & intelligenti viro sub certo stipendio recipiendæ committantur.

X. Ubi consuetudo habet, ut Custodes scribant computus fabricæ & mensæ, ea servetur: quod si Custos sufficiens non sit, constituat Decanus aliquem peritum, qui eosdem computus scribat, & in ordinem convenientem redigat.

XI. In locis autem, ubi Secretarius loci computus solet scribere, & apud se retinere, omnino urgendum, ut authentica saltem copia ponatur in Archivis Ecclesiæ. Secretarii, qui in eo difficiles se præbent, Nobis denuntientur; & habeatur ratio, ut stipendium pro scriptione sit moderatum.

XII. Novitas autem, qua introducuntur auditorum salaria, tollenda est, uti & exceptus in sumptu mensali: & in prima visitatione distincte annotent Decani summam expensarum, quæ fiunt ratione auditionis computuum: & solicite curent Pastores, ne obventiones earumdem inutiliter impendantur.

XIII. Singuli computatores unum annum integrum in posterum in recepta referant, & de eo respondeant.

XIV. Summæ restantes & receptæ ad reditum dentur, vel secundum Decani dispositionem applicentur; non autem relinquantur in manibus Administratorum: idem fiat de capitalibus redituum redemptorum

TITULUS XXI.

De Templis, & Magistris fabricæ, & Mensæ S. Spiritus.

I. HAbeant curam Pastores, ut Ecclesiæ debite reparentur; &, quantum fieri potest, mundæ conserventur & ornentur; utque ad ingressum Ecclesiarum in vase convenienti non desit aqua benedicta: curentque quamprimum tolli, & extra conspectum populi collocari imagines deformatas & mutilatas, prout sæpius ordinatum fuit; alioqui arbitrarie punientur.

II. Ubi Ecclesiæ necdum debite sunt reparatæ, curent, ut adhibitis remediis per Decretum Principum designatis, quamprimum restaurentur.

III. In locis, ubi supellectilia adhuc sunt in Templis, Pastores quamprimum agent cum Decano Christianitatis, ut judicet, an & quousque ea possint & debeant amoveri; & secundum ipsius judicium amovenda statim amoveantur ab iis, quorum sunt, sub pœna trium florenorum fabricæ applicanda, ut est in Synodo.

IV. Pastores curent, ut cœmeteria debite sepiantur & mundentur, & ab illis arceantur bestiæ & pecora; pro quibus ibidem deprehensis solvetur mulcta triginta stuferorum: ex quibus viginti cedent Ecclesiæ, & decem forestario.

V. In Constitutione Magistrorum fabricæ, & mensæ Pastores nullas admittant novitates; & si impedire non possint, Nobis quamprimum significent: & ædiles intelligant se in officio suo

suo debere sequi directionem Decani & Pastoris.

VI. Collecta fiat per dictos Magistros singulis diebus Dominicis sub concione aut Sacro: & ubi non est consuetudo, introducatur.

VII. Lites pro Ecclesiis aut pauperibus non intentent, nisi necessarias, & non nisi a Nobis auctorizati.

VIII. Adsint iidem in visitatione Decani.

IX. Volumus autem prædicta omnia & singula ubique per totam Diœcesim nostram observari: & Curiæ nostræ Officiali, cæterisque Officiariis mandamus, ut contra delinquentes absque dissimulatione procedant, & pœnis condignis alias statutis, vel arbitrariis pro delicti qualitate decernendis castigentur, & exemplariter puniantur, qui in his observandis officio suo defuerint. Datum Antverpiæ die XXVIII. Augusti anno M.DC.XLIII.

Subnectitur Instructio & Ordinatio de promovenda per Diœcesin Antverpiensem Doctrina catechetica.

Ex Officina Plantiniana Balthas. Moreti 1780.

GASPAR NEMIUS, Sylvæducensis, Guilielmo Estio, viro ætatis suæ clarissimo, in comparandis sibi Theologicis scientiis usus Duaci fuit. E Pastore animarum, quem Viroviaci, alias *Werwick*, Flandriæ oppidulo agebat strenuum, Duacensis Seminarii Præses denominabatur Serenissimo Alberti & Isabellæ placito, ac dignus præ aliis censebatur, qui inter Doctores Theologos & Collegiatæ Ecclesiæ Canonicos jam cooptatus, Theologiam ceu publicus Professor ac Regius ibi explanaret: Quo in munere annos transegit laude maxima, parique Auditorum fructu undeviginti. Tum die 23. Maji a. 1636. ad Cathedram Antverpiensem, cui annorum circiter septemdecim spatio præfuit; inde ad Cameracensem Metropolitanam a. 1652., quam ad annum vitæ suæ ultimum 1667. rexit, ob singularem doctrinam, prudentiamque inter æquissimos Romæ favores est evectus, Præsul ab assidua in Apostolicam Sedem observantia commendandus. Abbatia S. Bernardi ad Scaldim Ord. Cisterc. sub illo separata a mensa Episcopali ac sui juris facta. Coluit pro symbolo illud Apostoli 1. Tim. 4. *Attende tibi & doctrinæ*, 22. Nov. a. 1667. æt. 81. vivis egressus.

Vide Antonium Sanderum de Scriptoribus Flandriæ L. II. pag. 56. *Castillionium Sacr. Belg. Chronol. P. II. pag.* 360. & 506. *Histor. quoque Episcop. Antverp. Bruxellis in* 4. *apud Franc. Foppens a.* 1717. *pag.* 81.





SYNODUS PADERBORNENSIS
DIOECESANA

Sub Sermo & Revmo FERDINANDO, Bavariæ Duce, Archiep. Colon. & Paderbornensi XLIII. Episcopo,

CELEBRATA

Anno Christi MDCXLIV. Urbani VIII. Papæ XXIII. Ferdinandi III. Imp. VII.

DIE 8. MARTII.

INDICTIO, ACTA, & DECRETA

Sacræ Synodi Diœcesanæ Paderbornensis,

PRÆSIDENTIBUS,

Serenissimi & Reverendissimi FERDINANDI, DEI & Apostolicæ Sedis gratia Electi & Confirmati Archi-Episcopi Coloniensis, S. R. I. per Italiam Archi-Cancellarii, & Principis Electoris, ejusdem S. Sedis Legati Nati, Episcopi ac Principis Paderbornensis, Monasteriensis, & Leodiensis, Administratoris Hildesiensis, Berchtesgadensis, & Stabulensis, Comitis Palatini Rheni, utriusque Bavariæ, Westphaliæ, Angariæ & Bullionis Ducis, Marchionis Francimontani, Comitis Pirmontensis, Sternbergensis, Lossensis, Longiensis, & Hornensis, &c. Domini nostri Clementissimi

COMMISSARIIS

Reverendissimis ac Prænobilibus Dominis, D. THEODORO ADOLPHO a RECK, & D. CASPARO PHILIPPO a KETTELER, Ecclesiæ Cathedralis Paderbornensis respective Præposito & Decano.

NEC NON

Reverendissimo Domino, D. BERNARDO FRICK, Ss. Theologiæ Doctore, designato Suffraganeo Paderbornensi, & in Spiritualibus Vicario Generali.

INDICTIO SACRÆ SYNODI DIOECESANÆ PADERBORNENSIS,

AD FERIAM TERTIAM, QUÆ ERAT 8. DIES MARTII, POST DOMINICAM *LÆTARE*, ANNI MDCXLIV.

FERDINANDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

Electus & Confirmatus S. Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, S. R. Imperii Elector, & per Italiam Archi-Cancellarius, ejusdem Apostolicæ Sedis Legatus Natus, Episcopus ac Princeps Paderbornensis, &c. &c. Universis ac singulis Abbatibus, Præpositis, Decanis, Abbatissis, Prioribus, Archi-Diaconis, Capitulis, Conventibus, Cathedralis & Collegiatarum, Regularium & Sæcularium, Parochialiumque Ecclesiarum, & Divinorum Rectoribus, totique Clero, Clericis, Notariis, & Tabellionibus publicis quibuscunque per Civitatem & Diœcesin nostram Paderbornensem ubilibet constitutis, qui de jure vel consuetudine Diœcesanæ Synodo interesse tenentur, Salutem in Domino sempiternam.

POstquam grave illud Pastoralis muneris onus humeris nostris, (Domino sic disponente) impositum esse agnosceremus, ut videlicet juxta Apostoli (a) *commonitionem, attenda-*

(a) Actor. 20. v. 28.

tendamus universo gregi; in quo nos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo: memores Nos aliquando coram justo Judice, pro animabus commissæ Nobis plebis districtam rationem reddituros esse, quasi in quadam specula positi, ingentem sane & anxiam solicitudinem animo nostro semper concepimus, & ad omnem suscepti muneris recordationem frequenter ingemuimus; non enim ignorabamus, depositum, quod tradente & commendante Christo, suscepimus, quanta in illo asservando cura, solicitudine & labore desudare Nos oporteat, quantave pœna Nos maneat, & quam terribilis Nos Domini sententia expectet, si quicquam de thesauro illo, quem sedulus & prudens Negotiator pretio sanguinis sui comparandum duxit, nostra forte incuria perire contigerit.

Accedebat ad hunc cumulum solicitudinis nostræ, & timoris pondus in immensum augebat, quod functionem nostram Pastoralem in eam videbamus tempestatem incidisse, qua gravissimorum bellorum injuriæ, ac extremæ totius pæne Diœcesis nostræ devastationes, dum tumultibus & bellis ferverent omnia, oviculas Christi sanguine redemptas, crudelem in modum depascebant.

Verum cum in præsenti Deus paulo meliorem rerum speciem futuram promittat, ut ante omnia Ecclesiastica disciplina in Clero nostro, multis partibus deformata, pristinæ dignitati ac nitori, quantum fieri adhuc potest, restitueretur, hanc rationem, quam diu multumque optavimus, libenter amplexi sumus, ut sacras functiones & Ecclesiasticam disciplinam ad antiquam reduceremus observantiam.

Nos igitur Officio nostro defuncturi, more Majorum hanc instaurationem a Synodo Diœcesana, quæ quidem juxta S. Concilii Tridentini (b) Sanctiones, quotannis celebranda fuisset, sed pluribus jam annis ob bellorum injurias intermissa, auspicabimur, ut quod ad communem Ecclesiæ utilitatem ac regimen pertinet, plurium ac majorum Judicum arbitrio decernatur.

Auspicabimur autem, Divina favente gratia, Feria tertia post Dominicam Lætare, quæ erit 8. dies Martii proxime futura, mane ad horam octavam in Civitate nostra Paderbornensi loco solito & consueto, videlicet in Ecclesiæ nostræ Cathedralis majore domo Capitulari.

Quocirca ad eum diem & locum Vos omnes & singulos supradictos hisce nostris literis paterne invitamus, ac peremptorie evocamus, idque eo tempestivius, quo instructiores adesse possitis, præmonentes Vos omnes & singulos, ut super his, quæ in Synodo tractanda erunt, diligenter ac sedulo præcogitetis, atque in scripto exhibeatis, videlicet:

An verbum Dei pure & sinceriter in omnibus totius Diœcesis nostræ locis annuncietur? Num alicubi manifeste aut occulte, in conventiculis noxia & perversa doctrina disseminetur?

Quot & quos in locis Vobis commissis Hæreticos sive Nobiles, sive ignobiles habeatis, & an forte Prædicantes ex vicinioribus locis hæreticis assumpti in eorum arcibus aut domibus copulent, baptizent, aut sepeliant?

Et an sciatis quosdam in gradibus prohibitis copulatos?

Ecclesiæ & Altaria vestra an sint consecrata? quot violata?

An Venerabile Sacramentum pro ægris communicandis, sacrum Chrisma, Olea sacra & Infirmorum debite custodiantur?

An Ecclesiæ sartæ tectæ conserventur?

Et an omnes suos Ministros, & eosdem satis idoneos & utiles habeant?

De Sacramentorum & Divinorum Officiorum administratione; an illa pie & diligenter in veste Clericali, superpelliceo & stola administrentur & observentur?

Au circa sacræ Missæ Officia, & Horas Canonicas omnia illa fiant, quæ in Reformatione exiguntur?

An omnes habeant libros Missales, Antiphonarios, Agendas, & Breviaria?

An Calicem, patenam, corporalia, & vestes sacras ad Missam peragendam requisitas?

Num dies Festi, Dominicæ, & Jejunia rite observentur, & populo denuntientur?

An habeant sermonem ad populum? An Catechismo, sive doctrinæ Christianæ docendæ dent operam?

An in amplioribus Parochiis Pastores, qui ad hoc obligati sunt, Sacellanos suos habeant?

An Hospitalia, pro pauperibus fundata, recte & debite administrentur?

An omnis mercatura & nundinæ sub Divino Officio cessent?

An habeant librum, in quo descriptus sit animarum sibi commissarum status. Item:

(b) Seff. 24. c. 2. de Reform.

An habeant libros Baptizatorum, Matrimoniorum, & Demortuorum?

Cui confiteantur, quando ultimo confessi, & confessionis suæ fide dignum testimonium exhibeant?

An in Parochia sua resideant?

An vestem Clericalem, biretum, & superpelliceum habeant?

An etiam aliquem Theologum, qui tradat casus conscientiæ, Concionatorem, quo utantur in formandis concionibus?

An ægros in extremis communicent & inungant?

An orationes 10. horarum juxta nostrum mandatum in Ecclesiis designatis observent, & in reliquis Parochiis injunctas Litanias & Orationes pro bellis avertendis & pace impetranda persolvant?

An sortilegos, incantatores, superstitiosos, Simoniacos, usurarios, scortatores, adulteros, aut alios excessus in omni Diœcesi nostra dignos animadversione noverint, sive id ad mores & vitam singulorum, sive ad Ecclesiarum utilitatem, atque adeo ad totam Religionem nostram aliqua ratione pertinere videatur?

Nec hoc satis; dispicienda etiam sunt consilia, & quærenda remedia, ut cum morbo ostendatur simul & medicina, sed & aliorum querelæ atque controversiæ graviter cognoscendæ sunt, & communicatis sententiis definiendæ.

De his igitur omnibus & singulis, quæ alioqui in Synodis Diœcesanis tractari, vel necessitas vel utilitas Ecclesiarum Diœcesis nostræ postulabit, ut præmeditati & scripto instructi, Sanctæ Synodo prædictæ intersitis, Vos paterne invitamus, ac Vobis omnibus & singulis in virtute sanctæ obedientiæ pro auctoritate nostra ordinaria serio demandamus.

Si quæ vero manifesta sint, ea a Vobis non expectata Synodo mox componantur, & corrigantur, ne iis gravetur Synodus, sed eo liberius reliquis, quæ accurata magis deliberatione indigent, intendere possitis.

Volumus etiam, ut die Dominica, quæ proxime Synodum præcedit, Parochi, qui præsertim Capellanos non habent, inquirant publice in Ecclesia, si qui sint ægroti in Parochia, ut illos visitent, etiam non requisiti, & eos commendent vicinis Sacerdotibus seu Regularibus, ne durante Synodo fiat eorum mora periculi occasio. Interim Parochi sæpius moneant populum sibi commissum, ut uberem fructum a Deo piis precibus postulent, idemque multo magis præstent Clerici, & ad hunc effectum consequendum tribus Festis aut Dominicis diebus ante Synodi celebrationem, Parochi Litanias omnium Sanctorum ante Missam cum populo devote recitent.

Quod si vero quispiam negligentior, aut etiam contumacior ad hanc Decretorum censuram absque rationabili causa aut canonico impedimento venire neglexerit, aut recusaverit, Synodalis consessus arbitratu mulctabitur, cæteris juris pœnis ad legitimam prævaricantium vindictam, perpetuo duraturis. In cujus rei testimonium, Secretum nostrum præsentibus manu nostra subscriptis est subimpressum. Datum in Civitate nostra Bonnæ, hac decima die mensis Februarii, anno Millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto.

Ferdinandus.

(L.S.)

ORDO S. SYNODI
DIŒCESANÆ PADERBORNENSIS.

PRidie indictæ Synodi, hoc est septimo die Martii, vesperi intra quintam & sextam, dato primo signo in Cathedrali Ecclesia, in omnibus Ecclesiis Civitatis Paderbornensis solenniter fuit pulsatum.

Octavo Martii, qui erat dies Martis, mane Matutinum inchoatum fuit in Cathedrali, præcise ad punctum quartæ horæ cantando, reliquæ vero horæ legendo, continuatæ sunt usque ad Vesperas. Sub minoribus horis Missæ ordinariæ de tempore, & si quæ aliæ fuerunt, etiam lectæ sunt.

Hora sexta cantata fuit cum Organo & Musico cantu Missa ordinaria de S. V. MARIA.

Hora septima iterum primo dato signo in Cathedrali Ecclesia, in reliquis Ecclesiis per totam Civitatem Paderbornensem pulsus factus est solennis.

Medio octavæ convenerunt ad locum Capitularem Reverendissimi Domini Commissarii, cum Reverendissimis Dominis Capitularibus, de pronunciandis, statuendis, & reformandis tractaturi.

Hora octava totius Civitatis Clerus tam primarius, quam secundarius in albis in Choro majoris Ecclesiæ præsto fuit, & e Choro hoc

hoc ordine ad navim sive medium Ecclesiæ descenderunt.

Præcesserunt Pedelli more suo; duo Scholares cum Crucibus cappati; deinde duo Ceroferarii.

Hos secuti sunt duo juniores Beneficiati cappati cum thuribulis, & Scholares cum naviculis & thure.

Post hos Subdiaconus librum Evangeliorum portans, & Diaconus in rubeis Dalmaticis, Missæ ministraturi ante Altare S. Crucis.

Deinde Clerus urbanus ex Collegiata Sanctorum Apostolorum Petri & Andreæ, & Cathedrali, sequentibus Canonicis & Prælatis, ac demum Reverendissimis Commissariis cappiatis, & eorum Sacellanis, quousque venerunt ad locum Occidentalem majoris Ecclesiæ ante fontem, ubi Canonicis & Clero alternatim hinc inde se trahentibus, Reverendissimi Domini Commissarii tres sedes in medio Ecclesiæ super tapetibus positas occuparunt, donec solennis Missa de Spiritu Sancto in organo cum musico cantu a Reverendissimo Domino *Theodoro Adolpho a Reck*, Ecclesiæ Cathedralis Præposito & Commissario, (quem supradicti Scholares, cum Crucibus, cereis ac thuribulis ad altare S. Crucis duxerunt, & post Missam ad suum locum reduxerunt) celebrata, esset finita.

Interea Dominus Abbas Abdinghoffensis, qui tunc solus ex Abbatibus aderat, & Clerus foraneus in medio Ecclesiæ se reverenter stiterunt.

Absoluta Missa, lecta fuit Commissio Serenissimi & Reverendissimi Archi-Episcopi & Electoris Coloniensis, Episcopi & Principis Paderbornensis, ante altare S. Crucis, per Reverendum Dominum *Franciscum Costerum*, Ecclesiæ Cathedralis primum Vicarium, sequentis tenoris:

FERDINANDUS, DEI ET *Apostolicæ Sedis gratia Electus & Confirmatus S. Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, S. R. I. Princeps Elector, & per Italiam Archi-Cancellarius, ejusdem S. Sedis Legatus Natus, Episcopus ac Princeps Paderbornensis, &c. Venerabilibus atque Docto, Nobis devote dilectis,* Theodoro Adolpho a Reck, Casparo Philippo a Ketteler, & Bernardo Frickio, *Ss. Theol. Doctori, respective Cathedralis Ecclesiæ nostræ Paderbornensis Præposito, Decano, atque in Pontificalibus designato Vicario nostro generali, Salutem in Domino.*

CUm per nostræ gravissimæ solicitudinis publicas occupationes impediamur, quo minus futuræ Synodo, quæ in Civitate nostra Paderbornensi, feria 3. post Dominicam Lætare, *octava die mensis Martii, ex laudabili Majorum nostrorum consuetudine, celebrabitur, personaliter interesse, & præsidere possimus; Idcirco Vobis (de quorum prudentia, zelo, pietate, & legalitate singularem gerimus fiduciam) præsentium tenore in Domino committimus, ut dictæ Synodo nostro nomine præsideatis, & Synodales hasce, quas Vobis transmittimus, Constitutiones promulgari curetis, ac ad earum observantiam Clerum nostræ Diæcesis debite admoneatis, ac, prout juris est, admoneri faciatis, & quicquid Nos in dicta Synodo personaliter agere possemus, nostro nomine peragatis, insuper etiam illius Synodi acta, nec non præsentium & absentium nomina, ad Nos in scripto obedienter referatis: Hæc enim est seria nostra voluntas, manu & sigillo nostro roborata. Datæ in Civitate nostra Bonnæ, die 23. mensis Februarii, anno post Christum natum Millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto.*

Ferdinandus.

(L.S.)

JOANNES SCHÖNHEIMB.

Lecta Serenissimi Commissione, Reverendissimus Dominus Præpositus Synodum aperuit sub sequentibus verbis:

IN nomine igitur Sanctissimæ ac Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ad Dei Omnipotentis, ac Beatissimæ Virginis Dei Matris, & S. Liborii Episcopi & Confessoris, Patroni nostri, laudem & honorem, hanc Diæcesanam Synodum a Serenissimo Principe nobis clementissime commissam, incipimus. Faxit idem Omnipotens Deus, pro sua misericordia, precibusque Virginis Beatissimæ, ac ejusdem S. Patroni nostri, aliorumque Sanctorum, ut, quemadmodum speramus, ex hoc sacro cætu, lumen & spiritum omnes reportemus ad officia nostra secundum voluntatem Dei peragenda.

Post hanc allocutionem cantata fuit Antiphona per Succentorem & Chorales: *Exaudi nos Domine*, & Psalmus 68. *Salvum me fac Deus.* Sub octavo tono, quo finito, repetita fuit Antiphona, *Exaudi.* Deinde imposuit Reverendissimus Dominus Præpositus ex Pontificali Romano.

Adsumus Domine S. Spiritus, adsumus, peccati quidem immanitate detenti, sed in

in nomine tuo specialiter aggregati: Veni ad nos, adesto nobis, dignare illabi cordibus nostris: doce nos, quid agamus, quo gradiamur, ostende, quid efficiamus, operare. Esto solus & Suggestor & Effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, & ejus Filio nomen possides gloriosum: non nos patiaris per turbatores esse justitiæ, qui summe diligis æquitatem, ut sinistrum nos non ignorantiæ trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris vel personæ corrumpat, sed junge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, & in nullo deviemus a vero; quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna.

Responsum fuit ab omnibus *Amen.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne DEUS, qui misericordia tua nos incolumes, in hoc loco specialiter aggregasti, mentes nostras quæsumus Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem, cunctosque in tua fide & charitate corroboret: ut excitati a temporali Synodo, proficiamus ad æternæ felicitatis augmentum. Per eundem Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Finita Collecta, duo Cantores, videl. primi Vicarii Cathedralis Ecclesiæ cappati ad pulpitum in medio Ecclesiæ, cantarunt Litanias omnium Sanctorum. Et postquam cantatum fuit: *Ut omnibus fidelibus*, &c. *Te rogamus, audi nos.* Reverendissimus stans, benedicens Synodo, dixit: *Ut hanc præsentem Synodum visitare, disponere, & benedicere digneris.* & ℟. *Te rogamus, audi nos.* Cantoribus Litanias perficientibus.

Quibus cantatis, Reverendissimus perrexit, dicens versus Altare.

OREMUS.

Diaconus: *Flectamus genua.* Subdiaconus resp. *Levate.*

Da, quæsumus, Ecclesiæ tuæ misericors Deus, ut Spiritu Sancto congregata, secura tibi devotione servire mereatur. Per Dominum nostrum &c.

Resp. *Amen.*

Deinde impositum fuit incensum in thuribulo, & benedictum a Reverendissimo. Diaconus benedictione accepta, regressus fuit ad altare S. Crucis, quod est ante Chorum, præcedentibus Thuriferariis, Ceroferariis, & Subdiacono librum Evangeliorum portante, & cantavit Evangelium ex S. Luca *Cap.* 10.

Dominus vobiscum. Resp. *Et cum spiritu tuo.*

Sequentia S. Evangelii secundum Lucam. Resp. *Gloria tibi Domine.*

In illo tempore: designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaveritis. In quamcunque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: Sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcunque Civitatem intraveritis, & susceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis: & curate infirmos, qui in illa sunt, & dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

Post Evangelium retulerunt eodem ordine librum Evangeliorum Reverendissimis osculandum, qui & incensati sunt, deinde reliqui Prælati de Capitulo, postmodum Abbas Abdinghoffensis, reliquis absentibus, & totus Clerus.

Interea imposuerunt Cantores: *Veni Sancte Spiritus.* uti in Missa de Spiritu S. cum nota solenni.

Reverendissimo cantante ℣. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* ℟. *Et renovabis faciem terræ.* cum Collecta:

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere. Per eundem Dominum &c.

Item Cantores inceperunt: *Alma Redemptoris Mater.* Reverendissimo cantante:

℣. *In omni tribulatione & angustia nostra, nunc & in mortis hora,*

℟. *Succurre nobis Beatissima Virgo MARIA.*

ORE-

OREMUS.

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa B. Mariæ semper Virginis intercessione a præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Dominum, &c.

Post hæc cum regrediendum esset ad Chorum, præcesserunt Scholares cum Crucibus, Thuriferarii, & reliqui, post quos Pastores & Clerus foraneus, qui hactenus in navi Ecclesiæ exspectarunt, secuti sunt: deinde Clerus urbanus, Abbas Abdinghoffensis, cæteris absentibus, Canonici Cathedralis Ecclesiæ & Prælati, ac demum Reverendissimi Domini Commissarii, ordine quo supra. Cantoribus imponentibus Responsorium de S. Liborio Patrono, Episcopo & Confessore: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris; & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis.* Vers. qui cantatus est a duobus primariis Vicariis: *Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri, &c. Et vos.*

In Choro facta est statio cum Clero, & finito Responsorio, cantavit Reverendissimus:

℣. *Justum deduxit Dominus per vias rectas.*

℟. *Et ostendit illi Regnum Dei.*

OREMUS.

Deus, qui populo tuo æternæ salutis B. Liborium Ministrum tribuisti, præsta quæsumus, ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, Intercessorem quoque semper habere mereamur in cœlis. Per Christum, &c.

Qua Collecta finita, ascendit ad locum Capitularem universus Clerus, atque ubi omnes locum suum a Reverendo D. *Joanne Schmedt*, Cathedralis Ecclesiæ Beneficiato, atque hujus S. Synodi Notario, sibi assignatum occuparunt, Reverendissimus allocutus Clerum hisce verbis:

Venerabiles Consacerdotes, & Fratres nostri Charissimi, præmissis Deo precibus oportet, ut ea, quæ de Divinis Officiis vel sacris Ordinibus, aut etiam de nostris moribus & necessitatibus Ecclesiasticis, a nobis conferenda sunt cum charitate & benignitate unusquisque vestrum suscipiat, summaque reverentia quantum valet, Domino adjuvante, percipiat; vel quæ emendatione digna sunt, omni devotione unusquisque fideliter studeat emendare. Et si cui forte, quod dicetur aut agetur, displiceat, sine aliquo scrupulo contentionis palam coram omnibus conferat, quatenus Domino mediante, & hoc ad optimum statum perveniat, ita ut nec discordans contentio ad subversionem justitiæ locum inveniat, neque iterum in perquirenda veritate, vigor nostri ordinis vel solicitudo tepescat.

Hic habitus est Sermo Synodalis per Reverendissimum ac Prænobilem Dominum D. *Theodorum Adolphum a Reck*, Ecclesiarum Cathedralium Paderbornensis & Monasteriensis respective Præpositum & Canonicum, Serenissimi & Reverendissimi Electoris Archi-Episcopi Coloniensis, Episcopi ac Principis Paderbornensis Consiliarium intimum, hujus Sacræ Synodi Concommissarium, sequentis tenoris.

SERMO SYNODALIS.

Et nunc Fratres, quoniam vos estis Presbyteri in populo DEI, & ex vobis pendent animi illorum, ad eloquium vestrum corda illorum erigite. Judith 8. ℣. 21.

Cum ex diversis horum temporum calamitatibus & indies in tam diuturni, per totam Christianitatem magis incrudescentis belli, luctuosissimis spectaculis, indeque Provinciarum & Templorum subsequentibus desolationibus & eversionibus, mala ista, quæ Deus filiis sceleratis, genti peccatrici, populo gravi iniquitate, & ad se in humili & sincero corde non revertenti, clamanti, & pœnitenti, comminatus est, non immerito agnoscamus, iramque Omnipotentis DEI peccatorum nostrorum vindicem sentiamus: Cum etiam appareat, quod iniquitates nostræ supergressæ sint caput nostrum, & sic juxta Esaiam percussi, *Omne caput languidum, & omne cor mœrens, terra nostra deserta, civitates nostræ succensæ igni, regionem nostram coram nobis alieni devorent, & desolata sit in vastitate hostili, ita ut miseri facti & curvati usque in finem tota die ingrediamur.* Hinc sedulo nobis unanimi consilio ac conatu, opportuna quærenda remedia, nec id, quod propria dictante conscientia & scientia, aut Divina humanaque authoritate & experientia edocti, salutare esse intelligimus, respuendum, negligendum, vel cum nausea aliqua amplectendum & sumendum.

A pluribus jam annis, inter cæteras per arma hostilia Ecclesiæ illatas injurias & damna, non minori loco annumerandum esse videtur, si statum Ecclesiarum, vocationem quisque suam, cum vita & moribus, sicut

decet, in timore & tremore, coram Deo, qui renes & corda scrutatur, considerare velit, quod illa Pastoralis officii Serenissimo nostro Episcopo, &c. incumbens solicitudo a consueta celebratione Synodi, non quidem diminuta, rejecta vel sublata, sed tantum ad effectum ordinario isto modo agendi, per aliquot annos impedita fuerit, nec ista, prouti intentio erat & est, disciplinæ Ecclesiasticæ restauratio, & pravorum morum in Clero correctio, & vitæ emendatio subsecuta sit. Cum vero nunc, DEO ter Opt. Max. sint laudes, jussu & authoritate Serenissimi Electoris, Episcopi nostri, [qui gravissimis de causis adesse non potest] convenerimus, ut de sacris functionibus, & Ecclesiastica disciplina, ad antiquam reducendam observantiam, pro communi Ecclesiæ utilitate & bono, plurium judicio decernatur, hisce temporibus ac miseriis nostris, nobis Presbyteris ac Pastoribus, inter alia convenientia verba de lib. Judith: *Et nunc Fratres, quoniam vos estis Presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendent animi illorum, ad eloquium vestrum corda illorum erigite,* considerand, & de iisdem aliquid, quantum ratio temporis permittit, *dicendum esse duxi:* Ita ut *primo* paucis nobis in memoriam revocem: *Quod Deus peccata, quamvis tardus sit ad irascendum, in hac etiam vita, graviter puniat; quodque Sacerdotum peccata sint graviora & abominabiliora coram Deo & hominibus. Secundo. Quomodo Deus Sacerdotum peccatis quam maxime ad iracundiam provocetur, qui ad eandem avertendam vocati & electi, & ad orandum pro aliis obligati sunt.* 3. *Quales ideo deceat esse Sacerdotes & Parochos, ut efficaciter orare, & ad eloquium suum corda aliorum cum fructu erigere possint.* De quibus cum ordine proposito tractatum fuerit, bene inferendum & concludendum erit, quod ex vita, precibus, & doctrina Presbyterorum, qui sunt in populo Dei, pendeant animi populorum, &, quod ad eloquium Sacerdotum, corda illorum taliter erigi possint; Ut *Tu Domine Deus miserator & misericors,* [c] *patiens & multæ misericordiæ & verax, in millia bis, qui diligunt te, qui etiam cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis, non secundum peccata nostra facias nobis,* (d) *nec ulterius auferas a populo Christiano pacem, misericordiam & miserationes, sed miserearis omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata propter pœnitentiam.*

Primo igitur. Quantum attinet peccatorum vindictam, prouti Deus nullum bonum irremuneratum, ex benignitate sua, ita nullum malum impunitum relinquit ex justitia sua, idipsum de Angelis e cœlo expulsis, scimus; & omnes in hac lachrymarum valle primorum parentum e Paradiso ejectorum luimus peccatum. Quod fratricidium Cain profugum, corruptio universæ carnis diluvium, Sodoma & Gomorra detestabili vitio ignem e cœlo venire, Ægyptios post plagas Ægyptiacas populum Israel opprimentes & insequentes in mari sepeliri fecerit, satis vulgatum est. *Et operuit aqua tribulantes eos, unus ex eis non remansit.* (e) Calamitates, bella, pressuras, quas passus est populus Israel in tot captivitatibus, omnia ista ob peccata eorum (Scriptura sacra testante) obvenerunt. Quæ & testimonia vindictæ & justitiæ Divinæ in Nadab & Abia, in ipso Moyse & Aaron, in Saule, Davide, Salomone, Roboam, aliisque Regibus Judæ & Israel, in Sennacherib, Nabuchodonosor, Antiocho, Balthasare, & quam plurimis suppeditat. Inveniemus etiam (Biblia sacra pervolvendo) elementa ipsa, Terram, Aquam, Ignem, & Aerem peccata hominum abominando, iræ & furoris Domini, cum aliis creaturis documenta perhorrenda reliquisse, ita ut quæ condita erant ad hominum salutem, ea a Deo ultore, ad impiorum perniciem verterentur. *Levit.* 20. ℣. 22. dicit Dominus: *Custodite leges meas atque judicia, & facite ea, ne & vos evomat terra, quam intraturi estis & habitaturi, aperta est terra & deglutivit Dathan, & operuit super congregationem Abiron, & exarsit ignis in Synagoga eorum: flamma combussit peccatores.* Et ut reliqua omnia tam veteris, quam novi Testamenti, & approbatarum historiarum exempla omittam, ipsi videmus, *Quod Dominus posuerit iniquitates nostras,* [f] *sæculum nostrum in illuminatione vultus sui. Quoniam omnes dies nostri defecerunt, & in ira ejus defecimus.* In hoc igitur puncto non locus ambiguitatis, dubii vel disputationis, sed magnæ admirationis, confusionis & doloris relinquitur, quod nos Christiani, qui propria Domini confirmati Passione, & ejus proprio Sanguine redempti, & quorum pravos affectus suo cruore diluere intendit, & sic in Sanguine JESU CHRISTI sanctificati sumus, *expectantes beatam spem & adventum ejus;* quod nos, inquam, cum insipientibus, quasi Deus non esset, nec retroactis sæculis unquam aliquid punitum fuisset, aut bene meritis æterna cœlorum præmia manerent, cum sceleratis senibus Susannam ad peccatum invitantibus, & falso de eodem accusantibus, evertamus sensum nostrum, & declinemus oculos nostros, ut videamus cœlum, neque recordemur judiciorum nostrorum, & ita sæpius, *sicut equus & mulus, in quibus non est*

(c) *Exod.* 34. ℣. 6. (d) *Sap.* 11. ℣. 24. (e) *Psal.* 105. ℣. 11.
(f) *Psal.* 89. ℣. 9.

est intellectus, peccatis gravioribus nos contaminemus, & Creatorem ac Redemptorem nostrum ad iracundiam provocemus. *Deus Judex justus, fortis, & patiens: numquid irascitur per singulos dies? nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* [g] Satis vero nunc nobis in memoriam revocatum existimo, quod Deus, quamvis infinite bonus sit & misericors, & ejus proprium sit misereri & parcere, in hac tamen vita peccata etiam graviter puniat; indeque tam bella, quam aliæ calamitates & adversitates omnes Davidi ab Angelo ob oculos positæ proveniant. Discamus & cum Ethnicis moniti justitiam, & non temnere divos.

Restat nunc, quod Sacerdotes in se conspectius crimen habeant, quo Deus singulariter offendatur, declarare. In quo primo pro meliori omnium nostrum intelligentia, admonitione, & ædificatione diligenter observandum, & cum tota historia annotandum est, hoc verbum, quod locutus est Dominus *Levit.* 10. ℣. 9. *Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi.* Et quod monet *Exod.* 19. ℣. 22. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiam eos.* Quomodo *etiam sit ulciscens in omnes adinventiones eorum*, habetur *Numer.* 20. & ut S. Paulus *ad Thessalon. C.* 4. ℣. 6. affirmat: *Vindex est Deus de omnibus.* Quantum enim ponderet Deus Sacerdotum peccata, liquet ex punitione Heli & filiorum ejus. 1. *Reg. C.* 3. ℣. 11. *& seqq.* ubi ait Dominus: *De Heli faciam verbum, quod qui audierit, tinnient ambæ aures ejus, prædixi enim ei, quod judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem, nec expiabitur iniquitas domus ejus victimis & muneribus usque in æternum.* Ob idipsum arcam capi permisit. Et certe Sacerdotum peccata, dum Divinis Sacrificiis sunt injurii per improbam vitam, graviora esse, & gravius ponderanda, quam aliorum, nulli debet esse dubium; æstimatur enim peccatum non tantum ex natura operis, sed etiam ex conditione & dignitate operantis. Unde non solum propter Sacerdotum peccata ipsi, sed & plebs Dei gravissimis affligitur malis, & exprobrans Dominus improbis Sacerdotibus *Malach. C.* 2. ℣. 8. dicit: *Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege, irritum fecistis pactum.* S. *Bernardus* mala subsequentia *in Sermon.*: *Ecce nos, &c.* hisce paucis expressit: *Quod misera Sacerdotum conversatio sit plebis Dominicæ miserabilis subversio.* Audiamus de similibus *Prophetam Jeremiam Cap.* 10. ℣. 18. *& seqq. Ecce ego longe projiciam habitatores terræ in hac vice, & tribulabo eos ita ut non inveniantur. Væ mihi super contritione mea, pessima plaga mea. Tabernaculum meum vastatum est, omnes funiculi mei disrupti sunt, filii mei exierunt a me, & non subsistunt, non est qui extendat ultra tentorium meum, & erigat pelles meas, quia stulte egerunt Pastores, & Dominum non quæsierunt, propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum dispersus est.* Tempus non permittit hanc Jeremiæ querelam particularius explicare, nec ad longum referre, quod *S. Cyprianus* gravissimam calamitatem, suo tempore Africam depopulantem Sacerdotibus adscripserit; uti *S. Gregorius* sui temporis clades iisdem attribuit hisce verbis: *Quanto mundus gladio feriatur, adspicitis, quibus quotidie percussionibus intereat populus, videtis, cujus hoc nisi nostro Sacerdotum peccato agitur, nos pereunti populo auctores mortis existimus, qui esse debemus duces ad vitam: Ex nostro peccato populi turba prostrata est.* Advertant bene Pastores, quod vir sanctus & tantus Ecclesiæ Doctor dicat & deploret: *Ex nostro*, inquit, *peccato populi turba prostrata est*, quia nostra negligentia ad vitam erudita non est. Quid nunc miramur, si nosmetipsos consideremus, penitiusque inspiciamus tam diuturnam Ecclesiæ persecutionem, gravissimam vastitatem, Catholicorum Provinciis, [dum & ipsi in gremio S. Matris Ecclesiæ uniti Reges hostilibus armis & animis acerrime inter se decertant] incumbentem, Non obmurmuremus de fœlici successu Hæreticorum contra Catholicos, sed cum *B. Hieronymo* fateamur Sacerdotes, nostris peccatis Barbaros & Hæreticos fortes fieri, nostris vitiis Catholicorum superari exercitum. *Si ergo velimus, ut indies oramus, ut pax Ecclesiarum nulla turbetur tempestate bellorum, emendemus in melius, quod vel ignoranter peccavimus, vel per fragilitatem aut malitiam commisimus.* Et examinans se quisque & avertens ab iniquitatibus suis, quas operatus est, studeat habere cor suum immaculatum in justificationibus Domini, ut non confundatur, ac taliter constitutus, *offerat dona & Sacrificia pro peccatis, tanquam Sacerdos placens Deo, qui inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* [h] Certum est enim, quod si abalienati retrorsum, addamus prævaricationes, & manus nostras sanguine plenas teneamus, nec avertamus malum cogitationum nostrarum ab oculis Dei, ita ut juxta *Isaiam C.* 1. ℣. 13. *& seqq. Iniqui sint cœtus nostri*, nos subjacere, per eundem Prophetam jam lata sententia in subsequentibus: *Ne offeratis ultra Sacri-*

(g) *Psal.* 7. ℣. 12. *& seqq.*

(h) *S. Paul. ad Hebr. C.* 1. ℣. 1.

Sacrificium frustra, incensum est abominatio mihi. Calendas vestras & solennitates vestras odit anima mea; facta sunt mihi molesta; laboravi sustinens. Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis: Et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.

De secundo puncto nunc ulterius dicturus, constat omnibus sacrarum Literarum, sanctorumque Patrum documentis, Sacerdotum inter alia proprium esse ad avertendam Dei iram Sacrificium offerre, & pro peccatis populi orare, ita ut sint quasi os commune populi, quo plures Deo loquuntur, & ideo semper in suis publicis orationibus dicunt: *Quæsumus*, & non *Quæso*, *Oremus*, & non *Oro*. *Numer. Cap.* 6. ℣. 22. & *seqq.* Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: *Loquere Aaron & filiis ejus, sic benedicetis filiis Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus & custodiat te, ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui, convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Invocabuntque nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.* Apud Judæos in veste Poderis, quam habebat Pontifex, totus repræsentabatur orbis terrarum, uti per byssum seu linum, terra e qua nascitur, per Zonam Oceanus, terram cingens, & sic de aliis usque ad signa Zodiaci, per duodecim gemmas, ut & Sacerdos meminisset se pro universo mundo deprecatorem, non minus voce ac mente, quam habitu agere debere apud Deum. Sed ne hæreamus in antiquis, venio ad tremendum & Sacrosanctum Missæ Sacrificium, quod continet omnia genera sacrificiorum antiquæ legis, & ut dicit *S. Leo ser. octava de Passione: Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una Corporis & Sanguinis Domini implet oblatio.* De qua *S. Apostolus Jacobus* in Liturgia ait: *Offerimus tibi incruentum Sacrificium pro peccatis nostris, & ignorantiis populi.* Nec aliud est *Missa*, quam *Passionis Dominicæ non solum repræsentatio, sed & mystica & incruenta renovatio.* Quapropter sicut semel patiens, & se in stemmate Crucis æterno Patri offerens, totius mundi peccata in se assumpsit, suo expianda cruore: ita in ipsum tanquam in eandem victimam in altari immolatam, peccata nostra transferimus, ut illa expiare dignetur; quod, ut significet Sacerdos, initio Sacrificii ad altaris gradus descendit, & ibi corpore cernuus, curvis in terram oculis, humilitatis spiritu, æterno se Patri præsentat, quasi totius populi peccatis onustus, ut viscera paterna commoveat; repræsentat porro Christum aut in horto, aut in Crucis bajulatione incurvum, ob peccatorum pondus, ejus humeris impositum, sudore & sanguine perfusum, Patri supplicantem. *Orat ergo ibi*, ex instituto, *in persona Christi Sacerdos pro delictis suis, & omnium circumstantium, pro peccatis totius mundi*, pro quibus pretium sufficiens, semel oblatum in redemptionem, iterum renovatur & offertur, ut jam prosit efficaciter in expiationem. Quod superius de veste Poderis antiqui testamenti dictum, id multo magis meminisse debet Sacerdos novæ legis, personam Christi gerens, si nempe in veste Sacerdotali, Crucis figura signata, portare totum orbem terrarum, (quem & Christus Cruce oneratus portabat, & pro quo se immolabat) ideoque pro delictis totius mundi sibi orandum esse, maxime vero pro illis, qui commissi sunt suæ curæ, quorum nomina inscripta debet continuo gerere in mente. Ipsæ orationes etiam & verba commonent & instruunt Sacerdotem ipsum, non tantum pro circumstantibus, sed & omnibus Christi fidelibus vivis atque defunctis orare in illo tremendo Sacrificio, de quo *S. Gregorius* scribit: *Nemo fidelium dubium habere debet in ipsa immolationis hora, ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, & in illo JEsu Christi mysterio Angelorum Choros adesse.* Cogitet nunc quisque, quanta cordis contritione, & lachrymarum fonte, quanta reverentia & tremore, quanta corporis castitate & animæ puritate, istud Divinum & cœleste Sacrificium sit celebrandum.

Quare ad tertium progrediamur, ut videamus, quales deceat Sacerdotes esse, ut efficaciter orare, & ad eloquium suum corda illorum erigere possint: Qua in materia cum *duo* principaliter sint *consideranda*, Dicam *primo* de istis, quæ Sacerdotem concernunt, quantum ad interiorem hominem formandum erga Deum, ut bene & efficaciter orare possit: *Deinde*, cum Sacerdotium non solum Deum, sed & proximum respiciat, functiones varias habens annexas ad proximi salutem directe ordinatas, quædam afferam de perfectionibus & virtutibus requisitis in Sacerdote, ut fructum valeat in proximis cum effectu bono producere, & ad eloquium suum cor populi erigere. *Quantum ad primum*, non referam hic illa, quæ Deus antiquitus præcepit de lavandis & sanctificandis Sacerdotibus, sed ad nostrum nos convertamus Sacrificium, *in quo Christus tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suavitatis.* (*i*) Uniuscujusque Sacerdotis menti fixum esse debet, quicquid sacri ministerii ab ipso, ex vocatione & consecratione peragitur, illud specialiter Christum æternum Sacerdotem operari. Ipse enim in Sacerdotibus baptizat, absolvit, consecrat, sacrificat, animas justificat, verbum

(*i*) *Ephes.* 5. ℣. 2.

bum vitæ miniſtrat, aliasque functiones peragit. Quapropter oportet, ut Sacerdotes ipſum ſpeciali pietate colant, adorent, adament, ac ſpiritum ejus attrahere conentur, ex cujus virtute, afflatu & directione omnis ſacra functio dependet: nec enim nos illam obire debemus quaſi ex nobis, ſed in illo, & per illum, cujus vices gerimus, cujus perſonam repræſentamus, cujus verbis utimur, cujus munere fungimur. Utique ergo *maledictus erit, qui facit opus Dei fraudulenter & negligenter.* Nec vera fides eſſe videtur in Sacerdote iſto, qui non concipit & demonſtrat magnam reverentiam, ſubmiſſionem & devotionem erga JEſum Chriſtum, adeo ſublimia per ipſius miniſterium operantem, & qui non adnititur omnibus viribus, firma gratiæ & ſpiritus conjunctione velle illi continuo adhærere, cujus eſt vivens & electum inſtrumentum: ſic etiam deficiente fide, aut illa neglecta, extincta eſt charitas, & quæ tum ſpes erit, cum *Dominus unicuique daturus ſit, juxta viam ſuam, & juxta fructum adinventionum ſuarum.* (k) *Sequamur* ergo *Apoſtolum* [l], qui voluit nos eſſe *imitatores ſui, ſicut & ille Chriſti fuit.* Et quicunque hanc regulam juxta eundem Apoſtolum ſecuti fuerint, *Pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſrael Dei. Secundo* proponat ſibi Sacerdos continuo JESUM CHRISTUM verum Deum & hominem, Sacerdotem, & Sacerdotii inſtitutorem, ut pondus cordis, ut centrum ſui amoris, ut ſcopum totius ſuæ intentionis, omnia ſua ad ejus amorem, ad ejus gloriam perfecte referendo, totam vitam, totum affectum illi devovendo, a quo Sacerdotalem unctionem & conſecrationem participavit, ita ut ſit principium, medium & finis omnis devotionis & pietatis, qui eſt principium, medium & finis omnis gratiæ, poteſtatis, omniſque functionis Sacerdotalis. *Accedamus* ergo Sacerdotes *ad illum, qui eſt via, veritas & vita; & hauriamus aquam vitæ & ſalutis de ipſius inexhauſto fonte, aliosque adducamus ut veniant, hauriant, bibant, & non moriantur in æternum, non devient in præcipitium, non decipiantur per mendacium, non pertrahantur in exitium.* Cum enim *leo ille infernalis circumeat, quærens, quem devoret*, ita ut in via, qua ambulabamus, abſcondat laqueum, diligentiſſime attendendum eſt, ut in omnibus functionibus & actionibus ſit pura intentio, quæ eſt radix & fundamentum bonitatis & perfectionis noſtrarum actionum: facile enim vanus aliquis finis ſubrepit actiones etiam ſacras inficiens. Et certum eſt Dœmonem inſidiari non ſolum actionum principiis, quoad intentionem puritatis, ſed & medio, ut illud vanæ complacentiæ fumo commaculet, & fini, ut illum faſtidio bene operandi pervertat. *Sit ergo oculus tuus ſimplex, & totum corpus tuum lucidum erit.*

Tertio Beatiſſima Virgo MARIA eſt Mater ſpecialis Sacerdotum, qui Filium, quem ſemel mundo edidit, fructum vitæ, quotidie reproducunt, ut ſit vere nobiſcum Deus, & idcirco eis materno aſſiſtit affectu, uti legitur non infrequenter Sacerdotibus ſibi dilectis aſtitiſſe. Erga hanc igitur Sacerdotes, qui apud Matrem honoratiorem locum inter cæteros fratres tenetis, menſæ JESU CHRISTI primogeniti aſſidentes, illiusque cibum aliis fratribus partientes, affectum & pietatem continuam fovete, ut digni efficiamini promiſsionibus Chriſti, quo illi devotione ſua erga miſericordiæ Matrem obtinebunt, qui S. Bonaventuræ conſilium ſecuti, ipſius puritatem mente & corpore illibate in ſe ſervando, toto conatu nituntur ei placere, humilitate quoque & manſuetudine ejus veſtigia ſectari.

Quarto Sanctorum etiam omnium invocatio Sacerdotibus ſingulariter cordi eſſe debet, ut eos apud Deum mediatores nanciſcantur, qui e fluctibus erepti & in ſecuro conſtituti, fratribus aliis adhuc periclitantibus auxiliatricem manum gaudent porrigere, ſi invocentur. Illorum vero Sanctorum ſpecialis debet eſſe cultus, & frequens invocatio, qui vel electi a populo, vel a Deo deſignati ſunt loci, in quo verſamur; ſpeciales Patroni & Auxiliatores; Et cum exploratum ſit, ac pro comperto habeatur, tales Patronos Sanctos ſpecialiter aſsiſtere, & locorum iſtorum ac perſonarum curam gerere, cum omni devotionis & humilitatis affectu, invocandi & rogandi ſunt, ut nos protegant, inſtruant, & ad munus noſtrum recte obeundum, S. Spiritus gratia illuminatos deducant. Mane etiam, cum ad opus Dei perficiendum & Divinum Officium peragendum ſurgimus, ſtatim advocandi, nec dimittendi, donec benedixerint. *Clypeo præmunientes a ſagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris; ab incurſu & dæmonio meridiano.* (m) Et ſic Domine, juxta doctrinam *Sapientis* 16. ℣. 28. *prævenire ſolem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.* Coram iisdem Sanctis Patronis etiam ad minimum circa veſperum, quicquid diligenter conſcientiam noſtram examinando reperiemus, Divinæ Majeſtati vel committendo vel omittendo diſplicere potuiſſe, pro venia & emendatione vitæ obtinenda deplorandum, & illuminandi oculi noſtri, ne unquam obdormiant in morte, atque cum *Rege Davide in noctibus extollendæ manus in ſancta, & benedicendus Dominus: Bonum eſt* enim *confiteri Domino, & pſallere Nomini tuo Altiſſime;* ad

(k) *Jerem.* 17. ℣. 10. (l) 1. *Corinth.* 4. ℣. 16. (m) *Pſal.* 90. ℣. 6.

ad annunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Et beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit, sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte. Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursum aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. (n) Isto ergo medio inter cætera bona nos ipsos excitabimus & erigemus ad currendum Sanctorum viam. Quandoquidem *non sufficit, Patroni Ecclesiæ, loci, vel Provinciæ, in qua sumus, implorare auxilium, nisi etiam imitemur exemplum.* Cum enim Divi isti Tutelares nobis virtutum exempla, & vitæ suæ piæ imaginem, tanquam sacram hæreditatem, & speculum morum, in quo profectum & defectum nostrum agnosceremus, reliquerint, si jam in vitiorum præcipitia declinemus, prævia vitæ & virtutis eorum face collustrari, qua via recta gressum figere poteramus, eorum certe non patrocinium, sed potius judicium, & ultio expectanda erit; nec aliud quicquam nobis persuadere debemus, quam quod ipsi *Judices nostri erunt, & ultores,* si scandalo fuerimus plebi ipsorum dilectæ, & impia conversatione animas concreditas in perditionis semitam pertraxerimus. *Udonis Magdeburgensis,* propter admissa, notum credo esse omnibus *supplicium.* De omissis & neglectis considerabile est, quod *Thomas Cantipr.* refert, S. nempe Petrum Apostolum cuidam apparuisse, qui male regebat sibi commissos, nec vocationi, bono exemplo præeundo, ut par erat, satisfaciebat, ipsumque renitentem & se avertentem, coegisse in libro exhibito legere scriptum illud *Ezechielis* 34. *cap. Mortificas animas, quæ non moriuntur, & vivificas, quæ non vivunt,* Quo lecto Apostoli præcepto, quamvis hæreret & horreret, ad glossam procedere debuit, quæ sic in margine habebat: *Quando reduces animas de inferno, quas tuo destitutas exemplo, æterno demersisti supplicio?* Visio hæc propter secutam delinquentis pœnitentiam, fœliciorem, *quam Udonis Magdeburgensis* habuit exitum. Sancti nos quotidie exemplo suo, & per propriam vocationem & conscientiam monent, ipseque conscientiæ vermis, qui non nisi cum ipso peccato supprimendus, continuo nos rodit & affligit, *& tamen viam mandatorum Domini, præeuntibus sanctis Patronis, & ad deducendum se offerentibus Ss. Angelis non currimus.* Omnia ista nobis bene ponderanda, & cum vocatione ac vita nostra conferenda, *non ad obdurandum corda nostra, neque ad excusandas excusationes in peccatis, sed ut ploremus coram Domino, ad confitendum Nomini ejus, & faciendos fructus dignos pœnitentiæ.* Quod de Ss. Patronorum invocatione dictum, idem de Ss. Angelis observandum.

Quinto, uti reperietur in documentis S. *Caroli Borromæi, alant Sacerdotes perpetuum animi quendam ardorem erga Divina, zelumque gloriæ Dei, & salutis animarum; tanquam ignem sacrum ad sacras actiones necessarium.* Et sint juxta *Apostolum ad Roman.* 12. ℣. 12. *Solicitudine non pigri: spiritu ferventes, Deo servientes, ne tepidos Dominus incipiat evomere ex ore suo.* Postquam igitur talis fuerit Sacerdotum conversatio in cœlis, ut illa, quoad interiorem hominem erga Deum formati sint, Dominum sanctificari, accedent, & non percutientur, vultum vero ejus deprecabuntur, & declaratione sermonum ejus illuminati, intellectum dabunt parvulis, & aliorum corda ad eloquium suum cum fructu & bono totius Christianitatis erigent, hoc est efficaciter orantes, bene alios quoque instruent & docebunt. Cum vero omnium Divinorum, uti asserit *S. Dionysius,* (o) sit *Divinissimum, Deo cooperari in salute animarum,* resuscitantes gratiam, quæ est in nobis, per impositionem manuum Presbyterii. Discamus a *S. Paulo* Doctore gentium, qualiter pro munere isto Sacerdotibus rite obeundo in publico comparendum. *S. Apostolus in Epist. ad Timoth.* instruens hac in materia Sacerdotes præscribit, ut *in omnibus se ipsos præbeant exemplum bonorum operum:* Sunt enim *Sacerdotes vere a Deo supra candelabrum positi,* & *sic lucere debent, ut alii videant ipsorum bona opera, & glorificent Patrem, qui in cœlis est.* Adnitantur igitur omnibus viribus lampades suas oleo solidarum virtutum, unde lux & bonus spiret odor, taliter adimplere, & ut oleum istud nunquam deficiat, & prioribus, quæ de formando interno homine erga Deum dicta sunt, cum inde dependentibus, sancte observatis, ex flore humilitatis, mansuetudinis, castitatis, patientiæ, abstinentiæ, aliarumque virtutum perfectum liquorem dilectionis Dei & proximi exprimant, & in cordibus suis ad prælucendum aliis continuo alant & conservent, & juxta præceptum *S. Pauli* (p), *Sint pudici, non bilingues, non vino multo dediti, habentes mysterium fidei, in conscientia pura, ad orandum & docendum,* & sic prodeant & ministrent, *nullum crimen habentes, & nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium ipsorum.* Isto enim modo super ipsos afflorebit sanctificatio Dei, ut alii edocti vias ejus, & cogitantes vias proprias convertant pedes suos in testimonia ipsorum. Et certe, juxta *S. Carolum Borrom. Nescimus*

(n) *Psal.* 1. ℣. 1. *& seqq.*
(o) *De cælesti Hierarch. cap.* 3.
(p) 1. *ad Timoth.* 3. ℣. 8. *& seqq.*

mus, cujus sit pretii apud Deum unius Sacerdotis boni vita. Væ autem illis, de quibus dicitur apud *Matth.* (q) *Quia clauditis regnum cælorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Quod de Presbyteris & Pastoribus dicendum, qui spreta virtutum semita, suis proximis & Parochianis se adeo vitiis, moribusque monstruosos & deformes exhibent, ut & illos a Templo, Divino Officio, & Christiana doctrina, cum persona, & interdum propter personam, abhorrere, & alios a recto tramite & via mandatorum Dei, quam verbo & exemplo monstrare deberent, seductos perire faciant; qui, si in Presbyteris & Parochis exempla virtutum & lumen aliquod viderent, jam & ipsi admoniti & illustrati, multo facilius corrigerentur, & deducti in semitam mandatorum Domini, inclinarent cor suum in testimonia ejus, & ita in pietate a suis Pastoribus exercitati, *Acciperent benedictionem a Domino, & misericordiam a Deo salutari suo. Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.* Nec dubium esse debet, Presbyterorum, Parochorum, & Clericorum mala vita, perversis moribus, negligentia in docendo, increpando, corrigendo & præeundo, quam plurimis æternæ damnationis dari causam. Qua de re terribile est, quod *Thomas Cantiprat. refert anno* 1248. Parisiis coram Clero & omni populo contigisse: Cum enim quidam ab Episcopo munus prædicandi in *Synodo* suscepisset, & non modicum angustiaretur, quidnam dignum posset coram tot Prælatis proponere, & in oratione jaceret, venit ad eum diabolus, & dixit ei: *Quid angustiaris istis Clericis prædicare, dicas eis istud, & non aliud: Principes infernalium tenebrarum, Principes Ecclesiæ salutant: læti omnes nos gratias eisdem referimus, quia cum ipsis eorum nobis afferuntur subditi, & per eorum negligentiam ad nos devolvitur totus pariter fere mundus: Invitus quidem tibi dico, quod dico, sed Altissimi jussione coactus.* Respondit Clericus: *Mihi quidem, si eis hæc retulero, non credent.* Tum diabolus tangens maxillam ejus: *Ecce, ait, signum nigredo insolita faciei: hanc, antequam prædices, non contingas, quia frustra, post prædicationem vero, aqua benedicta delebis.* Processit ergo Clericus in *Synodo* prædicaturus, & admirantibus cunctis, in signo indito faciei; tantum illa, quæ sibi jussa sunt, recitavit, & ad horrorem maximum cunctorum corda permovit.

Renovemur itaque *spiritu mentis nostræ, & induamus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* (r) Id est, in sanctitate vera & solida, non fucata, non larvata, non inani. *Ut veritatem facientes crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, & habitabit nobiscum, bene dirigentes vias nostras, & studia nostra.* (s) Plura alia, uti de arbore infructuosa, & aliis circa materiam propositam dicenda essent, sed ne vos Venerabiles Consacerdotes sermone meo diutius detineam, ipsi scitis, & ex antedictis facile inferetis & concludetis, quod ex nobis, qui sumus Presbyteri in populo Dei, pendeant animi illorum, & quod ad eloquium nostrum, pro moderno Ecclesiæ, hujus Patriæ, totius Imperii & Christianitatis deplorando statu, corda omnium taliter erigi debeant, juxta consilium *Judithæ* viduæ sanctæ: Ut *humiliemus illi animas nostras, & in spiritu constituti humiliato, servientes illi, dicamus flentes Domino, ut secundum voluntatem suam, & sicut conturbatum est cor nostrum in superbia hostium, ita etiam de nostra humilitate gloriemur.* Et sic unusquisque cum *Regio Propheta* (t) confidenter dicere & orare possit: *Ad te levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam. Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte universa delicta mea, quoniam tu populum humilem salvum facies, & oculos superborum humiliabis.* (u) *Illumina lucernam meam Domine Deus, illumina tenebras meas, & perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* [x] *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum, sisque memor sacrificii mei, & holocaustum meum pingue fiat; ut lætati omnes pro diebus, quibus nos humiliasti annis, quibus vidimus mala, digne* juxta *Apostoli* obsecrationem, *in vocatione nostra ambulemus.* [y] De qua *S. August. serm.* 15. de verb. Apostoli: *Proficite fratres mei, discutite vos sine dolo, sine adulatione, sine palpatione. Non enim est aliquis intus tecum, cui erubescas & jactes te, est ibi, sed cui placet, humilitas te probet, proba & te ipsum tu, semper tibi displicens quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris sufficit, & periisti; semper adde, semper ambula, semper perfice.* Et ut monet Cardinalis *Bellarminus: Cogitemus frequenter, quid Deus a nobis, & nos ab illo velimus, ac demum quæ impediant, quo minus illa assequamur, & viam mandatorum ejus, juxta Ss. Patronorum exempla ingrediamur & teneamus. Sint oculi nostri semper ad Dominum, ut ipse evellat de laqueo pedes nostros, & de necessitatibus eruat nos. Os nostrum aperiat, ut spiritum ejus attrahamus,* ut

(q) *Cap.* 23. ℣. 13. (r) *Ad Eph.* 4. ℣. 23. (s) *Ad Eph.* 4. ℣. 15.
(t) *Psal.* 24. ℣. 1. (u) *Psal.* 19. ℣. 4. (x) *Psal.* 89. ℣. 15.
(y) *Psal.* 24. ℣. 15. 17, *Ephes.* 3. ℣. 14.

ut digne & competenter Evangelium annunciemus, & ita Sacerdotes Domini induantur justitia, & Sancti ejus exultent.

O JESU Pastor bone, reduc erroneos, da Domine Deus misericordiam miseris, indulgentiam criminosis, vitam mortuis, justificationem gratiæ induratis. O Pater Clementissime, revoca fugientes, trahe renitentes, erige cadentes, suscipe redeuntes, tene stantes, conduc ambulantes, ne obliviscaris te obliviscentes, ne deseras te deserentes. Hujus rei gratia semper in precibus *flectamus genua nostra ad Patrem Domini nostri JEsu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, ut det nobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari, per Spiritum ejus, in interiorem hominem; Det etiam scire supereminentem scientiæ claritatem Christi, ut impleamur in omnem plenitudinem Dei. Ei autem, qui potens omnia facere, superabundanter, quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem, qua operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo JEsu in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen.*

Absoluto sermone, Notarius hujus Synodi suprad. legit omnium nomina, & responderunt *Adsum*, & juxta Serenissimi clementissimam Ordinationem, exhibitæ sunt ab omnibus in scripto querelæ, excessus & defectus, atque absentes diligenter notati sunt.

Post hæc Reverendissimi Domini Commissarii, cum Reverendissimis Dominis Prælatis & Canonicis majoris Ecclesiæ iterato processerunt ad domum Capitularem minorem, de occurrentibus quibusdam causis & querelis, nec non Decretis infra insertis tractantes & concludentes.

Exinde promulgata sunt per Reverendissimum designatum Suffraganeum, & in Spiritualibus Vicarium Generalem, & hujus Sacræ Synodi Compræsidem, *Bernardum Frick*, Ss. Theologiæ Doctorem, Collegiatæ & ruralis Ecclesiarum respective Præpositum, Canonicum & Thesaurarium,

DECRETA SYNODALIA

SERENISSIMI ac REVmi PRINCIPIS ac DOMINI, D. FERDINANDI, *Electoris & Archi-Episc. Coloniensis, Episcopi & Principis Paderbornensis, &c.* *Domini nostri Clementissimi.*

FERDINANDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA Electus & Confirmatus Archiepisc. Coloniensis, S. R. Imp. per Italiam Archi-Cancellarius, & Princeps Elector, Episcopus Paderbornensis, &c. &c. Universis & singulis Abbatibus, Præpositis, Decanis, Abbatissis, Prioribus, Archi Diaconis, Capitulis, Conventibus, Cathedralis & Collegiatarum, Regularium & Sæcularium, Parochialiumque Ecclesiarum, & Divinorum Rectoribus, totique Clero, Clericis, Notariis & Tabellionibus publicis, quibuscunque per Civitatem & Diœcesin nostram Paderbornensem ubilibet constitutis, Salutem in Domino sempiternam.

CUm ex singulari DEI gratia & misericordia, ad Ecclesiarum Nobis subjectarum disciplinam rite constituendam, atque ad Cleri ac plebis Nobis commissæ salutem promovendam, adeoque ad totius Pastoralis muneris nostri functionem pro virili exequendam, juxta S. Concilii Tridentini præscriptum, ac Ss. Canonum sanctiones, Synodum Diœcesanam, multis jam annis intermissam, & 8. Martii, qui fuit Martis, post Lætare, *in Cathedrali Ecclesia nostra more Majorum nostrorum rursum celebratam, ad pristinam observantiam in Domino redegerimus (visum Nobis fuit in eadem de Venerabilis Capituli nostri consensu ac beneplacito decernere, definire, ac præcipere; prout per præsentes decernimus, definimus, ac præcipimus.*

Videlicet: Ut vos Prælati, Capitula & Conventus, ad quos subditorum vestrorum correctio & reformatio, de jure vel consuetudine spectat, & pertinet, vobis immediate subjectos corrigatis, reformetisque, atque hujusmodi correctionem & reformationem infra mensis spatium faciatis, & cum effectu adimpleatis, alioquin eorum corre-

correctio & reformatio ad Nos tanquam Superiorem devolvetur.

Mandantes omnibus & singulis Religiosis, cujuscunque Religionis, aut Ordinis fuerint, ne ipsi, aut aliqui ipsorum intra septa Monasteriorum suorum, aut extra ea, mulieres aut personas suspectas secum habeant, aut foveant; habitumve suæ Religionis sive Professionis temere dimittant. Alias vero vestitum sui Ordinis in publico, juxta professionis suæ Regulam, (sine gravi causa, & absque Superioris sui præscitu) deferre negligentes, & contra votum, & sanctitatem suæ Regulæ se seculo ingerentes, excommunicationis sententiam de facto incidisse, per præsentes declaramus.

Et quod Moniales de suis Cœnobiis, sive Monasteriis sine rationabili causa, a Vicario in Spiritualibus Generali prius cognita, atque in scriptis approbata, & manifesto consensu Superioris sui non exeant, sed Superior earum ipsas sub diligenti clausura & custodia habeat & teneat: Serioque interdicimus, ne personæ Ecclesiasticæ vel Sæculares, utriusque sexus, nisi ex necessaria causa, & obtenta in scriptis, vel a supradicto Vicario nostro in Spiritualibus, aut a Superioribus Ordinis licentia, & honesto cum comitatu Monasterium Monialium intrent, sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ tam ab intrantibus, quam ab introducentibus. Neque etiam quisquam Regularium, Monialium confessiones audiat, aut iisdem Sacramenta aliqua administret, nisi prius a Nobis, aut Vicario nostro in Spiritualibus Generali idonei judicati, atque in scriptis fuerint approbati.

Insuper omnibus & singulis Ecclesiastici Ordinis & Status hominibus, Canonicis & Beneficiatis præcipimus & mandamus, ut in Ecclesiis, Capellis & Beneficiis suis, curatis & non curatis, secundum fundationes eorum resideant, nisi ex rationabili causa cum ipsis a Nobis, aut Vicario nostro Generali fuerit dispensatum.

Regularium & Religiosorum castimoniam æmulantes, fœdum concubinatus, aut incontinentiæ vitium evitent omnes, nec ullas personas quoquo modo suspectas intra vel extra domum residentiæ suæ foveant, sed longissime a se abdicent, sub pœnis in Concilio Tridentino contra eosdem comprehensis.

In incessu & habitu decenti, non deformi, nec nimis brevi, sed aliqualiter talari, ut a Laicis dignosci possint, semper incedant; neque in Ecclesiis, immunitatibus, sepulturis, aut publicis consessibus, quoad fieri potest, absque habitu Ecclesiastico compareant.

Sacerdotes Missam celebraturi ita amictum accommodent, ut nihil de collari tempore Missæ videri possit; idemque facient Ministrantes. Atque ut eadem inter omnes sacrorum rituum ac cæremoniarum sit observantia, volumus, ut omnes Sacerdotes, atque ad Sacerdotium aspirantes, Missalis Romani Rubricas habeant, & juxta easdem publice ac privatim Missas celebrent.

Divinis diligenter intersint, Officium diurnum & nocturnum in Missis, & Horis Canonicis, secundum laudabiles Ecclesiarum suarum consuetudines, ac universalis Ecclesiæ ordinationes, decenti reverentia & devotione peragant; ita, ut in his peragendis unus per alium se non excuset.

Nemo etiam, dum Divinorum Officia in Ecclesia aut Choro publice decantantur, Horas suas privatim, aut singulariter legere, aut quemcunque librum occupare, aut insimul, ac cum aliis confabulari, aut colloqui, aut literas quasvis legere præsumat. Sed simul omnes easdem non cursim nec festinanter, sed tractim, servatis intervallis decentibus, nequaquam sublato in altum clamore, ratione temporum servata, Deo pie, & alacriter, spiritu ac lingua psallentes, modulentur, ac persolvant, quod, ut exacte fiat, Prælati, quibus hoc incumbit, diligentissime advigilabunt.

Neque tempore Divinorum in Ecclesiis, sine religiosa veste per ipsas evagando, aut vana & inutilia colloquia conferendo sedeant, vel spaciando deambulent, sicque in morum & vitæ hone-

honeſtate laudabiliter ſecundum ſacrorum Canonum, Statutorumque Provincialium & Epiſcopalium diſpoſitionem & ſanctionem ſe regant, & gerant, ut operum ſuorum, & rectæ vitæ bono exemplo ſubditis, & ſimplicioribus iter ſalutis oſtendant.

De exceſſibus commiſſis & perpetratis DEO Optimo Maximoque, & Nobis rationem reddituri; alioquin (ne ſanguis eorum de manibus noſtris requiratur) ad declarationem pœnarum & cenſurarum in dictis ſacris Canonibus, Statutisque Provincialibus contentarum, arctius, prout de jure poterimus, procedemus, & procedi faciemus.

Præterea Vobis omnibus & ſingulis Divinorum & Eccleſiarum Rectoribus, cæterisque Presbyteris & Clericis quibuscunque Nobis ſubjectis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis ſententiæ pœna mandamus, ne per Vos, vel alios Clericos peregrinos & ignotos, ſine noſtris, aut Vicarii noſtri in Spiritualibus Generalis commendatitiis, & ſpeciali licentia ad celebrandum Miſſas, ſive Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrandum admittatis, vel quis veſtrum admittere præſumat.

Item, ne quis Religioſos quoscunque ad regendum Eccleſias, ſeu officiandum Beneficia, per ſæculares Presbyteros regi ſolita (niſi ex gravi neceſſitate, & aliis omnino deficientibus) admittat.

Et quod quivis Ordinandus, aut Ordinatus, primam Miſſam ſine authoritate & licentia noſtra, aut Vicarii noſtri Generalis non celebret.

Qui vero in aliena Diœceſi Ordines ſuſceperunt, ad miniſterium & executionem Ordinum, quos ſe habere aſſeverant, non admittantur, niſi de ſuſceptis Ordinibus, legitimis documentis coram Nobis, aut Vicario noſtro Generali fidem fecerint, & teſtimonium obtinuerint.

Per negligentiam veſtram nullus infans ſine Baptiſmo, & adultus ſine Communione pereat. Baptiſteria & vaſcula pro ſacris Hoſtiis ſint munda.

Parvulos quoque ſeu Catechumenos extra Eccleſias, & privatis in locis, niſi neceſſitate ingruente, nemo baptizare præſumat. Unusque Patrinus in Baptiſmate & Confirmatione tantum, ſive vir, ſive mulier, juxta S. Concilii Tridentini, & ſacrorum Canonum (a) inſtituta, vel ad ſummum unus & una, baptizatum de Baptiſmo, & confirmatum de Confirmatione ſuſcipiant.

Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum pro ægris communicandis, diligenter ac reverenter aſſervetis; & candelæ ardentes, cum omni reverentia, ante illud (cum ſit ſplendor lucis æternæ) nec non ſacra Olea ad fontem Baptiſmatis, aut ægros, per Civitates aut Pagos deportentur. Eademque ſub debitis clauſuris per vos prudenter & decenter cuſtodiatis, & ſimili modo in veſte Clericali, ſuperpelliceo, & ſtola deferatis.

Verbum Dei pure & ſinceriter in omnibus Diœceſis noſtræ locis annuncietis: ſingulis diebus Dominicis ante Miſſam, aquam, qua populus aſpergatur, benedicatis, ad quam proprium vas habeatis.

Sacroſanctum Miſſæ Officium, in quo immenſum Redemptionis humanæ beneficium, & ſummum illud, tremendumque Chriſtianæ Religionis Myſterium recolitur, ſingulis Dominicis ac Feſtis diebus, nec non feria tertia de S. Liborio Patrono, feria quarta de Ss. Angelis, ſexta de S. Cruce, & Sabbato de Domina noſtra, niſi feſtum aliquod impediverit, omni reverentia, devoto animo & geſtu corporis, celebretis, nec non ſimplicem plebem de uſu & fructu hujus Myſterii plene erudiri præcipimus.

Corporalia mundiſſima ſint. Altare ſit coopertum mundis linteis, ſaltem tribus diverſis, & deſuper nihil ponatur, niſi Reliquiæ, & res ſacræ, & pro Sacrificio opportunæ. Nullus etiam extra Eccleſiam in locis non conſecratis celebret.

Et ne quis Introitum, Kyrie eleyſon, Cantica, videlicet: *Gloria in excelſis Deo*, *Credo in unum Deum*, *Præfationem*, aut *Dominicam Orationem*, *Sanctus*, &

(a) Seſſ. 24. c. 2. de Refor. de Conſ. d. 4. c. Non plures.

& *Agnus Dei*, in Officiis Miſſarum, ex quibuscunque cauſis abbreviet, omittat, vel diminuat; ſed ea cum ſolemnitate, juxta Statuta Baſilienſis Concilii ſervet & adimpleat. Dicaturque in ſingulis Miſſis poſt Complendam, vel finem ultimæ concluſionis: *Et famulum tuum Antiſtitem noſtrum N. & omnes ſibi commiſſos ab omni adverſitate cuſtodi: pacem tuam noſtris concede temporibus, & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam.*

Dies Feſtos & Dominicos, nec non Eccleſiæ jejunia rite populo denuncietis.

Catechiſmo, ſive doctrinæ Chriſtianæ docendæ ſedulo operam detis. Litanias Lauretanas ante legi aut cantari, & Roſarium B. V. MARIÆ poſt Catechiſmum devote orari curetis.

Libros, in quibus vobis animarum commiſſarum ſtatus, Baptizatorum, Confirmatorum, Copulatorum & Mortuorum nomina conſcribantur, omnes habeatis.

Sacellanos, qui ad hoc obligati eſtis, idoneos absque mora aſſumatis.

Hoſpitalia pro pauperibus fundata recte & debite adminiſtrentur.

Singulis quatuordecim diebus Confeſſariis in ſacra hac Synodo deputatis & approbatis, minimum peccata veſtra confiteamini.

In Parochiis veſtris reſideatis & habitetis.

Veſtem Clericalem, biretum, & ſuperpelliceum habeatis.

Summam aliquam Caſuum conſcientiæ, vel Toleti, vel Antonii Fernandes, vel alterius, ad reſolvendos occurrentes caſus: item Conciones aliquas, aut P. Schereri, aut Lommeſſen, aut P. Matthiæ Fabri Soc. JESU jam recenter editi, aut alterius cujuspiam, quo in concionibus formandis utamini, habeatis. Unus tamen inſtar omnium eſſe poterit, Hortus Paſtorum R. D. Jacobi Marchantii, viri præſtantiſſimi & doctiſſimi.

Ægros communicetis & inungatis: ut Sacramentum hoc Extremæ Unctionis hactenus a multis neglectum, ad priſtinum uſum, vigoremque revocetis.

Vigilias quoque mortuorum, memoriasque in Eccleſiis veſtris fundatas, ne negligatis.

Orationes decem horarum, juxta præſcriptum noſtrum, in Eccleſiis deſignatis, pro bellis avertendis, & pace ac Principum Chriſtianorum concordia impetranda ſedulo obſervetis. In aliis Litanias & Orationes præſcriptas devote oretis.

Controverſias, ſi quas habetis inter vos & ſubditos veſtros, pacifice componatis; vita ac converſatio veſtra ſit irreprehenſibilis.

Sub iisdem etiam ſententiis, cenſuris & pœnis mandamus moneri omnes & ſingulos utriusque ſexus Parochianos veſtros, ne ex eis aliqui contra ſacrorum Canonum, S. Concilii Tridentini, & Statutorum Provincialium prohibitionem, ſe clandeſtine copulari procurent: ſed ſi aliqui ex prædictis veſtris Parochianis clandeſtine, & absque proclamatione copulari deſideraverint, quod hujusmodi copulationes non fiant, ſive celebrentur, niſi de noſtra, aut Vicarii noſtri in Spiritualibus Generalis licentia & conſenſu ſpeciali.

Proclamationes autem extra noſtram licentiam copulandorum obſervabuntur modo infra ſcripto. Videlicet: quod hujusmodi copulandi ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtivis, in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publice denuncientur, (*b*) inter quos Matrimonium ſit contrahendum, ut impedimenta, ſi quæ forſan latitarent, in lucem deducantur. Neve illuſiones circa Matrimonii Sacramentum contingant: diſcatis etiam exacte gradus prohibitos, conſanguinitatis, & affinitatis, cæteraque impedimenta in Agenda noſtra Paderbornenſi dilucide expreſſa, neque aliquos in gradibus prohibitis copuletis; illaque omnia, quæ a S. Concilio Tridentino ordinata, & a Nobis

(*b*) Conc. Trid. Seſſ. 24. de Reform. Matrim.

bis specialiter recepta sunt, firmissime observetis.

Resignationes quoque Beneficiorum, in præjudicium & fraudem Ordinariorum, sub pactis sive illicitis promissionibus (ut permutationes in jure permissæ) minime perficiantur.

Et ne quis aliquem de subditis Paderbornensis Diœcesis ad externa loca, sive judicia evocet, aut evocari instet ac procuret, sed si quis contra quemcunque Diœcesanum Paderbornensem, actionem seu causam aliquam Beneficialem, Matrimonialem, Profanam, Civilem, Criminalem, meram aut mixtam movere intendat, illam in prima ejus instantia coram Judice competente, intra limites Paderbornensis Diœcesis constituto instituat, ac juris tramite legitime prosequatur.

Et ne vana & fœda colloquia, clamores sive rumores quovis modo in Ecclesiis & cœmiteriis fiant: ideoque mercimonia & mercantias ibidem sub Divinorum Officiis penitus prohibemus.

Præterea omnibus & singulis supra scriptis inhibemus, ne quis (nisi necessitatis tempore) tabernas publicas intret, Tabernarii officium assumat, & ad æquales haustus bibat, sive quemque cogat; sed omnia sobrie, caste, pie, devote, cum vero Dei timore, proximi ædificatione, in animarum salutem, juxta Capitula in Statutis Provincialibus Moguntinensis Provinciæ contenta, una cum præmissis, & quolibet præmissorum, firmiter teneri & observari volumus & mandamus.

Et ne memoriæ excidant, jubemus ultra præscripta, ac mandamus, ut unusquisque vestrum Statuta hæc Synodalia in præsenti impressa quantocitius sibi procuret, memoriæ commendet, ac ut pupillam oculi sui observet.

Cum comminatione, quod contra rebelles & contumaces arctius, prout de jure poterimus, procedemus, & procedi faciemus.

Insuper ut differentia inter præsentes & absentes habeatur, mandamus, ut nullus Prælatus aut Presbyter curatus, qui huic concioni, & sanctæ Synodo interfuerunt, recedant, quin nomen suum per Notarium nostrum fideliter registrari procurent: sumus enim contra contumaces processuri.

Quare & omnes, ac singulos, qui de jure vel consuetudine hujus sanctæ Synodi celebrationi interesse tenentur, absentes (licet in Civitate præsentes) contumaces reputamus, monentes eosdem, & per vos moneri præcipientes, ut infra quindecim dies post executionem, seu publicationem præsentium, sub suspensionis pœna, suas coram Nobis, aut Vicario nostro in Spiritualibus Generali expurgent contumacias. Alioquin quindecim dictis diebus effluxis, omnes & singulos contumaces & rebelles suspensionis pœnas, & sententias incidisse declaramus. Insuperque suspensos teneri, ac denunciari volumus, donec aliud a Nobis, aut nostro in Spiritualibus Vicario Generali receperitis in mandatis.

In quorum omnium fidem ac testimonium præsentibus manu nostra subscriptis, Secretum nostrum subimprimi jussimus. Datum Bonnæ, die 1. *mensis Martii, anno* 1644.

Ferdinandus.

(L.S.)

EVERARD. RICHARTS.

His Decretis de Serenissimi & Reverendissimi Electoris Archi-Episcopi Coloniensis, & Episcopi Paderbornensis mandato, ejusdemque Venerabilis Capituli beneplacito, addita sunt ea, quæ sequuntur, inviolabiliter observanda.

De Beneficiis, Vicariis, Commendis, Hospitalibus, & Eleemosynis sub quocunque etiam nomine aut titulo erectis.

INsuper nomine, & authoritate Serenissimi & Reverendissimi Archi-Episcopi Coloniensis, Principis Electoris, Episcopi Paderbornensis, Domini nostri Clementissimi, omnibus Pastoribus, in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut proxima futura Synodo Parochiarum suarum, omnium Beneficiorum

ciorum in Parochialibus Ecclesiis, aut limitibus Parochiæ suæ fundatorum, Commendarum & Vicariarum, Hospitalium & Eleemosynarum, sub quocunque etiam nomine erectæ sunt, titulos, reditus, etiam alienatos, fundationes, Possessores, & quo in loco iidem degant, Collatores, Patronos, sive Ecclesiasticos, sive Sæculares, atque alias quascunque informationes, quas habere ullo modo poterunt, in authentica forma Nobis exhibeant.

De Examinatoribus & Examinandis.

PRæterea, ut nemo, nisi bene qualificatus & probatus in futurum sive hic, sive alibi ad sacros Ordines quoscunque promoveatur, de beneplacito Serenissimi Principis nostri, & Reverendissimi hujus Capituli assensu deputati sunt certi Examinatores, qui statuto ad hoc die ac tempore ordinandos omnes examinent, antequam ad sacros Ordines admittantur. Indignos ab iisdem, quacunque humana affectione postposita, diligenter arceant, de iisdem coram Deo rationem reddituri.

De recipiendis curam animarum.

NEc quisquam, sive Sæcularium, sive Religiosorum animarum curam præsumat suscipere, aut susceptam administrare, nisi prius speciali Ordinarii, aut ejus Vicarii Generalis licentia & approbatione in scripto obtenta.

De Confessariis.

QUia, proh dolor, in multis notatur, quod raro conscientiam suam a peccatis expurgent, & tunc tales Confessarios quærant, qui minime ad illos audiendos, ne dicamus absolvendos, approbati sunt, ut cœcus quasi cœcum ducat, donec ambo in foveam cadant. Hinc plena deliberatione habita in hoc Concilio decernimus, ut quivis Sacerdos curatus, & non curatus juxta Serenissimi Principis nostri Decreta, designatis temporibus, peccata sua diligenter ac integre cum debito dolore confiteatur, & talem Confessarium eligat, ut sibi & Deo unitus in officio suo per Dei gratiam melius contineatur.

De venientibus ad Synodum.

DEmum, ut deinceps certo constet, quinam ad Synodum veniant, pridie diei pro Synodo constitutæ, omnes ad Civitatem accedentes, Promotoribus officii Archi-Diaconalis sese præsentabunt, & nomina sua inscribi curabunt, indicantes, ad quem pernoctandi causa divertant.

Post Decretorum promulgationem idem suprad. designatus Suffraganeus, tanquam Præpositus ruralis Ecclesiæ S. UDALRICI Episcopi & Confessoris, Festa mobilia in Choro & foro celebranda publicavit, & futuram Synodum indixit.

Publicatio Festorum mobilium,
ex Pontificali Romano.

NOveritis, Fratres charissimi, quod annuente Dei misericordia, sicut de Nativitate Domini nostri JEsu Christi gavisi sumus, ita & de Resurrectione ejusdem Salvatoris nostri, gaudium vobis annunciamus. Specialiter igitur ante omnia notandum est: Festum Annunciationis Beatissimæ Virginis MARIÆ, quod in 25. diem Martii (quæ est Parasceve Domini) incidit, anticipato solenniter esse celebrandum, videl. 16. ejusdem mensis Martii, quæ erit feria quarta ante Dominicam Palmarum, propter Indulgentias in hac Cathedrali Ecclesia lucrandas. Prout die 27. dicti mensis Martii, sanctum Pascha Domini nostri JEsu Christi cum gaudio celebrabimus. 5. Maji erit Ascensio Domini nostri JEsu Christi, 15. Maji Festum Pentecostes, 26. ejusdem Festum Sacratissimi Corporis Christi, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Indictio futuræ Synodi.

ALiam præterea futuram Synodum nomine, & authoritate Serenissimi & Reverendissimi Archi-Episcopi Coloniensis & Principis Electoris, ac Episcopi nostri Paderbornensis FERDINANDI Domini nostri Clementissimi indicimus juxta S. Conc. Trid. Sanctionem, alias in die S. Galli, cujus Festum in Dominicam incidit, celebrari solitam, iterum haben-

dam hoc eodem anno Millesimo, sexcentesimo, quadragesimo quarto, die 18. mensis Octobr. in Festo S. Lucæ Evangelistæ, quæ erit feria tertia post Dominicam 21. Trinit. nisi aliqua ex causa illam prorogari ad vos datis literis, aut alias per Edictum publicum intellexeritis.

Et postmodum in pace dimissi sunt omnes cum hac conclusione.

CONCLUSIO SYNODI.


AD laudem igitur DEI Omnipotentis, Beatissimæ Virginis MARIÆ, S. Liborii Episcopi & Confessoris, Patroni nostri, ac aliorum nostrorum Protectorum, decernimus Synodum dimissam: ac propterea cuique eundum esse ad proprias Ecclesias. Hortamur autem omnes Vos Fratres charissimi, ut oretis sedulo pro vita Sereniss. ac Reverendissimi Archi-Episcopi Coloniensis, Principis Electoris, & Episcopi Paderbornensis, Domini nostri Clementissimi FERDINANDI, ut sint dies ejus, sicut dies cæli super terram; & ut det Dominus virtutum nobis, & illuminet oculos nostros, ut vivamus sub umbra Reverendissimæ Serenitatis Suæ, & serviamus Ei multis diebus, & inveniamus gratiam in conspectu Ejus. Deinde rogamus & monemus omnes in Domino, ut tales vos præbeatis in ministerio vestro, quales maxime decet Sacerdotes, ab omni mundanorum cura segregatos. Illudque maxime cum redieritis præstandum erit, ut populus omnis vos ab hac Synodo non mediocrem fructum reportasse intelligat. Id fiet, si novo Spiritus Sancti lumine illustrati, quæ magna Synodorum est vis & virtus, cæteris in omni opere vestro in posterum prælucere studueritis, & in omni parte officii vestri omnem diligentiam adhibueritis. Quod omnibus nobis præstare dignetur Sanctissima Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Cui est honor & gloria in sæcula, Amen.

Exierunt primo loco Reverendissimi Domini Commissarii, Prælati, & Canonici Cathedralis Ecclesiæ, deinde Abbas Abdinghoffensis, cæteris absentibus, Canonici, Vicarii, Pastores, Beneficiati, & universus Clerus.

Atque interea in Choro Vesperæ cantatæ sunt.

FINIS.

Typis Haberianis, Paderbornæ b. a. 1644.



SYNODUS PROVINCIALIS BISUNTINA,

Anno Christi MDCXLVIII. Innocentii X. Papæ V. Ferdinandi III. Imp. XII.

DIE 19. MAJI

Sub Revmo D. CLAUDIO d'ACEY, (*) Bisuntino XCIII. Archiepisc.

HABITA,

IN QUA SEQUENS EMANAVIT

CONSTITUTIO SYNODALIS.

QUia exigit a Nobis debita S. Sedi Apostolicæ obedientia, ut cum ea, qua par est, sedulitate & diligentia doctrinas ab ea, velut cæterarum Ecclesiarum Matre, damnatas, damnamus & Nos, vel sic Majorum vestigiis inhærentes, quorum mentibus ab ipsis Fidei incunabulis alte impressa versus eamdem, ne dum in maximis, quin & in minimis fuit reverentia. Hinc emanatam a felicis recordationis URBANO VIII. Summo Pontifice Constitutionem, quæ incipit: In eminenti Ecclesia, *& qua Cornelii Jansenii liber, cui Titulus:* Augustinus, *legi, aut etiam a non legentibus servari districte prohibetur propter damnatas in opere ejusmodi opiniones, Apostolicis prædicti URBANI PP. VIII. quemadmodum & promulgatis a S. D. N. INNOCENTIO PP. X. ea de re Decretis parere cupien-*

(*) Vide sub finem Constitutionis.

cupientes in omnibus, venerabundi admittimus, & usque adeo stricte servari mandamus, ut in posterum, (quod Nobis placuerit) nullus omnino ad curam animarum admittatur, nisi qui post solemnem Concilii Tridentini Fidei Professionem, formulam hic adjectam Vicario nostro Generali attente legerit & juraverit.

Ego N. profiteor me obedientem S. Romanæ Ecclesiæ & S. D. N. INNOCENTIO X. Pontifici Romano, ejusque Successoribus, atque adeo me acceptaturum, prout de facto accepto debita submissione Constitutionem felicis recordationis URBANI VIII. editam anno 19. sui Pontificatus, Incarnationis Domini 1641. pridie Nonas Martii, quæ incipit: *In eminenti Ecclesia* &c. in qua damnatur & prohibetur liber Cornelii Jansenii, cui titulus: *Augustinus*; quam Constitutionem ego integre accepto, & cum ea in omnibus sentio & consentio ac promitto me (quantum in me fuerit) curaturum, ut præfatam Constitutionem omnes & singuli acceptent, & in omnibus cum eadem sentiant & consentiant. Ita spondeo, voveo, ac juro, ego idem N. sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Item prohibemus lectionem piorum in speciem librorum N. *De frequenti Communione.* Et N. Abbatis, variorum opusculorum Authoris. Quorum quidem mense Octobri superioris anni adjecta pœna arbitraria lectionem per Diœcesim interdixeramus: ad calcem Tom. 5. *De ente supernaturali.*

NOTÆ adversus hunc de frequenti Communione librum vix dici potest, quam gravis animorum incitatio, studiorumque commotio fuerit, ubi anno 1643. in lucem prodiit: Scissi sunt enim in varias partes nedum Popularium ac Laicorum, sed etiam Sacerdotum ac Pastorum animi, cum nihil præter rumores doctrinarum in circulis, in conviviis, in concionibus audirentur. Et alii frequentis Communionis jugulum peti putarent. Alii attritioni vim ademptam, justitiæ cum Sacramento, reducendæ, quererentur: Alii absolutionem Sacerdotis in formam & conditionem nudi ministerii detrudi, alii ad satisfactionem Canonicam omnia referri. Alii causarentur, quod nihil retineretur de prisca severitate pœnarum Canonicarum præter abstinentiam Eucharistiæ. Alii, quod ex mente hujus Scriptoris ordo partium Pœnitentiæ pro communi lege servandus hic sit. 1. Confessio & petitio pœnitentiæ. 2. Impositio pœnitentiæ per excommunicationem pœnitentis. 3. Effectio pœnitentiæ, quæ sanat & justificat pœnitentem. 4. Absolutio seu restitutio in Communionem. Hinc vero, cum in Pœnitentiæ Sacramento principatus absolutioni debeatur ad eluendam peccati maculam, hoc illi imperium Scriptor detraxit, atque in satisfactionis jura transtulit, in quo ajebant, sedes est & cubile totius novitatis, hoc centrum, unde ducuntur exordia, progressiones sumuntur, in quo extrema clauduntur. Hic denique locus non est sicut membrum quoddam in corpore, sed tamquam sanguis per omnes illius partes diffusus.

Habes paucis verbis præcipuas causas commotionis adversus hunc librum, de quo varia fuerunt hominum & adhuc extant judicia. Quod si nihil aliud intenderet, ut ajunt quidam ejus Patroni, quam quod præmitterentur Absolutioni Sacramentali, ex prudenti consilio, quædam opera pœnalia ad molliendum cor peccatoris, quis hoc vituperaret, cum sanum sit consilium, virtutem ipsam pœnitentiæ prius exercere, quam Sacramentum Pœnitentiæ suscipere? Sed aliud verba Scriptoris illius, quicumque sit, indicant, ut ex lectione manifestum erit cuilibet cordato. Quæcunque vero fuerit illius mens, profuit nonnullis ad vitam in melius commutandam librum legisse: meticulosos quoque aliquot Confessarios firmavit, ut cum majori authoritate, erga pœnitentes se haberent: quæ vero aliunde detrimenta emanarunt, dixerunt plures. Accuratius autem scripsit contra illum librum Author Anonymus cujusdam Analysis, quæ Flexiæ edita est anno 1649.; sicut & in aliam assertionem ejusdem libri in Præfatione, Unum & eumdem Primatum D. Paulo, ac D. Petro tribuentem, scripsit docte inter cæteros Antoninus Diana, cujus Tractatus extat inter resolutiones ejus morales, ad calcem *Tomi* 9. Idem Pontifex Officium Conceptionis B. Virginis ab uni-

universo suæ Diœcesis Clero celebrari cum Octava instituit.

Mandatum Illustrissimi & Reverendissimi Archi-Episcopi Parisiensis JOANNIS FRANCISCI GONDII pro publicatione & observatione Constitutionis Pontificiæ INNOCENTII X. post damnatas quinque propositiones, de quibus postulaverant Episcopi Galliæ, ut perspicuam & certam de unaquaque sententiam ferret, de quibus in Gallia disputatio periculosior & contentio ardentior erat. Variis autem locis & temporibus scripserunt Antistites supra octoginta, magnum, si coiissent, facturi Concilium, quare ejus postulationis non consignatur dies & consul. Quorum Postulationibus cum post longam accurati examinis indaginem satisfecisset INNOCENTIUS X. Constitutionemque in Galliam misisset, primus, ut cæteris præiret exemplo, eam publicari & observari hortatur, & jubet hoc Mandato Illustrissimus Archi-Episcopus signato die 15. Julii 1653. in Conventu Capucinorum ad Pontisaram: in quo multa præfatur de authoritate unius Pastoris in Ecclesia, ad quem semper graviores de fide contentiones & causæ delatæ sunt, ut per ipsum terminarentur. Cujus traditionis veritas adeo constans est in Ecclesia Catholica, ut tempus deficiat, si omnia ad illud institutum spectantia sigillatim persequi velimus. Encomium illius Mandati luculentissimum edidit Ludovicus Cellotius S. J. *in Appendicis Miscellaneæ ad historiam Gotteschalchi Cap.* 5. Quid enim melius aut uberius, inquit, dicerent Landericus & Marcellus, si modo viverent in terris? Quid ipse Dionysius cum sublimi sua Hierarchia grandius scriberet pro stabilienda in Parisiensium animis Rom. Sedis authoritate &c. quæ apud ipsum videri poterunt a Studiosis, cum non nisi summa rerum fastigia pro ratione summæ hic sequamur.

Mandatum seu ordinatio Dominorum Vicariorum Generalium Eminentissimi Cardinalis RETZII, Archi-Episcopi Parisiensis, pro subscriptione duarum Constitutionum Summorum Pontificum INNOCENTII X. & ALEXANDRI VII. prout in formula per Clerum Gallicanum 17. 1657. edita, continetur. Ultima die Octobris anno Millesimo, sexcentesimo, sexagesimo primo.

Censuræ plures Apologiæ Casuistarum.

ANno MDCLVII. plures conduntur & evulgantur Censuræ contra librum prænotatum: *Apologie pour les Casuistes contre les calomnies des Jansenistes* &c. cujus Author innominatus vocabat se Doctorem in Jure Canonico.

Aliquot hujusmodi Censuræ per Episcopos, aut eorum Vicarios, fervente Jansenismi controversia, fabricatæ ad notitiam nostram venerunt, de quibus malim expectare aliorum judicium, ac potissimum Summi Pontificis, qui causam istam Theologorum moralium ad se evocaverat, & per nominatos a Sua Sanctitate examinari præceperat, unde tandem emanavit quadraginta quinque propositionum ad minus ut scandalosarum, damnatio ac prohibitio in duas Constitutionibus supra relatis, inter eas quæ sunt ALEXANDRI VII. qui hac via finem imposuit gravissimæ isti contentioni, sic in fune contentioso res inter utramque partem librans, ut omnibus debite expensis, difficile sit post istam pugnam uni parti gloriam integri triumphi tribuere. Quale enim pondus est judicii inferiorum Judicum, cum lis ad superiorem Judicem devoluta est, nec omni ex parte confirmat, quæ per inferiores judicata fuerant?

Conferri possunt a Studiosis inter se ista omnia. Una ex his Censuris, quæ plura Capita istius Apologiæ ferit gravibus notis, est Dominorum Vicariorum Generalium Eminentissimi Cardinalis RETZII, Archi-Episcopi Parisiensis, edita Parisiis apud Carolum Savreux anno 1658. expostulantibus & conquerentibus contra hunc librum urbis & suburbiorum curionibus quam plurimis, si non omnibus, quorum nomina ibidem indicantur.

Alia est Censura per Rev. ac Illust. Comitem & Baronem ac Episcopum Cadurcensem ALANUM DE SOLMINIACH, virum austerioris vitæ & D. CAROLI BORROMÆI Imitatorem, qui aliquot Capita illius libri expresse damnat, nempe circa Simoniam, occasiones proxi-

proximas peccati, circa usuram, homicidium, calumniam, & delectationes sensuum.

Non intendendo alia probare. Edita est Censura Cadurci anno 1659. Alia etiam Censura a me lecta est, per D. Illustrissimum ac Reverendissimum Patriarcham Archi-Episcopum Bituricensem, Aquitaniarum Primatem ANNAM DE LEVI, DE VANTADOUR, requirente ejus Promotore ac magnam seriem casuum ex illa Apologia, tum ex dictatis cujusdam Professoris Theologiæ moralis offerente, ut judicium ferret. Censura edita est Biturigis anno 1659. ac nescio, cujus industria factum est, ut ad calcem hujus censuræ alligaretur responsio D. Episcopi Mirapicensis DE LEVI, Fratris nempe Archi-Episcopi præfati, ad Episcopum, a quo invitabatur ad similem censuram conficiendam, qua illi significat, se quamvis magnifaciat illos Antistites talium censurarum Authores, per tria tamen deterreri, ne censuram suam aliis adjungat: 1. Est, quod cum hæc causa sit ex majoribus, in qua agitur de damnatione & antiquorum & modernorum Theologorum, & de statuenda regula bonorum morum: quæ media sunt necessaria ad sanctificandos fideles, ad Pontificem pertineat. 2. Est, quod certior factus fuerit ex parte Nuntii Apostolici, Papam de ista controversia judicium sibi assumpsisse, ac Commissarios designasse, ad libri istius discussionem, proinde expectandam esse ipsius sententiam. 3. Est, quod assertiones istius libri, quæ per censuras impetuntur, habeant insignes Patronos in quibusdam D. Thomam Angelicum Doctorem, Cardinales Hostiensem & de Lugo, Episcopos Antonium Florentinum, Malderum Antverpiensem: insuper Dominicum Soto a Confessionibus CAROLO V. Imperatori, incomparabilem Navarrum, Sylvestrum sacri Palatii Magistrum, Thologos Parisienses Majorem Duvalium, Gamachæum & plures alios bonæ notæ Scriptores.

Significat quoque se tres defectus in quibusdam Censuris antea evulgatis deprehendisse. 1. Quod inter errores recenseant Attritionem ex solo metu pœnarum inferni & excludentem peccandi voluntatem sufficere cum Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccati: item, quod Confessor possit absolvere pœnitentem, quem prævidet adhuc lapsurum in idem peccatum. Quæ non judicat Censuram mereri, 2. est, quod affigantur Authori aliquæ propositiones, quas potius improbat, ut, quod sola intentionis directione res pessimæ innocenter fieri possint. Quod excuset, quod accipiatur aut detur pro pecunia Beneficium, modo non sit intentio, æquare utrumque. Author expresse asserit cum tali intentione, quam Jus Canonicum prohibet, tutam non esse conscientiam; 3. Est, quod quædam propositiones Authoris istius referantur sine modificationibus & conditionibus, quos adjungit. Vel ipsa sanctitas & innocentia hoc pacto rea & flagitiosa appareat. Sic notatur Author de hoc dicto, quod unus Author contra plures possit reddere opinionem probabilem: & tacetur, quod dixerit in illo casu, in quo unus Author rationes satis validas ad stabiliendam suam sententiam & rationes adversariorum diluendas profert. Talibus reflexionibus adhibitis, sese excusat a promulganda censura, quam a quibuscumque Episcopis poterant, emendicabant quidam, ut se consolarentur de iis, quæ acta erant in librum Yprensis Episcopi, quamvis non omnium par fuerit intentio. Estque hæc Responsio epistolaris scripta Mazarettæ 15. Jan. 1659. ut exinde appareat qualis conjuratio, & quæ digladiatio tunc fuerit, etiam fratre in fratrem diviso. Epicheia est virtus, sed periculosa, ut diximus in *Theol. Affect.* 2. *Tract.* 5. unde cum moralis pure casuistica ex Epicheia coalescat, facile obnoxia est reprehensioni plurium, qui literæ toti inhærent, quam faventem habent, cum intentio Legislatoris in raro accidentibus lateat. Quare non consulerem cuiquam tentare hanc scientiam ita abstractam a Theologia Scholastica & Canonica tradere nonnisi casus infrequentiores, & de quibus silent leges, ventilando; quod tamen illius moralis peculiare est objectum, ut est scientia ab aliis separata.

Sed non est præsentis instituti ad parti-

particulares iſtas contentiones deſcendere. Scripſi de iis, antequam orirentur in libro de triplici examine, ubi ſine illa fellea amaritudine quorundam, quos non ratio, ſed affectio in transverſum egit, ſenſum meum aperui de hujusmodi quæſtionibus. Ex illis quadraginta quinque propoſitionibus, quas ad ſedandam hanc litem ALEXANDER VII. uti ſcandaloſas damnat & prohibet, nullam in iſto opere deprehendo hactenus; & ſi vel unica ex ipſis inſerta eſſet, quod abſit, me hortante delenda eſt in proxima ſexta editione: cum fixum ſit inhærere Decretis Sanctæ Sedis Apoſtolicæ. Quod teſtatum facere hic volui contra calumniatores quorumcumque librorum Theologiæ moralis. Hoc uno ſubjuncto monito, quod valde verendum eſt, ne qui tantum avent requiem animarum vaſtare, & conſcientias aliorum perturbare quæſitis undequaque prætextibus, ipſi quandoque in conſcientia ſua perturbentur, dum eadem menſura, qua circa alios menſi fuerint, remetietur illis: ſicut concionabatur tunc temporis magnæ virtutis & eloquentiæ Prædicator Joſeph a Morlaia. Manendum ergo in rebus judicatis contra utramque partem contendentium. Ut omne agens agendo repetitur, non mirum videri debet, ſi qui in ſuborientem hæreſim debito fervore egerunt pro ratione temporis, aliquid etiam repaſſi ſint, quam graviora paſſi ſunt Athanaſius ab Arianis, Cyrillus a Neſtorianis, Flavianus ab Entychianis, & per omnia ſæcula, qui errantes in orbitam reducere voluerunt. Id totum providentiæ Divinæ deputo, ut purior maſſa ſuperſit Eccleſiæ, dum ex varia occaſione omnium defectus corriguntur, antequam veniat dies Domini, in quo abſcondita tenebrarum illuminabuntur. Faxit Deus, ut in illo omnes ſancti & correcti appareamus.

Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. JACOBUS LESCOT, Epiſcopus Carnotenſis, antea Regius Theologiæ Profeſſor in Sorbona, accepto certo Nuntio anno 1661. unam ex Diœceſis ſuæ urbibus Medurtam (*Mante*) Janſenianis inſici dogmatibus per prædicationem Curionis ejusdem urbis, illuc ſe contulit, ac Curionem cum primo graviter increpuiſſet, decrevit, juſſitque, ut publice pro concione retractaret, quæ male docuerat de iis dogmatibus: cui concioni ipſi intereſſe voluit, & poſt concionem iisdem dogmatibus addictos, ea palam retractare compulit.

Et revera tales ſunt propoſitiones illæ, ut non ſit moraliter poſſibile zeloſum & ſuarum ovium ſalutis ſtudioſum Antiſtitem ſilere aut diſſimulare, cum ab aliquo publice proponuntur, maxime in Cathedra. Nam ut de quinque famoſioribus dicam, quas ad tres facile reduxeris, primam de Mandatorum impoſſibilitate ex defectu gratiæ ſufficientis, ſecundam de lib. arbit. neceſſitate adacto ad eligendum, 3tiam de morte Chriſti pro ſolis electis, ſi toleretur ab Epiſcopis talium prædicatio, quo pacto & qua æquitate peccatorem increpabo de transgreſſione mandatorum, ſi ſint impoſſibilia? Quomodo ad bene deliberandum & eligendum, quod melius excitabo, ſi neceſſitate hæc fiant? quomodo ad compunctionem, ſi nunquam ipſi peccatores gratiæ ac Spiritui Sancto reſtiterint? ſed quam frigide prædicabitur de morte Chriſti, ſi non ſit pro communi omnium ſalute? P. Veronus in illo libello: *De beneficio Crucis*, variis Cenſurarum notis afficiens doctrinam illam Janſenii, in cæteris 88. vocat illam extinctivam, aut ſaltem valde imminutivam devotionis fidelium erga omnia Myſteria Chriſti, quæ toto anno celebrat Eccleſia; Nam 1. quis, inquit Auguſtinus lib. *De corrept. & grat. C.* 13., ex multitudine fidelium quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero Prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat? Ergo ſi Chriſtus pro æterna ſalute & liberatione ſolorum Prædeſtinatorum crucifixus & mortuus eſt, quis ex multitudine fidelium præſumat Chriſtum pro ſalute ſua æterna & liberatione natum, jejunaſſe, crucifixum? &c. Quis præſumat, quod magis pro ſua liberatione, quam pro Dœmonis &c. Cuique erit dicendum, id occultari opus eſt, id ſecretum eſſe. Horret animus hæc vel effari 2. ſed quam frigeſcente devotione celebrabuntur a Chriſtianis hæc myſteria toto anno? Si hæc principia

cipia Janseniana insideant animo? non magis pro mea liberatione, quam pro Dæmonis &c. Ergo dicet quivis, qui ex doctrina D. Augustini se in numero Prædestinatorum esse non præsumit: non magis hæc mysteria celebrabo, quam Dæmon, nec magis teneor. Quæ verba mihi non satis probantur, quia tot perfectiones in Christo meo suspicio, ut si de me nunquam cogitasset, nec de mea salute, illum tamen ob immensam ejus excellentiam, pulchritudinem, majestatem, gloriam in omni æternitate colere, diligere, venerari, ac glorificare vellem. Etiam si occiderit me, dicebat Job *Cap.* 13., in ipso sperabo, quod quidam vertunt ex textu Hebræo, post ipsum æstuabo, hoc est: amoris ejus flamma totus inardebo. Sed pergit idem Author habita ratione imbecillitatis plurimorum ex mortalibus, qui hoc sublimi motivo non percelluntur, tamque duro sunt animo, ut melius norint erga Deum dilectionem rependere, quam generose impendere. Qua ergo certitudine nobis celebrantibus Missam, aut ei astantibus, cum Symbolum recitatur, procumbimus omnes in genua, & dicit quisque *Crucifixus etiam pro nobis*, si pro salute solum æterna Prædestinatorum, non aliorum mortuus est? 4. Sed & Concionatores omnes pro rostris Christianis & Ecclesia tot chiliadas & myriadas deceperit, cum in frequentissimis auditoriis tota urbe Lutetiæ, verbi gratia, die Veneris sacra prædicamus Christum pro myriadibus & auditoriis integris Crucifixum, cum certum sit multos ex illis non esse prædestinatos ex Augustino fusissime sæpe, sed præsertim in illud Psalmi 39. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei.* Hæc & plura ibidem ille Concionatorio stylo & nimis forsan fellea amaritudine: qui libellus etsi notatus sit ab Amplissimo Rectore Universitatis Parisiensis, quod de illo minus reverenter quædam scripsisset, non tamen propter doctrinam notatus est, de qua judicare, facultatis est Theologicæ.

Sed quia in ore duorum aut trium stat omne verbum, juvat addere, quæ sequuntur ex Michaële Paludano, Doctore Lovaniensi, in laudata sæpius Apologia *Parte* 1. *Cap.* 26. cujus labori & industriæ in examinando opere R. Yprensis plura accepta referimus. Illa enim, inquit, libri doctrina, quæ habet Christum non magis pro eorum, qui non salvantur, quam pro Diaboli salute esse mortuum, extinguit unum de præcipuis incentivis, quibus frigida hominum corda in Dei amorem solemus accendere, dum iis proponimus tantum illum, quo Deus Pater eos dilexit, amorem, ut Filium suum unigenitum daret, &c. Illum itidem Christi erga eos amorem, quo pro eorum vita se ipsum tradidit in mortem, ut eos, quos antea pigebat, Deum amare, jam saltem pudeat non redamare: ad eos cum Augustino lib. *De sancta Virginitate*, *Cap.* 35. exclamantes: Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus est in Cruce, &c. nam quemadmodum si aliquem hoc modo alloquerer: ama Deum, qui te absoluta electione ab æterno ad salutem prædestinavit: frigeret hortatio, quia nimis incerta est prædestinatio. Ita quandoquidem in illa Jansenii sententia tam incerti, dubiique sumus illius Dei & Christi erga nos amoris, æque frigida erit hortatio ad illum redamandum? Et sic dum Jansenius in una doctrinæ suæ parte vult cavere, ne accendatur elatio: per alteram facit, ut frigescat ad charitatem hortatio. Quod si parum est, addo, quod majus est, dum ibi satagit, ut crescat humilitas, hic agit, ut tepescat charitas: non satis attendens ad illa Augustini verba: Superflua est solicitudo, ne, ubi fervet charitas, desit humilitas, lib. *De sancta virg. Cap.* 51. Ex quibus omnibus concludit, in agro hujus libri simul cum tritico crevisse zizania, nec librum esse Divinum, ut buccinant Janseniani, & habere mala mixta bonis, & bona mixta malis: sed nec ita idiotæ sumus, ut veram humilitatem in agro istius libri germinare arbitremur: ut enim crescere possit humilitas ex ista cogitatione, quod gratia Dei omne bonum in nobis operetur, nec quidquam nostris viribus tribuere debeamus, attamen alia cogitatio, quam liber iste ingenerat centies, quod peccata committuntur defectu gratiæ, quæ non datur omnibus, de qua

qua, ubi datur, victoriam reportat de omni tentatione, ut cui nunquam in statu naturæ corruptæ resistatur, ista inquam cogitatio, quam adversa est veræ humilitati, quæ peccatores decet, satis dici non potest. Vera enim humilitas peccatoris est se reum & criminosum coram Deo, Angelis & hominibus agnoscere, admodum humilis Publicani, qui percutiendo pectus suum dicebat: Deus, propitius esto mihi peccatori, velle, ut omnes istud agnoscant, velle quoque propter hoc ignominiose ab omnibus tractari. At quotus quisque est ista doctrina hujus libri informatus, qui apud se ratiocinando non se putet, dum peccat, innocentem, nec ullas pœnas sibi jure irrogari posse ob delicta, quæ commisisse fingitur ob transgressionem mandati impossibilis, deficiente sibi gratia, qua possibilia fierent? Hæc certe persuasio ineffabile est, quantam nutriat superbiam in reprobis omnibus, qui ea imbuti fuerint. Quæ culpa mea, dicet ille, cui gratia defuit, propter quem ne gutta quidem Sanguinis Christi effusa est? inde oritur in ipsis rebellio adversus judicium Christi ipsos damnantis. Ni mutent hanc sententiam, per totam æternitatem erigent se, nunquam humiliabuntur, sub potenti manu Dei. Excusabunt se, & Deum accusabunt, qui impotentes supplicio afficiat. Perpendant hoc pii viri, nec putent ibi inesse humilitatem, ubi tot sparsa sunt semina superbiæ.

Item Ordinatio Domini Illustriss. Archiep. Paris. HARDUINI DE PEREFIXE ad subscribendum formulæ Fidei, editæ ad executionem Constitutionum INNOC. X. & ALEX. VII. Parisiis die 7. Junii an. Millesimo, sexcentesimo, sexagesimo quarto. In hoc Mandato refertur magna submissio R. Corn. I. ad Summum Pontificem Rom. quam vivens testatus est in libro suo Procemiali *Cap.*29. his verbis: Mihi constitutum est eandem, quam ab infantia secutus sum, sensuum meorum ad extremum usque spiritum ducem sequi Romanam Ecclesiam, & Beatissimi Petri in Romana Sede Successorem. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio, quicumque cum ipso non colligit, spargit; apud quem solum incorrupta Patrum servatur hæreditas. Quicquid ab ipsa Petri Cathedra, in cujus communione a teneris vixi, & porro vivere & mori fixum est, ab isto Principis Apostolorum Successore, ab isto Christi Vicario, ab isto Ecclesiæ universæ Capite, Moderatore, Pontifice præscriptum fuerit, hoc teneo, quicquid improbatum, improbo, damnatum, damno, anathematizatum, anathematizo. Quin etiam moriens idem testatus est in Testamento, ut supra narratum est. Quare ex charitate credere convenit propter errores in ipsius libro deprehensos, Deum non intrasse cum ipso in judicium, cum econtra discipuli in manifestæ damnationis periculo forent, si persisterent in defensione talis doctrinæ, quam dici potest ipsum Jansenium damnasse per tam humilem & adeo Christianam dispositionem, juxta Vincentium Lirinensem lib. *adversus hæreses.* O rerum mira conversio! Authores ejusdem opinionis Catholici, consectatores vero judicantur hæretici: absolvuntur Magistri, condemnantur discipuli: Conscriptores librorum regni Filii erunt, assertores vero gehenna suscipiet. Declarat insuper in eodem Mandato, quod etsi in formula Fidei, quam jubet subscribi ab omnibus tam Ecclesiasticis viris, Religiosis, & Monialibus primariis Collegiorum, & Magistris Scholarum, quædam sint juris, quædam facti: attamen illa solum, quæ sunt juris, exigere Fidem Divinam, illa vero, quæ facti sunt, non exigere aliam Fidem, quam humanam & Ecclesiasticam. Quod ideo additum est ad tollendam omnem exceptionem subscribendi sub eo prætextu, quod res facti Fidem Divinam non requirunt. Verum enim est, res facti Fidem Divinam non exigere, sed tamen non impedire Fidem Divinam circa dogmata juris, quibus connexæ sunt. Quod scite, admodum explicat Doctor Almainus in 3. *Sent. Dist.*25. *q.*11. Dico, inquit, quod ista non est de Fide Theologica, hoc est revelatum, demonstrando istam: Deus est trinus & unus. Non licet tamen dubitare, quia esset processus in infinitum in propositionibus de Fide: & ideo ad generandum actum

Fidei oportet de neceſſitate habere unum actum ſaltem, qui non eſt de Fide Theologica, ſed topica circa ſaltem aſſumptum minoris, hoc eſt revelatum. Ubi videre eſt, Almainum ſimul conjungere actum Fidei Divinæ & humanæ. Nihil ergo novum & abſonum molitus Illuſtriſſ. Archi-Epiſcopus, & vanum eſt, quicquid contra illius Mandatum hac in parte objectum eſt in quibusdam libellis magis contemptu, quam reſponſione dignis: ſi a peritis Theologis recenſeantur, non ab imperitis Laicis & mulierculis.

Cæterum indiculum locorum Janſenii, in quibus has propoſitiones docuit, dedimus in L. *De triplici examine*, & dici poteſt omnes Tractatus libri ipſius ad has propoſitiones adſtruendas ſpectare: ut mirum ſit quosdam id voluiſſe in dubium revocare.

Ordinatio D. Archi-Epiſcopi Pariſienſis Illuſtriſſ. HARDUINI DE PEREFIXE, qua poſt miſſam ab ALEXANDRO VII. formulam Fidei ab omnibus Eccleſiaſticis ſubſcribendam ad improbandas V. propoſitiones ex libro R. Yprenſis Epiſcopi Cor. Janſenii exceptas, & ſubmittendum ſe Conſtitutionibus INNOCENTII X. & ejusdem ALEXANDRI VII. de quibus ſupra dictum eſt: jubet omnes Eccleſiaſticos ſuæ Diœceſis, Regularesque quosvis exemptos & non exemptos, aut nullius Diœceſis ſe dicentes, nec non Moniales, Primariosque Collegiorum, ac Scholarum Præfectos eidem Formulæ intra tres menſes a publicatione ſubſcribere, ſub pœna juris contra inobedientes. Et quamvis, paucis admodum exceptis, ab omnibus jam ſatisfactum fuiſſe cenſeri potuiſſet, per ſubſcriptionem præcedentem formulæ Fidei de eadem re a duabus Conſtitutionibus Cleri Gallicani emanatæ: quia tamen putabant quidam Cleri ejusdem authoritatem tantam non eſſe, cui teneretur, penitus ſe ſubmittere, & ad ſervandam Fidei uniformitatem inter omnes fideles, ac ut omnes honoremus Deum, ut loquitur Apoſtolus, uno ore & corde, jubet per totam Diœceſim, ut huic Formulæ ſubſcribatur, credendo Fide Divina ea, quæ ſunt juris & dogmatum, ac cum ſincera animi ſubmiſſione acquieſcendo iis, quæ ſunt facti, quod nempe ſit ipſa Janſenii doctrina, quæ in his propoſitionibus damnatur, cum aliter & alia mente ſubſcribere, vere illudere eſſet Conſtitutiones Sanctæ Sedis & Epiſcoporum. Pariſiis die 13. Maji an. 1665.

Notandum eandem eſſe Formulam Epiſcoporum & Sedis Apoſtolicæ, hoc excepto, quod in hac ultima nulla fiat mentio doctrinæ D. Auguſtini a Janſenio non bene intellectæ, ſicut fiebat in formula Epiſcoporum: intellexerunt enim Epiſcopi Janſenium Yprenſem a mente D. Auguſtini aberraſſe, & Illuſtriſſ. Lexovienſis Epiſc. PHILIPPUS COSPEANUS, concionandi laude tota Gallia clariſſimus, & in Auguſtini lectione optime verſatus, dixiſſe fertur, lecto ejus libro, non eſt Auguſtinus, ſed peſtilentiſſimus Auguſtini corruptor: nimirum quia ſuo artificio Auguſtinum torquet, & patronum facit falſorum dogmatum Lutheri & Calvini ab Eccleſia damnatorum, ut eſt apud Anton. Moraines *Diſt.* 12. *Sect.* 4. *Anti-Janſenii.* Abſtinere autem voluit Pontifex ab iſta clauſula ad tollendam quorumdam remoram ad ſubſcribendum: tum quia non erat neceſſaria, nec tantum vult tribui ſcriptis ſuis D. Auguſtinus: maxime vero, quia id non fuit Romæ examinatum, nihil autem inſeritur ſine prævio examine in Conſtitutionibus Pontificiis. Porro Chriſtiani omnes tenentur profiteri unam tantum Fidem Chriſtianam Catholicam, & uni ſubeſſe Eccleſiæ ſcilicet Romanæ, unumque ſolum Vicarium Chriſti Generalem in mundo, videlicet Rom. Pontificem ſupra ſe ſpiritualem habere Paſtorem: & qui nolunt eidem Eccleſiæ Romanæ & Vicario Chriſti ſpirituali ſe ſubjicere humiliter, ſeu propter pertinaciam, cupiditatem, ſuperbiam, aut propter aliud ad mundum pertinens, indigni ſunt poſt mortem veniam & miſericordiam a Deo obtinere. Hoc norunt, qui in Catholicæ Eccleſiæ dogmatibus inſtructi ſunt: Hinc eſt, quod ſimilia Decreta Epiſcoporum per omnem Galliam extiterunt, quibus tandem paruerunt omnes, exceptis forſan paucis induratis, quorum pervicaciam potius viſum cum ſilentio

diſſimulare, quam cum ſtrepitu frangere.

Conſtitutio ſecunda HARDUINI DE PEREFIXE, Archi-Epiſcopi Pariſienſis, qua damnatur *Traductio novi Teſtamenti*, Montibus edita in Hannonia, quæ Conſtitutio data eſt Pariſiis 20. Aprilis 1668. & per Parochias urbis in pronais Miſſarum ſolemnium lecta & publicata, continetque rationes præcipuas, ob quas dicta translatio prohibita fuit, cum prior Conſtitutio contra eandem Traductionem ſimplicem ejus inhibitionem contineret. Unde fautores ipſius anſam arripuerunt eam magis defendendi, quaſi nihil eſſet in ipſa reprehenſioni obnoxium, ſed ex ſola authoritate & beneplacito illam Illuſtriſſimus Archi-Epiſcopus prohibuiſſet, quin etiam cantilenam ludicram in vulgus quidam ſparſerunt in ludibrium authoritatis Archi-Epiſcopalis. Sic nullum non lapidem movet Sathan ad promulgandum errorem quaqua via, & pro vero ac legitimo Chriſti Teſtamento aliud falſum & corruptum introducendi.

Sunt autem hæ rationes damnationis?

I.

QUod hæc Traductio, Montibus edita, conformis non ſit vulgatæ latinæ Textui, quam ſolam authenticam, declarat Concilium Tridentinum, ut nemo illam rejicere ſub quovis prætextu audeat vel præſumat. Magis autem conformis eſt Græco Textui: ut priori jure inſcriberetur verſio novi Teſtamenti in Gallicam linguam juxta Textum Græcum cum diſcriminibus a vulgata, quam prout illam inſcripſerunt, ſecundum editionem vulgatam cum diſcriminibus a Græco Textu: quamvis in locis valde multis Authores illius Traductionis nec vulgatæ, nec Græcæ editionis Textui adhæreant.

II.

Quod hæc Traductio in pluribus locis alias verſiones ab Eccleſia improbatas, ac præcipue Gebenenſem verſionem imitetur, etiam ubi de aliquo controverſiarum puncto agitur, in quo contrarium defendunt Catholici contra hæreticos.

III.

Quod Authores illius Traductionis multa mutarunt addendo, aut ſubtrahendo, aut transponendo, & ſenſum pervertendo pro libito.

IV.

Contra receptam Eccleſiæ antiquam conſuetudinem, quod in Textu diviſum eſſe debuit, adunarunt; & quod adunatum eſſe debebat, diviſerunt, non habita ratione punctorum ac virgularum. Quod gravioris eſt momenti, cum de dogmatibus & veritatibus Catholicis agitur.

V.

In ipſum Textum aliena a Textu induxerunt, exemplum Miniſtrorum Gebenenſium imitantes, qui etiam ſuas proprias explicationes & paraphraſes, quæ, quamvis ſæpe minori charactere editæ ſint, ut puta Italico, id tamen non eſt de uſu Eccleſiæ, nec vacat periculo, quin tempore futuro eodem charactere cum ipſo Textu proprio, ſine ullo diſcrimine editioni reddantur, addiderunt.

VI.

Summaria & Titulos Capitum immutarunt, ipſa Capita aliter diſponendo, prout ipſis libuit.

VII.

Ultra hæc omnia, & ea, quæ Facultas Theologica Pariſienſis in editione, quæ cum nomine *Renati Benedicti* in lucem prodierat, obſervaverat, plures in ea interpretationes inveniuntur, quæ favent erroribus Janſeniſmi ad ipſos renovandos: quin & plures expreſſionum modi a ſenſu Scripturæ alieni, quibus ad hoc tenditur, ut Fides imminuatur & debilitetur probatio plurium majoris momenti veritatum Religionis. Denique vidimus & examinavimus, ait Illuſtriſſ., Præfationem, quæ multas propoſitiones continet, ſenſui Eccleſiæ contrarias, quarum aliquæ ad hoc ſpectant, ut credatur, non ſolum licitum eſſe quibuslibet, etiam rudioribus, Scripturas ſacras legere, ſed abſolute neceſſarium: quod Facultas Pariſienſis expreſſe damnavit in cenſuris

ſuris ſuis contra Renatum Benedictum ac Eraſmum 17. Decembris anno 1527. tamquam doctrinam perverſam & conſentientem erroribus Waldenſium, Albigenſium, & aliorum.

His momentis prohibet ſub pœna excommunicationis ipſo facto, ne imprimatur aut evulgetur & divendatur, & ne permittatur aut conſulatur lectio a Parochis, Vicariis, Confeſſariis, aut Directoribus. Cæterum pro legentibus ac retinentibus ipſam Traductionem pœna excommunicationis videtur tantum comminatoria, hoc eſt, ſub pœna peccati mortalis, quod obſervare non utile pro regimine animarum.

Lunig Specil. Eccleſ. Contin. III. a pag. 931. ad 938.

CLAUDIUS D'ACHEY, Major Veſontionis Decanus, Baumenſis, Montiſque-Benedicti Abbas, Franciſci Ryenſis, qui Ferdinando, Patruo ſuo, Viro in Religioſas familias pio admodum & ſtudioſo, datus a. 1626. Coadjutor, ante obiit, quam magiſtratum Archi-Epiſcopalem iniret, Succeſſor, ab Illuſtriſſimo Canonicorum Collegio electus, vitam poſuit a. 1654.

Conſtitutionem duntaxat Synodalem, ipſa cum Synodus deeſſet, huc transſcripſimus. Meminit de Synodo Lexion *Moreri*, verbo: *Beſançon* pag. 423. *Chiffletii* opus: cui titulus: *Veſontio, Civitas Imperialis Libera, Sequanorum Metropolis*, in laudato mox Præſule Ferdinando ad a. 1616. deſinit.

Vide Hiſtor. Eccleſ. Germaniæ ſæpius cit. Tom. II. pag. 198.

SYNODUS DIOECESANA TORNACENSIS,

Eodem anno Chriſti MDCXLVIII.

DIE 22. SEPTEMBRIS,

FERIA TERTIA POST DOMINICAM *MISERICORDIA*,

Sub Revmo Domino FRANCISCO VILLANI a GANDAVO, (*)
Tornac. LXXXIV. Epiſcopo,

CELEBRATA.

ACTA in SYNODO DIOECESANA

per Revmum Dominum EPISCOPUM TORNAC.

CELEBRATA IN PALATIO EPISCOPALI DIE 22. SEPTEMBRIS 1648. FERIA TERTIA POST DOMINICAM DECIMAM SEXTAM POST PENTECOSTEN LOCO MARTIS POST DOMINICAM *MISERICORDIA*, QUI ERAT DIES ORDINARIUS: SED PROPTER IMPEDIMENTA REVERENDISSIMI DOMINI TUNC NON POTUIT CELEBRARI.

Præſidente Revmo Dno FRANCISCO VILLANI a GANDAVO, DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Tornacenſi, aſſiſtentibus ei RR. DD. Joanne Baptiſta Stratio, Eccleſiæ Cathedralis Tornacenſis Decano, Gaſpare van Lauretten J. U. L. Archi-Diacono Tornacenſ. Adriano Lamoraldo Villani a Gandavo, Theſaurario, Andræa Catulle J. U. Licent. & Cantore, Joanne Erneſto Nieulant J. U. L. Archidiacono Flandriæ, Matthia Navæo S. T. D. Eccleſiæ Cathedralis Tornacenſis Canonicis, Godefrido Wendelino J. U. D. Officiali, Marco Denys, Monaſterii S. Marci dicti S. Nicolai Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini Civitatis Tornacenſis Abbate, (**) *Judoco*

(*) Vide ſub Acta Synodi.

(**) *D. Abbas S. Martini* excuſatus abfuit.

doco d'Hauwe J. U. L. Canonico femipræbendato prædictæ Ecclefiæ Cathedralis & Secretario, Joanne van Nes Tornac. Nicolao Cornelio vanden Eynde, (*) *& Leonardo Schaers, Cortracen. Antonio Cardon, Amandinen. Jacobo de France, S. T. L. Seclinien. Joanne Prus, S. T. L. Helchinien. Gallorum, Joanne* (**) *d'Haveloofe, Veroviacen. Diftrictuum Chriftianitatis Decanis, nec non D. Michaële van Liere, J. U. L. Advocato Fifcali, Gabriële Coppin, Scriba, Simone Goffet, & Petro Villers, Curiæ fuæ Epifcopalis Tornacen. Promotoribus.*

Finito Sacro de Spiritu Sancto, Reverendiffimus Dominus omnes præfentes paucis exhortatus eft ad procurandam animarum falutem, & Religionis Cathol. propagationem.

Reverendus D. *Gafpar van Lauretten*, Archi-Diaconus Tornacen. legit *Cap.* 1. *refid. Conc. Trid. Seff.* 23.

Acta Synodi Diœcefanæ habitæ die 21. menfis Aprilis 1643. & celebratæ per Reverendiffimum Dominum Epifcopum Tornacen. defunctum non fuerunt publice & ad longum lecta ob temporis brevitatem, fed quia fingulorum ibi Decretorum Reverendiffimus Dnus habuit plenam & perfpectam notitiam, ideo tenuit ea pro approbatis, confirmatis, & reiteratis.

ARTICULUS I.

Imprimis ordinamus tractandum effe de confenfu DD. Decani & Capituli in Vicariatu de reductione plurimarum Miffarum, quæ in Ecclefia Cathedrali funt fundatæ ab antiquo fub vili admodum pretio per Canonicos in turno, aut eorum Vicarios, feu Sacerdotes majoris altaris celebrandæ, quarum pretium fi augeretur juxta proportionem honorariorum, quæ hoc tempore folent dari pro Miffis celebrandis, præfertim ubi bona fundationum fufficientia funt, vel ubi non funt fufficientia, fi combinarentur, procul dubio feu ipfi Canonici, feu Vicarii magis ad acceptandum dictas Miffas animarentur.

II.

Ordinamus etiam, ut impofterum nulli Clerici ad facros Ordines fub titulo Patrimoniali admittantur, nifi vere poffideant bona, ad quorum titulum debent promoveri, & nifi realiter & cum effectu fint alicui Ecclefiæ infcripti ac fervientes (exceptis tamen Studiofis in aliqua Univerfitate, qui pro infcriptis alicui Ecclefiæ merito æftimandi & habendi funt) & præter hoc etiam fint eruditione infignes, bonorumque nominis & famæ, feu in pietate, & probis moribus excellentes, & ex familia honefta, nota, & locuplete oriundi: pauperes vero non habentes hujusmodi dotes fortunæ, compenfare debent excellentiori ftudiorum & morum probitate.

III.

Præterea ordinamus publicari Bullam SIXTI V. agentem *de habitu honefto Clericorum:* ea occafione, quod plerique jam etiam Paftores præfumunt incedere per vicos & medias Civitatum plateas in habitu curto, vix a Sæcularibus differentes. Super quibus mandamus, ut Promotores ferio invigilent, & contra eos agant.

IV.

Mandamus etiam Decanis Chriftianitatis, ut in fuis vifitationibus annuis invigilent, & ferio inquirant circa reditus annuos, quibus curæ Paftorales gravatæ fuerunt de licentia obtenta pro reparatione, feu reædificatione domus Paftoralis. An videlicet præfati Paftores fingulis annis reditus hujusmodi exonerent una cum parte fummæ principalis juxta tenorem licentiæ ad hoc conceffæ.

V.

In quibus vifitationibus etiam fpecialiter inquirent de Paftoribus, qui negligunt aut contemnunt decantare Vefperas diebus Dominicis, Feftivis & Sabbatinis: & negligentes ad Nos, vel Vicarium noftrum Generalem deferant a Promotoribus citandos & mulctandos.

VI.

(*) *Nicolaus Lambertus Infulen.* abfuit excufatus.
(**) *Antonius del Court Ulmen.* excufatus abfuit.

VI.

Item, quia ex occasione negotiorum Episcopatus, & Curiæ spiritualis reperiuntur plura monumenta & registra, quæ debent reponi & consistere in Archivis Palatii Episcopalis, esse deperdita, decretum fuit, ut affigantur Monitoriales primo simplices contra quoscumque, ut intra certum & competentem terminum in iis præscribendum quilibet habens in sua potestate, aut sciens alios habere dicta monumenta, & registra, respective id ipsum declaret, restituat, aut restitui procuret, ne cogamur in re tanti momenti procedere per Monitoriales de occultis sub pœnis excommunicationis, quæ in casu non restitutionis aut declarationis hujusmodi procul dubio decernentur.

VII.

Mandamus item omnibus & singulis Pastoribus, ut numquam Sacramenta in Ecclesia sua administrent aliter, quam superpelliceo & habitu Chori induti, sub pœna triginta stuferorum pro qualibet contraventione.

VIII.

Cum alias in Synodo celebrata per Reverendissimum Dominum MAXIMILIANUM VILLANI a GANDAVO 21. Aprilis Tit. 17. *De Pastoribus, Decanis & Custodibus*, art. 21. præceptum fuerit conformiter ad antiqua Statuta, ut nulli alii deferant sacra Olea, nisi Pastores, aut aliquis Sacerdos cum onere comparendi in Ecclesia Parochiali, ubi Decanus residet, feria quarta post Pascha, sub pœna triginta stuferorum, declaramus prædictam emendam in casu contraventionis pro expensis Congregationis ordinariæ per Decanos & Pastores faciendæ, applicandam esse.

IX.

Quia constat nonnullos Regulares sub prætextu privilegiorum sæpius absolvere pœnitentes a casibus Episcopo reservatis (quod tamen in eorum literis continentibus facultatem audiendi confessiones ipsis non est indultum, sed expresse reservatum) ordinatum fuit, ut desuper scribantur literæ ad omnes Priores, Guardianos, & quocumque alio nomine Regularium Præfectos, ut respective moneant hujusmodi Confessarios Regulares admissos, ne præsumant amplius id præstare, ipsisque significent casus ab antiquo reservatos esse homicidium voluntarium seu ex deliberato animo perpetratum, & hæresim, & si qui sint alii casus specialiter nominati.

X.

Quia intelligimus Milites Germanos, aliosque extraneos in locis & oppidis Episcopatus nostri morantes, & hybernantes sustinere contra Pastores, quod habeant facultatem contrahendi coram quovis Presbytero, quem ad hoc elegerint, sive a Nobis admissus sit, sive non, ad hujusmodi officium, etiam contradicente loci Parocho: cum tamen constet Matrimonium debere contrahi juxta formam Concilii Tridentini in locis, ubi Concilium receptum est, prout in Belgio (*), & in omnibus locis nostræ Diœcesis; ideo ne hujusmodi abusus ulterius irrepant, mandamus omnibus Pastoribus, ut serio moneant Tribunos, Capitaneos, & Officiarios principales hujusmodi Matrimonia aliter, quam coram Parocho loci, aut de ejus licentia contracta, esse invalida & nulla, & inhibeant, prout Nos inhibemus quibusvis Presbyteris non habentibus ad hoc facultatem sive a Nobis, sive a Parocho, ne hujusmodi Matrimoniis assistere præsumant sub pœna incarcerationis, & suspensionis a Divinis ad annum vel longius tempus, si ita Nobis visum fuerit, vel alia arbitraria a Nobis infligenda.

XI.

Insequendo Decreta Concilii *Sess.* 24. *Cap.* 18. nominamus pro examine Pastorum RR. DD. *Joannem Baptistam Stratium*, Decanum Ecclesiæ Cathedralis, *Gasparem van Lauretten*, Archi-Diac. Tornacen. *Adrianum Lamoraldum Villani a Gandavo*, Thesaurarium, *Andræam Catulle*, J. U. L. & Cantorem, *Matthiam Navæum*, S. T. D. *Eustachium Froidmont*, S. T. L. *Franciscum du Chasteau*, S. T. L. prædictæ Ecclesiæ Cathedralis Canonicos, *Godefridum Wendelinum Off.* J. U. D. *Nicolaum Lamberti*, S. T. L. Insulen. *Cornelium vanden Eynde*, & *Leonardum Schaerts*, Cortracen. Christianitatis Decanos & Pastores. X.

(*) Videnda est hodie & consulenda Declaratio *Benedicti XIV.* super Matrimoniis Hollandiæ & Confœderati Belgii, quæ emanavit die 4. Nov. 1741.

X.

Deputati vero Judices Synodales RR. DD. *Joannes Baptista Stratius*, J. U. L. Decanus Ecclesiæ Cathedralis Tornac. *Gaspar van Lauretten*, J. U. L. Archidiac. Tornacen. *Adrianus Lamoraldus Villani a Gandavo*, Thesaurarius, *Andræas Catulle*, J. U. L. & Cantor, *Philippus de Boulogne*, J. U. L. *Joannes Ernestus Nieulant*, J. U. L. Archidiac. Flandriæ, *Carolus de Steenhuys*, J. U. L. *Petrus Mazurel*, J. U. L. Canonici Ecclesiæ Cathedralis præfatæ, *Godefridus Wendelinus*, J. U. D. *Antonius de Roore*, & *Marcus Denys*, respective Monasteriorum S. Martini, & S. Marci Civitatis Tornacen. Abbates.

De mandato Revmi Domini mei Episcopi præfati.

J. D'HAUWE, *Secret.*

Ex Summa Statutorum Synod. Tornac. Insulis impressa a. 1726. *& sæpius laudata.*

Sedi Tornacensi, tres jamtum annos & amplius vacanti, ad PHILIPPI IV. Hispaniarum Regis designationem, Episcopus dabatur FRANCISCUS VILLANI a GANDAVO, (al. *petit François*) S. Petri Insulis Præpositus, Sacelli Regii Bruxellensis *Capellanus* major, Seren. LEOPOLDO Austriaco ab eleemosynis, nepos MAXIMILIANI supra laudati egregius, virtutumque sacro Præsule dignarum strenuus imitator. Calendis Dec. a. 1647. solemni ritu in Sacrario aulæ Regiæ Bruxellis consecratus, die ejusdem mensis XV. cum pompa Tornacum ingreditur, ab Magistratu, Virisque nobilibus honorifice excipitur, & more Majorum ad Palatium Episcopale deducitur. Mox totum se ad gregis sui custodiam applicat, ac Diœcesin, quo opituletur omnibus, semel atque iterum percurrit. Tum Clero utrique normam vivendi, tum Monialibus præscribit, Synodo eam ob rem septies coacta. Erigit pium juvandis defunctorum animis Sodalitium, quod regulis perquam utilibus, ab ipsomet Summo Pontifice ALEXANDRO VII. plenaria Indulgentia decoratis, communivit. Cœptam a MAXIMILIANO Patruo suo & Antecessore adversus Asceterium Elnonense causam diu multumque prosequitur, nihil interim, quod Ecclesiasticam ad jurisdictionem & immunitatem defensandam, ad promovendum Divini Numinis cultum, ad incolumitatem ovium suarum stabiliendam spectet, prætermittens. Obiit FRANCISCUS ex Illustrissima Comitum Isenghianorum stirpe V. Cal. Januarii a. 1666. atque in choro Cathedralis Ecclesiæ quiescit.

Vide Summam mox cit. pag. 159. *& Castillionii Chronolog. pag.* 424.

PRODROMUS VISITATIONIS (*)

ARCHI-DIACONATUUM, PRÆPOSITURÆ, nec non DECANATUS METROP. ECCLESIÆ COLONIENSIS,

Anno Christi MDCXLIX. Innocentii X. Papæ VI. Ferdinandi III. Imp. XIII.

Sub FRANCISCO, Duce Lotharingiæ, Verdunensi XLII. Episcopo, Coloniensis & Argentinensis Ecclesiarum Præposito & Decano,

IN LUCEM EDITUS.

FRANCISCUS, DEI GRATIA, EPISCOPUS VERDUNENSIS, *Dux Lotharingiæ, Barri, Geldriæ, Calabriæ, Marchio Mussiponti, Sacri Romani Imperii Princeps, Metropolitanæ, Cathedralis, Coloniensis & Argentinensis Ecclesiarum Præpo-*

---

[*] Hunc Prodromum inter Collecta Hartzhemiana reperi, &, quod usui olim bonoque posteris esse valeat, atque ad rem Synodaticam commoda quadam affinitate accedat, a temporum injuria putavi hic esse vindicandum.

Præpositus & Decanus. Venerabilibus Christianitatum Decanis, Pastoribus, Curatis, Deservitoribus, cæterisque Nobis subditis Salutem in Domino.

CUm ab Antecessoribus nostris, annisque præteritis ad Reipublicæ Christianæ & Archi-Diaconatuum nostrorum saluberrimam directionem multa utiliter emanaverint, quæ vel ob Officialium nostrorum, Decanorum ruralium, Pastorum, Curatorum, Deservitorum, aliorumve subditorum nostrorum incuriam, vel temporum injuriam parum observari deprehendimus, idcirco ne muneri nostro deesse videamur, ac ut justissimam Omnipotentis DEI iram a nobis, populoque Nobis concredito, quantum in Nobis erit, avertere conemur: nihil pro temporis præsentis necessitate utilius occurrere potuit, quam si Visitationis Archi-Diaconatuum nostrorum Prodromum, ex jure communi, Statutis Provincialibus ac Diœcesanis, nec non laudabili consuetudine concinnatum, ad Decanos, Pastores, aliosque subditos nostros quantocius dirigeremus.

Quocirca Vobis omnibus & singulis in Decanatibus Juliacensi, Berchemensi, Attendariensi &c. existentibus, Præpositura nostræ; uti in Decanatibus Novesiensi, Dusseldorpiensi, &c. Decanatui nostro respective subjectis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub gravibus pœnis arbitrariis præcipimus ac mandamus, ut intra bimestre a die insinuationis præsentium ad omnia & singula juxta propositam formam inscriptis, sub propria manu Officialibus nostris accuratam responsionem exhibeatis, aut exhiberi faciatis: ne in ipsa Visitatione (quam si non personaliter uti peroptamus, saltem per Officiales aut Commissarios nostros meditamur) nostro, aliorumve incommodo, diutius quam par est, detineamur; aut minus feliciter progrediamur. Coloniæ 1649. die Octava Sanctorum Trium Regum.

PRODROMUS VISITATIONIS.

PARS PRIOR.

De Visitatione Materiali.

I. Ecclesia.

1. An Parochialis.
2. Matrix.
3. Quam aut quas filiales habeat.
4. An filialis.
5. quæ ejus Matrix.
6. An Capella curata.
7. Cui subest.
8. Sub cujus Sancti invocatione.
9. An populum capiat.
10. Integra.
11. Nitida.
12. Squalida.
13. An ipsius Dedicationis Festivitas agatur.
14. Quando.
15. An Patroni.
16. Quando.
17. Quibus solennitatibus.
18. An polluta tota.
19. Qua parte.
20. An altare pollutum.
21. A quo.
22. A quo tempore.
23. Cujus Decanatus.
24. Cujus Archi-Diaconatus.
25. Quis Fundator Ecclesiæ.
26. Quis Collator aut Præsentator.
27. An Catholicus.
28. An directioni bonorum se intromittat.
29. Proportionaliter eadem sit ratio de Personatu.

II. Tabernaculum Ss. Sacram.

1. An securum.
2. Bene obseratum.
3. Mundum.
4. Ornatum.
5. quis clavem habeat.
6. An adsit corporale Ven. Sacram. substernendum.

III. Ciborium, Monstrantia.

1. Ex quo Metallo.
2. An integrum.
3. Mundum.
4. Benedictum.

IV. Eucharistia.

1. An pro ægris servetur.
2. Quot hostiæ.
3. An facile corrumpantur.
4. Qua causa.
5. Quoties innoventur.
6. Quo honore ad ægros feratur.
7. Quoties exponatur.
8. An lumen adsit.

V. Lampas.

1. An coram Ven. Sacram. splendeat lumen.
2. Quamdiu.
3. An ex fundatione.
4. Cujus expensis.

VI. Olea sacra.

1. Quando renovata.
2. Quo devenerint vetera.
3. Unde accipiantur.
4. Per quem deferantur.

VII. Eorum Vascula.

1. Ex quo Metallo.
2. An munda.
3. Bene separata.
4. Ubi serventur.
5. Quis clavem habeat.

VIII. Baptisterium.

1. An lapideum.
2. Mundum.
3. Integrum.
4. A periculis immune.
5. Sub firma clausura.
6. An semper adsit aqua baptismalis.
7. Quando purgetur.
8. Quis clavem habeat.

IX. Reliquiæ sacræ.

1. An habeantur.
2. Nominibus distinctæ.
3. Ornatæ.
4. Thecis inclusæ.
5. Qualibus.
6. An exponantur.
7. Ubi asserventur.
8. Quomodo.
9. Quomodo de his literæ, vel monumenta.

X. Imagines Sanctorum.

1. Quorum.
2. An mutilæ.
3. Deformes.
4. Vetustate consumptæ.
5. An imago Patroni.
6. Honesta.
7. Bene constituta.
8. Ornata.

XI. Picturæ.

1. An vanæ.
2. Indecentes.
3. Veritati Scripturarum, & traditionibus Ecclesiasticis conformes.

XII. Altaria, Vicariæ, Capellæ in Ecclesia, ejusve districtu.

1. Quot.
2. Quinam eorum Tituli.
3. Quinam Collatores aut Patroni.
4. An mensa altaris consecrata.
5. E solido lapide.
6. Integra.
7. Humida.

XIII. Candelabra.

1. Quot.
2. Qualia.

XIV. Antipendia.

1. Quot.
2. Qualia.

XV. Mappæ.

1. An sufficientes.
2. Integræ.
3. Benedictæ.
4. A quo.
5. ...
6. An imago Crucifixi in medio.
6. An pulvinar pro Missali.

XVI. Fenestræ.

1. An integræ.
2. Sufficientes.
3. Satis munitæ.

XVII. Pavimentum.

1. Quale.
2. An mundum.

XVIII. Janua.

1. quando aperiatur.
2. Claudatur.
3. An integra.
4. Tuta.

XIX. Vas aquæ benedictæ.

1. An.
2. Quale.
3. An aspergillum.
4. Quando benedicatur aqua.
5. An etiam penes Ecclesiæ januam ingredientibus præsto sit.

XX. Sedilia.

1. An commoda.
2. Nimis alta.
3. Collapsa.
4. Qua auctoritate constructa.
5. Cujus expensis.

XXI. Sepulturas eminentes an Laici habeant.

1. In Choro.
2. In Ecclesia.
3. Recentes.
4. Antiquas.
5. qua auctoritate.
6. An illi sint Benefactores.
7. An Patroni.
8. An debite præparentur.
9. Cujus expensis.
10. An earum intuitu aliquid accedat Ecclesiæ.
11. Quantum.
12. An Catholici debitis cum cæremoniis, & tempore commodo terræ mandentur.

XXII. Suggestus.

1. An debite constructus.
2. An loco commodo.

XXIII. Organum.

1. An sit.
2. A quo pulsetur.
3. Quomodo manuteneatur.

XXIV. Confessionalia.

1. An in propatulo & visibili loco.
2. An cum fenestella.
3. Pluteus, qualis.

XXV. Vexilla.

1. Quot.
2. Quando iis utantur.
3. A quo ferantur.
4. An integra.
5. ubi recondantur.

XXVI. Crux.

1. An habeatur pro defunctorum sepultura.
2. Pro hebdomada sancta.

XXVII.

XXVII. Sepulchrum pro Hebdomada Sancta.

1. Quale.
2. Quo loco.
3. Quomodo ornari soleat.
4. An Imago Resurrectionis Domini.

XXVIII. Sacristia.

1. An rebus sacris conservandis apta.
2. Humida.
3. Squallida.
4. Inutilibus impedita.

XXIX. Janua.

1. An firma.
2. Bene occlusa.
3. Quis clavem habeat.

XXX. Fenestræ.

1. An sufficientes.
2. Aptæ.
3. Munitæ.
4. An ad lotionem manuum gutturnium, manutergia.

XXXI. Oratorium.

1. An cum scabello.
2. Imagine sacra.
3. Tabella Orationum.

XXXII. Locus induendi.

1. An commodus.
2. Cruce instructus.

XXXIII. Armaria pro ornamentis.

1. An distinctis capsulis.
2. An debite conserventur sacri Calices.
3. Patenæ.
4. Corporalia.
5. Purificatoria.
6. Vela.

XXXIV. Calices.

1. Quot.
2. Ex qua materia.
3. An sine vitio.
4. Mundi.
5. Consecrati.
6. Cum patenis convenientibus.
7. Adsint sacculi linei.

XXXV. Vela Calicum.

1. Quot.
2. Qualia.
3. An nimis crassa.
4. Parva.
5. Immunda.

XXXVI. Thecæ Corporalium.

1. Quot.
2. Quales.

XXXVII. Corporalia.

1. Quot.
2. Qualia.
3. An benedicta.
4. Munda.
5. Integra.
6. Signata.

XXXVIII. Purificatoria.

1. Quot.
2. An munda.
3. Signata.
4. Sat magna.
5. Benedicta.
6. A quo laventur.
7. Quoties.
8. Pallæ ex qua materia.

XXXIX. Pro Celebrante.

1. An manutergia.
2. Sudariola.

XL. Hostiæ.

1. Unde habeantur.
2. Quoties renoventur.
3. Quomodo serventur.

XLI. Vinum.

1. Unde habeatur.
2. Ubi conservetur.
3. Quomodo.
4. Utrum acetosum.
5. Cujus expensis tam panis & vinum subministretur.

XLII. Urceoli.

1. Quot.
2. Quales.
3. An literis distincti.
4. An patella.
5. An tintinnabulum.

XLIII. Pro Communicantibus.

1. An scabellum.
2. Linteum.
3. Scyphus.
4. An thuribulum.
5. An navicula.
6. An cochlear.
7. An thus.

XLIV. Lucerna, quæ Ss. Sacram. ad ægros præfertur.

1. An.
2. Qualis.
3. An in alium usum adhibeatur.

XLV. Casulæ cum Stolis & manipulis.

1. Quot.
2. Quales.
3. Cujus coloris.
4. An integræ.
5. Benedictæ.
6. An habeantur tunicellæ & dalmaticæ, ubi his opus.

XLVI. Pluvialia.

1. Quot.
2. Qualia.
3. Cujus coloris.

XLVII. Albæ cum amictu & cingulis.

1. Quot.
2. An bene formatæ
3. Firmæ.
4. Integræ.
5. Mundæ.
6. Benedictæ.

XLVIII. Superpellicea.

1. Quot.
2. An integra.
3. Munda.

XLIX. Circa libros.

1. An Missale.
2. Cum suis indicibus.
3. An novum Colonien.
4. Graduale.
5. Antiphonarium.
6. Psalterium.
7. Processionale.
8. Directorium Officii.
9. Agenda Colon.

10. Liber Baptizatorum.
11. Confirmatorum.
12. Conjugatorum
13. Familiarum & nominum Parochianorum.
14. Defunctorum.
15. Anniversariorum.
16. Legatorum.
17. Processionum.
18. Catalogus seu inventarius totius supellectilis sacræ.

L. Archivium.

1. An tuto loco.
2. An liberum a putredine.
3. Quis clavem habeat.
4. An literæ aliquæ distractæ.
5. Quæ.
6. An habeatur Registrum, seu liber copiarum.
7. An omnia ordinate disposita.

LI. An sarta tecta sint.

1. Tectum.
2. Columnæ.
3. Parietes.

LII. Quis teneatur in decenti structura conservare.

1. Chorum.
2. Summum altare.
3. Navem.
4. Fenestras.
5. Turrim.
6. Januas.
7. Septa Cœmeterii.
8. An id fiat.
9. Quare non.

LIII. Campanæ.

1. Quot.
2. Quales.
3. An benedictæ.
4. A quo.
5. Cujus expensis funes restaurentur.
6. An horologium.
7. An in campanili aliquid ruinam minetur.
8. An turri aut tectis Ecclesiæ columbaria appendantur.
9. An circa Ecclesiam immundiciæ.

LIV. Cœmeterium.

1. An brutis pervium.
2. An muro integro septum.
3. Æquale.
4. Mundum.
5. Arboribus obsitum.
6. Profanatum.
7. Quando.
8. A quo.
9. An immune a sepultura infantium non baptizatorum.
10. Excommunicatorum.
11. Acatholicorum.
12. Publice criminosorum.
13. Eorum, qui ad Communionem Paschalem obligati, eandem sua socordia aut malitia neglexerunt, & absque Sacramentis sunt mortui.

Quod si ex prædictis aliqui vel in Cœmeterio, vel in Ecclesia sepulti sint.

1. Quales illi fuerint.
2. Ad cujus instantiam factum.
3. Quis terram ad sepulturam composuerit.
4. Quis funus gestaverit.
5. Qui fuerint comitati.
6. Quis campanas pulsaverit.
7. Quis gratiarum actionem habuerit.

An & qualia ædificia in cœmeterio.

LV. Ossuaria.

1. An conveniens.
2. Ossium aptam dispositionem habens.
3. A sordibus vacua.
4. Ad genuflexionem antrorsum accommodata.
5. Processione visitetur.

LVI. Feretrum.

1. Quale.
2. Ubi servetur.

LVII. Sepultura infantium non baptizatorum.

1. Ubi.
2. An muro septa.
3. A loco sacro separata.

LVIII. Proventus Ecclesiæ.

1. Quales.
2. Quas decimas habeat.
3. Quis majores percipiat.
4. Quis minores.
5. Quantum hoc tempore percipiatur.
6. Quæ bona immobilia.
7. An omnes reditus percipiat.
8. Quare non.
9. Quod si Altaria, Vicariæ, sive Capellæ sint a Pastoratu distincta, de iis sit eadem ratio, quæ de Ecclesia Parochiali.

Insuper si quædam Vicariæ Altaria sive Capellæ vacent, addatur ratio, in quem finem applicentur reditus, & quamdiu vacaverint, cum aliis circumstantiis.

LIX. Hospitalia, Fundationes pauperum, Legata pia, Confraternitates.

1. An.
2. Quot.
3. Qualia.
4. Qua auctoritate erecta.
5. An confirmata.
6. An testatorum voluntati satisfiat.
7. Quos reditus habeant.
8. A quibus administrentur.
9. Quis administratores constituat.
10. An quotannis fiat computus.
11. An præsente Pastore.

12.

12. Cui.
13. Num in istis ratiociniis fiant convivia aut sumptus inutiles in gravamen Ecclesiæ aut fundationis. De fabrica Ecclesiæ, aut eleemosynarum capsis, in Ecclesia fortasse collocatis; item de Scholis, sit proportionaliter eadem ratio.

LX. Oblationes notabiles extraordinariæ.

1. In quem usum convertantur.
2. An earum fiat computus.
3. Cui.
4. Quo præsente.
5. Cujus ut plurimum sint contra valoris quamvis incerti.

LXI. Extinctæ Vicariæ, Hospitalia, piæ Fundationes.

1. Cui Beneficio, Communicati aut Conventui unitæ aut incorporatæ.
2. A quo tempore.
3. Cujus auctoritate.
4. Quos habebant reditus.
5. Quis modernus istorum bonorum Possessor.

Eadem sit ratio de Ecclesiis Parochialibus aut similibus in Personatum conversis.

LXII.

1. Quod si ex prædictis bonis, reditibus, obventionibus, aut juribus Ecclesiæ, Vicariarum, Hospitalium, Fundationum, &c. sint aliqua oppignorata, vendita, permutata, imminuta, aut translata; addatur, quænam illa sint, a quo, quando, quomodo, quare, & cujus auctoritate.
2. Si quæ pensiones redemptæ, aut bona licite ac legitime vendita, quomodo, & per quem applicatæ sunt pecuniæ.
3. An bona quædam ab aliis de facto, & a quibus, occupata, sive deperdita, quibusque mediis ea recuperari possint, & quanta pro iis recuperandis facta fuit diligentia.
4. An pratorum, jugerum, agrorum, aliorumve elocatio, anticipata solutione, ultra triennium, vel ad quod tempus, & quibus, idque per publicum instrumentum fiat, coram justitia loci, vel Notario aliquo publico, cum accurata designatione rerum elocatarum.
5. An dicta bona pensionibus aut oneribus sint gravata, & quibus? sive an affecta propter exactiones Domino Provinciali non solutas. Quantum adhuc debeant; quibusque mediis Creditoribus, aut Domino Provinciali satisfieri possit. An pensiones, aut onera excedant medietatem annuorum redituum; & an Ordinarius desuper dispensaverit.
6. Si quæ bona, aut reditus Pastoratus, Vicariarum &c. sint in lite; specificentur cum debitis circumstantiis, & in quibus terminis sit causa.
7. Vel, si quædam in pium usum Ecclesiæ sint legata, nec ab Executoribus hactenus tradita; addatur, quænam & qualia illa sint, ac quibus viis recipi possint, ut piæ Testatorum voluntati satisfiat.
8. Tandem addatur Registrum sive plena descriptio bonorum Ecclesiæ, Vicariarum, Confraternitatum &c. una cum modernis limitibus, situ, numero, mensura, oneribus & aliis circumstantiis.
9. Item, ubi Pastor, Vicarii, Administratores prædicti conservent & custodiant libros, chartas, documenta, registra, inventaria obventionum & onerum, nec non computus suarum administrationum.

LXIII. Domus Pastoralis.

1. An integra.
2. Destructa.
3. An tota.
4. Ex qua parte.
5. A quo tempore.
6. Per quos.
7. Qua occasione.
8. An gravata, sive oneribus subjecta.
9. Quibus.
10. An inhabitetur a Parocho.
11. Vel a quibus.
12. Cujus, aut quorum sumptibus reparari soleat, aut debeat.

Utrum Vicariis, Altaribus, aut Capellis sint propriæ ædes annexæ; quo in statu sint.

Quod si destructæ; quando, per quos, qua auctoritate id factum.

Similiter an Ludimagister & Custos Ecclesiæ proprias ædes habeant; vel an destructæ: specificentur una cum eorumdem obventionibus.

PARS

PARS POSTERIOR.

De Visitatione Personali.

LXIV. Pastor.

1. Cujus nominis.
2. Ætatis.
3. Gradus aut studii.
4. Qualem administrationem ante Pastoratum habuerit.
5. Super quo titulo ordinatus.
6. Ubi.
7. Quæ Beneficia modo possideat.
8. An Pastoratum obtinuerit ex morte.
9. Resignatione.
10. Aut permutatione.
11. An habeat documenta primæ tonsuræ.
12. Ordinum.
13. Legitimæ præsentationis.
14. Institutionis sive investituræ.
15. Possessionis.
16. Placiti Principis territorialis.
17. Quando ultima facta est visitatio.
18. A quo.
19. An limites Parochiæ sint bene distincti a locis & Parochiis vicinis.
20. An unus Pastor sufficiat pro administratione Sacramentorum.
21. An singulis diebus Dominicis aquam benedicat.
22. Eaque populum aspergat.
23. Ubi moris est, ut populus inter Pascha & Pentecosten aspergatur aqua ex Baptisterio desumpta, quando illa aqua seponitur ex Baptisterio.
24. An quandoque visitet Scholas.
25. An vigore præstiti juramenti conetur inventa conservare.
26. Et pro posse deperdita Ecclesiæ bona recuperare.
27. An habeat honestam vivendi competentiam.
28. Aut quibus mediis juvari possit.
29. An in Capitulo sive Synodo Decanali secundum statuta juraverit.
30. An secundum morem antiquum in Quadragesima celebret Synodum laicalem?
31. An constituat Testes sive Scabinos Synodales.
32. Quos.
33. An Acta Synodi laicalis in Pastorali Synodo seu Capitulo scripto referat.
34. An (si Pastor sit territorii Juliacensis aut Montensis) Concordata Provisionalia inter Serenissimos & Rev^mum^ Elect. Colon. &c. & Ducem Juliæ &c. inita, diligenter observet.
35. An Monasteria in districtu Pastoratus reperiantur.
36. Cujus Ordinis & sexus.
37. An Religiosi aliqui privatos cœtus habeant in villulis non Parochialibus.
38. An ad Parochiam quandoque veniant, qui dicuntur Terminarii.
39. Cujus Ordinis illi sint.
40. Quoties per annum.
41. An habeant permissionem ab Ordinario.
42. An concionentur.
43. Aut quid agant.
44. An Pastor attendat, utrum Altaristæ, seu Vicarii Missarum, aut aliarum obligationum debitum diligenter persolvant.

LXV. Sacellanus.

1. An Pastor unum aut plures habeat Sacellanos.
2. Quomodo nominentur.
3. An iidem a legitimo Superiore examinati, admissi, approbati.
4. Utrum officio suo diligenter fungantur.
5. An ipsis debita sit assignata vivendi competentia.
6. Qualis.

LXVI. Deservitor Pastoratus.

1. Quod si Pastor defunctus sit, aut non resideat, Deservitor cujus nominis.
2. Ex qua causa Pastor abest.
3. A quo tempore.
4. An cum licentia aut dispensatione.
5. Cujus.
6. An causa adhuc duret.
7. An ad eandem deservituram sit examinatus & admissus.
8. A quo.
9. A quo tempore.
10. An habeat vivendi competentiam.
11. Qualem.
12. Utrum Pastor aut Deservitor sit Religiosus Professus.
13. Cujus nominis.
14. Cujus Ordinis.
15. Qua auctoritate seu licentia sit egressus ex Monasterio.
16. An in habitu Monastico incedat.
17. An requisita ad administrationem documenta habeat.

LXVII. Vicarius, seu Altarista.

1. Cujus nominis.
2. A quo tempore sit Beneficiatus.

3. Ubi commoretur.
4. An bonæ vitæ.
5. An habeat legitima documenta.
6. Ad quid obligetur.
7. Quomodo, uti juravit, obligationi satisfaciat.
8. An ipse per se satisfaciat.
9. An sit Sacerdos.
10. An ad statum Sacerdotalem aspiret.
11. Quod si per alium obligationi satisfaciat: quantum Deservitori altaris annue detur.
12. Cujus nominis Deservitor.
13. Cujus vitæ.
14. Quantum Rector altaris in absentia inde annue percipiat.
15. Quod si Beneficium sit alteri unitum, addatur, cui Beneficio.
16. Ex qua causa.
17. A quo tempore.
18. An oneribus satisfiat.
19. Per quem.

LXVIII. Magistri Hospitalium, Fundationes pauperum, Ædiles.

1. Quomodo nominantur.
2. An Catholici.
3. An viri probi.
4. Diligentes.
5. Perpetui.
6. An quædam procurent absque consensu Pastoris.
7. An necessaria subministrent.
8. An præstiterint juramentum fidelitatis.
9. An emiserint Professionem fidei.

LXIX. Ludimagister.

1. An aliquis in Parochia.
2. A quo tempore.
3. Qualis est.
4. Quomodo nominatur.
5. An Catholicus.
6. Ecclesiasticus, an Laicus.
7. An emiserit Professionem fidei.
8. An admissus de consensu & prævio Decani Christianitatis examine.
9. An locus ad Scholas specialiter deputatus.
10. Quos libros doceat.
11. Quomodo.
12. An Scholares tam in pietate & bonis moribus, quam in doctrina diligenter instruat.
13. An illos doceat cantum Ecclesiæ.
14. An doceat modum inserviendi Missæ.
15. An illos Dominicis & Festivis ad Ecclesiam comitetur.
16. An seniores doceat modum confitendi & communicandi.
17. Quibus medijs sustentetur.

LXX. Custos Ecclesiæ.

1. Cujus nominis.
2. An Catholicus.
3. An admissus de consensu Pastoris.
4. Et prævio examine Decani aut Pastoris.
5. An ante admissionem præstiterit debitam cautionem.
6. An fecerit juramentum fidelitatis.
7. An emiserit Professionem fidei.
8. An diligenter fungatur officio.
9. An sciat cantum Gregorianum.
10. An Ecclesiam, ejusque ornamenta in decenti nitore conservet.
11. An ipsi ornamenta tradita una cum Inventario eorumdem.
12. An vendat vinum.
13. An cerevisiam.
14. Vinum adustum.
15. An hospites recipiat.

Utrum in electione aut constitutione Magistrorum Hospitalium &c. ædilium, Ludimagistri aut Ecclesiæ Custodis occurrant aliquæ contentiones.

Unde istæ oriantur.

An etiamnum durent.

Quomodo componi possent.

LXXI. Circa Officium Divinum.

1. Quali utatur Breviario.
2. Quali Missali.
3. An quandoque in Ecclesia decantentur aliquæ horæ Canonicæ.
4. Aut alia.
5. Quæ.
6. Quando.
7. Quomodo.
8. Per quos.
9. An exacte observentur.
10. Quoties in septimana Missæ Sacrificium offerat.
11. Ad quot Missas obligetur.
12. An quandoque duas Missas de die celebret.
13 Qua auctoritate.
14. An singulis diebus Dominicis & Festivis Missæ Officium in propria Ecclesia peragat.
15. An statis horis.
16. An cum cantu.
17. Quis Celebranti ministret & respondeat.
18. An Dominicis & Festivis Missam defunctorum celebret.
19. An statuto tempore solemniter benedicat Cereos.
20. Cineres.
21. Palmas.
22. Ignem.
23. Cereum Paschalem.
24. Fontem Baptismalem.
25. Sal & aquam.

26. An omnia peragat secundum præscriptum novi Missalis & Agendæ Coloniensis.

LXXII. Circa Processiones aut Supplicationes omnes.

1. Quot consueverunt per annum fieri.
2. Quomodo.
3. An instituatur processio in festo S. Marci.
4. An diebus Rogationum.
5. An in eis præferatur Crux.
6. An Vexillum.
7. An circumferantur Reliquiæ.
8. An Imagines.
9. Quales.
10. Quo ornatu.
11. A quibus gestentur.
12. An in illis Processionibus nulli committantur abusus.
13. Aut quomodo tolli possint.

LXXIII. Confraternitates, aut Sodalitates.

1. Sub quo titulo institutæ.
2. An Regulæ sive Statuta observentur.
3. An aliquas Indulgentias habeant.
4. Quales.
5. A quo concessæ.
6. Ad quod tempus concessæ.

LXXIV. Circa Conciones.

1. Quibus diebus & horis concionetur.
2. Si alius hoc munus quandoque obeat, an ad hoc approbatus.
3. Qua auctoritate.
4. Quid in concione potissimum populum doceat.
5. Quas conciones concioni subjungat.
6. An subditos quandoque moneat, ut infantes ad Baptismum tempestive deferant.
7. Et ægrotos Sacramentis Ecclesiæ muniri faciant.
8. An populo annuntiet dies jejuniorum.
9. An Festa Ecclesiæ.
10. An Catechismum seu doctrinam Christianam concioni frequenter misceat.
11. An Dominicis & Festis Catechismum doceat.
12. An ipsemet doceat.
13. An per Substitutum.
14. An moneat Patres & Matresfamilias, ut proles, domesticos & subditos frequẽter ad Ecclesiam mittant.

LXXV. Sacramenta.

1. An citra necessitatem alienis Parochianis illa quandoque administret.
2. Qua auctoritate.
3. An id faciat in propria Parochia.
4. An in aliena.
5. An in administratione Sacramentorum quandoque eorum virtutem explicet.
6. An pro administratione pecuniam exigat aut suscipiat.
7. Addatur hic specifice status Jurium Stolæ, ut vocant.

LXXVI. Baptismus.

1. An citra necessitatem eum quandoque in privatis ædibus conferat.
2. Qua auctoritate.
3. An in Patrinos admittat, qui Professionem fidei edere detrectant.
4. An Pastor sit Patrinus quarumdam prolium suæ Parochiæ.
5. An in Parochia Obstetrix Catholica.
6. Bene instructa.
7. An fidelitatis juramentum præstitit.

LXXVII. Confirmatio.

1. A quo tempore hoc Sacramentum in Parochia aut locis vicinis non fuit administratum.
2. An multi Parochiani confirmati.
3. An Parochianis hoc Sacramentum quandoque explicet.
4. An eos moneat ad illud cum debita reverentia suscipiendum.

LXXVIII. Confessio.

1. An excepta necessitate eam extra Ecclesiam excipiat.
2. An audiat confessiones cumulatim.
3. An generaliter tantum absolvat.

LXXIX. Indulgentiæ.

An eas publicet absque licentia Ordinarii.

LXXX. Ss. Eucharistia.

1. An quando ad infirmos defertur, eam vicini comitentur.
2. An Missæ Sacrificium quandoque apud infirmum offerat.
3. Vel alias in privatis ædibus.
4. Cujus auctoritate.

LXXXI.

LXXXI. *Matrimonium.*

1. An quosdam Matrimonio jungat absque tribus præviis denunciationibus sive proclamationibus.
2. Qua auctoritate.
3. An sine licentia Matrimonio copulet alienos Parochianos.
4. An vagos & peregrinos.
5. An Catholicum cum Acatholica, vel econtra.
6. An in privatis ædibus Sponsos Matrimonio jungat.
7. An promeridiano tempore.
8. An Pastor, Sacellanus aut Deservitor aliquando sua auctoritate causas seu lites matrimoniales definiat.

LXXXII. *Circa Subditos.*

1. An omnes Parochiani sint Catholici.
2. An præceptis Ecclesiæ satisfaciant.
3. An debito tempore confiteantur.
4. Communicent.
5. An Dominicis & Festis audiant Missam.
6. Concionem.
7. A servilibus operibus abstineant, excepta messe, qua a Pastore conceditur.
8. Quis sit communicantium numerus.
9. An aliqui ex subditis sint Lutherani.
10. Calvinistæ.
11. Anabaptistæ.
12. Novorum Prophetarum.
13. Judæi.
14. De similibus suspecti.
15. Quam multi.
16. An Acatholica bona ibidem acquisiverint.
17. Cujus Religionis Officiales & Scabini in judiciis.
18. An Prædicans aliquis in Parochia.
19. An quandoque accedat.
20. Cujus Confessionis.
21. An in Parochia sint usurarii.
22. Blasphemi.
23. Lusores.
24. Adulteri.
25. Conjugati domicilio aut thoro scandalose separati.
26. Incestuosi.
27. Concubinarii.
28. Venefici.
29. Augures.
30. Eosque consulentes.
31. Homicidæ.
32. Contemptores Sanctorum.
33. Lectioni librorum Acatholicorum addicti.
34. Eos vendentes.
35. Eos domi servantes.
36. Carnes vendentes diebus prohibitis.
37. Eas tunc temporis comedentes.
38. Aliis manifestis criminibus obnoxii.
39. In iis obstinate perseverantes.
40. Persistentes ad annum vel ultra sua culpa in excommunicatione.
41. Qui Matrimonium contraxerunt intra gradus prohibitos consanguinitatis.
42. Affinitatis.
43. Vel alio modo.
44. Mulieres, quæ a partu antiquam Ecclesiæ consuetudinem contemnant, & ad Ecclesiam DEO gratias acturæ pro beneficio puerperii non procedant.
45. An in Parochia sint Monachi aut Moniales apostatæ.
46. An falsis conjugibus adhæreant.
47. An diebus Dominicis & Festivis pateant œnopolia & tabernæ ante Officium Divinum peractum.
48. An tempore lectionis Catecheticæ.
49. An Parochus magnam habeat rationem exterorum, qui domicilium in Parochia eligunt.

Tandem quæcunque scandala populum Christianum a vero Dei cultu avertentia, aut impedientia, aliaque gravamina, Divinum honorem, Ecclesiæque pacem, ac quietem conturbantia, una cum viis ac remediis iis obsistendi, in charta separata ejusdem cum hac forma, aut foliis his insertis, explicari & proponi poterunt; ut aliquando fiat unum ovile, sicut est unus Pastor.

FINIS.

Ex Typographia Friessemiana, Coloniæ a. 1649.

SYNODUS TORNACENSIS DIOECESANA,

Eodem anno Christi MDCXLIX.

Sub eodem Reverendissimo Domino, D. FRANCISCO VILLANI a GANDAVO, Tornac. LXXXIV. Episcopo

CELEBRATA.

ACTA & DECRETA

SYNODI DIOECESANÆ TORNACENSIS,

HABITÆ ET CELEBRATÆ IN PALATIO EPISCOPALI FERIA TERTIA POST DOMINICAM *MISERICORDIA*, DIE VIGESIMA PRIMA MENSIS APRILIS M.DC.XLIX.

Præsidente Revmo Dno FRANCISCO VILLANI a GANDAVO, DEI & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Tornacensi, assistentibus ei RR. DD. Joanne Baptista Stratio, Ecclesiæ Cathedralis Tornacensis Decano, Andræa Catulle J. U. L. Archidiac. Torn. & ejusdem Revmi D. Episc. Tornac. Vicario Generali, Adriano Lamoraldo Villani a Gandavo, Thesaurario, Philippo de Boulogne J. U. L. Hospitalario, Lamoraldo Becquet J. U. L. Joanne Ernesto Nieulant J. U. L. Archi-Diacono Flandriæ, Matthia Navæo S. T. D. (a) *Eustachio de Froidmont S. T. L. Jacobo Dalmans J. U. L. Pænitentiario, Judoco d'Hauwe J. U. L. Secretario, præfatæ Ecclesiæ Cathedralis Tornacensis Canonicis, Godefrido Wendelino J. U. D. Officiali,* (b) *Marco Denys, Monasterii S. Marci dicti S. Nicolai Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini Civitatis Tornac. Abbate, Philippo de Maulde J. U. D. Eccl. Collegiatæ Beatæ Mariæ oppidi Cortracen. Decano, Nicasio de Febve J. U. L. Canonico semipræbendato præfatæ Eccl. Cathedr. Tornac.* (c) *Leonardo Schaers, Cortracen. Joanne Daveloose, Veroviacen. Petro van Isselsteyn, Helchinien. Flandrorum Districtuum Christianitatis Decanis, nec non D. Michaële van Liere J. U. L. Advocato Fiscali, Gabriële Coppin, Scriba, Simione Goffet, & Petro Villers, Curiæ suæ Episcopalis Tornac. Promotoribus.*

Finito Sacro de Spiritu Sancto, Reverendissimus Dominus omnes præsentes paucis exhortatus est ad procurandum animarum salutem, & Religionis Cathol. augmentum.

Reverendus D. *Andræas Catulle*, Archidiac. Tornacen. legit *Cap. 1. de Resid. Conc. Trid. Sess. 23.*

Clarissimus Dominus *Godefridus Wendelinus*, Officialis, legit Acta Synodi anni præcedentis.

ARTICULUS I.

CUm alias Sede Episcopali vacante per Rdos D. Vicarios Generales resolutum foret, ut communicatione habita cum Dominis de Magistratu hujus Civit. Tornacensis conciperetur aliquod regulamentum super violatione Festorum, quæ admodum frequens est & scandalosa, præsertim quoad mercatores, qui aperiunt officinas diebus Dominicis & Festivis, braxatores, moli-

(a) *D. Petrus Masureel J. U. L.* excusatus abfuit.
(b) *D. Abbas S. Martini* ægrotus abfuit.
(c) *DD. Nicolaus Lamberti, Insul. S. T. L. Antonius Cardon, Amand. Jacobus de France S. T. L. Seclinien. Joannes Prus S. T. L. Helchinien. Gallorum, Joannes Francqhomme, Ulmen.* excusati, ob pericula viarum abfuerunt.

molitores, & rusticos suburbanos advehentes, & revehentes publice mane, meridie, & vespere ea, quæ faciunt ad alimenta equorum, vaccarum, ac alias; Mandamus, ut ista communicatio quamprimum executioni demandetur, dando onus Secretario nostro desuper agendi cum Dominis de Magistratu, ut aliquem, vel aliquos e suo corpore ad hunc effectum non graventur deputare. In qua convocatione etiam agatur de Arcubalistis, & Tormentariis, qui habent congregationes suas diebus Dominicis, etiam tempore Vesperarum, & videantur, ac producantur in medium ea, quæ ordinata sunt ab aliis Episcopis circa hoc idem subjectum Bruxellis, Gandavi, & alibi. (*d*)

II.

Ordinamus concipi & imprimi instructiones pro Confessariis jam admissis & imposterum admittendis, adjiciendo etiam ea, quæ concernunt pœnitentes, ut rite & digne confiteri possint. Super qua materia examinetur Bulla GREGORII XV. ac revideantur instructiones hujusmodi ab aliis Episcopis desuper emanatæ & impressæ. Quod onus Dominis Canonicis *Navæo* & *Froidmondo* Theologis committimus, ut infra mensem, si fieri possit, conceptus suos in scriptis forment, & Nobis consignent.

III.

Mandamus, ut Archi-Diaconi & Decani Christianitatis in visitationibus suis serio examinent & inquirant circa administrationem bonorum Ecclesiæ & mensæ pauperum, in quibus dicuntur committi plures abusus, per Prætores, Baillivos, Æadituos, & Provisores mensæ pauperum, qui nulla facta denuntiatione juxta Synodos Provinciales & Diœcesanas & Edicta Regia desuper subsecuta, præsumunt firma manu ac infra justum pretii valorem bona elocare, vel sibi census reservare: nec non audent etiam hujusmodi bona alienare, aut certe in alios usus, quam fundationum piarum (quas defraudant) convertere. De quo multi Pastores merito conqueruntur. Et quidquid circa hujusmodi abusus invenerint, diligenter annotent, & Nobis referre proxima data occasione non omittant, ut per auxilium brachii sæcularis ac Regis Decretum desuper obtinendum, (si opus est) provideatur.

IV.

Similiter Archi-Diaconi inquirant in singulis pagis, qua auctoritate nonnulli bona spectantia ad Ecclesias Parochiales, seu mensas pauperum consumpserint in solutionem talliarum gabellarum, & similium expensarum, quæ a communitatibus solvi consueverunt & debent.

V.

Archi-Diaconi etiam in hujusmodi visitationibus suis agant cum Dominis temporalibus, Æadituis, & aliis, quos hoc negotium tangere potest, super augmento salariorum, quæ prætendunt Capellani, seu locum tenentes Pastorum, & Custodes in pagis circa exequias, juxta ratam augmenti alias per Prædecessorem nostrorum facti ad commodum Pastorum.

VI.

Mandamus item omnino observari ac in praxim reduci ea, quæ præcipiuntur *Cap.* 17. *Tit. De Pastoribus*, in Synodo Diœcesana Reverendissimi Domini Prædecessoris nostri MAXIMILIANI, celebrata anno 1643. nominatim, ut Clerici comitentur Pastores, dum pueros baptisant, & Sacramenta administrant.

VII.

Cum a quibusdam Decanis Christianitatis dubitari contingat, quibus expensis fieri debeat convocatio annua Capellanorum, & Clericorum juxta *Cap.* 12. *Tit.* 7. *De Sacramento Pœnitentiæ*, *Cap.* 10. in eadem Synodo Diœcesana anni 1643. dicimus & declaramus, hujusmodi Capellanos & Clericos teneri suis expensis comparere.

VIII.

Mandamus ob gravissimas causas Nobis oretenus atque etiam in scriptis pro parte Pastorum nostræ Diœcesis propositas; ut nulli admittantur ad Matrimonium, qui aliquo modo de fide

Ssss 3 suspe-

(*d*) Vid. Synod. ann. 1520. 1589. & 1600.

ſuſpecti, aut ex patriis externis noviter reverſi, & nondum ſatis noti ſunt, niſi prius in manibus Paſtoris Profeſſionem fidei fecerint juxta compendium Bullæ PII V. utroque idiomate Flandrico & Gallico jam pridem conceptum pro hac Diœceſi, ſeu de novo per Secretarium noſtrum concipiendum.

IX.

Quamquam alias ſæpius in Synodis Diœceſanis ordinatum fuerit, ut Decani Chriſtianitatis decedente e vivis aliquo Paſtore, ſeu Presbytero, ac Clerico Nobis ſubdito, in ſuo diſtrictu, quamprimum mobilium omnium & monumentorum in domo mortuaria exiſtentium inventarium conficiant, tamen quia intelligimus aliquos teſtamenti Executores ſeu hæredes defuncti procedere ad venditionem hujusmodi mobilium Inventario non confecto: quod tamen eſt juris publici, neque unquam venit omittendum: idcirco ſtricte inhibemus omnibus, ad quos ſpectat, præſertim Executoribus teſtamentorum hujusmodi Nobis ſubditis, ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis in Presbyteros, & executionis in alios, ne præſumant quidquam diſtrahere, alienare, ſeu vendere, aut alias diſponere de mobilibus ac aliis rebus ad defunctum pertinentibus, niſi prius dicto inventario confecto & de corroboratione teſtamenti per Officialem noſtrum facta, prout moris, per literas ſigillo Curiæ munitas conſtiterit & conſtet.

X.

Cum experientia conſtet, Regiſtra & monumenta Eccleſiarum Parochialium continentia nomina Baptiſatorum & Matrimonio junctorum ſæpius deperdi, præſertim tempore bellorum, non ſine maximo boni publici detrimento: ideo ordinamus, ut Paſtores conficiant ſingulis annis parvulum regiſtrum, in quo deſcribantur Baptiſati & Matrimonio juncti, quod tradere teneantur Decanis Chriſtianitatis in annua Congregatione poſt Paſcha facienda, & ipſi Decani ea parvula regiſtra Nobis tuto transmittant in archivis Epiſcopatus reponenda & conſervanda. Et tamen iidem Paſtores aliud regiſtrum in Parochia aſſervent.

XI.

Cum ſæpius contingat locum tenentes & Vicarios Paſtorum, aliosque Presbyteros per Nos ad confeſſiones audiendas uſque ad annum ſeu alium terminum limitatum dumtaxat approbari, & interim occurrant feſta Paſchalia vel aliæ ſolemnitates tranſacto hujusmodi termino, nec liberum ſit hujusmodi Vicariis, ſeu Presbyteris Tornacum venire, vel Reverendiſſimum Dominum adire pro nova licentia obtinenda, & nihilominus ex præſuppoſita licentia audent propter populi affluentiam in audiendis confeſſionibus tantillum continuare, declaramus hoc eis nullatenus licere, ſeu ex præſumpta voluntate noſtra terminum hujusmodi prorogare, ſed tranſacto termino ab audiendis confeſſionibus omnino debere abſtinere, donec novam licentiam impetrarint.

XII.

Qui quidem locum tenentes ſive Vicarii Paſtorum, ſive alii Presbyteri de novo, & iterum admiſſi, ad confeſſiones audiendas tenentur literas ſuas denuo Decanis Chriſtianitatis exhibere, prout in prima licentia per eos obtenta, ſub pœna quod eadem licentia uti non poſſint.

XIII.

Quia Moniales aliquæ præſumunt auctoritate privata habitum regularem immutare, geſtando Scapularia uſque ad pectus tantum dependentia, velum etiam capitis ex ſerico ſeu tenui materia tranſparenti aſſumendo inſtar domicellarum ſæcularium, & in aliis pluribus ab antiquo & conſueto habitu diſcrepando: ideo ad refrænandam dictarum Monialium etiam in Hoſpitalibus ſervientium temeritatem & vanitatem; inhibemus ſtricte ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne Moniales, cujuscumque Ordinis fuerint, præſumant habitum ſuum ſine licentia noſtra in ſcriptis immutare.

XIV.

Inhibemus item dictis Monialibus Nobis ſubjectis clauſuram hucusque non

non ſervantibus, ne ad dies plures abeſſe, & ad alia oppida divertere, etiam parentum inviſendorum gratia, audeant & præſumant ſub ſola Prioriſſæ licentia, ſed ultra eam a Nobis, vel Vicario noſtro Generali, aut Officiali in caſu longioris commorationis ultra tres quatuorve dies obtinere teneantur. Liceat tamen Decanis Chriſtianitatis in caſu ſubitanei diſceſſus licentiam hujusmodi dare ad ſeptimanam, & non amplius.

XV.

Ex occaſione pacis & confœderationis initæ inter Regem Catholicum & Ordines Hollandiæ quæſitum fuit a nonnullis Paſtoribus, quid illis faciendum ſit cum iis, qui ex partibus Hollandicis, & aliis hæreſi infectis ſub Dominatu hujusmodi Ordinum veniunt, in his partes ad domicilium figendum, ſive habitandum? An ad Confeſſionem & Communionem Paſchalem non ſint cogendi, & in defectu ad Curiam citandi? Ordinamus hunc articulum amplius examinari, & pacis conditiones revideri, ut deſuper poſtea ſtatuatur, ac Regis Catholici voluntas exploretur, ſi opus eſt.

XVI.

Cum alias per Reverendiſſimum Dominum MAXIMILIANUM, Prædeceſſorem noſtrum, certum arreſtum in Concilio Regis privato obtentum fuerit, quo decernebatur, Paſtores ſeu Rectores Eccleſiarum Parochialium manutenendos eſſe in ſua poſſeſſione, ſi ab antiquo eam habuerunt, ſignandi computus Eccleſiarum & menſæ pauperum ante Baillivos ſeu Prætores Dominorum temporalium: ſicut etiam in præeminentia prioris loci in præfatione computuum. Et tamen non obſtante hujusmodi arreſto adhuc aliqui Prætores, ſive Baillivi præſumunt adhuc primo loco via facti ſignare, Paſtoribus ſeu conniventibus, ſeu reformidantibus expenſas proceſſus: & poſtea poſt duos aut tres dumtaxat annos ſic turbatæ poſſeſſionis querelas deponentibus. Monemus & adhortamur, imo in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, ut, quotquot ſunt Paſtores, non ſolum graviter ſeſe hujusmodi uſurpationibus & attentatis Baillivorum in ipſo puncto turbatæ poſſeſſionis opponant, ſed etiam ad Nos quamprimum & infra quindenam certiores de hujusmodi attentatis reddant, ut tempeſtive de opportuno juris remedio per viam manutenentiæ *complainte*, aut alias provideatur: Mandantes Decanis Chriſtianitatis, ut ſerio inquirant in prima Congregatione ſeu viſitatione, quales ſint Paſtores, qui poſt hujusmodi arreſtum poſſeſſione ſua deturbati fuerunt, quomodo, quando, & qualiter, ut etiam per remedium redintegrandæ poſſeſſionis aut caſſationis hujusmodi attentatorum, vel alia via juris compendioſa remedium adhibeatur.

XVII.

Denique, quia non obſtantibus tot & tam ſeriis Decretis & Statutis Synodalibus Prædeceſſorum noſtrorum circa Catechiſmum ſingulis diebus Dominicis & Feſtis faciendum, adhuc conſtât plures Paſtores officii ſui in hoc immemores eſſe, & quaſi negligentia obdormiſcere: injungimus ſerio Archi-Diaconis & Decanis Chriſtianitatis, ut ſingulis annis in ſuis viſitationibus diligenter inquirant ſuper negligentia hujusmodi Paſtorum, & defectuoſos in Catechiſando denuncient Promotoribus ab eis citandos, & pœnis per Prædeceſſores noſtros ſtatutis, quas hic renovamus, absque ulla diſſimulatione per Officialem noſtrum mulctandos. Qui quidem Promotores ſub initium cujusque trimeſtris teneantur Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali, & dictis Archi-Diaconis tradere nomina hujusmodi citatorum, ſub pœna, quod ipſimet Promotores ad tres florenos mulctabuntur, vel etiam ad trimeſtre ab officio ſuſpendentur.

XVIII.

Inſequendo Decreta Concilii Tridentini *Seſſ.* 24. *Cap.* 18. nominamus pro examine Paſtorum RR. DD. *Joannem Baptiſtam Stratium*, Decanum Eccleſiæ Cathedralis Tornacen. *Andræam Catulle* J.U.L. Archidiac. Tornac. & Vicarium Generalem, *Adrianum Lamoraldum Villani a Gandavo*, Theſaurarium, *Joannem Erneſtum Nieulant* J.U.L. Archidiaconum Flandriæ, *Matthiam Navæum* S.T.D. *Euſta-*

Euſtachium Froidmont S.T.L. *Franciſcum du Chaſteau* S. T. L. *Jacobum Dalmans* J. U. L. Pœnitentiarium, præfatæ Eccleſiæ Cathedralis Canonicos, *Godefridum Wendelinum* J. U.D. Officialem, *Nicolaum Lamberti* S. T. L. Inſul. & *Leonardum Schaerts*, Cortrac. Chriſtianitatis Decanos & Paſtores.

XIX.

Deputati vero Judices Synodales RR. DD. *Joannes Baptiſta Stratius* J. U. L. Decanus Eccleſiæ Cathedralis Tornac. *Andræas Catulle* J. U. L. Archi Diaconus Tornacen. Vicarius Generalis, *Adrianus Lamoraldus Villani a Gandavo*, Theſaurarius, *Philippus de Boulongne* J. U. L. *Joannes Erneſtus Nieulant* J. U. L. Archi-Diaconus Flandriæ, *Carolus de Steenbuys* J. U. L. *Petrus Maſureel*, Canonici Eccleſiæ Cathedralis præfatæ, *Godefridus Wendelinus*, Officialis, J. U. D. & *Antonius de Roore*, & *Marcus Denys*, reſpective Monaſteriorum S. Martini & S. Marci Civitatis Tornac. Abbates.

De mandato Revmi Domini mei Epiſcopi præfati.

J. D'HAUWE, *Secret.*

Ex Summa Statutorum Synod. Tornac. Inſulis impreſſa a. 1726. *& ſæpius laudata.*

SYNODUS GANDAVENSIS
DIOECESANA

Anno Chriſti MDCL. Innocentii X. Papæ VII. Ferdinandi III. Imp. XIV.

DECRETA & ORDINATA
DIOECESIS GANDAVENSIS;

Archi-Presbyteros, Paſtores, aliosque curam animarum habentes concernentia.

Per Revmum D. ANTONIUM TRIEST, (*) *Epiſcopum Gandavenſem VII. in Congregatione Vicariatus & Archi-Presbyterorum Diœceſis ſuæ, Anno* 1650. *reviſa, limitata, & iterum edita.*

ANTONIUS TRIEST, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS gratia Epiſcopus Gandavenſis, Omnibus & ſingulis Archi-Presbyteris, Paſtoribus, & cæteris curam animarum gerentibus hujus noſtræ Diœceſis, Salutem in Domino ſempiternam.

CUm vos in partem Miniſterii Paſtoralis Nobiſcum aſſumptos, nihil latere oporteat eorum, quæ ad debitum Ovium & Agnorum Domini noſtri JESU CHRISTI vobis concreditorum regimen, nec non ad morum diſciplinam, & ad Conſtitutiones recte & honeſte omnia in Eccleſia agendi pertinent & conducunt; cujusmodi ſunt, Præcepta, Leges & Statuta Eccleſiaſtica tam in Synodo poſtrema Provinciali Mechlinienſi, quam in ſimili Synodo Diœceſana Gandavenſi, nec non in Congregationibus Decanorum ſalubriter ordinata & antehac evulgata, quorum quidem omnium exemplaria diverſis temporibus impreſſa, apud perpaucos curam animarum habentes extare comperimus; Varia fuerunt plurimorum judicia,

(*) Vide ad calcem Decretorum.

dicia, circa modum eadem Præcepta, Statuta, seu Ordinata convenienter vobis communicandi. Sed tandem, quia dicebatur in hactenus editis Ordinatis multa contineri, pluries repetita, vel quæ præcise munus vestrum Pastorale non concernunt, aut quæ mutata rerum nostrarum facie pro tempore in usu non sunt, ideoque mutationem aliquam merito requirunt; prævaluit eorum sententia, qui judicabant Decreta & Statuta hujusmodi universa in uno eodemque libello de novo imprimi & compingi, ac numerum eorumdem restringi oportere, rescissis superfluis, nec non adjectis iis, quæ pro varietate temporis adjicienda videbantur, ut eo diligentius observentur, quo facilius ob eorum brevitatem & majorem claritatem in uno Codice perlegentur. Horum igitur saniori judicio annuentes, nov antiqua hæc Decreta & Ordinata, clara & compendiosa methodo digesta & compilata, juxta ordinem Titulorum in Synodis Provinciali Mechliniensi, & Diæcesana Gandavensi observatum, vobis proponimus; ita tamen, ut semper in dubiis memineritis ad fontes utriusque Synodi, aliaque Concilia per otium recurrere, per remissiones ad calcem cujusque Capitis appositas, citata. Nec erit, quo quis aliquorum Decretorum, etiam forte utilium, omissionem causetur, cum studio ea sic omitti curaverimus, quæ in Concilio Trident., in Pastorali nostro Gandavensi, in Rubricis & Ritibus tam Missalis, quam Breviarii Romani continentur, tum ne hæc nostra Ordinata in nimis magnam molem excrescant, tum etiam ut ad fontes illos, ubi casus tulerit, diligentius & frequentius recurratis, & assidua singulorum meditatione, defectus omnes emendare studeatis. Ut ita de die in diem, de virtute in virtutem, ad consummationem Sanctorum, & ædificationem Corporis CHRISTI progredientes, ad Officii Pastoralis culmen ascendere valeatis; Pascentes (*juxta monitum* D. Petri in epist. 1. cap. 5.) qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo: Et cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam. *Valete, & Omnipotentem Deum etiam pro me orate.*

INDEX TITULORUM, in his Decretis & Ordinatis occurrentium.

DECRETA & ORDINATA
DIOECESIS GANDAVENSIS.
TITULUS PRIMUS.
De Professione Fidei, ac his, quæ ad ejusdem Fidei integritatem conservandam pertinent.
CAPUT PRIMUM.

CUm a Fide tamquam a fundamento pendeat vita spiritualis & Religio nostra, ab ea exordium sumendo, statuimus & decrevimus, ut omnes Concio-

Concionatores & Confeſſarii, coram Archi-Presbytero aut Secretario noſtro; Regulares vero coram Superiore ſuo Regulari, faciant Profeſſionem fidei, juxta Bullam PII IV. ad finem horum adjectam, & de ea facta doceant, dum ſe ſiſtent pro admiſſione obtinenda. Similiter & quicunque in hæreſim lapſi ad Eccleſiæ gremium redeunt, præter abjurationem, & alia, ad quæ tenentur, ad hujusmodi Fidei profeſſionem faciendam obligentur. (*a*)

CAPUT II.

Ludimagiſtri emittant ſimilem Fidei Profeſſionem, & præter eam Juramentum, juxta formulam ad calcem horum Decretorum appoſitam, ad manus Scholaſtici loci, ſi quis fuerit, vel, eo abſente vel deficiente, ad manus Archi-Presbyteri. Typographi, Bibliopolæ, ac Librarii, etiam idem præſtent ad manus Archi-Presbyteri juxta formulam ibidem expreſſam. Sic tamen, ut ubi excepturus Juramentum & hujusmodi Fidei profeſſionem, habebit aliquam rationem de profeſſuri Fide dubitandi, eum præmoneat & examinet circa aliquos Fidei articulos hoc tempore maxime controverſos. (*b*)

CAPUT III.

Fidei profeſſionem emittere obligatus, opera Procuratoris non utetur, ſed per ſe ipſum id præſtabit, & ſuper Fide Catholica uniuscujusque Profeſſionem emiſſuri, is, qui eam excipiet, ſummariam informationem ante capiet, ſi & quatenus id requiri aut expedire judicaverit. (*c*)

CAPUT IV.

Nemo præter Typographos, Bibliopolas & Librarios juratos, ullos libros excudere, vel venales exponere præſumat. Nec liceat vel alios libros, cantilenas, rhythmos, ephemerides, aut ſimilia, quæ paſſim ab ignotis & exteris hominibus venalia circumferuntur, aut publice decantantur, imprimere, aut venalia exponere, aut ſecreto diſtribuere, quam debite approbata vel permiſſa fuerint. (*d*)

CAPUT V.

Libri etiam domorum mortuariarum non diſtrahantur, niſi ab approbato noſtro Cenſore, in hac Civitate Gandavenſi; alibi vero nonniſi ab Archi-Presbytero loci viſitati & vendi permiſſi fuerint, & viſitatio iſta gratis fiat. (*e*)

CAPUT VI.

Nemo omnino Sæcularis, vel Regularis prætextu ſolius gradus, quem in Univerſitate adeptus eſt, Libros cenſurandi, facultatem ſibi vindicet. (*f*)

CAPUT VII.

Moneant diligenter Parochi ſibi ſubditos, libros hæreticos, vel ex profeſſo lubricos nullo modo legere, vel habere licere; eisque prohibitiones Sedis Apoſtolicæ auctoritate, poſt Conc. Trid. editas, crebro inſinuent. (*g*)

CAPUT VIII.

Regulæ quartæ Indicis Librorum prohibitorum per Patres a ſacra Tridentina Synodo delectos, inhærentes; vetamus, ne ſacra Biblia vulgari lingua, paſſim a Laicis legantur: cum experimento manifeſtum ſit plus inde detrimenti, quam utilitatis oriri; niſi habita a Nobis licentia in ſcriptis, quam nulli concedere intendimus, niſi habito prius Parochorum aut Confeſſariorum teſtimonio, id expedire judicaverimus. Qui autem absque tali facultate, ea legere, ſeu habere præſumpſerit, niſi prius Bibliis Nobis, aut Parocho ſuo redditis, peccatorum abſolutionem percipere non poſſit. Si tamen ita judicetur expedire, ut lectio novi Teſtamenti maxime cum annotationibus Coſteri, aut ſimilis Doctoris Catholici aliquibus timoratis, piisque Fidelibus permittenda ſit, poterunt Paſtores in hujusmodi lectionem ſcripto conſentire. (*h*)

CAPUT

(*a*) Synodus Mechlinienſis Tit. 1. cap. 1. Synod. Gandaven. Tit. 1. cap. 1. Ordinat.
(*b*) Syn. Mechl. tit. 1. c. 3. & 4. Ordinat. (*c*) Syn. Gand. tit. 1. c. 4.
(*d*) Syn. Mechl. tit. 1. c. 5. & 9. Syn. Gand. tit. 1. c. 5. (*e*) Syn. Mechl. tit. 1. c. 6.
(*f*) Syn. Gand. tit. 1. c. 6. (*g*) Syn. Mechl. tit. 1. c. 7.
(*h*) Syn. Gand. tit. 1. cap. 7. Ordinat.

CAPUT IX.

Cum experimento abunde constet, disputationes cum Hæreticis super materiis Fidei initas sæpius in detrimentum Religionis cedere, nullumque profectum, sed magnam animorum exacerbationem parere: Pastores, Vice-Pastores, aut alii Presbyteri, ab iis prudenter abstinebunt; diligenter nihilominus controversiis ordinariis Fidei nunc occurrentibus studebunt, ut si ab hæreticis in aliorum præsentia cogantur Fidei Catholicæ quandoque rationem reddere, id breviter & solide facere possint, citra disputationis tamen formam, ne Catholici præsentes scandalizentur. Omnibus autem aliis, præsertim Laicis, hujusmodi disputationes inhibemus, sub pœna excommunicationis in jure expressa, & in eos decernenda, qui eas aggredi præsumpserint, nisi a Nobis ad hoc facultatem specialem obtinuerint. (i)

CAPUT X.

Quoniam pestilentius venenum est, quod auribus, quam quod ore hauritur, cum istud corpus dumtaxat, illud vero animas inficiat & interimat, districte omnibus & singulis Fidelibus inhibemus, ne quovis prætextu, præsertim curiositatis, conciones Hæreticorum audire, vel eorum Sectæ exercitiis interesse præsumant, sub interminatione maledictionis æternæ. (k)

CAPUT XI.

Ludi theatrales numquam, aut saltem raro, & tunc non aliter permittantur, quam si a Nobis, vel ab eo, quem ad id deputaverimus, permittendi videantur, idemque sit de actionibus mimorum & histrionum, qui vulgo *Camer spelders* nuncupantur. (l)

CAPUT XII.

Denique ut Rhetorum, quos nuncupant, congregationes, & exercitia extirpentur & impediantur, Decani, & Pastores serio monebunt Dominos temporales, Officiarios, & Magistratus, quatenus suo fungantur officio in hac parte, juxta Mandatum Regium, nec non Serenissimæ Infantis ISABELLÆ, quorum literas ad Concilium Flandriæ desuper directas, in fine horum Decretorum addidimus, alias Nobis sine mora denuntiabuntur. (m)

TITULUS II.

De Sacramentis in genere.

CAPUT I.

In administrandis Sacramentis, Pastorale nostræ Diœcesis omnes sequantur, nihil temere addendo, demendo vel immutando; sed omnia notata & ordinata, nec non ritus & formas, Decretaque ibidem inserta, & pro debita Sacramentorum administratione præscripta, exacte observando, quorum frequentem lectionem omnibus & singulis hujusmodi Sacramentorum Ministris commendamus. (n)

CAPUT II.

In administratione quorumcumque Sacramentorum, vis & efficacia eorum pro captu sumentium ac præsentium sæpe a Pastoribus explicentur, omnesque preces Sacramentales, maxime vero ipsæ formæ Sacramentorum, tractim, distincte, & attente cum debita reverentia pronuntientur. (o)

CAPUT III.

Et ne, dum quis aliis est Minister ad salutem, damnationem sibi acquirat, caveat quisque diligentissime, ut, qua decet, munditie & puritate tam animæ, quam corporis, Sacramenta administret. (p)

CAPUT IV.

Pastores ad administranda Sacramenta vocati, officio suo fungi non tardent, graviter alioqui puniendi, gravissime vero, si quem ipsorum negligentia, sine Baptismo, Confessione, sacro Viatico, aut Extrema Unctione ex hac vita migrare contigerit. (q)

CAPUT

(i) Ordinat. (k) Ordinat. (l) Syn. Mechl. tit. 1. c. 9. (m) Ordinat.
(n) Syn. Mechl. tit. 2. c. 1. Ordin. (o) Syn. Mechl. tit. 2. c. 3.
(p) Syn. Mechl. tit. 2. c. 4. Ordin. (q) Syn. Mechl. tit. 2. c. 5.

CAPUT V.

Non modo Archi-Presbyteri ſingulis annis a Nobis ſacrum Chriſma & ſacra Olea tempeſtive petant per Sacerdotem, Diaconum, vel ſaltem Subdiaconum, in mundis & honeſtis vaſculis (ſcilicet ſtannulis aut argenteis, nullo modo vero cupreis, teſtaceis, aut vitreis) ad locum reſidentiæ ſuæ ferri curent: ſed & Paſtores ſinguli quotannis ab Archi-Presbytero ſuo, vel ex Eccleſia, unde conſueverunt, per ſe, aut alium Sacerdotem, non autem eo inferiorem, in ſimilibus vaſculis ſacrum Chriſma, ſanctaque Olea ferre non omittant, iiſque receptis, veteribus non utantur: ſed quidquid ex illis ſuperfuerit, ſi liquidum, lampadi, quæ lucet ante Venerabile Sacramentum, infundatur, ſin autem bombyci vel goſſipio immixtum fuerit, ſuper piſcinam comburatur. (r)

CAPUT VI.

Claves Tabernaculi Sanctiſſimi Sacramenti, vel ſacrorum Oleorum, aut Fontis Baptiſmalis non relinquantur in ſummo Altari, Sacriſtia, vel penes Cuſtodem, aut quemcumque alium non conſtitutum in Ordine ſacro. In Parochiis tamen, ubi nullus eſt Sacellanus, aut Vice-Paſtor, quotiescumque Paſtorem ex cauſa abeſſe contigerit, claves prædictæ, durante ejus abſentia, in Sacriſtia reponentur, & ſervabuntur. In Monaſteriis vero a Superiore cuſtodientur, & nulli unquam Laico credantur; nec unquam permittatur ab ullo, qui non ſit ſaltem Subdiaconus, Tabernaculum claudi vel aperiri. (ſ)

CAPUT VII.

Advigilabunt omnes & ſinguli, ut Sacramentorum vaſcula, Calices, Remonſtrantiæ, Pyxides, Tabernaculum, Fons, Baptiſterium, aliaque loca, ubi cuſtodiuntur vel adminiſtrantur, ſingulis ſaltem bimeſtribus mundentur juxta reverentiæ iis debitæ, nec non puritatis, qua cum tractanda ſunt, exigentiam. (t)

CAPUT VIII.

Eccleſia igitur, quantumcumque ampla exiſtat, ſingulis ſaltem decenniis a ſolo ad faſtigium uſque purgetur. Parietum vero pars inferior ad altitudinem feneſtrarum, ipſæque feneſtræ bis in anno mundentur. Pavimentum ſingulis hebdomadibus verratur, aut ad minus, forte ruri, ubi non ita frequens eſt populus, ſaltem ſingulis menſibus. (u)

CAPUT IX.

Ex ſacra materia cujuscumque Sacramenti, nullus unquam aliquid tradet alicui, vel tradi permittet prætextu medicinæ vel maleficii tollendi, neque ipſe Parochus ad alium uſum ea applicabit, niſi ad quem ab Eccleſia deſtinatur, ſub pœna gravi & arbitraria. (x)

CAPUT X.

Conſtat, hæreticis in more eſſe, ut etiam ad periculoſiſſime laborantes non curent advocari Paſtorem, antequam agonizent, vel uſum linguæ cum intellectu amiſerint, atque ita omnes admonitionis ſint incapaces & ad Sacramenta rite ſuſcipienda ſe diſponere nequeant: interdum vero Paſtor acceſſitur, ut morientium famæ conſulatur, qui propriæ ſaluti conſulere noluerunt, & ne indigni comperiantur Eccleſiaſtica ſepultura: ut his periculoſiſſimis fraudibus utcumque obvietur; Paſtores omnes & ſinguli, ſimul atque aliquem ſubditorum de hæreſi non temere ſuſpectum ægrotare cognoverint, mox ægrum accedent, etiam non vocati, & aperte & candide cum eo agent, non celantes ſuſpicionem hæreſeos, qua laborat, & diſcrete proponentes, quæ ad reſipiſcentiam & contritionem excitandam facere judicabunt, debitam Fidei profeſſionem ab eodem exigent, & ad piam Sacramentorum ſuſceptionem inducere conabuntur. Et ſi quis forte ita monitus debitam Fidei profeſſionem emittere, ac Sacramenta ſuſcipere pertinaciter recuſaverit, eidem morienti, Eccleſiaſtica denegetur ſepultura. (y)

CAPUT XI.

Dum ſacro Chriſmati, vel aliis ſacris Oleis deficientibus admiſcendum eſt

(r) Syn. Mechl. tit. 2. c. 6. (ſ) Syn. Gand. tit. 2. c. 1. Ordin. (t) Ordinat. (u) Ordinat. (x) Ordinat. (y) Syn. Gand. tit. 2. c. 3.

est Oleum non consecratum, guttatim hoc fiat, ita ut quantitas ejus, quod infunditur, semper minor sit, vel certe non notabiliter major quantitate Olei consecrati. (z)

CAPUT XII.

Ante administrationem Sacramentorum nihil exigatur. Post administrationem tamen, vel quod sponte offertur a Fidelibus, vel quod laudabili consuetudine tamquam debitum præstari solet, velut vitæ stipendium recipiatur, imo & jurium solutio juridice exigatur, cum eam subditos plus nimium differre, vel ex malitia recusare constiterit. (a)

CAPUT XIII.

Ad ornatum & decorem Ecclesiarum spectat, vitare deformitatem non exiguam, quam adferunt sedilia quorumdam Nobilium, aut aliorum, quæ passim ac præsertim ruri in Ecclesiis Parochialibus erigi procurant pro se, suisque familiis, unde frequenter inter eos, Pastores, & Æditruos multa oriuntur litigia. Quare expresse mandamus, ne quis Parochus, aut alius quispiam, imposterum Nobis inconsultis, hujusmodi sedilia erigi permittant; imo si aliqua forsan indebite collocata fuerint, volumus ea quantocius amoveri, nisi convenienti possessione aliqui valeant jus sibi acquisitum probare. (b)

TITULUS III.

De Sacramento Baptismi.

CAPUT I.

PAstores sacrum Fontem sub operculo & sera diligenter servent, sacrum quoque Chrisma & Oleum similiter sub sera intra Baptisterium & loco honesto, nullatenus autem in Tabernaculo Venerabilis Sacramenti, ac Sabbato Sancto, prout & in Vigilia Pentecostes aquas baptismales consecraturi, ipsum Fontem antea per se, vel saltem per aliquem alium in sacro Ordine constitutum, mundent. (c)

CAPUT II.

Si forte alicubi aqua sacri Fontis corrumpi, vel lapideum vas Fontis, tempore gelu vel aliter, quomodocunque findi, atque ita ipsam aquam effluere contigerit; Parochus non expectet Sabbatum Sanctum, vel Vigiliam Pentecostes, ut novas aquas consecret, sed faciat id, quam poterit, citissime, ostiis tamen clausis, & exclusis Laicis, ipso vase prævie mundato, & si necesse aut opportunum fuerit, curet quoque illud ipsum ære, vel plumbo, antea obduci, aut aliud integrum & honestum comparari. (d)

CAPUT III.

Ubicumque juxta Fontem sacrum, necdum exstructa est piscina, citra moram extruatur, & in eam, dum aqua Fontis renovanda est, vetus infundatur. (e)

CAPUT IV.

Quilibet Parochus, vel ejus Vicarius, aut Deservitor, & non alius, librum habeat, in quo singulorum Baptizatorum, nec non utriusque parentis, ac patrinorum & matrinarum nomina & cognomina, diem & horam nativitatis recens baptizati diligenter describat, antequam extra Ecclesiam deferatur, & quando liber hujusmodi completus fuerit, servabitur in Archivis Ecclesiæ, ejusque copia describetur, mittenda ad Archivium Episcopatus. Et singuli Archi-Presbyteri specifice notabunt in actis Visitationis sui Districtus Nobis exhibendis, quarum Parochiarum Registrum, utpote completum, mandaverint describi, ut suo tempore delatio copiæ ad Archivium Episcopatus procuretur. (f)

CAPUT V.

Atque ut ejusmodi descriptio ubique uniformiter fiat, in omnibus & singulis Parochiis servabitur formula sequens:

Anno Die Mensis Ego N. Pastor baptizavi N. Filium N. & N. conjugum, natum Die Mensis circa horam Susceptores fuerunt N. & N. Vel si alieno nomine susceperint, illud exprimetur.

In descriptione Baptismi illegitimorum vero, servetur hæc formula:

 Anno

(z) Syn. Gand. tit. 2. c. 5. (a) Syn. Gand. tit. 2. c. 6. (b) Ordinat.
(c) Syn. Mechl. tit. 3. c. 1. Ordin. (d) Syn. Gand. tit. 3. c. 1.
(e) Syn. Gand. tit. 3. c. 2. (f) Syn. Mechl. tit. 3. c. 2. Syn. Gand. tit. 3. c. 3. Ordin.

Anno Die Mensis . Ego N. Pastor baptizavi N. Filium & N. vel cujus Pater aut Parentes ignorantur. Vel qui per Obstetricem aut alium dicitur esse Filius N. Ac insuper addatur nomen Obstetricis, vel deferentis; Susceptores fuerunt N. & N.

Si infans fuerit expofititius, eadem forma illegitimorum fervabitur, exprimendo infuper diem, ubi, & a quo repertus fuerit, femperque fub conditione baptizabitur, nifi de ejus Baptifmo antea collato legitime conftiterit. (g)

CAPUT VI.

Parochus, vel ejus vices gerens, nunquam plures, quam unum Sufceptorem, unam Sufceptricem, vel ad fummum unum & unam admittat. Et fi forte alii ad tangendum infantem inftar Patrinorum fe ingerant, declaretur aperte ante Baptifmum, nec eos, nec alios præter defcriptos feu defignatos, ullam cognationem fpiritualem contrahere. Alieno autem nomine infantem fufcipiens, hujusmodi cognationem non contrahit, fed is, a quo mandatum habuit: uterque tamen, prout dictum eft, libro Baptizatorum infcribatur. (h)

CAPUT VII.

In periculo mortis domi baptizatus, fi poftea ad Ecclefiam deferatur, ut omiffæ cæremoniæ a Parocho adhibeantur, nullam omnino cognationem contrahit cum Patrino ad Catechifmum vel Exorcifmum in Ecclefia adhibito. Quare nec nomen ejusmodi Patrini libro Baptizatorum & Sufceptorum infcribendum eft. Et fi forte infcriptio urgeatur, hoc modo ea fieri debet: *Susceptor in Catechismo & Exorcismo tantum N.* (i)

CAPUT VIII.

Monachi, feu Religiofi, vel Moniales, etiam Monafteriis Præfecti, ut per fe, ita quoque per Procuratorem, infantem e facro Fonte fufcipere prohibentur. Et ne Parochi, aliique curam animarum gerentes, onus hujusmodi fufcipiant, peroptamus; & nifi rogati ex caufa gravi id præftare debeant, quatenus opus eft, inhibemus. (k)

CAPUT IX.

Quandocumque infans fub conditione baptizandus fit, habetur Statutum in Paftorali hujus noftræ Diœcefis, & tunc eum baptizaturus hac forma utetur:

N. Si es baptizatus, ego te non baptizo: Si autem non es baptizatus, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & aquam infanti non fuperfundat, nifi cum dicere inceperit: *Ego te baptizo, &c.* (l)

CAPUT X.

Parochus ob id, quod puer baptizandus, fit illegitimus, vel ex parentibus pauperibus & exteris illic natus; nullusque pro ejus alimentatione Fidejuffor fefe offerat, ipfum baptizare, non recufet, nec differat, etfi Magiftratus loci, vel alii quicumque ob has, vel alias fimiles caufas puerum baptizari prohibeant. Et generaliter quandocumque infans baptizandus offertur, vel Parochus ad baptizandum vocatur, is officio fuo fungi non differat, & nullo modo in diem Dominicum, vel Feftum proximum Baptifmum rejiciat fub pœna arbitraria. Et parentes moniti, ut infantes fuos baptizari curent, fi intra triduum non obedierint, denuncientur. (m)

CAPUT XI.

Si aliquando contigerit prolem illegitimam deferri ad ædes Patris, nolentis eam pro fua agnofcere, talis proles nullo pacto ibidem depofita relinquetur, nifi deferens eam prius curaverit baptizari. Quare Paftores frequenter monebunt Obftetrices, aut alias mulieres, quæ parturientibus vel ex charitate, vel lucri caufa affiftunt, ut huic noftro Decreto fefe conforment, ac infuper ne officio fuo fungi & puerperas adjuvare differant, caufa eliciendi nomen patris, quando ex illicito concubitu conceperunt. (n)

CAPUT

(g) Ordinat. (h) Syn. Mechl. tit. 3. c. 2. Syn. Gand. tit. 3. c. 3. & 9.
(i) Syn. Gand. tit. 3. c. 10. (k) Syn. Gand. tit. 3. c. 8. Ordin.
(l) Syn. Mech. tit. 3. c. 6. Syn. Gand. tit. 3. c. 5. & 6. Ordin. (m) Syn. Gand. tit. 3. c. 7.
(n) Ordinat.

CAPUT XII.

Quia vero experientia docet, Obstetrices, aliasque mulieres interdum parvulos recens natos in necessitate baptizantes, errare in forma, & ritu, & forte in materia Baptismi. Mandamus Parochis, ut sæpius pro concione & in Catechismo singula ad baptizandum requisita, clare & distincte explicent, ita ut facile omnes intelligant aquæ naturalis perfusione super parte nuda & vivente principali, & simul formæ pronuntiatione a Christo Domino institutæ, hujusmodi Sacramentum a baptizante & formam ita pronuntiante conferri. (*o*)

CAPUT XIII.

Occurrentes quorumdam temeritati, qui ob Patrinorum absentiam, similiaque minime probanda, diutius, quam par est, prolium suarum Baptismum differunt, aliquando cum earum salutis discrimine, Parochi advigilabunt, ut eæ quamprimum baptizentur, & id quidem in Ecclesia Parochiali, locoque solito, ac neutiquam in domo, nisi evidenti necessitate & periculo urgente (Regum tamen & Principum supremorum filiis exceptis:) & qui secus fecerint, vel simili facto præsentiam suam exhibuerint, sciant se pœnam suspensionis a Divinis, aliamque arbitrariam & exemplarem incursuros. (*p*)

CAPUT XIV.

Infantes sine Baptismo morientes nec in loco sacro, nec in parentum vel aliorum privatorum hortis sepeliantur, sed communis aliquis locus juxta cœmiterium, vel intra ejus septa, eorum sepulturæ deputetur. (*q*)

CAPUT XV.

Hortamur & requirimus omnes Magistratus singulorum locorum, ne quam ad obstetricandum admittant, nisi prius a Pastore loci, ubi Obstetrix moratur, testimonium sinceræ & Catholicæ Fidei habeat, Professionemque fidei coram Archi-Presbytero suo faciat, nec non materiam, formamque Baptismi testimonio ejusdem Pastoris probe calleat, & ultra consuetum juramentum, juret etiam, quod infantes a se excipiendos quantocius, vel saltem intra tres dies baptizari curabit: aut si obsistentibus parentibus vel amicis id efficere non possit, quod mox illud Pastori loci denuntiabit. (*r*)

CAPUT XVI.

Puerperæ, cum a puerperio domum exeuntes se ad Ecclesiam contulerint, a Parocho proprio, vel ejus Vicario juxta probatissimam Ecclesiæ consuetudinem purificentur. (*s*)

CAPUT XVII.

Ad abolendum pravam illam consuetudinem, qua ruri præsertim post Baptismum puerorum, convivia non sine maximis incommodis & periculis tam puerperæ, quam infantis celebrari consueverunt; mandamus Pastoribus, ut subinde moneant & hortentur subditos suos, ut ab hujusmodi conviviis abstineant, quod, ut facilius impetrent, caveant in primis ipsi, ne quantumvis invitati, dictis conviviis intersint. (*t*)

CAPUT XVIII.

Ea autem convivia non tantum intelligimus, quæ fiunt ipso die Baptismi, sed illa quoque omnia, quæ ante purificationem puerperarum, occasione Baptismi, aut patrinorum celebrantur. Et similiter, ut cæteri omnes Presbyteri ab iis abstineant, mandamus. (*u*)

CAPUT XIX.

Nemo extra mortis periculum infantis, quovis prætextu, eum baptizare præsumat sine exorcismis, aliisque cæremoniis, sub pœna gravi & arbitraria. (*x*)

TITULUS IV.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

PAstores sub id temporis, quo Episcopus in iis locis hoc Sacramentum administraturus est, subditos suos plene instruant de iis omnibus, quæ ad illud digne suscipiendum pertinent, nec

(*o*) Ordin. (*p*) Syn. Mech. tit. 3. c. 5. Ordin. (*q*) Syn. Gand. tit. 3. c. 4. Ordin.
(*r*) Syn. Mechl. tit. 3. c. 7. Syn. Gand. tit. 3. c. 12. (*s*) Syn. Mechl. tit. 3. c. 8.
(*t*) Syn. Mechl. tit. 3. c. 9. (*u*) Syn. Gand. tit. 3. c. 11. (*x*) Ordinat.

nec non de multiplici utilitate ac effectibus ejusdem, ſimulque ſerio eos adhortentur, ne illud ſuſcipere differant. Denique Parochianis ſuis explicent Decreta in Paſtorali noſtro contenta, ad quæ eos remittimus. Moneant etiam Confeſſionem Sacramentalem præmittendam a confirmandis, ſi ſint doli capaces. Item de Patrinorum obligatione, & ſimilibus. (*y*)

CAPUT II.

Conſulant ſimiliter confirmandis, eorumque parentibus, ut Sacerdotes, aut in aliis ſacris Ordinibus conſtituti, vel patrui, avunculi, amitæ, materteræ, aut ſimiles conſanguinei vel affines in patrinos aut matrinas aſſumantur, vel ſi extranei aſſumendi ſint, in patrinos maſculorum, maſculi, in matrinas vero fœminarum, fœminæ aſſumantur, ne cognationem ſpiritualem inter eos inconſiderate contrahi contingat, qui aliquando Matrimonio jungi optarent. (*z*)

CAPUT III.

Dubitantes, num aliquando Sacramentum hoc ſuſceperint, illud ipſum dubium & rationes dubitandi Nobis exponant, ut ſub conditione confirmentur, ſi ita fieri debere judicaverimus. (*a*)

TITULUS V.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

NEmo Presbyter ſæcularis, etiam Regularis, cujuscumque Ordinis vel Societatis, qualitatis, dignitatis, vel auctoritatis extiterit, Confeſſiones Sæcularium, nequidem Sacerdotum, aut perſonarum Regularium Nobis ſubditarum audire præſumat extra mortis articulum, niſi aut Parochiale Beneficium obtineat, aut a Nobis idoneus judicatus & approbatus fuerit: admiſſio quoque iſta in ſcriptis habeatur, declarantes approbationes, nec non confeſſiones aliter factas, & abſolutiones ſubſecutas fore nullas. (*b*)

CAPUT II.

Quapropter nullus Paſtorum aliquem ad confeſſiones excipiendum vel concionandum admittere præſumat, niſi prævie ſcripto docuerit ſe a Nobis, vel Prædeceſſoribus noſtris legitime fuiſſe admiſſum, idque ſub pœna arbitraria. (*c*)

CAPUT III.

Atque ut mens noſtra circa admiſſiones hujusmodi melius innoteſcat, declaramus per ordinariam & generalem ad confeſſiones audiendum & concionandum admiſſionis formulam, non comprehendi, ſed excipi Moniales clauſuram ſervantes, reſpectu quarum hujusmodi formulæ minime ſuffragantur Confeſſario vel Concionatori, niſi clare & expreſſis terminis ad eas extendantur. (*d*)

CAPUT IV.

Extra confeſſionalia cancellata, vel ante ea ſeu ad genua Confeſſariorum extra cancellos, confeſſiones fœminarum, etiam Monialium, citra neceſſitatem, audire prohibemus ſub pœna arbitraria; ſi alicubi ſimilia confeſſionalia hactenus erecta non ſint, ea quantocius ſumptibus fabricarum erigantur, niſi aliunde provideatur. Surdi autem vel in Sacriſtia, vel in Eccleſia, aut alio loco, non tamen clauſo, ita diſcrete audiantur, ut nulli detur aliquod offendiculum. (*e*)

CAPUT V.

Ut perverſis & reprobis hominibus, omnis calumniandi occaſio, quantum fieri poteſt, ſubtrahatur, mandamus, ut, dum tenebræ ſunt, nemo, niſi adhibito lumine, fœminarum confeſſiones excipiat. (*f*)

CAPUT VI.

Sacerdotes ſæculares nonniſi ſuperpelliceo vel alba induti, ſæcularium non ægrotorum confeſſiones excipiant: Paſtores vero & Vice-Paſtores etiam ſtolam ſuperaddant. Cum vero Judicem ſedentem, ſententias ferre oporteat,

(*y*) Syn. Mech. tit. 4. c. 2. Syn. Gand. tit. 4. c. 1. Ordin. (*z*) Syn. Mech. tit. 4. c. 2. Ord.
(*a*) Syn. Gand. tit. 4. c. 3. (*b*) Syn. Mechl. tit. 5. c. 1. Syn. Gand. tit. 5. c. 2. Ordin.
(*c*) Syn. Gand. tit. 16. c. 10. Ordinat. (*d*) Ordinat. (*e*) Syn. Mechl. tit. 5. c. 3. Syn. Gand. tit. 5. c. 1. Ordinat. (*f*) Syn. Gand. tit. 5. c. 4.

teat, nullus omnino Confessarius Regularis vel sæcularis cujuscumque personæ confessionem aliter excipiat, quam sedens, nec aliter, quam cooperto capite Sacramentalis Confessionis sententiam ferat, quacumque etiam pœnitentes dignitate fulgeant, citra casum necessitatis. (g)

CAPUT VII.

Et ne paulatim flaccescat Ecclesiæ præceptum de annua confessione, omnes & singuli Confessarii tam sæculares, quam Regulares (quos, quatenus opus est, ad hoc requirimus) nomina & cognomina confitentium annotabunt, quæ singulis respective Pastoribus tradentur in Registrum ad hoc conficiendum, quatenus opus fuerit, referenda, & examinanda, simulque ut innotescant defectuosi, Curiæ nostræ suo tempore denuntiandi. (h)

CAPUT VIII.

Parochos & Confessarios omnes & singulos serio monemus & obtestamur, ut imposterum pueros in confessione exactius, & non ita perfunctorie audiant prout passim, eosque bene instruant, præsertim quoad juramenta, imprecationes, blasphemias, aliaque peccata gravia inter eos nunc perquam communia, ut ab iis queant per Dei gratiam abstinere & emendari. (i)

CAPUT IX.

Sciat quilibet a Casibus Sedi Apostolicæ, aut Nobis reservatis se absolvere non posse, præterquam in mortis articulo, nisi ad hoc specialem facultatem debite acceperit, quo casu etiam super irregularitatibus aut votis dispensare, nisi aliam specialem potestatem ad hoc habuerit, non præsumat. (k)

CAPUT X.

Casus in nostra Diœcesi Gandavensi Nobis reservati, sunt sequentes: Sodomia cum aliis delictis gravioribus ejusdem generis, Raptus Virginum, Homicidium voluntarium, Incendium ex deliberata voluntate procuratum, Simonia, Hæresis, Apostasia, Incestus cum consanguineis aut Sanctimonialibus, Injectio manuum violenta deliberato proposito cum læsione in parentes facta, Sortilegium, Adulterium notorium, & omnia delicta, quæ excommunicationem Ordinario reservatam, annexam habent, de quibus omnibus videndum est Pastorale Diœcesanum. (l)

CAPUT XI.

Qui ab his Casibus absolvendi potestatem accepit, non ad destructionem, sed ad ædificationem ea utatur, exponendo pœnitentibus gravitatem peccatorum, & convenientes satisfactiones, prout spiritus suggesserit, prudenter injungendo. (m)

CAPUT XII.

Nemo vota obedientiæ a filiabus confessionis exigat vel admittat, sub pœna arbitraria, nec ullus aliquem ad perpetuo sibi soli confitendum obliget, & ejusmodi promissionem, etiam juratam, tanquam irrationabilem ac indiscretam, irritam esse declaramus. (n)

CAPUT XIII.

Debent Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant, & indulgenter cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad vitæ novæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. Nam claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt & docent. (o)

CAPUT XIV.

Caveant Confessarii in examinandis pœnitentibus, præsertim circa vitia carnis,

(g) Syn. Mech. tit. 5. c. 2. Syn. Gand. tit. 5. c. 3. (h) Ordinat. (i) Ordinat.
(k) Syn. Mechl. tit. 5. c. 5. (l) Syn. Gand. tit. 5. c. 5. (m) Syn. Gand. tit. 5. c. 6.
(n) Syn. Mechl. tit. 5. c. 7. Syn. Gand. tit. 5. c. 4. (o) Syn. Mechl. tit. 5. c. 8.

carniſ, ne indiſcretis interrogationibus eos doceant peccata, quæ ignorant; vel aliter ſcandalizent. (*p*)

CAPUT XV.

Frequenter in Eccleſiis publicetur, Fideles omnes, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, ſemel in anno proprio Sacerdoti, aut alteri de ejus licentia, fideliter ſua peccata confiteri debere. (*q*)

CAPUT XVI.

Meminerit unusquisque Confeſſionis ſigillum ſtrictiſſime ſervandum eſſe, etiam ſub pœna depoſitionis a Sacerdotali Officio, & detruſionis in arctum Monaſterium ad agendam ibidem pœnitentiam perpetuam. Imo caveat omnino, ne verbo aut ſigno, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem, ſed ſi prudentiorum conſilio indiguerit, illud absque ulla perſonæ expreſſione caute requirat; hoc porro ſigillum ad ea ſe quoque extendit, quæ ſubinde occaſione eorum, quæ in confeſſione detecta ſunt, poſt datam abſolutionem a Confeſſariis interrogati pœnitentes, vel repetunt, vel diffuſius narrant; quæ perinde, ut ea, quæ in ipſa dicta ſunt confeſſione, ſecreta ſunt habenda. (*r*)

CAPUT XVII.

Quicunque ex menſa Sancti Spiritus eleemoſynas percipiunt apud Paſtorem ſuum & Magiſtros menſæ, quotannis legitime doceant de peracta Confeſſione annua & Communione in Paſchate, & id ipſum non docentes, prima vice ad tres menſes, ſecunda vero vice in perpetuum omni ſubſidio menſæ præfatæ priventur. (*s*)

CAPUT XVIII.

Statutum eſt ab INNOCENTIO III., ut Medici ad ægros in lecto decumbentes vocati, antequam illorum curam ſuſcipiant, eos admoneant de advocando Confeſſario, & intra quatriduum non parentium curam deſerant, ſub pœna excommunicationis, niſi æger paulo ante morbum confeſſus ſit. Hanc ſalutarem admodum Conſtitutionem a Medicis exacte obſervari, præſertim quoad ægros, qui aliquo modo de hæreſi ſuſpecti ſunt, vel liberius vixerunt, ſingulariter optamus; vel ſi hoc durius fortaſſe videatur, aut timoratis Medicis damno fore metuatur, Parochum ſaltem moneri curabunt quilibet Medici, quamprimum aliquem ægrum in ejus Parochia viſitabunt. Idemque faciant Religioſi, qui ægrotis aſſiſtunt. Et Paſtor ſic monitus, ægrum ipſum accedere non differet, eumque ad ſuſcipiendum hoc ſalutare Pœnitentiæ Sacramentum modis omnibus inducere, & in cæteris omnibus officio ſuo debite perfungi conabitur. (*t*)

CAPUT XIX.

Antiquam conſuetudinem confitendi in initio Quadrageſimæ continuari, vel in uſum revocari peroptamus, ut futura jejunia & alia pietatis opera in ſtatu gratiæ fiant, & meritoria exiſtant. Quare Paſtores Dominica *Sexageſimæ* vel *Quinquageſimæ* ſubditos ſuos ad Sacramentum Pœnitentiæ in capite Jejunii rite ſuſcipiendum, ſerio hortabuntur. (*u*)

CAPUT XX.

Atque ut Fideles, præſertim ubi frequentior eſt populus, diebus Dominicis & Feſtis copiam Confeſſarii habeant, monemus, ut, ubi celebratur Sacrum Primarium, eo durante Parochus, vel alius Sacerdos approbatus ſedeat in confeſſionali, prout etiam tempore Summi Sacri, quatenus alliciantur plurimi ad ſæpius Sacramentum Pœnitentiæ frequentandum. (*x*)

CAPUT XXI.

Denique Confeſſarii omnes & ſinguli exacte obſervabunt ea, quæ in Paſtorali noſtro quoad adminiſtrationem hujus Sacramenti præſcribuntur, & quæ pro brevi inſtructione uniuscujusque ad confeſſiones excipiendas admiſſi, in ſchedula ad hoc ſpecialiter edita exprimuntur, & ad calcem horum Decretorum adjiciuntur. (*y*)

TITU-

(*p*) Syn. Gand. tit. 5. c. 8. (*q*) Syn. Gand. tit. 5. c. 10. (*r*) Syn. Mech. tit. 5. c. 6. Syn. Gand. tit. 5. c. 10. (*s*) Syn. Gand. tit. 5. c. 11. (*t*) Syn. Gand. ibid. (*u*) Syn. Gand. tit. 5. c. 14. (*x*) Ordinat. (*y*) Ordinat.

TITULUS VI.
De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

CAPUT I.

IN singulis Ecclesiis Parochialibus plures Hostiæ ad usum ægrotorum continuo asserventur, & quidem sub sera & in loco honesto, ac argenteo saltem & decenti vasculo, & singulis hebdomadibus aut circiter, vel si humiditas loci requirat, etiam sæpius, species Sacramentales renoventur. (z)

CAPUT II.

Atque ut Augustissimum hoc Sacramentum ea, qua par est, reverentia custodiatur, præter ea, quæ in Pastorali nostro præcipiuntur, inviolabiliter observanda, mandamus, ut solum ipsius Tabernaculi stratum sit semper corporali mundo & candido, sine quo nunquam usquam Venerabile Sacramentum, vel vasculum illud continens, deponi debet, vel collocari. (a)

CAPUT III.

Tabernaculum hoc Sanctissimum vacuum semper sit a quibusvis Reliquiis, sacrorum Oleorum vasculis, etiam infirmorum, aliisque rebus quibuscumque, adeo ut ne quidem pyxis inanis, multo minus Monstrantia ibi ulla remaneat, sed solum illa vasa, in quibus Venerabile Sacramentum continetur, hoc loco asserventur. (b)

CAPUT IV.

Ubicumque locus ab hostibus, & prædonibus est tutus, & facultates Ecclesiæ ferunt, continuo tam de nocte, quam de die ante Tabernaculum Sanctissimæ Eucharistiæ lumen ardeat, alibi saltem sub Officio Divino. (c)

CAPUT V.

Pastores, aut eorum Vicarii Venerabile Corporis Christi Sacramentum ad ægrotos, aut alios deferant, decenter & reverenter ornati stola & superpelliceo, Custode similiter induto superpelliceo, lumen & campanulam sonantem præferente. Idque observetur, etiamsi infirmus frequenter in ægritudine sua Viaticum salutis sibi deferri petat. Et quando fieri potest, antequam sacra Eucharistia ad ægrotum deferatur, præmittatur confessio. (d)

CAPUT VI.

Prout in Processionibus quibuscumque, ubi circumfertur Sanctissimum Sacramentum, mandamus & volumus, ut id nequaquam fiat, nisi sub umbella ab honestioribus Parochianis deferenda, idem quoque peroptamus observari, quantum fieri potest, quandocumque ad ægrotos deferendum est, præsertim in oppidis, villis, & pagis, ubi frequentior est populus, ac ædes Ecclesiæ viciniores existunt. Atque ut id fiat cum summa religione, populus pro concione moneatur & excitetur, eique inculcetur, Nos omnibus & singulis Fidelibus umbellam hujusmodi deferentibus vel devote comitantibus, quadraginta dierum Indulgentias impertiri. (e)

CAPUT VII.

Parochi deferentes sacrum Viaticum ad ægros, nullatenus permittant, illud per Regularem quemquam ibi forte præsentem, quocumque allegato prætextu, ægroto porrigi, sed per se, servato ritu in Pastorali descripto, administrent. (f)

CAPUT VIII.

Nunquam unica dumtaxat sacra Hostia ad ægrotum deferatur. Quando tamen vel nimia loci distantia, vel itineris, temporisve difficultas, vel alia justa causa impedit, quo minus id præstari possit, tum licebit Parocho eam Sanctissimæ Eucharistiæ particulam solam deferre, quam æger percepturus est, quo casu inane vasculum occulte, silente campanula, sine lumine & ornatu ad Ecclesiam referetur, illis etiam, qui Sanctissimum Sacramentum comitati fuerint, præmonitis, unicam dumtaxat sacram Hostiam pro ægroto delatam fuisse. (g)

CAPUT

(z) Syn. Mechl. tit. 7. c. 1. Ordinat. (a) Ordinat. (b) Ordinat. (c) Syn. Mechl. tit. 7. c. 2. (d) Syn. Mech. tit. 7. c. 3. (e) Ordinat. (f) Ordin. (g) Syn. Mechl. tit. 7. c. 4. Syn. Gand. tit. 6. c. 2.

CAPUT IX.

Quandocumque hoc Sacramentum ad ægrotos deferendum eſt, ægroti cubiculum ab omni ſorde prius purgandum eſſe, ac juxta Paſtorale, menſam nitida mappa, vel alio mundo linteo honeſte conſtratam, & Cruce, luminaribus, ac vaſculo aquæ benedictæ inſtructam, in qua pyxis cum Sanctiſſimo Sacramento collocari poſſit, præparari debere; Paſtores ſubditis ſuis data occaſione inculcare non omittant. (*b*)

CAPUT X.

Decretum Concilii Lateranenſis *Omnis utriusque ſexus*, in Paſtorali contentum, iterum renovantes, eique adhærentes, declaramus nullum a Communione Paſchali in propria Parochia ſemel in anno excuſari, etſi perperam aliqui forte probabile eſſe aſſerant, ad hujusmodi Communionem Chriſtianos non obligari, quapropter juxta id, quod in Paſtorali præcipitur, Decretum prædictum, Paſtores & Confeſſarii frequenter Fidelibus inculcabunt & in Eccleſiis publicabunt. (*i*)

CAPUT XI.

Quilibet annos diſcretionis habens, communicare debet in Paſchate in Eccleſia ſua parochiali, proinde Paſtores ſæpius etiam hortabuntur Parochianos ſuos ſub concionibus & alias, eisque inculcabunt intolerabilem eſſe abuſum, quo rudiores ducuntur, credentes, ſe non obligari ante annum ætatis decimum ſextum, vel amplius, ad illud percipiendum. Cavebunt tamen, ne aliquos admittant Fidei rudimenta ignorantes, & quid ſub ſpeciebus Sacramentalibus contineatur, non intelligentes. (*k*)

CAPUT XII.

Paſtor etiam hortetur ſæpius Parochianos ſuos ſub concionibus & in lectione Catechiſtica, ac alias, ad frequentem hujus Venerabilis Sacramenti uſum & participationem, & ut populi devotio erga illud promoveatur, rogamus, & in Domino obteſtamur omnes & ſingulos Paſtores, ac animarum curam gerentes, quatenus ſingulis feriis quintis ſaltem in Parochiis & locis celebrioribus Miſſæ Sacrificium de Venerabili Sacramento ſolemniter celebrent, alibi vero per Laudum veſpertinarum decantationem, ſingulis ſaltem Dominicis poſt Veſperas, vel per erectionem Confraternitatis ejusdem Sanctiſſimi Sacramenti; ſubditi exemplo Paſtorum, ad particularem aliquem cultum tanti Myſterii paulatim excitentur. (*l*)

CAPUT XIII.

Concubinarii publici, antequam concubinas ſuas actu dimiſerint, ad ſacram Communionem non admittantur, neque etiam publici Uſurarii, niſi uſuris renuntiaverint, & injuſta lucra reſtituerint, aut de eis reſtituendis cautionem dederint. (*m*)

CAPUT XIV.

Sacroſancta Euchariſtia pie & utiliter ad populi devotionem interdum in publicis Supplicationibus defertur; potiſſimum vero in feſto Sacro Chriſti Corpori conſecrato, ejusque Octava. Sed ne nimia frequentia minuat reverentiam, rarius extra prædicta tempora id fiat, & non niſi in arduis cauſis pacis & publicæ neceſſitatis. In illis Proceſſionibus, ad quas populus non tam orandi, quam ſpectandi gratia confluere ſolet, abſtineatur. In communibus autem Supplicationibus, in quibus Venerabile Sacramentum non defertur, circumgeſtari poterunt Sanctorum Reliquiæ vel Imagines. (*n*)

TITULUS VII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT I.

Parochi ægrotos ſæpe inviſant, hortenturque, ne ad extremum Sacramenti hujus ſuſceptionem differant, ac potius ſenſibus, rationisque uſu adhuc integris, illud ſibi adminiſtrari petant, ut ita uberiorem ejus fructum percipiant. (*o*)

CAPUT

(*b*) Syn. Gand. tit. 6. c. 4. tit. 6. c. 1. Ordinat.
(*i*) Ordinat.
(*k*) Syn. Mechl. tit. 7. c. 5. Syn. Gand.
(*l*) Ordinat.
(*m*) Syn. Mechl. tit. 7. c. 7.
(*n*) Syn. Mechl. tit. 7. c. 8.
(*o*) Syn. Mechl. tit. 8. c. 1.

CAPUT II.

Falluntur, qui existimant, suscepto hoc Sacramento, vel Testamentum condi non posse, vel spem convalescendi ob id imminui. Ideoque Pastores, contrarium subinde populum doceant. (p)

CAPUT III.

Sacrum Oleum infirmorum cum debita reverentia ad ægrotum deferatur, Custode, qui & honesto superpelliceo semper sit indutus, lumen præferente, absque sonitu tamen nolæ, cæterisque exacte observatis, quæ in Pastorali nostro observanda præscribuntur. (q)

CAPUT IV.

In dubio, an is, ad quem inungendum Parochus vocatus est, adhuc vivat, hac conditione in ungendo utatur: *Si es vivus, per istam Unctionem*, &c. (r)

CAPUT V.

In una quoque & eadem ægritudine, etiam ad plures menses perdurante, iterato conferri, hoc Sacramentum nemini debet. (s)

CAPUT VI.

Vas Olei sacri infirmorum, in aliquo loco decenti, seraque clauso, juxta & non intra Tabernaculum Venerabilis Sacramenti Eucharistiæ servetur. (t)

TITULUS VIII.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

Ad primam Tonsuram nemo se præsentet, qui non sit confirmatus, Fidei rudimenta edoctus, legendi & scribendi peritus, ac debito vitæ & natalium testimonio munitus. (u)

CAPUT II.

Majoribus Ordinibus insigniendi, si sint Religiosi, a Superiore suo vitæ, morumque probitatis debita testimonia in scriptis adferant. Sæculares, si in Ecclesia Collegiata resideant, a Capitulo; si in Collegio vel Pædagogio aliquo degant, ab illius Præside, alioquin a proprio Pastore similia, prout & ætatis ac natalium testimonia exhibere debeant. Et non habens ejusmodi testimonia, ne ad examen quidem admittatur, nisi Nobis aliter videatur. (x)

CAPUT III.

Fiant insuper proclamationes promovendorum ad singulos Ordines majores, & qui de iis non docuerint, imposterum rejiciantur. (y)

CAPUT IV.

Quod alias ordinavimus, iterum statuentes, mandamus, ut nemo ad sacros majores Ordines sese sistat admittendum, nisi juxta præscriptum sacri Concilii Tridentini per mensem ante Ordinationem hujusmodi Nobis, aut Archi Diacono nostro idipsum curaverit significari, ac insuper statuto tempore Testimonia debita attulerit, quatenus legitime constet eum ad Ordinem sacrum digne posse promoveri. (z)

CAPUT V.

Tituli Patrimoniales, seu Beneficiales sint deinceps ad minimum centum florenorum annue. Nec ulli ad sacrum Subdiaconatus Ordinem admittantur, nisi ejusmodi Titulis legitime in Curia nostra approbatis, & visis literis desuper expeditis. (a)

CAPUT VI.

Monemus omnes & singulos, quicumque ad Ordinem Sacerdotalem aspirant, ut priusquam se sistant examini, sese ad aliquot dies a curis sæcularibus substrahant, & exercitiis spiritualibus vacent sub pio & prudente Directore. (b)

CAPUT VII.

Ordinati Sacerdotes Primitias celebrare non differant ultra sex septimanas, nisi ex causa legitima a Nobis approbanda, quibus prout omnibus & singulis Presbyteris lectionem frequentem, & exactam observationem schematis vitæ Pastoralis, ad calcem horum Decretorum adjecti, in nomine Domini commendamus. (c)

(p) Syn. Mechl. tit. 8. c. 2. (q) Syn. Gand. tit. 7. c. 1. Ordinat.
(r) Syn. Gand. tit. 7. c. 2. (s) Syn. Gand. tit. 7. c. 4. (t) Ordinat.
(u) Syn. Gand. tit. 8. c. 1. (x) Syn. Mechl. tit. 9. c. 2. (y) Syn. Mechl. tit. 9. c. 3.
(z) Ordinat. (a) Syn. Mechl. tit. 9. c. 6. (b) Ordinat.
(c) Syn. Gand. tit. 8. c. 4. Ordinat.

TITULUS IX.

De Sponſalibus & Sacramento Matrimonii.

CAPUT I.

ETſi Sponſalia de futuro, abſente Parocho, valida ſint ac ſervari debeant, cupimus tamen vehementiſſime, ut ſemper coram proprio ſaltem alterius contrahentium Parocho, & duobus Teſtibus contrahantur, & ne quis Concionatorum aut Confeſſariorum aliter docere præſumat, prohibemus. (*d*)

CAPUT II.

Uno contrahentium ex aliena Parochia exiſtente, licebit alterutrius Paſtori Sponſalibus aſſiſtere, etiam non habito prævie alterius Paſtoris teſtimonio ſive conſenſu. Nunquam tamen liceat, ſi neuter contrahentium ſubditus fuerit, ſub mulcta gravi & arbitraria, adjudicanda Paſtoribus eorumdem contrahentium, qui hujusmodi abuſum detexerint. (*e*)

CAPUT III.

In tabernis, aut aliis locis minus honeſtis, Sponſalia de futuro contrahere volentibus, Parochus operam ſuam non impendat, in honeſtis tamen ædibus libere id facere poterit, nunquam tamen ullos Matrimonio jungat, niſi in ſua Parochiali Eccleſia, idque ſub mulcta duarum Librarum magnarum. (*f*)

CAPUT IV.

Cum impedimenta Matrimonii a plerisque hominum ignorentur, & non raro contingat impedimentum aliquod vere ſubeſſe, quod tamen ipſos contrahentes bona fide lateat, periculoſum videtur, ut a Sponſalia vel etiam Matrimonium contrahere volentibus, exigatur juramentum, quo abſolute affirment, non ſubeſſe Canonicum impedimentum, atque ideo deinceps id fieri vetamus & ſufficere volumus, ut Sponſalia & Matrimonium contracturi declarent, ſe non ſcire, quod ſubſit aliquod ejusmodi impedimentum. (*g*)

CAPUT V.

Ebriis aut potu captis contrahere volentibus, Parochus non aſſiſtat, ſed eos rejiciat in aliud tempus, quo ſobrii erunt. (*h*)

CAPUT VI.

Ad periculum incontinentiæ, aliaque inconvenientia evitanda, moneant Parochi Sponſalia coram ſe contrahentes, ut infra ſex ſeptimanas Canonici impedimenti denuntiatione ceſſante, ad Matrimonii ſolemnizationem procedant, utque ante Sacerdotalem Benedictionem in Templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent. (*i*)

CAPUT VII.

Ubi quis vere habitat, ibi Matrimonio jungi poteſt, etſi brevi tantum tempore ibidem egerit; nihilominus tamen in Parochia, in qua prius habitavit, & ubi veroſimilius eſt fore, ut impedimenta ſciantur (ſi annus nondum elapſus fuerit a tempore migrationis ex priori Parochia) denuntiationes omnes fieri volumus. (*k*)

CAPUT VIII.

Impedimento aliquo conſanguinitatis, affinitatis, vel alio ſimili, perpetuo tamen, cum aliqua veroſimilitudine, denuntiato, etſi poſtea illud a denuntiante fuerit revocatum, nolumus tamen Parochum ad Matrimonii ſolemnizationem ante procedere, quam re ad Nos, aut Officialem noſtrum delata, debitam licentiam in ſcriptis ab altero noſtrum receperit, cum reipſa compertum ſit, ejusmodi revocationes ſubinde fieri contra veritatem a pecunia vel favore corruptis. (*l*)

CAPUT IX.

Quia vero ſæpe malitioſe impeditur Matrimonii contractus ab aliquo tertio, ob fidem ab alterutro contrahere volentium ſibi prætenſe datam, & id ordinarie contingit, cum gravi ſcandalo & damno deſponſatorum, Paſtor ob id interpellatus, in præſentia Teſtium, præfiget parti ſeſe opponenti termi-

(*d*) Syn. Gand. tit. 9. c. 1. (*e*) Ordinat. (*f*) Syn. Gand. tit. 9. c. 2. Ordin. (*g*) Syn. Gand. tit. 9. c. 3. (*h*) Syn. Gand. tit. 9. c. 4. (*i*) Syn. Gand. tit. 9. c. 5. (*k*) Syn. Gand. tit. 9. c. 7. Ordin. (*l*) Syn. Mechl. tit. 10. c. 4. Syn. Gand. tit. 9. c. 8. Ordinat.

terminum trium, quatuor, vel plurium dierum, pro diſtantia loci, ut interim querelas ſuas Curiæ noſtræ exponat, & ſibi provideat de juris remedio, alias elapſo termino, aut tertio illo non comparente cum Decreto inhibitionis, Paſtor ulterius ad Matrimonii celebrationem procedet. (m)

CAPUT X.

Cum ex longa conjugis abſentia non reſultet certitudo de ejus obitu, & mors non præſumatur, ſed probanda ſit, ad ſecundas Nuptias convolare deſiderans, Matrimonio non jungatur, niſi habita prius legitima certitudine de morte prioris conjugis, etiamſi non ſeptem tantum, ſed etiam viginti, triginta, & plures annos continuos eum abfuiſſe conſtiterit. (n)

CAPUT XI.

Tribus continuis Dominicis vel Feſtivis diebus proclamationes fieri poterunt, quas Paſtores, aut eorum vices ſupplentes populo intelligibiler ſub concione, vel poſt eam, aut alias juxta præſcriptum Paſtoralis annuntiabunt, nec ſinent, ut unquam per Cuſtodes, aut alios publicentur. (o)

CAPUT XII.

Quia vero impoſterum difficiliores erimus in relaxandis hujuſmodi proclamationibus, commoditati plurium locorum, ubi frequentior eſt populus, favere ſtudentes, concedimus & permittimus, ut in Eccleſiis Parochialibus Civitatis Gandavenſis, oppidorum Teneramundani, Aldenardenſis, Donſani, Tiletani, nec non locorum S. Nicolai, & Lokeren Waſiæ, etiam feriis quintis infra Venerabilis Sacramenti Miſſam proclamationes fieri valeant. (p)

CAPUT XIII.

Hujuſmodi Proclamationes numquam fiant, nec Sponſalia contrahantur initio temporis clauſi, prout ex abuſu a quibuſdam ſubinde fuit practicatum, ſed circa finem ejuſdem, quatenus nullum vel modicum dumtaxat tempus maneat intermedium ab ultima proclamatione uſque ad Matrimonii ſolemnizationem. (q)

CAPUT XIV.

Sponſalia contrahentes, ſi non ſint confirmati, moneantur a Parocho, ut ſe confirmari curent, antequam ad Matrimonium procedant, idemque allaboret, ut Doctrinæ Chriſtianæ rudimenta prorſus ignorantes, ſaltem Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum & Decalogum antea teneant, quam Matrimonio jungantur. (r)

CAPUT XV.

Quandocumque Matrimonium contrahere volentes, ſunt diverſarum Diœceſium, Decanatuum aut Parochiarum, Parochus unius ad Matrimonii ſolemnizationem non procedat, niſi omnes proclamationes in Eccleſia ſua fecerit, ſine alicujus impedimenti denuntiatione, & ſimiliter Parochum alterius deſponſorum omnes tres proclamationes feciſſe, & nullum Canonicum impedimentum denuntiatum fuiſſe, ex teſtimonio ejuſdem certo cognoverit, vel de diſpenſatione Ordinarii ipſi conſtiterit. Et ſi forte ſignaturam illius Paſtoris non noverit, aut teſtimoniales ſibi exhibitas de falſo ſuſpectas habeat, exigat deſuper teſtimonium ſaltem unius perſonæ fide dignæ, vel ſi hujuſmodi teſtimonium haberi non poſſit, exigat juramentum ab altero deſponſorum, quem teſtimoniales illæ concernunt. (s)

CAPUT XVI.

Parochi omnes impedimenta Matrimonium dirimentia & impedientia, ſaltem maxime obvia & communiter in praxi occurrentia, ſubinde in concionibus declarent & explicent. (t)

CAPUT XVII.

Meminerint Parochi ſibi non licere vagorum hominum Matrimoniis intereſſe, niſi re ad Nos delata, a Nobis licentiam id faciendi in ſcriptis obtinuerint. Antequam autem eos ad Nos,

nui

(m) Ordinat. (n) Syn. Gand. tit. 9. c. 9. (o) Syn. Mechl. tit. 10. c. 2. Syn. Gand. tit. 9. c. 10. (p) Ordinat. (q) Ordinat. (r) Syn. Gand. tit. 9. c. 11. (s) Syn. Mechl. tit. 10. c. 3. (t) Syn. Mechl. tit. 10. c. 5.

aut Vicariatum nostrum dimittant, serio instruant, ut compareant instructi legitimis testimoniis, quoad utriusque libertatem. (u)

CAPUT XVIII.

Habeant quoque singuli Pastores librum, in quo ipsi, vel eorum Vicarii, & non alii notabunt exacte diem, mensem & annum, nec non nomina & cognomina contrahentium Sponsalia, tempus factarum proclamationum, nisi super iis fuerit dispensatum; ac tandem diem, mensem & annum, & nomina tam eorum, qui Matrimonium contraxerint, quam duorum ad minus Testium, qui Matrimonii solemnizationi interfuerint, quem quidem librum diligenter custodiant, nec Custodi, aut alteri credatur, & quotannis in visitatione Archi-Presbytero exhibeant, qui, ubi jam completus fuerit, servabitur in Archivis Ecclesiæ. (x)

CAPUT XIX.

Pastores Matrimonium contracturos, die Dominico vel Festo tempestive admoneant, ut eo die Missam reverenter audiant, quod si id præstare neglexerint, prout sæpe contigit, caveant Pastores, ne isto die eorum Matrimonio assistant sub mulcta gravi & arbitraria. (y)

CAPUT XX.

Quandocumque durante tempore clauso, aliqui ex legitima causa ad Matrimonium contrahendum per Nos dispensabuntur, abstinendum erit a solemnitatibus nuptialium conviviorum, choreis, sponsarum publicis traductionibus, & similibus, idem omnino etiam servabitur, etiamsi aliquando Matrimonium antea contractum fuerit, sub pœna arbitraria, & contraventores statim Curiæ nostræ denuntiabuntur. (z)

TITULUS X.

De Doctrina & Prædicatione verbi Dei.

CAPUT I.

PAstores neminem omnino, etiam Regularem, cujuscumque Ordinis, Societatis aut Instituti, in Ecclesiis suis concionari permittant, nisi de licentia a Nobis in scriptis obtenta prædocuerit. (a)

CAPUT II.

Meminerint autem Regulares se sine Benedictione nostra in Ecclesiis Ordinum suorum, & sine expressa licentia nostra in scriptis obtenta in aliis Ecclesiis prædicare non posse, nec usquam omnino Nobis contradicentibus; Pastoribus autem per se in propriis Ecclesiis concionari vel catechisare volentibus, sciant cæteri omnes, se illis cedere debere. (b)

CAPUT III.

Abstineant Concionatores ab inanibus ac difficilibus, captumque auditorum superantibus, & ad Fidei ædificationem minus pertinentibus quæstionibus, conviciis, fabulis, & a narratione apocryphorum, iisque omnibus, quæ vel auditoribus risum moveant, vel eorum animos a Superioribus suis avertant; neque passim hæreticorum argumenta apud imperitam referant multitudinem; sed ea potissimum doceant, quæ ad fidem, veram pietatem, obedientiam, & concordiam pertinent, quæque scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiando cum brevitate & facilitate sermonis vitia, quæ quemque declinare, & virtutes, quas sectari oportet; denique sedulo observent instructionem omnibus Concionatoribus distribui solitam, & ad calcem horum Decretorum adjectam. (c)

CAPUT IV.

Cum vero nihil æque sit necessarium ad Fidei Catholicæ conservationem & salutem animarum singulis concreditarum, quam juventutem debite catechizari, omnes & singulos Pastores rogamus, obsecramus per viscera misericordiæ Dei, & sub obtestatione Divini judicii mandamus, ut huic officio suo serio, diligenter, & sine intermissione incumbant, tum in suis Parochiis, tum

(u) Syn. Mechl. tit. 10. c. 6. Ordinat. (x) Syn. Mechl. tit. 10. c. 7. Ordinat. (y) Ordinat. (z) Syn. Mechl. tit. 10. c. 8. Ordinat. (a) Syn. Mechl. tit. 11. c. 2. Syn. Gand. tit. 10. c. 1. Ordin. (b) Syn. Mech. tit. 11. c. 1. Syn. Gand. tit. 10. c. 5. (c) Syn. Mechl. tit. 11. c. 3. Ordinat.

tum in Scholis, aut, si fieri possit, in particularibus congregationibus, per hebdomadam aliquando indicendis, in vicis a Parochia sua remotioribus. (d)

CAPUT V.

Atque ut majori cum fructu in catechizanda juventute Parochi, & eorum vices gerentes adlaborent, hujusmodi lectio ruri habebitur diebus saltem Dominicis totius anni in locis, ubi plura Sacra uno die celebrantur, infra Missam primariam, vel si ita subinde utilius visum fuerit, hora secunda, aut saltem post Vesperas. Festivis vero diebus totius anni, sub summo Sacro, loco concionis, ubi juventus præmiolis & munusculis externo apparatu allecta, puncta aliqua Catechismi recitabit, vel ad interrogata respondebit, ac Catechista responsa hujusmodi juxta audientium captum explicabit, simulque grandiores instruet, una & eadem opera, oves & agnos pascendo. (e)

CAPUT VI.

Sumptus necessarios pro munusculis (si a Primoribus vel Magistratibus locorum, vel aliunde nequeant obtineri) suppeditabit collecta in hunc finem diebus Dominicis & Festis sub Officio Divino, & concionibus juxta Parochorum judicium specialiter instituenda. (f)

CAPUT VII.

Et ut juventus, rudiorque populus eo efficacius alliciatur ad lectionis Catechisticæ frequentationem, Pastores modis omnibus conabuntur Dominos temporales, Baillivos, Magistratus & notabiliores Parochiæ inducere, ut præsentia sua juventutem animare, bene meritis subinde in Ecclesia, spectante populo & juventute, manibus suis præmiola distribuere non graventur, atque ut eo facilius ad hujusmodi charitatis opus eximium excitentur, iis, qui ob hunc finem interfuerint, Indulgentias triginta dierum pro qualibet vice, in Domino elargimur. (g)

CAPUT VIII.

Quia vero plurimi arte mechanica & ex eleemosynis victitantes, quo rudiores existunt, eo tardiores reperiuntur in frequentando Catechismo, eos singulariter curæ Parochorum & Catechistarum in Domino commendantes, quantum opus est, mandamus, ut importune opportune instent apud Dominos temporales & Magistratus, quatenus omnem operam in promotionem profectus spiritualis hujusmodi ignorantium impendant; ac ipsis exponant Decretum Principis desuper emanatum, literis ad Concilium Flandriæ directis, nec non alias literas ejusdem Concilii datas ad singulos hujus Diœcesis nostræ Magistratus, quarum copias ad finem horum Decretorum adjecimus. (h)

TITULUS XI.

De Officio Divino, Cæremoniis, Locis sacris & Exequiis Defunctorum.

CAPUT I.

In omnibus Pagis nostræ Diœcesis Missa Parochialis Dominicis & Festis diebus fiat semper hora nona, vel circiter, quacumque ratione in contrarium non obstante. (i)

CAPUT II.

Pastores ex Parochia sua interdum alio proficisci volentes die Dominico, vel Festo, cavebunt, ne Officium Divinum anticipent, aut citius solito celebrent in Parochianorum dispendium vel incommodum, sub pœna arbitraria. (k)

CAPUT III.

Processionum circuitus nimis longos, ita contrahi & abbreviari volumus, ut omnis scandali & irreverentiæ tollatur occasio, & viarum longitudine, devotio non tepescat. (l)

CAPUT IV.

Quia ex Congregationibus plurium Parochiarum ruralium quam par est, ut Supplicationes devote & ordinate

(d) Syn. Mechl. tit. 11. c. 6. Syn. Gand. tit. 10. cap. 3. Ordin. (e) Ordinat. (f) Ordinat. (g) Ordinat. (h) Ordinat. (i) Syn. Mechl. tit. 12. c. 16. Syn. Gand. tit. 11. c. 1. (k) Ordinat. (l) Syn. Mechl. tit. 14. c. 5.

nate habeantur, multa & gravia oriuntur incommoda, ordinamus, ut imposterum nonnisi tres ad summum Parochiæ conveniant, ad hujusmodi Processiones per circuitum moderatum habendas. (*m*)

CAPUT V.

Non solum nitoris animæ, sed etiam exterioris decoris in Celebrante habenda est ratio, quapropter nullus Parochorum, vel Vice-Pastorum, aut Sacellanorum in Ecclesiis ruralibus, prout nec in aliis celebrare præsumat, nisi toga vel casacca oblonga decenter indutus. (*n*)

CAPUT VI.

Cum vero nimium graves abusus & defectus quoad cæremoniarum & rituum præscriptorum ignorantiam, diutius tolerari nequeant, ordinamus, ut nullus sub pœna rejectionis ad Sacerdotium aspirare præsumat, nisi fide digno doceat testimonio se ad rite celebrandum sufficienter esse instructum. Ac præterea inhibemus, ne quisquam Primitias celebret, nisi iterato constiterit Archi-Diacono nostro, vel sui districtus Archi-Presbytero, eum esse ad celebrandum juxta Rubricas & ritus ab Ecclesia præscriptos, debite versatum, idque sub pœna arbitraria. (*o*)

CAPUT VII.

Optamus in singulis Ecclesiis Parochialibus introduci consuetudinem signo campanæ ter de die, scilicet mane, meridie, & vesperi populum excitandi ad recordandum Resurrectionis, Passionis & Incarnationis Dominicæ, & in gratam memoriam tantorum beneficiorum convenientes oratiunculas recitandum. (*p*)

CAPUT VIII.

Exorta quoque aëris tempestate, campanæ pulsentur, tum ad tempestatem illam vi Divina, quæ ex solemni prece, sacraque benedictione illis inest, depellendum, tum ut Fideles ad orandum, & Dei misericordiam piis orationibus implorandum, excitentur. (*q*)

CAPUT IX.

Dum Missæ Sacrificium celebratur, duæ semper candelæ cereæ in altari ardeant, nec unquam ei per mulierem inserviatur. Celebrans quoque nec purificatoriis calicum ad sudorem vel faciem aut aliquid hujusmodi abstergendum abutatur. Nec pileum biretum, chirotecas, claves, cæteraque similia in altari ponat. (*r*)

CAPUT X.

Missa Parochialis seu Conventualis diebus Dominicis & Festis in populo nequaquam fit de *Requiem* sive *Exequialis* pro Defunctis. (*s*)

CAPUT XI.

Pastores sedulo advigilabunt, & strenue adlaborabunt, ut Vigiliæ & Exequiæ Fidelium Defunctorum solemniter, tractim, graviter & devote decantentur, sub gravi mulcta in eos decernenda, qui in Officiis hujusmodi fuerint defectuosi. (*t*)

CAPUT XII.

Curent ubique Pastores, nec non alii, ad quos id pertinet, ut corporalia, purificatoria, albæ, ac reliquæ vestes Sacerdotales, omniaque paramenta altaris semper sint integra & munda, decenterque custodita. (*u*)

CAPUT XIII.

Vago & ignoto Sacerdoti, etiam Regulari, Missam celebrare non liceat, nisi ostensis testimonialibus vel commendatitiis literis sui Ordinarii; nec cuiquam omnino extra Ecclesiam vel Oratorium dedicatum, & a Nobis designatum ad Divinum cultum. (*x*)

CAPUT XIV.

Sacerdos Missam celebraturus, advigilabit, ut vino puro de vite sibi noto, non vero Hispanico, vino forte adulterato, vel alio simili liquore incerto & incognito utatur. (*y*)

CAPUT XV.

Ut jurgia & contentiones inter Parochos, quantum fieri potest, vitentur,

(*m*) Ordinat. (*n*) Ordinat. (*o*) Ordinat. (*p*) Syn. Gand. tit. 11. c. 6.
(*q*) Syn. Gand. tit. 11. c. 7. (*r*) Syn. Gand. tit. 11. c. 9. (*s*) Ordinat.
(*t*) Ordinat. (*u*) Syn. Mechl. tit. 12. c. 13. Ordinat. (*x*) Syn. Mechl. tit. 12. c. 15.
(*y*) Ordinat.

tur, declaramus, eorum quemlibet posse quosvis extraneos in suis respective Parochiis casualiter defunctos (etiamsi nulla eis administraverit Sacramenta) sepelire, & Exequias pro iisdem celebrare petentibus, vel negligentibus eorum hæredibus aut curam habentibus vel propinquis, non autem iis ante sepulturam re integra & citra negligentiam invitis. (z)

CAPUT XVI.

Ne Anniversariorum, vel aliarum piarum fundationum intercidat memoria; ea, quæ minus sufficienter dotata sunt, quamprimum ad convenientem numerum reduci volumus, requisito ad hoc consensu nostro, & sic reducta cum aliis in tabula ad hoc confecta vel conficienda, locoque conspicuo in Sacristia, aut alibi appendenda describi, certo aliquo die celebranda, & prævie sub concione populo annuntianda. (a)

CAPUT XVII.

Cœmiteria diligenter sepiantur & claudantur, ut equi, vaccæ aut porci in iis non pascantur, nec liba, vel placentæ, aut similia in iis vendantur, & ubi arbores in iis plantatæ, vel per radicum dilatationem parietum fundamentis, vel per ramorum diffusionem tectis aut fenestris officiunt, excidantur. Hedera quoque Ecclesiarum parietibus adhærens, prorsus evellatur. (b)

CAPUT XVIII.

Eos, qui sibi ipsis manus violentas intulerunt, aut in duello mortui sunt, quique in Paschate non communicaverunt, nemo in loco sacro sepeliat, sub pœna suspensionis a Divinis. In casu vero alicujus rationabilis dubii, Pastores recursum habeant ad Nos, aut Vicariatum nostrum. (c)

CAPUT XIX.

Nemo etiam pro iis, quorum cadaveribus Ecclesiastica denegata est sepultura, Officium Exequiarum celebrare attentet sub eadem pœna, & alias arbitraria. (d)

CAPUT XX.

Extra duellum occisorum corpora in loco sacro humari licite possunt, nec eorum Exequiæ differendæ sunt, usque dum inter homicidam & defuncti hæredes fuerit transactum. (e)

CAPUT XXI.

Dum Ecclesiæ mundantur, vel verruntur, non aspergatur pavimentum aqua benedicta, neque etiam illud aspersurus utatur vase vel aspersorio aquæ benedictæ. (f)

TITULUS XII.

De Festis & Jejuniis.

CAPUT I.

PAstores, vel eorum Sacellani, aut vicem gerentes, singulis diebus Dominicis sub concione vel Summo Sacro, etiam in singulis Missis, si plures uno die celebrentur, dies Festos & Jejunia ea septimana occurrentia, populo denuntiare non omittant. (g)

CAPUT II.

Parochi & Concionatores, prout & Catechistæ omnibus modis studeant eradicare corruptelam, non audiendi Sacrum diebus Festis, docendo & admonendo frequenter, auditionem Missæ æque præcipi, sub peccato mortali, diebus Festivis ac Dominicis. (h)

CAPUT III.

Doceant etiam non satisfacere præcepto Ecclesiæ, qui partem tantum Missæ audiunt, ante Elevationem, aut paulo post Ecclesiam exeundo: Et ne ipsi aliquam ejus occasionem præbeant, statis semper horis Officium inchoent, & nunquam diutius, quam per horulam concionentur. (i)

CAPUT IV.

Per totam Diœcesim nostram observari debent Festa sequentia, scilicet: Nati-

(z) Ordin. cap. Is, quæ de Sepultura in 6. (a) Ordin. (b) Syn. Gand. tit. 11. c. 12.
(c) Syn. Gand. tit. 11. c. 11. Ordinat. (d) Syn. Gand. tit. 11. c. 12.
(e) Syn. Gand. tit. 11. c. 13. (f) Syn. Gand. tit. 11. c. 16.
(g) Syn. Mech. tit. 13. c. 2. Ordin. (h) Syn. Gand. tit. 12. c. 1. (i) Syn. Gand. tit. 12. c. 2.

Nativitatis CHRISTI.
Sancti Stephani.
S. Joannis Evangelistæ.
SS. Innocentium.
Circumcisionis Domini.
Epiphaniæ.
Purificationis B. MARIÆ.
S. Matthiæ Apostoli.
Annuntiationis B. MARIÆ.
Feria secunda & tertia post Pascha Resurrectionis Domini.
SS. Apostolorum Philippi & Jacobi.
Inventionis Sanctæ Crucis.
Feria secunda & tertia post Pentecosten.
Venerabilis Sacramenti.
Nativitatis S. Joannis Baptistæ.
SS. Petri & Pauli Apostolorum.
S. Jacobi Apostoli.
S. Laurentii.
Assumptionis B. MARIÆ.
S. Bartholomæi Apostoli.
Nativitatis B. MARIÆ.
S. Matthæi Apostoli.
Dedicationis S. Michaëlis, Archang.
SS. Simonis & Judæ Apostolorum.
Omnium Sanctorum.
S. Andreæ Apostoli.
S. Thomæ Apostoli.
Et denique omnes dies Dominici. (*k*)

CAPUT V.

Præter Festa superiori Capite enumerata, etiam celebrabitur in populo festum S. LIVINI Episcopi & Martyris per totam Civitatem Gandavensem, tanquam ejus Patroni, duodecima Novembris, alibi vero in Oppidis & Pagis hujus Diœcesis, similia Patronorum Festa locorum, non autem Ecclesiarum particularium, celebrabuntur a populo. (*l*)

CAPUT VI.

Festum S. Matthiæ Apostoli, quandocumque in diem *Cinerum* incidet, imposterum non transferetur in diem sequentem, nisi quoad Officium, in populo vero ipso die *Cinerum* celebrabitur. (*m*)

CAPUT VII.

S. RUMOLDUS Archi-Episcopus & Martyr; ac Patronus Ecclesiæ Mechliniensis, tertia Julii, per totam hanc Diœcesim Gandavensem Officio semiduplici, & S. BAVO Confessor, Patronus Ecclesiæ nostræ Cathedralis; Kalendis Octobris Officio duplici honorabitur, etiam per totam Diœcesim. (*n*)

CAPUT VIII.

Decani & Pastores omnes & singuli, excepta hac Civitate Gandavensi, tempore messis & necessitatis dumtaxat, concedere poterunt licentiam operandi Dominicis & Festis diebus ab hora duodecima meridiana, nisi forsan ob auræ inclementiam, vel aliam urgentem & evidentem necessitatem amplior licentia necessaria fuerit. Parochi vero, exactam teneant notitiam licentiæ hujusmodi pro tempore dandæ, ut subditi a Ministris Curiæ inquietati, a mulcta & expensis sese valeant defendere. (*o*)

CAPUT IX.

Pie faciunt Pastores, qui diebus Dominicis & Festis celebratione Vesperarum & Laudum de Sanctissimo Sacramento, & de Beata Virgine, subditos suos a tabernis & illicitis occupationibus ac otio, ad Ecclesiam, res Divinas & lectionem Catechisticam pertrahere conantur, & ut omnes idem præstent in suis respective Ecclesiis Parochialibus, sub pœna arbitraria præcipimus. (*p*)

CAPUT X.

Iisdem diebus agros, prata, reditus, equos, vaccas, aut similia vendentes, aut ementes, vel sub concione, Summo Sacro, vel Vesperis, quas præcipimus semper ubique cantari hora secunda pomeridiana; in tabernis potitantes, aut publicis lusibus vel tripudiis vacantes, denuntientur, pro qualitate personarum & modo scandali, puniendi. (*q*)

CAPUT XI.

Jejunari debet in hac Diœcesi, non modo per totam Quadragesimam & in Quatuor anni Temporibus, verum etiam sequentibus Vigiliis, scilicet:
Nativitatis Christi.
Pentecostes.

Nati-

(*k*) Syn. Gand. tit. 12. c. 3. Ordinat. (*l*) Ordinat. (*m*) Ordinat. (*n*) Syn. Gand. tit. 12. c. 6. Ordinat. (*o*) Ordinat. (*p*) Syn. Gand. tit. 12. c. 7. Ordinat. (*q*) Syn. Gand. tit. 12. c. 8. Ordinat.

Nativitatis S. Joannis Baptistæ.
SS. Petri & Pauli.
S. Laurentii.
Assumptionis B. MARIÆ.
S. Matthæi.
SS. Simonis & Judæ.
Omnium Sanctorum.
S. Andreæ.

Ac insuper in die S. Marci, & totis tribus Rogationum diebus, Festum Ascensionis Domini immediate præcedentibus, abstinendum est a carnibus, & jejunandum usque ad prandium. (*r*)

CAPUT XII.

Festo Nativitatis Domini in Feriam sextam incidente, carnes comedere omnibus licitum est, qui voto vel professione non impediuntur, ab eodem autem Festo, usque ad Festum Purificationis, diebus Sabbatinis esum carnium permittit consuetudo, idemque licet ipso Festo Purificationis incidente in diem Sabbati, reliquis quoque diebus Sabbatinis totius anni, quando non jejunatur, inveteratus usus permittit esum adipis & jusculi carnium, at nullo modo farciminum, intestinorum, & extremitatum animalium. Et ut Nos contrariam consuetudinem, quæ in aliis quibusdam locis est, non damnamus, ita illi, qui ex hujusmodi locis huc commigrarunt, vel quacumque occasione hic agunt, consuetudini hujus Diœcesis se interim conformare, & esu farcinum, intestinorum & extremitatum animalium abstinere merito debent, & si quem forte contra fecisse cognoverimus, sine connIventia & acceptione personarum eum pro demeritis in aliorum exemplum puniri curabimus. (*s*)

CAPUT XIII.

Ipso die *Cinerum*, feria sexta *Quatuor Temporum* in *Quadragesima*, & feria sexta *Parasceves* non modo jejunandum est, sed abstinendum insuper a lacticiniis. Cæteris vero diebus Quadragesimæ usus lacticiniorum permittitur, ita tamen ut ea gratia uti volentes, quotidie legant ter Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam, abrogata obligatione offerendi stuferum, prout antehac fuerat ordinatum. (*t*)

CAPUT XIV.

Quibus esum ovorum, vel etiam carnium in Quadragesima, aut aliis abstinentiæ diebus, judicio Medicorum necessarium esse cognoscemus, non erimus difficiles in eo permittendo; sed videant Medici, ne vel eorum, qui de hæresi suspecti sunt, simulationibus decipiantur, vel nimia facilitate attestandi, alienorum peccatorum sese reddant participes. (*u*)

CAPUT XV.

Caveant etiam, quantum poterunt, qui ob legitimam causam a jejunio excusantur, quibusve ovorum, vel etiam carnium usus permittitur, ne alios suo exemplo ad violandum jejunium, vetitosque cibos comedendum provocent. (*x*)

CAPUT XVI.

Festum Annuntiationis B. MARIÆ, si quando inter Dominicam *Palmarum* & Dominicam *in albis* occurrerit, celebretur juxta receptam consuetudinem tam a populo, quam a Clero Feria tertia post Dominicam *in albis*; si vero in aliam quamlibet Dominicam Quadragesimæ, præterquam *Palmarum*, inciderit, celebretur feria secunda proxime sequenti, etiam a populo. (*y*)

CAPUT XVII.

Festum S. Marci Evangelistæ, quamvis in hac Diœcesi nostra imposterum non obliget populum ad audiendum Missam, nec ad abstinendum ab operibus servilibus, servandum tamen est quoad carnium abstinentiam & quoad jejunium usque ad prandium tam a Clero, quam a populo, prout Capite undecimo dictum est; itaque si in hebdomada Paschæ, vel in Dominica *Quasimodo* occurrerit, celebrabitur feria quarta post eandem Dominicam a Clero quoad Processionem, & quoad abstinentiam a carnibus & jejunium usque ad prandium tam a Clero, quam a populo. Similiter, si in aliam Dominicam inciderit, servabitur die sequenti. Quod si vero in feriam quartam post Dominicam similem *Quasimodo* translatum cum

 festis

(*r*) Syn. Gand. tit. 12. c. 9. (*s*) Syn. Gand. tit. 12. c. 10. (*t*) Syn. Gand. tit. 12. c. 11. Ordinat. (*u*) Syn. Gand. tit. 12. c. 12. (*x*) Syn. Gand. tit. 12. c. 13. (*y*) Syn. Mechl. tit. 13. c. 5.

festis Ss. Philippi & Jacobi, aut S. Crucis concurrerit, dicta processio, abstinentia & jejunium, sicut in diebus Rogationum, in feriam quintam transferentur. (z)

CAPUT XVIII.

Dies S. Huberti Episcopi & Confessoris incidens in diem Dominicam, transferetur in feriam secundam. Quapropter Parochi e suggestu eo anno annuntiabunt populo hujusmodi translationem, simulque horam Missæ in honorem ejusdem Sancti dicta feria secunda celebrandæ. (a)

TITULUS XIII.

De Sanctorum Reliquiis & Imaginibus.

CAPUT I.

NUllæ Reliquiæ publicæ venerationi exponantur, antequam a Nobis recognitæ & approbatæ fuerint. (b)

CAPUT II.

Pastores diligenter populum instruant non ratione materiæ, formæ, vel ornatus, CHRISTI vel Sanctorum imaginibus cultum & venerationem exhiberi, sed propter eos, quos Nobis repræsentant. (c)

CAPUT III.

Nulla unquam in Ecclesiis, etiam exemptis, insolita imago ponatur, nec toleretur aliquid inordinati, profani, inhonesti, vel falsi repræsentans, neque in intima Altarium tabula vivorum effigies depingatur. Et Parochi contra imaginum lascivarum & obscœnarum usum detestandum, frequenter sermonem instituant. (d)

CAPUT IV.

Reliquiæ, vel Imagines Sanctorum numquam in processionibus deferantur, quantum fieri potest, nisi per Clericos Sacris initiatos. (e)

TITULUS XIV.

De Exorcismis & Superstitione.

CAPUT I.

EXorcisare nemo præsumat sine licentia nostra in scriptis obtenta, & tunc non utatur, nisi exorcismis Pastoralis nostri, vel Mechliniensis, & non aliis, nisi de speciali nostra permissione, neque fœminæ alicui exorcismum adhibeat, quam in præsentia personarum probatæ fidei. (f)

CAPUT II.

Et ne populus interdum ad Laicos & Pseudo-exorcistas diffluat, ob Exorcistarum a Nobis admissorum paucitatem; declaramus omnes & singulos Parochos Nobis subditos, ejusmodi exorcisandi facultatem obtinere, quam hi nec alii unquam exercebunt, nisi prævie sedulo inquisierint, an exorcismi sint necessario applicandi, & diligenter ante omnia observabunt ea, quæ in Pastorali pro eorum instructione circa hujusmodi munera præscribuntur. (g)

CAPUT III.

Nemo ad morbos vel vulnera hominum aut brutorum curanda, superstitiosis remediis utatur, vel super rebus deperditis aut super futuris eventibus, ac quibusvis secretis, Divinos, seu pro Divinis se venditantes consulere præsumat; si quis aliquid horum fecerit, & monitus non abstinuerit, mox Curiæ nostræ denuntietur. (h)

CAPUT IV.

Mandamus omnibus & singulis Pastoribus, ut Curiæ nostræ denuntient omnes, qui super futuris eventibus, aliisque secretis responsa dant; prout etiam maleficos & incantatores, nec sinant eos, qui vulgo *Ægyptii* vocantur, in Parochiis suis hærere, & multo minus superstitiones ullas exercere. (i)

CAPUT V.

Et quoniam rudis populus sæpe ex ignorantia superstitionibus inquinatur; Parochi subditos suos de illis doceant,

(z) Syn. Mechl. tit. 13. c. 6. Ordinat. (a) Ordinat. (b) Syn. Gand. tit. 13. c. 1.
(c) Syn. Gand. tit. 13. c. 2. (d) Syn. Mech. tit. 14. c. 1. & 3. Syn. Gand. tit. 13. c. 3.
(e) Syn. Mechl. tit. 14. c. 5. (f) Syn. Mechl. tit. 15. c. 4. Syn. Gand. tit. 14. c. 12. & 3.
(g) Ordinat. (h) Syn. Gand. tit. 15. c. 1. (i) Syn. Mechl. tit. 15. c. 2.

ceant, & inter cætera superstitiosum esse; expectare quemcumque effectum a quacumque re, quem res illa, nec ex sua natura, nec ex institutione Divina, nec ex ordinatione vel approbatione Ecclesiæ, producere potest. (*k*)

TITULUS XV.

De Usuris.

CAPUT UNICUM.

OB invalescentem passim corruptelam dandi pecuniam pupillarem ad usuram, seu mutuo, cum pacto percipiendi lucrum ad ratam denarii decimi sexti, retenta facultate sortis pro arbitrio vel certo tempore repetendæ; antiquum Statutum primi Conc. Provincialis innovantes, de verbo ad verbum illud ipsum hic inserendum duximus & observari mandamus.

" Quoniam Usura Jure Divino & " Canonico omnibus Christianis sub " pœna peccati mortalis interdicitur, " neque facienda sunt mala, ut eveniant " bona; Synodus statuit & ordinat, ne " quis Tutor aut Curator sub prætextu augmentandi patrimonii pupillorum, aut sub eorum curatela existentium, pecunias illorum sub certo lucro singulis annis ultra sortem recipiendo mutuum dent, retenta facultate repetendæ sortis, quando ad " majorem ætatem pervenerint, aut " Matrimonium contraxerint, aut alias " ad illorum voluntatem & arbitrium, " declarando omnes hujusmodi contractus usurarios; & contra (ut sæpe præmittitur) mutuantes, tamquam contra usurarios ad pœnas juris procedendum." (*l*)

TITULUS XVI.

De Archi-Presbyteris, Pastoribus, Custodibus, eorumque Officiis.

CAPUT I.

QUia partem non minimam functionis Pastoralis concernit, in Ecclesia Dei canere, omnes & singuli imposterum ad Pastoratum aspirare volentes, docebunt se in Cantu Gregoriano seu Ecclesiastico, pro decenti muneris sui adimpletione sufficienter esse versatos. (*m*)

CAPUT II.

Adeptus Personatum, Pastoratum, Capellaniam vel Matriculariam, ultra Professionem fidei, antequam cura animarum, vel possessio Beneficii aut Matriculariæ ei detur, faciet juramentum juxta formulas sibi respective convenientes, & in fine horum Decretorum adjectas, quatenus onus sibi impositum singuli attente perpendant, & sedulo pro juramenti adimpletione & conscientiæ exoneratione adlaborent. (*n*)

CAPUT III.

Archi-Presbyteri Ecclesias Decanatus sui quotannis circa Pascha & Pentecosten serio visitabunt juxta instructionem suam, tempore, quod visitationi destinabunt, Pastoribus tempestive præsignificato. Et ne occasione visitationum comessationes ullæ fiant, serio cavebunt. Acta quoque suarum visitationum nitide descripta & a se subsignata, quotannis ante Kalendas Junii ad Nos transmittent. (*o*)

CAPUT IV.

Archi-Presbyteri, quandocumque per Nos convocati fuerint, in Sacello nostro domestico se sistent, gratiam Spiritus Sancti nobiscum invocaturi, ac deinde audituri ea, quæ post mutuam collationem, maturamque deliberationem, pro utilitate animarum & fideli Ecclesiarum regimine statuenda & ordinanda duxerimus. (*p*)

CAPUT V.

Præterea singuli Archi-Presbyteri celebrabunt annuatim Capitulum Pastorum sui districtus ordine & tempore hic designato. Archi-Presbyter Gandavensis celebrabit Capitulum suum prima feria secunda post festum Assumptionis B. MARIÆ; feria quarta immediate subsequente celebrabitur Capitulum *Teneramundanum*; huic feria secun-

(*k*) Syn. Mechl. tit. 15. c. 3. (*l*) Syn. Gand. tit. 15. (*m*) Ordinat.
(*n*) Syn. Mechl. tit. 17. c. 1. 2. 15. Syn. Gand. tit. 16. c. 3. Ordinat.
(*o*) Syn. Mechl. tit. 17. c. 10. Syn. Gand. tit. 16. c. 2. (*p*) Syn. Gand. tit. 16. c. 3.

ſecunda proxima ſuccedet Capitulum *Waſianum*, deinde feria quarta ſubſequente *Hulſtenſe*; poſt illud prima feria ſecunda celebrabitur Capitulum *Evergbemienſe*, ac deinde feria quarta *Aldenardenſe*, & ſubſequenti ſeptimana feria ſecunda Capitulum *Donſanum*, ac feria quarta *Tiletanum*. Porro aliquo Feſto in feriam ſecundam vel quartam incidente, celebrabitur Capitulum poſtridie. (*q*)

CAPUT VI.

Hæc ipſa Capitula celebrentur, ut ea non ad comeſſandum, ſed ad tractandum de rebus ſeriis indicta eſſe omnes intelligant; proinde in illis initium rerum agendarum ſumatur ab invocatione Spiritus Sancti, quo dirigente, de rebus Eccleſiæ conferatur, prandium vero non fiat, niſi frugale & moderatum, ut nemo ſumptibus vel potu gravetur; nec unquam in taberna vel diverſorio inſtituatur, extranei quoque, per quos tractatio de rebus Eccleſiæ impediri poſſit, ab eo excludantur. (*r*)

CAPUT VII.

Atque ut prandium ſit frugale & moderatum, Symbolum non excedat tres florenos, ad quod omnes Paſtores tenebuntur, etiam quantumvis legitima ex cauſa abſentes, a quibus æqualiter Symbolum ſolvi volumus, prout a præſentibus. Ac inſuper ordinamus, ut mulcta eorum, qui ſine cauſa in ipſa Congregatione a pluralitate votorum approbanda abfuerint, ultra Symbolum, ſit unius Libræ groſſorum ſolvendæ, ad opus expenſarum in tali Congregatione factarum. Et ſi qui forte ulterius contumaciter adeſſe Capitulo renuntiaverint, Curiæ noſtræ denuntiabuntur, alia inſuper pœna arbitraria puniendi. (*s*)

CAPUT VIII.

Mandamus & ordinamus, ut Paſtores, Sacellani, & Beneficiati quicumque, Archi-Presbyteris reſpective ſuis, Chriſtianitatis Decanis, juxta Juramentum in adeptione Beneficii præſtari ſolitum, tradant exactam ſpecificationem bonorum, proventuum, ac jurium ſuorum reſpective Beneficiorum, quod ſi diutius contra juramentum præſtitum id facere diſtulerint vel recuſaverint; defectuoſi denuntiabuntur quamprimum Archi-Diacono noſtro, ſub mulcta trium Librarum groſſorum ad id adigendi. (*t*)

CAPUT IX.

Atque ut in Eccleſiis Nobis ſubditis, quoad res animarum curam concernentes omnia ordinate fiant, volumus, ut debitus honor Archi-Presbyteris noſtris, qui Paſtores Paſtorum ſunt, exhibeatur ab omnibus, præſertim ab iis, qui ad curam animarum aſſumuntur; & eorum authoritatem, dignitatem & ſuperioritatem agnoſcant: Sciantque nullas literas curæ animarum, deſervituræ, vel Vice-Paſtoratus impoſterum cuiquam ſuffragari, niſi prævie Archi-Presbytero illius diſtrictus exhibeantur, & ab eodem ſubſignentur. (*u*)

CAPUT X.

Archi-Presbyteri novas campanas benedicent, a Sacellanis non reſidentibus exigent quotannis exhibitionem licentiæ non reſidendi, & atteſtationem impleti oneris Miſſarum, & perſolutorum cenſuum, quibus forte bona Beneficiorum gravantur, & hanc ipſam atteſtationem etiam requirent a Beneficiatis reſidentibus. (*x*)

CAPUT XI.

Cui deſervitura dumtaxat cujuscumque Paſtoratus eſt commiſſa, is quotannis uno menſe ante feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ literas ſuæ deſervituræ Archi-Presbytero ſuo tradet, ab eo deinde cum cæteris ſimilibus deſervitorialibus ad Nos transmittendas, ut novas pro altero anno, quatenus opus fuerit, expediri mandemus, & a Decimis, aliisque bonis Paſtoratus elocandis abſtinebit: ab Archi-Presbytero enim ob juſtas cauſas idipſum præſtari volumus. (*y*)

CAPUT

(*q*) Syn. Gand. tit. 16. c. 4. (*r*) Syn. Gand. tit. 16. c. 5. (*s*) Ordinat.
(*t*) Ordinat. (*u*) Ordinat. (*x*) Syn. Gand. tit. 16. c. 6.
(*y*) Syn. Gand. tit. 16. c. 7.

CAPUT XII.

Quandocumque aliqui manserint defectuosi, qui Communioni Paschali non satisfecerint, Decani Christianitatis eos Curiæ nostræ, præmissa admonitione debita, denuntiabunt. (z)

CAPUT XIII.

Quoad cætera omnia officium Archi-Presbyterorum concernentia, sequentur singuli commissionem & instructionem suam. Et quæcumque in eis, & his Statutis seu Decretis nostris non continentur, ea sibi non permitti sciant, etsi forte aliquando permissa fuerint. (a)

CAPUT XIV.

Sæpe recogitent Pastores, se ad ovium suarum salutem omnes suas actiones & functiones pastorales dirigere debere, & sibi aliquando pro animabus earum reddendam rationem in strictissimo Dei judicio; ideo etiam earumdem salutem continuis precibus & quotidianis Sacrificiis Deo ferventer commendent; omnibus rite dispositis, non minus prompte ac benigne, quam reverenter Sacramenta administrent, atque ita grandiores pascant verbo Dei ac salutaribus monitis, ut parvulis quoque panem frangere non omittant, & in omnibus præbeant seipsos exemplo bonorum operum, facti forma gregis ex animo. (b)

CAPUT XV.

Pastorum a suis parochiis absentias justis de causis restringentes, declaramus nulli eorum licere, ultra quatuor dies (inclusis nempe diebus exitus & reditus) abesse, nisi de licentia suorum respective Decanorum in scriptis obtenta. Quod si vero ad octiduum vel diutius abesse cogantur, nostrum erit hujusmodi facultatem concedere, nec tum demum licebit eis discedere; nisi prævie Decano, deinde populo significaverit, (*) cuinam vices suas durante absentia delegaverit. Contravenientes vero mulctari volumus toties, quoties libra grossorum, aut alia graviori pro modo culpæ & arbitraria. (c)

CAPUT XVI.

Imo nec ullus Parochorum unico die a sua parochia abesse præsumat, nisi præmonito Vicario suo, vel (si talem non habuerit) nisi vices suas delegaverit alteri Presbytero idoneo & a Nobis approbato, qui Decretis præsentibus similiter in omnibus subjaceat, ac hujusmodi delegationem Custodi suo significaverit, ut is in necessitate ad eumdem Substitutum recurrat. (d)

CAPUT XVII.

Parochi piorum Legatorum diligentem curam habeant, & seriis monitionibus satagant, ut ante finem anni piis Fundatorum voluntatibus satisfiat, alioqui ii, quibus hoc onus incumbit, Nobis denuntientur. (e)

CAPUT XVIII.

Decretum sacri Conc. Trident. de solvendis Decimis in Ecclesiis ruralibus ab unoquoque Pastore, paulo ante messem e suggestu publicetur. (f)

CAPUT XIX.

Pastori, vel ejus vices gerenti diebus Dominicis & Festis Vesperas, vel Laudes Vespertinas solemniter decantanti, Custos in habitu decenti, & superpelliceo indutus, debite assistet, prout & Missam solemnem vel privatam quocumque anni die celebranti, ac paratus erit, quacumque hora (illi a Pastore significanda saltem quoad Missas) ut Pastori inserviat in muneribus pastoralibus ipsius auxilium requirentibus; cavebit igitur, ne sine Pastoris licentia sese absentet; imo si interdum ob negotia privata, domo sua abesse cogatur, mandamus, ut alteri idoneo & Pastori grato, vices suas committat, vel de absentia sua domesticos aut vicinos suos, vel ipsum Pastorem certiorem reddat, quonam pergat, quatenus necessitate vel occasione urgente, facile valeat reperiri & advocari. (g)

CAPUT XX.

Collectoris vectigalium, cauponis, tabernarii, vel aliud vile & sordidum offi-

(z) Ordinat. (a) Syn. Gand. tit. 16. c. 8. (b) Syn. Gand. tit. 16. c. 9.
(*) *Subintellige:* is, qui licentiam obtinuit. (c) Ordin. (d) Ordin. (e) Syn. Mechl. tit. 17. c. 9. (f) Syn. Mechl. tit. 17. c. 11. (g) Syn. Gand. tit. 16. c. 13. Ordin.

officium exercens, ad deservituram Custodiæ non admittatur; nec bigamus, sine legitima dispensatione. (*b*)

CAPUT XXI.

Pastores ab omnibus ad suas Parochias commigrantibus, si eorum vitam & fidem aliunde cognitam non habuerint, exigant desuper literas testimoniales ultimi ipsorum Pastoris, quæ si non exhibeantur, Curiæ nostræ insinuent, ut eas exhibere compellantur, juxta Edicta Regia desuper emanata. (*i*)

CAPUT XXII.

Pastores omnes & singuli habeant librum status animarum juxta methodum hanc ex Rituali Romano transsumptam:

Qui Sacramento Confirmationis sunt muniti, habeant hoc signum: CHR.
Qui ad Sacram Communionem sunt admissi: C.
Pueri, qui frequentant Catechismum: CAT.
Qui in Paschate communicarunt: PASC.
Qui non communicaverunt: NON PASC.
Qui notorius est Hæreticus: HÆRE.
Qui suspectus: SUSPE.

Verbi gratia: *Anno Die Mensis in Parochia N. in propriis ædibus vel in conductis ab N. habitant N.N. Filius N. annorum* CHR.
C. *Apollonia, ejus uxor, annorum* CHR. C.
Dominicus, eorum filius, annorum CHR. &c.
Idem fiet *de Famulis, ancillis, & aliis.*

Et quotannis, antequam Decanus visitaturus accedat, ipsi suam Parochiam visitabunt, annotando distincte singulas familias in dicto libro, quem Decano visitanti debite confectum exhibebunt. (*k*)

TITULUS XVII.

De vita & honestate Clericorum.

CAPUT I.

CLericos beneficiatos habitum Clericalem juxta præscriptum sacri Conc. Trid. non deferentes, Archi-Presbyteri singuli in suo districtu, nostro nomine & authoritate, legitime desuper moneant, mandentque iis, ut mox habitum decentem assumant & gestent, sub pœna suspensionis ab officio, & fructibus, reditibus & proventibus ipsorum Beneficiorum; & non obedientium intra duos menses mox fructus, reditus & proventus omnes arrestent, ac iterato iis mandent, ut habitum honestum deferant, sub pœna privationis Officiorum & Beneficiorum. Et si nec tunc quidem obedierint, denuntientur, ut per Officialem nostrum prævia unica citatione declarentur privati Officiis, &, quatenus opus est, de novo priventur. Porro si ejusmodi Beneficiati extra Diœcesim agant, vel locus habitationis eorum ignoratur, fiant prædictæ monitiones & mandata per Edictum publicum affigendum ad valvas Ecclesiarum, ubi Beneficia fundata sunt, & si sciatur, ubi Beneficiati agant, mittatur eis copia literarum Edicti. (*l*)

CAPUT II.

Quilibet Tonsuram habeat suo gradui & Ordini congruam, eamque semper conspicuam. (*m*)

CAPUT III.

Nemo Beneficiatus, vel in Ordine sacro constitutus, barbam gestet alatam, & quilibet Sacerdos ita insuper superius labrum rescissum habeat, ut Sanguinem CHRISTI sumpturo, non sit impedimento. (*n*)

CAPUT IV.

Neque edendi vel bibendi causa tabernas ingrediantur (nisi peregrinationis, vel alia necessitate compulsi) sub pœna arbitraria; neque etiam prætextu contractuum ibidem celebrandorum, ad quas tanquam Notarii, vel alias publicæ personæ vocantur, quibus contractibus interesse in tabernis similiter prohibemus. (*o*)

CAPUT V.

Ut in hac hominum malignitate omnis Cleri suggillandi occasio adimatur, & scandalis tempestive occurratur; non tantum incontinentiam, sed omnem quoque ejus speciem unusquisque caveat. Ideoque si quis ancillam habeat,

(*b*) Syn. Gand. tit. 16. c. 12. (*i*) Syn. Mechl. tit. 17. c. 8. (*k*) Ordinat.
(*l*) Syn. Mech. tit. 18. c. 4. Syn. Gand. tit. 17. c. 2. (*m*) Syn. Mechl. tit. 18. c. 2.
(*n*) Syn. Mechl. tit. 18. c. 3. (*o*) Syn. Mechl. tit. 18. c. 6. Syn. Gand. tit. 17. c. 3.

habeat, vel cum alia muliere ſic converſetur, ut obloquium inde vel ſcandalum oriatur, ad monitionem noſtram, vel Archi-Presbyteri ſui, hanc ancillam abdicare, ſeu ab hujus mulieris familiaritate ſe ſubtrahere mox teneatur ſub pœna arbitraria. (p)

CAPUT VI.

In Primitiarum ſolemnitate a tripudiis & choreis, omnique alia inſolentia abſtineatur. (q)

CAPUT VII.

Scandaloſum eſt Paſtores, aliosque Sacerdotes ad pſittacum jaculari, aut in locis publicis ludere pila palmaria. Ideoque etiam quilibet ab eo abſtinebit ſub pœna arbitraria. (r)

CAPUT VIII.

Nullus Paſtor, vel alius quicumque in Ordine ſacro conſtitutus, fide jubeat, ſciantque omnes Clerici, ipſis non licere ullo pacto fori privilegio renuntiare, & ſi renuntiaverint, nullam eſſe renuntiationem, in eosque ad ſacrorum Canonum præſcriptum agi poſſe ac debere. (ſ)

CAPUT IX.

Similiter Clericis & Presbyteris omnibus ac ſingulis prohibemus, ne impoſterum aliquod teſtimonium ferant coram Judice laico, niſi obtenta a Nobis prævie in ſcriptis licentia. (t)

CAPUT X.

Clerici quoque Beneficiati, vel in Sacris conſtituti, decimas, cenſus, prædia, aut terras alienas non conducant, quæſtus faciendi gratia, neque ullam negotiationem exerceant ſæcularem, ſub pœna arbitraria. (u)

TITULUS XVIII.

De Beneficiis, & Officiis Eccleſiaſticis, ac Beneficiatorum reſidentia & oneribus Beneficiorum adimplendis.

CAPUT I.

REipſa compertum eſt, per Beneficiatorum abſentiam fructus Beneficiorum deperdi, & onera negligi; eapropter licentiam abſentiæ & literas de non reſidendo nemini ſuffragari volumus, qui non conſtituerit legitime Procuratorem, & quidem virum Eccleſiaſticum Nobis ſubjectum, ad Nos, ſeu Archi-Presbyterum noſtrum quotannis in viſitatione, vel ſaltem ante feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ ſufficienter docendum de Miſſarum, & aliorum onerum adimpletione, ac de cenſibus & reditibus, quibus bona ipſius Beneficii gravantur, plene perſolutis, aliisque ſimilibus. (x)

CAPUT II.

Beneficiatis, ſive reſideant, ſive non reſideant, per ſe, vel per Procuratorem ſuum non docentibus, onera Miſſarum adimpleta eſſe, Archi-Presbyter fructus omnes ipſius Beneficii, cujus onera neglecta ſunt, arreſtari, & ipſum Beneficiatum, ſeu ejus legitimum Procuratorem coram Officiali noſtro citari curabit, ad videndum dictos fructus arreſtatos Eccleſiæ pro implendis oneribus adjudicari. (y)

TITULUS XIX.

De Scholis.

CAPUT UNICUM.

SCholæ a Scholaſticis, quibus ſubjectæ ſunt, ſingulis ſaltem ſemeſtribus, alibi vero ab Archi-Presbyteris ſingulis annis ſerio viſitentur, nec ulli omnino libri in iis prælegantur, qui a Nobis, vel Cenſore noſtro non fuerint approbati. (z)

TITULUS XX.

De Elocatione & conſervatione bonorum Eccleſiaſticorum.

CAPUT I.

UT adeptus Paſtoratum, obligatur ad tradendum Archi-Presbytero ſpecificationem omnium fructuum ejusdem ſui Paſtoratus intra annum, prout exi-

(p) Syn. Mechl. tit. 18. c. 8. Syn. Gand. tit. 17. c. 5. (q) Syn. Gand. tit. 17. c. 6.
(r) Syn. Gand. tit. 17. c. 10. (ſ) Syn. Mechl. tit. 18. c. 1. (t) Ordinat.
(u) Syn. Mechl. tit. 18. c. 5. (x) Syn. Gand. tit. 18. c. 2.
(y) Syn. Mech. tit. 19. c. 4. Syn. Gand. tit. 18. c. 3. (z) Syn. Mechl. tit. 20. c. 4. Ordin.

exigit juramentum ab eo præstitum, ita quoque adepturus, deinceps quodcumque Beneficium non curatum intra sex menses a capta possessione tradet Archi-Presbytero suo plenam & perfectam specificationem omnium bonorum & fructuum ejusdem sui Beneficii, cum debita designatione hypothecarum, limitum, & terminorum, prout idipsum similiter se præstiturum jurabit, antequam possessio ei dabitur. Omnes etiam & singuli quæcumque & qualiacumque Beneficia curata, vel non curata in præsentiarum obtinentes, si plenam & perfectam designationem omnium bonorum, prout præmittitur, intra decem annos ultimo elapsos, Archi-Presbytero suo non tradiderint; ut intra sex menses proximos a publicatione & distributione horum Decretorum id præstent in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna arbitraria pro modo culpæ & negligentiæ mandamus. (a)

CAPUT II.

Atque ut bona Beneficiorum, quæ annuis censibus, & reditibus, aliisque oneribus gravata sunt, defectu solutionis non evincantur, quodcumque Beneficium curatum, vel non curatum modo obtinentes, vel deinceps obtenturi, dum tradent Archi-Presbytero specificationem bonorum & fructuum sui Beneficii, simul etiam tradent specificationem censuum, redituum, & aliorum quorumcumque onerum, quibus illa bona subjecta sunt, & illa ipsa onera omnia persoluta esse tempore visitationis per apochas, vel aliter sufficienter docebunt, sub pœna arbitraria. (b)

CAPUT III.

Porro singuli Archi-Presbyteri, ubi habuerint debitas specificationes omnium bonorum & fructuum singulorum Pastoratuum, & quorumcumque aliorum Beneficiorum sui Decanatus, non different sibi conficere debitum registrum cum expressione onerum tam Missarum, quam censuum, & redituum, & quorumcumque aliorum ipsis Beneficiis incumbentium, & illud ipsum registrum mox Nobis exhibebunt, ut descriptam copiam in Archivis nostris conservemus. (c)

CAPUT IV.

Authorizamus etiam Archi-Presbyteros nostros, ad petendum nostro nomine a Possessoribus quorumcumque Beneficiorum Patronis, & quibusvis aliis literas originales, vel copias authenticas quarumcumque fundationum, & bonorum Ecclesiasticorum habentibus, easdem sibi exhiberi, & exhibere nolentes ad id debite compellendum juxta Articulum vigesimum secundum Edicti Serenissimarum suarum Celsitudinum pro faciliori executione novissimi Concilii Provincialis anni 1607. emanati, & ad calcem horum Decretorum adjecti. Porro literæ originales, vel copiæ authenticæ quæcumque exhibebuntur, mox nitide & correcte describentur, & facta debita collatione, authenticabuntur, ut optime poterunt, sumptu Beneficii vel fundationis, cui servient. (d)

CAPUT V.

Ubicumque nulla, vel imperfecta bonorum fabricarum, mensarum S. Spiritus, aliarumque piarum fundationum sunt registra, ut ea quam citissime fiant aut perficiantur, recta administrandi ratio requirit, & non tantum quantitas terrarum arabilium, pratorum, sylvarum, hortorum, vivariorum, & cæterorum hujusmodi declaranda est, sed designandæ quoque hypothecæ cum earum Possessoribus quoad census & reditus, ac in omnibus exprimendi limites & contermini. Ubi vero registra quidem sunt, sed non renovata intra quindecim annos; fiat quamprimum eorum debita renovatio. (e)

CAPUT VI.

Et quia injuria horum temporum multa interciderunt munimenta bonorum Ecclesiasticorum, ut iniquis debitoribus, quos imposterum forte solutionem denegare contingeret, obvietur.

(a) Syn. Mechl. tit. 17. c. 2. Syn. Gand. tit. 21. c. 1. (b) Syn. Mech. tit. 17. c. 5. Syn. Gand. tit. 21. c. 2. Supra tit. 16. c. 10. (c) Syn. Mechl. tit. 17. c. 4. Syn. Gand. tit. 21. c. 3. (d) Syn. Mechl. tit. 17. c. 3. Syn. Gand. tit. 21. c. 4.
(e) Syn. Mechl. tit. 17. c. 4. Syn. Gand. tit. 21. c. 5.

tur. Mandamus universis Beneficiatis hujus Diœcesis, ut singuli legitima faciant manualia, in quibus annuam solutionem ita signent, ut ex iisdem manualibus successu temporis legitima possessio probari possit; & hæc ipsa manualia quotannis a Decanis visitentur, ut Successoribus gratis relinquantur. (*f*)

CAPUT VII.

Census ac reditus quorumcumque granorum & leguminum, nec non vini, olei, halecum, ceræ, & similes, Ecclesiis, Beneficiis, fabricis, mensis pauperum, & quibuscumque piis locis debiti, in specie quotannis persolvantur, saltem non in certa semper, & eadem quantitate pecuniæ redimi permittantur. (*g*)

CAPUT VIII.

Quilibet Beneficiati in legitimis manualibus, quæ sibi conficere jubentur, dum annuas solutiones annotant, simul etiam causam seu contractum, cujus virtute singulæ solutiones receptæ sunt, nec non numerum annorum arrendæ adscribent, præsertim quoad bona data in emphyteusim. Exempli gratia:

Die Mense Anno Recepti a N. ratione talium bonorum (ea hic exprimenda sunt cum justa eorumdem quantitate & conterminis) ei datorum in emphyteusim, canonem viginti quatuor solidorum, qui cessit Kalendis Martii anno sexcentesimo quinquagesimo, & hic annus est vigesimus secundus talis emphyteuseos. (*h*)

CAPUT IX.

Bona piarum fundationum, ad certos & determinatos usus relicta, aliis etiam piis usibus per Administratores eorum propria ipsorum authoritate non applicentur; sed si quæ fundationes, ob eorum tenuitatem, juxta voluntatem Fundatorum adimpleri nequeant, ideoque reductione opus sit, vel bona illarum ad alios meliores, aut magis necessarios usus converti, ad Nos, aut Sanctam Sedem juxta sacros Canones recurretur. (*i*)

CAPUT X.

Inventarium omnium ornamentorum & utensilium, quod in singulis Ecclesiis Parochialibus & Sacellis fieri mandamus, non solum a Pastore, vel Rectore Sacelli, ac Æditius; sed ab eo quoque, cui illorum custodia committitur, subsignabitur, qui & idoneam cautionem præstabit de illis fideliter custodiendis. Et quandocumque nova ornamenta comparabuntur, vel supellectili Ecclesiæ aliquid accedet, mox ea omnia inventario debite inscribentur. (*k*)

CAPUT XI.

Gazophylacia, sive trunci (ut vocant) oblationum tribus distinctis seris firmentur, & clavis una sit penes Pastorem. (*l*)

CAPUT XII.

Elocationes bonorum ad quæcumque Beneficia spectantium, anticipatis solutionibus non fiant; & si fiant, nullatenus Successores obligent, quocumque privilegio vel indulto fulciantur. (*m*)

CAPUT XIII.

Et cum subinde graves controversiæ oriantur super divisione fructuum Pastoratuum, (eorum nempe, quos accidit vacare per mortem possessorum) ejus anni, in quo vacatio illorum contingit; cupientes omnibus litigiis viam omnem præcludere: statuimus & declaramus, quod Hæredes seu Curatores domus mortuariæ cujuscumque defuncti Pastoris, de omnibus certis fructibus & emolumentis ad Pastoratum hujusmodi pertinentibus, cessis vel cessuris intra annum inchoatum, scilicet a festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ, & finitum simili festo alterius anni; Tenebuntur Successori, vel cuilibet ad id jus habenti, relinquere quotam hujusmodi certorum fructuum & emolumentorum correspondentem ratæ temporis computandæ a morte defuncti usque ad Festum S. Joannis immediate sequens; Fundationibus tamen Anniversariorum, Missarum, & similium munerum exceptis, quorum quisque

 hono-

(*f*) Syn. Gand. tit. 22. c. 5. (*g*) Syn. Gand. tit. 21. c. 6. (*h*) Syn. Gand. tit. 21. c. 7.
(*i*) Syn. Gand. tit. 21. c. 8. (*k*) Syn. Mechl. tit. 22. c. 6. Syn. Gand. tit. 21. c. 9.
(*l*) Syn. Gand. tit. 21. c. 10. (*m*) Syn. Gand. tit. 21. c. 11.

honorarium percipiet, qui præstiterit officium. Quoad agros vero Pastoratus cultos, vel seminatos a defuncto Pastore, si idem defunctus vixerit tota vigilia similis Festi, immediate postquam hujusmodi agros coluit & seminavit, tunc fructus omnes messis, seu collecti, seu colligendi pertinebunt ad domum mortuariam, ita tamen, ut Hæredes vel Curatores obligentur ad pretium conductionis eorumdem agrorum pro illo anno, juxta cordatorum & intelligentium arbitrium & æstimationem faciendam. Quod si autem defunctus non vixerit tota vigilia prædicti Festi, iidem fructus messis, seu collecti, seu colligendi pertinebunt ad Successorem in eodem Pastoratu, vel ad quemlibet ad id jus habentem, ita tamen, ut domui mortuariæ præstentur impensæ fimi, culturæ & seminis, juxta similem æstimationem. (*n*)

CAPUT XIV.

Post tres demum proclamationes debite factas, bona spectantia ad Pastoratus, Capellanias, fabricas Ecclesiarum, mensas Spiritus Sancti, aliasque pias fundationes, ac pia loca elocari volumus; neque tunc quidem aliter, quam publice & plus offerenti, & danda cautione idonea a conductoribus. Casu quo tamen publicam elocationem propter collusionem incolarum loci, vel ob aliam causam rationabilem Ecclesiis, aut Beneficiis fore damno verosimiliter appareat, omissis proclamationibus, secreto, vel e manu, ut vocant, præfata bona elocari poterunt; non minoris tamen, quam bona vicina ejusdem naturæ & qualitatis elocantur, nec aliter, quam etiam accepta idonea cautione, ac de licentia nostra, aut Vicariatus, vel saltem Decani loci. (*o*)

CAPUT XV.

Decimæ ad Capitula, Monasteria, aliaque pia loca, Pastoratus vel Beneficia spectantes, ultra triennium non elocentur; prata quoque, quando separatim elocantur, non ultra sexennium, & terræ arabiles ac domus, non ultra novem annos; nec contractus ejusmodi elocationum renoventur, nisi finito biennio prioris contractus quoad Decimas; quadriennio quoad prata; & sexennio quoad domus & terras arabiles. Nec quis unquam prædictos terminos excedat, nisi observatis solemnitatibus, quæ ad alienationem rei Ecclesiasticæ de jure requiruntur, sub pœna nullitatis ipsorum contractuum, juxta Edictum Articulo vigesimo, & alia arbitraria. (*p*)

CAPUT XVI.

Non expedit Pastores ita cum Æditruis vel Communitate quoad competentiam convenire, ut ipsi Æditui, vel Scabini, vel quicumque alii, omnes fructus Curæ, & Fundationum recipiant, in subsidium honorarii Pastori annuatim persolvendi: inde enim fit, ut diversi fructus Curarum & Fundationum passim pereant, & plures in dies perituri merito timeantur, nisi opportuno remedio tempestive occurratur. Quare deinceps quilibet Pastores, si quoad competentiam cum Æditruis, vel aliis convenire voluerint, ita dumtaxat id facient, ut ipsimet Pastores omnia bona ad Pastoratum suum, & Anniversariorum, aliasque fundationes spectantia, per se recipiant, oneraque fundationum expleant, & census ac reditus, quibus eadem bona gravantur, debite solvant; & id tantum, quod ad justam competentiam deest, ab Æditruis, Communitate, vel aliis, ipsis Pastoribus numeretur. (*q*)

CAPUT XVII.

Pastores, & quicumque alii Beneficiati domos Beneficiorum suorum integras conservent, ac debite reparent, nisi reparationes earumdem ab aliis fieri debere & solere constet. Archi-Presbyteri illas singulis annis serio visitent, & quando eas reparatione indigere advertent, ea mox fieri mandent; & non obedientes denuntientur Nobis, ut ad debitas reparationes faciendas, prout juris & rationis fuerit, compellantur; & pro præterita negligentia etiam puniantur. Si vero ad hujusmodi reparationes obligatos, iis necdum

(*n*) Ordinat. (*o*) Syn. Gand. tit. 21. c. 12. Ordinat. (*p*) Syn. Mechl. tit. 22. c. 2. Syn. Gand. tit. 21. c. 13. (*q*) Syn. Gand. tit. 21. c. 14.

dum perfectis, ex hac vita migrare, vel Beneficia sua resignare contigerit; bona domorum mortuariarum, eorumque, qui Beneficia dimiserunt, arrestentur, & arrestata maneant, donec eæ perfectæ fuerint. (r)

CAPUT XVIII.

Rationes fabricarum & mensarum pauperum, aliarumque piarum fundationum singulis annis ubique reddantur, vel saltem, ubi tenuiores sunt earum proventus, singulis bienniis, & de decennio in decennium contineant plenam specificationem quantitatis, limitum & conterminorum, sylvarum, & pratorum, ac terrarum arabilium, nec non expressam designationem tam fundorum & ædium, super quibus reditus vel census hypothecati sunt, quam ædium & fundatorum iisdem hypothecis adjacentium & conterminorum. (s)

CAPUT XIX.

Certi quoque dies ad audiendas rationes ubique statuantur, & si eorum, quibus rationum redditio incumbit, culpa vel negligentia evenerit, quo minus statuto tempore redditio illa facta fuerit, singuli eorum mulctentur, & mulcta applicetur fabricæ, mensæ pauperum, vel fundationi, cujus computus reddi debuerat. (t)

CAPUT XX.

Archi-Presbyteri, vel alii ad id deputandi, non tantum fabricarum & mensarum pauperum, sed etiam Hospitalium, domorum orphanorum, & quorumcumque locorum piorum computus semper audiant, ubi de jure & consuetudine id hactenus fecerunt; & examinatis præcedentibus computibus videant, num eorum conclusiones debite purgatæ, seu reliqua eorum plene soluta sint, utque omnia debite administrentur, atque ut computus semper in bona & convenienti forma describantur & audiantur, diligenter advigilent. (u)

CAPUT XXI.

Hospitalia in subsidium peregrinorum erecta, histrionibus, aleatoribus, aliisque id generis hominibus non pateant, nec in iis viri cum fœminis versari permittantur, etiamsi se Matrimonio junctos esse asseverent. (x)

CAPUT XXII.

Quicumque habent Reliquias, ornamenta, munimenta, vel alia quæcumque ad Ecclesias, Hospitalia, Monasteria, aliaque loca pia diruta, vel deserta, sive Rectoribus destituta, quomodolibet spectantia, ad Archiva nostra deferre teneantur, ibidem conservanda. (y)

CAPUT XXIII.

Denique ut satisfiat Decreto Concilii Trident. *Sess.* 25. *Cap.* 10. quod jubet in singulis Conciliis aliquot personas qualificatas, & alioquin ad id aptas designari, quibus præter Ordinarios locorum, causæ Ecclesiasticæ in partibus delegandæ a quolibet Legato, vel Nuntio, atque etiam ab ipsa Sede Apostolica committantur. Nominamus personas infrascriptas, earumque nomina, cognomina, & qualitates ad Suam Sanctitatem transmittenda statuimus.

Rdus Dominus *Cornelius Ooms*, Ecclesiæ Cathedralis S. Bavonis Decanus & Canonicus, Juris utriusque Licentiatus.

Rdus Dominus *Maximilianus vander Wæstyne*, ejusdem Ecclesiæ Thesaurarius & Canonicus, Juris utriusque Licentiatus.

FINIS.

Gandavi, ex Officina Balduini Manilii, A. 1651.

Nobilis erat *Triestiorum* & antiqua inter Gandavenses familia, ex qua in lucem prodiit ANTONIUS, Brugensis Cathedræ V., Gandavensis VII. Episcopus. Maximam illum domus Tristææ laudem & gloriam, quod *Havensii de Erect. nov. in Belgio Epp. Comment.* præmittitur, Eucharisticon jure appellat. Generis enim sui splendorem tum virtutibus, tum scientiis non modo sustinuit egregie, sed mirum etiam

(r) Syn. Mechl. tit. 22. c. 7. (s) Syn. Mechl. tit. 22. c. 8. (t) Syn. Mech. tit. 22. c. 9.
(u) Syn. Mech. tit. 22. c. 10. Ordinat. (x) Syn. Mechl. tit. 22. c. 11.
(y) Syn. Mechl. tit. 22. c. 13.

etiam in modum amplificavit. Virtutis jam inde a puero ædem ingressus, ac Juris utriusque tandem decoratus laurea, iter ad templum Honoris, veramque ad gloriam facile habebat. Magistratus in Republica sacra præstantissimos gessit. Ex Archidiacono factus Gandavi Decanus, e Decano Brugensis Episcopus a. 1617. ad Leopoldi, Sermi Belgicæ Principis, cui a sacris Orator erat, nominationem creabatur. Nonnisi quinquennio Ecclesiam illam rexerat; cum revocatur in patriam, ac Sedi Gandavensi Antistes præficitur. Accepit Provinciam a. 1622. die 22. Martii, atque per annos triginta quinque sapientissime administravit Præsul vita immortali dignissimus. Obiit Episcopali in Palatio a. ætatis 81. Sacerdotii 66. Episcopatus 40. V. Cal. Junii a. Christi 1657, relicta omnibus jucunda, perennique nominis sui memoria. Certe prudentiam optimi Præsidis, paterna conjunctam solicitudine, Decreta mox data, quibus inter cætera breve quidem, at multis lucubrationibus commentatum *vitæ Pastoralis Schema* adnexuit, posteritati commendant, nec minori cum laude pietatem ipsius, liberalitatem, ac Religionem Cathedralis Gand. Basilica, Teneramundana Collegiata, rurales Ecclesiæ pene omnes, & egenorum largissima subsidia, ab eodem fixa, vel hodie testantur.

Vide Cl. Beyerlinckium Magn. Theatr. vitæ humanæ Tom. III. in fol. pag. 243. & Castillionium Sacr. Belg. Chronol. Part. II. pagg. 513. & 521.

SYNODUS COLONIENSIS ARCHI-DIOECESANA

Anno Christi MDCLI. Innocentii X. Papæ VIII. Ferdinandi III. Imp. XV.

DECRETA & STATUTA

SERmi ac REVmi PRINCIPIS ac DOMINI,

D. MAXIMILIANI HENRICI, (*)

UTRIUSQUE BAVARIÆ DUCIS, LXIII. ARCHI-EPISCOPI & PRINCIPIS ELECTORIS COLONIENSIS,

De Processionibus, de Ss. Missæ Sacrificio, de Sacramento Ordinis, & Matrimonii,

EDITA

DIE 24. ET 26. SEPTEMBRIS.

† *Claritatis, pulcrique ordinis gratia in quatuor Partes dividere hæc Decreta libuit. Notas, tum quod prolixiores erant, tum quod alibi modo impressæ, consulto omisimus.*

MAXIMILIANUS HENRICUS, DEI & APOSTOLICÆ Sedis gratia Electus & Confirmatus Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Romani Imperii Princeps Elector, & per Italiam Archi-Cancellarius: ejusdem Apostolicæ Sedis Legatus Natus: Episcopus & Princeps Hildesiensis, & Leodiensis: Administrator Berchtesgadensis: Utriusque Bavariæ, nec non superioris Palatinatus, Westphaliæ, Angariæ, & Bullonii Dux: Comes Palatinus Rheni, Landgravius Leuchtenbergensis, Marchio Franchimontensis, &c. Venerabili Clero, & universis ac singulis Christi-Fidelibus Civitatis & Archi-Diœcesis nostræ Coloniensis Salutem in Domino sempiternam.

DECRE-

[*] Videsis de Maximiliano Henrico sub finem Statutorum.

DECRETORUM SYNODALIUM PARS PRIMA.

DE PROCESSIONIBUS.

CAPUT I.

Sanctitas Processionum ac Stationum &c.

I. Sacræ & religiosæ Processiones nihil aliud sunt, quam supplicantis cætus sacro cum ritu & cæremonia ambulationes, tam in veteris, quam novæ Legis institutis fundatæ, & a præcipua, quæ in earum quibusdam adhibetur, Cæremonia, Theophoria, Litania, vel Staurophoria, dici solent: supplicationes ab humili, demissoque procedentium habitu, corporis demissionis internæ indice; Theophoria a Sanctissima Eucharistia; Staurophoria a sanctæ Crucis signo, vel Dominicæ Passionis instrumentis deportatis; Litania a Sanctis invocatis nominatur. His accedit subinde Statio, cum inter procedendum certo loco ad solennem aliquam cæremoniam procedentium mentes varietate quadam sacra excitantur, ne continua ambulatione fessi obtorpescant. Hæc nomina æque ac res per ipsa significatas ex antiquissimo Sanctorum Patrum instituto Catholica suscepit Ecclesia, vel ad inflammandam fidelium in pœnitentiæ operibus pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias agendas, vel ad Divinum auxilium implorandum; ideoque uti consuevit, &, qua par est, reverentia ac pietate celebrari debent; continent enim magna ac Divina Mysteria, & salutares Christianæ pietatis fructus, quos eas pie exequentes a Deo consequuntur, de quibus fideles præmonere & erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, Parochorum, Vice-Parochorum, Concionatorum, & Catechistarum est officium. Qui licet omnibus hominibus in genere sanctitatem Processionum suadere possint; speciatim tamen memores erunt modestiæ ac verecundiæ humanæ, neque virgines ad eas, nisi intra Civitatem suam, nunquam certe ad remotiores, ob pericula, invitabunt, monente tum prudentium usu, tum S. Hieronymo scribente virgini: *Rarus*, inquit, *sit egressus in publicum. Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo. Nunquam deerit causa procedendi, si semper, quando necesse est, processura sis.*

II. Processiones duplices sunt: alteræ statæ seu ordinariæ, alteræ imperatæ seu extraordinariæ. Prioris generis certis fixisque diebus per anni circulum in festo Purificationis Beatissimæ Mariæ semper Virginis, Dominica Palmarum, in festo S. Marci, quæ Litaniæ majores vocantur, ac triduo ante Ascensionem Domini, quæ Litaniæ minores & Rogationes nuncupantur, nec non festo Ss. Corporis Christi, vel aliis diebus pro consuetudine particularium Ecclesiarum, etiam Regularium Ordinum, hactenus toleratæ seu permissæ, quæ nullo Ordinario Diœcesano contradicente, obeuntur.

III. Posterioris generis sunt illæ, quæ ratione obortæ necessitatis ad placandum Deum, vel ad Divinam opem implorandam, vel in gratiarum actionem, jussu seu decreto Ordinarii Diœcesani indicuntur. Non vero illæ, quæ absque certa scientia & consensu Ordinarii Diœcesani ab aliquo Parocho, Vice-Parocho, vel Ordine regulari, seu Superiore Ordinis talis, quovis pietatis colore, instituuntur, uti amplius infra declarabitur.

IV. Cum igitur Episcopi Diœcesani sit indicere, quando, quo, & qua, tam ordinariæ, quam extraordinariæ Processiones institui, dirigi, quasve ad Ecclesias nominatim perduci debeant. Laicis autem quibuscunque etiam jure civili Processiones publicas sine Ordinarii Diœcesani licentia & consensu imperare sit interdictum. Nos Sanctionibus Apostolicis, & Sacræ Congregationis Cardinalium declarationibus inhærentes, omnibus & singulis Civitatis & Archi-Diœcesis nostræ Abbatibus,

Præpositis, Archi-Diaconis, Decanis, tam Collegialibus, quam Ruralibus, Pastoribus, Vice-Pastoribus, & quorumcunque Ordinum Provincialibus, Prioribus, Guardianis, & aliis quovis nomine nuncupatis Ecclesiarum seu Ordinum Regularium Superioribus, & aliis personis quibuscunque sæcularibus ac Regularibus, etiam quovis exemptionis a Diœcesani jurisdictione privilegio munitis, severissimis sub pœnis arbitrio nostro imponendis prohibemus, ne illorum quisquam ullam prorsus extraordinariam processionem, supplicationem, vel stationem in Archi-Diœcesis nostræ Urbe, oppido, pago vel agro extra suæ Ecclesiæ seu Monasterii septa, foris; multoque minus peregrinationem cum processione, seu processionem cum peregrinatione unquam & usquam, sine expressa nostra, nostrive Vicarii in Spiritualibus Generalis licentia, instituere seu obire audeat.

V. Contra sciant omnes prædicti, quantumvis exempti, tam Clerici sæculares in Civitate, vel Archi-Diœcesi nostra, qui Beneficiis, seu Officiis Ecclesiasticis gaudent, quam Regulares quicunque, etiam Monachi, Sacerdotes quoque, qui Ecclesiis Religionis Ordinis S. Joannis Hierosolymitani inserviunt, se ad publicas processiones ordinarias, vel extraordinarias ex quacunque causa, ordinaria nostra auctoritate Archi-Episcopali indictas, vocatos, accedere debere; & contumaces jussu nostro pœnis arbitrariis, aliisque juris remediis, quod vocati comparere detrectent, puniri posse; iis tantum exceptis, qui septis suis arctius clausi perpetuo vivunt; vel quos Sedes Apostolica excipit, quique ultra medium milliare Italicum a Civitate seu loco processionis absunt: hi enim ad processiones quascunque minime sunt compellendi, juxta Concilii Tridentini Decretum, ac desuper editas sacræ Congregationis Cardinalium declarationes.

CAPUT II.

Honestas & Ordo Processionum in communi &c.

I. INsuper quam enixe a Decessoribus nostris Archi-Episcopis Coloniensibus laboratum fuerit, ut sacræ Processiones, Supplicationes, & Stationes, juxta pium sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ institutum & mentem, honeste & secundum ordinem fierent; atque ab eis quidquid leve, petulans, lascivum, & enormibus persæpe flagitiis obnoxium erat, omnino amoveretur, quivis ex iis, quæ in Provincialibus, Diœcesanisque Conciliis, & diversis aliis Constitutionibus Archi Episcopalibus editis, salubriter statuta sunt, abunde potest cognoscere; quæ proinde hic summatim excepta, ne exemplarium defectus, vel reperiendi ignorantia quenquam excuset, inseremus.

II. De iis itaque extat comprimis Concilii Provincialis sub HERMANNO V. anno Millesimo quingentesimo trigesimo sexto habiti, his comprehensa verbis sanctio: "Quod Processiones, inquit, per agros & campos peraguntur, rationem quidem habet, nempe, quod populus oret, ut segetes ac fruges terræ a Domino conserventur. Verum ut alia plurima, ita & hic mos hominum malitia depravatus est, qui per occasionem talis deambulationis, quæ Deo placando erat instituta, pleraque scelera committantur. Quamobrem Nobis satius videtur, ut hæ, aliæque Supplicationes, ac processiones de cætero intra septa Ecclesiarum religiose fiant, ac ut in Templo, loco precationibus peculiariter dedicato, oretur Deus, habeaturque tum pius, tum rei, ac tempori conveniens ad populum commonitorius sermo." Quæ etsi quibusdam prudentibus quiddam Reformationis, vel deformationis potius tunc in Germania perverse colore verbi Divini a Lutheranis attentatæ, & circumstrepentis redoleant; sanum tamen sensum non excludunt, si processionum ritus non damnetur, & malis moribus sublatis, usus bonus servetur.

III. Hoc sensu Catholico, hanc Concilii Sanctionem in usum revocamus, & severissime mandamus, ut ubi tanquam zizania triticum, sic abusus probos ritus obruerunt, ut non videatur ager Dominicus posse ab offendiculis repurgari, ejusmodi processiones, in absynthium offendiculorum conversæ,

ſæ, omittantur, & loco depravati moris intra Templi, cœmiteriive, aut vicini tractus ſpatia, aut certe Civitatis, ſeu oppidi, ſeu pagi ſepta breviſſimo circuitu contineantur: ne vel minima ullis comeſſationibus, potationibus, aliisque inſolentiis, laſciviis & iniquitatibus occaſio præbeatur. Verumtamen omnes & ſingulos Parochos, Vice-Parochos, & Eccleſiarum Superiores ſerio admonemus, ut ſint prudentes vel in talibus abrogandis, cum offendicula adverterint ordinaria evenire, vel retinendis, ſi magnis & multis abuſibus poſſint occurrere.

IV. Eam rem & Concilium Provinciale ſub noſtro Deceſſore ADOLPHO III. Archi-Epiſcopo Colonienſi, anno milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo nono celebratum, accuratius perſequens, hæc, quæ ſequuntur, conſtituit.

V. "Nihil prope, *inquiens*, tam "ſanctum eſt, quod ſæcularium homi- "num vanitas non trahat in abuſum: "Eccleſia de theſauro Corporis Chri- "ſti exultans, circumfert longis Pro- "ceſſionibus, etiam extra ſacras ædes, "Hoſtiam illam ſalutarem, videlicet "ſimul repræſentans itineris Chriſti hi- "ſtoriam; qui, dum quæreret ſalutem "noſtram, in medio populi verſatus "eſt, & univerſam Judæam circum- "ambulavit docens, & ægrotos ſanans, "Diſcipulis comitantibus: quamobrem "& Sanctorum Reliquias & Imagines "eorum, qui veſtigia ejus ſecuti ſunt, "ſimul circumferimus, ſignificantes "illos nunc cum ipſo regnare & trium- "phare in cœlis; quæ memoria debet "piis eſſe jucunda & læta.

VI. "Verum huc ſæcularis ſtul- "torum hominum vanitas irrepſit, & "adhibentur etiam ludi profani & ſcur- "riles magno ſtrepitu, ac quaſi ad "bellum procedendum eſſet, tympana "pulſantur, & otioſa ſpectacula edun- "tur, rebus iſtis non congruentia; "quibus populus delectatus, a rebus, "quæ Proceſſione aguntur, avocatur.

VII. "Mandamus idcirco, ut quic- "quid non valet ad devotionem exci- "tandam, a proceſſionibus removea- "tur.

VIII. "Sed ſint proceſſiones com- "poſitæ, graves & modeſtæ; abſint "riſus, joci & confabulationes, & orent "homines, aut ſuaviter corde & voce "modulentur.

IX. "Nec Beatæ Virginis, aut al- "terius cujuslibet Sancti plures, quam "imago una uniuscujusque circumfe- "ratur.

X. "At ubi populus vanus nolue- "rit abuſum hunc corrigere, & inſo- "lentiam prohibere, mandamus & præ- "cipimus Sacerdotibus & Clero, ne "talibus Proceſſionibus interſint, ubi "iram Dei, non vero miſericordiam in "nos provocamus."

XI. Præmiſſa Nos omnia volumus ubivis locorum Civitatis & Archi-Diœceſis noſtræ Colonienſis a quibusvis quarumcunque Eccleſiarum ſeu Sæcularium, ſeu Regularium, quantumvis exemptarum, Abbatibus, Præpoſitis, Archi-Diaconis, Decanis, tam Collegialibus, quam Ruralibus, Paſtoribus, Vice-Paſtoribus, aliisque Superioribus, etiam Cuſtodibus & Æditius, ſub indeprecabili a Nobis arbitraria pœna infligenda, exactiſſime obſervari, ita ut in nullis Proceſſionibus, Supplicationibus, & Stationibus plures unquam, quam una, etiam Deiparæ Virginis, vel alterius Sancti ſtatua & imago deportetur, niſi forte Sodalitia plura contingat eſſe, quæ ſub diverſo ejusdem Sancti titulo, uti Beatæ MARIÆ Conceptæ, Annunciatæ, Aſſumptæ ſunt inſtituta, in his enim, ut ejusdem Sancti imago, vel vexillum ſæpius circumferatur, præſertim ſi hiſtoricam differentiam imagines ipſæ præſeferant, poteſt tolerari.

XII. Additum eſt in eodem ſub ADOLPHO III. Archi-Epiſcopo Concilio, ut Viſitatores inter cætera, pro Eccleſiarum & locorum diverſitate, indaganda expreſſe inquirant.

XIII. "An in deportatione Vene- "rabilis Sacramenti, quidquid ad ve- "ram devotionem excitandam parum "valet, removeatur.

XIV. "An unius Sancti plures, "quam una, imagines ad excitandam "Sancti beatam & utilem memoriam, "in ejusmodi proceſſionibus circum-

" ferantur: præsertim indignæ Sanctis, " veluti ad sæculum magis, quam ad " Sanctorum repræsentationem effigiatæ ac comptæ?

XV. "An in Processionibus, Stationibus & Supplicationibus publicis " omnes, qui intersunt Clerici, devote " orent, & cum gravitate religiose & " suppliciter cantando incedant, & finita supplicatione eo, unde processerunt, revertantur, non curiose interim circumspectantes, nec vacantes " profanis colloquiis, nec ad jentacula, " seu potationes dilabentes, vel alio " deambulantes?

XVI. " An curent etiam, quando " in solennibus Festivitatibus circumferenda est Hostia illa salutaris, quod " tum omnes ludi profani, & quidquid " non valet ad veram devotionem excitandam, removeatur: imprimis " quod non pulsentur tympana, absint " risus, joci, confabulationes, populus autem oret: & quod unius tantum Sancti, non plures, quam una " imago circumferatur: nec vagando " per agros discurrant, præsertim Rogationum tempore."

XVII. Quæ item ab omnibus & singulis Civitatis & Archi-Diœcesis nostræ Coloniensis Visitatoribus, Commissariis, & Decanis ruralibus nostris quam diligentissime investigari; etsi uspiam tales abusus repererint, graviter in delinquentes, & ita delinquentibus consentientes, jubemus animadverti.

CAPUT III.

Processiones contrahendæ intra breviorem viarum circuitum. &c.

I. Cæterum cum saluberrimis tam prædictorum Provincialium & Diœcesanorum Conciliorum, quam variis fel. rec. FERDINANDI Decessoris & Patrui nostri Archi-Episcopi Coloniensis Decretis de contrahenda Processionum, Supplicationum, & Stationum circuitione, aliisque damnatis ejusmodi offendiculis, & abusibus, multis in locis nondum fuerit paritum, ipsa tamen Augustissimi Sacramenti Eucharistiæ præsentia & Acatholicorum super ejusmodi excessibus exsibilatio, abolitionem eorundem efflagitet.

II. Hinc Pastoribus, Vice Pastoribus sub certa trecentorum florenorum aureorum Rhenensium locis piis applicandorum, aliaque arbitraria pœna præcipimus, ne quis eorum, aut aliorum Ecclesiasticorum, Processionibus, Supplicationibus, & Stationibus, per agros seu campos ad aliquod milliaria institutis, & multis horis durantibus, vel ad quas populus non tam orandi, quam spectandi gratia confluit, vel in quibus quasi ad speciem bellici apparatus tympana pulsari, vel aliquæ insolentiæ & abusus a Nobis, seu Decessoribus nostris Archi-Episcopis Coloniensibus speciatim damnati, committi, vel quædam inepta ac lasciva misceri solent, interesse audeat, multoque minus Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum in iisdem per se, vel alios deportent, ne, uti supra dictum est, Dei potius in nos ira, quam misericordia provocetur, & dies jubili in luctum & mœrorem, sicut, dum Arca, prostrato subita morte Oza, deportaretur, factum scimus, convertatur.

III. Præterea non tam pia, quam damnata consuetudine, & superstitione introductum censetur, quod aliquibus in locis puellæ nubiles, aliæve mulieres in Processionibus, Supplicationibus, Stationibus, Crucem, Vexillum, sacras Reliquias, Sanctorum imagines, vel statuas, aut proxime ante Ss. Eucharistiæ Sacramentum tædas gestent, ut adoptato Connubio & Matrimonio potiantur. Unde nimia plerumque in comessationes, compotationes, tripudia, oscula, & alios actus libidinosos oritur profusio; quibus illecebris pronæ ad lasciviam puellæ ad nefanda facinora perducuntur. Nos pro Archi-Episcopalis nostri muneris debito, tantis dehinc malis occursuri sub pœnis suspensionis a Beneficio & Officio, aliisque gravioribus pro modo culpæ & offendiculi arbitrio nostro infligendis, prohibemus omnibus ac singulis Civitatis & Archi-Diœcesis nostræ Abbatibus, Præpositis, Archi-Diaconis, Decanis tam Collegialibus, quam Ruralibus,

bus, Paſtoribus, Vice-Paſtoribus, aliisque quarumcunque Eccleſiarum Superioribus, Cuſtodibus, & Æditius, Officiantibus, & Miniſtris, ne impoſterum cujuscunque Proceſſionis vel Supplicationis Crucem vel Vexillum, nec unquam ſacras Reliquias, aut Sanctorum imagines, ſeu ſtatuas in quibusvis Proceſſionibus, Supplicationibus, vel Stationibus ab ullis cujuscunque ſtatus, gradus & conditionis puellis aut fœminis, adhibito etiam contra inobedientes & refractarias brachii ſæcularis, ſi opus fuerit, auxilio, deferri permittant, ſed quo major ſacris ejuscemodi rebus accedat veneratio, juxta Deceſſoris noſtri fel. mem. FERDINANDI Archi-Epiſcopi Decreta, ac noſtra Statuta de Reliquiis Sanctorum; de Imaginibus ſacris, nec non de Ordine ſolennis Supplicationis typis reſpective vulgata, a Clericis Sacris initiatis ac linteatis, & aliis Eccleſiaſticis veſtimentis indutis (quoad ejus fieri poteſt) vel ſaltem, ubi Tumbarum ſeu Statuarum moles gravior robuſtiores bajulos exegerit, a piis honeſtisque viris ſæcularibus, palliatis tamen & detectis capitibus, omni reverentia & pietate, præcedentibus duobus cum acerris, qui thus continuo verſus ſacras Reliquias adoleant, nec non tædiferis ſaltem duobus latus utrumque ſtipantibus, quam decentiſſime curent circumferendas: quos bajulos honeſte & decenter veſtiti adoleſcentes, qui fulcra tumbis ſeu ſtatuis ſupponenda portant, comitentur.

IV. Singulas Tumbas pro notitia pignorum ſacrorum & excitanda pietate, puer Angelico Schemate, vel certe Ephœbi honorarii habitu anteibit cum inſcriptione nominis, & ſi haberi poſſit, cum inſignibus iſtius Sancti, cujus Exuviæ deportantur. Sodales quoque ejusdem Sancti, ſi qui ſint, aut alii ejus Clientes, vel ejus cultus augendi ſtudioſi viri tædis accenſis tumbam ambibunt. Duo minimum Canonici, vel Vicarii ſuperpelliceis ſeu albis & pluvialibus induti, piisque orationibus & precibus intenti ſacras quisque Eccleſiæ ſuæ Reliquias proxime ſubſequentur.

V. Inſuper quia pie introducta conſuetudo repræſentandi populo Sanctiſſimam Chriſti Domini Paſſionem, glorioſa Martyrum certamina, aliorumque Sanctorum res præclare geſtas, hac hominum perverſitate eo deducta eſt, ut multis offenſioni, multis etiam riſui atque deſpectui ſit: ideo prohibemus, ne in quibuscunque ſacris Proceſſionibus, vel Supplicationibus, vel Stationibus impoſterum ullæ Sanctorum aut ſacrarum hiſtoriarum, ne ipſius quidem Chriſti Salvatoris nati vel paſſi a perſonatis adoleſcentibus, aut aliis repræſentationes fiant, vel quidquam, quod poſſit intuentium animos, ab eo, quod in Proceſſione, vel Supplicatione potiſſimum intenditur, ad ſe rapere, ſed potius ea myſteria a Concionatoribus ex Cathedra gravi ſermone rudi populo explicentur; vel imaginum decore pictarum & non ſordidarum, aut imperita manu factarum ad viam expoſitione adumbrentur, non vero, ut dictum eſt, vivarum perſonarum introductione, quæ Chriſti & Sanctorum geſta nunquam ita expreſſerint, quin ſancta vileſcant.

CAPUT IV.

De Statuis & Hierothecis aliis a Theophoria excludendis. &c.

I. Tametſi pium & laudabile ſit, ut in communibus Proceſſionibus, Supplicationibus, ac Stationibus deportentur Sanctorum, ſi quæ in Eccleſiis habeantur, Reliquiæ, vel ſola imago Divi loci Tutelaris: in eis tamen Proceſſionibus vel Supplicationibus, ubi Sanctiſſimum Sacramentum circumfertur, nullæ merito Sanctorum vel Reliquiæ, vel imagines, vel ſtatuæ juxta S. Caroli Borromæi præſcriptum, niſi pia multorum locorum conſuetudo aliud poſtulet, deportentur; de qua tamen conſuetudine integrum erit Nobis, noſtrove in Spiritualibus Vicario Generali, ſeu Decanis ruralibus cognoſcere, an cum pietate vera, an perſuaſa conſiſtat. Simpliciter vero nunquam & nuſquam Capſulæ ſeu Tumbæ quantumcunque pretioſæ, in quibus vel nullæ ſunt, vel non approbatæ ſacræ Reliquiæ, venerationis cauſa, in Pro-

cessionibus, vel Supplicationibus deferantur, aut Stationibus proponantur, vel in Ecclesiis ipsis populo exhibeantur.

II. Sanctissimum utique Eucharistiæ Sacramentum pie & utiliter ad populi pietatem interdum in publicis Processionibus ac Supplicationibus, potissimum vero in festo sacro Christi Corpori proprie consecrato, & per ejus Octavam defertur: sed ne nimia frequentia debitam tanto Sacramento minuat reverentiam, rarius extra prædicta tempora id fiat, & non nisi in arduis causis pacis, aut publicæ necessitatis vel utilitatis, seu alias de licentia & consensu nostro, nostrive Vicarii in Spiritualibus Generalis, sicut diserte constitutum est a Concilio Provinciali Coloniensi sub NICOLAO CUSANO, S. R. Ecclesiæ Cardinale ac de latere Legato, THEODORICO Archi-Episcopo Coloniensi, Decessore nostro, his verbis id comprobante: "Ad majorem, inquit, honorem Sanctissimi Sacramenti statuimus, quod deinceps ipsum Sanctissimum Sacramentum nullatenus visibiliter in quibuscunque Monstrantiis ponatur aut deferatur, nisi in Sanctissimo festo Corporis Christi cum sua Octava, & extra hujusmodi Festum cum sua Octava, semel in anno, in qualibet Civitate, aut Oppido, seu Parochia, vel ex singulari indulto Ordinarii, aut alias pro pace, vel alia necessitate imminente, ex indispositione Rempublicam prægravante: & tunc cum summa reverentia atque devotione."

III. Insuper ad Processiones Corporis Christi decorandas, juxta exemplum eorum, qui ingressum Dominicum in Jerosolymitanam urbem ramis & vestibus suis oblatis honorarunt, omnes viæ & plateæ, per quas Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum portabitur, mundentur, arboribus, ramis, frondibus, floribus, herbis odoriferis, gramine sternantur, decenter ornentur, Ecclesiæ, & parietes viarum tapetibus, auleis & sacris imaginibus, non autem profanis aut vanis figuris, seu indignis ornamentis. Et reliqua singulis Processionibus in Cæremoniali Episcoporum, ac Rituali Romano, seu Processionali, seu Pastorali ad usum Romanum accommodato præscripta, accuratissime serventur.

IV. In ordinariis ergo Processionibus sciant incolæ vias sibi esse curandas, in extraordinariis utique, quæ vel tempore, vel viarum transitu ab aliis differunt, Vicani potissimum monendi erunt, ut munditiem & ornatum in plateis suis procurent. Eam vero curam in Processionibus parochialibus Ædiles, in generalibus Præfecti dirigendis Processionibus constituti ejusmodi per ministros suos Vicanis denuncient domatim, aliove meliori modo, ne se excusare possint, si honestatem Christo debitam neglexerint.

V. Deputentur item primarii aliquot viri, pro portanda umbella, sub qua Sacerdos cum Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, processionis ritu incedat. Quandocunque enim in publicis processionibus Sacrosancta Eucharistia circumfertur, id nunquam posthac, nisi sub umbella fiat, quam honestiores Parochiani deferant, & quam Pastores, seu Vice-Pastores in qualibet Ecclesia, ubi deest, expensis fabricæ, vel ex fidelium oblationibus, quamprimum sibi comparent.

VI. Similem honorem, quoties ad infirmos defertur, Sacrosancto huic Sacramento optaremus exhiberi, præsertim in Civitatibus, oppidis, & pagis, in quibus frequentior est populus, & ædes sunt viciniores Ecclesiæ Parochiali. Quod ut facilius Pastores, & Vice-Pastores exequantur, hortamur ipsos, ut in suis Ecclesiis Sanctissimi Sacramenti Sodalitium, cujus Sodales cæteris in pio hoc obsequio exemplo præluceant, curent erigendum. Quem in finem Quadraginta dierum Indulgentias iis, qui qualibet vice umbellam detulerint, in Domino elargimur.

CAPUT V.

Ss. Eucharistia, Reliquiæ & Statuæ non curru vel equi devehendæ. &c.

I. MAximopere dedecet Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum,

tum, Sanctorumve Reliquias, imagines, aut statuas in Processionibus, aut Supplicationibus a personis currui vel equis insidentibus circumferri. Quare ne quid in rerum sanctissimarum reverentiam peccetur, sub trecentorum florenorum aureorum Rhenensium, aliaque graviori pœna arbitrio nostro infligenda, prohibemus omnibus & singulis Civitatis & Archi-Diœcesis nostræ Abbatibus, Præpositis, Archi-Diaconis, Decanis, Pastoribus, Vice-Pastoribus, aliisque Ecclesiasticis quibuscunque, ne illorum quisquam deinceps in ulla unquam Processione, Supplicatione, aut Statione Sacrosanctam Eucharistiam, vel Sanctorum Reliquias, imaginem, aut statuam aliter, quam pedes, nullo autem modo currui vel equo insidens, deportet, seu a quocunque alio deportari permittat.

II. Eapropter ubicunque tam longi sunt Processionum, vel Supplicationum circuitus, seu Stationum distantiæ, ut Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, aut Sanctorum Reliquiæ, imagines, vel statuæ commode a peditibus nequeant circumferri, vel etiam populi pietas languescat, seu in itinere bibendi occasio præbeatur, eos ita contrahi, ad brevius spatium sub eadem pœna mandamus, ut omnis offendiculi & reverentiæ minuendæ tollatur occasio, & viarum longitudine pietatis ardor minime refrigescat.

CAPUT VI.

Choreæ, comessationes, strepitus profanus a Processionibus eliminandus. &c.

I. MUlto vero magis Nobis displicent comessationes, compotationes, tripudia, choreæ, pulsatis tympanis, quæ occasione festorum Sanctissimi Sacramenti, vel Dedicationis Ecclesiarum Parochialium solent institui. Fuerint olim eæ testimonia publicæ lætitiæ, gaudiique spiritualis, ut animo simul & corpore fideles, Davidis exemplo, exultarent in memoriam tantæ solennitatis in Civitate & Archi-Diœcesi nostra Coloniensi a quatuor & ultra sæculis, ex speciali Divinæ Majestatis beneficio institutæ, modo tamen ex morum corruptela, multis periculis lasciviæ & turpitudinis sunt obnoxiæ, præsertim illæ, in quibus personati vel larvati quidam, mutato sexus habitu, & ad luxuriam & levitatem quomodolibet compositi, choros ducunt. Quare districte injungimus, ut omnes & singuli Pastores, Vice-Pastores, Concionatores & Catechistæ salutaribus suis monitionibus populum generatim a comessationibus, compotationibus, choreis, tripudiis, tympanorum pulsu conentur avocare: quæcunque vero illis admisceri solent circumstantiæ, quæ lasciviam, scurrilitatem, & levitatem, vel quodcunque aliud peccatum redoleant, severe prohibeant, & hujus nostri mandati & prohibitionis contemptores, mulctis & pœnis arbitrariis pro ratione culpæ & offendiculi, adhibito, si opus, brachii sæcularis auxilio, puniantur; præsertim cum quidam ita his capiantur, ut præcepti audiendi Sacri obliviscantur.

II. Salutares hujusmodi cautelas etiam adhiberi volumus in theatralibus historiis, in Templis & publicis Processionibus, Supplicationibus, & Stationibus, occasione similium festivitatum exhiberi solitis, per quas scilicet Christi, Sanctorum, vel aliorum quorumcunque, sive vivorum, sive mortuorum personæ, miracula, vel res quomodolibet gestæ, repræsentantur, quas imposterum omnino volumus abrogari, vel nullis etiam cujuslibet Instituti Religiosis aliter permitti, quam prævio nostro, nostrive in Spiritualibus Vicarii Generalis, aut ubi id commode fieri non poterit, Decanorum ruralium, vel saltem Pastorum, seu Vice-Pastorum loci, examine & permissu: quorum erit diligenter attendere, ne quidquam in ejusmodi spectaculis, quod a veritate vel pietate sit alienum, quodque oblectet magis oculos carnis, quam mentis, exhibeatur: unde sæpe evenire intelligimus, ut populus ejusmodi ludis sic absorbeatur, & a vera pietate abstrahatur, ut cultus & reverentia Augustissimo Sacramento tunc maxime exhibenda, non sine offendiculo, pro dolor, negligatur, cum populus a debita

bita ipsius ter maximi Sacramenti veneratione, & oratione ad curiosum ornatus puerilis, & quasi comicæ cujusdam actionis aspectum avocetur.

CAPUT VII.

Modestia Cleri, maxime Sacerdotum procuranda. &c.

I. QUæ de Processionibus, Supplicationibus, & Stationibus ad instructionem populi à Nobis supra decreta sunt, ea tanto religiosius ab Ecclesiasticis personis omnibus sive Sæcularibus, sive Regularibus observentur, quanto reliquis Christianis vitæ sanctioris professione altius eminent, ut in eos tanquam in speculum Laici oculos conjiciant, ex iisque sumant modestiæ ac pietatis exemplum, quod imitentur. Gravissimum enim illud offendiculi genus est, quod ad detestandum nomen Domini, & exprobrandum castris Dei Israel, veræ Fidei & Catholicæ Religionis hostibus isti præbent, qui Fidei Catholicæ præcipui cultores habentur, & in omni Christiani populi Processione seu Supplicatione non solum ne leviter quidem offendere, sed quos omnino decebat pro culpis & offensionibus suis & aliorum omnium sua præcellenti pietate sese Deo irascenti murum opponere, ejus lacrymis furorem, sanctis orationibus, gemitibusque atque suspiriis suis placare debuerunt.

II. Quamobrem quod primum in Concilio Provinciali sub Decessore nostro ADOLPHO III. Archi-Episcopo Coloniensi, nulla adjecta pœna, sancitum est: deinde in Diœcesanis Synodis Coloniensibus sub eodem ADOLPHO III. Archi-Episcopo habitis, sub Divini interminatione judicii prohibitum est, ut, dum Processiones, seu Sanctissimo Sacramento, vel sacris Reliquiis & imaginibus deportatis aguntur, nemo adultorum, qui hujusmodi processionibus intersunt, esu, potuve jejunium violet, antequam peracta cum timore Dei, piisque precibus processione, singuli ad domos suas revertantur, ac ne tum quidem comessationibus & sympofiis indulgendum esse, sed cibum parce cum gratiarum actione sumendum; ne gratia Divina, quam in sacris processionibus ambiunt homines, fœda ista temulentia duplicato crimine spolientur. Id vero ne suo exemplo in mores populi inducant, Clerici & Ecclesiæ Ministri, quos dolenter intelligimus, aliquando Laicos in hac re pravis moribus anteire, ita ut etiam Sanctus, ad cujus honorem die Festo ipsius processio fuit instituta, a gula populi vel Cleri exercita vorax, vel potator alibi proverbio blasphemo nominetur, ut ab aliis festivitatibus ejusdem Sancti, vel cognominis Divi discernatur processionis celebritas ventri consecrata.

III. Quod idem sub Antecessoribus nostris ADOLPHO III. & FERDINANDO Archi-Episcopis Coloniensibus salubriter statutum est, ne Imagines sacræ sæculariter comptæ, nec in Templis, nec in processionibus tolerentur; & ut quæ ad ornatum Supplicationum proponuntur, ejusmodi sint, quæ oculos spectantium non offendant: item quæcunque vel in Constitutionibus Apostolicis, vel in Conciliis Provincialibus, aut Synodis Diœcesanis Coloniensibus, aliisque Sanctionibus hac de re constituta sunt, singuli Ecclesiarum tam sæcularium, quam Regularium Prælati, Rectores, ac Superiores qualescunque a Clero & populo sibi subjecto exactissime satagant observari.

IV. Curent quoque Magistratum sæcularem, imminente Processionis vel Supplicationis die, tempestive præmoneri, si qua in re officium ejus desideretur; vel ad cohibendam & coercendam impiorum insolentiam, vel ad impediendum, ne in via, qua procedendum erit, esculenta aut poculenta quasi nundinarum & mercatus tempore exponantur & vendantur; vel ad removenda quæcunque alia, quæ ad excitandam veram pietatem nihil faciunt, sed potius ad vanitatem animos relaxant, & a sanctis cogitationibus avocant.

CAPUT VIII.

Canonicarum seu Canonissarum in Processionibus cultus. &c.

I. QUod Decreta Conciliorum tam Provincialium, quam Synodalium

lium Colonienſium vetant, ne Canonicæ ſeu Canoniſſæ ſæculares nimis exquiſito utantur cultu, neve veſtibus pretioſis ſæculari modo comptis & excultis: illud præcipue in publicis processionibus, Supplicationibus & Stationibus ſervari mandamus, easque in Collegiis ſuis veluti Scholis, virtutum palæſtra, omni pietate ac timore Dei ita cupimus exerceri, ut omni laſcivia, ſuperbia, ac levitate remota, animi demiſſione, modeſtia, verecundia, pudicitia, cæterisque virtutibus, quibus Chriſti Sponſas ornatas eſſe decet, vere nobiles & illuſtres appareant.

II. Unde quibuscunque malis moribus, abuſibus, & corruptelis in Proceſſionibus, Supplicationibus, & Stationibus exoriri ſolitis, pro Archi-Epiſcopalis noſtri officii debito deinceps mederi cupientes, diſtricte præcipimus omnibus ac ſingulis Civitatis & Archi-Diœceſis noſtræ Colonienſis Paſtoribus, Vice-Paſtoribus, & verbi Dei Præconibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, ut proximo feſto S. Marci, vel triduo Rogationum, quo ſtatæ Proceſſiones, decantatis majori & minori Lytaniis, juxta pium & laudabilem Eccleſiæ morem celebrari conſueverunt: nec non feſto Corporis Chriſti, & alio, quo aliqua habenda erit ſolennis Proceſſio, Supplicatio, ſeu Statio, Dominica ipſum Proceſſionis, Supplicationis, ſeu Stationis diem proxime antecedente, cauſam Proceſſionis, Supplicationis, vel Stationis ejuscemodi populo diſerte exponant, erroresque & abuſus in ea cavendos graviter inculcent, nec non ſerio exhortentur Chriſti fideles, ut omnes ad profitendam fidem ſuam, ad celebranda Crucis Chriſti myſteria, ad honorandum Nomen Dei ſui, & ad precandum pro neceſſitatibus Eccleſiæ, reique publicæ conſervatione, magna pietate, animorumque concordia, ſub vexillo Crucis Chriſti pariter conveniant, conſiſtant, & procedant, atque nominatim ab abuſibus & vitiis in prædictis Deceſſorum noſtrorum & his noſtris Decretis & Conſtitutionibus damnatis, vitato curſu, fabulis, riſu, jocis, ac a quavis alia levitate, a reverentia & Religione aliena ſibi temperent, ſed potius piis Orationibus, Litaniarum, aliarumque precum, cantui & recitationi, & myſteriorum, quæ in Proceſſionibus, Supplicationibus & Stationibus peraguntur, meditationi intenti, ex profundo intimoque animo Divinam implorent miſericordiam, ut nemini dantes ullam offenſionem, vituperationibus oblo-quentium non ſint obnoxii: digna enim reprehenſione ab adverſariis fidei, & Catholicæ Religionis æmulis carpentur, & eorum vitio, linguæ impiæ, in injuriam Religionis ſe armabunt, ſi ipſorum mores in actu Religionis, a puritate Chriſtianæ profeſſionis diſcreparint.

III. Ut vero in Proceſſionibus, Supplicationibus, & Stationibus omnes debito, juxta cujusque gradum, dignitatem, ſtatum & conditionem, ordine incedant, nec is unquam perturbetur, præſertim cum numeroſiore populo conſtant, in ſingulis Collegiis, Monaſteriis, ac Parochiis certi Magiſtri Cæremoniarum & Internuncii conſtituantur, qui ultro citroque commeant, totumque Proceſſionis, ac Supplicationis corpus conjunctum ordine certo diſponant & contineant; Viris laicis in unum, fœminis in alterum cœtum diſtributis, ne minus decore utriusque Cleri choro ſe miſceant. Huc valde conducunt Sodalitia, ſimilesque pii tituli, quibus per vexilla & imagines prælatas promiſcua plebs in certas claſſes diſtinguitur, pueri ac puellæ a natu majoribus ſeparantur, & per Catecheſes ac Scholas dividuntur.

IV. Denique quæcunque ad majorem Proceſſionis, Supplicationis, ſeu Stationis Solennitatem ac populi pietatem promovendam ſpectare videbuntur, iidem debita cum reverentia ſingulos Ordines obeundo, luſtrandoque omni diligentia ac ſolicitudine curent.

V. Præter hos ſingulis Collegiis & Monaſteriis adſint Miniſtri, qui ſigno aliquo, cum procedendum vel ſiſtendum fuerit, ſibi mutuo indicent; ita ut priores ad poſteriorum nutum ſeſe dirigant, omnes autem a poſtremo dependeant, qui continuo apud Sanctiſſimum Sacramentum remanebit: & ne hac de cauſa novo graventur ſumptu, poterunt Collegia ſuis Virgiferis aut Custo-

Custodibus: Monasteria autem aliquibus ex suis Ministris aut sacris personis provinciam hanc demandare.

VI. Ne aliqui ex Processionibus, Supplicationibus, vel Stationibus digrediantur, earumque ordinem suo discessu deforment, in usum revocamus Statuta Decessoris nostri FRIDERICI Archi-Episcopi Coloniensis, ut nimirum distributiones, quæ ratione Processionum, Supplicationum, aut Stationum dandæ sunt, non aliis dentur, quam qui servato legitimo Processionis, Supplicationis, vel Stationis ordine, in ea toto Supplicationis tempore perseverarint, & Ecclesiæ, in qua fit Statio, Chorum ingressi, ibidem usque ad finem Officii Divini religiose perstiterint, &, Divinis peractis, cum Cruce eodem ordine, quo venerant, ad Ecclesiam suam revertuntur; exceptis duntaxat his, quos vel necessitas, vel alia justa causa, judicio Decani & Capituli, in Domino excusarit.

CAPUT IX.

Non turbanda sunt Officia Divina vel Sermones in Ecclesia, quam Supplicantes adeunt. &c.

I. CUm in obeunda via, quam appellant, Romana, aliisque Processionibus & Supplicationibus publicis, per obvias Ecclesias transeuntibus, ut plurimum tam Officia, quæ in his Ecclesiis canuntur Divina, quam Sermones, qui ad populum habentur, istiusmodi Processionum & Supplicationum cantu & strepitu turbari cognoverimus, neque tamen minus optemus, has non nisi congruo decentique modo & ordine cum populi fructu sine offendiculo peragi. Omnibus Pastoribus, Vice-Pastoribus, Concionatoribus, & Catechistis, aliisque Ecclesiarum sive Sæcularium, sive Regularium Superioribus, & similium Processionum ac Supplicationum Præfectis & Moderatoribus serio mandamus, ut populum & supplicantium cœtum admoneant, quod licet per eas quidem Ecclesias Processionis aut Supplicationis ritu cum silentio modestiaque sine cantu & strepitu transire possint, ibique preces fundere, in quibus Divina Officia decantantur, si tamen in eisdem Concio, Catechesis, vel exhortatio alia habeantur, quoad ejus fieri potest, ab earum ingressu abstineant. Habeantque ad manum Præfecti Ministrum, qui præcedat, & quid in prænominatis Ecclesiis fiat, tempore exploret, & referat ductori vel primi vexilli aut tituli bajulo, ut is circum Ecclesiam via commoda deflectat, quo melius tota Processio seu Supplicatio dirigatur. Quam diligentiam si Processionis Rector adhibere neglexerit, potestas erit Ecclesiæ illius Præfectis, vel Ministris inobedientibus hujusmodi & contemptoribus fores occludendi, ne turbaturi ingredi possint.

II. Quod si omnino Ecclesia præteriri non posset, quod tamen intra Coloniam dici non potest, unus Curatoris loco, vel ipse Curator aut Præfectus Processionis vel Supplicationis præ foribus Ecclesiæ impeditæ consistat, & opportune quemlibet clara voce precantem vel cantantem moneat, ut ob Concionem vel Divinum Officium sileat prius, quam Templi fores attigerit.

CAPUT X.

Temporis ratio aptanda Processionibus. &c.

INsuper severe prohibemus, ne Processiones lugubres de Passione Domini ulla ratione Sabbato sancto, post decantatum Alleluja instituantur, nec tempore Paschali ea gerantur, quæ Hebdomadæ sanctæ aut Quadragesimæ conveniunt, sed omnium rerum ea ratio teneatur, quam S. Mater Ecclesia, maxime Romana, cunctarum Mater ac Magistra tenet & observat. Paschatis die aboleantur lugubria, quantumvis sacra signa Quadragesimæ, & vice versa tempore Passionis Domini removeantur lætitiæ festivæ, & plausus, maxime ipsa Hebdomada sancta, vitentur, & omnino spiritui sanctorum Patrum congruenter omnia temperentur.

CAPUT XI.

Abrogandi Hypodiaconi. &c.

I. CUm porro Ecclesiæ Catholicæ decus non solum in Processionibus, Supplicationibus, & Stationibus rite & recte, ac secundum ordinem superioribus Capitibus a Nobis præscriptum adornatis, verum etiam in respondentibus his Officiis Divinis atque Ecclesiasticis functionibus maxime eluceat, earumque gravi actione populi pietas foveatur, augeaturque. Ideo abolitum prorsus esse volumus (si vel ex parte aliqua alicubi in usu adhuc sit) festum Hypodiaconorum, quod stultorum vocant, omnesque nugas, levitates & abusus, qui hoc nomine in ullam Civitatis & Archi-Diœcesis nostræ Ecclesiam irrepserunt, antiquamus.

II. Consuetudinem quoque seu potius detestabilem corruptelam, qua pueri a die S. Nicolai, usque ad festum Ss. Innocentium, personatum Episcopum suum colunt, cum ea puerilibus levitatibus & ineptiis plena cœperit esse, multumque gravitatis & decoris Divinis detrahat Officiis, prorsus abrogamus, & abrogatam esse omnino decernimus.

III. Præcipue vero sub pœna trecentorum florenorum aureorum Rhenensium, cujus dimidia pars piis usibus fabricæ Ecclesiæ, seu mensæ pauperum, altera Denunciatori & Fisco nostro applicabitur, aliaque graviori arbitrio nostro delinquentibus imponenda præcipimus, ne Clerus se pueris die Ss. Innocentium submittat, ac eorum locum occupet, & functiones in Divinis Officiis obeat, neque personatus Episcopus benedictiones aliquas faciat, aliique pueri in cantandis Horariis precibus, Lectionibus & Collectis, Sacerdotum, Diaconorum, aut Subdiaconorum officia quædam usurpent, ne se puerilis ætatis Episcopus die, quo eligitur, vel munere suo defungitur ad se ostentandum, vel colligendam pecuniam mitratus, Baculo, & ornamentis cæteris Pontificalibus decoratus, cum personatis aliquot militibus per plateas equitet. Multo minus convenit, ut Canonici & Vicarii ex Collegarum suorum numero aliquem ex ordine designent Episcopum; qui reliquos omnes, magnis impendiis, liberali convivio excipiat: ab his enim, cum sapiant Gentilium Saturnalia, eodem mense Decembri celebrata, quibus Domini servorum, & hi vicissim Dominorum suorum locis, muniisque gaudebant exiguo temporis spatio. Ab his ineptiis Christi Sponsam Ecclesiam, cum deceat esse liberam, severissime prohibemus, ne deinceps personati Episcopi lusu cum Pontificalis dignitatis & honoris detrimento pecunia in sympofia profundenda corradatur.

IV. Similiter gravissimis sub pœnis vetamus abusum illum, quo in pluribus nostræ Archi-Diœcesis Ecclesiis Parochialibus, Fauni potius & Satyri, quam sinceri Catholici, sub specie spargendorum inter cantillantes pueros scholares, in secundis Vesperis Natalis Domini, bellariorum in magna quantitate poma, pira, & in eorum defectu alios Sylvestres fructus in domum Dei inferunt, seque sub Divinis in ipsa Ecclesia, vel extra eam in cœmeterio, aut alias honestas matronas & puellas, imo ipsum quandoque Parochum iisdem petulanter, Lupercorum veterum, gentiliumque more impetunt, Ecclesias quippe, quæ Divino cultui deputatæ domus Dei sunt, & orationi dicatæ, maxime decet ab omnibus actibus profanis, indecoris & puerilibus immunes conservari, juxta Domini nostri JESU CHRISTI, eas severissime vindicantis, exemplar.

V. Et quia non tantum ridiculum, sed Religioni & sacris Ordinibus probrosum est, quod tempore Bacchanaliorum, vel alias, personati Monachi vel Moniales partim veræ mendicæ, partim vagæ parentum indulgentia filiæ per urbem volitent, Parochi, Confessarii, Catechistæ, Parentes, ipsosque pueros ab ejusmodi illiberalibus & impiis moribus arceant, constituto etiam in contumaces, per Magistratum sæcularem, justæ castigationis, pro modo culpæ, exemplo.

VI. Repræsentationes trium Mariarum visitantium Dominicum Sepulchrum, quæ nocte Resurrectionis Do-

minicæ, in quibusdam Ecclesiis fiunt. Item insolens illud tumultuarium, ut vocant, Dœmonum vel Judæorum exterminium in nocte Paschæ, cum potius in iis inveniamus, quod risum movere, pietatem impedire, sacras imagines & Ecclesiæ supellectilem deformare, quam pietatis aliquem affectum excitare possit, volumus prorsus intermitti. Ritum vero & ordinem servandi feria quinta, sexta & Sabbato majoris hebdomadæ Officium Divinum, quo imago Domini in Crucem acti in sepulchro collocatur, eademque nocte Paschali levatur e tumulo, qui a Sancta Matre Ecclesia Catholica & Apostolica est approbatus, pie atque modo eodem volumus observari.

VII. Quem etiam in finem extra Gymnasia, seu Scholas, aut Sodalitatum Oratoria, nullæ imposterum Comœdiæ, Tragœdiæ, Historiæ, Ludive, Scœnæ, ejusque generis actiones tempore Sacro, maxime Hebdomadæ sanctæ diebus exhibeantur. Quod si ejusmodi in Gymnasiis, seu Oratoriis ad promotionem Divini cultus prudentes censuerint aliquando producendas, id non nisi maturo consilio Superiorum, & siquidem sub dio, vel in propatulo, & promiscue patenti loco essent extra septa exhibendæ, eæ nequaquam, nisi prius a Nobis, vel ab uno ex Deputatis nostris librorum Censoribus diligenter revisæ, atque Archi Episcopali nostra auctoritate ordinaria approbatæ fuerint, permittantur: nec hæ tunc quidem uspiam Divinorum Officiorum tempore, nec in ulla Ecclesia, aliove loco sacro a quoquam, sub expressa supra pœna centum florenorum aureorum Rhenensium, dimidiata parte piis usibus, fabricæ Ecclesiæ, seu mensæ pauperum loci, & altera Denunciatori & Fisco nostro applicanda, aliaque graviore pro delicti qualitate Archi-Episcopali nostra authoritate infligenda, in scenam producantur.

VIII. Sæcularium porro spectacula, scœnæ & ludi, qui in nundinis a circumforaneis eduntur, cum & pagos atque oppida & urbes ejusmodi circulatores expilent, hospites suos & fautores decipiant, obscœnitatem & cæcæ juventutis illecebras inducant, vehementer in Domino hortamur civiles Magistratus omnes, ut hujusmodi nequitiis modum ac leges severas statuant, ipsosque, si quid turpe & flagitiosum induxerint, gravissime mulctent, Fisco cunctis eorum instrumentis & lucris applicatis, imo personis eorum, si opus sit, apprehensis, & pro modo delicti castigatis, præsertim cum ejusmodi histriones, tacito vel expresso cum dœmone pacto, spectantium oculos fascinent, vel suos fucos præstigiis perniciosis vendant.

DECRETORUM SYNODALIUM
PARS SECUNDA.
DE SANCTISSIMO MISSÆ SACRIFICIO.
CAPUT I.
De cura Archi-Episcopi circa Sacra tractantes. &c.

I. INter gravissimas Archi-Episcopalis nostri muneris curas, quo impensius exoptamus eos, qui in sortem Domini vocati, Christi militiæ dederunt nomen, spiritualem Ecclesiæ Hierarchiam non perturbare, eo quorundam impietatem majori indignatione detestamur, ac sacrilegam temeritatem execramur, qui sacris Canonibus, Summorum Pontificum & nostrorum Decessorum Archi-Episcoporum Coloniensium Decretis conculcatis, Ordines sacros contra jus & fas suscipiunt; & dum in Ecclesiasticorum Ministrorum cœtum per scelus irrepserunt, Dei cultui, animarum saluti, & iis omnibus, quæ ad tranquillam & uniusmodi Christianæ Reipublicæ gubernationem pertinent, plurimum obesse deprehenduntur.

II. Comprimis autem, gravi animi nostri molestia comperimus, quod com-

complures, suæ salutis immemores, Deique timore postposito, ad Ordines sacros non legitime contendant, partim quod ante præscriptam ætatem, vel extra tempora ad id a jure statuta, & quidem diebus nec Dominicis, nec fori Festis, vel absque dimissoriis Antistitis sui Diœcesani literis, ab Episcopo alieno, sine dispensatione Apostolica, sese curaverint ordinandos, partim etiam specie tituli, seu Beneficii Ecclesiastici, seu Patrimonii ficti vel fiduciarii, aut etiam falsi contra Sanctiones Canonicas, cum maximo bonorum omnium offendiculo, & status Clericalis opprobrio Ordines impetraverint; imo cum sic dolo, vitioque ordinati, a suorum Ordinum usu & exercitio ipso jure essent suspensi, atque ejusmodi suspensionis vinculo constricti, in iisdem Ordinibus ministrando, pœnam irregularitatis, qua non nisi Summi Pontificis auctoritate liberari queunt, incurrissent, præter alias pœnas, quas talibus generaliter jura decernunt; nihilominus ejusmodi censura irregularitatis affecti, suam patriam, in qua facilius horum notitia potuisset haberi, fugiant, & in Civitate & Archi Diœcesi nostra Coloniensi sacrificent, Divinis fungantur Officiis, & Ecclesiastica proximis administrare Sacramenta non vereantur.

III. Detestabilis tamen maxime eorum impia videtur temeritas, qui Catholicam veritatem, qua tam ex Divina institutione & Apostolica traditione, quam Sanctæ Matris Ecclesiæ sanctione soli Sacerdoti rite consecrato potestas sit pro vivis & defunctis Sacrificium offerendi: sacrilego facto oppugnant, dum sacro Presbyteratus Ordine minime initiati Sacrum audent celebrare, nec solum idololatriam exteriorem, per externa & aspectabilia Religionis signa committunt ipsi, sed etiam Christi-fideles, qui eos ordinatos esse credunt, vereque Sacramentum Eucharistiæ conficere, subeunt ejusdem periculum, dum panem & vinum, uti verum Christi Domini nostri Corpus & Sanguinem adorant.

IV. Eapropter fel. mem. CLEMENTIS VIII. & URBANI VIII. Summorum Pontificum Constitutionibus desuper editis inhærentes, statuimus, ut quicunque sive Laicus, sive Clericus sæcularis, aut cujusvis Ordinis, Instituti, Societatis, aut Congregationis Regularis, licet immunitatis privilegio videatur ab Ordinarii Diœcesani jurisdictione eximi, si tamen Divinæ hujus legis violatæ, ut atrocissimi sceleris reus compertus fuerit, tanquam Ecclesiæ misericordia indignus a foro Ecclesiastico abjiciatur, & sacrorum Ordinum, si quos habet, gradu depulsus, Curiæ civili tradatur, Judicum sæcularium sententia debitis pœnis puniendus: quin nec hujusmodi reo privilegium ætatis minoris viginti quinque annis, dummodo vigesimum ætatis annum compleverit, valeat aut debeat suffragari, quo minus Decretis a præfatis Pontificibus Maximis pœnis subjiciatur.

V. Nos innumeris, quæ ex hac facinorosa Sanctissimi Missæ Sacrificii celebratione, potissimum autem ex minus Canonica Clericorum Ordinatione proveniunt, malis, quantum in Domino possumus, mature occurrere cupientes, quæcunque sacrum Oecumenicum Concilium Tridentinum, Summi Pontifices & nostri Decessores Archi-Episcopi Colonienses, de extraneo, vago, ignoto, seu peregrino Clerico, seu Sacerdote a sacris administrationibus arcendo, rite & recte sanciverunt, ea firmiter observari mandantes, omnibus iterum modis interdicimus videlicet, ne quis extraneus, vagus, ignotus, vel peregrinus, imo nec quisquam ratione seu originis, seu domicilii, seu beneficii Archi-Diœcesanus noster ab alieno Episcopo ordinatus Sacerdos, etiam Regularis quomodocunque exemptus, in ulla Civitatis vel Archi-Diœcesis nostræ Ecclesia sive sæculari, sive Regulari, ad celebrandam Missam, Sacramenta ministranda, aut etiam prædicandum verbum Dei, aliasve sacras functiones admittatur, nisi exhibito prius Episcopi sui, a quo consecratus est, testimonio, vel Superioris sui commendatitiis literis.

VI. Quod si a propria Diœcesi diu absens, in aliena commoratus fuerit, commendatitias etiam Ordinarii Diœcesani illius loci literas adferat, quibus

de Ordinatione sua legitima accepta, vitæ, morumque integritate, honesta conversatione, eruditione, ac titulo suæ Ordinationis, nec non celebrandi Sacrum licentia fidem faciat; doceatque nullo excommunicationis, irregularitatis, aliove Canonico impedimento se ab executione Ordinis prohiberi.

VII. Et ne aliquando suppositæ pro Ordinis functione literæ obtrudantur, omnium ac singularum Civitatis & Archi-Diœcesis nostræ Coloniensis Ecclesiarum Prælatis, Superioribus, Pastoribus, Vice-Pastoribus, Presbyteris, Sacristis, Æditluis, Custodibus, aliisque Ecclesiæ Ministris quibuscunque præcipimus, ut deinceps nullum alterius Diœcesis, vel etiam nostræ Archi-Diœcesis ab alieno Episcopo ordinatum Sacerdotem ad Sacrosanctum Missæ Officium celebrandum, Sacramenta ministranda, vel etiam concionandum in suis Ecclesiis admittant, aut in Sacellanum, Chorisocium, vel Cantorem recipiant, nisi prius ipsis scripto constiterit, quod hujusmodi testimonia & literæ commendatitiæ a Nobis vel nostro in Spiritualibus Vicario Generali visæ fuerint & examinatæ, quodque lator earum in his, quæ ad vitam, mores, doctrinam, nec non ad ritus & cæremonias Sacrificii Missæ pertinent, diligenter examinatus, & a Nobis, vel Vicario nostro antedicto ad Missarum celebrationem, aut Sacramentorum administrationem, vel concionem habendam fuerit approbatus & admissus.

VIII. Itaque Decani omnes tam Collegiatarum Ecclesiarum Civitatis & Archi-Diœcesis nostræ, quam Rurales advigilent, qui suis in Ecclesiis, vel sub sui Decanatus districtu degant Pastores, ac Vice-Pastores, & hi, quos in suis Parochiis, seu Ecclesiis Sacellanos, Vicarios, Sacerdotes, Clericosve habeant; ab horum singulis, Decani quidem a sibi subjectis, Pastores & Vice-Pastores a suæ Ecclesiæ Clericis, prævia harum promulgatione, prædicta in scriptis documenta exigant, & hac semel vice ad Nos, vel antedictum nostrum Vicarium referant, vel fideliter referri faciant, intra proximos tres menses a die notitiæ hujus nostri Mandati habitæ numerandos, ut de legitimo eorum, qui modo in Civitate & Archi-Diœcesi nostra versantur, & in Ordinibus sacris ministrant, in Ecclesiam introitu, scientia, vita, & moribus Nobis constet, atque ab his, qui deinceps admittendi erunt, seu constanter in loco aliquo Archi-Episcopali nostræ jurisdictioni in spiritualibus subjecto commoraturi, seu ut peregrini in itinere futuri, hæc nostra Constitutio accurate observetur: ita ut nullus, nisi exhibitis supra commemoratis testimoniis, ad ullum cujusvis Ecclesiæ, Civitatis & Archi-Diœcesis nostræ Ministerium sub gravi pœna arbitrio nostro infligenda admittatur: sic enim lupis ab ovili Dominico abactis Ecclesiæ Hierarchia inviolate conservabitur.

CAPUT II.

De facinorosis Sacerdotibus. &c.

I. CUm Episcopi etiam ex sanctione Concilii Tridentini curare debeant, ne quis publice criminosus Sacerdos, aut sacro Altari ministrare, aut Sacris interesse permittatur; injungimus omnibus Ecclesiarum Prælatis, Superioribus, ruralibus Decanis, & aliis universis animarum curam habentibus, Regularibus ac Sæcularibus, ut Archi-Episcopali auctoritate nostra publicos Concubinarios, Usurarios, Simoniacos, aliosque palam excommunicatos, criminosos Presbyteros ab Altaris ministerio removeant, alioqui tam illi, qui mortalis peccati publici rei celebrant, quam qui in hoc connivent, severe a Nobis punientur.

II. Ut inter septem Planetas splendidissimum jubar Solis, sic inter Ecclesiæ Sacramenta Sacrosancta Eucharistia eminet, quæ purissimum & lucidissimum justitiæ Solem reipsa & per se præsentem comprehendit, quam non nisi tersa & vitiis omnibus lethalibus expurgata conscientia licet percipere: idcirco Divino & positivo jure præceptum est, ne quis peccati mortalis conscius, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere audeat; quod præceptum invio-

violate a Laicis Communione Sacra reficiendis, majorique ratione a Sacerdotibus sacrificantibus mandamus observari, quoties adest copia Confessarii. Quod si urgente necessitate Sacerdos, absque prævia Confessione, excitata tamen prius contritione Missam celebrarit, ea finita, quam primum, ut definivit Oecumenicum Concilium Tridentinum, tenetur confiteri.

III. Si quis autem Presbyter pridie temulentus, aut in crimen incontinentiæ, aliudve publicum lapsus, rem Divinam facere non vereatur, pro violata Sacramenti & Sacrificii reverentia, datoque offendiculo, gravissime se sciat arbitrio nostro puniendum.

IV. Injungimus præterea omnibus & singulis Civitatis & Archi-Diœcesis nostræ Ecclesiarum tam sæcularium, quam Regularium Superioribus, & Ministris, ut nulli Sacerdoti Sacrificium Missæ suis in Ecclesiis celebrare, nullique Diacono vel Subdiacono solenniter inservire permittant, qui honesto habitu Clericorum & Ecclesiastico suo Ordini ac statui convenienti non sit indutus, capillisque abscissis, vel saltem decenter compositis, Clericalem etiam justæ magnitudinis tonsuram seu coronam in vertice capitis sui pro uniuscujusque Ordinis, gradus, ac status conditione latam, eamque conspicuam non gerat; ac secunda vel tertia qualibet hebdomada, ac præcipuis anni Festivitatibus non faciat renovari; maxime cum pii etiam Laicorum animi Ministros Christi, more militum comatos, & calamistratos Sacris astare, vel inservire Altaribus horreant: & Concilium tam Oecumenicum Tridentinum, quam Provincialia & Synodalia Coloniensia declarent, nullum prima Tonsura initiatum aut etiam in Ordinibus sacris constitutum, fori privilegio gaudere, nisi Tonsura & habitu Clericali a Laicis distinguatur. Quam latam porro quisque pro ratione Ordinis, gradus, ac status sui coronam, promissamque vestem gestare debeat Clericalem, infra præscribitur.

CAPUT III.

Uniusmodi Cæremoniæ Sacri inducendæ. &c.

I. Sicut una est Christi Ecclesia, sic omnia Ecclesiæ membra uniusmodi esse, & concordiam semper observare necessum est, maxime in Sanctissimo Corporis & Sanguinis Christi mysterio, *quo multi*, teste Apostolo, *unum sumus.* Quare ad præcavendam omnem varietatem, atque Cæremoniarum ac Rituum in Sacræ Missæ Officio confusionem, Episcopus Sacerdotes omnes a se recens ordinatos admonet, ut diligenter totius Missæ Ritus, ac sacræ Hostiæ Oblationem, Consecrationem, Fractionem, & Communionem ab aliis jam doctis Sacerdotibus ediscant, priusquam ad celebrandam Missam accedant. Quia tamen eo non obstante experientia cognovimus, sæpe eos deligi Sacerdotes, qui magis egerent doceri, utpote Cæremoniarum ac Rituum, Romanæ præsertim Ecclesiæ, rudes & ignari, quam docere. Et cum in antiquis Missalibus Coloniensibus nulli certi Ritus aut Cæremoniæ præscribantur, nec extent ulli hujus Archi-Diœcesis aut Provinciæ libri Rituales, qui formam sacram illam ac tremendam actionem peragendi præscribant, tantam Cæremoniarum ac Rituum in hanc sacratissimam actionem tractu temporis varietatem, ignorantiam, neglectum & confusionem videmus irrepsisse, ut (quod omnes graviter offendit) quot sunt Ecclesiarum Ministri, tot pene videre sit in Ritibus atque Cæremoniis Sacrificii Missæ diversitates.

II. Unde merito vehementer angimur & dolemus hac etiam in parte statum Archi-Diœcesis ac Provinciæ hujus vehementer esse perturbatum. Cui malo ut fel. mem. FERDINANDUS Archi-Episcopus Coloniensis, Decessor & Patruus noster, pro Archi-Episcopali suo munere & auctoritate occurreret, Missale Coloniense ad dispositionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ accommodatum edendum, eidemque plenissime generales & speciales Rubricas inserendas curavit, ut Cæremoniæ & Ritus eodem modo in Ecclesiis sibi

ſibi ſubjectis obſervarentur; & ne Eccleſia noſtra pie intenti operis fructu defraudaretur, in Synodo ſua Colonienſi poſtrema omnibus in virtute ſanctæ obedientiæ mandavit, ut amotis quibusvis aliis, ſive jam antiquatis, ſive peregrinis vel privatis, & omnibus ſingularum Eccleſiarum propriis Miſſalibus, deinceps novo Miſſali uterentur: juſſit etiam, ut in omnibus Eccleſiis Collegiatis & Parochialibus, aliisque, ubi plures ſunt Clerici, unus conſtitueretur, qui Cæremoniarum ac Rituum curam gereret, novos Sacerdotes Cæremoniis inſtitueret; quique, ut omnia ſuo ordine, loco ac tempore fierent, advigilaret. Idem etiam ſingularum Eccleſiarum Superiores, Decanos, Paſtores, Vice-Paſtores, Rectores, aliosve quovis nomine vocatos, de Ritibus pravis certiores reddere teneretur, ut eorum auctoritate, quod interdum Cæremoniarum Præfecti corrigere non poſſent, in uſum reduceretur; ſed cum hactenus ſalubre illud Decretum minus recte ſit obſervatum, & difficillimum ſit aſſuetis deſueſcere.

III. Idcirco Archi-Epiſcopali noſtra auctoritate iterum ſub gravi eaque arbitraria pœna ſevere prohibemus, ne quisquam deinceps Sacerdos ſæcularis Primitias celebret, niſi prius generales ac ſpeciales Rubricas & Ritum celebrandi Miſſam tam privatam, quam ſolennem, ſecundum præſcriptum Miſſalis Romani diligenter perlegerit, atque ſacris Miſſæ Ritibus & Cæremoniis, ab aliquo pio & erudito, Cæremoniarumque & Rituum Eccleſiæ Romanæ apprime perito Sacerdote, debite fuerit inſtructus; nec non easdem Cæremonias & Ritus ſe perfecte didiciſſe, Capitulo, vel Decano, aliive Superiori, cui ſubeſt, teſtimonio Inſtructoris ſui legitime probaverit.

IV. Sub gravi item & arbitraria, ut ante, pœna vetamus, ne ullus Civitatis vel Archi-Diœceſis noſtræ Colonienſis Sacerdos, privatis affectibus ductus, aliis Cæremoniis ac Ritibus in Miſſæ Sacrificio utatur, plures ſcilicet Cruces, benedictiones, aut genuflexiones faciat, quam Miſſalis Romani Rubricis ac Regulis præſcribuntur, ſed omnes juxta ejusdem normam, veſtium collaribus lineis ſub amictu ſeu humerali tectis, tremendum illud Miſſæ Sacrificium reverenter pieque peragant, modeſte ac religioſe in omnibus Sacroſanctæ Miſſæ Ritibus atque Cæremoniis Sanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, cæterarum Eccleſiarum omnium Matri ac Magiſtræ, obſequantur: indeque normam ſumant ſacrificandi, unde fidei ſumpſerunt exordium. Idem ſacra Rituum Congregatio in Decreto Miſſali Romano præfixo his inculcat verbis: " Demum renovando " Decreta alias facta, mandat ſacra Con- " gregatio in omnibus & per omnia " ſervari Rubricas Miſſalis Romani, non " obſtante quocunque prætextu, & " contraria conſuetudine, quam abu- " ſum eſſe declarat. Et facta relatione " horum Decretorum S. D. N. URBA- " NO VIII. Sanctitas ſua annuit, & " ab omnibus ubique ſervari & in Miſ- " ſali Romano noviter imprimendo ap- " poni mandavit. *Julius Roſpiglioſius* " *Secret.*"

CAPUT IV.

Mundities & honeſtas paramentorum ſacrorum procuranda. &c.

I. ET ne Sacerdotum ſordibus res ſacroſancta in oculis quoque vulgi vileſcat, & maledictio, quam Deus minitatur, opus ſuum negligenter facientes feriat, volumus, & quibuscunque Civitatis & Archi-Diœceſis noſtræ Presbyteris ſevere præcipimus, ut omnes tremendum Miſſæ Sacrificium celebraturi, mundis honeſtisque Altaris ornamentis, vaſis, calicibus, patenis Pontificali ritu conſecratis, benedictis corporalibus, pallis, purificatoriis, veſtibus item ſimiliter benedictis, nitidis pariter & integris, Romano, aut ſaltem novo ad Romanum renovato Colonienſi Miſſali, nunquam ſolis candelis ſebaceis in Altari, ſed cum eis, vel ſine eis, ſemper duobus minimum decentis formæ cereis, in Feſtis autem ſolennioribus etiam pluribus, ante Evangelium S. Joannis, vel aliud, ſi dicendum fuerit, in fine Miſſæ plene lectum, non extinguendis, utantur.

II. Omnes etiam Sacerdotes deinceps

ceps velum ad cooperiendum calicem adhibeant, quod quo pretiosius, eo erit convenientius; item bursa seu involucro utantur pro corporali in ea recondendo, nec post Sacrificium Missæ peractum hæc, neque Missale unquam in Altari relinquantur, quod sicut & alia Sacerdotis indumenta ad Sacristiam aut armarium reportari, semperque suis claustris, ligulis, seu funiculis clausum, ut diutius mundum & integrum conservetur, præcipimus.

III. Severissimis quoque sub pœnis prohibemus, ne Sacrificans ullus, aut ejus Ministri in Altari, quando in eo Divina litatur Hostia, neque in principio, vel fine, quod valde indecorum censetur, strophiolum seu sudariolum ad emungendas nares deponant: sed potius sub planeta seu casula e cingulo ad dexteram suspendant; Pileum vero, biretum, chirothecas, claves, Breviarium, Diurnale, & alios libros a Missali diversos, bessam, seu almutiam, vel epomidem Celebrantis, ut videatur Canonicus, vel id genus alia, quæ ad ipsum Missæ Sacrificium, vel Altaris ornamentum non pertinent, extra aram collocent, quin etiam casulam cum alba, amictu, cingulo & Missali, quæ Sacerdos ad Sacrificium adhibuit, ibidem relinqui vetamus, sed ad Sacrarium referri, & singula honeste complicata in scrinio aut armario recondi præcipimus sub pœna unius floreni Coloniensis a Pastore, seu Vice-Pastore, seu quovis alio Sacerdote ad opus fabricæ Ecclesiæ loci solvendi, quoties dicta instrumenta in Altari reperta fuerint: ea duplicabitur pœna, si superius dicta, vel alia, quæ ad ornamentum Altaris minime pertinent, in illo reposita, etiam extra tempus Divini Officii, patiatur: quod enim Regius Psaltes de Dei Templo enunciavit: *Domum tuam decet Sanctitudo Domine.* Id de omni sacrosanctæ Domus supellectile ad Missæ usum maxime directa, quilibet exterioris, interiorisve munditiei cultor pie interpretabitur.

IV. Porro Sacerdotem celebrantem ob majorem honestatem ac decorem oportet esse calceatum, & caput ejus apertum ac nudum; "Nullus *enim, inquit* ZACHARIAS *Pontifex Maximus*, " Episcopus, Presbyter, aut Diaconus " ad solennia Missarum celebranda præ- " sumat cum baculo introire, aut ve- " lato capite Altari Dei assistere; quo- " niam & Apostolus prohibet viros ve- " lato capite orare in Ecclesia: & qui " temere præsumpserit, communione " privetur." Nec Episcopus Diœcesanus, nec cujusvis Ordinis Prælatus, ob senectutem Sacrificantis, loci frigus, infirmitatis, vel aliam similem causam licet manifestam, sine peculiari facultate Apostolica, potest sacrificandi capite tecto pileolo, usque ad Consecrationem facere potestatem, id enim his verbis vetatur: "Nemo audeat uti pi- " leolo in celebratione Missarum sine " expressa licentia Sedis Apostolicæ, " non obstante quacunque contraria " consuetudine." Sicuti videre est in Decreto sacræ Rituum Congregationis, præfixo Missali Romano. Quo item Decreto diserte "prohibetur usus Ro- " chetti, exceptis tamen, quibus de ju- " re competit. Et præter hos, statui- " mus & declaramus, nemini licere in- " servire, aut assistere in celebratione " Missarum aut Divinorum Officiorum " cum rochetto, neque cum cotta, id " est, superpelliceo habente manicas " angustas instar rochetti; & idem ser- " vandum est in concionibus." Quæ omnia in quibuscunque Civitatis & Archi-Diœcesis nostræ Coloniensis, præsertim cujusvis Ordinis Regularium, Ecclesiis diligenter & inviolate præcipimus observari, nullo exemptionis, vel quovis alio privilegio, quavis etiam verborum forma concepto, illis suffragante.

CAPUT V.

Damnatur Tabaci usus ante Sacrificium. &c.

I. Apud pios maxime censetur indecorum, ante Missæ Sacrificium a Sacerdote Tabacum sumi, tum ob periculum illud in stomachum trajiciendi, tum ad pravam hac in re quorundam Ecclesiæ Ministrorum consuetudinem, quæ etiam plebeis offendiculo solet esse, eliminandam.

II. Idcirco sub pœna gravissima, arbitrio nostro imponenda prohibemus, ne

ne ullus Sacerdos, sive Sæcularis, sive cujuscunque Ordinis & Instituti Regularis qualiscunque Sacrosanctum Missæ Officium celebraturus, Tabacum, sive solidum, sive concisum, aut in pulverem redactum, ore, seu naribus, vel fumo per tubulos, seu qualicunque alio modo, etiam specie medicinæ ante Missæ Sacrificium, nec quævis alia persona ante Sacram Communionem hauriat vel percipiat; nam, ut ait S. Augustinus, "placuit Spiritui Sancto, ut " in honorem tanti Sacramenti, prius " in os Christiani Corpus Dominicum " intraret, quam cæteri cibi." Idem de usu Tabaci, si eum invalescere vidisset, dixisset, eoque magis, quo teter odor, quem eo utentes afflare in concursu hominum vicinis solent, præ cibis aliis vehementius offendit alios.

CAPUT VI.

Vitandi in Sacrificio, tempus Officii Divini. &c.

I. Cum manifesti Clericorum percussores, etiam non denunciati, vel ob quamcunque causam excommunicati declarati, item usurarii, & alii criminosi publici, ab omnibus Christi-fidelibus, præsertim in Missæ Sacrificio, vitari debeant; caveant Sacerdotes, ne illis præsentibus rem sacram peragant, sub pœna suspensionis a Divinis, & alia arbitraria eo ipso incurrenda. Quod si moniti ab Ecclesia discedere noluerint, id statim Præfecto, seu Magistratui loci, ne illorum protervia cultus Divinus negligatur, insinuetur.

II. Quo Christi-fideles Ecclesiæ præcepto de Missa audienda facilius queant satisfacere, serio mandamus, ut in omnibus Curatis & Vice-Curatis Archi-Diœcesis nostræ pagorum Ecclesiis non Collegiatis, Dominicis & fori Festis diebus Missa Parochialis certa & eadem semper hora fiat, æstate quidem a festo Paschæ usque ad festum S. Remigii hora octava, hyeme vero a festo S. Remigii usque ad Pascha hora nona. Missa autem matutina in æstate hora quinta, hyeme hora sexta, sicuti alibi etiam præscripsimus, peragatur, præmissa tamen singulis prædictis Missis trina campanarum pulsatione; porro dimidiatæ vel saltem quadrantis horæ intervallum inter unum & alterum pulsum intercedat, ut Parochiani juxta locorum distantiam, etiam remotiores, in Ecclesia sua Sacrificio Missæ, & verbo Dei audiendo tempestive possint interesse, sub gravi pœna arbitraria a secus facientibus incurrenda. Missa matutina finita, soliciti etiam sint Pastores, & Vice-Pastores, ut pauperes, mendici, famuli, ancillæ, atque alii mechanici Catechismo informentur in his, quæ sine suæ salutis periculo ignorare non possunt. Caveant item Sacerdotes, ne tempore concionis hujus matutinæ sive etiam Pastoralis sacrificent, sicque auditores a Concione seu Catechismo audiendo avocentur. Vesperas quoque, justas ob causas animum nostrum moventes, in eisdem Ecclesiis Parochialibus quovis tempore, singulis diebus Dominicis & Festivis, eadem nempe secunda, vel alia commodiori pomeridiana hora jubemus decantari, nec ullum Pastorem, seu Vice-Pastorem ab illis decantandis ea de causa volumus excusari, quod filiales, ut vocant, Ecclesias seu Capellas duntaxat possideant.

III. Ut populo major quotidie Deo serviendi sit opportunitas, curabunt Ecclesiarum Superiores, Pastores, aut eorum vices gerentes, ubi magna est Missarum frequentia, ut per singulas dimidiatas, aut saltem horas Missa fiat: qua in re ad omnem evitandam confusionem, nunquam plures una hora simul ad Altare convolent, ne reliquo tempore nullus in Templo Sacerdos Sacrificium offerens reperiatur, sed ordinate alter alteri succedat, quibus ex officio sacrificare incumbit, certamque sibi horam in catalogo Celebrantium apte concinnato, & in Ecclesiæ Choro vel Sacristia affixo, præscriptam habeant; illi vero, qui pietatis studio Sacrum facturi sunt, si priores per spatia diversa sacrificabunt, idem intervallum observabunt; sin autem sine aliqua temporis intermissione alius alium ad sacrificandum subsequatur, nec post, nec ante illos Sacrificium offerre his integrum sit, ita cum prioribus concurrant, ut tamen non eodem temporis momento, nisi in parte duntaxat Ecclesiæ,

clesiæ, si magna illa fuerit, longissime ab aliis dissita: una cum iis ad Altare accedant, sed vel ad lectionem Evangelii, vel post factam Corporis Christi elevationem, Sacrum inchoabunt. Idipsum & in Monasteriis fieri exoptamus, ne dum simul plurimi Sacris operantur, decori domus Dei, aut Mysteriorum venerationi & gravitati nonnihil decedat, sed omnia ordine, summaque cum honestate & dignitate in Dei Ecclesia peragantur, sic enim sacris Mysteriis major accedet reverentia, populo vero ad Templum quotidie venienti commodior erit Sacri statim audiendi occasio.

CAPUT VII.

Locus Sacrificii proprius. &c.

I. SAnctus FELIX primus nominis hujus Papa & Martyr, vetuit a quoquam, nisi Sacerdote, & nusquam, nisi locis Deo consecratis (nisi forte aliud extrema necessitas exigeret) Missam fieri. Idem ab aliis Summis Pontificibus atque Conciliis fuit confirmatum, quibus visum, satius esse, Missam non audiri, quam hanc loco non sacro celebrari.

II. Nunc vero, quod concedi consuevit desideriis diuturno morbo laborantium, de Missa in privatis ipsorum ædibus interdum celebranda, paulatim extra fines præscriptos excessit, & in apertum tandem abusum contra sacros Canones degeneravit. Huic occurrit malo Concilium Tridentinum, statuitque, ne quis sæcularis aut regularis Sacerdos privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad Divinum tantummodo cultum dedicata Oratoria, ab Ordinariis locorum Episcopis designata & visitata, sanctum Missæ Sacrificium peragat.

III. Quæ ordinatio ut exactius pro rei gravitate observetur, severissime inhibemus omnibus & singulis Civitatis & Archi-Diœcesis nostræ Abbatibus, Præpositis, Archi-Diaconis, Decanis tam Collegialibus, quam Ruralibus, Pastoribus, Vice-Pastoribus, ac Presbyteris tam Sæcularibus, quam Regularibus quibuscunque, etiam quoquo modo exemptis, ne quisquam ob antiquam quamcunque consuetudinem, statutum, aut privilegium deinceps dictam Concilii Tridentini Sanctionem transgrediatur; nec in privatis ædibus, aut omnino extra Ecclesiam seu Oratorium Divino duntaxat cultui dedicatum, & per Nos, vel nostrum in Pontificalibus Vicarium Generalem Archi-Episcopali nostra auctoritate designatum & visitatum, Sacrosanctum Missæ Officium ulla ratione celebret; mandantes pariter cujuscunque status, gradus, conditionis, & dignitatis personis sæcularibus quibuscunque, ne per aliquos Presbyteros, etiam quomodocunque exemptos, suis in ædibus Sacrificium Missæ aliqua ratione celebrari petant aut patiantur. Si quis autem hoc Decretum Tridentinum & prohibitionem nostram violarit, tam Sacrificans, quam is, qui ipsum ad celebrandum requisivit, aut in privatis suis ædibus admisit, arbitrio nostro graviter punietur, Apostolico privilegio, quo ei facultas id faciendi indulta erit, neutiquam suffragante, nisi illud prius Nobis, aut Generali nostro in Pontificalibus Vicario exhibitum, & ab eodem Archi-Episcopali nostra auctoritate fuerit approbatum. Pastores interim & Vice-Pastores subditos suos, qui diuturno morbo detenti Ecclesiam adire non possunt, doceant, ut illas suas pie preces jungant, qui corpore præsentes Divinis intersunt Officiis, & ad excitandam pietatem, observent Divinorum Officiorum tempora, vel campanarum pulsum, quo ea, quæ tempore Missæ in Templis peraguntur, indicantur, & ubi corpore adesse non possunt, corde & piis orationibus sese præsentes sistant. Quod dum religiose faciunt, salutaribus hujusmodi ordinationibus, per quas antiqui Canones in usum revocantur, obsequendo, majora veræ pietatis facient incrementa, quam si importunis precibus Missas intra domesticos parietes celebrandi consensum extorserint.

CAPUT VIII.

Calicum, vasorum sacrorum materia. &c.

I. CAlices stannei, quorum usum in Missæ Sacrificio periculoso hoc belli

belli tempore non absque dolore nostro permisimus, simul atque meliora tempora affulserint, omnino tollantur, eorumque loco, si non aurei, argentei saltem substituantur, aut certe superior eorum pars seu cuppa sit argentea inaurata, maxime ubi non est periculum ab hostibus aut prædonibus : sicubi vero ejusmodi periculum, vel extrema Ecclesiarum pauperies, aliave necessitas stanneos retinere jubet, ii singulis quindecim diebus, vel singulis minimum mensibus diligenter mundentur & defricentur. Calices autem, patenæ, pyxides, hierothecæ & ciboria cuprea, vitreave, aut lignea penitus removeantur, quia illa ob vini virtutem celerius æruginem, quæ vomitum provocat, contrahunt, hæc fractioni facillime sunt obnoxia.

II. Quandoquidem prohibitionibus Apostolicis refragatur, patentibus nude collaribus lineis, cum annulis, chirothecis, manicis, etiam hyeme frigoris arcendi causa, Sacrosanctum Missæ Officium celebrare, vel Crucem aliquam sive auream, sive argenteam, sive ex alio metallo ante pectus suum suspensam, etiam extra Missam palam deportare; hinc severe inhibemus, ne ullus Civitatis & Archi-Diœcesis nostræ Coloniensis Sacerdos, etiam Præpositus, Archi Diaconus, Decanus tam Collegialis, quam Ruralis, Doctor Proto-Notarius Apostolicus, Canonicus, Pastor, Vice-Pastor collaribus lineis detectis, aut, nisi sit Episcopus vel Abbas jus baculi ac mitræ deferendæ habens, annulum in digito, aut manus chirothecis, sive manicis tectas, gestans, Sacrificium Missæ celebrare, vel extra illud Crucem in pectore, nisi quibus id ex speciali privilegio Apostolico competit, palam deferat; si autem secus quisquam fecerit, is Nobis, aut Generali nostro in Spiritualibus Vicario, non tantum ipsius collaris, annulive, seu Crucis, chirothecarum & manicarum privatione, sed etiam graviori pœna arbitraria pro ratione delicti puniendus, denuncietur.

CAPUT IX.

Laici Sacri Ministri. &c.

I. IN Missis necessario adhibendi sunt Ministri, saltem privatis in Missis unicus, qui totius populi nomine Sacrificanti respondeat, ac vinum, aquamque porrigat. Et ne Ministri hujusmodi male vestiti (quemadmodum æstate pene nudos pueros Scholares in hac Provincia reperire est) vel pannosi & sordidati contra Sacrificii Divini reverentiam adhibeantur; volumus, ut sint honeste, vel palliati, vel superpelliceis induti, quæ in defectum ex antiquis Sacerdotum albis conficiantur, vel ex communibus fabricæ Ecclesiæ reditibus nova parentur; serventurque eum aliis sacris vestibus in Sacrario, ac publicis Ecclesiæ sumptibus crebro abluantur. Detestabilis vero est consuetudo, quæ in quibusdam Archi-Diœcesis nostræ locis viget, ut Sacerdotes tum Sæculares, tum Regulares, maxime in pagis, Missam sine Ministro respondente celebrent, eam ubivis locorum, tanquam ab Ecclesiæ traditione & Apostolicis Constitutionibus abhorrentem mandamus, sub gravissima pœna arbitrio nostro infligenda omnino abrogari, & eandem hoc nostro Decreto sancimus esse abrogatam.

II. Cum Minister in Missis adhibendus debeat esse mas, non mulier, nulla prorsus fœmina cujusvis ætatis, aut conditionis, nec Sanctimonialis quidem in Monasterii sui Ecclesia, Sacrificanti ministret, aut Clerici Sacerdoti Sacris operanti Ecclesiæ nomine respondentis officium usurpet; nec Sacerdos ullus eam admittat; sed potius abstineat a Sacrificio, aut si gravior Sacri faciendi necessitas urgeat, sibi ipsi Sacerdos ministret & respondeat; satius enim est sine Ministro, quam fœmina ad Altare respondente & urceolos porrigente, &c. celebrare. Tanti est fœminam abesse a Sacrificio, etiam Religiosam.

III. Dum Missa in quacunque Civitatis vel Archi-Diœcesis nostræ Ecclesia, Subdiacono vel Diacono ministrantibus, cantatur, sacro Subdiaconatus vel Diaconatus Ordine insigniti, debi-

debita Clericali Tonſura, ſacriſque veſtibus juxta Ordinem quique ſuum ab aliis ſint diſtincti, nec unquam a Sacerdote, cui inſerviunt, ne quidem ut Chorum cantu juvent, recedant, ſed ad finem Sacrificii eidem ad Altare aſſiſtant, aut ſi Celebrans ſedeat, hinc inde utrumque ejus latus conſidentes claudant. Aſſiſtant autem locis & modo in Rubricis Miſſalis Romani, vel Cæremoniali Epiſcoporum præſcriptis, cum omni vultus maturitate, modeſtia morum, & gravitate, ut ne ſe invicem quidem, niſi miniſterii duntaxat ſui cauſa, multo minus alios aut Clericos, aut Laicos vagis & curioſis oculis vel aſpiciant, vel alloquantur. Si quis autem in hoc vel diſceſſu ab Altari, vel alio quovis modo peccaverit, ab Eccleſiarum Prælatis, Decanis, & Superioribus, quorum eſt hujusmodi exceſſus & culpas corrigere, ſevere pro ratione delicti, juxta Deceſſoris noſtri SIFRIDI Archi-Epiſcopi Colonienſis Statuta puniatur; acrius tamen, quam mitius, ut pœna unius cæteri facilius emendentur.

CAPUT X.

Officia Dominicalia propria retinenda in Sacrificio. &c.

I. CUm Sancta Mater Eccleſia Catholica Apoſtolica Romana, Spiritus Sancti inſtinctu non ſine gravi & juſta ratione ſingulis Dominicis & Feſtis diebus, ſingula ac peculiaria aſſignaverit officia, mos ille admodum eſt improbandus, quem imperitia cantus, ac librorum defectus in his partibus genuit, nempe quod diebus Dominicis inter Feſtum Paſchæ & Pentecoſtes, omiſſo proprio Dominicæ diei Officio, Miſſa diei Reſurrectionis Dominicæ: & a feſto Pentecoſtes uſque ad Adventum Domini alternis vicibus, vel de Sanctiſſima Trinitate, vel de Sancto Spiritu cantetur; indeque fiat, ut ex frequenti & nimia repetitione Divina vileſcant Officia, ac præcipitata quadam cantandi conſuetudine, magna vocum confuſione, magis adſtantes offendant, quam voce ac tono gravi ad dolorem peccatorum & amorem Dei permoveant. Ad tollendam hanc corruptelam, omnibus ac ſingulis Eccleſiarum Civitatis & Archi-Diœceſis noſtræ Abbatibus, Præpoſitis, Archi-Diaconis, Decanis tam Collegialibus, quam Ruralibus, aliisque Prælatis, Paſtoribus, Vice-Paſtoribus, Superioribus, Rectoribus, Cantoribus, Cuſtodibus, Ludimagiſtris, & aliis quibuscunque, quorum eſt eam emendare & abolere, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, ut non obſtante contraria fundatione, inſtitutione, conſuetudine, etiam immemorabili, deinceps Dominicis & Feſtis diebus Sacrum ſummum fiat de Officio, quod occurrit, neque ejus loco Miſſæ votivæ, aut pro defunctis peragantur: ita ut Miſſæ quotidianæ reliquo diei Officio reſpondeat per annum, & ferialibus vacantibus non aliud, quam proprium illius diei Dominicæ Officium, quod in illam ſeptimanam ac diem incidet, curent decantandum; Rubricas etiam, ſi, quæ forte in quibuſdam Miſſalibus aut libris ordinem ſolennium Miſſarum ſervandum præſcribentibus, huic mandato contrariæ reperiantur, ex hujus Decreti noſtri ſententia ac voluntate quamprimum expungant & corrigant: ita ut in dicendis vel cantandis Miſſis ſervetur ordo Breviarii; ac proinde Miſſa quotidie, præſertim vero diebus Dominicis, cum diei Officio conveniat; Miſſæ autem votivæ, quæ pro Sacerdotis pietate quocunque die, excepto Dominico, per hebdomadam, quando Feſtum duplex non occurrit, dici poſſunt, paſſim ſine juſta cauſa non legantur.

II. Celebraturi Miſſam, nulla alia, quam majori Hoſtia utantur: & quia intelleximus quoſdam Sacerdotes ex craſſa ignorantia unicam duntaxat Hoſtiam, quam imponant Monſtrantiæ ſeu Hierothecæ, conſecrare, veteri, quæ in ea fuit, in Sacrificio conſumpta; ad integritatem autem Sacrificii, Oblatio, Conſecratio, & ejusdem Corporis & Sanguinis ſumptio pertineant, ideo ad conſervandam Sacroſancti Miſſæ Sacrificii integritatem, diſtricte mandamus, ut quotiescunque erit Hoſtia, quæ Monſtrantiæ imponatur, conſecranda, Sacerdos celebraturus duas majores Hoſtias conſecret, alteram ut ſumat, & alteram Hierothecæ ſive Monſtrantiæ im-

imponat; licet enim idem plane Corpus Domini Hostia nuper & nunc consecrata contineat, non tamen eædem sunt utriusque species.

III. Vetus vero Hostia a Celebrante exempta ex Monstrantia seu Hierotheca, vel statim cum ea, quam ipsemet consecravit, Hostia, vel in ipsum Calicem, si auræ humiditate elanguet, injecta, cum Sanguine, vel certe (quod satius est) post sumptum Sanguinem Christi, antequam se abluat, sumatur, vel seponatur, a Celebraturo sequenti die modo jam dicto consumenda. Extra Octavam festi Corporis Christi, qua durante eadem Hostia poterit in Monstrantia sive Hierotheca remanens, postridie diei Octavæ similiter consumi: Hierotheca autem, durante dicta Octava collocetur in Tabernaculo Sacratissimi Sacramenti; quod si ejus non sit capax, extrahatur Sacra Hostia, & in Ciborium, Calicem, seu pyxidem reponatur; nunquam vero dicta Hierotheca seu Monstrantia cum sacra Hostia in armarium, Sacristiam, vel alium locum minus decentem, vel non satis munitum referatur.

IV. Ex Concilii Florentini definitione constat materiam Sanguinis Christi esse vinum verum naturale de vite, aqua modicissima, & nullis aliis permixtum liquoribus; ideo quod ad Sacrificium adhibetur, sit incorruptum, purum, ac tanto dignum Mysterio, & singulis ut minimum octiduis renovetur, ne acescat; cui ulla alia liquida misceri sub indeprecabili pœna arbitraria vetamus: neque vino Rhenano Hispanicum temperetur, neque Hispanicum unquam in Missa usurpetur; nam experientia docuit hisce in Regionibus, ejus nomine, sæpe liquorem e melle vel aromatibus confectum & decoctum accipi & distrahi, de quo infra redibit dicendi locus.

V. Gravis porro seu mortalis violatio reverentiæ censetur, in musto seu vino ex uvis recens expresso, idque propter ejus impuritatem, extra necessitatem, consecrare; proinde mandamus omnem omnino consuetudinem, si in aliqua Ecclesia adhuc vigeat, qua uvarum primitiæ in calicem expressæ, certo anni die consecrantur, abrogari.

VI. Quoties Sacerdos ex præscripto Missalis aut libri Ritualis genuflectet, non solum leviter incurvet ea, sed ut adorantes Deum vivum & verum, in spiritu & veritate decet, profundissime usque ad terram sese in dextrum genu demittat, ut internam animi sui demissionem & adorationem externa hac reverentia Deo Omnipotenti profiteatur.

VII. Curent quoque Abbates, Præpositi, Archi-Diaconi, Decani tam Collegiales, quam Rurales, cæterique Prælati, Pastores, Vice-Pastores, & alii Ecclesiarum quarumcunque Superiores, quo ab offensa Dei sese liberent, ut, quæ a Provincialibus Conciliis sub Decessoribus nostris HERMANNO V. & ADOLPHO III. Archi-Episcopis Coloniensibus præscripta sunt, tandem aliquando post longam & diuturnam negligentiam exequantur, & tam in summæ, quam defunctorum Missæ Sacrificio, Epistola, Symbolum fidei, Præfatio, & Oratio Dominica, tanquam præcipuæ eorum, quæ in Missa canuntur, partes, Cantorum & Organorum concentu non mutilentur aut intercipiantur, multo minus reliquum decantandæ Missæ Sacrificium proxime post elevatam Hostiam lectione submissa absolvatur, sed omnis ex integro distincte, & articulate canantur. Nihil organo vel vocali cantui lascivum aut impurum admisceatur, omnisque cantus aliud non, quam quod audientium corda in Deum rapere queat, personet. Invigilent quoque, ne concentus organi, vel nimia properatione, vel brevitate sua Majestati cultus Divini aliquid detrahat, aut Clero & astanti populo nimia protractione tædium aut fastidium pariat; sed cantu Gregoriano reverenter ac graviter servato, paulo diutius extendatur.

VIII. Singuli etiam cujuscunque status, gradus, conditionis, & dignitatis Sacerdotes, sacrum Missæ Canonem secreto pronuncient: nihilq; in eo, seu alia Missæ parte, etiam vel pietatis vel reverentiæ causa, unquam addant, demant, minuant, omittant, vel quocunque alio modo immutent, neque orationes, preces, sequentias, aut Missas novas, a Sede Apostolica non approbatas, dicant, sed illas duntaxat, quæ Missa-

Missali Romano, ac propriis Sanctorum Patronorum Civitatis & Archi-Diœcesis nostræ Coloniensis Sacris ad ritum Missalis Romani recognitis continentur.

IX. Elevato Corpore & Sanguine Domini nostri JESU CHRISTI, in Sacrosancto Missæ Sacrificio, pulsu tintinnabuli omnes Christi-fideles adorandi Dei in Sacramento vere & reipsa præsentis admoneantur, curentque Pastores, Vice-Pastores, Concionatores, Catechistæ, Ludimagistri, aliique puerorum Sacrificantibus inservientium Instructores, ut pulsus ille nihil puerilis insolentiæ, vel gesticulationis præseferat, sed soni sui gravitate & modestia Majestati rei præsentis congruens decorem & attentionem eidem conciliet.

X. Ut piis omnibus ad recolendam mortis & amoris Christi memoriam totus animus, omnesque vires internæ, nullo eos sono distrahente, penitus intendantur in omni summæ Missæ Sacrificio altissimum, dum Corpus & Sanguis Domini nostri JESU CHRISTI elevatur, in canticis & organis servetur silentium, omnesque, quotquot in Templo Clerici, Cantores, Organœdi, Custodes reperiuntur, cum iis, qui organorum folles agunt, in genua procumbant, ac facie & animo ad Sanctissimum Sacramentum conversi, Deum omni pietate adorent & venerentur: quem in finem, tum quoque campanæ majoris pulsu signum detur.

XI. Sub gravi pœna arbitraria vetamus, ne in ulla deinceps Missa pro Defunctis Sequentia: *Audi tellus*, sed ejus loco: *Dies iræ, dies illa*, juxta Missalis Romani & novi Coloniensis præscriptum canatur. Neque sub finem Missæ defunctorum a quovis Sacerdote ulla detur Benedictio, cum ea sit nota solennitatis; atque in Missalis Rubricis expresse prohibeatur. In reliquis vero nemo qualiscunque Sacerdos sacrificans, quantumvis Prælatus, nisi jus mitræ & baculi Pastoralis habuerit, & in Pontificalibus celebret, in fine Missæ tam privatæ, quam solennis sæpius quam semel benedicat populum, sed unicum producens signum Crucis, dicat: *Pater*, † *& Filius*, *& Spiritus Sanctus*, ad differentiam Episcopi, qui ter populum benedicit. Item nunquam ab Altari, nisi Evangelio S. Joannis plene lecto, recedat, neque dicto S. Joannis Evangelio, vel alio, si dicendum fuerit, ullam det populo benedictionem, sed eodem, quo ad Altare venerit modo, recedat ad Sacrarium, sicut expresse Rubricis Missalis Romani & novi Coloniensis præscribitur.

XII. Extra casus jure permissos, & absque expressa licentia a Nobis, nostrove Vicario in Spiritualibus Generali scripto obtenta, nullus uno die duas Missas celebret, neque quisquam ad duas Missas una die celebrandas consuetudinem, sine Apostolica vel Archi-Episcopali nostra facultate sibi posse suffragari opinetur. Eadem lege Missas siccas, in quibus Corpus Domini nec consecratur, nec sumitur, interdicimus, ac penitus abrogamus. Ideoque qui deinceps Missam hujusmodi siccam, vel ad purificandam mulierem, vel celebrandum conjugium, vel ullum quempiam finem celebraverit, nostram non effugiet animadversionem.

XIII. Ubi is abusus irrepsit, ut pluribus simul in eodem Templo in diversis Altaribus sacrificantibus, populus ab uno Altari ad aliud, dum Sacra elevatur Hostia, discurrat, vel ad Orationem Dominicam aut pacem datam, perinde ac, si absolutum esset Sacrificium, Templo egrediatur, plane antiquandus est: caveatur etiam, ne in Templis vel cœmeteriis, sub Divino præsertim Officio, donec ad Hostiæ elevationem signum datur, deambuletur, neque Sacra Hostia eminus conspecta, intermissa tantisper inambulatio resumatur, sub gravi pœna in Parochiali Synodo, nostrove arbitrio certo infligenda. Ne populus etiam sub Divino distrahatur, pauperes per Ecclesias eleemosynas petere non permittantur.

XIV. Cum inter Christianæ Religionis mysteria, Missa magnam contineat populi Christiani eruditionem, ut populus eorum, quæ in ea leguntur & fiunt, ex sacris tum verbis, tum Sacrificantis actibus notitiam ac gustum aliquem delibet, injungimus Parochis, Vice-Parochis, & quibuscunque aliis Sacer-

Sacerdotibus, ut eam clare, distincte & articulate legant ad Offertorium usque, Secreta vero & Canon submisse recitetur, reliqua vero, quæ ad sacrum Missæ Officium pertinent, eadem pietate, attentione, animique moderatione pronuncientur, nec nimium præcipites, aut æquo tardiores sint, majorem boni exempli & decori, quam proprii affectus rationem semper habeant.

XV. Quod ut honeste fiat, semihoræ circiter spatium Missis communibus necessarium esse & sufficere arbitramur, nihilque in eis, etiam pietatis gratia, unquam addatur vel mutetur. Insuper Sacerdotes eam in vultu, moribus & gestibus modestiam, in cæremoniis peragendis gravitatum inter Sacrificandum præseferant, quam tanti Mysterii majestas requirit. Nec abs re fuerit eadem Mysteria & eorum cæremonias quandoque rudi populo sub concione explicare, ut intellectus eorundem notitia imbutus, voluntatem ad majorem pietatem inclinet, cum ignoti nulla sit cupido, præsertim, cum hoc tempore prodierint libelli, qui sat accurate omnes Sacrificii cæremonias, & Crucis toties formandæ rationes exposuerint. Cæterum, ne hoc nostrum Mandatum aut per ignorantiam violetur, aut secuturis annis intermoriatur, volumus, ut typis editum, in cujusque Ecclesiæ Sacristia, aliove patenti atque convenienti loco affixum, omnium intrantium & exeuntium oculis exponatur.

Datum die 24. Septembris.

DECRETORUM SYNODALIUM
PARS TERTIA.
DE SACRAMENTO ORDINIS.

I. Ea, quæ in suscipiendis Ordinibus requiruntur, tam Sancta Tridentina Synodus Generalis, quam Provinciales & Diœcesanæ Colonienses Constitutiones accurate quidem sunt complexæ; verum cum a paucis observentur, hinc universos ac singulos ordinandos duximus serio admonendos, ut quo sunt studio præcepta, eo fervore legant, observent, & exequantur: quem in finem sequentia, diligentioris observationis causa, breviter recensemus.

II. Sciant omnes tam ad primam Tonsuram, quam Ecclesiasticos Ordines aspirantes, unumquemque a proprio Episcopo in sua Diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine, ordinari debere; &, si secus fiat, ordinantem a collatione Ordinum per annum, & ordinatum ab executione Ordinis, quem ab alieno Episcopo sine proprii sui Antistitis expressa licentia, aut literis dimissoriis acceperit, quamdiu proprio ordinati Episcopo videbitur expedire, ipso jure esse suspensum. Quod vero hic dicitur de ordinatione vel literis dimissoriis ad ordinandum, intelligitur quoque de prima Tonsura, prout est sacris Canonibus expresse definitum.

III. Vicarius noster in Pontificalibus Generalis, tanquam ad Universitatem causarum, & officiorum Pontificalium in Civitate & Archi-Diœcesi nostra Coloniensi exercendorum a Sede Apostolica, de expresso nostro consensu, delegatus, atque adeo ordinaria, jure communi, jurisdictione, sive potestate præditus, cum ex Lege Divina, tum Canonicis Sanctionibus, Provincialibusque & Synodalibus Provinciæ, & Archi-Diœcesis nostræ Coloniensis Statutis potissimum caveat, ut manus cito nemini imponat, sed ascitis sibi Sacerdotibus, & aliis prudentibus Viris, Divinæ legis ac sacrorum Canonum peritis, atque in Ecclesiasticis functionibus exercitatis, diligenter prius investiget, & examinet ordinandorum natales, fidem, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, titulum, cæterasque dotes ad suscipiendos Ordines requisitas, ne, si indignos sacro Ordine initiaverit, alienorum fiat particeps peccatorum, & offendicula, quæ consequentur, ipsi adscribantur.

IV.

IV. Quemadmodum ex speciali Apostolicæ Sedis & nostra de legatione, jus & potestas ordinandi quosvis Civitatis & Archi-Diœcesis nostræ Coloniensis subditos, Ordinis capaces, tam Sæculares, quam Regulares, quantumvis exemptos, est penes nostrum Suffraganeum in Pontificalibus vices nostras gerentem, tanquam ordinarium Ministrum Sacramenti Ordinis, vi & potestate sui officii, ita ad eundem quoque nostrum in Pontificalibus Vicarium, vel maxime spectat, literas dimissorias dare iisdem nostris subditis Archi-Diœcesanis, qui ab alieno Episcopo petunt ordinari, iis enim recte potest dimissorias literas concedere, qui & licite ordinare valet, cum ejusdem sit potestatis ordinare, vel literas dimissorias concedere. Quare nemo Civitatis vel Archi-Diœcesis nostræ prædictæ, vel Sæcularis vel Regularis, etiam quoquo modo exemptus, ad primam Tonsuram, aut Ordinem aliquem Ecclesiasticum alieno se Episcopo sistat, nisi de expressa nostra, nostrive Vicarii in Pontificalibus Generalis licentia, sub propriæ manus subscriptione obtenta: neque etiam, qui alterius Diœcesis est, nostro in Pontificalibus Vicario præsentetur, absque Antistitis sui Diœcesani, vel ejus Vicarii in Pontificalibus Generalis (sicubi talis est) literis dimissorialibus propria alterutrius nostrum manu subscriptis, in quibus ipsius natales legitimi ex Catholicis parentibus, Baptismus, Confirmatio, ætas, morum honestas, sive famæ integritas, doctrina, titulus, cæteræque dotes ad Ecclesiasticos Ordines suscipiendos necessariæ commendentur. Literæ vero dimissoriæ ab alio, quam a proprio Episcopo Diœcesano, seu ejus Vicario prædicto impetratæ, nullius sint roboris, seu momenti: easque concedens contra Concilii Tridentini Decreta, ab officio & beneficio per annum suspensus sit, nisi a Capitulo Cathedrali, post annum a die vacantis Sedis Episcopalis, aut infra eum annum, ubi Ecclesiastici Beneficii recepti, aut recipiendi occasione, ordinandus fuerit arctatus, concedantur.

V. Cum autem crebro compertum sit, nonnullos ex Civitate vel Archi-Diœcesi nostra Coloniensi indoctos, ac vitæ non satis probatæ, nec aliis requisitis a sacris Canonibus, & Oecumenico Concilio Tridentino dotibus præditos, fuisse ordinatos; alios vero, ut Generalis nostri Coloniensis in Pontificalibus Vicarii inquisitionem & examen subterfugerent, quin & minus idoneos, rudes & ignaros, qui ab eodem nostro in Pontificalibus Vicario tanquam inhabiles & indigni rejecti fuerant, dimissoriales literas variis modis extorsisse, atque earum prætextu in exteris Diœcesibus sacros Ordines furtive, & interstitiis minime servatis, suscepisse: unde gravia plerumque nata sunt incommoda & offendicula, cum sic dolose, vitioseque ordinati, nec Divina Officia rite peragere, nec Ecclesiastica Sacramenta recte valuerint administrare. Nos pro Archi-Episcopalis nostri muneris debito, tanto posthac malo mederi cupientes, severe prohibemus Coloniensi nostro tum Officiali, tum Vicario in Spiritualibus Generali, tum aliis omnibus ac singulis ubivis locorum Archi-Diœcesis nostræ Coloniensis constitutis Officialibus, Vicariis, Commissariis, atque Ministris quocunque nomine vocentur, aut vice nostra fungantur munere, ne illorum quispiam deinceps ulli Civitatis, vel Archi-Diœcesis nostræ Coloniensis subdito, quantumlibet exempto, literas dimissoriales ad primam Tonsuram, Ecclesiasticumve Ordinem seu minorem, seu majorem ab alieno Episcopo suscipiendum, quantumvis gravi ac legitima causa urgente, concedat; neque etiam Archi-Diœcesanorum nostrorum Coloniensium quemquam permittat ab alieno Episcopo ordinari, nisi habitis prius a Nobis, seu Generali nostro in Pontificalibus Vicario propria manu subscriptis literis dimissorialibus. Insuper sub pœna suspensionis, inhibemus Archi-Diœcesanis nostris Coloniensibus quibuscunque, etiam exemptis, ne quisquam illorum ab alieno Episcopo Clericalem Tonsuram, vel Ecclesiasticum aliquem Ordinem accipere præsumat absque speciali nostra, nostrive Vicarii in Pontificalibus Generalis licentia in scriptis obtenta.

VI.

VI. Noverint etiam Abbates, & alii quorumcunque Ordinum Superiores intra fines hujus noſtræ Archi-Diœceſis conſiſtentes, etiamſi exempti, vel nullius Diœceſis eſſe dicantur, ſibi non licere literas dimiſſoriales ullis Sæcularibus, quantumvis ad ſuam jurisdictionem ſpectantibus, aut Regularibus ſibi non ſubditis, ut ab aliis ordinentur, dare; ſed horum omnium ordinationem, ſervatiis iis omnibus, quæ in Decretis Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi continentur, ad Epiſcopos, intra quorum Diœceſis fines exiſtunt, pertinere, non obſtantibus quibusvis privilegiis, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.

VII. Modum, quo Abbates, & alii quorumcunque Regularium Superiores, quamvis nullius Diœceſis, ſeu exempti ſint, Regularibus ſibi ſubditis literas dimiſſorias dare poſſint, ex ſententia ſacræ Congregationis Cardinalium explicationi Concilii Tridentini præſidentium fel. rec. CLEMENS nominis hujus VIII. Pontifex Maximus præſcripſit in hæc verba.

" De mandato S. D. N. CLEMENTIS Divina providentia Papæ VIII. tenore præſentium mandatur, omnibus & ſingulis quorumcunque Regularium Superioribus, ut de cætero obſervent & obſervari faciant ea, quæ in Decreto Sacræ Congregationis Concilii Tridentini continentur, cujus tenor eſt talis:

" Sacra Congregatio Concilii cenſuit, Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito itidem regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, literas dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, is Regularis poſitus fuerit: & ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus, ordinationes, ad quemcunque alium Epiſcopum, dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus vel abſuturus, vel nullius habiturus eſſet ordinationes, vel Sedes Epiſcopalis vacaret. Verum cum a Superioribus Regularibus Epiſcopo Diœceſano abſente, vel ordinationes non habente, literæ dimiſſoriæ dabuntur, in eis utique hujusmodi cauſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam eſſe. Quod ſi Regulares ordinandi morentur in Monaſterio nullius Diœceſis, hujusmodi dimiſſorias concedendas eſſe per Epiſcopum viciniorem, in eoque procedere omnia, quæ de Epiſcopo Diœceſano ſuperius præſcripta ſunt. Quod qui non fecerint, officii & dignitatis ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ & paſſivæ privationis, ac alias arbitrio ejusdem S. D. N. Papæ reſervatas pœnas incurrent. In quorum, &c. Datum Romæ die 15. Martii 1596."

Quod Decretum Apoſtolicum in Civitate & Archi-Diœceſi noſtra Colonienſi diligenter & inviolate a Regularibus quibuscunque præcipimus obſervari, ſub pœnis in eodem Decreto expreſſis.

VIII. Sed & ab eadem ſacra Congregatione Cardinalium declaratum eſt, Regulares absque ſui proprii Epiſcopi Diœceſani conſenſu, aut literis dimiſſoriis extra Diœceſin ad aliquos ſacros, aut minores Ordines, vel primam Tonſuram ab alieno Epiſcopo promotos ſeu ordinatos, pœnam ſuſpenſionis ab executione Ordinis ſic ſuſcepti incurriſſe, &, ſi in Ordine hujusmodi ſuſcepto miniſtraverint, etiam irregularitatem contraxiſſe. Epiſcopos autem, qui Regulares taliter ordinaverint, ab Ordinum collatione per annum eſſe ſuſpenſos: ſub his verbis.

" Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum cenſuit Regulares, invito Epiſcopo Diœceſano, ab alio Antiſtite extra Diœceſin promotos in ſuſpenſionem incidiſſe, ac, ſi miniſtraverint, irregularitatem contraxiſſe: Epiſcopos vero, qui illos, ut proponitur, ordinarunt, per annum a collatione Ordinum ſuſpenſos eſſe. Romæ 21. Octob. 1617.

Horatius Cardinalis Lancellottus.

Loco † Sigilli.

IX.

IX. Tametsi Abbatibus Regularibus non quidem ex vi sui officii, sed jure singulari concedatur potestas conferendi primam Tonsuram, & etiam Ordines minores, saltem usque ad lectoratum: dummodo ipsi Presbyteri sint, & ab Episcopo benedicti, atque jus baculi ac mitræ deferendæ habeant: Ea tamen facultas restricta est per Oecumenicum Concilium Tridentinum, ut Abbatibus, etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, non liceat primam Tonsuram, vel minores Ordines conferre, nisi sui duntaxat Monasterii Regularibus, & quidem post Professionem expresse factam; nullo autem modo Novitiis, ne exeant postea, sicque fraus, quæ præcavenda est, committatur. Adeoque cuicunque Abbati hodie prohibitum est, Regulari non suo, sed alterius etiam ejusdem Ordinis Monasterii, quantumvis exempti, Prælati subdito, etiam expresse professo primam Tonsuram vel Ordinem minorem conferre, quamvis accedat consensus tum ejusdem Prælati, tum Episcopi ordinarii, in cujus Diœcesi exempti sunt, & de jure ordinari deberent.

X. Ac proinde neque etiam licitum est Abbatibus prima Tonsura, vel aliquo minore Ordine initiare Sæculares, etiamsi ad suam jurisdictionem spectent, & Episcopi ordinarii consensus accedat, juxta Rotæ Romanæ coram Cardinale Seraphino Decisionem, quæ omnibus omnino sequenda est; cum sit exploratum Decisiones Rotales maximi apud omnes esse ponderis, & majoris auctoritatis, quam communem Doctorum sententiam.

XI. Quin etiam Decisioni huic Rotali insistens sacra Congregatio Cardinalium, qui Decretis Concilii Tridentini interpretandis præsunt, censuit, improbata contrarium sentientium opinione, Abbates Regulares, quibus insignia Pontificalia usurpandi, ac primam Tonsuram, & minores Ordines subditis suis Regularibus conferendi potestas competit, nequaquam posse, vel primam Tonsuram, vel etiam Ordines minores Regularibus sibi non subditis, etiamsi a Superioribus suis Regularibus, & ab Episcopis ordinariis, intra quorum Diœcesium fines ipsi Regulares ordinandi existunt, licentiam vel literas dimissorias acceperint, multo vero minus Laicis, quantumvis dimissorias quoque habuerint a suis Episcopis ordinariis, conferre. Et insuper inhibuit Archi-Episcopis, Episcopis, & aliis quibuscunque Prælatis inferioribus, tam Sæcularibus, quam Regularibus, ne deinceps literas dimissorias ad Abbates directas concedant; neque Abbates eas recipiant, alioquin tam concedentes, quam ordinantes, a collatione Ordinum sint suspensi, præter alias pœnas arbitrio ejusdem Congregationis infligendas; sicut constat ex ipsius sacræ Congregationis declaratione, sub hoc tenore. *In libris sacræ Congregationis Concilii reperitur Decretum tenoris sequentis:*

"Die 23. Novembris 1641.

" Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, utraque parte informante, ore, & scriptis, & rationibus hinc inde deductis, mature examinatis, inhærendo decisioni Rotæ Romanæ sub die 27. Aprilis 1592. coram bon. mem. Cardinale Seraphino de Ordine fel. rec. CLEMENTIS VIII. factæ, nec non declarationibus ejusdem sacræ Congregationis dictæ decisioni conformibus subsequutis, censuit, improbata opinione contraria, Abbates Regulares, Benedictos Congregationis Cassinensis, seu alterius Congregationis, vel Ordinis, aut Instituti, habentes etiam jura Episcopalia, seu quasi Episcopalia, usumque mitræ, baculi, & benedicendi, ac facultatem primam Tonsuram, & minores Ordines conferendi, non posse dictam primam Tonsuram, vel alios Ordines minores, nisi suis subditis Regularibus conferre, non autem Regularibus alterius Congregationis, Ordinis, vel Instituti, etiamsi habeant literas dimissoriales suorum Superiorum Regularium, & consensum Ordinariorum, intra quorum Diœcesum fines ipsi Regulares ordinandi existunt. Et multo minus personis sæcularibus etiam habentibus literas dimissoriales a suis Ordinariis.

" nariis. Ac propterea inhibuit Archi-
" Episcopis, Episcopis, & aliis Prælatis
" inferioribus tam Sæcularibus, quam
" Regularibus, ut in futurum conce-
" dere non audeant, supradictas literas
" dimissorias hujusmodi Abbatibus di-
" rectas, nec ab istis recipere: quod
" si secus fiat, tam concedentes, quam
" ordinantes a collatione Ordinum su-
" spensi remaneant, præter alias pœnas
" arbitrio ejusdem Congregationis re-
" servatas. Quam declarationem San-
" ctissimus D. N. die 17. Januarii 1642.
" ad se delatam approbavit, & invio-
" labiliter observari jussit.

PETRUS ALOYSIUS Card. CARAFA.

Loco † Sigilli.

Gratis etiam quoad scripturam.

Franciscus Paulutius, S. Congregationis Concilii Secretarius.

Præmissa nos omnia omnino volumus, & jubemus in Civitate, & Archi-Diœcesi nostra Coloniensi exactissime observari.

XII. Qui non est de legitimo Matrimonio natus, tum propter Clericalem dignitatem, & paterni criminis detestationem, tum etiam quia talis metuitur futurus incontinentiæ paternæ imitator, a susceptione primæ Tonsuræ pariter, & Ordinum rejicitur, nisi a bona indole, vitæque & morum probitate, ac pietate ita commendetur, ut non paternum incontinentiæ crimen sectaturus, sed vita & exemplo suo pietatem, & cultum Dei apud alios promoturus speretur; quo casu ad primam Tonsuram, minores Ordines, atque simplex Beneficium Ecclesiasticum per Archi-Episcopalem nostram a Nobis, nostrove Generali in Pontificalibus Vicario; ad sacros vero Ordines, & alia Beneficia Ecclesiastica non nisi per Sedis Apostolicæ dispensationem poterit admitti; quam nisi ante in scriptis exhibeat, quam ad Clericalem Tonsuram se præsentet, ab ea repellatur.

XIII. Ne quis sacrilege fingat, se esse in aliquo Ordine, in quo non sit, singuli tam Regulares, Ordinum etiam Mendicantium, quam Sæculares de prima Tonsura & Ordinibus susceptis, testimonio Episcopi Ordinatoris per literas commendatitias a Scriba seu Notario ipsius Episcopi subscriptas, & sigillo ejusdem Episcopi communitas docebunt, antequam ad altiorem Ordinem provehantur.

XIV. Prima Tonsura nemo initietur, nisi sit origine vel domicilio Archi-Diœcesanus noster Coloniensis, baptizatus, sacri Chrismatis unctione confirmatus, legitimo toro, Catholicis parentibus, & ut minimum septem annos natus, Fidei Catholicæ rudimenta edoctus, legendi & scribendi, etiam linguæ latinæ jactis fundamentis, peritus, coram Nobis, seu nostro Generali in Pontificalibus Vicario testari paratus, se non judicii sæcularis fugiendi fraude, sed ut Deo liberius serviat, hoc primo Clericorum charactere insigniri velle; quique non habeat de his requisitis, ac de vitæ, morumque probitate, & literatura sufficiens testimonium, tum a proprio Parocho loci, ubi baptizatus fuit, & notabili tempore proxime antea degit, juxta formulam *subsequenti* §. 15. præscriptam, tum etiam a Magistro Scholæ, in qua studet, vel studuit.

XV. Formula Testimonialium dandarum per Pastorem loci super natalibus, Baptismo, ætate, & Confirmatione ordinandorum.

Universis ac singulis, ad quos spectat, notum facio, atque præsentium tenore testificor Ego subscriptus Pastor Ecclesiæ Parochialis N. loci de N. Coloniensis Archi-Diœcesis, quod N. fuerit de legitimo toro & Catholicis Parentibus N. & N. sub Parochia mea prædicta degentibus procreatus, baptizatus in eadem Ecclesia die N. mensis N. anni N. idemque de sacro Fonte susceptus a N. & N. sicut constat ex libro, in quo nomina baptizatorum totius hujus Parochiæ annotata reperiuntur; quodque idem N. sacro Chrismate confirmatus fuerit die N. mensis N. anno N. a Reverendissimo Domino N. Episcopo N. in Ecclesia N. prout patet ex libro, in quo etiam nomina confirmatorum hujus Parochiæ conscripta sunt. In cujus rei fidem hasce literas propria mea manu scripsi ac subscripsi, & sigillo meo munivi in loco N. die N. mensis N. anno N.

Quando autem deficiente libro Baptizatorum & Confirmatorum, ex depositione testium dandæ erunt ejusmodi testimoniales, dentur formula sequenti:

Uni-

Universis ac singulis, ad quos spectat, notum facio, atque præsentium tenore testificor Ego subscriptus Pastor Ecclesiæ Parochialis N. loci de N. Coloniensis Archi-Diœcesis, N. fuisse de legitimo toro & Catholicis Parentibus N. & N. sub Parochia mea prædicta commorantibus procreatum, & in Ecclesia N. baptizatum, agereque ætatis suæ annum N. nec non sacro Chrismate confirmatum a Reverendissimo Domino N. Episcopo N. in Ecclesia seu loco N. die N. mensis N. anni N. prout mihi retulerunt N. & N. Parentes ejus, vel N. & N. Susceptores, vel viri fide dignissimi; idque jurejurando in manibus meis præstito affirmarunt, & se id scire, quia &c. nec aliter ejusdem N. natales, Baptismus, ætas & Confirmatio sciri potuerunt, eo, quod liber Baptizatorum, & Confirmatorum, occasione bellorum fuerit deperditus, vel laceratus, vel &c. In cujus rei fidem has literas propria mea manu scripsi & subscripsi, & meo sigillo munivi, in loco N. die N. mensis N. anno N.

XVI. Quotquot porro ad Clericalem Tonsuram suscipiendam admissi, præstituro per nostrum in Pontificalibus Generalem Vicarium die, hora, & loco compareant, talari veste Clericali induti, capillis abscissis, vel saltem decenter compositis, & superpelliceum, atque cereum singuli parata habeant, qui ubi Tonsuram acceperint, radi eam sibi curent, & justæ, decentisque pro gradu suo magnitudinis perpetuo deinde, ut *infra* §. 33. 44. & 45. præscribitur, gerant.

XVII. Ad minores Ordines promovendus, non solum præditus sit omnibus qualitatibus ad primam Tonsuram suscipiendam, requisitis, sed etiam eadem Tonsura insignitus, & si non origine, aut domicilio, saltem Ecclesiastico Beneficio Archi-Diœcesanus noster Coloniensis, aut proprii sui Ordinarii Diœcesani literis dimissorialibus munitus, linguam latinam intelligat: nec minor sit duodecim ætatis suæ annis, bonum quoque a Parocho suo, & Magistro Scholæ, in qua studuit, & ab iis etiam, apud quos potiorem vitæ partem transegit, & versatus est, de vitæ, morumque probitate, doctrina, ingenio, & indole testimonium producat, eorumque commendatione se ea voluntate, ingenio & indole præditum doceat, ut non commoditatis suæ gratia, sed Dei tantum causa ad capessendos Ordines aspirare credatur; vitaque & exemplo suo alios ad pietatem, & cultum Dei pertracturus speretur.

XVIII. Nullus ad plures se Ordines minores simul suscipiendo (nisi aliud Episcopo magis expedire videatur) præsentet, cum extra hunc casum Concilium Tridentinum temporum interstitia in minoribus non minus, quam majoribus Ordinibus servari; nec quemquam ad sacrum Subdiaconatus Ordinem ante annum elapsum ab Acolytatus susceptione promoveri voluerit, ut eo accuratius, quantum sit hujus disciplinæ pondus, possit edoceri, & in unoquoque Ordine se exerceat, idque in ea, cui adscriptus erit, Ecclesia, nisi forte causa studiorum absit, atque ita de gradu in gradum ascendat, ut in ipso cum ætate vitæ meritum, & doctrina major accrescat, quod & bonorum morum exemplum, & assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga Presbyteros & superiores Ordines reverentia, & solito crebrior Corporis Christi Communio maxime comprobabunt.

XIX. Sancta Synodus Tridentina summo desiderio flagrat, ut minorum Ordinum functio reflorescat, &, ubi Ministrorum frequentia, & Ecclesiæ facultas permittit, jugiter vigeat, interim decernit, & iis, quibus Divini Officii cura incumbit, injungit, ut nullius Ordinis ministerium per alios, quam per constitutos in ipso Ordine exerceatur, qui Clericalem habitum & Tonsuram deferant. Porro ubi Clerici cælibes non inveniuntur, qui ministeriis quatuor minorum Ordinum exercendis præsto sint, suffici possunt etiam conjugati, vitæ probatæ, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui Tonsuram atque habitum Clericalem in Ecclesia gestent.

XX. Qui vero ad Ordines majores se præsentare voluerint, multo magis intelligant, sibi in re tanti momenti non esse festinandum; sed ea, quæ in Sacrosancto Concilio Tridentino de singulis Ordinibus per temporum interstitia conferendis, & ordinatis in unoquoque Ordine exercendis ac proban-

dis sancita sunt, exactissime esse servanda. Quin etiam per mensem ante ordinationem Parochum suum adeant, ut is juxta præscriptum Concilii Tridentini, ac Statuta Decessoris nostri ADOLPHI III. Archi-Episcopi Coloniensis, nominibus, ac desiderio eorum trina proclamatione, tribus diversis Dominicis aut Festis diebus, publice in Templo propositis, instar proclamationum Matrimonialium omnes moneat, ut si quod noverint Canonicum impedimentum, ob quod, qui ordinari desiderant, a suscipiendis Ordinibus repelli debeant, denuncient, idemque Parochus de ipsorum ordinandorum natalibus, fide, vita, moribus, & ætate, a fide dignis diligenter inquirat: & literas testimoniales clausas & consignatas ipsam proclamationem & inquisitionem factam continentes ad nostrum in Pontificalibus Vicarium quamprimum transmittat, vel ordinandis ad eum perferendas tradat, cum declaratione, num aliquod Canonicum impedimentum (ob quod ad sacros Ordines admitti non debeat) sit denunciatum, & qui de eis non docuerit, rejiciatur.

XXI. Salutaris autem hæc Concilii Tridentini ordinatio utiliter servari poterit, si ad singulos majores Ordines proclamatio & inquisitio hujusmodi fiat, videlicet: *Primo* pro Ordine Subdiaconatus, ad excludendum eos, qui majoribus forte criminibus involuti sunt: & ad deprehendendum eorum fraudes, qui Matrimonii vinculis, aut illicitis pollicitationibus implicati, ad Ordinem sacrum subdole se ingerunt. *Secundo* pro Ordine Diaconatus. *Tertio* pro Ordine Presbyteratus. Quæ inquisitiones eo pertinere creduntur, ut aptius, juxta Pontificale, cohæreant, quæ de testimonio populi, in suscipiendis Ordinibus, ex veteri sanctæ Matris Ecclesiæ consuetudine requiruntur.

XXII. Parochus ergo pro ejusmodi promulgatione ab aliquo ordinandorum requisitus, faciet eam die Dominico, vel Festo inter Missarum solemnia, aut etiam finita ex suggestu concione, lingua vernacula in hunc sensum.

Formula faciendi Denunciationes
pro ordinando ad titulum Beneficii.

Notum sit Dilectioni vestræ, quod die N. mensis N. fient sacræ Ordinationes, quodque N. N. filius N. Deo adjuvante intendat suscipere sacrum Ordinem N. titulo perpetui Beneficii Ecclesiastici valoris annui viginti quinque, ut minimum, florenorum aureorum Rhenensium, quod sub invocatione seu ad altare S. N. in Ecclesia N. loci N. Coloniensis Archi-Diœcesis Canonice, vere ac pacifice absque ulla lite, seu vitio obtinere dicitur. Quapropter admonemus omnes ac singulos tam hic præsentes, quam absentes, ut si quis sciat aliquem defectum, vel quodvis aliud subesse impedimentum, propter quod ille N. non debeat prædicto sacro Ordine N. initiari, vel sciat illum non legitime, vel non pacifice Beneficium supradictum possidere, aut annuos ipsius Beneficii reditus & proventus quotannis ad viginti quinque florenos aureos Rhenenses non accedere, hoc ipsum quamprimum Reverendissimo Domino Episcopo Ordinatori, vel mihi indicet, idque admonemus primo, si fuerit prima, *vel secundo,* si fuerit secunda, *vel tertio,* si fuerit tertia denunciatio.

Si quis ordinandus sit titulo Patrimonii seu Pensionis, denunciationes fiant sub hac forma:

Formula faciendi Denunciationes
pro ordinando ad titulum Patrimonii, seu Pensionis.

Notum sit Dilectioni vestræ, quod die N. mensis N. fient sacræ Ordinationes, quodque NN. filius N. desideret suscipere sacrum Ordinem N. ad titulum patrimonialium bonorum, redituum, censuumque loci NN. valoris annui viginti quinque, ut minimum, florenorum aureorum Rhenensium, quos ipse N. vere, legitime, pacifice absque ulla lite seu fraude obtinere dicitur, per donationem, vel successionem talis N. Quapropter admonemus omnes ac singulos, tam hic præsentes, quam absentes, ut si quis sciat aliquam subesse fraudem, seu fictionem in Titulo isto, vel quodvis aliud subesse impedimentum, propter quod ille N. non debet prædicto sacro Ordine N. initiari, vel sciat ipsum N. non vere, nec legitime, vel non pacifice ejusmodi Patrimonialia bona possidere, aut annuos illorum reditus & proventus quotannis ad viginti quinque florenos aureos Rhenenses non ascendere, hoc ipsum Reverendissimo Domino

mino Episcopo Ordinatori, vel mihi tempestive indicet, idque admonemus primo, vel secundo, vel tertio &c. ut supra.

Formula Testimonialium per Pastorem loci dandarum super Denunciationibus factis pro Ordinando ad titulum Beneficii.

XXIII. *Universis, ac singulis, ad quos spectat, notum facio, atque tenore præsentium testificor ego subscriptus Pastor Ecclesiæ Parochialis N. loci de N. Coloniensis Archi-Diœcesis, quod die N. mensis N. anni N. inter Missarum solemnia, dum frequens adesset populus, denunciaverim N. filium N. aspirare ad sacrum Ordinem N. ad titulum perpetui Beneficii Ecclesiastici, valoris annui viginti quinque, ut minimum, florenorum aureorum Rhenensium, quod sub invocatione, seu altare S. N. in Ecclesia N. loci N. Coloniensis Archi-Diœcesis, Canonice, vere, ac pacifice, sine ulla lite, vitiove obtinere dicitur, ut si quis sciret aliquam subesse fraudem, fictionem, vel defectum in titulo Beneficii, aut illius annuo valore, aut quodcunque ipsius N. vitium, seu impedimentum, propter quod non debeat ipse N. ad prædictum sacrum Ordinem promoveri, quamprimum Reverendissimo Domino Episcopo Ordinatori, aut mihi significaret; neque hujusque quicquam significatum fuit, vel detectum, quod videatur impedire posse, quo minus prædictus N. ad supradictum sacrum Ordinem N. promoveri possit. In quorum fidem hasce literas propria manu scripsi, ac subscripsi, & sigillo meo munivi in loco N. die N. mensis N. anno N.*

Si ordinandus sit aliquis titulo Patrimonii sui, seu Pensionis, in præscripta formula Testimonialium omittantur verba, quæ Beneficii faciunt mentionem. Porro quid Regulares præstare debeant, ut idonei judicentur, dicetur *infra* §. 33. & 34.

XXIV. Sed ne denunciationes, & inquisitiones hujusmodi fructu suo careant, non satis fuerit eas utcunque a Parocho factas esse, verum etiam expediet quandoque, quantum ad prædictæ inquisitionis finem necessarium videbitur, a dicto Parocho eodem tempore fideli populo explicari, quinam ordinari a sacris Canonibus prohibeantur.

XXV. Quin & universus populus a Pastoribus, Vice-Pastoribus & Concionatoribus, Dominico die quamlibet sacram Ordinationem generalem proxime antecedente commoneatur, ut cum plerumque ad utilitatem populi disponatur ordinandorum electio, jejuniis quatuor temporum jam inde ab initio nascentis Ecclesiæ in hunc finem ante singulas ordinationes indictis, nec non piis, sanctisque precibus, toto corde ad Deum convertatur, suaque demissione, & conversione ab eo impetret, ut Episcopi, eorumque Adjutores Sancti Spiritus claritate illuminati, in examinandis, deligendis, & ordinandis Ecclesiæ Ministris suo rite officio fungantur, ac tales Deus in messem suam mittendos operarios subministret, qui ei secundum cor suum, & animam suam, in omni sanctitate, & justitia omnibus diebus vitæ suæ in munere suo fideliter serviant.

XXVI. Quoniam Apostolo præcipiente, *manus cito nemini imponenda est*, & ab Ordinandorum examine eorundem prorsus pendet electio, Vicario nostro Coloniensi in Pontificalibus Generali, tanquam huic muneri in partem solicitudinis nostræ Archi-Episcopalis potissimum delegato, atque adeo ordinariam jure communi jurisdictionem, seu potestatem habenti, vel maxime cordi debent esse ea, quæ ad examen hoc rite instituendum, & ad principia sua revocandum in Conciliis cum Oecumenico Tridentino, tum Provincialibus, ac Synodalibus sub Decessoribus nostris HERMANNO V. ADOLPHO III. & aliis Archi-Episcopis Coloniensibus laudabiliter sancita sunt, & decreta. Et quamvis Concilia hæc permittant, ut idem noster Vicarius adjutores, & socios in hoc examinationis munere habeat, volunt tamen omnino, ut primas solicitudinis partes teneat, ne quæ ipsi ante omnia agenda erunt, aliis penitus ita committat, ut interim ipse omnium incertus, si indignos temere sacro Ordine initiaverit, alieni criminis consors, secutura inde offendicula portet; Quare inhærentes Decretis tam dicti Generalis Tridentini, quam Provincialium, ac Synodalium Coloniensium Conciliorum, volumus omnino & serio mandamus, ut ordinandorum examini Generalis noster in Pontificalibus

libus Vicarius, cum cæteris Examinatoribus deputatis non tantum interfit (quandocunque per alias suas occupationes graviores commode potuerit) sed & eidem examini vice, & auctoritate nostra præsit, & quæ ex antiquis & novis Patrum Sanctionibus, de qualitatibus ordinandorum in Oecumenico Tridentino, atque Provincialibus, & Synodalibus Coloniensibus Conciliis præscripta sunt, studiose, magnaque cum diligentia, in usum & consuetudinem deducat, & non frustra, sicut antehac (perinde ac si ista cura ad eum non pertineret) hæc præscripta & toties repetita esse patiatur.

Juramentum ab Examinatoribus, & Substituto præstandum.

XXVII. Examinatores autem ad examen ordinandorum assumendi, ne a recto devient, atque favore vel munere corrupti peccent, quilibet eorum, antequam recipiatur, coram nostro in Pontificalibus Vicario, se munus suum quacunque affectione seposita fideliter executurum, in hæc verba jurabit.

Ego N. ad munus Examinis ordinandorum assumptus, juro, ac promitto obedientiam, reverentiam, honorem & fidelitatem Summo Pontifici Romano, ac Reverendissimo Domino N. Archi Episcopo & Principi Electori Coloniensi, eorundemque Successoribus. Item juro & promitto me in eo munere, omni humana affectione deposita, fore fidelem, ac diligenter invigilaturum, ne quispiam indoctus, inidoneus, aliusve, qui magis destructurus, quam ædificaturus esset domum Dei, ad ullum sacrum Ordinem suscipiendum a me approbetur; sciens, quod non solum coram ipso Summo Pontifice, ac Reverendissimo Domino Archi-Episcopo, sed coram Deo præcipue, & Pastore Pastorum Christo, ejus rationem reddere tenear, si in admissione talium laxior fuero. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Nullus porro Examinatorum valeat sui loco alium substituere, nisi cum nostro, nostrive in Pontificalibus Vicarii Generalis scitu & consensu, atque præmisso per Substitutum simili juramento.

XXVIII. Cum nihil pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam Clericalis Tonsuræ, nec pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque causa exigendum sit, nec etiam sponte oblatum accipiendum, & Oecumenica Synodus Tridentina omnem contrariam consuetudinem, etiam immemorabilem, tanquam corruptelam, & abusum Simoniacæ pravitati suffragantem expresse condemnet; idcirco caveant non tantum Ordinum Collatores, sed etiam omnes & singuli ordinandorum Examinatores, eorumque Famuli, Ministri, Scribæ, & Notarii, ne ab examinandis ad sacros Ordines suscipiendos, ante, vel post illorum examen, seu ordinationem, quovis prætextu, occasione examinis prædicti, vel collationis Ordinum quicquam prorsus exigant, neve sponte etiam oblatum accipiant. Scriba tamen sive Notarius Episcopi Ordinatoris, cum ipsi nullum salarium pro eo officio exercendo sit constitutum, accipiet, juxta Concilii Tridentini definitionem, pro singulis dimissoriis, aut testimonialibus literis, decimam duntaxat partem unius aurei, quam ad sexdecim albos monetæ Coloniensis, seu unum capitellum taxamus; inhærentes præterea dicti jam Concilii Tridentini Decreto, reliqua omnia jura in examinibus præfatorum ordinandorum, seu collatione Ordinum cuicunque, sub quocunque etiam colore solvi consueta, prorsus abrogamus, & abrogata esse omnino volumus, ac proinde eadem exigi, dari, offerri, vel etiam sponte oblata accipi, sub pœnis in eodem Concilio Tridentino commemoratis, severe prohibemus: prædicta vero omnia, ut ad executionem accuratius deducantur, expresse vetamus, ne noster in Pontificalibus Vicarius ullum ordinet, circa quem præmissa non esse observata animadverterit; hæc siquidem est enixa nostra voluntas.

XXIX. Circa ordinandorum ætatem servetur Decretum Concilii Tridentini, nimirum, ut nullus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum inchoatum promoveatur. Neque singuli in ea ætate constituti ad hos Ordines; sed digni duntaxat, & quorum proba-

probata vita senectus sit, assumantur. Regulares quoque nec in minore ætate, nec sine diligenti Episcopi examine, quemadmodum in eodem Concilio Tridentino præscriptum est, ordinentur; privilegiis quibuscunque quoad hoc, penitus exclusis.

XXX. Si quis autem vel Sæcularis, vel Regularis, absque speciali dispensatione Apostolica, ante hujusmodi ætatem, ad aliquem ex sacris Ordinibus se fecerit promoveri, ab ipsius Ordinis usu & exercitio ipso jure est suspensus; & si ejuscemodi suspensione permanente, in eodem Ordine ministraverit, eo ipso irregularitatis pœnam, a qua nonnisi a Summo Pontifice Romano absolvi potest, incurrit, præter alias pœnas, quas talibus generaliter jura decernunt; quin & Beneficiis Ecclesiasticis, quæ obtinet, potest jure privari. Quæ omnia & singula ex Constitutione fel. rec. PII hujus nominis II. Pontificis Maximi etiam in iis locum habent, quæ extra tempora a jure statuta, vel absque literis dimissorialibus Antistitis sui Diœcesani sacris Ordinibus se ingerunt.

XXXI. Tituli quoque ordinandorum, sive Beneficiales sint, sive Patrimoniales, diligenter discutiantur, & nemo sacris Ordinibus ad titulum Beneficii, quantumvis opimi, initietur, nisi Canonicam institutionem seu Collationem, & pacificam possessionem ejusdem se obtinere antea probaverit: sicut, post antiquos Canones, explicate a Concilio Tridentino definitum est: cujus verba, cum alia præterea contineant, hic repetenda duximus: " Statuit, *inquit*, Sancta Synodus, ne quis " deinceps Clericus sæcularis, quamvis " alias sit idoneus moribus, scientia, & " ætate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet eum " Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi " ad victum honeste sufficiat, pacifice " possidere: id vero Beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, " quod ad illius Beneficii titulum sit " promotus: neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde " vivere commode possit: & aliter facta resignatio nulla sit." Idcirco, qui ad Ordinem Subdiaconatus se præsentare voluerint, mature prius examinata illius muneris, ad quod aspirant, dignitate, & si onus, quod ultro appetunt (nempe perpetuam castitatem servandi, Tonsuram & habitum Clericalem deferendi, Horas Canonicas quotidie recitandi, & Dei servitio, atque Ecclesiæ ministerio se totos mancipandi) vires suas, Deo adjuvante, excedere non sperent, compareant aliquot hebdomadis ante ipsam ordinationem coram nostro in Pontificalibus Vicario cum documentis Canonicæ institutionis seu collationis, possessionis, nec non annui valoris sui Beneficii, ad cujus titulum promoveri intendunt, quæ si sufficientia noster in Pontificalibus Vicarius judicaverit, hoc suo scripto testabitur, ne, cum ad examen vitæ & doctrinæ venitur, hæc inquisitio eundem Vicarium diutius remoretur.

XXXII. Quæ de ordinandis ad titulum Beneficii *n. præcedenti* statuta sunt, ea similiter ab illis, qui titulo Patrimonii, seu pensionis ordinari petunt, diligenter & inviolate præcipimus imprimis observari. Insuper cum Oecumenica Synodus Tridentina de forma eosdem ad sacros Ordines admittendi diserte loquatur, ut sequitur: " Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, " nisi illi, quos Episcopus judicaverit " assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum, eo " quoque prius perspecto patrimonium illud vel pensionem vere ab eis " obtineri, taliaque esse, quæ eis ad " vitam sustentandam satis sint: atque " illa deinceps sine licentia Episcopi " alienari, aut extingui, vel remitti " nullatenus possint, donec Beneficium " Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, " vel aliunde habeant, unde vivere " possint, antiquorum Canonum pœnas " super his innovando." Et eadem Tridentina Synodus alibi: " Cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui " Episcopi non sit utilis aut necessarius " suis Ecclesiis; Sancta Synodus vestigiis sexti Canonis Concilii Chalcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus " imposterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non adscri-

" adſcribatur, ubi ſuis fungatur mu-" neribus, nec incertis vagetur ſedibus. " Quod ſi locum inconſulto Epiſcopo " deſeruerit, ei Sacrorum exercitium " interdicatur;" Maximus itaque eſt abuſus, quoslibet ad titulum Patrimonii ordinare, cum plurimi eorum non pro Eccleſiæ, ſed ſua utilitate intendant ordinari, ex celebratione Miſſæ ſordidum panis lucrandi commercium, non ſine magno ſancti Sacerdotii vilipendio & contemptu exercentes. Imitari proinde deberent Epiſcopos Sanctos Pontifices Romanos, qui in primordiis Eccleſiæ parciſſimi erant in Presbyteris ordinandis. "Melius eſt enim, *ut ait* " *S. Clemens Papa & Martyr*, Domini Sa-" cerdotium paucos habere Miniſtros, " qui poſſint digne opus Dei exercere, " quam multos inutiles, qui onus gra-" ve Epiſcopo Ordinatori adducant." Eapropter ſevere prohibemus quemquam deinceps ordinari titulo Patrimonii, ſeu penſionis, niſi copiam ejus authenticam penes ordinationis Secretarium, ſeu Notarium reliquerit, ſervitio certæ alicujus Eccleſiæ ſe prius adſcripſerit, in qua ſuſcipiendi Ordinis officium & functiones obeat, aliaque juxta præſcripta Synodi Tridentinæ, & Deceſſoris noſtri WALRAMI Archi-Epiſcopi Colonienſis Decreta præſtiterit. Vetamus quoque ordinatum aliquem ad ulteriorem Ordinem admitti, niſi prius Ordinis ſuſcepti publicum fecerit exercitium in Eccleſia, cujus ſervitio ſe adſcripſit, deſuperque ſufficiens teſtimonium exhibuerit.

XXXIII. Titulus beneficialis, vel patrimonialis, omnibus etiam deductis oneribus, ſit deinceps viginti quinque, ut minimum, florenorum aureorum Rhenenſium annui reditus a quovis ordinandorum coram Epiſcopo Ordinatore documentis publicis, ſeu literis debita in forma expeditis, ante omnia probandus, qui non ſolum in regiſtro ejusdem Epiſcopi Ordinatoris, ſed & ipſius ordinati literis diſerte exprimatur. Et quo fraudibus ordinatorum occurratur, qui ſuum titulum ſæpe reſignant, vel alienant contra expreſſam Concilii Tridentini prohibitionem, volumus, ut quilibet ordinandus, tam titulo Beneficii, quam Patrimonii, ſeu penſionis, præſtet coram noſtro in Pontificalibus Vicario Juramentum hoc.

Juramentum Ordinandi titulo Beneficii.

Ego N. juro, quod perpetuum Beneficium Eccleſiaſticum, ſub invocatione, ſeu ad altare S. N. in Eccleſia N. loci N. Colonienſis Archi-Diœceſis, cujus titulo ad ſacrum Subdiaconatus Ordinem ſum promovendus, absque ulla fraude, dolo vel Simoniæ labe aſſecutus ſim, ac vere & pacifice ſine quacunque lite poſſideam, quodque illud Beneficium non reſignabo ſine præſcitu & conſenſu Summi Pontificis Romani, vel Reverendiſſimi Domini mei Archi-Epiſcopi & Principis Electoris Colonienſis, ſeu ejus Vicarii in Pontificalibus Generalis, & niſi expreſſe facta in literis ipſius reſignationis mentione, quod ad ejusdem Beneficii titulum ſim ordinatus, & neque tum quidem, niſi conſtiterit mihi de alio perpetuo Beneficio Eccleſiaſtico ad congruam mei ſuſtentationem ſufficienti eſſe proſpectum, vel quod aliunde vivere commode poſſim. Ita me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

Juramentum Ordinandi titulo Patrimonii, ſeu Penſionis.

Ego N. juro, quod in acquiſitione & deſignatione bonorum meorum patrimonialium, quorum titulo promovendus ſum ad ſacrum Subdiaconatus Ordinem, nulla fraus, aut dolus interceſſerit, quodque illa vere, & pacifice poſſideam, neque ulli alii ſint oppignorata, neque impoſterum directe, vel indirecte alienabo, ſeu quoquo modo diſtraham, niſi mihi prius fuerit de perpetuo Beneficio Eccleſiaſtico, eoque ad congruam meam ſuſtentationem ſufficienti proviſum, neque tunc quidem aliter, quam cum præſcitu, & conſenſu Romani Pontificis, ſeu Reverendiſſimi mei Archi-Epiſcopi, ac Principis Electoris Colonienſis, ſeu ejus Vicarii in Pontificalibus Generalis in literis ipſius alienationis ſeu diſtractionis ſpecialiter exprimendo. Beneficium autem, quod in dicti mei tituli locum ſucceſſerit, ſine ſimili conſenſu non reſignabo. Ita me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

Aliud Juramentum præſtandum a promovendo ad ſacrum Subdiaconatus Ordinem.

Ego N. juro ad ſacrum me Subdiaconatus Ordinem non vi, dolo, aut metu mihi a Paren-

Parentibus, aut ab ullo mortalium illato, neque ex indebita cujuscunque personæ persuasione, inductione, vel subornatione; sed sponte & libere, ac prævia matura deliberatione, nec non habita prius notitia onerum, & obligationum eidem Ordini annexarum promoveri velle. Item juro me Clericalem Coronam in vertice capitis mei & habitum Ecclesiasticum Ordinibus suscipiendis convenientem, semper delaturum. Ita me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

XXXIV. Præter dictas porro tituli probationes, quisquis majoribus Ordinibus insigniendus sæcularis, si in Ecclesia Collegiata, ejus subjecta resideat, a Decano illius Capituli, vel, eo absente, ab ipsomet Capitulo; si in Collegio, vel Gymnasio aliquo degat, ab illius Præside seu Regente, alias a proprio Parocho, adferat testimoniales literas laudabilis vitæ anteactæ, doctrinæ, & exercitii in Ordinibus susceptis, etiam quoad vestium usum quotidianum, quæ Clericos decent, & speciatim an collaria sub amictu in sacrorum Missæ Officiorum administratione, tanquam partem vestis sæcularis tegendam, texerit, cæteraque rite & pie, quæ ipsum agere conveniebat, fecerit; uti sunt Horarum Canonicarum recitatio, habitus ac Tonsuræ Clericalis gestatio; denique etiam hoc, quod nulla censura, nulla irregularitate, nulloque alio Canonico impedimento sit irretitus. Religiosus quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, a suo Superiore simile testimonium in scriptis exhibeat; & testimonium hujusmodi non habens, ne quidem ad examen admittatur.

XXXV. Quemadmodum Clericus sæcularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia, & ætate, ad sacros Ordines promovendus non est, nisi prius legitime docuerit, provisum sibi esse de sufficienti titulo Beneficiali, vel Patrimoniali, vel pensionis; & insuper juraverit, quod titulum illum, quem pro futura sua promotione exhibet, vere & pacifice absque ulla fraude, seu lite possideat: & ante nolit dimittere, quam ei de alio sufficienti beneficiali canonice fuerit provisum; ita quoque Clericus Regularis testimonio sui Superioris ante docere debet, se Religionis, cui adscriptus est, Professionem emisisse, & præterea a jurejurando affirmare, se eam sponte ac libere fecisse, aut ratam, gratamque habuisse, & etiamnum habere: illudque in Ordinatorum Registro diserte exprimatur.

Juramentum Regularis titulo Religiosæ paupertatis Ordinandi.

Ego N. ad sacrum Subdiaconatus Ordinem titulo Religiosæ paupertatis promovendus, juro me sponte, ac libere expressam trium votorum substantialium, Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis professionem in Religione mea Ordinis S. N. emisisse, eamque habuisse, & etiamnum habere ratam, & gratam. Ita me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

XXXVI. Verum ne quis a stiva ad sacros statim Ordines prosiliat, & qui paulo ante totus adhuc sæcularis erat, brevi post Clericus, imo cum gravi ipsius populi admiratione, & offensione Sacerdos appareat, antequam probatus, & in unoquoque munere juxta præscriptos a Sancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia Ritus & Cæremonias satis sit exercitatus: volumus, ut nemo deinceps Subdiaconus, vel Diaconus ad superiorem Ordinem promoveatur, nisi prius Commentarium in Rubricas Missalis Romani, Auctore *Bartholomæo Gavanto*, seu Compendium sacrorum Rituum in quibuscunque Sacris observandorum, in quo Rubricæ Missalis ex novissima fel. rec. URBANI VIII. Pontificis Maximi correctione cum annotationibus ex Cæremoniali Episcoporum, & aliis probatissimis auctoribus continentur, Coloniæ excusum sibi comparaverit, atque ex iisdem Ritus & Cæremonias Sacrificii Missæ privatæ, & solennis perfecte didicisse in examine Ordinandorum debite probaverit; nec non juxta eorundem præscriptum in Ecclesia, cui ordinandus est adscriptus, aut alia, Ordinis illius, in quo est constitutus, ministerio laudate fuerit functus. Vetat enim antiquitus in Ecclesia Dei observata consuetudo eos ad superiores Ordines promoveri, qui inferiorum functione se non declaraverint idoneos.

XXXVII. Insuper quivis Clerici beneficiati, quamdiu nullo Ordine sacro insigniti fuerint, saltem in quinque majo-

majoribus anni feſtivitatibus, videlicet Paſchatis, Pentecoſtes, Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, omnium Sanctorum, & Nativitatis Domini, Sacram Euchariſtiam reverenter ſumant, ſalva conſuetudine earum Eccleſiarum, ubi frequentior Communio eſſe ſolet; ſciantque Subdiaconi & Diaconi, maxime decere, ut ſingulis diebus Dominicis, & ſolennioribus Feſtis Altari miniſtrantes, Sacram Communionem percipiant.

XXXVIII. Proin ad ſingulos majores Ordines promovendi faciant, neminem a noſtro in Pontificalibus Vicario deinceps ordinandum, niſi examinandus exhibeat eidem noſtro Vicario fide digna teſtimonia, quod a noviſſimo Ordine ſuſcepto honeſte ac laudabiliter vixerit, Clericalem habitum, ac Tonſuram ſemper detulerit, Horas Canonicas quotidie recitaverit, in Ordinibus ſuſceptis ſe rite & debite exercuerit, ſæpius Sacram Communionem ſumpſerit, atque novas proclamationes, *ſicut ſupra præſcribitur*, in Eccleſia Parochiali, ſub qua habitat, fieri curaverit. Item niſi teſtimoniales literas ætatis ſuæ per Parochum, inſpecto libro Baptiſmali, aut auditis parentum, vel ſuſceptorum, vel iis deficientibus, aliorum fide dignorum teſtium depoſitionibus, fideliter expeditas, *ſecundum Formulas ſupra annotatas*, titulique ſufficientis documenta produxerit.

XXXIX. Quotquot ad primam Tonſuram, minores, majoreſque Ordines aſpirant, ſe cum requiſitis documentis mane feria tertia, quarta vel quinta ante ipſam ſacram Ordinationem ſiſtant, & nomina ſua inſcribi curent in domo Vicarii noſtri in Pontificalibus Generalis, ut præhabita ab eo in ſcriptis licentia, deinde juxta præſcriptum Concilii tam Generalis Tridentini, quam Provincialis, ac Synodalis Colonienſis, hora, & loco ad id conſtitutis examinentur: ad examen vero nulli, qui honeſto non fuerit indutus habitu, & convenienti pro Ordinis ſui ratione, Tonſura inſignitus Clericali, aditus pateat.

XL. Examinandus ad ſacrum Subdiaconatus Ordinem ante omnia interrogetur, quo affectu ductus Ordinem illum petat, an propoſitum ejus ſit pium, ſanctum, ac firmum ſatisfaciendi triplici, quam ipſe Subdiaconatus Ordo habet annexam, obligationi, Tonſuram ſcilicet & habitum Clericalem geſtandi, perpetuam ſervandi continentiam, ac quotidie recitandi Horas Canonicas; & quantum in horariis precibus recitandis ſciat, ſi enim Religioſorum Ordinum Superiores eos, qui ad Ordinem ſuum admitti flagitant, diu multumque & ſevere probent, ac percontentur: cum horum Ordinum competitores non Beneficia Eccleſiaſtica, ſed diſciplinam, ac rigorem, aliaque gravia onera ambiant, Eccleſiam in Beneficiis diſpertiendis eſſe remiſſiorem, quam illos, in concedendo rigore & diſciplina neutiquam decet; Ordinandus vero per hujusmodi examen, ſciat ſe in conſcientia teneri ad veritatem exprimendam, &, ſi ſecus fecerit, dignam cum Anania & Saphira, Spiritui Sancto mentitus, peccato ſuo mercedem reportabit. Noverit itidem ordinatus Subdiaconus ſe obligatum, juxta Canonicas Sanctiones, ad preces iſtas horarias quotidie perſolvendas ſub pœna peccati mortalis, & ſi Beneficiatus eſt, amiſſionis ac reſtitutionis inſuper fructuum, pro rata illius diei ac temporis, quo officium non implevit: ideoque unusquisque huic obligationi ſtudioſe ſatisfacere in præſenti intendat; & poſt ordinationem, uti debet, reipſa ſatisfaciat.

XLI. Et quia in cantu Eccleſiaſtico addiſcendo hactenus magna Ordinandorum negligentia, non ſine gravi offendiculo populi, fuit animadverſa, ut aut muti ſint multi in Choro Clerici cantus Eccleſiaſtici imperiti, aut ob vocem inconcinnam, & abſonam mutis deteriores ſæpe reperiantur. Idcirco ſerio mandamus omnibus ad ſacros Ordines aſpirantibus, ut cantum Gregorianum ſeu Choralem ex principiis, uſu, atque exercitatione ante ordinationem addiſcant: quia & hujus in examine poſthac rationem accuratam haberi, pro ratione perſonarum, & inſtituti volumus.

XLII. Ad Ordinem Diaconatus promovendi diligenter ſecum perpendant, ad quantum gradum Eccleſiæ aſcen-

aſcendant: nam ut olim Levitæ Arcam fœderis, ita nunc ipſi Eccleſiam Dei portare & munire debent, ornatu ſancto, prædicatione Divina, exemplo perfecto, ut vere teſtentur ſe eſſe Levitas, hoc eſt, aſſumptos a carnalibus deſideriis, & a terrenis concupiſcentiis, quæ militant adverſus animam, ut hæreditas & tribus amabilis Domini eſſe mereantur, & tanquam Miniſtri, & Diſpenſatores Corporis & Sanguinis Domini ſint ab omni illecebra carnis alieni, & quibus Evangelium ore annunciant, vivis operibus exponant, Sanctorumque, maxime S. Stephani ac S. Laurentii exemplis in præparationem Evangelii pacis, pedes ſuos calceatos habeant.

XLIII. Qui vero ad ſacrum Presbyteratus Ordinem, onus Angelicis humeris formidandum, ſe præſentare intendunt, meminerint magno cum timore ac tremore ad tantum gradum aſcendendum, atque ſolicite providendum, ut cœleſtis ſapientia, probi mores, & diuturna juſtitiæ obſervatio ad id electos commendent, & advocati in adjutorium Epiſcoporum cognoſcant, quod agunt, imitentur, quod tractant, quatenus mortis Dominicæ myſterium celebrantes, mortificare membra ſua a vitiis, & concupiſcentiis ſuis omnibus procurent; ſitque doctrina eorum ſpiritualis medicina populo Dei, ſit odor vitæ delectamentum Eccleſiæ Chriſti, ut prædicatione, atque exemplo ædificent domum, id eſt, familiam Dei. Eluceat in iis totius forma juſtitiæ, ut bonam rationem diſpenſationis ſibi creditæ reddituri, æterna beatitudinis præmia conſequantur.

XLIV. Ad primam Tonſuram, aut etiam minorem Ordinem aliquem admiſſi, feria ſexta matutina hora octava, in domo Generalis noſtri in Pontificalibus Vicarii adſint, Clericali veſtitu induti, capillis abſciſſis, ſeu decenter compoſitis, & ſuperpelliceum, atque cereum ſinguli in promptu habentes: qui ubi Clericalem Tonſuram, vel aliquem Ordinem minorem ſuſceperint, ſicut & ſinguli majoribus Ordinibus initiati, in vertice capitis coronam ſibi radi curent, pro uniuſcujuſque Ordinis, gradus ac ſtatus conditione latam, eamque conſpicuam perpetuo deinde gerant, ac ſecunda, vel tertia qualibet hebdomada, atque præcipuis anni feſtivitatibus faciant renovari, ut hoc antiquiſſimo Eccleſiæ ritu ſignificent, ſe ſuperflua omnia, curasque omnes ſæculares ac terrenas ſolicitudines abjeciſſe, & ea, quæ ſurſum ſunt, quærere & ſapere: nec propter Laicorum præcipue hæreticorum deriſionem, aut vulgi judicium, quemquam pudeat hoc ſymbolo Ducem & Imperatorem ſuum profiteri, cui per arma juſtitiæ a dextris & a ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam debet militare: maxime cum Concilium tam Oecumenicum Tridentinum, quam Provincialia & Synodalia Colonienſia declarent, nullum prima Tonſura initiatum, aut etiam in Ordinibus ſacris conſtitutum, fori privilegio gaudere, niſi Tonſuram & habitum Clericalem geſtet; prorſus quippe indignus eſt, quem confiteatur Chriſtus coram Patre ſuo cœleſti, & Angelis ejus, qui erubuerit Chriſtum, cujus Miniſter eſſe intendit, confiteri coram hominibus: imo Chriſti nequit eſſe verus Miniſter, ſi extra grave periculum Miniſtrorum Chriſti proprium colorem aut inſignia geſtare detractet, quam rem fel. rec. SIXTUS hujuſce nominis V. Pontifex Maximus ſeverioribus adhuc pœnis proſequens, hæc, quæ ſequuntur, conſtituit.

SIXTUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

" Cum Sacroſanctam Dei Eccle-
" ſiam, &c. (*Vide Sixti Papæ V. Conſtitut.* 92. *Bullarii Tom.* 2.)

XLV. Ut vero conſtet, quam latam quisque pro ratione Ordinis, gradus ac ſtatus ſui debeat geſtare coronam; Sacerdotis corona amplitudine ſua hoſtiæ magnæ, quæ ad Miſſæ Sacrificium ſervit, par ſit; Clerici vero, atque item minoribus Ordinibus initiati parvulæ hoſtiæ, quæ Laicis communicantibus exhiberi ſolet, quantitatem æquet. Diaconi autem paulo minor ſit Sacerdotali, & ſicut Subdiaconi paulo major Clericali; ita Paſtoris vel curam animarum habentis paulo ſit

major, quam Sacerdotalis, & Prælati tonſura paulum exceedat eam, quæ eſt Paſtoris.

XLVI. Omnes admiſſi ad Ordines ſacros ſuſcipiendos, Sabbato generalis Ordinationis die ſimul ad medium horæ octavæ matutinæ in Metropolitana noſtra, vel alia pro dictis Ordinibus conferendis ab Epiſcopo Ordinatore deſignata Eccleſia adſint, honeſta induti veſte talari, nec non corona juſtæ ac decentis pro Ordine atque gradu ſuo magnitudinis inſigniti, & coram Vicario noſtro in Pontificalibus Generali, vel alio per ipſum ad id deputato, Catholicæ fidei Profeſſionem, juxta formulam a fel. rec. PIO Papa IV. præſcriptam, palam emittant, ſub pœna rejectionis pro illa vice, a ſuſceptione Ordinis.

XLVII. Parata quoque habeant paramenta Eccleſiaſtica coloris Sacroſancto Miſſæ Officio ſacrarum Ordinationum convenientis, atque cereum: & cum a Secretario ſeu Notario Epiſcopi Ordinatoris, fuerint nominati, reſpondeant *Adſum*; factaque eidem Epiſcopo debita reverentia, accedant ad locum ordinationis, ſecundum deſcriptionis ordinem.

XLVIII. Singuli majoribus Ordinibus initiandi ſeſe præparent, prævia Sacramentali Confeſſione, ad ſacram Communionem, eodem Sabbato ordinationis reverenter ac devote ſumendam, hoc modo, videlicet, poſtquam Epiſcopus Ordinator ipſe communicaverit, accedent ad altare Presbyteri; deinde Diaconi; poſtremo Subdiaconi, quibus ordinatim genuflectentibus, & Epiſcopo ad eos converſo, ſinguli Diaconi & Subdiaconi tantum dicent ſubmiſſa voce: *Confiteor Deo omnipotenti, &c.* vel unus eorum cantabit: *Confiteor, &c.* deinde data per Epiſcopum Abſolutione, & Benedictione, ordinati ad ſupremum gradum altaris accedent, & quilibet ibidem genuflexus, priuſquam Sanctiſſimam Communionem ſumat, manum Epiſcopi ſacram Hoſtiam tenentem oſculabitur, ſacraque Communione ſumpta, reſpondebit *Amen.* Tum ſurgens, purificatione a Miniſtro apud cornu Epiſtolæ altaris ſtante accepta, ad partem ſe locabit.

XLIX. Sacro Presbyteratus Ordine inſigniendi mappulam quoque albam, & honeſtam, pro manibus inunctis colligandis, ſecum adferant, atque ſinguli Miſſale Romanum vel ſaltem novum Colonienſe inſtar Romani correctum, ut cum Epiſcopo Ordinatore celebrante celebrare poſſint, & omnia dicere, præſertim verba Conſecrationis, quæ recitari debent eo momento per ordinatos Sacerdotes, quo dicuntur per Epiſcopum Ordinatorem, ea cautione, ut intendant conſecrare, ſive Panem & Vinum tranſubſtantiare in Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, ſi cum Epiſcopo tunc conſecrante ſimul abſolvant formam Conſecrationis; ſi autem ante illum, vel poſt illum eandem abſolverint, nihil velle pro ea vice agere, aut certe habeant intentionem proferendi verba Conſecrationis, ſecundum mentem Eccleſiæ.

L. Ordinati Sacerdotes, intra quadraginta dies ab ordinatione ſua, juxta antiquam conſuetudinem, Primitias ſuas celebrent: & ſi qui præſcripto tempore id non præſtiterint, ii Nobis, noſtrove Suffraganeo in Pontificalibus vices noſtras gerenti denuncientur, debite puniendi; ſed ne quiſquam forte a ſuſceptione Ordinis Sacerdotalis rejectus, ad evitandam apud ſuos confuſionem, miniſterium Sacerdotale, quod non accepit, ſacrilega temeritate uſurpare attentet, diſtricte præcipimus, ut nemini Primitias celebrare permittatur, antequam Superiori Eccleſiaſtico ſæculari, vel Regulari ejus loci, ubi Primitias celebrare intendit, literas ſuſcepti Sacerdotii exhibuerit: atque ſacros Miſſæ Ritus & Cæremonias ab aliquo Cæremoniarum & Rituum Eccleſiæ Romanæ perito Sacerdote ſe perfecte didiciſſe teſtimonio Inſtructoris ſui legitime probaverit, ſicut ſupra præſcribitur.

LI. Cum omnia Chriſtianorum convivia frugalia atque honeſta eſſe deceat, & ſobrietatem ſapere, tum ejus præcipue, qui Primitias celebraturus eſt, ideoque ad evitandum immoderatum luxum, & ea, quæ ipſum comitari ſolent, pericula, inſolentias, cædes &c. omnemque immodeſtiam, & confuſionem, ſerio mandamus, ut Sacerdo-

cerdos primitus Sacris operaturus, non plures, quam quinquaginta convivas invitari patiatur, sub pœna quinquaginta Dalerorum Imperialium Archi-Episcopali nostro Seminario applicandorum. In his autem conviviis caveantur omnes comessationum & potationum in seram usque noctem protractiones, saltitationes, ac quævis aliæ levitates & insolentiæ sub pœna arbitraria.

LII. Ad tollendum quoque abusum, qui apud nonnullos frequens esse solet, ut videlicet oblationes ad Primitias conferri solitæ in ædibus privatis super mensam communem reponantur, manifestando palam, quod quisque obtulerit, unde varia incommoda oriri notum est, severe prohibemus, ne dictæ oblationes alibi, quam in Templo super Altare sacrum fiant, ut munus offerentium non ex necessitate, sed ex libera voluntate & pia erga Sacrificantem charitate proficiscatur, sub pœna amissionis oblationum eidem Seminario nostro applicandarum.

LIII. Denique Sacerdotes, ne tanti tamque pretiosi talenti sibi frustra crediti severissimo Judici, magno suo malo, rationem reddere cogantur, nullos dies Dominicos, Festave solennia, nisi legitima gravique causa impediti, abire sinant, quibus Sanctissimum Missæ Sacrificium Deo pro suis, ac totius populi peccatis non offerant. Si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Sacrosancta Missarum Officia celebrent.

DECRETORUM SYNODALIUM
PARS QUARTA.
DE SACRAMENTO MATRIMONII.

I. QUotidiana docet experientia, Matrimonia temere & præpropere contracta infinitas parere difficultates, & infelices sæpe exitus sortiri: proinde recte ordinatum est, ut Sponsalia, quæ futuri Matrimonii promissionem & reciprocam utriusque obligationem continent, præmittantur. Quamvis vero hæc sacrum Concilium Tridentinum non attigerit, & ideo dispositioni juris communis relicta sint (præterquam quod nunc, sublato Matrimonio clandestino, per copulam carnalem, ut olim, non transeant in Matrimonium) certum tamen est ea, sive publice, sive privatim absque præsentia Parochi & testium contracta, valida esse; non sine peccato mortali posse violari, quod Pastores, Vice-Pastores, Concionatores & Confessarii, data opportunitate, subditis suis & auditoribus sæpius explicare & serio inculcare non intermittant; ne, quod multi leviter spondent, facilius retractent, & sic plurimorum inde emergentium incommodorum auctores existant.

II. Et ut ipsa Sponsalia tanto maturiore judicio ac libertate arbitrii fiant, quanto operosius conciliantur, semotis temerariis motibus affectuum humanorum ac passionum, quæ homines passim in mala inextricabilia præcipitant, stricte præcipimus, ut Sponsalia non nisi coram proprio alterutrius contrahentium Parocho, seu Vice-Parocho, & duobus testibus in Ecclesia, locove sacro, aut domo saltem aliqua honesta, nunquam vero in œnopoliis, cauponis seu tabernis potoriis contrahantur. Secus autem facientes certam, nec deprecandam trium florenorum aureorum Rhenensium mensæ pauperum loci applicandorum mulctam subeant. Ipse vero Parochus, aut Vice-Parochus, si ejusdem nostri Decreti violator extiterit, pœna duplici, & suspensionis a Divinis, per immediatos suos superiores nostros Subdelegatos, puniatur. Unde etiam severe inhibemus, ne ebriis aut potu obrutis Sponsalia contrahere volentibus suam dicti Curiones, seu Vice-Curiones impendant operam, sed eos in aliud tempus, quo sobrii cognoscant quid agant, rejiciant.

III. Curet etiam Parochus, seu Vice-Parochus, ut Parentum quoque con-

consensus Sponsalibus accedat, qui, si iisdem justis ex causis obluctentur, non temere procedat; sed liberos moneat, ne invitis & insciis ipsis, vel tutoribus, aut amicis, Sponsalia seu Matrimonium inire, ne hac in re tanti momenti quidquam impetu præcipiti ducti, quod honestati repugnet, audeant inchoare, sed illorum consilio & auctoritate moti, prævia matura deliberatione, ineant conjugia, & mala, quæ offensos parentes, & amicos comitari & sequi solent sæpe maxima, devitent; malintque Jacob virum electum, qui placitam patri duxit Rebeccam, quam profanum Esau imitari, quem refert Scriptura duxisse uxores, quæ offenderant animum Isaac. Admoneat etiam ex altera parte Parentes, tutores, vel amicos, ne ipsi austeritate nimia liberorum, vel sibi commissorum ætatis maturæ tardius æquo differant connubia: ne vel incontinentiæ, vel fugæ, aut fatuitatis, seu maniæ, quæ subinde ex magnis amoribus nasci consuevit, vel inconsultæ rei aggrediendæ pœnitendam præbeant iis occasionem. Pari, imo urgentiori ratione ac zelo hortetur identidem Parentes, ne per vim invitos filios adigant ad hoc illudve Matrimonium, cum irrita sint etiam Sponsalia de futuro, quæ per parentes sine liberorum consensu expresso vel tacito contrahuntur; ideoque coram Pastore, ejusve Sacellario, qui Sponsalibus intererit, declarent contracturi, an libere vel coacte consentiant.

IV. Priusquam Sponsalia contrahantur, Pastor, seu Vice-Pastor seorsim inquirat: *Primo*, an despondendi sint orthodoxi, noverintq; Romano Catholicæ fidei rudimenta? *Secundo*, an ullius sibi conscii sint impedimenti Canonici, quod contrahendum inter se Matrimonium possit impedire? *Tertio*, an sacro Chrismate confirmati? Quod si in horum aliquo deficere despondendos advertat, opportuna iis remedia Pastor, seu Vice-Pastor adhibere non omittat, nimirum *Primo*, ut doctrinæ Christianæ rudimenta prorsus ignorantes, saltem Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, decem Præcepta Decalogi, & quinque Præcepta Ecclesiæ antea addiscant, quam Matrimonio jungantur, cum ea deinde liberos suos docere debeant. *Secundo*, impedimenta, si possint, amoveant, aut si dirimentia sint, mature a consilio Matrimonii cogitati desistant. *Tertio*, hortetur, ut si confirmati non sint, curent ante Matrimonium se confirmandos.

V. Pro majori autem securitate & desponsorum corrigenda levitate, atque inconstantia, mandamus Parochis, seu Vice-Parochis omnibus, ne patiantur illos, qui in legitima ad Matrimonium ineundum ætate constituti Sponsalia contraxerunt, ejusmodi promissioni de futuro Matrimonio factæ propria sua auctoritate ac voluntate renunciare, & se mutuo absolvere; sed illos ad Nos, vel nostrum in Spiritualibus Vicarium Generalem remittant, nisi ad forum contentiosum res deducta fuerit; ut causa discussa, si ea secundum juris dispositionem justa appareat, ab ejusmodi promissione liberentur.

VI. Graviter peccant, qui vel ignorantia vel malitia humana suadentibus, post inita Sponsalia, ante legitime Matrimonium per verba de præsenti contractum concumbunt, ad quod periculum incontinentiæ vitandum, Parochus, seu Vice-Parochus admoneat Desponsos, ut juxta receptam Ecclesiæ consuetudinem intra quadraginta dies, præmissis tamen juxta Concilii Tridentini præscriptum trinis proclamationibus, nisi Canonicum obstet impedimentum, Matrimonio solenniter copulentur: simulque injungat, ut interea temporis ab omni carnis commercio abstineant, nec falso quorundam improborum prætexant dictum, desponsos coram Deo esse conjuges. Qua enim ratione coram Deo conjuges censeantur, quos reos sceleris propria redarguit conscientia? Ut vero ab ejusmodi periculo absint longius, ante Sacerdotis benedictionem in Templo suscipiendam, eodem non utantur domicilio, nec soli facile multumve secum versentur. Quod si spreto consilio & jussu, nihilominus desponsi simul habitaverint sine evidenti necessitate (quæ tunc solum erit probabilis, quando ante Sponsalia & Matrimonii consi-

consilium usi fuerunt eadem habitatione, uti servus & ancilla, minister & filia) non ante ad Matrimonium ineundum admittantur, quam ab invicem discesserint, atque etiam pœnæ arbitrio nostro, nostrive in Spiritualibus Generalis Vicarii, pro ratione culpæ & offendiculi illis infligendæ satisfecerint; si vero Pastoris, seu Vice-Pastoris culpa vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio nostro, seu ejusdem nostri Vicarii graviter idem puniatur.

VII. Nec patiatur ullus Parochus seu Vice-Parochus quempiam cujusvis status, gradus & conditionis hominem, qui sibi ignotus in suam Parochiam ex aliena Diœcesi commigrat, cum muliere, quam secum uxoris nomine duxerit, in ea habitare, dummodo flagret infamia, vel alia suspicione legitima conjicere possit, illam habere loco concubinæ, nisi satis idoneis testimoniis probaverit, se illi legitimo connubio esse copulatum.

VIII. Cum Sancta Mater Ecclesia Romano-Catholica justissimis ex caussis semper detestata sit clandestina Matrimonia, eaque propter incommoda maxima, quæ exinde solent emanare, gravissime vetuerit; Insuper etiam fel. rec. ERNESTUS ac FERDINANDUS, Archi-Episcopi Colonienses, Decessores nostri, in tribus ex ordine Synodis, annis scilicet 1598. 1612. & 1627. celebratis, atque iterum idem FERDINANDUS patentibus suis literis 5. Novembris 1647. seorsim typis vulgatis mandarint, ut Decretum Oecumenici Concilii Tridentini, irritum & invalidum declarans Matrimonium aliter, quam coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Episcopi Ordinarii Diœcesani licentia, & duobus testibus contractum, in singulis Civitatis & Archi-Diœcesis nostræ Parochialibus Ecclesiis populo quam sæpissime promulgaretur; comperimus nihilominus cum animi dolore ejusdem promulgationem juxta præscriptum non esse ubique subsecutam, præsertim in Ecclesiis, Ducatibus, Comitatibus, Territoriis, & Dominiis in Archi-Diœcesi quidem nostra existentibus, sed temporali nostræ jurisdictioni & Dominio non subjectis, idque ob Decanorum Christianitatum, seu Ruralium, & Parochorum negligentiam. Unde cum hactenus abusus, offendicula & perturbationes maximæ durent in Archi-Diœcesi nostra, dum quidam malitiose conferunt se ad vicina loca, in quibus nondum præfatum Decretum est publicatum, ibique clandestina celebrent Matrimonia contra prædicti Concilii prohibitionem. Alii prima uxore relicta, aliam, & plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducant; ut his malis efficaciter occurramus, serio præcipimus omnibus ac singulis Civitatis & Archi-Diœcesis nostræ Pastoribus & Vice-Pastoribus tam sub temporali nostra jurisdictione, quam extra eam in nostra Archi-Diœcesi constitutis, ut in quocunque loco dictum Tridentinum Decretum *de Reformatione Matrimonii* non est pro suggestu publicatum, idipsum promulgent & explicent intra mensis unius spatium incepturi a die habitæ præsentium notitiæ: idemque in loco patente, ut ab omnibus legi possit, per mensem affixum servent: ac deinde bis in anno prima scilicet Dominica post festum Epiphaniæ, & prima Dominica post festum Sanctissimæ Trinitatis, idque per triennium integrum a notitia hujus inchoandum, atque etiam sæpius hanc publicationem & explicationem, in Catechetica sua lectione, ne qui simpliciores ignorantiam prætendere possint, repetant, ac populo inculcent sub pœna decem florenorum aureorum, quoties illud neglectum fuerit, fabricæ Ecclesiæ, seu mensæ pauperum loci applicandorum: iidem etiam literas testimoniales de facta hac promulgatione conficere, Nobisque, seu nostro in Spiritualibus Vicario Generali consignare teneantur, cum subscriptione Parochi, vel Vice-Parochi & ædilium cujuscunque Parochiæ. Eandem quoque repetitionem aliis in locis, in quibus hactenus Decreti illius promulgatio effectui data fuit, injungimus. Et ne deinceps ullius corpore, negligentia, vel incuria opus tam pium retardetur, in hunc usum sæpius ejusdem Decreti Tridentini verba & latina & translata in idioma nostrum his duximus adjungenda.

Decretum Concilii Tridentini de Reformatione Matrimonii.

"Tametſi dubitandum non eſt, &c.

Idem Decretum germanice verſum.

"Wiewol man nit zweifflen ſoll, &c.

IX. Quem in finem mandamus omnibus Præpoſitis, Archi-Diaconis, & Decanis Chriſtianitatum, ſeu Ruralibus, ut in Viſitationibus ſingularum Eccleſiarum Parochialium ſedulo inquirant, num Tridentinum Decretum prædictum populo publicatum & explicatum, illiusque publicationis atteſtatio ad Nos, vel in Spiritualibus Vicarium noſtrum Generalem transmiſſa ſit; & in ſuarum Viſitationum actis expreſſe annotent, an huic noſtro mandato ſatisfactum ſit, nec ne, ut inobedientes, ſi qui fuerint, debitas luant pœnas, & eorum defectus ſuppleantur.

X. Quamvis jure antiquorum Canonum Matrimonium clandeſtinum libero contrahentium conſenſu initum, verum fuerit Matrimonium (ſiquidem & conſenſus privatim datus, verus conſenſus eſt, isque ſufficit ad contrahendum Matrimonium) novo tamen Tridentini Decreti prædicti jure, quotquot ex locis, ubi Decretum iſtud eſt promulgatum, conferunt ſe ad vicina loca, in quibus hoc Decretum nondum eſt publicatum, ibique clam Matrimonium contrahunt, horum Matrimonium irritum prorſus eſt ac nullum: ſicut ſacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum hac ſuper re a rec. mem. FERDINANDO Archi-Epiſcopo Deceſſore noſtro conſulta reſpondit: idemque fel. rec. URBANUS VIII. nominis hujusce Pontifex Maximus per ſuas literas in forma Brevis ſub annulo Piſcatoris, ut vocant, expeditas confirmavit, quarum verba hæc ſunt.

URBANUS PAPA VIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

" EXponi Nobis nuper fecit Ven. " Fr. Archi-Epiſcopus Colonienſis, quod habito nuper per eum ad " Venerabiles Fratres S. R. E. Cardinales ſacri Concilii Tridentini interpretes recurſu ſuper infra ſcriptis dubiis, videlicet: *Primo*, an incolæ tam maſculi, quam fœminæ loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto Matrimonii eſt promulgatum, tranſeuntes per locum, in quo dictum Concilium non eſt promulgatum, retinentes idem domicilium valide poſſint in iſto loco Matrimonium ſine Parocho & teſtibus contrahere. *Secundo*, quid ſi eo prædicti incolæ tam maſculi, quam fœminæ ſolo animo ſine Parocho & teſtibus contrahendi ſe transferant habitationem non mutantes. *Tertio*, quid ſi iidem incolæ tam maſculi, quam fœminæ eo transferant habitationem illo ſolo animo, ut absque Parocho & teſtibus contrahant. Iidem Cardinales ad *primum* & *ſecundum* non eſſe legitimum Matrimonium inter ſic ſe transferentes, & tranſeuntes cum fraude.

" *Ad tertium vero dubiorum hujusmodi*, ſi domicilium vere transferatur, Matrimonium eſſe validum reſponderunt & reſolverunt, prout in Decreto deſuper emanato plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Archi-Epiſcopus reſponſum ſeu dubiorum prædictorum reſolutionem hujusmodi pro illius ſubſiſtentia & validitate firmioribus, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri ſummopere deſideret; Nos eundem Archi Epiſcopum ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, ſupplicationibus illius nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; Reſponſum ſeu dubiorum prædictorum reſolutionem hujusmodi auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & confirmamus, illisque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus. Decernentes illud, ſeu illum, nec non præſentes literas, valida, firma & efficacia exiſtere & fore, ſuosque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ſicque & juxta illa per quoscunque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, ac diffiniri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter

" ter vel ignoranter contigerit atten-
" tari. Non obſtantibus Conſtitutio-
" nibus & Ordinationibus Apoſtolicis,
" cæterisque contrariis quibuscunque.
" Datum Romæ apud S. Mariam Majo-
" rem ſub annulo Piſcatoris die 14. Au-
" guſti 1627. Pontificatus noſtri anno
" Quinto.

V. Theatinus.

Loco † Annuli Piſcatoris.

XI. Decretis proinde Conciliorum tam Generalis Tridentini, quam Provincialium, Synodaliumque Colonienſium inhærendo ſevere prohibemus, ne deinceps ulli ad Matrimonium per verba de præſenti contrahendum admittantur, niſi prius ter a proprio contrahentium Parocho, vel Vice-Parocho, vel ejus juſſu ab alio Sacerdote, nulla vero ratione Cuſtode, ſeu Æditno (quod non raro inaniter factum eſſe novimus) tribus continuis Dominicis ſeu fori Feſtis diebus diſcontinuis, ſeu a ſe invicem diſtantibus; (ita ut aliquot ſaltem duorum vel minimum unius diei intervallum inter unam & alteram denunciationem & etiam Matrimonii celebrationem ſemper intercedat, ne ob temporis anguſtias impediatur detectio impedimenti) in Eccleſia ſub ſummo Sacro, vel concione antemeridiana publice denunciati fuerint juxta hanc formulam vernacula lingua faciendam. *Notum ſit omnibus hic præſentibus, quod N. vir, & N. mulier, ex tali vel tali familia & Parochia, Deo adjuvante, intendunt inter ſe contrahere Matrimonium. Eapropter admonemus omnes & ſingulos, ut ſi quis noverit aliquod conſanguinitatis vel affinitatis, aut cognationis ſpiritualis, vel quodvis aliud impedimentum inter eos eſſe, quod Matrimonium contrahendum invicem impediat, illud quamprimum nobis denunciare debeat, & hoc admonemus primo*, ſi fuerit prima, vel *ſecundo*, ſi fuerit ſecunda, vel *tertio*, ſi fuerit tertia denunciatio: quo impedimenta, ſi quæ ſubſint, ex utraque parte facilius detegi queant (ſicuti etiam decretum fuit in Provincialibus Conciliis Colonienſibus ſub Deceſſoribus noſtris, SIFRIDO, HERMANNO V. & ADOLPHO III. Archi-Epiſcopis) niſi per Nos, noſtrumve Generalem in Spiritualibus Vicarium ex cauſis deſuper fuerit diſpenſatum.

XII. Parochus itaque, ſeu Vice-Parochus admonitus de aliquibus Matrimonium in ſua Parochia contracturis, diligenter ab iis exquirat. *Primo*, nomina, cognomina, parentes, patriam, ſtatum, gradum & conditionem utriusque; *Secundo*, an inter ipſos ſit aliquod Canonicum impedimentum: *Tertio*, utrum ſponte, libere, & ſecundum honeſtatem Sacramenti velint contrahere: *Quarto*, utrum ætatem habeant legitimam, an videlicet vir ſaltem quatuordecim, mulier vero duodecim ætatis annos expleverit, & uterque ſciat rudimenta fidei, aliaque, ut ſupra fuere præſcripta: *Quinto*, ſub qua Parochia pro majori parte vitæ, maxime poſt pubertatis annos, ſi adoleſcentes ſint, ſi vero aliquando conjugati fuerint, poſt mortem conjugum, habitaverint. Et veritate rei probe intellecta, illis exponat, quo in loco, vel locis eorum proclamationes fieri oporteat, & quibus atteſtationibus indigeant, antequam ad Matrimonii celebrationem poſſint procedere, declarando, quod ubi ſeptem ultimis annis poſt pubertatem vel mortem conjugum habitaverint, ibi proclamationes ſint faciendæ, quod ſi forte quatuor annis vel circiter in una, & tribus vel quatuor in alia Parochia habitaverint, eo caſu in utraque Parochia proclamatio fieri debeat; ſi vero in Parochia, in qua modo habitant, brevem admodum moram traxerint, ita ut ibidem non ſint ſatis noti, etſi ibi Matrimonio jungi poſſint, nihilominus in Parochia, in qua prius habitarunt, ubi nimirum certius impedimenta ſciri poſſunt, denuncientur.

XIII. Si Matrimonium contracturi diverſarum ſint Parochiarum, tum in utraque fiant proclamationes, nec ante Parochus unius, ad quem matrimonialis copulatio ſpectabit, ad Matrimonii ſolemnis actum procedat, niſi prius habito ab alterius Parochiæ Curione teſtimonio, quod præſcriptæ a Concilio Tridentino trinæ denunciationes in ſua Parochia legitime factæ fuerint, & nullum impedimentum ſit inſinuatum, aut a ſe cognitum. Item, quod Sponſus ſeu Sponſa ſit Catholica, ſciat or-

thodoxæ Fidei rudimenta, factaque Confessione peccatorum suorum, ac sacra Communione suscepta ad Matrimonii gratiam se præparaverit. Si vero Sponsi fuerint diversorum Episcopatuum, seu Decanatuum, præter literas Parochi illius, qui Matrimonio non adsistet, Episcopi, aut Decani Christianitatis testimonium adferant, antequam conjungi valeant.

XIV. Etsi quidam pro Matrimonio proclamandi verecundia, alii vero non longe distante a superstitione errore ducti (dum ex proclamationibus ipsis audientibus factis sibi infaustum Matrimonium ominantur) eodem die e Sacro & concione emaneant, ne suis denunciationibus cogantur interesse. Idcirco Pastores & Vice-Pastores, ubi hujusmodi gravissimos abusus vigere adverterint, ab hisce populum frequentius dehortentur, & si quos dictarum denunciationum diebus, nec in sua, nec alia Ecclesia Sacrum audivisse cognoverint, subsequentes eorundem proclamationes diutius in pœnam protrahant, vel si ultimæ fuerint, mulctam aliquam pecuniariam fabricæ Ecclesiæ, seu mensæ pauperum loci applicandam, prout magis expedire judicabunt, imponant.

XV. Licet porro dispensationes in proclamationibus matrimonialibus, earumve remissiones sint jurisdictionis Episcoporum Diœcesanorum, quibus a Concilio Tridentino reservantur (Ordinarii enim nomine simpliciter prolato in materia Concilii Tridentini & Constitutionum Apostolicarum non nisi solum Episcopum loci Ordinarium seu Diœcesanum, privative, seu exclusis Abbatibus, Præpositis, Archi-Diaconis, Decanis, aliisque Superioribus & Prælatis Episcopo inferioribus omnibus, etiam Ordinariam & quasi Episcopalem habentibus jurisdictionem, denotari, venire, & intelligi resolvit sacra Congregatio Cardinalium ejusdem Concilii Interpretum) intelligimus tamen quosdam Abbates, Præpositos, Archi-Diaconos, Decanos Christianitatum seu Rurales, quin & Pastores ac Vice-Pastores Matrimoniales proclamationes remittendi, auctoritatem usurpare, seu etiam coram alieno Parocho, & quidem cum hæreticis (quod nec ipsis Episcopis contra apertam Ecclesiæ prohibitionem licet) Matrimonium contrahendi licentiam ausos concedere. Hoc vero non est aliud, quam Ecclesiæ hierarchiam perturbare, sacros Canones, Concilii Tridentini, Summorumque Pontificum Sanctiones proculcare, Archi-Episcopalem jurisdictionem violare, & mores populi inquinare. Itaque tantis Nos malis, & aliis inde secuturis gravioribus tempestive providere volentes, Decessorum nostrorum Archi-Episcoporum Coloniensium Decretis & Statutis etiam Synodalibus insistendo, universis & singulis Civitatis & Archi-Diœcesis nostræ Abbatibus, Præpositis, Archi-Diaconis, eorumque Officialibus, Decanis Christianitatum seu Ruralibus, & aliis quibuscumque Episcopo inferioribus, ne eorum quispiam imposterum ullam in proclamationibus matrimonialibus dispensationem, sive earum remissionem, sive coram alieno Parocho aut Sacerdote, multoque minus cum hæreticis Matrimonium contrahendi licentiam concedere præsumat, sub gravi pœna arbitraria prohibemus. Insuper sub eadem pœna inhibemus cunctis Civitatis & Archi-Diœcesis nostræ Pastoribus, Vice-Pastoribus, aliisque Sacerdotibus, ne quisquam absque proclamationibus matrimonialibus, seu earum remissione a Nobis, nostrove in Spiritualibus Generali Vicario scriptis obtenta, etiam vi seu prætextu cujusvis dispensationis seu proclamationum matrimonialium remissionis a quocunque Abbate, Præposito, Archi-Diacono, ejusve Officiali, Decano rurali, aliove inferiore impetratæ ullos nostros Archi-Diœcesanos minusque alienæ Parochiæ subditos Matrimonio jungere audeat.

XVI. Si quando super una trium proclamationum a Nobis, nostrove Vicario prædicto dispensetur, eo die, quo posterior reliquarum duarum facta fuerit, Matrimonium contrahi vetamus, idemque multo magis servetur, quando unica tantum proclamatio facienda est, reliquis duabus ob causam a Nobis, aut prædicto nostro Vicario remissis.

XVII.

XVII. Favore prolis superstitis concedimus, ut Parochus seu Vice-Parochus absque debitis solemnitatibus, nulla etiam proclamatione facta, in duorum testium præsentia concubinam cum viro periculose ægrotante Matrimonio jungat, si tamen convaluerit, proclamationes omnes fieri jubemus, nisi aliter Nobis, nostrove Vicario in Spiritualibus Generali faciendum videatur.

XVIII. Insuper etiam quicumque Matrimonium contracturi serio admoneantur, ut juxta Concilium Tridentinum, antequam illud ineant, sua peccata diligenter confiteantur, Sanctissimumque Eucharistiæ Sacramentum pie sumant, quo majori cum Dei gratia Matrimonio jungantur: ipsique Parochi, & Vice-Parochi, nonnisi confessos saltem, ad solemne Matrimonium ineundum unquam sub pœna arbitraria admittant.

XIX. Cum præinserti Decreti Tridentini verbis exprimatur & assignetur Matrimoniis contrahendis proprius Parochus, aut Episcopus loci Ordinarius, & dubium oriri possit, qui vulgo eo nomine intelligatur, declaratur proprius Parochus, qui contrahendis & benedicendis Matrimoniis assistere debet, is esse, in cujus Parochia uterque seu alteruter sponsorum, sive vir, sive fœmina animo ibidem perpetuo manendi, non vero ad propria revertendi, vel alio commigrandi, nisi quid avocet, domicilium fixit; idcirco Studiosi, qui in Universitate vel alibi studiis dant operam, & alii similes, qui sedem fixam non habent, non censentur illius esse Parochiæ, vel Diœcesis, quoad effectum Matrimonii contrahendi, in qua octo vel decem annos habitarunt, si retinuerint animum in patriam redeundi: qui vero alicubi incepit habitare firmo proposito ibidem perpetuo manendi, statim ibidem domicilium contrahit, nec opus est, ut diu habitet, sed sufficit, si animum constanter ibidem commorandi habeat, donec tunc ignoratis, vel nondum certis negotiis alio vocetur.

XX. Si quis autem alios, quam suos Matrimonio conjunxerit, absque nostro, nostrive Vicarii in Spiritualibus Generalis, vel alterius contrahentis Parochi consensu in scriptis obtento, præter pœnas contra ejusmodi transgressores e sacro Concilio Tridentino inflictas, mulctam triginta florenorum aureorum partim Sigillifero nostro majori, partim fabricæ Ecclesiæ loci & mensæ pauperum solvendorum, vel aliam arbitrariam graviorem incurrat. Quas etiam in pœnas incidet, qui omissis proclamationibus, vel aliqua earum suos, vel aliquem suorum, cum alterius loci Parochiano conjunxerit, antequam de illis eo in loco rite factis testimonio Pastoris, seu Vice-Pastoris, vel de earum legitima relaxatione ipsi constiterit. Is vero, qui Parochianos suos non servata S. Concilii Tridentini forma, aut inter quos impedimentum aliquod Canonicum novit existere, non obtenta dispensatione conjunxerit, quinquaginta florenorum aureorum, uti supra, solutione puniatur. Sciant præterea Sacerdotes omnes, non sufficere licentiam proprii Pastoris, seu Vice-Pastoris solum præsumptam, ut non suos Parochianos Matrimonio jungere possint, sed necessario requiri expressam: quemadmodum id sacra Congregatio Cardinalium, qui Decretis Concilii Tridentini interpretandis præsunt, definivit.

XXI. Singuli Pastores, ac Vice-Pastores impedimenta Matrimonii exacte nosse & memoria tenere studeant, ac subinde in concionibus suis populo declarent.

1. Vinculum impediens Matrimonium esse duplex, ex duplici conjunctione, naturali per cognationem sanguinis, & spirituali per cognationem spiritualem. Huic duplici cognationi accedit aliud vinculum, quod dicitur affinitas.

2. Cognationem naturalem spectari posse vel inter personas in generatione hominum ascendentes & descendentes, quales sunt Avus, Pater, filius &c. Qui sursum vel deorsum considerati se mutuo respiciunt. Vel spectari posse inter personas collaterales, id est, ex una radice communi, seu parente, (quem Jura vocant primum stipitem) prognatas, hoc modo

ſe referunt fratres, ſorores, horum proles, & qui naſcuntur ex illis.

3. Affinitatem quoque eſſe duplicem, unam ex Matrimonio rato & conſummato contractam, alteram ortam ex fornicatione.

4. Cognationem ſpiritualem ex duplici fundamento oriri, nempe ex Baptiſmo & Confirmatione.

XXII. Inter cætera etiam doceant ſpiritualem cognationem tantum contrahi ex Baptiſmo; *Primo*, inter Patrinum & Baptizatum ipſum; *Secundo*, inter Patrinum ac Baptizati Patrem ac Matrem; *Tertio*, inter Baptizantem ex una, ac Baptizatum ipſum, ac Patrem ejus & Matrem ex altera parte. Eam vero cognationem, quæ ex Confirmatione oritur; *Primo*, inter Patrinum & Confirmatum contrahi; *Secundo*, inter Confirmati Patrem, Matremque ex una, & Patrinum ex altera parte; *Tertio*, inter Confirmantem ex una parte, & Confirmatum, & Confirmati Patrem & Matrem ex altera parte; nec ultra hos terminos procedere aut egredi cognationem ſpiritualem; proinde nulla omnino ſpiritualis cognatio contrahitur. *Primo*, inter Patrinos ipſos, ſeu inter Suſceptorem & Suſceptricem ejusdem perſonæ; *Secundo*, nec inter Baptizatos ab eodem Baptizante, vel Confirmatos ab eodem Confirmante; *Tertio*, nec inter Baptizatum unum, & Confirmatum alterum, etiamſi ab eodem homine uterque acceperit Sacramentum; *Quarto*, nec inter Baptizatum vel Confirmatum, eorumque Parentes ex una parte, & conjugem Patrini ex altera parte; *Quinto*, nec inter Baptizantem, Confirmantemve ex una, & Patrinos ex alia parte; *Sexto*, nec inter Baptizantis, confirmantisve, ſeu parentes, ſeu conjugem ex una, & baptizatum, confirmatumque ex altera parte; *Septimo*, nec inter proles Baptizati, confirmatique ex una parte, & baptizantem, confirmantem, aut patrinos ex altera parte; *Octavo*, nec denique inter novercam, vitricumque baptizati, aut confirmati ex una, & Patrinos baptizati, confirmative ex altera parte, multo minus inter patrem, matremque baptizati. Nullum inſuper eſt impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis ex Sponſalibus per verba, ut ajunt, de futuro contractis, ubi ea quacunque ratione valida non erunt: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedit. Præterea ex Matrimonio verbis de præſenti conceptis contracto, & nondum conſummato, quæ interdum Sponſalia, licet improprie, appellantur, etiam hodie oritur impedimentum publicæ honeſtatis ad quartum uſque gradum, juxta Summi Pontificis PII V. Conſtitutionem, qua definivit. "Concilii Tridentini Decretum duntaxat intelligendum eſſe de Sponſalibus in futurum, non autem de Matrimonio per verba de præſenti, ut præfertur, contracto, ſed in hoc durare adhuc impedimentum in omnibus caſibus & gradibus, quibus de jure veteri ante Concilium Tridentinum introductum erat." Impedimentum item, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, ad eos tantum, qui primo & ſecundo gradu conjunguntur, ſe extendere. Nullum quoque poſſe ſubſiſtere Matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit. Eapropter caveant animarum Curiones omnes ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio, ne quos ſcienter ad Sponſalia aut Matrimonium admittant, qui ſibi conſanguinitate vel affinitate in gradu aliquo prohibito impediente vel dirimente conjuncti ſunt, vel ſe invicem attingunt, ſeu aliquo alio ex hujusmodi impedimentis Canonicis detinentur: niſi ea affinitas ex fornicatione ortum habeat, quæ tum ultra gradum ſecundum, uti paulo ante dictum eſt, Matrimonium non impedit. Reliqua vero Matrimonii impedimenta, qualia ſunt inter cætera frigiditas, votum ſolenne, Sacer Ordo, crimen, cultus diſparitas, error perſonæ, vis, ſeu coactio, ligamen &c. ex ſacris Canonibus & Summiſtis quærenda relinquimus. Quæ omnia, cum non ſolum contrahendum Matrimonium impediant, ſed etiam dirimant contractum, diligenter a Parochis, & Vice-Parochis ſub graviſſimis pœnis noſtro arbitrio, ex craſſa ignorantia vel malitia delinquentibus, imponendis, volumus obſervari.

XXIII.

XXIII. Pro majori itaque cautela noverint prohibitionem Matrimonii inter consanguineos & affines ad quartum inclusive gradum redactam esse; igitur qui primis quatuor gradibus se mutuo non attingunt, recte inter se Matrimonium contrahere valent. Idem est, si unus in quinto vel ulteriore gradu sit, alter in quarto, tertio, secundo, vel etiam primo, eo quod is, qui quinto gradu vel remotiori est, trahat ad suam conditionem eum, qui vicinior est stipiti, & in eodem secum gradu collocat in favorem Matrimonii. Eapropter nemo illis, quorum unus quarto, seu proximiori, alter quinto, seu remotiori consanguinitatis vel affinitatis gradu juncti, Matrimonium contrahunt aut contraxerunt, cum citra dispensationis beneficium libere ac licite Matrimonium inire possint, desuper moveat difficultatem.

XXIV. Quia vero Apostolica Sedes difficilior esse solet, & merito, in concedenda dispensatione, ubi distantia graduum consanguinitatis vel affinitatis in linea transversa, intra quartum inclusive gradum, est inæqualitas, ut si a stipite prima distantia unius partis sit primi gradus, altera vero secundi, vel una secundi, altera tertii gradus a communi stipite, vel altera sit tertii, & altera quarti gradus ab eodem stipite; sciant Pastores, & Vice-Pastores hoc casu utrumque & propinquiorem & remotiorem gradum in literis pro dispensatione impetranda dandis, juxta graduum inæqualitatem exprimendum esse; puta, si vir ducere velit filiam avi, aut proavi, aut abavi sui, vel defunctæ uxoris suæ: vel mulier nubere velit filio avi, proavi, aut abavi sui, vel defuncti mariti sui. Hi etenim gradus exprimendi sunt in petitoriis dispensationis literis, alioquin dispensatio tacito gradu proximiore impetrata tanquam subreptitia sive obreptitia nullius momenti est, cum sanct. mem. PIUS Papa hujusce nominis V. expresse declaraverit, non esse mentem Summi Pontificis in tali gradus propinquitate dispensare, nisi exprimatur, vel nisi obtineantur postea super propinquiore gradu literæ declaratoriæ: uti & indubitatus Romanæ Curiæ stylus exactissime observat, qui facit jus & pro lege habetur, tollitque omnem dubitationem facti, non solum in Curia Romana, sed etiam extra eam, quem proinde servare tenentur omnes inferiores Ecclesiæ, adeo ut sententia contra stylum istum lata sit nulla. Quare prudenter faciet Parochus & Vice-Parochus, si ipsum stipitem communem ficto vel vero nomine exprimat, & similiter in utraque linea personas medias usque ad illas personas, quarum Matrimonium impetrari petitur, delineet: sic enim & Ordinarius Diœcesanus perspicue rem intelliget, nec dispensatio reddetur irrita, vel subreptitia.

XXV. Propter evidens salutis animarum periculum, Pastores, Vice-Pastores, & verbi Dei Præcones sæpius in concionibus significent, præter legem naturalem & Divinam, esse etiam Ecclesiæ Catholicæ prohibitionem, ne fideles cum hæreticis Matrimonia ineant, ejusque impedimenti rationem habeant singularem. Quomodo enim potest congruere charitas, si discrepet fides? cum verum sit illud S. Hieronymi. *Nusquam fidei affectus, ubi diversa fides;* pro hac igitur materia legant Parochi, atque Vice-Parochi insignem Divi Ambrosii Epistolam ad Virgilium Episcopum Tridentinum inter opera S. Ambrosii. Itaque non minorem rationem habeant hujus inquisitionis in faciendis proclamationibus, quam reliquorum impedimentorum. Et si utrumque vel alterum conjungendorum hæresi infectum, aut non temere suspectum inveniant, eos non conjungant, nisi prius hæresi ejurata orthodoxæ fidei professionem emiserint.

XXVI. Tametsi nuptiæ pro contractu Matrimoniali sumptæ nunquam interdictæ sint, ne quidem Quadragesimali tempore, sacri tamen Canones nuptias, prout solennitates & hilaritates Matrimonii celebrandi causa adhiberi solitas denotant, certis temporibus recte prohibent: quia publico luctui, quem Ecclesia Quadragesimali tempore suscipit, & sancto desiderio Adventus Dominici, quod Adventus tempore recolitur, cum maximis duabus festivitatibus Redemptionis nostræ, meri-

merito cedit quævis privata hilaritas & festivitas carnalis. Ea vero tempora Concilium Tridentinum his verbis definivit: " Ab Adventu Domini nostri " JESU CHRISTI usque in diem Epi- " phaniæ, & a feria quarta Cinerum " usque in Octavam Paschatis inclusi- " ve, antiquas solennium Nuptiarum " prohibitiones diligenter ab omnibus " observari sancta Synodus præcipit: " in aliis vero temporibus nuptias so- " lenniter celebrari permittit: quas " Episcopi, ut ea, qua decet, mode- " stia, & honestate fiant, curabunt. " Sancta enim res est Matrimonium, " & sancte tractandum." Quod Decretum Tridentinum inviolate volumus observari: mandantes omnibus & singulis Pastoribus & Vice-Pastoribus, ut si quisquam id violarit, ad Nos vel Generalem nostrum in Spiritualibus Vicarium deferatur, graviter puniendus. Cum igitur, ut supra dictum est, sanctitati talium duorum temporum mysteriis plenissimorum, merito cedat, non solum privatorum hilaritas solennior, sed etiam quidam alii contractus minus spirituales, tanquam in institio quodam sacro. Hinc in Domino hortamur omnes nostros fideles Christi Domini pro se incarnati, & passi amantes, ut ne quidem privatis nuptiis absque solennitate celebrandis operam velint dare eo tempore, sed respicere in Authorem Fidei & Consummatorem JESUM, eique, quod in ipsis est amoris, retribuere. Et si quando legitima ex causa aliqui interdicto tempore nuptias contrahere necesse habeant, eis, ut reverentiam Deo debitam servent, & ex suis necessitatibus eruantur, duo erunt præstanda. Unum, ut ad Matrimonium prædicto sacro tempore contrahendum per Nos, nostrumve in Spiritualibus Vicarium Generalem licentia desuper in scriptis obtenta admittantur; sic enim humilitate & obedienti rogatione sanctimoniam illi tempori debitam, quam eo casu plene observare nequeunt, æquabunt, tanquam alio opere bono supplentes, & Dei benedictione augebuntur. Alterum, ut impetrata prædicta potestate contrahendi Matrimonium intra sanctum tempus abstineant, nihilominus a solennitatibus nuptialium conviviorum, publicis sponsarum traductionibus ad domum, a choreis & similibus, quæ temporis sanctitati repugnat; eaque similiter intermittenda erunt, etsi Matrimonium antea contractum fuerit, sub pœna viginti aureorum florenorum Rhenensium fabricæ Ecclesiæ, seu mensæ pauperum loci applicandorum, aliaque graviori arbitraria pro modo culpæ & offendiculi.

XXVII. Ad secundas nuptias transire desiderans, Matrimonio non jungatur, nisi prius coram Parocho, seu Vice-Parocho loci, mortem prioris conjugis legitime probaverit, etiamsi non septem tantum, ut multis persuasum est, sed & viginti, triginta, aut plures etiam annos abfuisse constiterit: cum ex longa conjugis absentia vix ulla resultet de ejus morte certitudo, sed authenticis testimoniis probanda sit: quilibet enim vivere præsumitur, quando non constat eum esse defunctum.

XXVIII. Quamobrem si quis sub ementito nomine vel cognomine, adhuc prima uxore vivente, ad secundas nuptias transire fuerit ausus, gravissima eum pœna plectendum censemus ex fel. rec. URBANI VIII. ejusce nominis Papæ Constitutione, quam hic libet suis verbis adscribere.

URBANUS PAPA VIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

" Magnum in Christo, & in Eccle- " sia Matrimonii Sacramentum, " ut vitæ est legitima inter virum & " fœminam indissolubilis societas, in " qua ex pari consensu semetipsum al- " ter alteri debet; ita gravibus, debi- " tisque pœnis corripiendi sunt ii, qui " mandatorum Domini immemores, " & posthabita propriæ salutis ratione, " sacrosanctas hujusmodi Sacramenti " leges violare non verentur.

" 1. Cum itaque, sicut non sine " magna animi nostri molestia accepi- " mus, ii iniquitatis filii reperiantur, " qui sub mentito nomine, seu cogno- " mine adhuc prima uxore vivente, ad " secundas nuptias transire audent.

" 2. Nos nefariam improborum " hominum hujusmodi temeritatem,

juxta

" juxta creditum Nobis desuper Apo-
" stolicæ servitutis officium, quantum
" cum Domino possumus, reprimere
" volentes, habita prius super hoc cum
" Venerabilibus Fratribus nostris S. R.
" E. Cardinalibus in universa Republi-
" ca Christiana contra hæreticam pra-
" vitatem generalibus Inquisitoribus
" ab hac Sancta Sede deputatis deli-
" beratione matura, hac nostra perpe-
" tuo valitura Constitutione decerni-
" mus, ut hujusmodi delinquentes,
" ultra pœnas, quibus ipsi ordinarie pu-
" niri solent, damnentur ad triremes
" in perpetuum: quod si inhabiles re-
" perti fuerint, publice fustigentur,
" & damnentur ad carceres in perpe-
" tuum: si vero pro qualitate & enor-
" mitate delicti graviores pœnas me-
" ruerint, etiam Curiæ sæculari arbitrio
" eorundem præfatæ Congregationis
" Cardinalium puniendi tradantur &c.

" Datum Romæ apud Sanctam Ma-
" riam Majorem sub annulo Piscatoris
" die XX. Junii 1637. Pontificatus no-
" stri anno Decimo quarto."

XXIX. Statuimus, ut si futuro Matrimonio se quispiam opponat, aut Canonicum impedimentum denuntiat, aut etiam dubium sit & controversum, an Matrimonium de jure subsistat, nec ne, non prius per Parochos, seu Vice-Parochos ad ulteriores proclamationes, aut Matrimonii celebrationem procedatur, quam re ad Nos, vel Officialem nostrum delata: & quid de ea fuerit ordinatum, per patentes nostras, nostrive Officialis literas ipsis legitime constiterit; nec permittimus Parochis, seu Vice-Parochis, ut de causis hujusmodi oppositionis, justæne sint, an injustæ, inquirant: id est, ne judicialiter cognoscant: etsi paterne, ut Pastor animarum ad directionem examinare secreto pro informatione possit, ne frivole aliquid opponatur, quod Canonicum non sit, sed fictum, vel ex errore natum, vel etiam e malitia depromptum; verum hæc actio omnis Pastoris, seu Vice-Pastoris erit, ut intra forum conscientiæ, & secreto nullam habens vim sententiæ seu consilii paterni. Ea enim, quæ ad forum contentiosum pertinent, volumus nostro, vel Officialis nostri judicio relinqui. Ipsi vero Parochi, seu Vice-Parochi tum impedimenti denunciatorem, tum desponsos coram Nobis, aut dicto Officiali nostro ad certum diem pro alleganda oppositionis causa citare, illisque literariam attestationem hujusmodi citationis cum causæ declaratione concedere teneantur.

XXX. Adhæc si post oppositionem de futuro Matrimonio semel factam, partes inter se conveniant, & impedimenti denunciator in ulteriores proclamationes, aut Matrimonii celebrationem consentiant: non tamen ob id Parochus ad Matrimonii hujusmodi contractum pergat, donec illi auctoritatem nostram, nostrive Officialis prædicti ea in re intervenisse literis probatum fuerit, idque propter corruptelas, quæ ex parte impeditorum intercedere possunt, dum denunciator pecunia corrumpitur, aut malis artibus ad silentium aut consensum inducitur: quandoquidem etiam adeo temerarii inventi sint in orbe, qui promissione adulterii consensum opponentis emerunt, & oppositionem Canonicam suppresserunt.

XXXI. Qui vero falsum impedimentum sciens, prudensque attulerit, quo Matrimonium futurum impediat, quique verum impedimentum sciens reticuerit, excommunicationis pœna vel alia arbitraria castigetur.

XXXII. Ut multis quoque periculis, quæ ex hominum malitia & fraude in Matrimoniis contrahendis provenire possunt, occurratur, inhibemus omnibus & singulis Pastoribus, eorumque vicem gerentibus sub pœna suspensionis a Divinis, ne ullos alterius Regni, vel Regionis, aut peregrinos, aut ignotos, aut incertis sedibus vagantes Matrimonio conjungant, nisi diligenti prius inquisitione facta, & re Nobis, nostrove Generali in Spiritualibus Vicario significata, a Nobis, seu dicto nostro Vicario licentiam (quæ non nisi prævia matura deliberatione concedatur) id faciendi scripto obtinuerint.

XXXIII. Quia coactæ nuptiæ tristia plerumque initia, & luctuosissimos exitus

exitus habent, Paſtores, ſeu Vice-Paſtores ante Matrimonii celebrationem tam Sponſum, quam Sponſam expreſſe interrogent, num lubenti animo, ſpontaneo, bene deliberato, nec non judicio mentis integro, non autem vi, aut metu parentum, tutorum, conſanguineorum, amicorum, aut aliorum coacti ad Matrimonium contrahendum procedant, ſicuti ſupra fuit mandatum. Quod ſi compererint alterutrum ad contrahendum vi adactum eſſe, nullo modo illos Matrimonio conjungant, neque alteri vices ſuas committant ſub pœna ſuſpenſionis a Beneficio & Officio Paſtorali. Eos vero, qui quovis modo directe vel indirecte ſubditos ſuos vel quoscunque alios cogunt, quo minus libere Matrimonia contrahant, ipſo facto anathemati, juxta Concilii Tridentini ſanctionem, volumus ſubjacere.

XXXIV. Laudabilis eſt hujus noſtræ Archi-Diœceſis conſuetudo, quod Matrimonia, & in Eccleſia, quæ Sacramentorum proprius locus eſt, & inter Miſſarum ſolemnia contrahantur. Quare cum Concilium Tridentinum ejusmodi conſuetudines optet retineri, præcipimus, ne quis absque ſpeciali noſtra, noſtrive Vicarii in Spiritualibus Generalis licentia eam transgredi audeat, alioqui arbitrio noſtro graviter puniendus. Quin & Paſtores, & Vice Paſtores doceant, conjugibus non tantum eſſe honorificum, ſed etiam utile, fauſtum & auſpicatum, ſi res ſacra, cujusmodi Matrimonium eſt, loco ſacro celebretur, & uberiorem Divinæ benedictionis fructum iis exſpectandum, qui pie ac religioſe ritum Eccleſiæ ſequuti fuerint, quam his, qui contempſerint.

XXXV. Quoniam intelligimus Parochos, ſeu Vice-Parochos quosdam in ſolemni celebratione Matrimonii nullam facere diſtinctionem inter primas nuptias, & ſecundas, ſtatuimus, ut juxta Canonicas ſanctiones, laudabilemque Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem & doctrinam, conjuges in ſecundis nuptiis non benedicantur, ſed tantum in primis: illæ vero nuptiæ cenſentur ſecundæ, (ut non benedicantur ſub pœna in jure expreſſa) quæ ſunt ſecundæ ex parte viri, & fœminæ ſimul, vel ex parte fœminæ tantum, quamvis ſint primæ ex parte viri, nec refert, an ipſa vidua ſecundo nubens ſit virgo, vel non, ſed an ſit ſemel benedicta: unde quæ ſemel nupſit, ſed ante benedictiones receptas vidua facta eſt, dum poſtea iterum nubit, benedicenda eſt; ſed quæ ſemel eſt benedicta, non eſt iterum benedicenda. Sicubi porro more receptum eſt, ut nuptiæ, quæ ſunt primæ ex parte fœminæ, & ſecundæ ex parte viri, benedicantur, id poteſt retineri.

XXXVI. Inſuper ut Sacramento Matrimonii ſuus honos conſervetur, ineptas illas conſuetudines de Sponſo poſt Sponſalium, & Matrimonii contractum magna cum petulentia, & Sacramenti irreverentia, manibus tundendo, eodemque Sponſo & Sponſa, dum finito Sacro apud Altare flexis genibus ſub Miſſali procumbunt, attollendis, in quibusdam noſtræ Archi-Diœceſis locis introductas plane abrogamus ſub pœna trium florenorum aureorum Rhenenſium transgreſſoribus imponenda, & menſæ pauperum loci applicanda, aliaque arbitraria.

XXXVII. Habeat unusquisque Paſtor, ſeu Vice-Paſtor librum, in quo conjugum, ac teſtium nomina, diemque, menſem, annum, & locum contracti Matrimonii ſuis ipſemet manibus juxta formulam ſupra poſitam accurate deſcribat, quem diligenter apud ſe loco clauſo ac tuto cuſtodiat, ut jam completus in Archivo Eccleſiæ aſſervetur. Quod ſi Sacerdos alius, Parochi, ſeu Vice-Parochi loco interfuerit Matrimonio, is tum ſuum nomen, tum illius, cujus facultate hoc fecit, exactiſſime eodem in libro annotet, nec unquam hoc Cuſtodi, vel Æditu, ut male hactenus pluribus in locis obſervatum fuit, permittatur. Præcipimus etiam Abbatibus, Præpoſitis, Archi-Diaconis, & Decanis Chriſtianitatum, ſeu Ruralibus, ut in ſuis Viſitationibus exhibendum hujusmodi librum diligenter inſpiciant: errores, ſi qui ſint, corrigendos curent, & ſi opus fuerit, negligentes & vitioſos, Nobis, ſeu noſtro in Spiritualibus Vicario Generali pro debita caſtigatione denuncient.

XXXVIII.

XXXVIII. Curati, & Vice-Curati frequenter suos subditos & auditores docere meminerint, tria in Matrimonio novæ legis bona secundum B. Augustinum & Concilium Florentinum reperiri, fidem, prolem, & Sacramentum; fidem quidem, quæ jus conjugii conservet perpetuum; prolem, ut Dei beneficio suscepta mutua benevolentia nutriatur, religioseque instituatur: Sacramentum autem, ut exemplo Christi, & Ecclesiæ connubii perpetuitas retineatur, conjugesque nunquam separentur, separatos vero quacumque de causa alienus torus non ante, quam mors alterutrum recipiat.

XXXIX. Quare districte inhibemus sub pœna arbitraria, eaque gravi, ne ulli conjuges auctoritate propria, non intercedente Ecclesiæ judicio, etsi causa legitima & jure permissa subsit, divortium attentent; aut se mutuo repudient, aliosque contractus, promissiones, juramenta, aut vota de seorsim vivendo inire, aut emittere præsumant: secus qui faxint, auctoritate Parochi, seu Vice-Parochi ad torum, & mutua obsequia redire moneantur; & si monitis hujusmodi obtemperare recusaverint, Archi-Episcopali nostra auctoritate ad id compellantur, nisi causam prætensi divortii allegaverint efficacem, de qua ordine juris cognitio ad Officialem nostrum pertineat.

XL. Sed cum intelligamus Matrimonia nonnunquam ligaturis perturbari, eorumque finem impediri, non obstante quod perniciosissimum hoc facinus severis excommunicationis, aliisque pœnis sit prohibitum. Nos eandem prohibitionem sub eisdem pœnis renovantes, gravioribusque hujuscemodi criminis reos plecti facientes, serio injungimus omnibus & singulis Civitatis & Archi Diœcesis nostræ Pastoribus, Vice-Pastoribus, & Concionatoribus, ut prædicti flagitii gravitatem sæpius populo inculcent, & excommunicatos esse denuncient, quotquot ejusmodi ligaturis, aut aliis quibuscumque maleficiis actum Matrimonii inter conjuges quomodolibet impedire conantur, cujus sceleris & excommunicationis absolutionem Nobis reservamus.

XLI. Denique severe inhibemus Curatis, & Vice-Curatis omnibus, ne in Nuptialibus conviviis circumeant mensas, excitando, & adhortando invitatos, ut liberaliter contribuant ad instruendam familiam novorum conjugum, vel gratias agendo pro donativo oblato, multo minus in iis choreas agant: hoc enim ut levitatem, ita istud manifestas, & Sacerdote indignas sordes sapit. In quorum fidem hasce literas manu nostra subscriptas, Sigilli nostri appressione muniri jussimus. Datæ in oppido nostro Bonnensi die 26. Septembris 1651.

Maximilianus Henricus
Archi-Episcopus & Elector Coloniensis.

Loco † Sigilli.

V. GEORGIUS PAULUS STRAVIUS Episcopus Joppensis, Suffraganeus Coloniensis, &c.

B. Holbeck.

MAXIMILIANUS HENRICUS, celsissimæ Princeps indolis ex Alberto VI. Bavariæ Duce, Comite Palatino Rheni, & Mathilde Landgravia Leuchtenbergica anno supra millesimum sexcentesimum primo ac vicesimo, VIII. Idus Octobris in lucem edebatur. Ut parentes Serenissimi fovebant ipsi & summa colebant assiduitate veram in Deum religionem: ita cura illorum perdia & pernox erat, eandem cum scientiis a puero ut filius hauriret: quod non sine immortali Alberti laude vel hodie posteritati loquitur *instructio* Præceptori, cum Duce juvene a. 1636. Coloniam Agrippinam studiorum causa abeunti data, & Sigillo Ducali, expressissimæ voluntatis indice, communita. Longum foret, catalogum qua monitorum saluberrimorum, qua præstantissimarum virtutum, quæ istic imperantur Maximiliano instillandæ, ab ovo hic loci exponere. Eum in oratione funebri a. 1688. die 17. Julii habita, pertexuit *P. Petrus Gazen* S.J. Ecclesiastes p.t. Metropolitanus.

Expectationi parentum & industriæ adamussim respondit filius, qui veluti in gremio virtutum Principe & futuro olim Archi-Episcopo dignarum & adolevit feliciter, &

& pari cum gloria conquievit. Tenerrimo semper in Magnam Dei Matrem amore exarsit, pressis Majorum suorum, maxime Boica de stirpe, vestigiis. Non exemplo duntaxat suo, sed panegyri etiam suopte Marte elucubrata, Sodales Parthenios, quorum cætui tertium apud Ubios præfuit, ad ejusdem B. Virginis cultum, supremi jam Antistitis dignitate fulgens, animavit. Ferdinando patruo ad Ecclesiæ Coloniensis gubernacula a. 1642. admotus *Coadjutor* & Urbani VIII. P.M. ex Urbe die 13. Dec. confirmatus literis, inter alia, quæ Archi-Diœcesi præstitit, beneficia ad decies & sexies centena millia dalerorum Coloniensium, æs Truchsesiano bello contractum, redditis ipsi apochis, remisit. Persolutis laudato Ferdinando exequiis, postridie in Æde Metropolitica a. 1650. VII. Kal. Nov. frequentissimo Ordinum Patriæ conventu, solenni pompa Archi-Episcopus [*ex communiori calculo LXIII.*] Coloniensis & S.R.I. Princeps Elector inaugurabatur. Fecit altero mox anno primum ad aram Bonnæ, Novoque post integrum seculum pietatis monumento, ritu solemni in Metropolitana Coloniensi Basilica sacram DEO Hostiam litavit, *Ernesto Landgravio Hassiæ & Eleonora Maria Solmensi* conjugibus Fidem interea Orthodoxam professis, Divinoque palam epulo recreatis. Ratisbona in Ditiones suas reversus, *Isabellam Amaliam*, Philippo Wilhelmo Palatino, Juliæ ac Montium Duci matrimonio junctam, Ecclesiæ nostræ reconciliavit, & sacro confirmavit Chrismate. Anno 1658. Francofurti in Imperii Comitiis Leopoldum Austriacum elegit XV. Kal. Aug. Romanorum Regem, eique XI. Kal., præsente Moguntino Archi-Episcopo, Coronam imposuit. Synodum, quam a. 1662. die XIII. Kal. Aprilis Coloniæ celebravit, monitis disciplinæ Ecclesiasticæ ad pristinum vigorem revocandæ aptissimis locupletem, infra dabimus.

Sensit Maximiliani liberalissimam manum Bonnense templum Soc. JESU, ad quod erigendum quinquaginta Imperialium millia ultro donavit. Pro Symbolo ipsi erat: *Pietate & Sapientia.* Eidem satisfecit quam cumulatissime, nisi quis proponsionem in Guilielmum Fürstenbergium, Gallis obstrictum, paulo majorem, ac patriæ infestam, vitio illi vertendam putet. Ad Infulas Coloniensem, Leodiensem & Hildesinam, quas eodem ferme tempore induerat, accedebat a. 1683. & Monasteriensis. Eas una cum vita simul omnes posuit Bonnæ a. 1688, cum annum ageret ab ortu suo 67. ab electione in Coadjutorem 45. ab inito Regimine 38. a suscepto Presbyteratus Ordine 37. Princeps justissimus, Pastor vigilantissimus, Præsul integerrimus, Pater patriæ amantissimus, JESU & MARIÆ addictissimus; cui Virgineæ Matri aliquot ante obitum annis totum se ita dederat: *In mancipium tuum me tibi dedico, consecroque, Virgo MARIA, hoc teste cruore atque chirographo. Maximilianus peccatorum coryphæus.* Fulget hic pretiosum e marmore sepulcrum Maximiliani Henrici e regione Sacrarii SS. trium Regum.

Vide sacr. Belg. Chronol. Castilionii & pluribus in locis Hist. Eccles. Germaniæ Tom. I. Conatum quoque Chronolog. Morckensii pag. 173. &c.

SYNODUS DIOECESANA RURÆMUNDENSIS,

Sub ANDREA CRUSENIO, (*) IV. ejusd. Diœcesis Episcopo, Anno Christi MDCLII. Innocentii X. Papæ IX. Ferdinandi III. Imp. XV.

CELEBRATA
DIE XXIII. SEPTEMBRIS.

DECRETA ET STATUTA in Congregatione Archi-Presbyterorum, Ruræmundæ habita.

Licet multa ac varia recte & sancte pro regimine Ecclesiarum in Conciliis Tridentino Oecumenico & Mechliniensi Provinciali & Congregationibus aliis Synodalibus

bus antehac per Prædecessores nostros Episcopos Ruræmundenses P. M. fuerint ordinata; tamen quia pleraque non observari, dolenter in Visitatione nostra animadvertimus, duximus esse statuenda seu renovanda, prout statuimus seu renovamus per præsentes ea, quæ sequuntur.

I.

PAstores, imprimis diligentes decorem domus DEI, Venerabile Sacramentum asservabunt in tabernaculo bene ornato, pyxide & ciborio nitidis; ardebit ante id lampas. Olea sacra reponentur in loco mundo, vasisque si non argenteis, ad minimum saltem stanneis, ab omni sorde liberis, haud quaquam æneis. In necessitate & summa paupertate Ecclesiæ, calix stanneus toleratur, dummodo sæpius mundetur. Altaria vestiantur, & debite ornentur sumptibus eorum, qui ad hoc tenentur; vitrinæ pariter & pavimenta reparentur, cistæ efferantur, & scamna earum loco reponantur; granaria & cubicula & cameræ amoveantur, in quantum necessitas & ratio temporis permittet.

II. Fiat Professio fidei ab iis, a quibus & in quorum manibus fieri debet, videlicet a Beneficiatis, Custodibus, Ludimagistris, Bibliopolis, Typographis, obstetricibus & noviter conversis hæreticis.

III. Defectu Pastoralis Ruræmundensis assumatur Romanum seu Mechliniense, donec imprimatur novum. Registra seu Matriculæ Baptizatorum & conjugatorum, prout & defunctorum sint libri probe compacti; non chartæ volantes, quibus inregistrentur debito modo baptizati, & conjugati una cum suis respective Patrino aut Matrina, vel ad summum Patrino & Matrina & testibus per ipsum Pastorem, minime vero per Custodem, qui etiam passim non suscipiet proles, nisi ad id a parentibus sit specialiter rogatus & designatus.

IV. Baptismus non conferatur ulla ratione extra Ecclesias Parochiales, in quibus tantum sunt constituti Sacri fontes, exceptis casibus in jure permissis: Obstetrices non admittantur ad

[*] Fuit ANDREAS CRUSENIUS Trajecti ad Mosam natalibus perquam honestis ortus, ac studia sua in bonis artibus tam gnaviter, feliciterque posuit, ut Magisterii Theologici lauream adipisceretur. E Cameracensi Canonico factus Archi-Diaconus, Decanus, ac Vicarius Generalis, inde virtutis ac præstantis scientiæ auxilio, Ruræmundensi Cathedræ Antistes a. 1651. die 10. Augusti datus, cogitationes mox suas, curasque omnes convertit, quo vitia in grege sibi credito emergentia, ocyus persanaret. Id quod Beneficiorum tenuium unione ad præscriptam a Synodo Tridentina normam effecit. Inde enimvero honesta Sacellanis, ut vocant, *curatis* sustentatio, & populo ruri agenti tum Sacrum matutinum, tum frequentioris Catechismi occasio procurata fuit. Aliis ut malis mederetur, Decreta, quæ hic loci recensemus, condenda duxit. Ecclesiæ huic Ruræmundanæ non ultra sex annos præerat, cum in dignitatem defuncti Jacobi Boonen, IV. Mechliniensium Archi-Episcopi subrogabatur a. 1657. Nonas Maji. Elegans morituro sibimet ipse Mausolæum erexit hoc ferme cum epitaphio:

ANDREAS CREUSEN
V. Mechliniensium Archiepiscopus,
Qui non timuit mortem a tempore,
Quia expectavit immortalitatem
A Resurrectione.
Ut beatam habeat, precare defuncto
Anno Christi MDCLXVI.
Ætatis LXXI.
Dignitatis
Episcopalis V. Archiepiscopalis IX.

Obiit Bruxellis die octava Novembris a. cit.

Vide plurimum Rev. & Cl. Joannis Knippenberghii Histor. Eccles. Ducatus Geldriæ Lib. VII. C. 3. & 4. Item Castillionii sacr. Belg. Chronol. P. II. pag. 500. ubi scribitur Andreas die 23. Julii consecratus Ruræmundensis Episcopus.

ad obſtetricandum, niſi prius edoctæ materiam & formam Sacramenti Baptiſmi, & Profeſſione fidei ac juramento præſtitis; infantes autem infra triduum deferantur ad Eccleſiam pro Baptiſmo, qui non conferatur, niſi adſint ii, qui ſunt prolem ſuſcepturi.

V. Pro Confirmationis Sacramento pueri inſtruantur, & habeant faſcias & Patrinum aut Matrinam, qui eos ſuſcipiat.

VI. In multis Eccleſiis nulla ſunt Confeſſionalia, & in aliquibus erecta ſunt nimis prope ſummum Altare, quæ transferantur ad navem, vel alium locum commodiorem. Non excipiantur autem confeſſiones præſertim fœminarum extra confeſſionalia, munita aſſerculo cancellato, & alio medio inter Pœnitentiarium & pœnitentem; nullo modo in tenebris.

VII. Paſtores non ſint difficiles in concedendo licentiam ſuis Parochianis, ut confiteantur alteri Sacerdoti ſæculari, ſeu regulari admiſſo; & is non obliget ſuos pœnitentes, ut ſemper ſibi confiteantur.

VIII. Paſtores, ſeu Capellani nunquam deferant Venerabile Sacramentum ad ægrotos, niſi induti ſuperpelliceo & ſtola, & comitante eum Cuſtode, pariter induto ſuperpelliceo cum campanula & lumine, & cum vicinis, ubi eſt laudabilis mos, ferentibus tædas, neque unquam redeant ad Eccleſiam cum inani pyxide.

IX. Quicunque cujuscunque Ordinis, ſeu conditionis non communicaverit in Paſchate in ſua Parochia, denuncietur Epiſcopo, ut, ſi legitimam excuſationem non habuerit, ab Eccleſia arceatur vivus, & mortuus Eccleſiaſtica careat ſepultura.

X. Concubinarii publici, prout uſurarii & palam inimicitiam gerentes non admittantur ad Eccleſiam, niſi reſpective dimiſerint ſuas concubinas, reſtitutionem fecerint, & pacem compoſuerint.

XI. Hortari debent Parochi ſuos ægros, ut non differant Extremam Unctionem uſque ad ultimum, quando jam intellectus & ſenſus uſu omnino ſunt privati; & adminiſtrantes dictum Sacramentum non omittant ſecum ferre Crucem.

XII. Ordinandi ad majores Ordines præter teſtimonium ſuorum Paſtorum, ſi ſint ſæculares, etiam exhibere debent factas proclamationes juxta Decretum Concilii Tridentini ſub pœna, quod rejicientur.

XIII. Nulli impoſterum admittantur ad Sponſalia, & ad Matrimonium contrahendum, niſi noverint formare ſignum Crucis, & recitare Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, decem Præcepta Decalogi, quinque Eccleſiæ, & ſeptem Sacramenta.

XIV. Magnus obrepſit error per Diœceſim, quod exiſtiment ſtatim a Sponſalibus licere ſibi concumbere absque ſolemnizatione alia Sacramenti Matrimonii prævia, quod plures etiam contrahunt coram alieno Parochio, & ſcientes talia illorum Matrimonia eſſe irrita, non contrahunt de novo: de utroque debent ſerio moneri, niſi velint in aliorum exemplum ſevere puniri.

XV. Quidam Parochi ſunt nimis faciles in copulando, non monito Ordinario, vagos, ſicuti & famulos & ancillas, qui non ſunt ſui Parochiani, neque animum habent ibi figendi domicilium, & conſequenter deberent dimitti, & proclamari a proprio Parocho.

XVI. Peccant graviſſime parentes permittendo, quod filii, & filiæ grandiores concumbant, ligna in ſylvis colligant, paſcant ſimul greges, exponentes ita ſuas filias magno periculo inceſtus, corruptionis & æternæ damnationis.

XVII. Conjuges non pauci ſeparant ſeſe ab invicem cum ſcandalo, & ſine authoritate Superioris; alii adulterantur; alii permittunt proles ſuas cohabitare hæreticis cum manifeſto periculo perverſionis.

XVIII. Nullo modo permitti debet, ut Catholici copulentur cum hæreticis, aut econtra, neque quod hæretici ſint patrini vel matrinæ prolium Catho-

Catholicorum; & licet alia Matrimonia permittantur in terris, in quibus Catholici vivunt mixtim cum hæreticis; in ditionibus tamen Regis Catholici non datur illa libertas: quare etiam in posterum nulli copulabuntur, nisi confessi, communicati & sub Missa.

XIX. Satagant Parochi, ut hæretici obstinati abigantur, sicut lupi ab ovibus per bonos Pastores arceri debent; & si committant aliquod scandalum, statim illud deferant ad Episcopum, cui quamprimum Archi-Presbyteri transmittant nomina, cognomina, & statum hæreticorum omnium sui respective districtus.

XX. Non permittant unquam Regulares in suis Ecclesiis Parochialibus seu Capellis prædicare, confessiones excipere, mendicare, aut quolibet modo stationes suas habere sine expressa licentia, ab Episcopo obtenta in scriptis, & ipsis Parochis exhibita.

XXI. Pastores defectu Lectionis Catechisticæ pro instructione sui populi sub concione diebus Dominicis recitabunt tractim, & intelligibiliter in lingua vernacula Orationem Dominicam, Symbolum Fidei, Præcepta Decologi, Ecclesiæ, & septem Sacramenta: ubi vero habetur Lectio Catechistica, examinent diligenter, utrum majori cum fructu illa possit institui post Vesperas, & non post Missam matutinalem, in qua rari comparent pueri.

XXII. In omnibus locis, in quibus fieri potest, convenit omnino, ut introducatur pro salute populi Missa matutinalis & Lectio Catechistica & ad hoc uniantur Beneficia simplicia, contribuant Confraternitates, Mensæ pauperum, & communitates de mediis congruis provideant: in quem finem possent etiam Sacerdotes assumi in Custodes, prout in multis locis practicatur.

XXIII. Ad impediendum lusus puerorum, frequentationes tabernarum & compotationes adolescentum & puellarum in multam noctem ac tripudia, per quæ exponitur magno periculo puellarum pudicitia, & plurima committuntur peccata, præstaret in omnibus Parochiis cantari Vesperas & Laudes, & doceri Catechismum, ad quem obligantur parentes mittere filios suos & filias, cogendi etiam ad hoc per Magistratus sæculares.

XXIV. Scandalosum est post Evangelium exire & negligere concionem, & longe pejus non redire ad Missam, absumere etiam Credo, Præfationem & Orationem Dominicam in Missa cantata, & tuncare alia, est prorsus contra ritus & cæremonias Ecclesiæ, ac proinde ne inposterum hujusmodi fiant, districte prohibetur.

XXV. Neque ulla ratione permitti debet, ut tempore Divinorum Officiorum frequententur tabernæ, & ita se ingurgitent vino adusto, ut tota die sint inutiles ad serviendum Deo: quare tabernæ eo tempore sub gravi pœna claudi debent; sicuti & officinæ omnes, ne fiant nundinæ & publica monopolia.

XXVI. Processiones cum armis & bombardis & aliis distractionibus non probantur; illæ autem, quæ sunt superstitiosæ & potius in dedecus, quam in Sanctorum honorem, debent de toto abrogari, & longiores abbrevientur, ne devotio populi tepescat, & occasiones dentur compotationibus, rixis & scandalis.

XXVII. Proclamationes forenses & denuntiationes quarumcunque venditionum seu rerum venalium, seu citationes & monitiones ad solvendum debita, vel similes actus judiciales nequaquam deinceps permittantur fieri in Templis, quæ sunt Domus Orationis, sed extra Templa, in locis profanis, ac Officiis Divinis jam peractis.

XXVIII. Pastores non recipiant in suos Parochianos advenas, nisi testimoniales exhibuerint ultimi sui Pastoris; defectu cujus denuntientur Episcopo, ut ad id compellantur, vel aliter desuper provideatur.

XXIX. Reddantur singulis annis computus Ecclesiarum, Mensarum pauperum, Fabricarum, Hospitalium & Confraternitatum, ad quas non admittantur hæretici.

XXX. Archi-Presbyteri ad minus semel quotannis celebrabunt sua Capitula, in quibus examinabunt separatim singu-

ſingulos Paſtores ſuper criminibus publicis, ſtatu Eccleſiæ, Regiſtris bonorum, de Ludimagiſtro, Cuſtode; informabunt etiam, cui Paſtor confiteatur & quoties, an legat Breviarium, an habeat libros neceſſarios, quo habitu utatur, an ipſi & Capellani non dent pravum exemplum, an Capellani non habitent in tabernis, agantque ſubinde tabernarii vices, aliaque faciant, quæ perſonam Eccleſiaſticam non decent, ſi non ſint dediti venationi, alantque columbas in campanili ſeu tectis Eccleſiæ cum damno publico ac contradictione Parochianorum, an non nimis familiariter converſentur cum fœminis ſuſpectis de incontinentia, an domos ſuas interteneant ſartas tectas, an non ſint ebrioſi, & aliquando ita potu obruti, ut non poſſint adminiſtrare Sacramenta cum ingenti præjudicio & jactura animarum.

XXXI. Ne fiat exceſſus in exigendo accidentia, ſeu, quæ vocant, jura Stolæ, Paſtores & Capellani in pagis ſervabunt ſequentem Ordinationem, videlicet pro Baptiſmo & regiſtratione accipient tres aſſes Brabanticos, & Cuſtos mediam partem; pro adminiſtratione Venerabilis Euchariſtiæ tres aſſes pariter Brabanticos, & ſi Extrema Unctio adminiſtretur ſeparatim, totidem.

XXXII. Pro Sponſalibus, proclamationibus & ſolemnizatione Matrimonii & inregiſtratione accipient a Nobilibus & ditioribus ducatum aureum, a mediocribus triginta aſſes Brabanticos, & Cuſtos duodecim aſſes; ab iis vero, qui ſunt tenuioris fortunæ, ſex aſſes, & Cuſtos duos; a pauperibus vero vel nihil, vel admodum parum pro charitate, qua in illos ferri debent.

XXXIII. Pro purificatione puerperæ a divitibus ſex aſſes & a mediocribus mediam partem. Pro Sepultura, Exequiis, Miſſa, Vigiliis & Commemorationibus ordinariis accipient imperialem & Cuſtos quartam partem, pro officiis aliis extraordinariis, ad Nobilium & ditiorum inſtantiam fieri conſuetis, pro rata, & proportionaliter ad ſupradicta.

XXXIV. Pro Miſſa votiva ſeu defunctorum ſolenni cantata duodecim aſſes, & Cuſtos tres. Pro Miſſa lecta ſex aſſes, & ſi Sacerdos veniat ex loco remotiori, octo aſſes ſemper & ubique Brabantinos.

XXXV. Pro ſepultura parvulorum ſex aſſes, neque amplius pro omnibus functionibus ſupradictis per modum ſtipendii poterunt exigere, ſed bene recipere, ſi fidelium liberalitas ad quid amplius ſe extendat. Jura Sacellani ſunt comprehenſa in iis, quæ ſolvuntur Paſtori.

XXXVI. In Civitatibus vero ob diverſos uſus & conſuetudines Eccleſiarum diverſæ quoque ſtatuentur ſuo tempore hujusmodi jurium moderationes & taxæ.

XXXVII. Populus ſumma laborat ignorantia circa Sacramentum Pœnitentiæ, ita, ut plerique non dent Confeſſario, dum confitentur, materiam abſolutionis: quare in catechiſatione & in ipſa confeſſione diligenter inſtruendus eſt, quomodo & quando ſuas confeſſiones inſtituere debeat: ut & pueri & puellæ ſunt catechizandi, antequam communicare in Paſchate incipiant.

XXXVIII. In Feſtis Dedicationis & aliis Feſtis Patronorum omittuntur Veſperæ, & alia Officia, ut liberius poſſint vacare ſympoſiis magno cum ſcandalo, vel tam obiter & celeriter peraguntur, ut præſtaret illa omitti.

XXXIX. In quibusdam locis pulſus matutinus, meridionalis & veſpertinus fit cum tintinnabulo; fiat impoſterum cum majori campana, ut ab omnibus audiri poſſit.

XL. Beneficiati, qui de jure aut de conſuetudine ad perſonalem reſidentiam obligantur, reſideant; alii vero ſuas Miſſas curent exonerari, Altaria debite ornari, & alia fieri, ad quæ tenentur ratione Beneficii ſub pœna ſuſpenſionis a Beneficio & officio, & inpoſterum omnes Beneficiati in admiſſione ſua jurabunt, quod nihil promiſerint aut dederint directe aut indirecte, pro conſecutione Beneficii, Patronis, aut aliis quibuscunque. Curabunt etiam Archi-Presbyteri, ut ſolvantur jura abſentiæ, Cathedraticum, & recogni-

cognitiones impositæ unionibus, & fructus extra tempora, rationem de iis suo tempore reddituri. Nemo etiam solvat pensionem aliquam de suo Beneficio sine legitimo consensu Superioris sub pœna privationis.

XLI. Optandum summopere esset, ut possent præsertim in oppidis erigi Scholæ Dominicales ad juventutem instruendam, & avertendam eam a lusibus, tripudiis & compotationibus: salaria pro Ludimagistris possent sumi a mensis pauperum, & Confraternitatibus: non minus necessarium esset Seminarium, si posset inveniri modus repartitionis faciendæ inter Ecclesiasticos, prout fit in aliis Episcopatibus.

XLII. Non est ferendum, quod bona pauperum, Ecclesiæ, fabricæ, Confraternitatum ac Hospitalium tam male administrentur a Laicis, illa vili pretio elocando, & fructus vendendo iis ipsis, seu propinquis & amicis eorum, qui eadem regunt & administrant: qua in re est Pastoribus maxime vigilandum, & congruum tanto malo quærendum remedium.

XLIII. Registra prædictorum bonorum pro eorum conservatione renovanda sunt singulis decenniis cum suis limitibus & conterminis; & dicta bona elocanda non ultra triennium aut tempus a jure statutum, & aliis elocariis, quam ipsis administratoribus seu suis consanguineis.

XLIV. Magnus abusus in Diœcesim irrepsit in violando jejunia, abstinentias, & festa, super quibus etiam Laici temere ponentes manum ad incensum non verentur dispensare.

XLV. Quærendum est remedium contra usurpantes bona, jurisdictiones, res, jura, fructus & redditus Ecclesiarum seu locorum quorumvis piorum: interim populo sæpius legatur & explicetur per Concionatores Decretum Concilii Tridentini *Sess.* 22. *Cap.* 11. *de Reform.* contra hujusmodi occupatores.

XLVI. Pastores & alii Ecclesiastici non pauci immemores sui status & regalis Sacerdotii, vestiti incedant more sæculari & cum capillitio militari non gestantes coronam, nec per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam, juxta modum iis præscriptum in Synodo Mechliniensi *Titulo* 18. *Cap.* 4. ostendentes.

XLVII. Alii, quod turpius est, agunt Mercatores, Colonos, Factores seu Receptores sæcularium & inhiant lucris temporalibus, per quæ præterquam quod plurimum derogent suæ dignitati, & vituperetur ministerium eorum, etiam sibi maximum odium conciliant suorum Parochianorum.

XLVIII. Statuetur pœna & mulcta in eos, qui bestias suas immittunt in Cœmeteria, & similiter in eos, qui irreverenter assistentes Divinis, utuntur Altaribus pro suis fulcris.

XLIX. Non exorcizent personæ laicæ seu Ecclesiasticæ, Sæculares seu Regulares sine particulari facultate & licentia Episcopi.

L. Nulli ponantur Ædiles, Ludimagistri, Rectores Confraternitatum, mensarum pauperum, aliorumque piorum locorum & fundationum Provisores, nisi cum consensu Pastorum.

LI. Parochiani habitantes in dissitis ab Ecclesia Parochiali locis, utpote circa Capellas & appendices, ut debito cum honore & reverentia iis ministrentur Venerabile Sacramentum Eucharistiæ & Extrema Unctio, mittent Pastori carrucam, prout multis locis laudabiliter observatur.

LII. Nulli Sacerdotes sæculares aut Regulares possint dicere Sacrum in ædibus privatis, nisi ad id sint sufficienti facultate, Episcopo exhibenda, muniti.

LIII. Pastores ut complaceant quibusdam personis negligentioribus, nequaquam mutabunt horam Missæ, quæ fiat tempore per Congregationes Synodales statuto, ita ut omnes sive primæ, ubi ea est, sive secundæ commode possint interesse.

LIV. Computus Testamentorum & domorum mortuariarum debent infra annum reddi coram Episcopo, seu ejus Officiali, aut alio ad id deputato.

LV. Moniales cujuscunque Ordinis seu Religionis ante investitionem &

& professionem examinentur ab Episcopo, seu ejus Vicario, aut alio ad id deputato juxta Decretum Concilii Tridentini *Sess.* 25. *Cap.* 17.

Quæ ita ordinata, statuta ac decreta in Congregatione Archi-Presbyterorum supradicta mandamus ab omnibus & singulis, ad quos ea pertinent, inviolabiliter observari. Actum Ruræmundæ 23. Septembris 1652.

(L.S.) *ANDREAS Episcopus Ruræmundensis.*

Ex Knippenberghio cit.



SYNODUS DIOECESANA MONASTERIENSIS,

Sub CHRISTOPHORO BERNARDO a GALEN, (*) *LVII. Monasteriensi Episcopo,*

Eodem anno Christi MDCLII.

DIE XV. OCTOBRIS

CELEBRATA.

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI GRATIA ECCLESIÆ Monasteriensis electus & confirmatus Episcopus, Sacri Romani Imperii Princeps, Burggravius in Stromberg, Dominus in Borckelohe &c. Universis & singulis Cathedralis nostræ Ecclesiæ, Monasteriorum & Collegiatarum, Parochialiumque Prælatis, Abbatibus, Præpositis, Prioribus, Decanis, Canonicis, Rectoribus, Curatis & non Curatis, aliisque Personis Ecclesiasticis, Civitatis & Diœcesis nostræ Monasteriensis, Salutem in Domino sempiternam.

CUm oculos nostros in viciniora loca, quæ hanc a DEO Nobis commissam Diocesin undequaque ambiunt, conjicimus, videmus inter eos Nos versari, qui, sicut a Religione Orthodoxa sunt alieni, sic curiose ac serio, in vitam & vitia, Cleri præsertim, semper intendunt, magnam existimantes se nactos occasionem sive veræ fidei evertendæ, sive conversionis impediendæ, si auditoribus suis pleno ore proponere possint, quam parum vita Cleri & Pastorum cum doctrina & professione concordet, unde fit, ut authoritas sanctæ Fidei periclitetur, & eorum nomen fœteat, qui Christi bonus odor esse deberent in omni loco. Nos itaque, qui pervigilamus, tanquam Deo rationem reddituri de animabus vestris, de vita, etiam de moribus & administratione vestra, illud præ cæteris ex animo optamus, ut vos, qui in adjutorium & partem oneris Angelicis humeris formidandi, Nobis Divino munere electi & adjuncti estis, verbo, facto, exemplo & conversatione illud exprimatis, quod populus Nobis ac vobis, suo tamen ordine, commissus tuto ac libenter sequatur; facietis autem uti clementissime confidimus non minori nostro gaudio, quam vestro merito, ac animarum fructu, si ad ea, quæ prælegentur Decreta, animum diligenter adverteritis, & ad eorundem executionem ac observantiam Nobiscum DD. Prælati & Archi Diaconi, sicut se obligatos agnoscunt, collaboraverint.

Sunt autem tenoris subsequentis:

IMprimis ad compescendos, seu abolendos abusus, & indecentia quæcunque, in quantum possumus, Sacrosancti Concilii Tridentini Decreta, tam doctrinam Fidei, quam reformationem vitæ ac morum respicientia, alias ab Antecessoribus nostris vobis insinuata, de consilio & assensu Venerabilium D. D. Præpositi, Senioris, Præsidentis, & Capituli Ecclesiæ nostræ Cathedralis præsentibus, vobis omni-

(*) Vide sub finem Synodi.

omnibus & singulis supraſcriptis iterum & ſerio inſinuamus, ac vos nihilominus monemus, & requirimus, vobisque & veſtrum cuilibet, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus.

Quatenus omnes, & quascunque ſuſpectas mulieres, non ſolum domibus veſtris, ſed etiam civitatibus, oppidis, & pagis ita a vobis excludatis, ut veriſimiliter nihil ſiniſtri poſſit, aut valeat de iisdem, aut vobis in ſuſpicionem trahi.

Atque hunc in finem edictum de amovendis ſuſpectis mulieribus a Nobis anno ſuperiore emanatum, & in ſuperioribus Synodis ex hoc loco publicatum, denuo vobis inſinuandum duximus, & inſinuamus.

Quia etiam nonnulli reperiuntur, quod cum horrore dicimus, qui toties moniti, ſæpius mulctati, concubinas ad ſe recipere præſumpſerunt, vel adhuc in domibus ſuis, pagis, & vicinis locis admittunt, fovent & frequentant, Edicto ſuperiore in ſuo robore permanente, per præſentes dicimus & declaramus, ſi qui poſt has Edicti publicationes in tali, ac tam ſcandaloſo crimine deprehenſi fuerint, eos privilegio & licentia teſtandi, quomodocunque ea obtenta & conceſſa fuerit, per hoc excidiſſe, nec eorum teſtamenta, ultimas diſpoſitiones & conſtitutiones, ſive in Camera Sigilli, ſive in Cathedrali & Collegiatis effectum & robur ſortituras eſſe.

Item a crapula & ebrietate diligenter abſtineatis, & vino vobis temperetis, nec ad bibendum quispiam incitetur, cum ebrietas inducat mentis exitium, & libidinis provocet incentivum.

Inſuper tabernas publicas, niſi forſan in itinere conſtituti, nullatenus viſitetis.

Ludos taxillorum & alios actus illicitos non frequentetis.

Uſuras, Simoniam, Officia, & Commercia ſæcularia per vos, & alios non exerceatis.

Conſpirationes contra vos invicem, & maxime contra Prælatos & Majores veſtros non faciatis.

Tonſuram, & veſtes Clericales ultra genua propendentes, geſtetis, quas ſi non habetis, intra triginta dierum ſpatium easdem vobis procuretis.

Atque cum hoc DD. Prælatos, Archi-Diaconos, aut quoscunque Eccleſiarum Superiores requirimus, eisdemque in virtute S. obedientiæ per hoc noſtrum Edictum ſerio mandamus, ut ſicut a ſibi ſubjectis Clericis omnem in veſtitu levitatem, & curioſitatem arcere debent, ſic honeſti & Clericalis habitus geſtationem, tam intra, quam extra civitatem, tum exemplo, tum mulctis, ſuſpenſione ab Ordinibus, Officio, Beneficio, ac fructibus, reditibus ac proventibus ipſorum, vel etiam, ſi continuata, poſt unam alteramve monitionem, in nonnullis contumacia deprehendatur, gravioribus cenſuris introducere ſatagant, realiter & cum effectu. Alioquin Nos, eorum negligentiam non tantum ſupplebimus, ſed etiam conniventiam pro culpæ qualitate puniemus.

Requirimus etiam cum hoc dictos DD. Prælatos, & Archi-Diaconos, ut in ſuis Eccleſiis & diſtrictibus, beneficia Eccleſiaſtica habentes ad ſacros Ordines jubeant promoveri, ſicut exigit tenor fundationis & ratio beneficiorum.

Novelli Sacerdotes ſæculares Primitias ſuas celebrare non præſumant, niſi prius coram Vicario noſtro, vel aliis ad hoc nominandis, ſpecimen dederint, quod in cærimoniis Miſſæ juxta Rubricas novi Miſſalis ſint bene & ſufficienter inſtructi, & exercitati.

Beneficiatos quoscunque, qui ſe a ſuis Beneficiis hucusque abſentarunt, & abſentant, ad perſonalem reſidentiam cogant, & inducant; ſic quod nullus Beneficiatorum intra Monaſterienſem Diœceſin, a perſonali reſidentia ſui Beneficii ſine legitima cauſa, & absque ſpeciali licentia noſtra, aut ſui Prælati ſe abſentare præſumat: Alioquin negligentiam ipſorum Prælatorum ſupplere volentes contra ipſos delinquentes, & perſonaliter non reſidentes, prout juris fuerit, procedemus.

Atque hunc in finem renovamus, & inſinuamus vobis Edictum de Reſi-

dentia anno 1651. a Nobis emanatum, & in Synodo ex hoc loco vobis insinuatum.

Cum vero paucos huic nostro Decreto paruisse deprehendamus, dicimus, & declaramus per præsentes, omnes eos (juxta S. Concilii Trident. Decretum) qui infra sex menses, post publicationem & insinuationem factam ad residentiam personalem in locis beneficiorum suorum se non qualificarunt, quarta parte redituum, sive annuarum obventionum per Pastores colligenda, & cum consilio Superiorum ad pios usus applicanda, privandos esse, & nihilominus post lapsum sex mensium (hoc est ante proximam Synodum autumnalem hujus anni 1654. (*)) proxime ab insinuatione subsequentium, si contumaciter nihilominus abesse præsumpserint, ad privationem beneficiorum, juxta dicti S. Concilii dispositionem, procedendum esse, prout privamus, & ad privationem respective procedi faciemus, realiter & cum effectu, nisi cum eis fuerit legitimé dispensatum. Volumusque, ut hæc nostra declaratio Pachtariis, Decimariis, Pensionariis &c. ex ambone per Pastores publicetur.

Requirimus DD. Archi-Diaconos, ut diligenter & serio advertant in eos, qui clandestina Matrimonia contrahunt, & propriis Pastoribus irrequisitis, & neglectis, coram aliis, sive intra sive extra Diœcesin, fidem matrimonialem sibi invicem dare præsumunt. Unde non tantum sic contrahentes puniendi sunt, sed etiam ad separationem contra hujusmodi erit procedendum, usque dum coram proprio Parocho, vel alio ad id specialem potestatem habente, consensum repetant.

Atque ut hæc omnia melius curentur, Pastorum erit ad minus semel in anno Decretum S. Concilii Trident. *Sess.* 24. *de Reformat. Matrimonii*, germanico idiomate Decretis Synodalibus, aut novæ Agendæ, brevi nostro jussu imprimendæ adjunctum, populo prælegere, eundemque de impedimentis in jure Canonico, & Agenda Monasteriensi expressis, instruere. Et quidem, nisi gravis ratio aliud suadeat, commodum videtur, ut ab omnibus id fiat Dominica prima post Octavam Epiphaniæ, cum de Nuptiis in Cana Galilææ Evangelium prædicatur.

Monemus insuper Provisores, & Structores Ecclesiarum & Capellarum, quos per vos, & quemlibet vestrum sub pœnis antedictis moneri præcipimus, & mandamus, quatenus opportuno tempore Ecclesias, Capellas, Cœmiteria, violatas & violata, Altariaque dotata, & nondum consecrata: neque benedicta aut reconciliata reconciliari, & consecrari procurent, realiter & cum effectu.

Altaria vero, quæ neque dotata, neque consecrata sunt, & ornari propter Ecclesiarum inopiam non possunt, prout & imagines quascunque deformes, mutilatas, aut etiam non satis approbatas amoveri, atque ad tabulatum, vel supra fornicem Ecclesiarum extra conspectum populi collocari mandamus.

Circa Altarium vero amotionem, cum ea tam multis & sacris cærimoniis, Deo, unctione Episcopali consecrata sint, nihil attentari volumus, sine licentia nostra, aut Vicarii nostri Generalis, a quo modum petere licebit, quomodo religiose & debite talis Altarium amotio facienda sit.

Requirimus omnes & singulos etiam Testamentarios & Executores Testamentorum, Beneficiatorum, Defunctorum, & quarumcunque Personarum Ecclesiasticarum Civitatis, & Diœcesis Monasteriensis, quatenus Sigilliferum Curiæ nostræ prædictæ, de bonis Testatorum inventis, infra mensem, de dispositione eorundem bonorum inventorum, infra annum, post obitum Testatoris immediate sequentem, certificent & informent, eique rationem reddant, ut tenentur. Alioquin contra eosdem, prout de jure poterimus, Censura Ecclesiastica mediante, procedemus, & Manufideles, sive Executores Testamentorum, sive ultimarum voluntatum, illorum, qui ultra annum decesserunt, & dicto Sigillifero nostro de bonis Testatorum per eosdem inventis, nondum computum reddi-

[*] Quo nimirum, jussu Reverendissimi, typis mandabatur hæc Synodus.

reddiderunt (licet tamen per Nos, & noſtra mandata ad hoc ſæpius fuerint requiſiti) pœnam arbitrariam incidiſſe declaramus.

Monemus interim & ſub conteſtatione Divini judicii inculcamus omnibus & ſingulis Clericis, ut in teſtamentis condendis meminerint Deo, Eccleſiæ, & pauperibus gratam vicem eſſe reddendam, ut, ſi quæ eorum gratia & beneficio bona conquiſita ſunt, Teſtatorum liberalitate ad eosdem ex majori ſaltem parte recurrant, nec putent ii, qui ſpuriis ſuis ſub alimentorum, dotis, aut titulo fiduciariæ inſtitutionis, aut alio amplam hæreditatem, ſplendidas domos, fundos, bona immobilia, monumenta ſcilicet impuritatis, & incontinentiæ æterna impendunt, DEI, Eccleſiæ, pauperumque vix memores, ſe peccati mortalis reatum, Dei vindictam, noſtram etiam cenſuram, juſtitia & conſcientia ita dictante, evitaturos, cum in deteſtationem damnati coitus lex diſponat, ut ſit ſupplicium hoc parentum, ut agnoſcant, ſpurios præter alimenta ſtatui congrua ex bonis nihil habituros.

Inſuper requirimus, & in Domino adhortamur omnes & ſingulos Dominos Abbates, Priores, Præpoſitos, Decanos, Archi-Diaconos, & alios quoscunque de jure vel conſuetudine, jurisdictionem & ſubditos habentes, conjunctim & diviſim, quatenus infra menſis ſpatium a dato præſentium proxime & immediate ſequens, exceſſus culpabiles ſuorum ſubditorum, præſertim circa violationem dierum Feſtorum, & transgreſſionem mandatorum Eccleſiæ, qui durantibus ſuperioribus bellis valde ſcandaloſe irruperunt, corrigant, errantium correctionem & ſalutem, non vero mulctam præ oculis habentes. Quod ſi tamen mulctam neceſſitas, vel ſcandali ratio exigat, non minus qualitas exceſſus, quam ſtatus excedentium in conſiderationem trahatur, & tum ſe correctionis fructum ſperare poſſe confidant, ſi ad pios uſus mulctæ convertantur.

Inhibemus etiam univerſis & ſingulis Eccleſiarum Parochialium, & Capellarum Rectoribus, ne aliquis Monachos, cujuscunque ſtatus & Ordinis fuerint, & Presbyteros extraneos ignotos in ſuis Eccleſiis & Capellis admittat ad Divina, niſi primitus per Nos, ſive noſtrum Vicarium in Spiritualibus fuerint approbati & admiſſi, & de eorum admiſſione per patentes literas ſigillo Curiæ noſtræ Monaſterienſis antedictæ ſigillatas, legitime conſtiterit.

Inſuper mandamus vobis Rectoribus Eccleſiarum ſæpedictis, ac Clericis, ut intra Miſſas & alia Divina Officia religioſe, ut decet, ſitis induti, ſacrum Miſſæ Officium, prout in duabus ſuperioribus Synodis mandatum eſt, juxta eas cæremonias, quæ in novo Miſſali Monaſterienſi præſcribuntur, citra obligationem, diebus etiam ferialibus per hebdomadam in Eccleſia tantum, & non in domibus privatis ſine expreſſa noſtra, & in ſcriptis obtenta licentia peragatis. Et ſi qui iisdem cæremoniis in celebrando ſe non accommodaverint, a celebratione ſuſpendantur, niſi cum iisdem in ſcripto deſuper fuerit diſpenſatum.

In Miſſis publicis & privatis, quæ non fiunt pro defunctis, poſt ultimam Collectam in fine Miſſæ ante concluſionem addantur verba illa: *Et famulum tuum Antiſtitem noſtrum CHRISTOPHORUM BERMARDUM, & omnes illi commiſſos, ab omni adverſitate cuſtodi, & pacem tuam noſtris concede temporibus.* NB. niſi concluſio ultimæ Collectæ id non admittat; quod etiam non intermittent Religioſi, & quomodolibet exempti.

Optamus & hortamur omnes Superiores, Paſtores, & Concionatores, ut præter ſupremum Dei cultum, & ea, quæ ad Chriſtianam perfectionem pro ſtatus & vocationis ratione pertinent, devotionem erga Beatiſſimam Virginem MARIAM, S. Angelum Cuſtodem, S. Paulum, S. Joſephum Nutritium Chriſti, qui Patronus eſt ſingularis agonizantium, S. Ludgerum Proto-Epiſcopum Monaſterienſem, & omnes Sanctos in animis ſubditorum plantare, conſervare & promovere ſtudeant.

Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pure, nitide, religioſe & reverenter, lampade ante Tabernaculum ſemper accenſa, aſſervetur, tractetur,

& ad ægros cum ardenti lumine, & superpelliceis & campanula deferatur.

Ad exteriorem cultum & reverentiam, quam Christo in hoc eodem Sacramento præsenti debemus, spectat Sacerdotalium indumentorum, Altarium & calicum mundities & nitor congruus, optamusque, ut restituta jam pace calices, si non ex integro, saltem in cuppa argentei sint, & intus deaurati. Idem de Ciboriis & Tabernaculis sive Ostensoriis intelligendum putamus.

Processiones cum Sanctissimo Sacramento non habeantur per circulum cœmiterii, nisi in quatuor anni summis Solemnitatibus, Festo & Octava Corporis Christi, & solemnioribus Processionibus Civitatum & Parochiarum. Quando vero sunt preces decem aut quadraginta horarum, Indulgentiæ, Patrocinium, sufficiet, si exposito SSmo Sacramento in Altari, & omissa aut habita Processione, coram eo flexis genibus dicantur Litaniæ de omnibus Sanctis. Unde quod Processionem, & Stationes attinet, stari potest laudabili consuetudini, & dispositioni Superiorum cujusque loci.

Pastorum est, male habentibus non in vita tantum & bona valetudine, virtutes & vitia, gloriam & pœnam præparato & zeloso animo proponere, sed vel maxime in mortis articulo assistere; hinc & sua sponte, magis autem invitati & requisiti nihil circa Sacri Viatici & Extremæ Unctionis administrationem, aliaque, quæ moribundos pro æternitate certantes adjuvare possunt, culpabiliter & negligenter intermittent. Gravamus etiam cum hoc conscientias Archi-Diaconorum, eosdemque coram Deo requirimus, ut Pastorum & Curatorum negligentiam nimis notoriam, præsertim in Extrema Unctione introducenda & administranda, omni modo conentur emendare.

Conveniens etiam est, ut pro aliarum Diœcesium & Ecclesiarum ritu, Festum Dedicationis & Patroni cum Octava in singulis quibusque Ecclesiis celebretur, quod & Nos in publicis & privatis Officiis juxta rubricam Breviarii Monasteriensis, & morem solemnium Octavarum ab omnibus fieri volumus & mandamus. Et ut vel maxime unio omnium nostræ Diœcesis Ecclesiarum cum Ecclesia Cathedrali ceu Matre melius agnoscatur, visum est, ut juxta S. Romanæ Ecclesiæ dispositionem Festum Dedicationis Ecclesiæ nostræ Cathedralis in hac nostra Civitate Monasteriensi ab omnibus cum Octava; extra vero Civitatem ipsa Dedicationis dies in Choro aut Horarum lectione celebretur, translato aut anticipato S. Hieronymi festo.

Processiones speciales Parochiarum ruralium, quæ ad multas horas protrahuntur, & post medium noctis inchoantur, ne onerosæ sint, & ex quorundam malitia periculosæ, contrahantur, tollantur abusus, & ea, quæ fere sine scandalo, aut superstitione vix fiunt.

Insuper curandum, ut populus instruatur, in quo consistat vera devotio, quæ in Processionibus requiri solet.

Et quia ingratum est Deo, quicquid ei obtuleris, neglecto eo, ad quod teneris, curandum a Pastoribus, ne per longarum processionum & concionum fastidia, præceptum Ecclesiæ de Sacro diebus Festis audiendo a multis negligatur, prout plerisque in locis fieri dolenter inaudimus.

In casibus, in quibus pœnitentes ad Superiores remitti debeant, eos studeatis diligenter informare, agentesque pœnitentiam solemnem in die Jovis sancto ad Ecclesiam nostram Monasteriensem reconciliandos transmittatis.

In casibus autem occultis Nobis, seu Episcopo reservatis, renovamus, & per præsentes confirmamus privilegium & gratiam a gloriosæ memoriæ Prædecessoribus nostris ERNESTO & FERDINANDO Pastoribus & Curatis concessam, ut omnibus liceat pœnitentes subditos absolvere.

In publicis autem & notoriis, vel qui ad forum externum deducti sunt, nemo se immisceat, nisi qui licentia speciali aut privilegio munitus extiterit.

Catechismum D. Petri Canisii diebus Dominicis, ac Festivis juxta modum, & formam præscriptam in libello

lo quodam Sereniſſimi q. Principis, & Epiſcopi noſtri Dni FERDINANDI glorioſæ recordationis juſſu edito (quem ad hunc finem omnes ſibi coemere debeant) juventuti & rudi populo publice proponatis.

Cantiones germanicas, & Melodias, quæ levitatem non ſapiunt, in lectionibus Catecheticis & Scholis, aut etiam ex turribus admittimus, quæ in libris cum licentia Superiorum & Cenſorum Catholicorum impreſſis continentur.

Idem ut ſub Officio Miſſæ, ſub Elevatione, & Communione fiat in Civitatibus minoribus, in quibus Collegiatæ non ſunt, oppidis & pagis pro excitando latriæ cultu erga Chriſtum ſub ſpeciebus conſecratis præſentem, gratioſe permittimus. Alias cantiones ſub pœna graviſſima irremiſſibiliter perſolvenda prohibemus, uſque dum eæ per Nos, aut ex commiſſione noſtra per Vicarium Generalem, & Theologos fuerint examinatæ & approbatæ.

In Eccleſiis Collegiatis, & Parochialibus juxta morem antiquum, præſcripta Canonum, & fundationis tenorem per bellicos tumultus interruptum, Officia & Horæ Canonicæ decantentur & recitentur, & nemo ad illius dignitatis Canonicatus, & Beneficii curati, vel non curati inveſtituram & poſſeſſionem admittatur, niſi prius juxta Sacri Concilii Tridentini Sanctionem Fidei profeſſione ſecundum formulam PII IV. emiſſa.

Dies Rogationum & Litaniæ Majores ritu Eccleſiæ Catholicæ celebrentur cum Litaniarum & Sacri decantatione, & ut populus frequens, & libens interſit, pro concione ſuaviter eſt cohortandus.

Cum etiam non pugnet cum Religioſorum privilegiis, quin potius ſalubriter cautum ſit, ut in Feſtorum, quæ in foro peraguntur, celebrationibus, Diœceſanis conſuetudinibus ſe accommodent, volumus, ut ubi feſtum S. Annæ per Diœceſin noſtram, altera ab Aſſumptionis B. Mariæ Virginis die etiam in foro celebratur, idem a Religioſis obedienter & conformiter fiat.

Cæterum Proceſſus, & Mandata quoſcunque, & quæcunque auctoritate Epiſcoporum Monaſterienſium fœlicium recordationum, a noſtra voluntate, & aſſenſu emiſſos, & emiſſa, & pluries a ſacra Synodo generali in dicta Eccleſia noſtra Monaſterienſi celebrata in præſentia Prælatorum, & aliorum Clericorum Civitatis & Diœceſis Monaſterienſis tunc ibidem congregatorum executos & executa, una cum Statutis tam Provincialibus, quam Synodalibus, in omni eorum forma præſentibus innovamus, ipſosque & ipſa vobis univerſis & ſingulis ſupradictis intimamus, inſinuamus & notificamus, ac eos & ea cum & ſub pœnis, & cenſuris in iisdem contentis & expreſſis firmiter & inviolabiliter obſervari præcipimus, & mandamus.

Abſentes vero, qui ad ſacram Synodum absque noſtra, ſive dicti noſtri Sigilliferi petita & obtenta licentia non venerunt, vel qui ſine Religione dictam Synodum intraverunt, præſentibus judicamus contumaces, eosque in pœnam in nupera Synodo publicatam incidiſſe declarantes, ſuper hujusmodi contumacia, prout juris fuerit, procedemus, & procedi faciemus.

Demum requirimus, & clementiſſime mandamus DD. Archi-Diaconis, ut horum Decretorum Synodalium copiam ſibi procurent, atque in viſitationibus Archi-Diaconalibus, ſive Synodalibus privatis eorundem obſervantiam urgeant, negligentiam & contraventionem puniant, ſcientes ſe Nobis, prout de jure tenentur, rationem reddituros.

In quorum omnium fidem ac teſtimonium Decreta hæc Synodalia authoritate noſtra cum conſilio & aſſenſu Rdi Capituli noſtri Cathedralis, modo prælecta manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillo noſtro fecimus communiri.

Datum in Epiſcopali noſtra Civitate Monaſterienſi anno Dni Milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo, die decima quinta menſis Octobris.

Chriſtophorus Bernardus mpp.

(L. S.)

Feria

Feria 3tia post Dominicam *Lætare* anni subsequentis celebrabitur Synodus Quadragesimalis.

Feria 3tia, quæ incidit in 13tium Octobris, post festum Ss. Gereonis & Sociorum Martyrum celebrabitur Synodus Autumnalis cum Indulgentiis plenariis ac cæremoniis, quæ in Pontificali Romano præscribuntur, ad quam omnes, qui de jure aut consuetudine convenire & comparere tenentur, sub pœna Decretis Synodalibus inserta citantur.

Prælati & Superiores Collegiorum & Monasteriorum, prout & Pastores exemplar intimationis factæ Synodi Episcopalis cum annexa instructione ex Camera Sigilli gratis petere & accipere possunt tum pro se, tum pro vicinis, qui absentiam suam sufficienter & legitime excusarunt.

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, magnum apud Historicos Nomen, Bellidux ætate sua clarissimus, nec minori cum laude nominandus Episcopus, in lucem ex Equestri Galeniorum apud Westphalos familia prodiit a. 1606. IV. Idus Octobris. Cursum politioris literaturæ in Paulino PP. Soc. JESU Gymnasio Monasterii Westph. emensus, Philosophica tum Coloniæ, tum Moguntiæ sub iisdem Patribus excepit. Lovanium deinde maximi ingenii adolescentem in utroque Jure instituit: donec illum variis jam Legationibus functum, & sacri in Æde summa ærarii Quæstorem, ad vacantem ab obitu Ferdinandi Bavari dignitatem Episcopalem præ aliis, illustrem illum Pontificatum procantibus, quinque potissimum Candidatis, quos inter speciali ob turbas postmodum gravissimas ab se excitatas memoria notandus est *Bernardus Malingcrotius* Monasteriensis *Decanus*, potior Canonicorum eligentium pars eveheret. Primas novi Principis curas acuebant variæ copiæ, novis patriam fœde laceratam vulneribus in dies perfodientes. Vechtam Suecus, Hassus Coesfeldiam, Bevergernam Batavus præsidiis sat caris premebant. Suecorum Aulæ quinque debebat imperialium Myriades afflicta Germania, una duntaxat Westphalia pignori data. Conquisitis magna industria pecuniis infestum Diœcesi militem brevi exegit Princeps & prægrandibus patriam difficultatibus eripuit. Urbem Monasteriensem turbulentis quorundam, qui a Malingcrotio stabant, male cautorum concionibus motam, primamque in seditionem a. 1654. effusam, iterum pristina velut e cineribus odia a. 1655. suscitantem, nova deinde Principis imperium insolentia a. 1656. molientem excutere, post acrem mensium aliquot obsidionem ad deditionem, pacemque petendam compulit, tabulis eo de pacto Geistana in arce ad XII. Kal. Novembres signatis. Sed non diu pax tenuit, Hanseatici juris ambitione Monasteriensium animis altius hærente. Recruduit a. 1659. fatale bellum, cujus flammam pecuniæ Batavorum & sperata summis in miseriis auxilia haud parum nutrivere. Extinctum illud anno tandem 1661. VII. Kal. Aprilis est, atque Episcopum inter & Cives pax coaluit. Quam epocham ad posteros transmisit nummus publice distributus, his aversa in parte circa D. Pauli Monasteriensium Patroni effigiem adscriptis vocibus: *Monasterium Westphaliæ ad obedientiam reductum a Celsissimo & Reverendissimo DD. Christophoro Bernardo Episcopo Monasteriensi.*

Synodos, quas vigilantissimus gregis sui Pastor celebravit, ex ordine dabimus, bellorum, quæ contra Hollandos, & Sueciæ Regem gessit, tum causas & seriem, tum exitus, Lectori benevolo apud AA. mox citatos inspicienda, brevitatis gratia relicturi.

Diem ultimum clausit Christophorus Bernardus a. Christi 1678. æt. 72. Reg. 22. postquam Ferdinandum Fürstenbergium, Paderbornensem Episcopum, virum doctissimum a. 1667. adsumpsisset in Coadjutorem, ac pedum Episcopi, ubi res postulabat, ense Principis & authoritate, DEO O. M. nixus, intrepide defensasset pius Præsul, justus Princeps, fortis Miles, vel, ut aliis placet, pius in Religiosos, justus in subditos, fortis in hostes.

Vide v. Alpen, Scriptorem coævum in Vita Christ. Bern. a Galen. Londorp. Tom. VII. & VIII. & alios apud Struvium Hist. Germ. Tom. II. citt. Adde J. Jordanæi motuum Monaster. enarrationem Synopticam a. 1661. editam. Legi etiam, sed oculo partium studia advertente, poterunt Hubnerus Hist. univers. Tom. VII. in vit. Bern. a Galen a pag. 940. Author vitæ Bern. a Galen ab Hollandis editæ. Demum (La Vie & les Actions de Monsgr Christ. Bern. de Gale) libellus, ut in fronte legitur, Coloniæ apud Petrum Le jeune a. 1679. impressus, stomachi, querelarum & aculeorum ad nauseam plenus.

SYNO-

SYNODUS DIOECESANA HILDESHEIMENSIS,

Eodem anno Christi MDCLII.

PRÆSIDENTE

Serenissimo ac Reverendissimo Principe ac Domino,
D. MAXIMILIANO HENRICO,
Coloniensi Archi-Episcopo, Episcopo ac Principe LIV.
HILDESHEIMENSI,

CELEBRATA
XII. ET XIII. APRILIS, QUÆ FUIT LUNÆ ET MARTIS POST DOMINICAM *PALMARUM.*

INDICTIO Sacræ Synodi Diœcesanæ HILDESHEIMENSIS,

AD FERIAM SECUNDAM, QUÆ ERAT XII. DIES APRILIS POST DOMINICAM *PALMARUM* ANNI M.DC.LII.

MAXIMILIANUS HENRICUS, DEI ET APOSTOLICÆ Sedis gratia Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, S. R. I. Princeps Elector, & per Italiam Archi-Cancellarius, ejusdem Sedis Apostolicæ Legatus natus, Episcopus & Princeps Hildesheimensis & Leodiensis, Administrator Berchtesgadensis, Comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariæ, Westphaliæ, Angariæ, & Bullionis Dux, Marchio Franchimontensis, Comes Hornensis & Lossensis, &c. Venerabili Clero Civitatis & Diœcesis nostræ Hildesheimensis Salutem in Domino sempiternam.

AUxiliante DEO, Episcopalis Nobis injuncti muneris ergo, ad præscriptum SS. Canonum, nec non SS. Concilii Tridentini, de Venerabilis Capituli nostri Cathedralis consilio pariter & assensu Diœcesanam Synodum celebraturi, universos & singulos de Clero Collegiatarum nostrarum, & quarumcunque aliarum Ecclesiarum, & Monasteriorum, hujus nostræ Civitatis & Diœcesis, rpe. Abbates, Præpositos, Decanos, Canonicos, Parochos & Beneficiatos, tam Seculares, quam Regulares, qui Synodo de jure vel consuetudine interesse debent, ne aliqua ignorantia excusari possint, hoc publico nostro Edicto, quod ad loca solita affigi, & promulgari jussimus, in Domino monemus, eisdemque in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis a jure constitutis, districte præcipiendo, mandamus, ut præstituta die Lunæ, quæ erit duodecima proximi Aprilis, hora septima matutina, ad Synodum prædictam, superpelliceis mundis, aliisque consuetis, pro uniuscujusque gradu & conditione, Ecclesiasticis indumentis, ac paramentis conveniant, nec inde cuiquam discedere liceat, nisi impetrata a Nobis facultate, sub dictis pœnis, ut ita ope, atque auxilio DEI, ea pertractemus ac promulgemus, quæ ad animarum salutem, Clerique nostri disciplinam, & Divini cultus incrementum, ac morum reformationem, pro temporum ratione pertinere, ac spectare censebimus. In cujus rei fidem hasce literas, manu nostra subscriptas, Sigilli nostri appressione jussimus communiri. In Civitate nostra Hildeshemii die 27. Martii, Anno M. DC. LII.

Maximilianus Henricus
Archi-Episc. & Elector Colon.
Episcopus Hildesheimensis, &c.

(L. S.)

Joan. Stam mpp.

ORDO SACRÆ SYNODI DIOECESANÆ HILDESHEIMENSIS.

DIe II. Aprilis, quæ erat Dominica *Palmarum*, Pridie indictæ Synodi, post quintam vespertinam, facto in Cathedrali Ecclesia initio, in reliquis quoque Catholicis Ecclesiis Civitatis Hildesheimensis solenniter fuit pulsatum.

Lunæ, quæ erat 12. Aprilis, stylo veteri post datum consuetum signum, mane summo, Matutino & Laudibus &c. decantatis, & aliis Divinis rite peractis, factaque circa sextam solenni compulsatione, Clerus paulatim in Aula majori prope Cathedralem convenit, & circa septimam jam collectus prælata per Clericum Cruce, processit ad Palatium Episcopale; Cleroque secundario ibidem in Aula majori subsistente, Prælati & Canonici Cathedrales Antecameram ingressi, Serenissimi Principis adventum expectabant. Serenissimus Princeps cappam, ut vocant, Pontificalem indutus violacei coloris, cujus extrema Clericus colligebat, Archi-Mareschallo cum gladio, aulæ Proceribus, Cancellario, ac Consiliariis præcedentibus, stipantibus hinc inde bipenniferis, suo ex conclavi est egressus, quem Clerus secundarius ex aula majori, Cruce prælata, præcessit, secutique Decanus & Canonici Ecclesiæ Cathedralis, Aulicique reliqui.

Eo ordine Serenissimus ex aula majori per gradus & atrium Palatii descendens, Cathedralem Ecclesiam per portam primariam antiqui, ut vocant, Paradysi ingressus, accepto a Decano Cathedrali post manus osculum, asperforio, aqua lustrali ab uno Sacellanorum porrecta, Clerum, reliquosque circumstantes aspersit, redditoque asperforio, processionis ritu, per Templi navem, Chorum conscendit per medium Clerum hinc inde Principi suo se reverenter inclinantem. Serenissimus Princeps comitantibus Presbytero & Diaconis assistentibus, aulæque Proceribus, ad Altare majus progressus, in faldistorio ad id decenter ornato, aliquamdiu oravit, Suffraganeo suo Hildesheimensi ad cornu Epistolæ e regione Serenitatis suæ alba & stola jamtum induto, nec non tribus Abbatibus infulatis præstolantibus, orantem Serenissimum DD. Presbyter & Diaconi assistentes sacram vestem prius induti utrimque cinxere.

Interea Clerus omnis primarius & secundarius loca sibi pro dignitate & gradu cujusque assignata, in subselliis hinc inde occupavit hoc ordine:

1. Prælati & Canonici Cathedrales.
2. Decanus & Canonici Collegiatæ Sancti Mauritii prope & extra muros Civitatis Hildesheimensis.
3. Decanus & Canonici Collegiatæ S. Crucis.
4. Senior & Canonici Collegii S. Andreæ.
5. Senior & Canonici S. Joannis.
6. Canonici S. Mariæ Magdalenæ in Carthallo.
7. Cathedralis & prædictarum Ecclesiarum respective Pastores, Vicarii, Beneficiati, Succentores & Chorales.
8. Parochi Catholici urbici & rurales.

De Clero Regulari Prioribus accessere Civitatis & novem Monasteriorum ruralium Prælati.

Finita oratione, Serenissimus Princeps cum suis Assistentibus ad thronum suum conopæo eleganti tectum progressus in eo consedit, manus, inservientibus tribus primariis aulæ suæ Proceribus, abluit, moxque Serenissimum cappa Pontificia prius exutum DD. Presbyter & Diaconi assistentes induere humerali, cingulo, stola, cruce pectorali, pluviali violaceo auro intertexto, & mitra; quæ paramenta a sex Vicariis ex altari majori desumpta reverenter suo ordine exhibebantur. Serenissimo Principe pontificalibus jam paramentis induto, Suffraganeus ejusdem Hildesheimensis juxta credentiam necessariis omnibus instructam, a sibi Assistentibus Episcopali quoque habitu indutus, exhibita Serenitati suæ reverentia, cum duobus Cathedralibus Canonicis Diacono ac Subdiacono ad Altare majus progressus, solenne Sacrum de Spiritu Sancto, symphoniacis exquisito vocum ac instrumentorum concentu prosequentibus, decantavit. Serenissimo Principe interea suo in throno Collectam, Epistolam, Evangelium, &c. cum celebrante Suffraganeo legente.

Paulo post decantatam Epistolam prodiere Ceroferarii duo, totidemque Ephebi tædigeri cum Subdiacono Missæ librum Evangelii deferente, Diaconus Serenissimo Principi manum prius deosculatus, porrigebat naviculam argenteam cum thure & cochleari, moxque Serenissimus thus impositum thuribulo benedixit, quo reverenter accepto, Diaconus Evangelii librum incensavit, obtentaque prius genibus flexis benedictione a Serenitate sua, Evangelium decantavit prope thronum, sub cujus finem librum Evangelii deosculandum Serenissimo Principi exhibuit, qui in solio suo Pontificio reassumpta mitra rursum consedit.

Paulo

Paulo ante Elevationem Sereniſſimus e throno ſuo cum mitra & pedo Epiſcopali deſcendit cum Aſſiſtentibus ad faldiſtorium ſeparatum ante medium Altare, depoſitaque mitra & pedo ſub Elevatione genuflexus oravit, prodeuntibus utrimque debita cum reverentia Altari & Sereniſſimo exhibita, Ephebis nobilibus quatuor cum facibus; poſt factam Elevationem Sereniſſimus, uti prius, cum ſuis Aſſiſtentibus ad thronum eſt regreſſus.

Sacro peracto, D. Suffraganeo ad locum regreſſo, Sereniſſimus Princeps cum Aſſiſtentibus ex throno cum mitra & pedo proceſſit ad medium Altaris, ibidemque genuflexus aliquamdiu oravit, dein mitra depoſita incepit Antiphonam: *Exaudi nos Domine*, &c.

Qua finita, Clerus & Cantores Pſalmum 86.: *Salvum me fac Deus*, &c. ex Nocturno feriæ quintæ graviter & alternatim decantarunt, Sereniſſimo interim Principe in faldiſtorio, facie ad Clerum verſa, conſidente.

Decantato Pſalmo & repetita Antiphona, Sereniſſimus Princeps conſurgens, ex Pontificali Romano dixit:

ADſumus, Domine Sancte Spiritus, adſumus, peccati quidem immanitate detenti, ſed in nomine tuo ſpecialiter aggregati: veni ad nos, adeſto nobis, dignare illabi cordibus noſtris, doce nos, quid agamus, quo gradiamur, oſtende, quid efficiamus, operare. Eſto ſolus, & Suggeſtor & Effector judiciorum noſtrorum, qui ſolus cum Deo Patre, & ejus Filio, nomen poſſides glorioſum: non nos patiaris perturbatores eſſe juſtitiæ, qui ſumme diligis æquitatem, ut ſiniſtram nos non ignorantiæ trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris vel perſonæ corrumpat, ſed junge nos tibi efficaciter ſolius tuæ gratiæ dono, ut ſimus in te unum, & in nullo deviemus a vero, quatenus in nomine tuo collecti, ſic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis juſtitiam, ut hic a te in nullo diſſentiat ſententia noſtra, & in futuro pro bene geſtis conſequamur præmia ſempiterna.

Clerus reſpondit: *Amen.*

Subjunxit Sereniſſimus

OREMUS.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui miſericordia tua nos incolumes in hoc loco ſpecialiter aggregaſti, mentes noſtras, quæſumus, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit Filius, veritatem, cunctosque in tua fide & charitate corroboret: ut excitati a temporali Synodo, proficiamus ad æternæ felicitatis augmentum. Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejuſdem Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum.

Reſpondit Clerus: *Amen.*

Porro Sereniſſimus Princeps reſumpta mitra, cæteris genuflectentibus, ſupra faldiſtorium procubuit, tum Cantores inchoarunt Litanias de omnibus Sanctis, univerſo Clero reſpondente; & poſt illa verba: *Ut omnibus fidelibus*, &c. *Te rogamus audi nos.* Sereniſſimus Princeps ſurrexit, pedumque tenens, Sacræ Synodo his verbis producta ſuper omnes Cruce ſolenniter benedixit: *Ut hanc præſentem Synodum viſitare, diſponere & benedicere digneris.*

Reſponditque univerſus Clerus: *Te rogamus audi nos.*

Litaniis decantatis, Sereniſſimus ad Altare converſus, ſubjunxit: *OREMUS.*

Diaconus: *Flectamus genua.*

Subdiaconus reſpondit: *Levate.*

DA, quæſumus, Eccleſiæ tuæ, miſericors Deus, ut Spiritu Sancto congregata, ſecura tibi devotione ſervire mereatur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejuſdem Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum.

Reſp. Clerus: *Amen.*

Deinde Sereniſſimus accepta mitra, aſcendit ad ſedem ſibi in plano Altaris præparatam, in eaque confidens benedixit incenſum ac impoſuit thuribulo, moxque Diaconus ex Cathedralis Eccleſiæ Canonicis dalmatica indutus, petita, obtentaque benedictione a Sereniſſimo, præcedentibus Thuriferario, Ceroferariis duobus, ac Subdiacono librum Evangeliorum deferente, cantavit Evangelium, præmittendo: *Dominus vobiscum.*

Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.*

Sequentia ſancti Evangelii ſecundum Lucam.

Reſp. *Gloria tibi Domine.*

IN illo tempore. Convocatis Jeſus duodecim Apoſtolis, dedit illis virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & ut languores curarent. Et miſit illos prædicare regnum Dei, & ſanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcunque domum intraveritis, ibi manete, & inde ne exeatis. Et qui-

quicumque non receperit vos: exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos. Egressi autem circuibant per castella evangelizantes, & curantes ubique.

Decantato Evangelio, Serenissimus Princeps delatum ad Serenitatem suam eodem ordine librum deosculatus, ac dein incensatus fuit, moxque mitra deposita, ante sedem suam ad Altare conversus, reliquis genua suis in locis flectentibus, imposuit Hymnum: *Veni Creator Spiritus*, &c. Clero reliqua cantu solenni alternatim prosequente.

Expleto Hymno, Serenissimus Princeps cum mitra in faldistorio considens, Clerum allocutus est hisce verbis:

VEnerabiles Consacerdotes, Fratres nostri charissimi, præmissis Deo precibus, oportet, ut ea, quæ de Divinis Officiis, vel sacris Ordinibus, aut etiam de nostris moribus, & necessitatibus Ecclesiasticis a Nobis conferenda sunt, cum charitate & benignitate unusquisque vestrum suscipiat, summaque reverentia, quantum valet, Domino adjuvante, percipiat, vel quæ emendatione digna sunt, omni devotione unusquisque fideliter studeat emendare: & si cui forte, quod dicetur, aut agetur, displiceat, sine aliquo scrupulo contentionis palam coram omnibus conferat, quatenus, Domino mediante, & hoc ad optimum statum perveniat, ita ut nec discordans contentio ad subversionem justitiæ locum inveniat, neque iterum in perquirenda veritate vigor nostri ordinis, vel solicitudo tepescat.

Qua allocutione facta, Serenissimæ Celsitudinis suæ Officialis Hildesheimensis genuflexus ante Serenissimum petita Benedictione, & ea obtenta, contulit se ad suggestum, & habuit Sermonem Synodalem *de Divinis Officiis, ac Canonicorum & Ecclesiasticorum muniis.*

Deinde Serenissimus Princeps per eundem Officialem suum aperiri Synodum, & ulterius edici fecit, ut sequitur:

SErenissimus ac Reverendissimus in Christo Pater, Princeps ac Dominus noster Clementissimus, Dominus MAXIMILIANUS HENRICUS Archi-Episcopus Coloniensis, Episcopus Hildesheimensis, Dei nomine invocato, decernit Synodum hanc legitime a Serenitate sua indictam & congregatam aperiendam esse, prout eandem aperit, apertamque esse declarat in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Quoniam vero veteris instituti, solemnisque ritus est, in hujusmodi Synodali Conventu pro publicis rebus orationem fieri, proinde alte memorata sua Serenitas in omni prece a Sacerdotibus, præsertim in Missæ Sacrificio, his Synodalibus diebus ad DEUM orationem adhiberi edicit pro Sanctissimo Domino nostro D. INNOCENTIO, Divina providentia Papa hujus nominis Decimo, pro Serenissimo & Invictissimo Imperatore nostro FERDINANDO III., pro pace & concordia inter Principes Christianos, pro omni Ministerio Serenissimæ Celsitudinis suæ Episcopali, præsertim in hac Synodalium rerum tractatione, pro Christianæ disciplinæ Cleri, populique confirmatione, & progressione in Civitate & Diœcesi hac sua, & pro Ministris, quos in hujus Civitatis & Diœcesis suæ regimen & culturam adhibet.

Postmodum a Serenitate sua jam ante deputati Sanctæ Synodi Officiales munia sua obire inceperunt, & quidem Archi-Diaconus Serenissimum accedens facta profunda reverentia, incepit Decreta Concilii Tridentini, & alta voce legit Decretum ejusdem Concilii *Session.* 24. *de Reformat. Cap.* 2. *de Synodo celebranda*, in hæc verba:

" PRovincialia Concilia sicubi omissa sunt pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris Canonibus permistis renoventur &c. Synodi quoque Diœcesanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias cessante exemptione interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur, ratione tamen Parochialium, aut aliarum secularium Ecclesiarum etiam annexarum debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicunque illi sunt, interesse, quod si in his tam Metropolitani, quam Episcopi & alii suprascripti negligentes fuerint, pœnas sacris Canonibus sancitas incurrant." *Hactenus Concilium Tridentinum.*

Post hæc Serenissimæ suæ Celsitudinis Officialis legit sequentia Decreta:

1. *Decretum, quod in Synodo nulli præjudicetur in sedendo.*

SErenissimus ac Reverendissimus in Christo Pater, Princeps ac Dominus noster Clementissimus, Dominus MAXIMILIANUS HENRICUS, Archi-Episcopus & Princeps Elector Colonien-

lonienſis, uti Epiſcopus Hildesheimenſis, decernit & ſtatuit, ſi cui in hanc Synodum admiſſo contigerit ſuo loco non incedere, vel non ſedere, aut alium quempiam actum in eo gerere, non ideo cuiquam jus acquiri, aut acquiſitum eſſe, nihilque de hujusmodi jure, aut poſſeſſione detrahi, ſed omnia in eo ſtatu permanere, in quo ante hanc Diœceſanam Synodum reperiebantur.

2. *Decretum, de Querelis & Excuſationibus audiendis.*

Porro alte memorata ſua Serenitas ſtatuit & decernit, ne ſingulorum cauſæ graviorum rerum curſum impediant, aut retardent, ut ſi qui erunt, qui accuſationes & querelas deferre voluerint, aut etiam abſentium excuſationes, exponant Reverendis & Honorabilibus Dominis alte memoratæ Serenitatis ſuæ Suffraganeo Hildesheimenſi *Bernardo Frick*, Decano & Archi-Diacono *Friderico ab Oyenhauſen*, *Joanni a Schonebeck*, *Theodoro ab Oyenhauſen*, Cellerario, & Canonicis Cathedralibus Sereniſſimæ Celſitudinis ſuæ Officiali Hildesheimenſi *Joanni Matthiſio*, *Henrico Matthiſio* Paſtori S. Antonii prope Cathedralem, quos ſua Serenitas ad id Judices clementiſſime deputavit.

3. *Decretum, ut præſentes in Synodo ſua nomina deſcribi curent.*

Inſuper, ut alte memorata ſua Serenitas eos, qui ob contumaciam aut negligentiam huic Synodo non interfuerunt, facilius cognoſcat, ipſosque pœnis a ſacris Canonibus injunctis ſubjiciat, præcipit & monet omnes & ſingulos, qui in hac Synodo jure interſunt, ut ante diem craſtinum nomina ſua ab eisdem Synodi Notariis deputatis deſcribi curent.

His recitatis, unus ex Notariis pronunciavit alta voce, dicens:

Monentur omnes, qui in hac Synodo jure interſunt, ut nomina ſua hodie deferant ad nos Notarios deputatos, ut die craſtina vocari poſſint.

Succeſſive Promotor pro legendis Decretis Sacroſancti Concilii Tridentini *de Profeſſione Fidei & Reſidentia facienda* inſtitit in hunc, qui ſequitur, modum:

Sereniſſime ac Reverendiſſime Princeps ac Domine Clementiſſime. Cavit Sacroſancta Tridentina Synodus, ut omnes, qui impoſterum Beneficia Eccleſiaſtica fuerint aſſecuti, & qui in Synodo Diœceſana convenire debent, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, certum juramentum recipiant, profiteantur & præſtent, prout Tridentina ſanctione expreſſum eſt.

Decernit præterea, ut non modo Patriarchæ, Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, in ſuis Cathedralibus Eccleſiis reſidere debeant, verum id ipſum etiam mandat ſervari per Parochos, ac alios inferioris ordinis Chori ſervitio, & quotidianæ Reſidentiæ obſtrictos, & ea id generis Decreta in Conciliis Diœceſanis publicari præcipit. Quocirca a Sereniſſima Celſitudine veſtra Ego Joannes Matthiſius, *bujus ſanctæ Synodi Promotor, humillime peto & requiro, Decreta dicti Concilii circa Fidei profeſſionem & Reſidentiam diſponentia, nec non Conſtitutionem felicis recordationis PII Quarti, quæ incipit,* Injunctum, *ex ſuggeſtu legi, atque ad illorum præſcriptum ab iis, qui tenentur, omnia & ſingula præſtari.*

Quibus lectis, Sereniſſimo Principe annuente, proſequebatur Archi-Diaconus Decretum: *de Profeſſione Fidei*, ex Concilio Tridentino *Seſſ.* 25. *de Reform. Cap.* 2.

" COgit temporum calamitas, & invaleſcentium hæreſum malitia, ut nihil ſit prætermittendum, quod ad populorum ædificationem, & Catholicæ Fidei præſidium videatur poſſe pertinere. Præcipit igitur ſancta Synodus Patriarchis, Primatibus, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, & omnibus aliis, qui de jure, vel conſuetudine in Concilio Provinciali intereſſe debent, ut in ipſa prima Synodo Provinciali, poſt finem præſentis Concilii habenda, ea omnia, & ſingula, quæ ab hac ſancta Synodo definita, & ſtatuta ſunt, palam recipiant, nec non veram obedientiam ſummo Romano Pontifici ſpondeant, & profiteantur, ſimulque hæreſes omnes a ſacris Canonibus, & Generalibus Conciliis, præſertimque ab hac eadem Synodo damnatas, publice deteſtentur, & anathematizent. Idemque in poſterum quicumque in Patriarchas, Primates, Archi-Epiſcopos, Epiſcoposque promovendi, in

" in prima Synodo provinciali, in qua " ipsi interfuerint, omnino observent. " Quod si quis ex supradictis omnibus, " quod absit, renuerit, Episcopi Com" provinciales Summum Romanum " Pontificem admonere sub pœna Di" vinæ indignationis teneantur, inte" rimque ab ejusdem communione ab" stineant. Cæteri vero omnes, sive in " præsenti, sive in futurum Beneficia " Ecclesiastica habituri, & qui in Syn" odo Diœcesana convenire debent, " idem, ut supra, in ea Synodo, quæ " primo quoque tempore celebrabi" tur, faciant, & observent: alias se" cundum formam sacrorum Canonum " puniantur. Ad hæc, omnes ii, ad " quos Universitatum, & studiorum " generalium cura, visitatio, & refor" matio pertinet, diligenter curent, ut " ab eisdem Universitatibus Canones, " & Decreta hujus sanctæ Synodi in" tegre recipiantur, ad eorumque nor" mam Magistri, Doctores, & alii in " ejusdem Universitatibus ea, quæ " Catholicæ fidei sunt, doceant, & in" terpretentur, seque ad hoc institu" tum initio cujuslibet anni solemni ju" ramento obstringant: sed & si aliqua " alia in prædictis Universitatibus cor" rectione, & reformatione digna fue" rint, ab eisdem, ad quos spectat, " pro Religionis, & disciplinæ Eccle" siasticæ augmento emendentur, & " statuantur. Quæ vero Universita" tes, immediate Summi Romani Pon" tificis protectioni, & visitationi sunt " subjectæ, has sua Beatitudo per ejus " delegatos eadem, qua supra ratione, " &, prout ei utilius visum fuerit, sa" lubriter visitari, & reformari curabit.

Deinde, hoc Decreto recitato, Archi-Diaconus subjunxit:

Serenissimus ac Reverendissimus in Christo Pater, Princeps ac Dominus noster Clementissimus, Dominus MAXIMILIANUS HENRICUS, Archi Episcopus Coloniensis, &c. Episcopus Hildesheimensis, volens supra dictum Decretum SS. Concilii Tridentini debitæ executioni mandari præcipit, & mandat, vobis omnibus, & singulis hic præsentibus, qui ea omnia, quæ in Decreto perlecto habentur, hactenus non adimplevistis, ut mox ad Serenitatem suam accedatis, & singuli Professionem fidei in manibus ejusdem emittatis.

Posthæc Notarii dixerunt: *Accedant hic præsentes ad Professionem fidei.*

Tum omnes genuflexi ante Serenissimum uno, alta voce prælegente, & cæteris ad verba, quæ ipse prælegit, alta voce repetentibus, Professionem fidei emiserunt juxta formam Constitutionis PII IV. quæ incipit: *Injunctum*, &c.

Sequitur forma Professionis fidei.

Ego NN. firma Fide credo, & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur. Credo, &c.

Post lectam hanc formam Professionis fidei, singuli in manibus Serenissimi Principis Juramentum emiserunt hoc modo:

Ego NN. recipio, promitto, spondeo, profiteor, detestor, anathematizo, voveo, & juro, ut in Decreto, & formula Professionis fidei singula singulis referendo, sic me Deus adjuvet & Sancta Dei Evangelia.

In principio erat Verbum, &c.

Peracta Professione fidei, Archi-Diaconus prosequebatur legendo Decretum sacri Concilii Tridentini *de Residentia Sess. 6. de Reform. Cap. 2.*

" Episcopis inferiores quævis Bene" ficia Ecclesiastica personalem " residentiam de jure, sive de consue" tudine exigentia in titulum sive com" mendam obtinentes, ab eorum Or" dinariis, quemadmodum eis pro bo" no Ecclesiarum regimine, & Divini " cultus augmento, locorum & per" sonarum qualitate pensata, expediens " videbitur, opportunis juris remediis " residere cogantur: Nullique Privi" legia seu indulta perpetua de non re" sidendo, aut de fructibus in absentia " percipiendis suffragentur. Indul" gentiis vero & dispensationibus tem" poralibus ex veris & rationabilibus " causis tantum concessis, & coram Or" dinario legitime probandis, in suo " robore permansuris. Quibus casi" bus nihilominus officium sit Episco" porum, tanquam in hac parte à Sede " Apostolica delegatorum, providere, " ut per deputationem idoneorum Vi" cariorum, & congruæ portionis fru" ctuum assignationem cura animarum " nullatenus negligatur: Nemini quo" ad hoc privilegio seu exemptione " quacunque suffragante.

His

His expeditis, Promotor S. Synodi ulterius instititit, ut sequitur:

Serenissime ac Reverendissime Princeps, Clementissime Domine. Sacrosanctum Concilium Tridentinum Sess. 23. Cap. 18. *Sanctissimo suo Decreto consulens rectæ Adolescentium institutioni statuit, ut singulæ Cathedrales, atque his Majores Ecclesiæ, pro modo facultatum, & Diœcesis amplitudine, certum puerorum ipsius Civitatis & Diœcesis, vel ejus Provinciæ, si ibi non reperiantur, numerum, in Collegio, ad hoc prope ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenienti, ab Episcopo eligendo, alere ac religiose educare, & Ecclesiasticis Disciplinis instituere teneantur, aliaque pie multa sancivit, & potissimum, ut eligat duos Canonicos, quorum consilio in iis utatur, quæ ad puerorum ejusdem Seminarii institutionem, disciplinam, moresque attinent, & ad fabricam; & mercedem Præceptoribus & Ministris solvendam, nec non ad alendam Juventutem, & ad alios sumptus, ac alia, quæ ad instituendos vel alendos pueros sunt destinata, decrevit, ut Episcopus, sub cujus cura eadem applicata censentur, duos de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo, eligatur; Itemque duos de Clero Civitatis, quorum alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad Clerum pertineat, adhibeat in consilium, consultationemque administrationis temporalium hujusmodi.*

Ego igitur Joannes Matthisius, *hujus S. Synodi Promotor, pro executione sanctionis hujusmodi illud a Serenitate vestra humillime peto & insto, quatenus tales eligere velit, prout Spiritus Sanctus suggesserit, qui tantæ rei gravitati satisfacere possint.*

Ab Archi-Diacono tum legebatur Decretum *de eligendis iis ex Capitulo & Clero, qui interessent Congregationibus Seminarii,* incipiens:

" SAcra Tridentina Synodus cupiens Juventutem vel a teneris annis ad pietatem & Religionem informari, Sanctissima sanctione decrevit, in singulis Cathedralibus, & iis Majoribus Ecclesiis, Seminarii Collegia institui, pro quorum recta administratione & regimine illud etiam præscripsit, ut Episcopus Canonicos duos eligat, prout Spiritus Sanctus suggesserit, quorum consilio in iis utatur, quæ ad puerorum institutionem & disciplinam, moresque attinent, ac alios duos de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur: duos item de Clero Civitatis, quorum alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad Clerum pertineat, quos in consilium adhibeat administrationis temporalium ipsius Seminarii.

Quocirca Serenissimus ac Reverendissimus in Christo Pater, Princeps ac Dominus noster Clementissimus, Dominus MAXIMILIANUS HENRICUS, Archi-Episcopus & Princeps Elector Coloniensis, &c. Episcopus Hildesheimensis, &c. hujusmodi Decretum exequi volens, pro cura hac, provisione, directione & inspectione Seminarii, ex Capitulo suo eligit DD. Decanum & Canonicos Cathedralis hujus Ecclesiæ suæ Fridericum ab Oyenhausen, Joannem a Schonebeck, Joannem Godofridum ab Horden. *Et rursum tum ex eodem Capitulo suo, tum ex Clero Civitatis ac Diœcesis, Venerabili Synodo ad prædictum effectum proponit* Theodorum ab Oyenhausen, Joannem Matthisium *Canonicum & Scholasticum S. Mauritii,* Michaelem Dollen *Scholasticum S. Crucis, a S. Synodo hac approbandos.*

Porro approbatione hac facta, instititit Promotor S. Synodi pro eligendis Examinatoribus & Judicibus Synodalibus in hunc, qui sequitur, modum:

Serenissime ac Reverendissime Princeps, Clementissime Domine. Quod sanctissime Ss. Tridentina Synodus peculiaribus Decretis sancivit, ut viri Ecclesiastici tales in hac S. Synodo Diœcesana proponantur, tum pro Examinatorum Officio, tum pro Judicum causarum munere obeundo, ad præscriptum Constitutionis felicis recordationis BONIFACII Papæ VIII. illud, ut a Serenitate vestra, & ab hac S. Synodo executioni mandetur, utque hujusmodi Examinatores, atque Judices probentur, humillime requiro, & insto, Ego Joannes Matthisius *hujusmodi S. Synodi Promotor.*

Mox Archi-Diaconus prosequendo legit Decretum Ss. Concilii Tridentini *de eligendis Examinatoribus ad Parochiales Ecclesias, Sess. 24. de Reform. Cap. 18.*

Expedit & infra, " Examinatores autem singulis annis in Diœcesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur,

" tur, advenienteque vacatione cujuslibet Ecclesiæ, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant, Indeque succedente alia vacatione, aut eosdem alios tres, quos maluerit, ex prædictis illis sex, eligat: Sint vero hi Examinatores Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut Jure Canonico, vel alii Clerici, seu Regulares, etiam ex ordine mendicantium, aut etiam Sæculares, qui ad id videbuntur idonei, jurentque omnes, ad S. DEI Evangelia, se quacunque humana affectione postposita, fideliter munus executuros, caveantque, ne quicquam prorsus, occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant, alioquin Simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis Beneficiis, quæ quomodocunque etiam ante obtinebant, & ad alia imposterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non solum coram DEO, sed etiam in S. Synodo Diœcesana, si opus erit, rationem reddere teneantur, a qua, si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter ejus arbitrio puniri possint.

Promotor subjunxit:

Serenissimus itaque ac Reverendissimus in Christo Pater, ac Dominus, Dominus MAXIMILIANUS HENRICUS Archi-Episcopus & Princeps Elector Coloniensis, Episcopus Hildesheimensis, hoc Decretum exequi volens, S. Synodo proponit ad hujusmodi examinandi munus, & in Examinatores, Joannem a Schonebeck, Theodorum ab Oyenhausen, *Cathedralis Ecclesiæ Canonicos,* Henricum Matthisium *Pastorem S. Antonii prope Cathedralem, M.* Henricum Einemium *Pastorem S. Crucis eligit. Illud autem Serenitas sua vos omnes hortatur in Domino, ut Examinatores sine ullo affectu probetis, sicuti illos pro Pastorali sua vigilantia sine aliquo affectu proposuit.*

Propositis Examinatoribus prætactis, Archi-Diaconus interrogavit Synodum hisce verbis:

Placentne Vobis Examinatores?

Secretarius autem accepit vota a Synodo, dicens:

Si quis est, cui non placeant, ad Serenitatem suam accedat.

Approbatis a S. Synodo Examinatoribus, Promotor S. Synodi institit, pro publicandis Examinatorum Nominibus, in hæc verba:

Serenissime ac Reverendissime Domine. Actionis Synodalis & Ss. Concilii Tridentini ratio postulat, ut jam nomina Examinatorum ab hac S. Synodo probatorum publicentur, & ut ipsi Examinatores Juramentum, ad præscriptum ejusdem Concilii, præstent.

Quapropter Ego Joannes Matthisius, *hujus S. Synodi Promotor, illud a Serenitate Vestra humillime peto, & enixe insto, ut eos omnes & singulos jam publicari faciat, & ut debitum Juramentum præstent, Decreto suo obstringat.*

Serenitate sua annuente, publicati sunt Examinatores a Notario, ut sequitur:

Examinatores modo in hac sacra Synodo propositi & nominati, majori suffragiorum parte, sunt hi: DD. Joannes de Schonebeck, Theodorus ab Oynhausen, *Cathedralis hujus Ecclesiæ Canonici,* Henricus Matthisius *Pastor S. Antonii,* Henricus Einemius *Pastor S. Crucis.*

Illico denunciati Examinatores, a Magistro Cæremoniarum vocati & deducti; in manibus Serenissimi Juramentum præstiterunt, in hunc modum:

Ego N. N. deputatus in præsenti S. Synodo Examinator eorum, qui eligentur ad Parochiales Ecclesias, juro me fideliter hoc examinandi munere perfuncturum, rejecto omni humano respectu, ita me Deus adjuvet & sancta Dei Evangelia.

In principio erat verbum, &c.

Prosequendo idem Archi-Diaconus, legit Decretum Sacrosancti Tridentini *de eligendis, quibus præter Ordinarios locorum committantur causæ, Sess. 25. de Reform. Cap. 11.* incipit:

" QUoniam ob malitiosam petentium suggestionem, & quandoque ob locorum longinquitatem, personarum notitia, quibus causæ mandantur, usque adeo haberi non potest, hincque interdum Judicibus, non undequaque idoneis, causæ in partibus delegantur, statuit S. Synodus, in singulis Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis aliquot personas, quæ qualitates habeant, juxta

" juxta Constitutionem BONIFACII
" VIII. quæ incipit, *Statutum*, alioquin
" ad id aptas designari, ut præter Or-
" dinarios locorum iis etiam posthac
" causæ Ecclesiasticæ ac Spirituales &
" ad forum Ecclesiasticum pertinentes,
" in partibus delegandæ committan-
" tur, & si aliquem interim ex desig-
" natis mori contigerit, substituat Or-
" dinarius loci cum consilio Capituli,
" alium in ejus locum usque ad futu-
" ram Provincialem aut Diœcesanam
" Synodum: ita ut habeat quæque
" Diœcesis quatuor saltem, aut etiam
" plures probatas personas, ac ut su-
" pra qualificatas, quibus hujusmodi
" causæ, a quolibet Legato, vel Nun-
" cio, atque etiam a Sede Apostolica
" committantur: Alioquin post desig-
" nationem factam, quam statim Epi-
" scopi ad Summum Romanum Ponti-
" ficem transmittant, delegationes quæ-
" cunque aliorum Judicum aliis, quam
" his factæ, surreptitiæ censeantur.

Postea subjunxit Archi-Diaconus Constitutionem BONIFACII VIII. quæ est *Cap.* 11. *de Rescriptis, lib.* 6.

Statutum & infra, " Sancimus igi-
" tur, ut nullis, nisi dignitate præditis,
" aut personatum obtinentibus, seu
" Ecclesiarum Cathedralium Canoni-
" cis, causæ Authoritate literarum Se-
" dis Apostolicæ, aut Legatorum ejus-
" dem de cetero committantur, nec
" audiantur alibi, quam in Civitatibus,
" vel locis insignibus, ubi possit com-
" mode copia peritorum haberi, &c.

Publicabatur porro Decretum sequens:

Serenissimus itaque, ac Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus, D. MAXIMILIANUS HENRICUS Archi Episcopus & Princeps Elector Coloniensis, Episcopus Hildesheimensis, &c. Ut prædictæ Constitutiones executioni mandentur, deputat & nominat in Judices RR. DD. Joannem Loleman *Abbatem S. Godehardi,* Joannem a Schonebeck, Matthiam Schmising, & Theodorum ab Oynhausen, *Canonicos Cathedrales, ut ex iis omnibus illos deligi per vos liceat, qui S. Synodo satisfaciant & probati sint.*

Propositis præfatis Judicibus, Archi-Diaconus ita Synodum interrogavit:

Placentne Vobis Judices modo propositi, & nominati?

Subjunxit Notarius:

Si quis est, cui non placeant, accedat ad Serenitatem suam.

Eorum, quorum interest, suffragiis probatis hujusmodi Judicibus Synodalibus, fiebat instantia per Promotorem de illis evulgandis in hunc modum:

Ut Synodalium actionum promotio & progressio pro injuncti muneris ratione recte atque ordine fiat, Ego Joannes Matthisius, *hujus S. Synodi Promotor, illud a Serenissima Celsitudine vestra humillime rogo, ut Judices ex auctoritate Ejusdem S. Synodo propositi & nominati, ac omnium, quorum interest, suffragiis secutis probati, jam demum, ut moris est, publicentur.*

Mox facta evulgatio Judicum per Notarium, ut sequitur:

Judices in Synodum relati, & eorum, quorum interest, suffragiis majori parte probati sunt, DD. Joannes Loleman *Abbas S. Godehardi,* Joannes a Schonebeck, Matthias Schmising, & Theodorus ab Oynhausen, *Cathedralis hujus Ecclesiæ Canonici.*

His peractis, quia tempus elapsum erat, priusquam fieret instantia pro continuatione Sessionis, promulgatum fuit per Archi-Diaconum Decretum de non discedendo a Civitate, nec a Synodalibus Sessionibus, in hanc formam:

Serenissimus ac Reverendissimus in Christo Pater, Princeps ac Dominus noster Clementissimus, universis præterea & singulis, qui huic S. Synodo jure interesse debent, pœna excommunicationis proposita, vetat, ne vestrum aliquis, antequam hæc Diœcesana S. Synodus de more absoluta & dimissa sit, discedat ab hac Civitate, facultate sibi ab Altememorata Serenitate sua non concessa, nec a sessionali loco, nisi absoluta sessione, aut necessaria de causa, sed huic S. Synodo, & quibuscunque sessionibus aut conventibus, qui indicentur, interesse debeat.

Deinde facta instantia Promotoris, & accusatio contumaciæ contra absentes in hunc modum:

Serenissime ac Reverendissime Princeps, Clementissime Domine. Cum jam tempus S. Synodi hujus diei transierit, qua omnes & singuli Ecclesiastici Ordinis hujus Civitatis & Diœcesis legitime per publicum Edictum moniti hujus S. Synodo præsentes adesse deberent; cumque

cumque diversi non paruerint, sed usque adeo negligentes vel contumaces fuerint, ut neque præsentes adsint, nec vero justi impedimenti excusationem, causamve aut nuncium miserint. Ideo pro muneris mei officio Ego Joannes Matthisius, *hujus S. Synodi Promotor, reproducto Edicto supratacto eorum contumaciam accuso, hocque apud Serenitatem vestram urgeo & insto, ut Citationem valvis hujus Cathedralis Ecclesiæ affigendam committat, & cum iisdem tanquam inobedientibus agi jubeat, prout juris est, & Ss. Canonum ratio postulat, & nihilominus absentium contumacia non obstante ad ea in S. Synodo hac procedi decernat, quæ pro honore Dei, morum reformatione ac disciplina Ecclesiastica necessaria videbuntur.*

Annuente Serenissima sua Celsitudine, Archi-Diaconus respondit:

Serenissimus ac Reverendissimus Princeps committit & decernit.

Posthæc Promotor institit pro Indictione secundæ Sessionis, in hanc formam:

Serenissime ac Reverendissime Princeps. Cum ea, quæ in hac S. Synodo tractanda sunt, in ista Sessione expediri non potuerint, propterea a Serenitate vestra humillime peto, ut alteram Sessionem indici faciat.

Illico de mandato Serenitatis suæ per Archi-Diaconum fuit promulgatum Decretum intimationis secundæ Sessionis, in hunc modum:

Serenissimus ac Reverendissimus in Christo Pater, ac Dominus noster Clementissimus statuit & mandat proximam Sessionem die crastina, juvante Deo, hora septima hoc eodem loco celebrandam esse, eamque indicit universo Clero Civitatis & hujus suæ Diœcesis.

Porro Promotor conceptis verbis, instantiam fecit sub hoc tenore:

Ego Joannes Matthisius, *hujus S. Synodi Promotor, rogo te Notarium hujus S. Synodi, ut de omnibus & singulis hactenus peractis, unum vel plura conficias Instrumenta.*

Respondit Notarius: *Conficiam.*

Rogatus Notarii.

Hæc omnia peracta fuerunt publica Sessione, ut supra, adhibitis etiam Testibus infra nominatis.

Demum Serenissimus ac Reverendissimus solemniter benedixit, & Sessionem primam dimisit, depositisque Pontificalibus indumentis & sumpta cappa, ad Episcopale suum Palatium rediit, a Capitulo suo & reliquo Clero associatus.

SECUNDA SYNODI DIE

Quæ fuit Martis decima tertia

Aprilis, circa septimam obedienter comparentibus iterum in Cathedrali omnibus de Venerabili Clero.

Serenissimus ac Reverendissimus Princeps ex Palatio suo se ad Cathedralem contulit, uti die præcedenti, & ibidem [Sacro a D. Decano Cathedralis solemniter celebrato] Pontificalibus paramentis, uti hesterno die indutus, cum sibi Assistentibus pariter ad Altare majus processit, ubi absolutis Antiphona, Psalmo, Orationibus, Evangelio & Hymno: *Veni Creator Spiritus*, uti in Pontificali in ordine ad Synodum in secunda die, cum mitra consedens, S. Synodum ita est allocutus:

Venerabiles & Dilectissimi Fratres nostri, &c.

Post allocutionem hujusmodi Pastor S. Antonii supratactus impetrata a Serenissimo Principe licentia ac benedictione, habuit Sermonem Synodalem *de muniis Pastoralibus*: post quem accedens ad Serenissimum Principem Archi-Diaconus, facta profunda reverentia, accepit librum Decretorum, & legit Constitutiones aliquas Summorum Pontificum alias non promulgatas, nimirum quoad *Officium Divinum debite peragendum*, nec non quoad *Doctrinam Christianam.*

Quibus lectis, Promotor S. Synodi instantiam fecit pro eligendis Testibus Synodalibus & Punctatoribus, in hunc modum:

Serenissime ac Reverendissime Princeps, Clementissime Domine. Sacris Canonibus cautum est, ut viri aliquot graves & probati deligantur, qui diligenter animadvertant, an aliquid fiat in Urbe vel Diœcesi, quod sit correctione, vel emendatione dignum, & consuetudine introductum est, ut in singulis Capitulis Punctatores deputentur, qui absentes & errantes punctent. Ego igitur Joannes Matthisius, *hujus S. Synodi Promotor, illud humillime a Serenitate Vestra peto, ut ad hujusmodi munus tales eligat, qui valeant satisfacere.*

Deinde ab Archi-Diacono Decretum *de Testibus Synodalibus* publicatum fuit, ut sequitur:

Vetus est consuetudo, Ss. introducta Decretis, ut in omnibus Diœcesanis Synodis aliquot viri spectati & probati deligantur, qui testes Synodales appellantur, qui diligenter animadvertant, an aliquid in Civitate, vel Diœcesi

cesi corrigendum, emendandumque sit, cognitumque ad Reverendissimum Episcopum loci, aut Vicarium ejusdem, quotiescunque opus fuerit, fideliter referant, ut sciens spirituales necessitates & ægritudines, facilius remedia comparare possit, idcirco Altememorata Serenitas sua hoc institutum approbans, huic Officio proponit eos, quos in hac schedula annotari fecit, eorumque nomina minime devulganda esse censuit, ut majori diligentia, & libertate huic muneri vacare possint.

Et statim hoc loco porrecta fuit schedula annotatorum Testium non evulgatorum.

FORMA AUTEM JURAMENTI pro his Testibus Synodalibus hæc fuit:

EGo NN. uti Testis Synodalis a Serenissimo & Reverendissimo Episcopo ac Clementissimo Domino meo deputatus, promitto, spondeo & juro, quodammodo inantea quicquid novi, aut audivi, aut postmodum inquisiturus sum, quod contra voluntatem DEI, & rectam Christianitatem in Diœcesi, vel districtu mihi commisso factum sit, vel futurum erit, si in diebus meis evenerit tantum, ut ad meam cognitionem quocunque modo, si scivero, aut indicatum fuerit mihi, Synodalem causam esse, & ad Ministerium Serenissimi uti Episcopi pertinere, quod nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam ullatenus intimare omittam, Serenissimo Principi uti Episcopo, aut ejus Vicario, seu Officiali, quem hoc inquirere jussit, quando ex hoc me interrogaverit, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Evangelia.

In principio erat Verbum, &c.

Posthæc promulgatum fuit Decretum *de eligendis Punctatoribus*, sub hoc tenore:

SErenissimus ac Reverendissimus in Christo Pater, Princeps, ac Dominus noster Clementissimus, D. MAXIMILIANUS HENRICUS, Archi-Episcopus & Princeps Elector Coloniensis, uti Episcopus Hildesheimensis &c. edicit, ab unoquoque ex Venerabilibus Capitulis tam Cathedralis suæ, quam Collegiatarum eligi Punctatores, qui absentes in libro notent, ac sexto quoque mense ad Serenitatem suam punctationum notulam deferant, & huic officio ex unoquoque Capitulo proponit in hac schedula annotatos, non publicandos, qui secreto etiam ad præscriptam formam posthæc debitum præstent Juramentum.

Et mox porrecta est schedula Punctatorum.

FORMA JURAMENTI Punctatorum.

EGo N.N. Punctatoris officium, quod in nostra Ecclesia NN. suscepi, per hæc sancta DEI Evangelia juratus promitto, & spondeo, me fideliter & sincere, quantum in me est, executurum; sic me Deus adjuvet & sancta hæc Evangelia.

In principio erat Verbum, &c.

Posthæc Archi-Diaconus legit Decretum *de Casibus reservatis.*

QUoniam expedit pro temporum varietate Casus reservatos a Reverendissimo Episcopo aliquando mutari, ideo quo plenius Casus Serenissimæ suæ Celsitudini, uti Episcopo Hildesheimensi reservatos omnes norint. Ideo casus hujusmodi edicit, & horum tabellam sequentem in modum publicari mandavit.

Confestim publicabatur ab Archi Diacono tabella Casuum.

Veneficia, incantationes, sortilegia.
Homicidium voluntarium.
Percussio propriorum parentum deliberata.
Stuprum cum violentia, raptus, incestus cum consanguineis, aut Sanctimonialibus.
Bestialitas, sodomia, procuratio abortus, animato fœtu, etiam effectu non secuto, perjurium in judicio factum.
Blasphemia enormis.
Crimen incendiariorum.
Reiteratio Baptismi, Confirmationis, & Ordinis tam activa, quam passiva.
Violatio immunitatis aut libertatis Ecclasiasticæ.
Violatio sigilli Confessionis.
Falsificatio Literarum publicarum.
Conjugis machinatio in mortem alterius conjugis.
Abusus Sacramentorum ad vana & superstitiosa.

Deinde Archi-Diaconus legit sequens Decretum *de Vigiliis & Festis.*

Porro Altememorata Serenitas sua dies Festos, qui in Civitate & Diœcesi hac sua Hildesheimensi tam ex universali S. Matris Ecclesiæ mandato, quam de consuetudine hujus Diœcesis servari debent, annue evulgari decernit; Et tam Parochis, ut Festorum hujusmodi ac Vigiliarum & Jejuniorum aliorum dierum observantiam sedulo denuncient, ac procurent, quam etiam reliquis omnibus de Venerabili Clero suo hic præsentibus præcipit, ac mandat, Vigilias, & festa Breviarii Romani hactenus recepta, nec non annue publicandi Calendarii Hildesheimensis Ss. Patronorum *Berwardi*, *Godehardi* & *Epiphanii* festa ad normam Cathedralis modo, loco, & tempore debitis observari.

Porro publicatum fuit Decretum *de Cathedratico solvendo*, ut sequitur:

Sacrorum Canonum jure, sancitum est, ut in Diœcesana Synodo a singulis Parochis Cathedratici nomine, duo solidi exigantur, idque argumento honoris, qui Cathedrali Ecclesiæ tanquam Matrici a cæteris Parochialibus Ecclesiis tribui debet, quæ summula licet fortasse per longissimum temporis spatium a Parochis hujus Civitatis, & Diœcesis persoluta non fuerit, ea tamen debita est Cathedrali, nec præscribi potest. Etsi igitur Cathedraticum hoc jure exigi posset, attamen Altememorata sua Serenitas perpessas temporum injurias perpendens, id pro hac vice clementissime condonat, & remittit.

Hoc loco Altememoratæ Serenitatis suæ Officialis Decreta ejusdem specialia publicavit, ut sequitur:

HÆc sunt nonnulla Decreta Reformationis, condita a Serenissimo & Reverendissimo Principe ac Domino nostro Clementissimo, D. MAXIMILIANO HENRICO, Archi-Episcopo & Principe Electore Coloniensi; uti Episcopo Hildesheimensi, ad usum præsentis S. Synodi, quæ mandat omnibus & singulis, qui eidem S. Synodo interesse tenentur, ut ea suscipiant, & apud se retineant, & observent, atque ab aliis etiam, ad quos pertinet, observari studeant.

Decreta Synodalia hic lecta, quæ incipiunt:

Serenissimi ac Reverendissimi Principis ac Domini,
D. MAXIMILIANI HENRICI, Archi-Episcopi & Principis Electoris Coloniensis, Episcopi & Principis Hildesheimensis, &c.

DECRETA SYNODALIA.

MAXIMILIANUS HENRICUS, DEI ET APOSTOLICÆ Sedis gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi Episcopus, Episcopus Hildesheimensis. Universis & singulis Abbatibus, Præpositis, Decanis, Archi-Diaconis, Capitulis, Conventibus Cathedralis, & Collegiatarum Regularium & sæcularium, Parochialiumque Ecclesiarum, & Divinorum Rectoribus, totique Clero Civitatis & Diœcesis nostræ Hildesheimensis, Salutem in Domino sempiternam.

CUm ex singulari DEI gratia, ad Ecclesiarum Nobis subjectarum disciplinam recte constituendam, atque ad Cleri, ac plebis Nobis commissæ salutem promovendam, adeoque ad totius Pastoralis muneris nostri functionem pro virili exequendam, juxta Ss. Concilii Tridentini præscriptum, ac Ss. Canonum Sanctiones, Diœcesanæ Synodi celebrationem compluribus annis, temporum injuria intermissam, in Cathedrali hac nostra Ecclesia, more Majorum, inpræsentiarum pristinæ observantiæ feliciter restituerimus. Visum Nobis fuit, in hac sancta Synodo de Venerabilis Capituli nostri consilio pariter & assensu decernere, definire, ac præcipere, prout per præsentes decernimus, definimus, ac præcipimus, ut sequitur:

Ante omnia, ut Fides nostra Catholica, sine qua impossibile est placere DEO, purgatis erroribus, in sua since-

finceritate integra & illibata permaneat, atque ne Paſtorali noſtræ curæ commiſſus grex omni vento doctrinæ circumferatur, tum Eccleſiaſtica diſciplina reſtauretur, & quod in moribus Cleri ac populi deformatum eſt, emendetur. Volumus, ut Ss. Concilii Tridentini Decreta, quemadmodum ea ſuperioribus annis in Diœceſana Synodo per Prædeceſſorem noſtrum laudatiſſimæ memoriæ, Sereniſſimum ac Reverendiſſimum FERDINANDUM, Archi-Epiſcopum Colonienſem, & Epiſcopum Hildesheimenſem, Præſidente Reverendiſſimo FRANCISCO GUILHELMO, Epiſcopo Oſnabrugenſi publicata, ac recepta ſunt, tam quoad Fidei, quam quoad morum Decreta, ab omnibus obſerventur, ac ſecundum eà omnes & ſinguli vitam ac mores inſtituant, nec ab ejus doctrina, & regulis credendi, ulla ratione deviare, & abſcedere tentent.

Prælati, Capitula, Conventus, ad quos ſuorum correctio, & reformatio de jure, vel conſuetudine ſpectat, & pertinet, ſibi immediate ſubjectos corrigant, & reforment juxta Decreta hæc noſtra, atque hujusmodi correctionem intra trimeſtre faciant, & cum effectu adimpleant; alioquin eorum correctio, & reformatio ad Nos tanquam Superiorem ſtatim devolvetur.

Inſuper omnibus & ſingulis Eccleſiaſtici Ordinis, & ſtatus hominibus, Canonicis, & Beneficiatis præcipimus, & mandamus, ut in Eccleſiis, Capellis, & Beneficiis ſuis curatis, & non curatis, ſecundum fundationes eorum reſideant, atque ad ordinem illum, quem Beneficia ſingulorum requirunt, & ſe faciant absque dilatione promoveri, niſi ex rationabili cauſa cum ipſis a Nobis fuerit diſpenſatum.

Porro Beneficiati omnes plura Beneficia obtinentes, intra tres menſes de eorum titulis coram Vicario noſtro reſpondeant, ut circa pluralitatem Beneficiorum procedere, & exequi valeamus ea, quæ Ss. Canonibus, & Conciliis ſtatuuntur.

Regularium, & Religioſorum caſtimoniam æmulantes fœdum concubinatus, aut incontinentiæ vitium evitent omnes, nec ullas perſonas quoquo modo ſuſpectas intra, vel extra domum reſidentiæ ſuæ foveant, ſed longiſſime a ſe abdicent, ſub pœnis in Concilio Tridentino contra eosdem comprehenſis.

Eccleſiaſtici in tonſura, & habitu Clericali decenti, non deformi, nec nimis brevi, ſed aliqualiter talari, ut a Laicis dignoſci poſſint, impoſterum ſub pœnis Ss. Canonum ſemper incedant, neque in Eccleſiis, Immunitatibus, ſepulturis, aut publicis conſeſſibus, quoad fieri poteſt, aliter compareant, eodem modo pallium quotidianum Eccleſiaſticorum ſit talare, aut ad minimum infra, aut ad genua honeſte demiſſum.

Sacerdotes Miſſam celebraturi ita amictum accommodent, ut nihil de collari tempore Miſſæ videri poſſit, idemque faciant Miniſtrantes, atque ut eadem inter omnes ſacrorum rituum, & cæremoniarum ſit obſervantia & conformitas.

Volumus, ut Parochi ad normam noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, Pontificali Breviario, & Agenda Romana impoſterum utantur, nec minus reliqui Sacerdotes, aut etiam ad Sacerdotium aſpirantes, Miſſalis Romani Rubricas habeant, & juxta easdem publice, & privatim Miſſas devote celebrent.

Ordinandus, vel ordinatus, quicunque impoſterum primam Miſſam ſine auctoritate & licentia noſtra, aut etiam Vicarii noſtri in Spiritualibus Generalis celebrare non præſumat.

Parochi quoque parvulos ſeu catechumenos extra Eccleſias, & in privatis locis, niſi neceſſitate urgente, non baptizent, unusque Patrinus in Baptiſmate, & Confirmatione tantum, ſive vir, ſive mulier, juxta Ss. Concilium Tridentinum, & Ss. Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus & una baptizatum de Baptiſmo, confirmatum de Confirmatione ſuſcipiant.

Omnes & ſinguli Divinis mancipati Officiis, diligenter iisdem interſint, Officium Divinum, & nocturnum in Miſſis, & Horis Canonicis, ſecundum laudabiles Eccleſiarum ſuarum conſue-

tudines, ac universalis Ecclesiæ Ordinationes decenti reverentia, & devotione peragant, ita ut in his peragendis unus per alium se non excuset. Similiter Vigilias defunctorum, memoriasque in Ecclesiis suis fundatas non negligant.

Nullus tempore Divinorum in Ecclesia sua, aut ambitu, & atrio ejus divagetur, nec vana & inutilia colloquia conferendo consistant, aut spatiando deambulent, sicque in morum, & vitæ honestate, laudabiliter secundum sacrorum Canonum, Statutorumque Provincialium, & Episcopalium dispositionem & sanctionem se regant, & gerant, ut operum suorum, & rectæ vitæ, bono exemplo subditis, & simplicioribus iter salutis ostendant.

Corporalia mundissima sint, Altare sit coopertum, mundis linteis saltem tribus diversis, & desuper nihil ponatur, nisi Reliquiæ & res sacræ, & pro Sacrificio opportunæ, nullus etiam extra Ecclesiam in locis non consecratis celebret, aut Baptismi & Matrimonii Sacramentum administret.

Præterea omnibus & singulis Ecclesiasticis districtius inhibemus, ne quis, nisi necessitatis tempore, tabernas publicas, aut popinas intret, ibidemve potitet, neve quis tabernarii officium domi suæ assumat, aut negotiationes illicitas exerceat, sed potius ab hujusmodi, atque in genere ab omnibus abstineat, quibus æstimatio instituti Clericalis minui, & proximus scandalizari possit.

Religiosis, cujuscunque demum Ordinis fuerint, serio mandamus, ne ipsi, aut aliqui ipsorum intra septa Monasteriorum suorum, aut extra ea, mulieres, aut personas suspectas secum habeant aut foveant, habitumve suæ Religionis, sive Professionis temere dimittant, alias vero vestitum sui Ordinis in publico juxta professionis suæ regulam sine gravi causa, & absque Superioris sui præscitu deferre negligentes, & contra votum, & institutum suæ Regulæ se seculo ingerentes, excommunicationis sententiam de facto incidisse, per præsentes declaramus.

Moniales de suis Cœnobiis, sive Monasteriis, sine rationabili causa, a Vicario nostro in Spiritualibus Generali prius cognita, atque in scriptis approbata, & manifesto consensu Superioris sui non exeant, sed Superior earum ipsas sub diligenti clausura & custodia habeat, & teneat, serioque interdicimus, ne personæ Ecclesiasticæ, vel sæculares utriusque sexus, nisi ex necessaria causa & obtenta in scriptis vel a supradicto Vicario nostro in Spiritualibus, aut a Superioribus Ordinis licentia, & honesto cum comitatu Monasterium Monialium intrent sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ tam ab intrantibus, quam ab introducentibus, neque etiam quisquam Regularium confessiones Monialium audiat, aut iisdem Sacramenta aliqua administret, nisi prius a Nobis, aut Vicario nostro in Spiritualibus Generali, idonei judicati, atque in scriptis fuerint approbati.

Inter omnia Ss. Eucharistiæ Sacramentum ob veram, & realem in eo existentiam, & præsentiam totius Corporis, Sanguinis ac Divinitatis Christi sanctissimum est. Ideoque illi merito ab omnibus Christi fidelibus, idem latriæ cultus, qui Christi DEI Filio ad dexteram Patris considenti in Cœlis exhibetur, exhibendus est; Nos itaque ad cultum hunc promovendum, & ne quis hoc Sacramentum, veluti rem profanam sacrilege habeat, statuimus, ac decernimus, ne Sacrosancta Eucharistia in alio loco, quam in publico Oratorio, seu Ecclesia asservetur, nisi forsan tempore persecutionis, atque ut Sacrarium sive Tabernaculum sit splendidum, si fieri potest, in ipso altari majori, aut Capella alia ad hoc deputata ordinatum, cujus claves nequaquam Custos, aut Sacristanus, sed Pastor Ecclesiæ, aut Vicarius in Parochiis: in Collegiatis vero Decanus, aut cui id ex consuetudine competit, penes se conservet.

Particulæ vero infirmis, & alias communicaturis asservari solitæ, in singulos menses ad minus mutentur; lumen ad Tabernaculum perpetuo ardeat, vasa sacra, & corporalia, seu lintea pro Consecratione, conservatione, ostensione, deportatione Sanctissimi

mi hujus Sacramenti deputata, munda ſint ex materia, & forma debitis, atque benedicta.

Omnes fideles ad minimum in Paſchate communicent ſub pœnis Cap. *Omnis utriusque ſexus*, a Concilio Lateranenſi ſtatutis, nec tamen ad Communionem admittantur, niſi per præviam confeſſionem peccata ſua expiaverint, & ab iisdem fuerint Sacramentaliter abſoluti: Moneanturque a Confeſſariis rudes, qua animi, qua corporis præparatione, diſpoſitione ac devotione ad tantum Sacramentum accedere, atque illud ſumere debeant. Nullus uno die ſæpius ad ſacramSynaxin admittatur, neque amentes, neque furioſi, niſi ſub lucidis intervallis, neque excommunicati, & cum æque ſub una, ac altera ſpecie conſecrata, totus Chriſtus contineatur, decernimus communem Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem, juſtiſſimamque legem de Communione ſub ſpecie panis duntaxat a Laicis facienda, in Diœceſi noſtra obſervari. Ad ægrotos cum deferendum fuerit Sacramentum Sacerdoti ſuperpelliceo, & ſtola induto Miniſter lumen & aquam benedictam præferet, ac tintinnabili ſonitu obvios ad adorandum Corporis Dominici Sacramentum excitabit, curabitque, ut etiam alii honeſtiores viri Sacerdotem ſequantur, ipſe vero neminem cujuscunque ſtatus, aut conditionis obvium per viam ſalutabit, denique tam infirmum, ejusque domum & incolas, quam populum in Eccleſia præſentem, aut ejus nomine Miniſtrum, aſſiſtentem benedicet.

Cum adminiſtratio Sacramenti Pœnitentiæ actus ſit jurisdictionis, qui proinde ab illegitimo Judice aliquando exerceri non poteſt. Cupientes abuſibus, qui circa hoc irrepere poſſent, quantum Nobis a Domino conceditur, obviare, volumus, ut omnes Diœceſis noſtræ ſubditi fideles ad minimum ſemel in anno peccata ſua proprio Sacerdoti confiteri non omittant. Nullus autem Sacerdos, etiam Regularis, quamtumvis exemptum ſe dicat, quovis prætextu præſumat, audire Sæcularium confeſſiones, etiam Sacerdotum; (excepto mortis articulo) niſi aut Parochiale Beneficium legitime obtineat, aut a Nobis, vel a noſtro Vicario per examen, aut alias idoneus fuerit judicatus, aut approbationem in ſcriptis obtinuerit; Nullus etiam quantumvis approbatus, & admiſſus aliorum confeſſiones audiat, quam quos noverit ordinariæ, aut ſubdelegatæ ſuæ poteſtati eſſe ſubjectos, nec a caſibus S. Apoſtolicæ Sedi, aut Nobis reſervatis abſolvere præſumat; Quia nihil ageret, præterquam quod pœnitentem falleret, & propriam læderet conſcientiam, & caſus quidem S. Sedi Apoſtolicæ præfatæ reſervatos ex Bulla *Cœnæ*, & Corpore juris communis, Navarri Enchridio, Confeſſariorum, aliorumque doctorum virorum ſcriptis libris haurire potuerunt curati; Ne vero etiam ignorantiam prætendere poſſint eorum, quæ ob gravitatem delictorum in hac Diœceſi noſtra Hildeſienſi Nobis, aut Vicario noſtro reſervata ſint, eos in ſequenti tabella conſcribere, & præſentibus Decretis inſerere viſum fuit, ſtatuentes, ut hi ſolum habeantur pro caſibus Epiſcopalibus Nobis reſervatis, a quibus inferiorum Sacerdotum, nemo quemcunque pœnitentem abſolvere poſſit.

- Veneficia, incantationes, ſortilegia.
- Homicidium voluntarium.
- Percuſſio propriorum Parentum deliberata.
- Stuprum cum violentia, raptus, inceſtus cum conſanguineis aut Sanctimonialibus.
- Beſtialis, ſodomia, procuratio abortus animato fœtu, etiam effectu non ſecuto.
- Perjurium in judicio factum.
- Blasphemia enormis.
- Crimen incendiariorum.
- Reiteratio Baptiſmi, Confirmationis & Ordinis tam activa, quam paſſiva.
- Violatio immunitatis, aut libertatis Eccleſiaſticæ.
- Violatio ſigilli confeſſionis.
- Falſificatio literarum Apoſtolicarum publicarum.
- Conjugis machinatio in mortem alterius conjugis.
- Abuſus Sacramentorum ad vana & ſuperſtitioſa.

DE

De Executione Decretorum supra scriptorum.

CÆterum per horum Decretorum promulgationem & publicationem non intendimus Antecessorum nostrorum, & nominatim VALENTINI Episcopi edita laudabilia Statuta Synodalia abrogare, aut iisdem, nisi quatenus Ss. Concilii Trident. Decretis, & superioribus nostris expresse contraria reperiuntur, in aliqua re derogare; Omnibus & singulis Diœceseos nostræ Hildesheimensis Prælatis, Abbatibus, Præpositis, Decanis, Capitulis, Conventibus, Rectoribus, Parochis, Vicariis, Capellanis, Presbyteris, Clericis, & Laicis in virtute S. Obedientiæ, & sub obtestatione Divini judicii districte præcipiendo mandantes, ut suprascripta omnia, prout quemlibet eorum concernunt, observent, atque faciant observari, ad laudem DEI Omnipotentis, cui honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Maximilianus Henricus
Archiepisc. & Elector Colon.
Episc. Hildesheimensis &c. mpp.

(L.S.)

Omnibus silentibus, ac Decretis Synodalibus recitatis, deferentibus alter Notariorum alta voce pronunciavit:

Omnes & singuli, qui huic S. Synodo Diœcesanæ interesse debent, nominatim vocati respondeant: Adsum.

Mox singuli præsentes ordine lecti, responderunt: *Adsum.*

Posthæc Promotor accusavit contumaciam absentium in hunc modum:

Serenissime ac Reverendissime Princeps, Clementissime Domine. Cum aliqui hujus Diœcesis Clerici, qui huic Synodo interesse debebant, adeo vel negligentes, vel contumaces fuerint, ut ad hanc S. Synodum venire omiserint, neque ad se excusandum de justo impedimento nuncium miserint, idcirco pro officii mei necessitate, eorum contumaciam accusando a Serenissima & Reverendissima Celsitudine vestra humillime postulo, ut ad reliquos juris gradus procedi velit, & committi, Citationem ad valvas hujus Ecclesiæ affigendam, jubeatque, ut omnes ii, qui huic S. Synodo non interfuerunt, nec nomina sua ad Notarios detulerunt, nec se, quamobrem abfuerint, excusarunt, certa ad hoc die præstituta, coram Serenissimæ Celsitudinis vestræ Deputatis compareant, ad videndum se uti negligentes, & contumaces juxta Juris & Ss. Canonum Decreta puniri.

De mandato Serenitatis suæ Archi-Diaconus dixit:

Serenissimus ac Reverendissimus Princeps admittit & committit.

Posthæc Serenissima sua Celsitudo in Sede sua cum mitra considens, congregatos ita exhortata fuit.

FRatres dilectissimi, & Sacerdotes Domini, Cooperatores Ordinis nostri estis. Nos, quamvis indigni, locum Aaron tenemus, vos autem locum Eleazari & Ithamari. Nos vice duodecim Apostolorum fungimur, vos ad formam septuaginta duorum Discipulorum estis. Nos Pastores vestri sumus, vos autem Pastores animarum vobis commissarum. Nos de vobis rationem reddituri sumus Summo Pastori nostro Domino JESU CHRISTO, vos de plebibus vobis commendatis. Et ideo, Fratres dilectissimi! videte periculum vestrum. Admonemus itaque, & obsecramus Fraternitatem vestram, ut quæ vobis suggerimus, memoriæ commendetis, & opere exercere studeatis. In primis admonemus, ut vita & conversatio vestra sit irreprehensibilis. In domibus vestris mulieres suspectæ non cohabitent. Officium vestrum horis certis decantate. Nullus, nisi jejunus, Missam celebret, & non in vestibus communibus, sed sacris, & nitidis, amictu, alba, cingulo, manipulo, stola, & casula, quæ ad alios usus non serviant. Missas religiose celebrate: Corpus & Sanguinem Domini nostri JESU CHRISTI cum omni reverentia & tremore sumite. Corporalia mundissima sint. Vasa sacra propriis manibus abluite, & extergite diligenter. Nulla fœmina ad altare Domini accedat, nec calicem Domini tangat. Altare sit coopertum mundis linteis, saltem tribus diversis. Et desuper nihil ponatur, nisi Reliquiæ, ac res sacræ, & pro Sacrificio opportunæ. Missale, Breviarium, & Martyrologium, unusquisque habeat. Ecclesiæ vestræ bene sint coopertæ, & mundæ. In Sacristiis, sive Secretariis, aut juxta

ta altare majus sit locus præparatus ad infundendum aquam ablutionis corporalium, & vasorum sacrorum, ac manuum, postquam sanctum Chrisma, aut Oleum Catechumenorum, vel Infirmorum tractaveritis. Ibique pendeat vas cum aqua munda, pro lavandis manibus Sacerdotum, & aliorum, qui rem sanctam & Officium Divinum sunt peracturi, & prope, linteum mundum ad illas abstergendum. Atria Ecclesiæ sint bene munita. Nullus sine scitu & consensu nostro, per potestatem sæcularem, Ecclesiam obtineat. Nullus Ecclesiam, ad quam intitulatus est, dimittat, & ad aliam quæstus gratia se transferat. Nullus plures Ecclesias sine titulo, & contra sacrorum Canonum dispositiones nancisci præsumat. Nullatenus etiam una Ecclesia inter plures dividatur. Nullus extra Ecclesiam in locis non consecratis celebret. Nullus alterius Parochianum, nisi itinerantem, & tunc de Rectoris sui licentia, ad Communionem recipiat. Nullus in alterius Parochia absque proprii Sacerdotis licentia Missam celebret. In celebratione quisque calicem & oblata, non circulo aut digitorum vacillatione, ut quidam faciunt, sed junctis & extensis digitis Cruce signet, sicque benedicat. Calix & patena sint aurei vel argentei, non ærei aut aurichalcei, vitrei, vel lignei. Quisque Presbyter Clericum habeat, vel Scholarem, qui cum eo Psalmos cantet, Epistolam & Lectionem legat, & in Missa respondeat. Ipse quoque Presbyter infirmos visitet, & reconciliet, & juxta Apostolorum, propria manu communicet, Oleo sancto inungat. Nullus præsumat tradere Communionem Laico, aut fæminæ, ad deferendum infirmo. Nullus pro baptizandis infantibus, sive adultis, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis sepeliendis, præmium vel munus exigat. Per negligentiam vestram, nullus infans sine Baptismo, & adultus sine Communione pereat. Nullus vestrum sit ebriosus, aut litigiosus. Nullus arma ferat. Quisque vestrum, quantum sapit, de Evangelio Dominico, & cæteris festivis diebus suæ plebi annunciet. Verbum Domini prædicate. Curam pauperum, peregrinorum, viduarum, & orphanorum habete, ipsosque peregrinos ad prandium vestrum vocate. Estote hospitales, aliis exinde bonum exemplum præbentes. Singulis diebus Dominicis ante Missam aquam, qua populus adspergatur, benedicite, ad quod proprium vas habete. Sacra vasa, & vestimenta Sacerdotalia, nolite negotiatori aut tabernario in pignus dare. Minus digne pœnitentem cujuscumque rei gratia ad reconciliationem non adducite, neque ei reconciliationis testimonium perhibete. Usuras non exigite. Nullus etiam res, possessiones, aut mancipium Ecclesiæ vendere, commutare, aut quocumque ingenio præsumat alienare. Nullus decimam ad alium pertinentem recipiat. Quisque Fontes baptismales lapideos habeat bene mundos; quos si habere non poterit, vas aliud ad hoc opus solum deputatum teneat. Omnibus Parochianis vestris Symbolum Apostolorum, & Orationem Dominicam insinuate. Jejunia Quadragesimæ, Quatuor temporum, & alia Ecclesiæ mandata significate observanda. Ante Quadragesimam quarta feria populum ad peccatorum confessionem invitate, & confessis juxta qualitatem criminum pœnitentiam injungite. Tribus temporibus in anno, id est, Nativitate Domini, Pascha, & Pentecoste, omnes fideles accedere Communionem Corporis Domini nostri JESU CHRISTI admonete, & ne desit ullus, quin saltem in Pascha communicet. Nullus vestrum rubeis, aut viridibus, vel laicalibus vestibus utatur. Diem Dominicam, & cæteras festivitates, absque opere servili, a vespera in vesperam celebrari docete. Cantus & choreas mulierum in atrio Ecclesiæ prohibete. Cum excommunicatis nolite communicare. Ne quis vestrum in eorum præsentia celebrare præsumat, quod etiam plebi nunciate. Et nullus ex plebe uxorem domum ducat, nisi prius nuptiæ, temporibus ab Ecclesia permissis, publice fuerint celebratæ. Quod nullus ad raptam vel consanguineam accedat, aut alterius sponsam ducat, omnimodis prohibete. Porcarios, & alios pastores, saltem Dominica die faciatis venire ad Missam. Patri-

Patrinos, ut filios Symbolum & Orationem Dominicam doceant, aut doceri faciant, exhortamini. Sacramentum Euchariſtiæ, ſanctum Chriſma, & Oleum Catechumenorum ſeu infirmorum in Eccleſia in loco mundo, condecenti, & ſecuro, ſub ſera & fida cuſtodia diligenter ſervate. Quisque veſtrum expoſitionem Symboli & Orationis Dominicæ juxta orthodoxorum Patrum traditiones penes ſe habeat, easque atque Orationes Miſſarum, & Epiſtolas, Evangelia, & Canonem bene intelligat, ex quibus prædicando, populum ſibi commiſſum ſedulo inſtruat, & maxime non bene credentem. Introitum Miſſæ, Orationes, Epiſtolam, Graduale, Evangelium, Symbolum, & cætera non ſecreta, ſed alta & intelligibili voce proferat. Secreta vero, & Canonem moroſe & diſtincte ſubmiſſa voce legat. Pſalmorum verba & diſtinctiones regulariter cum canticis conſuetis intelligibiliter pronuntiet. Symbolum S. Athanaſii de Trinitate & Fide Catholica memoriter teneat. Exorciſmos & orationes ad Catechumenos faciendos, ac reliquas preces ſuper maſculum & fœminam, pluraliter, vel ſingulariter reſpective, diſtincte proferat. Ordinem baptizandi, & ad ſuccurrendum infirmis, reconciliationis & commendationis animæ, & in agendis exequiis defunctorum, juxta modum Canonicum obſervet. Exorciſmos & benedictiones ſalis & aquæ pertinenter legat. Canticum diurnum & nocturnum ſciat. Computum etiam minorem ad inveniendum literam Dominicalem, tempus intervalli diei Paſchæ, & majorum mobilium Feſtorum non ignoret. Volumus autem, Fratres dilectiſſimi, quatenus, quæ noſtra percepiſtis traditione, bonis ſtudeatis operibus adimplere, præſtante Domino noſtro JESU CHRISTO, cui cum Patre & Spiritu Sancto, eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum.

Quo peracto, Promotor finem S. Synodo imponi inſtitit in hunc modum:

Ego Joannes Matthiſius, *hujus S. Synodi Promotor, cum videam omnia, quæ ad Synodi celebrationem, ex præſcripto Ss. Concilii Tridentini requirantur, in præſenti S. Synodo eſſe confecta, & decreta, apud Sereniſſimam Celſitudinem veſtram humillime inſto, ut eadem S. Synodus nunc terminetur, & Clerus omnis ad ſuas Eccleſias, & munera obeunda dimittatur.*

Tum ex mandato Serenitatis ſuæ Archi-Diaconus Decretum de finienda S. Synodo ita promulgavit.

Sereniſſimus ac Reverendiſſimus in Chriſto Pater, Princeps ac Dominus noſter Clementiſſimus, ut cum gratiarum actione finis S. Synodo imponatur, decernit.

Poſt hæc Promotor inſtantiam fecit, ut de præmiſſis omnibus in S. Synodo propoſitis, tractatis, decretis, & definitis publicum in Actis Archivii Epiſcopalis conficeretur inſtrumentum a Notariis ad hoc deputatis.

De beneplacito Serenitatis ſuæ Archi-Diaconus dixit:

Sereniſſima Celſitudo ſua id confici, & expediri ſerio mandat.

Porro idem Archi-Diaconus ſubjungebat:

Decretorum hujus Diœceſanæ S. Synodi obſervationem ſalutarem omnes, qui adſumus, unanimi voto a DEO bonorum omnium largitore humiliter imploremus, intercedente Deipara Virgine MARIA Domina noſtra cum Ss. Apoſtolis Petro & Paulo, Beatis Godehardo, Epiphanio, Barwardo, aliisque hujus Civitatis ac Diœceſis Patronis, ac Sanctis omnibus.

Clerus reſpondit: *Amen, Amen.*

Campanis dein ſonantibus, omnibusque in genua procumbentibus, ipſe Sereniſſimus Princeps genuflexus, incepit SS. Ambroſii & Auguſtini Hymnum: *Te Deum laudamus*, cujus primo verſu finito, ſurrexerunt omnes, & cum Choro muſico Hymnum prædictum alternis vicibus graviter proſecuti ſunt. Interea Sereniſſimus Princeps ſine mitra ſtetit verſus ad Altare uſque ad finem Hymni, & hoc abſoluto ſubjunxit.

OREMUS.

Nulla eſt, Domine, humanæ conſcientiæ virtus, quæ inoffenſe poſſit tuæ voluntatis judicia experiri, & ideo, quia imperfectum noſtrum vident oculi tui, perfectioni deputa miſericors Deus, quod perfecto æquitatis fine concludere peroptamus: te in noſtris principiis occurſorem popoſcimus, te in hoc fine judiciorum noſtrorum indultorem noſtris exceſſibus ſperamus, ſcilicet, ut ignorantiæ parcas, errore

vori indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris: & quia conscientia remordente tabescimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut præceps forsitan voluntas impulerit justitiam declinare, hoc te poscimus, te rogamus, ut si quid offensionis in hac Synodi celebritate contraximus, te miserante, indulgentiam sentiamus: ut in eo, quod soluturi sumus aggregatam Synodum, a cunctis primum absolvamur nostrorum nexibus delictorum, qualiter & transgressores venia, & confitentes tibi subsequatur remuneratio sempiterna. Per Christum Dominum nostrum.

Resp. *Amen.*

Demum Serenissimus Princeps ope Divina implorata, formato ter signo Crucis, Benedictionem Episcopalem Clero solenniter impertivit: *Sit Nomen Domini benedictum*, &c. & publicata ab Archi-Diacono, ut moris, indulgentia, idem juxta Serenissimum Principem stans, dixit alta voce: *Recedamus in pace.*

Responsum ab omnibus: *In Nomine Christi.*

Quibus expletis, Serenissimus Princeps ad thronum suum rediit, ibidemque Pontificalibus indumentis exutus, versus aram processit orationi aliquamdiu vacans. Inde præeuntibus Illustribus ac Prænobilibus Electoralis Aulæ Proceribus, Consiliariis, &c. ad Episcopale Palatium rediit, stipatus Decano & Cathedrali Capitulo, sequente Clero omni & reliquis Aulæ Ministris.

Ita post hominum memoriam, Diœcesana S. Synodus Hildesheimensis, ipso Serenissimo Principe, uti Reverendissimo Episcopo præsidente, ad laudem ac gloriam Sanctissimæ Trinitatis feliciter cœpta, peracta ac terminata est. Cui benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarnm actio, honor, virtus & fortitudo in sæcula sæculorum, Amen.

Hildesheimii, typis Hermanni Krameri.
Exemplar communicavit Bibliotheca Collegii PP. S. J. Trevirensis.

SYNODUS *VERNA* (*) MONASTERIENSIS,

SUB

CHRISTOPHORO BERNARDO a GALEN,

Monasteriensi Episcopo,

Anno Christi MDCLV. Alexandri VII. Papæ I. Ferdinandi III. Imp. XVII.

DIE XII. OCTOBRIS HABITA.

INDEX TITULORUM.

(*) *Intellige:* Pro Vere indicta.

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI GRATIA ECCLEsiæ Monasteriensis electus & confirmatus Episcopus, Sacri Romani Imperii Princeps, Burggravius in Stromberg, Dominus in Borckelohe &c. Universis & singulis Cathedralis nostræ Ecclesiæ, Monasteriorum & Collegiatarum, Parochialiumque Prælatis, Abbatibus, Præpositis, Prioribus, Decanis, Canonicis, Rectoribus, Curatis & non Curatis, aliisque Personis Ecclesiasticis, Civitatis & Diœcesis nostræ Monasteriensis, Salutem in Domino sempiternam.

SAncta Mater Ecclesia multiplicem utilitatem Conciliorum vel Synodorum jam inde ab Apostolorum temporibus continuata, annorum serie semper experta est & agnovit, dum junctis in Domino ibidem congregatorum non minus precibus, quam animis & consiliis ea mature ac prudenter concluduntur, & servanda proponuntur, per quæ sanæ doctrinæ puritas & morum integritas in Clero & populo illibata possit conservari; Quod Sacrosancta Tridentina Oecumenica Synodus tunc facilius & fælicius impetrandum duxit, si per ipsorummet Archi- & Episcoporum præsentiam Sessiones Synodicæ cohonestarentur & dirigentur, quà quidem in re sicut obligationem nostram agnoscimus, & promptitudinem in Nobis desiderari non posse credimus, sic quomodo ab initio regiminis Nobis a Deo concrediti, tum liberanda ab hostili præsidio patria, tum suscipiendis sumptuosa ac laboriosa solicitudine, Imperii ac subditorum bono, itineribus, tum sedandis, qui nuper emerserunt motibus, distracti & impediti fuerimus, nemo est, qui nesciat. Unde etiam contigit omnino contra votum & intentionem nostram, multorum etiam DEI, Ecclesiæ atque animarum salutem zelantium exspectationem, ut nec hæc quidem Sancta Synodus, more solenni hodie indicta, *eo modo, cumque tam augustis cæremoniis & indulgentiis institui & celebrari potuerit, sicut sancti ac fructuosi operis dignitas requirere, & Pontificalis Romani norma præscribere velle videtur. Ne tamen ex ea parte, qua possumus, Officio nostro Episcopali defuisse videamur, de consilio & assensu Admodum Reverendi nostri Capituli Cathedralis vobis omnibus & singulis tam præsentibus, quam absentibus per præsens insinuamus, intimamus, innovamus & mandamus serio & per meritum salutaris obedientiæ, omnia & singula fidem, vitam ac mores concernentia (quæ pro hic insertis de verbo ad verbum haberi volumus) quæ superioribus Synodis sive per Prædecessores nostros, & Nos, sive eorum & nostra authoritate & commissione celebratis & habitis, ex, & in hoc loco successive insinuata, intimata, innovata & mandata sunt, filialem & omni jure debitam obedientiam & paritionem per Dei gratiam exspectantes.*

Monemus insuper Pastores & Concionatores, ut populum sibi commissum, & auditores suos diligenter & serio cohortentur, quam enixe peccatum quodvis mortale, vel maxime autem detractionis, & murmurationis contra suos a Deo sibi præstitutos Superiores fugere & declinare, Ecclesiæ etiam uti Matris spiritualis præcepta in jejuniorum præsertim & Festorum Catholica observantia adimplere teneantur, quod non difficulter suo ac aliorum merito assequentur, si & ipsi, & qui cum ipsis sunt, de Clero licentiam censendi & syndicandi in hoc passu parcius & cautius coram Sæcularibus usurpent, atque in tractandis Officiis & servitiis Divinis, tam in Missarum celebratione, & Sanctissimorum Sacramentorum administratione, quam Horarum Canonicarum & Vigiliarum pro mortuis decantatione minorem nauseam, præcipitantiam, & damnabilem vilitatem deinceps præ se ferant. Quis enim non videat publica quidem hac, sed tamen tumultuosa prece, & sordido apparatu Deum populo suo minus conciliari, plus vero ad continuanda, vel submittenda alia atque alia bellorum & malorum flagella proritari? Serviet etiam huic proposito, si precariæ Missæ, quas in singulos menses usque ad finem hujus anni impresso Edicto *sub dato de* 21. *Januarii* clementissime ordinavimus & Superioribus & Pastoribus locorum devote celebrentur, populusque frequens ad hasce, prout & ad Sacramentorum frequentationem & Communionem Paschalem tuba Sacerdotali convocatus concurrat; sic enim Deus flagella iracundiæ, quæ Ecclesiæ, Imperio, & Patriæ, peccatis nostris ita exigentibus non per umbram, sed evidenter

ter impendere & imminere videntur, clementer avertet.

Concludentes precamur DEUM, fontem omnis boni, Authorem & Conservatorem optimarum intentionum & actionum, ut, ficut fub Principe Nehemia poft folutam captivitatem Babylonicam, ad reftaurandum Templum & ædificandos muros Jerufalem quadraginta duo millia virorum, quafi vir unus, prompto ac hilari animo convenerunt, fic ad ædificandam & reftaurandam Jerufalem fpiritualem, ejusque murum, id eft, Clerum, Nobiscum & cum Archi-Diaconis, qui in partem oneris Nobis a Deo adjuncti funt, omnes unanimiter in unum hunc fcopum colliment, ut videntes abufus, & audientes mala, atque fubodorantes pericula, quæ a jufto peccatorum vindice Deo non leviter timemus, vitam quisque fuam in fuo gradu & ftatione, Deo fideliter ferviturus, in melius emendet, atque in proximis vita, zelo, & exemplo fubmotis fcandalis emendari officio aut charitate ftimulante, vefte etiam talari & Clericali ceu pœdagogo monente, procuret realiter & cum effectu.

Quem in finem Paternam quoque noftram & Epifcopalem Benedictionem vobis omnibus & fingulis libenter impertimur, & præfentes manus noftræ fubfcriptione, & figilli fubimpreffione fignari fecimus. Datum & fignatum Monafterii anno Millefimo fexcentefimo quinquagefimo quinto, die 8. Martii.

Chriftophorus Bernardus mpp.

(L. S.)

Synodus Autumnalis proxima hoc anno celebrabitur Feria III. poft Sanctorum Gereonis & Victoris cum indulgentiis & folemnitatibus in Ecclefia Dei receptis, & in Pontificali Romano præfcriptis, ad quam omnes & finguli, qui pro obligatione vel decore aut alio ex titulo comparere debent, cum hoc evocantur & invitantur.

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI gratia, Epifcopus Monafterienfis, &c. &c.

ETfi nihil minus fperandum videbatur, quam fore ut Decreto noftro anno 1651. contra non Refidentes authoritate noftra emanato, & in fingulis deinceps Synodis publicato & repetito, tam exigua paritio deferatur, attento, quod vix quisquam non Refidentium ab eo tempore, pro obligatione fibi ex jure, fundatione & confcientia incumbente, ad defserviendum in loco fundati Beneficii fe qualificarit &c. Hinc eft, quod fæpefatum Decretum denuo publicandum, & per affixionem in Choro vel Sacriftia cum expreffo confenfu Venerabilis Capituli noftri Cathedralis faciendam vobis omnibus & fingulis infinuandum duximus, cum hac ultimata & feria declaratione, contra eos, qui hucusque perfonalem refidentiam in locis Beneficiorum fuorum facere contumaciter neglexerunt, ad privationem procedi debere realiter & cum effectu: nifi docuerint rationabiliter, & ex caufis fecum effe fuper hoc puncto difpenfatum. Mandantes cum hoc clementiffime Collegiatarum & Parochialium Ecclefiarum vel Capellarum Superioribus aut Rectoribus feriam hanc noftram declarationem tam Patronis, quam Poffefforibus non refidentibus infra menfis fpatium debite notificari, ne ad elufionem juftitiæ, vel impediendum jus devolutionis, ignorantiam vel præcipitantiam, aut aliud fimile quid in futurum irrevelanter prætendere poffint.

Eft autem tenor Decreti, ut fequitur:

SErio & frequenter confideranda judicamus, quæ Spiritu Sancto dictante, a S. Concilio Trident. *de odiofa Beneficiorum pluralitate, ac Clericorum Refidentia perfonali*, tum alibi, tum præcipue *Seff.* 24. *Cap.* 17. *de Reformat.* fequentibus verbis proponuntur:

" Cum Ecclefiafticus Ordo pervertatur, quando unus plurium Officia occupat Clericorum, fancte facris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclefiis confcribi. Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu fe ipfos, non Deum decipientes, ea, quæ bene conftituta funt, variis artibus eludere, & plura fimul Beneficia obtinere non erubefcunt, Sancta Synodus debitam regendis Ecclefiis difciplinam reftituere cupiens præfenti Decreto ftatuit, ut impofterum unum tantum Beneficium Ecclefiafticum fingulis conferatur, quod fi ad vitam ejus, cui confertur, honefte fuftentandam

" non sufficit, liceat nihilominus aliud
" simplex sufficiens, dummodo utrum-
" que personalem residentiam non re-
" quirat eidem conferri." &c.

Et hoc quidem eo diligentius ad animum & praxin revocanda sunt, cum tenor ipse fundationum, juxta mentem Fundatorum disertis verbis, & sub gravi contestatione conceptus, personalem residentiam, & Chori, & onerum in loco deservitionem exigit. Quo tamen non attento, in magno hinc inde per Ecclesias Diœcesis nostræ Monasteriensis Fundatorum Beneficiatorum numero, vix est, qui pro vocatione & obligatione sua residere & deservire deprehendatur, præsertim in Ecclesiis ruralibus, ubi tamen & major est necessitatis ratio, & amplioris occasio meriti. Hinc est, quod pro Episcopalis Officii nostri exigentia de consilio & assensu Reverendi Capituli nostri Cathedralis omnibus vobis & singulis districte & serio mandamus, ut (nisi desuper legitime vobiscum fuerit dispensatum) in Ecclesiis & locis Beneficiorum vestrorum juxta Concil. Trident., Ss. Canonum & Fundationis præscriptum personaliter resideatis, onera incumbentia per vos in loco respiciatis. Pastoribus vestris in Choro, & animarum cura, quatenus id ex mente Fundatorum ad vos pertinet, assistatis, eaque agatis & faciatis, ad quæ agenda & facienda etiam juramenti religione in investitura præstiti Deo & Ecclesiæ vos ipsos & conscientias vestras obligastis.

Sin, quod non speramus, secus aliquid aut contumaciter contra hujus Edicti nostri tenorem a quoquam actum fuerit, contra ipsum & ipsos, prout de jure & ex præscripto S. Concil. Trident. poterimus, ad fructuum & successive Beneficii privationem procedemus, & procedi faciemus, non obstantibus in contrarium iis, quæ ad eludendum ea, quæ bene constituta sunt, a variis varie adduci solent, Nobis interim, aut Vicario nostro Generali de consilio & assensu DD. Archi-Diaconorum Reverendi Capituli nostri Cathedralis in hoc puncto reservantes, quæ Episcopali dignitati & cognitioni a dicto Conc. Trident. & Ss. Canonibus gratiose permittuntur. Volumus etiam clementissime, & sub arbitraria pœna demandamus, ut omnes & singuli tam curata, quam non curata Beneficia possidentes infra sex menses a præsentium insinuatione computandos, copias Fundationum, designationes Redituum, proventus Ecclesiarum, Registra obventionum, quæ pauperibus annuatim quomodocunque ministrantur; prout & stipendia Ludimagistrorum, Custodum, Organistarum, aut aliorum quorumcunque, qui Ecclesiarum, aut pauperum ministerio deputantur, cum designatione, onerum & gravaminum in authentica forma, eaque duplici exhibeant, quarum una apud nostram Cameram Sigilli, altera apud Archi-Diaconos in futurum pro rei memoria possit asservari. Requirentes cum hoc omnes Prælatos, Archi-Diaconos, & Ecclesiarum Superiores, ut ad hanc nostram intentionem, & opus tam salutare, quam necessarium omni meliore modo concurrere, & collaborare nitantur. Cum vero paucos huic nostro Decreto paruisse deprehendamus, dicimus & declaramus per præsentes, omnes eos (juxta S. Conc. Trident. Decretum) qui infra sex menses post publicationem & insinuationem factam, ad residentiam personalem in locis suorum Beneficiorum se non qualificarunt, quarta parte redituum, sive annuarum obventionum, per Pastores colligenda, & cum consilio Superiorum ad pios usus applicanda, privandos esse, & nihilominus post lapsum sex mensium proxime ab insinuatione subsequentium, si contumaciter nihilominus abesse præsumpserint, ad privationem Beneficiorum, juxta dicti S.Concilii dispositionem, procedendum esse, prout privamus, & ad privationem respective procedi faciemus realiter & cum effectu. Volumusque, ut hæc nostra declaratio Pachtariis, Decimariis, Pensionariis &c. ex ambone per Pastores publicetur. In fidem præmissorum Sigillum nostrum subimprimi curavimus, & manu nostra scripturam hanc roboravimus. Signatum in Urbe nostra Monasteriensi 1. Decembris anno 1651.

Hæc

Hæc est nostra feria & enixa voluntas, quam humillime attendentes, & obedientissime amplectentes, & conscientiis vestris juramento tempore acceptæ investituræ obligatis, & piæ Fundatorum intentioni probe satisfactum esse judicabitis. Datum in Civitate nostra Cæsfeldensi anno 1655. *die* 20. *mensis Augusti.*

Christophorus Bernardus mpp.

(L. S.)

Ordo Processionis instituendæ hic in Civitate Monasteriensi in Synodo Autumnali Feria 3. *post Festum Ss. Gereonis & Victoris, & Cæremoniarum, quæ in dicta Synodo sunt ab omnibus observandæ.*

Pridie, id est, die Lunæ a quinta vespertina usque ad horam septimam fiet in Cathedrali, Collegiatis & Parochialibus campanarum solemnis compulsus.

Eodem die Prælati, Sacerdotes, aliique de Clero per Confessionem se præparabunt ad Communionem postero die ex manibus Illmi & Rmi Principis sumendam.

Feria 3tia mane medio septimæ congregabitur Clerus tum intraneus cum Crucibus & vexillis, tum extraneus in Ecclesia Cathedrali in toga & superpelliceis ad excipiendum & deducendum Illmum Principem ex aula sua ad Ecclesiam, atque in eum finem fiet hora sexta solemnis compulsus in Cathedrali tantum, Sacerdotes qui communicabunt, præter superpelliceum habebunt stolam ex collo hinc inde ex humeris pendentem, & Communionem sument in Sacro Illustrissimi ante Processionem.

Qui vel in Ecclesia Cathedrali, vel aliis celebrabunt, offerent requisiti testimonium peractæ devotionis, idque in ordine ad lucrandas Indulgentias plenarias.

In ipsa Processione Vicariis intranei Cleri, conjungent se Pastores foranei, eosque præcedent, quos subsequentur Collegiatæ Cleri extranei, qui conjungentur Collegiatis Cleri intranei, idque sine præjudicio juris aut præcedentiæ, quam hæc vel illa Ecclesia forsan prætendere possit.

Agmen Processionis claudat Clerus primarius & Abbates, si in Pontificalibus procedant.

Ad Procesionem invitantur Religiosi hujus Civitatis, qui tamen ea finita redire poterunt ad suas Ecclesias, dummodo ex gremio duos deputent, qui ante & post meridiem Sesionibus Synodalibus & lectioni Decretorum intersint.

Reliquiæ Ss. una cum imagine B. M. V. deportabuntur respective per DD. Prælatos, & Vicarios Ecclesiæ Cathedralis in cappis sericis.

Curandum, ut devote, graviter & exemplariter ab omnibus procedatur.

In Missa solemni observabuntur ad *Gloria in excelsis, Credo, Sanctus, Agnus Dei,* per DD. Prælatos & Canonicos Ecclesiæ Cathedr. circuli ad thronum Illmi Principis.

In prima Sessione Synodali ad Professionem fidei sub finem omnes una & clara voce genibus flexis dicent: *Idem ego N. N. spondeo, voveo, ac juro, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia. In principio erat Verbum,* &c. Dum standum, sedendum, genuflectendum est, deposito vel imposito byreto, omnes simul & idem facient. Pastores curati sua nomina in Camera Sigilli inscribi curabunt, & simul eorum, quos legitime excusandos probabunt. Nemo recedet ex Civitate, nisi utraque Sessione finita, aut licentia desuper obtenta. Qui gravamina habent in Synodo proponenda, deliberanda aut decidenda, deinceps ante celebrandam Synodum ea in scriptis offerent intra mensis spatium, ne resolutionem differre opus sit.

Divertent extranei Pastores & Clerici ad Hospitia honesta, locumque quo diverterint, in Camera una cum inscriptione nominis designabunt.

Ex clementiss. & spec. Mandato Illmi & Rmi Princ. Episc. Monasteriensis.

JOANNES VAGEDES,
S. Martini Decanus, in Spirit. Vicar. Generalis.

Epistola Invitatoria ad Synodum Autumnalem anni 1655.

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI gratia, Episcopus Monasteriensis, &c. &c.

Juxta laudabilem hujus nostræ Diœcesis Monasteriensis consuetudinem, Synodum Autumnalem, *in ultima Synodo Quadragesimali debite publicatam & insinuatam,*

12. *mensis Octobris currentis anni, in Ecclesia Cathedrali, cum Indulgentiis plenariis a Sanctissimo Domino* INNOCENTIO, *Divina providentia Papa X., dum viveret, concessis, assistente gratia Spiritus Sancti, & de consilio & assensu Venerabilis Capituli nostri Cathedralis solemniter celebraturi, pro Officii Nobis a Deo impositi ratione, plane necessarium duximus, omnes & singulos, qui Synodo Diœcesanæ de jure & consuetudine, vel maxime juxta præscriptum S. Concil. Trident. interesse tenentur, sub pœnis sacrorum Canonum, seu aliis ad arbitrium nostrum infligendis, per præsentes valvis Ecclesiæ nostræ Cathedralis affigendas (si forte singulatim singulis intimari non possint) ad constitutum diem authoritate Episcopali citari & convocari. Et quidem sicut in hoc, Nos, S. Matris Ecclesiæ, Ss. Patrum, & Prædecessorum institutis insistimus, sic paterne confidimus, non fore, ut sive in piis precibus, sive diligenti & obedienti comparitione quicquam in vobis desideretur, quod ad promovendam sancti operis intentionem & obtinendos uberiores fructus cœlestium gratiarum, sine nostra etiam admonitione, conducere, ipsimet facile judicabitis. Accedant autem omnes, præsertim qui remotius habitant, ad nostram Civitatem Monasteriensem pridie ejus diei, quo Synodus est celebranda, hoc est* 11. *Octobr. tum, ut ad lucrandas Indulgentias per Confessionem prævíam & Communionem ex manibus nostris ipsa die Synodi sumendam (nisi tamen magis eligant Missam celebrare) se præparare possint; tum ut mature intelligant ex schedula in valvis Paradisi proponenda ordinem & modum comparendi, & procedendi in toga & superpelliceis, qui in dicta Synodo ab omnibus debebit observari: Et quoniam consiliorum & actionum, quæ in Synodo tractabuntur, emolumenta spiritualia, non tantum ad Clerum, sed & ad omnes omnino Ecclesiæ nostræ Monasteriensis subditos pervenire optamus, multum proderit, si populus cum nostro Clero, ad hunc finem preces & vota conjungat, DEOque, qui plantatis & rigatis, solus dat incrementum, intentionum & actionis futuræ successum commendare satagat; Unde volumus & clementissime mandamus, ut Dominica, quæ indictam Synodum præcedet, vel die opportuniori in omnibus Ecclesiis Missa de Spiritu Sancto cum decantatione Litaniarum de Omnibus Sanctis populo ad hoc congregato celebretur. Ipsi vero Pastores & alii Sacerdotes post acceptas præsentes, in Missis privatis Collectam aliquam pio proposito servientem adjungant, atque in via & Civitate Monasteriensi constituti eum vivendi modum, eamque in moribus & conversatione modestiam servent, quæ faciat ad infirmioris populi exemplum & ædificationem: priusquam itineri accingantur, visitent infirmos, si quos habent, simulque eorum, & si qui infirmitate corripiantur, curam vicinioribus Sacellanis aut Religiosis commendent. Si qui forte legitime impediti fuerint, quo minus se constituto tempore ad Congregationem Synodicam sistere possint, vel scripto, vel per Procuratorem sufficiens ad hoc Mandatum habentem, coram Nobis, aut Vicario excusationis causas probabunt, quæ si fuerint insufficientes judicatæ, non minus contra ipsos, quam contra absentes & contumaces quoscunque per Fiscum ad pœnam arbitrariam procedemus, vel procedi faciemus realiter & cum effectu. In fidem præsentes manu nostra subscriptas, Sigillo quoque nostro clementissime jussimus communiri. Datæ in Arce nostra Wolbecensi anno* 1655. *in Vigilia S. Mathæi Apostoli.*

Christophorus Bernardus mpp.

(L.S.)

DECRETA SYNODI AUTUMNALIS
MONASTERIENSIS.
IN NOMINE DOMINI JESU, AMEN.

INdictio Synodorum omnium, sive Provincialis sive Diœcesanæ sint, eo dirigitur, ut & propulsatis hæresum & errorum tenebris Catholicæ veritatis, lux candor & puritas magis magisque refulgeat, &, si quæ reformatione egeant, omni meliori modo reformentur; non equidem, quod in Provincialibus cum suo Metropolitano Episcopi, vel in Diœcesanis cum suo Episcopo Prælati, & qui de Clero sunt, idcirco congregentur, ut inconcussa veritas Fidei Catholicæ contra portas inferni semper prævalitura propositis ex verbo Dei, & unanimi

nimi Ss. Patrum sententia, atque ex sensu S. Matris Ecclesiæ, argumentis confirmetur. Sed ut ea, quæ assistente in omnibus & per omnia Spiritu Sancto, a S. Sede Apostolica omnium fidelium Magistra, Oecumenicis Conciliis, & novissime a Sancta Tridentina Synodo ad fidem explicatius profitendam, hæreses extirpandas, ad corrigendos mores, tollendos abusus, & restituendam Ecclesiasticam disciplinam summa libertate, diligentiaque tractata, & accurate & mature admodum definita, explicata & statuta sunt, a Clero & per Clerum a subditis, in quantum communia ad omnes, aut singula ad singulos quomodolibet pertinere dignoscuntur, pro Episcopalis Officii ratione diligenter & inviolabiliter valeant observari.

Hinc est, quod imprimis Sacrosancti Concilii Decreta tam Doctrinam Fidei, quam Reformationem vitæ ac morum respicientia, alias a laudatissimis Prædecessoribus nostris, & Sede vacante, a Venerabili Capitulo Ecclesiæ hujus Cathedralis Monasteriensis vobis insinuata, de consilio & assensu ejusdem Venerabilis Capituli Ecclesiæ nostræ Cathedralis, vobis omnibus ac singulis tam præsentibus, quam absentibus, iterum ac serio, in quantum possumus & debemus, Prædecessorum ac Capituli vestigiis inhærendo, insinuamus & publicamus, cum hoc vos monentes & requirentes, vobisque & vestrum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandantes, ut, quæ sequentibus Titulis ad dirigendam, & ad optatum fructum promovendam hujus sanctæ Synodi intentionem ordinata sunt, non ut verbum hominis, sed verbum & mandatum DEI, qui per servos suos Episcopos (de quorum numero nos etiam, licet indignos, in hac Ecclesia Monasteriensi esse voluit) loquitur, aure obedienti excipiatis.

TITULUS I.

De Fide.

Fides, sine qua DEO nemo placere potest, basis est & fundamentum Religionis Catholicæ, quæ cum una sit, monebunt Pastores & Concionatores approbati ab Episcopo & Superioribus, & licentiam concionandi in scripto habentes, opportune importune populum suum, quam gravis error sit, imo falsa doctrina, quæ profitetur quemlibet in sua fide, qualis ea demum sit, posse salvari.

Graviter monendi sunt auditores, non esse satis, si fidem veram ore profiteantur, factis autem negent, cum propter peccata etiam Regnum Dei auferatur, & detur genti facienti fructum ejus, sæpe etiam benedictio temporalis subtrahatur, & veniat super fideles male viventes multiplex maledictio.

Doceant diebus Dominicis, Festivis, aliisque, quando id ex pia consuetudine fieri solet, verbum Dei & sanam doctrinam serio, utiliter & clare. Serio, ut abstineant a conviciis, seditiosis, fabulosis, risum moventibus, & quæ important aliquam scandali occasionem. Utiliter, ut præter necessariam articulorum fidei explicationem, proponant vitia & virtutes, pœnam & gloriam cum brevitate sermonis. Clare, ut rudi præsertim populo non proponantur inania, aut difficilia, vel quæ captum audientium superant, nec ad fidelium ædificationem conducunt.

Pastores rurales, maxime si Scholæ in Parochiis non sint, ante vel post concionem recitent devote & intelligibiliter Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum fidei, Præcepta Decalogi & Ecclesiæ, cum hæc a grandævis subinde ignorentur.

Lectionem Catecheticam diebus Dominicis hora opportuna per se, vel Sacellanos, vel alium ad id deputatum habeant, idque sub pœna arbitraria. Missionarios, aut alios Religiosos, qui in partem hujus operis a Nobis deputantur, benigne accipiant; piis munusculis juventutem alliciant, probe scientes, quantum intersit juventutem a teneris in pietate educari.

Catechismo utantur parvo Petri Canisii, Vogleri, vel eo, qui authoritate Serenissimi & Revmi Princ. Elect. FERDINANDI Episcopi Monasteriensis glor. record. anno 16... impressus est. Catechismum Romanum a laudatissimæ mem. Prædecessore nostro JOANNE DE HOYA omnibus Parochis summe commendatum, Nos iisdem commendamus, & comparari demandamus; alios omnes, licet forte alibi approbatos in hac nostra Diœcesi sub pœna gravissima prohibemus tam in Scholis, quam Templis.

Reprehendendi & puniendi ſunt parentes, qui filios & filias ad loca Acatholicorum cum præſentiſſimo ſubverſionis periculo ablegant, vel Acatholicorum ſervitia in familiam admittunt, amatores ſcilicet corporum, hoſtes animarum in filiis, & quaſi non ſit hæreditas Domini, filii merces fructus ventris.

Atque ſicut Typographis, Bibliopolis, Librariisque ſerio prohibemus, ne libros, præſertim, qui fidem & devotionem ſpectant, imprimant aut vendant, niſi ab ordinario aliquo Cenſore approbatos; ſic populo frequenter indicari debet, quam non tantum periculoſe hæreſeos venenum ex ejusmodi lectione & uſu imbibatur, ſed quam ſolicite & ſevere in indicibus librorum prohibitorum etiam ſub cenſuris a ſacro Conc. Trident. id inhibeatur. Quod etiam de libris laſciviam docentibus ſuo modo intelligi poteſt.

Cumque hæreſis ſerpat ut cancer, requirimus cum hoc & monemus Archi-Diaconos, ut diligenter attendant ad eos, qui non intrantes per oſtium, ſed aliunde aſcendentes, per dulces benedictiones, & peregrina dogmata ſeducunt corda innocentum, ſive id publice fiat, ſive clancularie, iisdem Archi-Diaconis omnem aſſiſtentiam, etiam brachii noſtri ſæcularis, ſi neceſſitas exegerit, ac deſuper humillime requiſiti fuerimus, offerentes.

Ludimagiſtri & Ludimagiſtræ non admittantur, niſi Catholici, nec ullos libros, niſi Catholicos, legi & prælegi permittant; præſertim ne novum Teſtamentum juxta verſiones hæreticorum editas habeant. Inſtruant in ſolida pietate Scholares, ducant ad lectiones Catechiſticas, ſuosque præſentia ſua in modeſtia & officio contineant, ſedulo autem curent, ut diſcant modum orandi & bene confitendi, ubi autem ullo modo fieri poterit, ſeparentur Scholæ puerorum & puellarum.

Paſtores monebunt populum, ut ſtipendia ſuarum prolium Magiſtris eo liberalius conſtituant, ut ſimul pauperes, qui minerval ſolvere non poſſunt, ab inſtructione neceſſaria non excludantur, quos cæteroquin ad deſperatiſſimum vitæ genus & profligatiſſima ſcelera ſubinde ex inſtructionis defectu dolenter videmus & experimur delabi.

Negotium hoc, quam poſſumus, diligentiſſime commendamus Archi-Diaconis noſtris, atque ut noſtri Officiati ad hoc cooperentur, clementiſſime demandabimus.

Ad Fidei orthodoxæ confirmationem multum confert ſplendor miraculorum in ſola Eccleſia Catholica jam inde ab initio perſeverans. Qua tamen in re volumus obſervari Decretum Sacri Conc. Trident. *Seſſ.* 25. *de Invocatione Sanctorum*, ne ſine noſtra, aut Vicarii noſtri approbatione & examine miracula publicentur, aut imagines ceu miraculoſæ proponantur. Quod identidem de novis Reliquiis, aut inſolitis imaginibus juxta Conc. Trident. mentem intelligendum erit.

Non intendimus autem derogare per hoc publico cultui aut devotioni, quæ Chriſtianæ pietati vel etiam honeſtati conſentanea eſt, & absque ſpecie ſuperſtitionis imaginibus S. Crucis, B. Mariæ Virg. aut alterius Sancti ab immemoriali tempore per hanc noſtram Diœceſin paſſim exhibetur.

Sicut & volumus fideles moneri impetrato a Deo per interceſſionem Sanctorum quovis beneficio, licet id per miraculum non contigerit, gratias tamen non minus agendas eſſe, cum ab eo bona cuncta procedant, in cujus manu eſt paupertas & honeſtas, vita & mors, ſive ea per miraculum, ſive aliter a Deo veniant.

Contra Religionis virtutem, Fidei filiam, pugnat ſuperſtitio malum tanto periculoſius, quo facilius decipit ſimpliciores ſub larva pietatis, & procedit ex cæco & impatienti ad res temporales, ſine reflexione ad Deum, affectu. Volumus itaque & mandamus, ut Paſtores & Concionatores contra hoc vitium vehementiſſime invehantur, docentes imprimis ſuperſtitioſum eſſe exſpectare quemcunque effectum a quacunque re, quam res illa nec ex ſua natura, nec ex inſtitutione Divina, nec ex ordinatione, vel approbatione Eccleſiæ producere poteſt. Secundo

id

id genus hominum, quod per ſuperſtitioſa curandis hominibus vel animalibus, vel revelandis ſecretis aut perditis, operam ſuam pollicetur vel præſtat, pacto aliquo explicito vel implicito a Dœmone juvari, & vitio magiæ ut plurimum obnoxium eſſe. Ad quam farinam etiam referendi ſunt vagi iſti mendicantes, quos Zingaros aut Ægyptios vocant, aliique artem Aſtrologiæ exercentes, contra quos & Nos mediante brachio ſæculari procedemus, conſulentes vero ad ſeriam Archi-Diaconorum correctionem remittimus.

Qui ſignis vel artibus diabolicis contra ictus aut vulnera utuntur, additis etiam ſuperſtitioſis orationibus, abſolvendi non ſunt in confeſſione, niſi ſigna a ſe rejecerint, & ab orationibus talibus ſerio abſtinere velle appromittant.

Et quia corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, ſic ea, quæ circa Profeſſionem fidei juxta PII IV. præſcriptum emittendam, a S. Conc. Trid. *Seſſ.* 24. *C.* 12. *de Reform.* & *Seſſ.* 25. *C.* 2. *de Reform.* ordinata ſunt, diligentiſſime volumus obſervari, hoc addito: quod etſi quis de Beneficio proviſus, per Procuratorem ſpeciale mandatum ad hoc habentem, Profeſſionem fidei in accepta inveſtitura aut poſſeſſione emiſerit, nihilominus ad reſidentiam & fructuum perceptionem non admittatur, niſi perſonaliter & per ſemetipſum eandem repetierit.

Volumus etiam & diſtricte præcipiendo mandamus, ut, quod laudabiliter introductum eſt, a Conſiliariis & Officiatis noſtris ſæcularibus, quacunque dignitate aut nomine cenſeantur, prius coram Sigillifero noſtro eadem Fidei profeſſio emittatur, antequam ad juramentum ſolitum & adminiſtrationem admittantur, atque ut hujus factæ Profeſſionis atteſtatio ſit ſtabilis, propria manu ad matriculam, quæ in Camera Sigilli reperitur, diem & locum hujus a ſe factæ Profeſſionis adſcribent.

Ad externam Fidei profeſſionem ſpectat, multumque auget & promovet Chriſtianam & ſolidam pietatem, ſi in Eccleſiis tam Sæcularium, quam Religioſorum, Officia Divina debite peragantur, ſi Proceſſiones generales, publicæ & privatæ, ordinate & devote inſtituantur, ſi Domus Dei, hoc eſt, Templa materialia congrue ornentur, Altaria ſint veſtita, Tabernacula, Baptiſteria, & loca ſacratiora eleganter niteant, ſupellex Eccleſiarum ſufficiens & munda ſit, ſi in ritibus & cæremoniis ſit conformitas, in cantu conſonantia, ſine tumultu & præcipitantia, ac demum ſi in omnibus locis & actionibus, quæ ſpecialiter gratam erga Deum reverentiam, & pro ædificatione proximi, maturam pietatem exigunt, ſingulorum animis & auribus jugiter obverſetur illud: Age quod agis; væ enim nobis, ſi Arca Dei habitet non ſub pellibus, ſed ſordibus, aut opus Dei facimus negligenter. Et quia in Proceſſionibus, quæ nimis amplum circuitum habentes ad horas plures extenduntur, facile animadvertitur in confluentibus, vel devotionis faſtidium, vel nimia & cum periculo valetudinis conjuncta defatigatio, vel certe ſympoſiorum & compotationum occaſio; ſic prioribus Decretis noſtris in Synodalibus Congregationibus antehac ſæpius publicatis inſiſtentes, volumus & mandamus circuitus hujusmodi contrahi, quantum quidem fieri poteſt; facileque perſuadebitur populo, magis placere Deo moderatum circuitum, qui devotionem ſapiat; quam longiorem, qui ex ſcandaloſa curſitatione importat laſſitudinem, & devotionem impedit.

Denique hortamur & obſecramus in Domino JESU omnes Paſtores, aliosque, qui animabus curandis quomodolibet intendunt, ut ante oculos habentes exemplum piiſſimi & ſummi Paſtoris, non abjiciant curam ovicularum a vero & unico orthodoxi gregis ovili periculoſe aberrantium, quin potius una Nobiscum ſatagant, ut verbo, vita, exemplo, oratione, & digna pro jure vocationis converſatione, per gratiam Dei illuminati eruantur ab erroribus univerſis, & ad Sanctam Matrem Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam aſſociari mereantur.

TITULUS II.
De Sacramentis.

SAcra Trident. Synodus virtutem & effectum Sanctissimorum Sacramentorum *Sess.* 7. *in princ.* paucis complexa est, dum dicit per eadem Sacramenta omnem veram justitiam vel incipere, vel inceptam augeri, vel amissam reparari. Multum porro faciet ad inducendam in populo Sanctissimorum Sacramentorum frequentationem & reverentiam, si hæc doctrina Concilii & veræ justitiæ, ad consequendam æternam salutem necessitas, pro concione, ad captum tamen populi subinde exponatur.

Tractentur hæc Mysteria a sanctis sancte, etsi enim vitio conferentis non extenuetur Sacramentorum virtus, utpote a Deo & meritis Christi dependens; tamen vix est, ut a Laicis exspectari possit ad suscipiendum digna & justa præparatio, dum irreverenter, superficialiter, aut tumultuarie materia & forma applicantur, & orationes præscriptæ sine attentione debita pronuntiantur. Et quidem nulla alia lingua, quam latina; Ritum administrandi singula, quisque Administrantium habitus esse debeat, omittimus, quia hæc ex Agenda Monaster. jussu Rmi & Serenissimi Princ. Elect. Episcopi Monast. edita, cui per omnia quisque se conformabit, petere licebit. Proindeque alias Agendas, uti antehac factum est, sic denuo prohibemus.

Curati & Vice-Curati pro administratione Sacramentorum etiam tempore pestis & contagii a Parochianis requisiti, promptos se ac faciles præstent, & in exigendis juribus stolæ, quæ vel ex pia consuetudine, vel Superiorum determinatione solvuntur, caveant: ne crimen aut suspicionem Simoniæ, vel avaritiæ cum injuria status sui, & simpliciorum & pauperiorum scandalo incurrant.

Requirit etiam sæpedicta Sacramentorum sanctitas, ut claves Tabernaculi, Fontis baptismalis, custodia sacrorum Oleorum, & Chrismatis, penes solos Curatos sint, nullatenus vero in Custodum aut mulierum potestate, ne aliquid eorum ad prohibitos & profanos usus, vel, quod cum horrore dicimus, ad magicas & sagarum curationes & actiones, Laicorum incuria vel negligentia impendatur.

Convenit insuper Sancta in loco sancto tractari. Unde extra necessitatem, aut sine nostra, aut Vicarii nostri in scriptis obtenta licentia, neque Baptismus solemnis, neque Matrimonium extra Ecclesiam, ne quidem in Oratoriis benedictis celebretur.

TITULUS III.
De Baptismo.

BAptismus, quia characterem imprimit, Sacramentum est irreiterabile, & janua aliorum Sacramentorum, sine quo nemo intrabit in Regnum Cœlorum. Unde advigilandum Pastoribus, & curandum parentibus, ne natus infans sine Baptismo moriatur, idque sub gravi pœna.

Administretur Baptismus sub forma & materia certa, non vero dubia, si ullo modo fieri possit. Qui ob mortis periculum domi baptizati sunt, mittantur tamen opportune ad Ecclesiam pro Catechismo & Exorcismis.

Parochi librum habeant, in quo baptizatorum, parentum, compatrum, & commatrum nomina, cum designatione diei, quo Baptismus susceptus est, annotentur. Imponantur nomina Christianorum & Sanctorum ad imitationem vitæ & virtutis.

Ad levandum de sacro Fonte infantem non admittantur, nisi unus vel una tantum; vel unus & una simul, non plures, sed neque duo viri, neque duæ fœminæ juxta præscriptum Conc. Trid. *Sess.* 24. *de Reform. Matr. C.* 2. Quod si plures se ingerant, designentur unus vel duo, qui tangant, & cognationem spiritualem contrahant, eorumque nomina tantum adscribantur.

Damnamus indiscretionem quorundam Curatorum, qui proles illegitimas ex eo baptizare nolunt, quod jura stolæ propter contradictionem nominati patris non statim solvantur, quod puniri volumus, maxime si proles sine Baptismo moreretur.

Tol-

Tollendus eſt abuſus, dum ante Baptiſmum patrini & mulieres in tabernis vino aduſto aut cereviſia prius ſe inebriant, quam ad Templum cum baptizanda prole accedant.

Ad ſuſcipiendum infantem non alii admittantur, quam ii, de quibus certo ſperari poteſt, quod pro obligatione contracta, & ex mente Eccleſiæ, ſuſcepti infantis in ordine ad æternam ſalutem, curam habituri ſint, caſu quo parentes morerentur.

Puerperæ juxta laudabilem conſuetudinem, ubi convaluerint, a Sacerdote in Eccleſiam introducantur.

Obſtetrices non admittantur, niſi Catholicæ, & quæ bonæ vitæ habent teſtimonium, ſintque juratæ, easque moneri volumus, ut præter materiam & formam, nihil ſalis, aut aliud quid adhibeant.

Conveniens eſt, Fontes baptiſmales non a mulieribus ſtatis anni temporibus mundari, ſed id fiat a Sacerdote, neque licet aquam pro Templo expurgando adhibere, ſed ea fundatur in piſcinam vel Sacrarium.

TITULUS IV.

De Confirmatione.

SAcramenti hujus dignitatem & effectum Paſtores & Concionatores populo diligenter exponent, eo præſertim tempore, quo certa dies pro adminiſtratione & ſuſceptione hujus Sacramenti ſuis in Parochiis deſignata publicabitur.

Optandum interim, ne infantes pro Confirmatione præſententur, ſed ſint tam adultæ ætatis, ut, quia propter characterem, quem imprimit, reiterari non debet, ſaltem meminiſſe poſſint ſe eſſe confirmatos.

De Patrinis, eorumque quoad contractam cognationem ſpiritualem obligatione, eadem eſt ratio, quæ ſuperius notata eſt in Baptiſmo. Neque tamen unus, idemque Patrinus & in Baptiſmo & in Confirmatione unum, eundemque ſuſcipere poteſt.

Adulti per Confeſſionem, vel ad minus per contritionem ſe præparare debent ad hoc Sacramentum.

Faſcias integras, mundas, & juſtæ magnitudinis conferant, quibus frons confirmati obligetur, niſi Epiſcopo aliud videatur.

Patrini ne ſint Regulares, excommunicati, interdicti, facinoroſi, ignorantes rudimenta fidei, nondum confirmati. Nomina Patrinorum & confirmatorum deſcribantur a Parochis in libro.

Puniantur, qui hæreticorum more de hoc Sanctiſſimo Sacramento blaſpheme vel illuſorie loquuntur, nec culpa vacare cenſendi ſunt, qui per contemptum illud negligunt.

TITULUS V.

De Pœnitentia.

POenitentia ſecunda poſt naufragium tabula ab iis negligenda non eſt, qui poſt Baptiſmum in mortale peccatum lapſi ſunt, tanto magis, quanto certius eſt ſine ea, aut ejus voto hominem in tali ſtatu morientem ſalvari non poſſe.

Magna diligentia Paſtores inpoſterum docere debent, ut ſubditi contrito corde ac integre confiteantur omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem memoriam habent, una cum circumſtantiis, quæ ſpeciem peccati mutant, vel multum aggravant, ſpecificando, quantum fieri poterit, quoties in illa inciderint. Et hæc quidem doctrina tum per annum frequenter, tum vel maxime fiat, cum ad Confeſſionem Paſchalem, aut ſumma Feſta populus diſponi & præparari debet. Idem utiliter inculcabitur iis, qui aliquid aggreſſuri, vel paſſuri ſunt, ubi vitæ præſens periculum occurrit. Unde laudanda & introducenda eſt prægnantium ſolicita devotio, quæ ad dolores & pericula partus per iteratas Confeſſiones & Communiones ſe præparant.

Confeſſarii, quia perſonam Chriſti ſuſtinent, & ad judicium Dei ſedent, non tantum ex Authoribus probatis ſe ſufficienter inſtruant, ut poſſint diſcernere inter lepram & lepram; ſed & ad hunc effectum ſæpe gratiam & Spiritus Sancti aſſiſtentiam pro ſe & ſuis confitentibus implorent.

Confeſſiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, juxta Decretum S. Conc. Trid. *Seſſ.* 23. *de Reform. Cap.* 15. nemo, licet Regularis, audiat, niſi ad id in hac noſtra Diœceſi a Nobis, aut Prædeceſſoribus noſtris, aut in Spiritualibus Vicario obtinuerit in ſcriptis, examine prævio, licentiam & approbationem, nunquam ulterius, quam ad revocationem ex gravibus cauſis faciendam.

Confeſſiones audiantur in Eccleſia a Sacerdote ſedente in confeſſionalibus ſedibus, debito modo, in loco propatulo erectis, extra quas fœminarum confeſſiones, niſi neceſſitas exigat, non audiantur; confitentes autem in genua procumbant, & arma, ſi geſtent, deponant.

Confeſſionales ſedes, ubi nondum erectæ ſunt, ante feſtum Nativitatis Chriſti, idque ſub pœna, erigantur ſumptibus fabricæ, vel Proviſorum.

Inſtruat ſe Confeſſarius in Caſibus Summo Pontifici, ſive in Bulla *Cœnæ Domini*, ſive aliter reſervatis, nec ab iis pœnitentem abſolvere præſumat, ſed ſi quidem illi caſus publici ſint, remittantur ad Sedem Apoſtolicam, aut alios facultatem habentes; vel ſi occulti ſunt, remittantur ad Nos, aut Vicarium noſtrum, cum illud ex declaratione Concil. Trid. indultum ſit.

Porro in Caſibus occultis Nobis reſervatis renovamus & confirmamus Decretum Concilii Provincialis Colon. anno 1536. celebrati, jam olim anno 1616. 9. Septembris a glor. record. Prædeceſſore noſtro FERDINANDO publicatum, quod ſic habet: " In occultis delictis ex reſervatione caſuum " compertum habemus, nonnihil mali " interdum accidere, ut quod peccator non habens in promptu Sacerdotem, qui illum abſolvat, confiteri " vel differt, vel contemnit, vel quod " minores ætate ſint, vel mulieres, non " facile adducantur, ut ex ſuis Parochiis non ſine levi ſuſpicione ad Nos, " ſeu noſtros Commiſſarios proficiſcantur. Quocirca ut conſulamus verecundiæ & famæ, viſum Nobis eſt " hanc poteſtatem noſtram abſolvendi " a peccatis & caſibus noſtræ abſolutioni reſervatis, occultis tamen, omnibus Parochis noſtris per Diœceſin " noſtram conſtitutis, rite vocatis & " approbatis delegare."

Confeſſionis ſigillum ſtrictiſſime ſervetur, etiam quoad ea, quæ occaſione peccatorum ante vel poſt abſolutionem a confitentibus deteguntur, nec ea ſigno aut nutu, nedum verbo ante aut poſt mortem revelentur ſub pœnis a jure conſtitutis.

Attendant Confeſſarii, quod ſicut Satisfactio pars eſt integralis hujus Sacramenti, ſic in imponendis ſatisfactionibus magna opus eſſe diſcretione & prudentia. Unde monitum S. Concil. Trid. *Seſſ.* 14. *Cap.* 8. memoriæ ita imprimant, ut ſemper animo obverſetur. Ita nempe loquitur Concilium: " Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, " pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere: ne, " ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, " leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, aliorum " peccatorum participes efficiantur. " Habeant autem præ oculis, ut Satisfactio, quam imponunt, non ſit tantum ad vitæ novæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam " ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem: nam claves " Sacerdotum non ad ſolvendum duntaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, " etiam antiqui Patres & credunt & " docent."

Cum plurimarum animarum diſpendio negligitur a multis Confeſſariis punctum Reſtitutionis, cum tamen non dimittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Unde non ſolum confeſſiones ſunt fruſtraneæ, ſed ipſi Confeſſarii conſcientias ſuas per negligentiam, maxime circa rudes & ſimpliciores, peccato obligant.

Curent, ut Indulgentiarum theſaurus a S. Pontifice conceſſus, præſertim Jubilæi, aliæque gratiæ ſpirituales populo debite publicentur; ita tamen, ſi viderint, noſtro, aut Vicarii noſtri præſcitu & licentia, prout Conc. Trid. ſtatuit, publicari; doceantque populum

lum non ad queſtum, ſed promovendam pietatem, & abolendas pœnas temporales ejusmodi theſauros communicari, prodeſſeque non tantum viventibus, ſed etiam animabus in purgatorio detentis poſſe applicari.

Et quia alma Mater Eccleſia gladium habet, quo contra ſumme & enormiter peccantes, vel contumaces, licet invite nec facile utitur, hoc eſt, excommunicationem, aliasque cenſuras, quæ vel a jure, vel ab homine infliguntur, neceſſe eſt, ut & in hoc caſu Paſtores & Concionatores diligentiam ſuam probent, & cenſurarum effectum, quantum quidem eæ Laicos contingere poſſent, verbis ſeriis & gravibus proponant: ne credant bruta eſſe fulmina, quæ non viventem tantum, ſed mortuum etiam ſubinde retinent innodatum. Ipſi vero Clerici, ſi de jure aut facto cenſuris aut irregularitate implicitos agnoverint, de remedio abſolutionis ſoliciti ſint, ne de minoribus incidant in majores, habituri Deum contumaciæ, contemptus aut negligentiæ diſtrictum vindicem.

TITULUS VI.

De Eucharistia.

HOc Sacratiſſimum Sacramentum in ſe continet fontem omnis boni, Chriſtum vere, realiter & ſubſtantialiter Deum & hominem.

Paſtores & Concionatores docebunt, quid de hoc Sanctiſſimo Sacramento fide tenendum ſit, juxta Canones a S. Conc. Trid. *Seſſ.* 13. *& alibi* præſcriptos, de reali Chriſti præſentia, de Transſubſtantiatione, Communione ſub una vel utraque ſpecie, Oblatione in Miſſa, adoratione, aſſervatione, circumgeſtatione, aliisque articulis, prout feret & dabit occaſio pro qualitate Feſtorum.

Hanc doctrinam facilius & tenacius inculcabunt, ſi vitam ſuam ſancte inſtituant, & Sanctiſſima hæc Myſteria reverenter & devote tractent, vix enim fieri poteſt, ut concionaturo credatur, qui vivendo aliud tenet, quam verbo doceat. Et hinc oritur illud Fidei, & Sacerdotalis ſtatus opprobrium, quod ab Acatholico paſſim audimus, quomodo ipſi credere poſſint, quæ credenda de hoc Sanctiſſimo Sacramento proponuntur, cum Sacerdotes ad hæc Myſteria tractanda accedentes, ſi malam vitam conſiderent, nihil minus credere videantur.

Inſuper curandum, ut Tabernaculum (quod in medio ſummi Altaris erigi optamus) ſit decenter ornatum, in quo ſuper corporale ſubſtratum aſſervetur in ciborio argenteo, ad minus intus deaurato Sanctiſſimum Sacramentum pro infirmis, aliisque communicaturis.

Oſtenſorium ſimiliter, ſi ullo modo fieri poteſt, ſive Monſtrantia, cujus uſus eſſe poſſit in Proceſſionibus, ſit argentea deaurata.

Particulæ minores pro communicandis, uti & Hoſtia major renoventur ſæpius pro qualitate loci, ad minus in ſingulos menſes, veteres autem ſumantur a Sacerdote in Miſſa ante ablutionem.

Coram Sanctiſſimo Sacramento die ac noctu in Eccleſiis lumen ardeat ſumptibus Parochiæ, ubi non eſt alia fundatio, & ad hanc conſuetudinem ubique introducendam advigiletur in Synodis Archi-Diaconorum.

Similiter neque ex Tabernaculo ad inferius altare, vel foris ad infirmum ſine lumine & campanula unquam deferatur.

Sacerdos extra Miſſam geſtans & adminiſtrans Sacramentum, vel deportans ad infirmum, indutus ſit ſuperpelliceo & ſtola, Cuſtos etiam ſuperpelliceo indutus præcedat Sacerdotem cum lucerna ardente & campanula.

Cum Sacerdos ad infirmum vocandus eſt, rogentur aliqui ex vicinis, ut Sacerdotem exeuntem & redeuntem conducant cum accenſo cereo, face aut lumine, ſive id per ſe, vel per aliquem de familia feratur. Quod ab iis, qui ad Fraternitatem Sanctiſſimi Sacramenti ſua nomina dederunt, ſingulariter ſperamus obſervandum. Qui eques vel cum rheda aut curru Sacerdoti deportanti obviaverit, deſcendat vel ex equo aut curru Sanctiſſimo Sacramento & Chriſto ibidem præſenti genuflectendo

flectendo debitum honorem exhibiturus exemplo RUDOLPHI I. Imperatoris, aliorumque Regum & Principum, nec in hoc credat quicquam honori aut respectui suo decedere.

Cubiculum, in quo infirmus communicari debet, mundum sit, mensa decenter ornata, frondibus, floribus, gramine &c. & candela ardente.

Pro distribuenda Communione sint genuflexoria sive scamna ad pedem altarium erigenda, & mundo linteo tempore Communionis cooperta sumptibus fabricæ, vel Parochiæ.

Ablutio nunquam detur ex calice, sive is sit consecratus, sive non, ut tollatur a simplicioribus quævis ad utriusque speciei sumptionem reflexio, sed vel ex vitro, vel scypho argenteo, qui tamen ad profanos vel domesticos usus adhiberi non debet.

Ad Communionem Paschalem ab initio Quadragesimæ populus cohortandus est, quem in finem præscriptum Ecclesiæ Canonem Conc. Lateranensis de verbo hic inserendum duximus, qui sic habet: " Omnis utriusque sexus fi-
" delis, postquam ad annos discretio-
" nis pervenerit, omnia sua solus pec-
" cata saltem semel in anno fideliter
" confiteatur proprio Sacerdoti, & in-
" junctam sibi pœnitentiam propriis
" viribus studeat adimplere. Susci-
" piens reverenter ad minus in Pascha
" Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte
" de proprii Sacerdotis consilio ob ali-
" quam rationabilem causam ad tem-
" pus ab hujusmodi perceptione duxe-
" rit abstinendum, alioqui & vivens
" ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & mo-
" riens Christiana careat sepultura."

Durat hoc tempus Communionis Paschalis a Dominica *Palmarum* usque ad Dominicam *in Albis* inclusive. Detur autem in confluxu populi Communio fœminis seorsim a viris, nulli tamen nisi devote geniculanti & discincto.

Obligamus Pastores, ut requisiti ab Archi-Diaconis vel saltem in proxima Synodo post Pascha nomina non communicantium exhibeant.

Attendendum ad vagos istos mendicantes, qui ad processiones publicas passim confluunt, ut deinceps ipsis non permittatur stipem petere, nisi coram aliquo ad id deputando docuerint de ultima Communione Paschali, cum fere notorium sit multos inveniri, qui tanquam sine Deo vivant.

Processiones, quæ cum circumgestatione SSmi Sacramenti in ejus festo, vel alias sive per cœmiterium, sive per circuitum Parochiæ instituuntur, bonæ sunt & laudabiles, præsertim si fiant cum devotione debita, & pompa convenienti; attamen ne frequentia minuat reverentiam, rarius id fieri expedit extra casum necessitatis aut utilitatis publicæ, sufficietque in Missis precariis Ss. Sacramentum in altari exponi, & coram eo decantari Litanias de Omnibus Sanctis; abstineatur autem a delatione per cœmiterium, vel Templi interiorem circuitum.

Et quia ingratum est Deo, quicquid obtuleris neglecto eo, ad quod teneris, monendus populus, ne in longioribus Processionibus, dum voluntariam devotionem circumeundo eligunt, auditionem Sacri, ad quam diebus Festivis ex præcepto Ecclesiæ obligantur, negligant.

TITULUS VII.

De Sacrificio Missæ.

SAnam doctrinam de hoc novæ Legis Sacrificio a Christo in ultima Cœna instituto, tradit Conc. Trid. *Sess.* 22., quam populo ad captum pro concione explicari convenit, magis autem ad devote ac reverenter audiendum sacrum Missæ Officium incitari non tantum diebus Dominicis & Festivis, quando sub mortali obligat præceptum Ecclesiæ, sed & diebus ferialibus, cum certum sit per hunc actum Religionis non tantum augmentum gratiæ, sed & benedictionem temporalem a Deo obtineri.

Pastores & Sacerdotes quoad celebrandum memores sint suæ vocationis & obligationis, sive ea ex Officio, sive ex fundatione, vel Superiorum dispositione proveniat. Imo nec hac contenti ad consulendum saluti propriæ, & Sæcularium devotioni, citra obligatio-

gationem libenter & frequenter per ſeptimanam celebrent; ne de iis dicatur: parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis, cum id de ſpirituali Communione, quæ a Laicis cum Sacerdote celebrante perficitur, intelligi poſſit.

Calix cum patena ſit argenteus, deauratus ad minus in cuppa; ſi ſtanneus propter pericula aut paupertatem tolerari debet, ſæpius & diligenter mundetur.

Ornamenta ac paramenta tam Sacerdotis, quam Altaris ſint integra, munda, Feſto, quantum fieri poteſt, juxta colorem convenientia. Hoſtiæ conſecrandæ ne ſint mucidæ aut veteres, vinum ne ſit acidum & corruptum.

Cæremoniis in celebratione Miſſæ utantur Sacerdotes iis, quæ ex Rubricis Miſſalis Romani ad novum Miſſale Monaſterienſe translatæ ſunt, idque tam in Miſſis ſolemnibus, quam privatis, nihil addendo vel mutando, niſi cum præſcitu noſtro. Atque ad id introducendum Superiores quarumvis Eccleſiarum ſub pœna graviſſima arbitraria obligamus, cæremonias quascunque alias, uti & preces, prætextu etiam devotionis inventas, rejicimus & prohibemus. Conc. Trid. *Seſſ.* 22. *Cap. de Obſervandis.*

Caveant Celebrantes a nimia præcipitantia, prout & a nimis moroſa protractione, cum illa ſcandalum, hæc faſtidium audientibus pariat.

Sacerdoti celebranti ſemper aſſiſtat Miniſter, & ſi quidem hoc obtineri poteſt, cum ſuperpelliceo, ad minus honeſte veſtitus.

Sub Officio Divino caveantur & vitentur omnia, quæ ſunt contra reverentiam tremendi hujus Sacrificii, ut ſunt fabulæ, riſus, deambulationes, pauperum clamores, & alia.

Meminerint Sacerdotes & Clerici, ſi væ dicatur homini, per quem ſcandalum venit, quid fiet Clerico vel Sacerdoti, qui minus compoſite aut devote intereſt Divinis, quam rudis aliquis de plebe aut populo?

In organis non adhibeantur melodiæ, quæ ſapiunt levitatem, vel nugas ſæculares.

Cantiones germanicæ ſi extra Collegiatas & Eccleſias in Civitatibus erectas, propter Cantorum raritatem interponi poſſe judicabuntur, non ſint aliæ: niſi quæ continent adorationem Chriſti in altari & Elevatione, vel quibus ad devotionem erga hoc tam Divinum Myſterium cantantes manuducuntur.

Atque ſicut pro tam ineffabili charitate, quam Chriſtus ſiſtendo ſe in altari ad verba Sacerdotis nobis exhibet, nullæ unquam gratiarum actiones ſufficiunt; ſic contra illos acriter pro concione dicendum, & ab Archi-Diaconis procedendum, qui ſine cauſa diebus Feſtivis a Sacro ſe abſentant, vel ſub Sacro ſæcularia in cœmiteriis tractant, vel, quod eſt damnabilius, in cauponis & popinis corpus & cuticulam curant.

In caſtris Nobilium & privatis domibus Miſſas legi & Euchariſtiam adminiſtrari ſine noſtra, aut Vicarii in ſcriptis data licentia tum Sæcularibus, tum Religioſis Sacerdotibus prohibemus.

Qui longius ab Eccleſia Parochiali habitant, ſi una & eadem die omnes Divinis intereſſe non poſſint, veniant alternatim, & ne fruſtra veniant, volumus & mandamus ſub pœna, ut hora Sacri Parochialis nunquam mutetur, vel ſi id ex cauſa fieri debeat, antecedente Feſto, aut die Dominico poſt concionem populo inſinuari & denuntiari debebit.

Sedilia, quæ nimis propinqua ſunt altaribus, ita ut Celebrantem turbare aut impedire poſſint, tollantur. Idem de ſedilibus extra Chorum ita elevatis, ut proſpectum ad altare ſummum in aliis impediant, intelligi volumus.

Circa feneſtras juxta altare ea adhibeatur cautio, ut irruente vento, non ſit periculum conſecratis ſpeciebus.

Sacerdos novellus Primitias ſuas celebrare non præſumat, niſi cum licentia & benedictione noſtra, aut Vicarii noſtri, quam neutiquam petet aut obtinebit, niſi teſtimonium attulerit in ſcripto ab alio Sacerdote ſive ſæculari, ſive Religioſo in cæremoniis bene verſato, ſe in iisdem cæremoniis juxta Rubricam Miſſalis novi Monaſter. vel Roma-

Romani ſufficienter exercitatum & probatum eſſe. Prohibemus etiam in iisdem Primitiis ſub pœna viginti marcarum convivium ſolenne inſtitui, prout ſubinde cum muſica, choris, compotationibus non ſine gravi Sæcularium ſcandalo factum eſſe, dolenter intelleximus.

In omnibus Miſſis ſolemnibus & privatis poſt ultimam Collectam in Poſtcommunione recitandam, ante concluſionem ſemper addantur hæc verba: *Et famulos tuos ALEXANDRUM Pontificem, FERDINANDUM Imperatorem, CHRISTOPHORUM BERNARDUM Antiſtitem, noſtros, una cum grege ſibi commiſſo ab omni adverſitate cuſtodi, & pacem tuam noſtris concede temporibus, per Dominum noſtrum* &c. exceptis Miſſis defunctorum, & ubi concluditur per verba: *Qui tecum vivit* &c.

TITULUS VIII.

De Extrema Unctione.

Sacramenti hujus a Chriſto inſtituti, & ab Apoſtolo Jacobo promulgati utilitatem & fructum, tanto magis neceſſe eſt fideli populo exponere, quanto magis ſatagente Diabolo, & dormientibus Paſtoribus, ejusdem uſus & pia ſuſceptio fere exolevit.

Requirimus itaque Archi-Diaconos, ut in ſingulis Synodis eorum nomina a Paſtoribus exigant, qui deinceps ſine hujus Sacramenti ſuſceptione morientur, ut corrigi poſſint, quorum culpa id accidit, ſive is Paſtor, ſive ſit Paterfamilias. Qui longius remoti habitant ab Eccleſia, ſi periculoſe decumbere videantur, petant & accipiant cum Viatico ſimul Extremam Unctionem.

Si ſeorſim a Viatico, vel absque Viatico agonizantibus miniſtretur, deferatur ſacrum Oleum cum ſuperpelliceo, ſtola, lumine, ſed ſine tintinnabulo.

Paſtores, qui ægrotos ſubinde, imo ſæpe viſitare debent, moneant eos, ut, diſpoſitione de rebus temporalibus vel circa ſuos mature facta, non differant ſuſceptionem plane ad extremum, ſiquidem præter fructum, quem ex opere operato exſpectare poſſunt, alium aut uberiorem conſequentur, ſi ſenſibus & uſu rationis integris Sacerdoti cooperentur.

Omnino extirpandus error, quem ſuggerente Diabolo infirmi concipiunt, deſperatum eſſe de recuperanda valetudine, ubi hoc Sacramentum ſuſceptum eſt, cum etiam ad hoc valeat: ut ſi quidem ita expedit homini, corporis ſanitas etiam deſperata reſtituatur.

Quibus vero Extrema Unctio adminiſtranda ſit, quibus vero non, prout in aliis Sacramentis, ſic & in hoc ſatis edocet Agenda, ad quam ſit remiſſio.

TITULUS IX.

De Ordine.

Quantum interſit Eccleſiæ Dei idoneos Miniſtros deputari, qui in ſacris Ordinibus pro ſua quisque vocatione & ratione miniſtrent, docet uſus Eccleſiæ, quæ jejunia Quatuor temporum inter alias cauſas etiam propterea inſtituit, ut per jejunium & orationem totius Eccleſiæ Ordinandi gratiam Sacramentalem non tantum accipiant; ſed etiam vel maxime, ut ad bonum & ædificationem plurimorum gratiæ acceptæ bene & efficaciter cooperentur. De quo ſemper populus poſt concionem monendus eſt, quando jejunia Quatuor temporum publicantur. Videatur Conc. Trid. *Seſſ.* 23. *per totum*, quid circa hoc Sacramentum fide tenendum ſit, quidque circa collationem, ſuſceptionem & adminiſtrationem, ætatem etiam ad ſingulos Ordines requiſitam, & qualitatem Ordinandorum advertendum, & determinatum ſit, quo brevitatis cauſa ſit remiſſio, præterquam, quod in examine ordinandorum earum rerum habenda ſit ratio.

Meminerint vero ſacris & majoribus Ordinibus initiati, quod poſt ſuſceptum Subdiaconatum, ad ſervandam caſtitatem ſolenni voto ſint obſtricti, ſimiliterque ad legendas Horas Canonicas ſub peccato mortali, atque ad reſtitutionem, ſi Horas legere neglexerint, pro quota perceptorum fructuum ſaltem ex mente & Bulla PII V. Pont. Maximi obligentur.

Bene-

Beneficium, five etiam Titulum patrimonii, aut alium, fuper quo quisque ordinatus eft, fine licentia noftra, aut Vicarii noftri nemo dimittat, aut refignet, nifi de alio Beneficio realiter illi fit provifum; quod fimiliter fine fimili confenfu non refignabit, fuper quo ordinandi fæculares juramentum præftabunt.

Nemo petat Ordines majores, nifi docere poffit, non tantum, quod titulum habeat veri, non confiĉti Beneficii, fed ejusdem datam & acceptam inftitutionem Canonicam & poffeffionem pacificam.

Ad Titulum menfæ noftræ deinceps nemo ordinabitur, nifi de confenfu Venerab. Capituli noftri Cathedr. quod ad hoc fuerit doĉtum.

S. Trid. Synodus eadem *Seff.* 23. *Cap.* 18. *de Reform.* faluberrimum erigendi Seminarii modum, tanquam medium Ecclefiæ Dei utiliffimum, & educandis & excolendis pro vinea Domini Operariis neceffarium præfcribit: quod, ut eo melius ab omnibus apprehendatur, vifum eft hifce Decretis Synodalibus de verbo ad verbum fub finem adjungere. Cui inhærentes, requirimus præfentium tenore, & refpeĉtive mandamus omnibus & fingulis, ut finguli deinceps ad hujus Seminarii renovationem, taxam fub Anteceffore noftro Sereniffimo FERDINANDO glor. record. conftitutam, Emonitori a Nobis defignando, annuatim conferant, certo fcientes, quod Nos quoque juxta mentem diĉti Concilii Trid. ex fruĉtibus integris menfæ Epifcopalis partem noftram fimus foluturi.

" Coram Nobis *Theodorico Scade* Decano, *Theodorico Ketteler* Thefaurario, *Sandero Morrien* Vice-Domino, *Rotgero Dobben*, & *Gerardo de Plettenberg*, Canonicis Ecclefiæ Monafterienfis, in *Sacrofanĉta Synodo Generali*, vice & authoritate Reverendi in Chrifto Patris, Illuftrisque Principis & Domini, D. ERICI, Epifcopi Monaft., Saxoniæ, Angariæ & Weftphaliæ Ducis, anno Domini *Millefimo, quingentefimo, decimo oĉtavo, feria fecunda poft Gereonis & Viĉtoris Martyrum* præfidentibus, extitit definitum, & ab omnibus ibidem circumftantibus approbatum, quod Coloni & Poffeffores alicujus manfi defolati in Diœcefi Monafterienfi fituati, tenentur Presbytero feu Sacerdoti Ecclefiæ, in cujus Parochia talis manfus fituatur, miniftrare annonam miffaticam, feu jus miffale. In cujus rei teftimonium Sigillum noftri Decani prædiĉti eft appenfum. Datum anno & die fupra diĉtis."

TITULUS X.

De Matrimonio.

DE hoc magno, ut ait Apoftolus, Sacramento traĉtat facrum Conc. Trid. *Seff.* 24. Unde omnia, quæ illic tam in Canonibus, quam Capitibus *de Reformatione* conclufa, determinata, & ordinata funt, in hac noftra Synodo per præfentes innovamus, & ad commodiorem obfervationem fequentia explicatius ponenda duximus.

Primo, etfi Sponfalia de futuro maneant in antiqua juris difpofitione, nec per carnalem copulam fubfequentem tranfeant in Matrimonium; fides tamen data fervanda eft, & ad hoc pars refilire volens, compelli poteft per noftrum Officialem, nifi æquitas aut ratio in jure & faĉto fundata aliud fuadeat.

Et quia circa Matrimonia clandeftina a S. Concil. Trid. declaratum eft, non tantum effe prohibita; fed aliter, quam juxta formam Concilii contraĉta effe nulla, nec effeĉtum Matrimonii fortiri, fed nec proles exinde natas pro legitimis habendas. Requirimus Archi-Diaconos noftros, ut diligenter & ferio advertant in eos, qui clandeftina Matrimonia contrahunt, & propriis Paftoribus irrequifitis vel negleĉtis, coram aliis, five intra, five extra Diœcefin, fidem matrimonialem fibi invicem dare præfumunt. Unde non tantum puniendi funt taliter contrahentes, fed etiam ad feparationem contra hujusmodi contrahentes procedendum eft, ufque dum coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote ad id poteftatem habente confenfum repetant. *Seff.* 24. *de Reform. Cap.* 1. fufpenditur ipfo jure affiftens Matrimonio Sponforum fibi non fubditorum.

Puniantur, qui ſine proclamationibus, aut earum remiſſione in ſcriptis obtenta, vel qui in gradibus & caſibus in Jure & Conc. Trid. prohibitis, ſine exhibita diſpenſatione, vel extra Eccleſiam ſine licentia Matrimonio jungere præſumunt.

Si ſuper interdicto fuerit diſpenſatum, non permittantur tamen convivia nuptialia, choreæ, nec ſolemnes Sponſæ traductiones, quod idem obſervari volumus, licet Matrimonium ante tempus interdicti contractum & ſolemnizatum ſit, cum temporis ſanctitati repugnent.

Atque ut melius & commodius, quid de Matrimonio, ejusque impedimentis a S. Concil. Trid. ſtatutum ſit, populo innoteſcat, ad minus ſemel in anno, idque in Dominica poſt Epiphaniam, quando legitur Evangelium de Nuptiis in Cana Galileæ, Decretum Conc. Trid. *Seſſ.* 24. *de Reform. Matrim.* lingua vernacula proponetur.

Suppeditabit etiam in hac materia inſtructionem Agenda Monaſterienſis, aliique, qui de hac re tractant Authores.

Librum habeant Parochi, in quo notentur nomina contrahentium, & duorum aut trium teſtium, nomen Paſtoris vel Sacerdotis cum licentia aſſiſtentis, dies & locus, annotetur etiam de exhibitis dimiſſoriis, ſi alter contrahentium ſit ex alia Parochia. Unde non facile vagi copulentur, niſi diligentiſſimo examine prævio, & habito Ordinarii ex data informatione, in ſcriptis conſenſu.

Caute etiam in Matrimoniis Militum procedatur, cum in effectu multi eorum non tantum vagi ſint, ſed atheismum præ ſe ferant.

Summa omnium, quæ de Sanctiſſimis Sacramentis ordinata ſunt, hiſce paucis inſinuantur & concluduntur: Nolite Sanctum dare canibus, & ſancti eſtote, quia Ego ſanctus ſum.

TITULUS XI.

De Archi-Diaconis.

ARchi-Diaconi, quos Epiſcoporum oculos jura Canonica vocant, ut officio ſuo rite fungantur, nec metas jurisdictionis ſuæ excedant, tanquam DEO & Nobis ex Decreto S. Conc. Trid. rationem reddituri, attendant, quid in viſitationibus ſui officii ſit, & quomodo ſingulariter cavendum, ne ſumptu graventur viſitandi, quod ipſis ab eod. Conc. *Seſſ.* 24. *C.* 3. *de Refor.* præſcribitur, quo ſit remiſſio.

Inſuper hic repetendum & innovandum duximus, quod in ſuperioribus Synodis authoritate Prædeceſſorum, & noſtra ſucceſſive habitis, circa hoc ordinatum eſt ſub hoc verborum tenore: "Requirimus, & in Domino „ adhortamur omnes & ſingulos DD. „ Abbates, Priores, Præpoſitos, De- „ canos, Archi-Diaconos, & alios quos- „ cunque de jure vel conſuetudine, „ jurisdictionem & ſubditos habentes, „ conjunctim & diviſim, quatenus in- „ fra menſis ſpatium a dato præſentium „ proxime & immediate ſequens, ex- „ ceſſus culpabiles ſuorum ſubdito- „ rum, præſertim circa violationem die- „ rum Feſtorum, & transgreſſionem „ mandatorum Eccleſiæ, qui durantibus „ ſuperioribus bellis valde ſcanda- „ loſe inceperunt, corrigant, erran- „ tium correctionem & ſalutem, non „ vero mulctam præ oculis habentes; „ quod ſi mulctam neceſſitas, vel ſcan- „ dali ratio exigat, non minus qualitas „ exceſſus, quam ſtatus excedentium „ in conſiderationem trahatur; & tum „ ſe correctionis fructum ſperare poſſe „ confidant, ſi ad pios uſus mulctæ „ convertantur."

Et quamvis cognitio ſuper crimine concubinatus Clericorum juxta Conc. Trid. *Seſſ.* 25. *C.* 14. *de Reform.* non ad Archi-Diaconos, ſed Epiſcopum pertineat; tamen quia jam a multis annis aliter obſervatum eſt, inſinuamus & innovamus Archi-Diaconis Decretum tum Conc. Trid. *loc. cit.*, tum illud, quod noſtra authoritate in ſuperioribus Synodis promulgatum eſt hiſce verbis: *Cum pro Epiſcopalis & Paſtoralis officii* &c. quod in fine horum Decretorum apponi curabimus, aſſiſtentiam noſtram in proceſſu clementiſſime offerentes.

Innovamus etiam declarationem prætacti Decreti anno 1652. in Synodo Autum-

Autumnali die 15. Octobris publicatam, sub hoc verborum tenore: "Quia
" etiam nonnulli reperiuntur, quod
" cum horrore dicimus, qui toties moniti, sæpius mulctati, concubinas ad
" se recipere præsumpserunt, vel adhuc in domibus suis, pagis & vicinis
" locis admittunt, fovent, & frequentant, Edicto superiore in suo robore
" permanente per præsentes dicimus
" & declaramus, si qui post has Edicti
" publicationes in tali ac tam scandaloso crimine deprehensi fuerint, eos
" privilegio & licentia testandi, quomodocunque ea obtenta & concessa
" fuerit, per hoc excidisse, nec eorum
" testamenta, ultimas dispositiones &
" constitutiones, sive in Camera Sigilli,
" sive in Cathedrali & Collegiatis effectum & robur sortituras esse."

Cui nostro Decreto & declarationi inhærentes, per præsentes volumus, ut Archi-Diaconi per se, vel per Commissarios & Promotores probatos, & nulla anteactæ vitæ labe notatos, singulariter in eorum vitam intendant, qui in cura animarum versantur, quos non tantum ab hoc crimine, sed etiam ab omni suspicione criminis immunes esse convenit; cum ejus doctrina facile contemnatur, cujus vita despicitur. Unde moniti, dictante sic prudentia Archi-Diaconorum, seclusis excusationibus, exceptionibus & provocationibus quovis modo suspectas a se amovere debent, consulturi non tantum conscientiæ propriæ, & aliorum, sed & honoraturi statum suum, a quo honorem habent in Ecclesia Dei.

Archi-Diaconorum munus est, ut ea, quæ a S. Conc. Trid. & in Synodis Diœcesanis observanda publicantur, & ipsimet per se, & in se exequantur, & per alios exequi & observari procurent.

Si contigerit Parochiales Ecclesias vacare, curabunt Nobiscum Archi-Diaconi, ut quam citissime istis Ecclesiis de idoneis Successoribus provideatur, illique mox instituantur, & sic a capta possessione, & inchoata residentia pro rata temporis fructibus gaudeant.

Et quia varietas & contradictio multa est circa annum gratiæ inter Executores & Successorem, suspensa quoad hoc usque ad ulteriorem cum Venerabili nostro Capitulo communicationem decisione, omnino necessarium est, ut quod debitam & sufficientem deservituram anni gratiæ attinet, stet in judicio & determinatione nostra, aut Vicarii nostri cum consilio Archi-Diaconorum, non vero Executorum, qui plus nimio hæredibus favere hactenus deprehensi sunt.

Curent Archi-Diaconi, ut mortuo vel recedente Pastore statim ocularis lustratio per suum Promotorem fiat in domo dotis, & quidem si structura ruinosa sit, & culpa resederit in Pastore, ex bonis relictis curetur reparatio. Quod vel maxime in illis observetur, qui spuriis splendidas domus, ceu perpetua monumenta impuritatis ædificando, habitationem Pastoralem neglexerunt. Si culpa vel onus fabricæ conservandæ residet apud Parochianos, astringantur illi.

Majori vero solicitudine in fabricam Ecclesiæ, & cœmeterii, aut Sacellorum & Oratoriorum sibi sciant intendendum.

TITULUS XII.

De Collegiis Canonicorum & Canonissarum, & Parochialibus Ecclesiis.

Quæ ad hunc Titulum, & personas titulo comprehensas, earumque statum & directionem pertinent, vel ex parte superius dicta sunt, vel dicentur inferius, unde tempori & brevitati consulentes, ad dicta & dicenda Nos referimus, præsertim vero innovamus, & per præsentes confirmamus, quæ a Serenissimo Prædecessore nostro glor. record. FERDINANDO circa Canonicos, Canonissas & Curatos magna prudentia & zelo juri & Conc. Trid. conformiter ordinata & publicata sunt, quæ omnia & singula ad obligandum eandem vim & robur habere volumus, quam si de verbo ad verbum his Synodalibus Decretis essent inserta.

Pro majori vero eorundem confirmatione innovamus & publicamus denuo Rescriptum contra non Residentes authoritate nostra anno 1651. die

1. Decemb. emanatum, & in Synodis ſubſequentibus prælectum & intimatum, & pro ſuperabundanti anno hoc 1655. de novo impreſſum, extenſum, & publice per modum Edicti affixum, juxta quod ſtricte procedi volumus.

Singulariter vero mandamus, ut Superiores Collegiorum & Eccleſiarum procurent, ut ab omnibus ſibi commiſſis ea ſerventur, quæ circa ge ſtationem habitus Clericalis uſque ad genua ad minus prominentis, & tonſuræ a Conc. Trid. *Seſſ.* 14. *C.* 6. *de Refor.* juſtiſſimis ex cauſis providentur. Contra contumaces & refractarios procedatur juxta formam ibidem expreſſam, alioqui negligentiam Prælatorum non tantum ſupplebimus, ſed & puniemus.

Abſtineant omnes a crapula & ebrietate, tabernis publicis, ludo taxillorum, aliisque prohibitis luſibus, uſura, Simonia, officiis & commerciis ſæcularibus, choreis, conſpirationibus contra ſe invicem, vel maxime contra Prælatos & Majores, invitatione ad nuptias, aliisque, quæ ſunt contra honeſtatem & ſanctitatem Clericalem, ſub pœna arbitraria pro qualitate exceſſus imponenda. Videatur Conc. Trident. *Seſſ.* 22. *C.* 1. *de Reform.* pulchre & graviter Clericos monens.

Religioſos & Sacerdotes extraneos aut ignotos, niſi de admiſſione & approbatione per literas a Nobis, aut Vicario noſtro obtentas, doceant, nemo ad Divina peragenda admittat.

Commendamus omnibus Clericis Fraternitates & Sodalitates pias, ut, ſi qui forte hactenus neglexerint, in una vel pluribus, prout Spiritus Sanctus ſuggeſſerit, nomina ſua inſcribi faciant.

TITULUS XIII.

De Teſtamentis & Executoribus.

Licet ipſa definitio Teſtamenti ſecum importet liberam de bonis diſpoſitionem, tamen cum bonorum omnium tantum ſimus Diſpenſatores cum obligatione coram Chriſto reddendæ rationis; non ita inhærendum eſt carni & ſanguini, ut ipſiusmet Chriſti in perſona pauperum, Eccleſiæ & piarum cauſarum obliviſcamur. Quod maxime obſervandum eſt nobis, qui de ſtipendio Eccleſiæ & oblationibus fidelium ſuſtentamur, quem in finem innovamus & inculcamus vobis omnibus, quod in ſuperioribus Synodis ſæpius prælectum eſt, ſub hoc verborum tenore: "Monemus interim & ſub " conteſtatione Divini judicii inculca" mus omnibus & ſingulis Clericis, ut " in Teſtamentis condendis memine" rint, DEO, Eccleſiæ & pauperibus " gratam vicem eſſe reddendam, ut ſi " quæ eorum gratia & beneficio bona " conquiſita ſint, Teſtatorum liberali" tate, ad eosdem ex majori ſaltem par" te, recurrant; nec putent ii, qui ſpu" riis ſuis ſub alimentorum, dotis, aut " titulo fiduciariæ inſtitutionis, aut " alio, amplam hæreditatem, ſplendi" das domos, fundos, bona immobi" lia, monumenta ſcilicet impuritatis " & incontinentiæ æterna impendunt, " Dei, Eccleſiæ, pauperumque vix me" mores, ſe peccati mortalis reatum, " Dei vindictam, noſtram etiam cen" ſuram, juſtitia & conſcientia ita di" ctante evitaturos, cum in deteſtatio" nem damnati coitus lex diſponat, ut " ſit ſupplicium hoc parentum, ut " agnoſcant ſpurios præter alimenta ſta" tui congrua ex bonis nihil habitu" ros." &c.

Innovamus etiam contra Executores inſertam hucuſque Synodalibus Decretis Conſtitutionem ſub hiſce verbis; "Requirimus omnes & ſingulos " Teſtamentarios, & Executores teſta" mentorum, Beneficiatorum defuncto" rum, & quarumcunque perſonarum " Eccleſiaſticarum Civitatis & Diœceſis " Monaſterienſis, quatenus Sigillife" rum Curiæ noſtræ prædictæ, de bo" nis Teſtatorum inventis infra men" ſem, de diſpoſitione eorundem bo" norum inventorum infra annum poſt " obitum Teſtatoris immediate ſequen" tem certificent & informent, eique " rationem reddant, ut tenentur. Alio" quin contra eosdem, prout de jure " poterimus, cenſura Eccleſiaſtica me" diante procedemus, & Manufideles " ſive Executores teſtamentorum, ſive " ultimarum voluntatum illorum, qui " ultra annum deceſſerunt, & dicto

Sigilli-

" Sigillifero nostro, de bonis Testatorum per eosdem inventis, nondum computum reddiderunt (licet tamen per Nos & nostra mandata ad hoc sæpius fuerint requisiti) pœnam arbitrariam incidisse declaramus." &c.

Cæterum inter pias causas singulariter annumerari volumus Seminarium Clericorum, nec ullius Clerici testamentum acceptabitur, nisi aliquid ad hunc finem legatum sit, salva tamen cujusvis libertate, quid, quantumque donare aut legare velit.

Executores ad inventarizationem & executionem non procedant, nisi coram Sigillifero nostro testamentum defuncti, vel saltem constitutionem exhibuerint, & licentiam exequendi in scripto obtinuerint.

Qui sine Testamento vel Executorum dispositione decedunt, horum bona per vicinum Pastorem obsignentur, usque dum Sigillifer noster certior factus, quid agendum sit de illis, pro jure Cameræ Sigilli, ad quam devoluta sunt, demandet.

TITULUS XIV.

De Ecclesiis, Altaribus, Imaginibus, locisque piis.

PAstores suos Provisores & Parochianos ex Aggæi 1*mo Cap.* docebunt, quam displiceat Deo, si Templa, quæ domus Dei sunt, destructa jaceant, aut sint vetustate desolata & collapsa, ita ut subinde horrorem incutiant ingredientibus. Servetur in his reparandis consuetudo, quæ si variet, nec conveniri possit, recurratur ad decisionem Conc. Trid. *Sess.* 21. *C.* 7. *de Reform.* Omnes ad reparationem contribuere cogantur. Conc. Trid. *Sess.* 7. *C.* 8. *de Refor.*

Monemus insuper Provisores & Structores Ecclesiarum & Capellarum, quos per vos & quemlibet vestrum sub pœnis antedictis moneri præcipimus, & mandamus, quatenus opportune Ecclesias, Capellas, Cœmiteria, violatas & violata, altariaque dotata & nondum consecrata, neque benedicta & reconciliata reconciliari & consecrari procurent realiter & cum effectu. Altaria vero, quæ neque dotata, neque consecrata sunt, & ornari propter Ecclesiarum inopiam non possunt, prout & imagines quascunque deformes, mutilatas, aut etiam non satis approbatas amoveri, atque ad tabulatum vel supra fornicem Ecclesiarum extra conspectum populi collocari mandamus.

Circa Altarium vero amotionem, cum ea tam multis & sacris cæremoniis Deo unctione Episcopali consecrata sint, nihil attentari volumus, sine licentia nostra, aut Vicarii nostri Generalis, a quo modum petere licebit, quomodo religiose & debite talis altarium amotio facienda sit.

Imagines sculptæ aut pictæ, quæ Templis vel locis sacris inferentur, vel quarum usus erit in processionibus, ejusmodi sint, ut nihil in ipsis notetur profanum, inhonestum, sæculare, lascivum ex nuditate, vel obscœnum. Verbo, quod oculos & pias mentes offendat, quanquam posteriores, nec in domibus, nec hortis Ecclesiasticorum, imo & Laicorum inveniri volumus.

Reliquiæ Sanctorum capsulis honestis & obseratis asserventur, nunquam in eodem Tabernaculo, ad quod reponitur Sanctissimum Sacramentum.

Archi-Diaconi prout & occurrente visitatione Episcopali deputati Commissarii per se, vel alios ad id Deputatos Ecclesiasticos, aut Pastores non tantum exigant rationes, quæ fabricam Templi concernunt, & reditus pauperum, sed & Hospitalium, Leprosoriorium, & quorumcunque locorum pios computus audiant, & diligenter advigilent, ut seposita utilitate propria, in bonum pauperum, domuum & Ecclesiæ omnia administrentur; Quod si a Sæcularibus non admittantur, implorari assistentiam nostram, concedemus.

Quæ de inventariis redituum, paramentorum, ornamentorum &c. erigendis, & cum duplici copia authentica exhibendis antehac per Nos Pastoribus, Vicariis, aliisque Ecclesiarum Ministris, prout & Provisoribus, Amptmannis, quocunque demum nomine censeantur, Rescripto speciali demandata sunt, hic sub arbitraria pœna repetita, & innovata volumus.

Pasto-

Paſtores ſubinde inculcent populo Decretum Conc. Trid. contra occupatores bonorum ac jurium Eccleſiæ, aut piorum locorum *Seſſ.* 22. *C.* 11. *de Refor.* promulgatum, & ad calcem hujus Synodi poſitum: cum valde timendum ſit, ut ſuperioribus annis invaleſcente hæreſi, durantibus bellis, & Cleri negligentia, vel Laicorum avaritia multa bona ejusmodi a Magiſtratibus politicis, Patronis laicis, aliisque ad profanos, vel familiarum privatos uſus tranſlata ſint, quamvis pennæ aquilarum ſint, teſte horum temporum experientia.

In alienandis, permutandis, elocandis ad longum vel breve tempus Eccleſiæ & locorum piorum bonis, attendatur Eccleſiæ neceſſitas & utilitas, fiatque ſecundum Juris Canonici diſpoſitionem cum conſenſu noſtro, & Archi-Diaconi. Si ſecus factum ſit, aut fuerit, illud nullum eſſe, nec officium juris mereri decernimus. Si lis moveatur Eccleſiæ, aut Poſſeſſori ſuper bonis ad Eccleſiam ſpectantibus, recurratur ad Archi-Diaconum, vel etiam Vicarium noſtrum, ne per potentiam opprimatur juſtitia, habeantque aſſiſtentiam illi, qui in jure pupillis & viduis comparantur.

TITULUS XV.

De Feſtorum obſervatione.

TAbulam Feſtorum tum mobilium & immobilium, tum jejuniorum dies Sereniſſimus Prædeceſſor noſter glor. record. ERNESTUS per hanc tum temporis ſuam Diœceſin publicavit, quam obſervari & in fine hujus Synodi apponi mandamus. Acceſſit autem Feſtis diebus ex Decreto Seren. FERDINANDI Succeſſoris ſui, noſtri Prædeceſſoris glor. record. de conſenſu & conſilio Ven. Capituli noſtri Cathedralis feſtum Converſionis S. Pauli, Patroni noſtri, 25. Januarii ad inſtar diei Dominicæ celebrandum. Horum Decretis inhærentes præcipimus eadem Feſta & jejunia publicari, & ritu Catholicæ Eccleſiæ obſervari.

Si neceſſitas incidat, præſertim tempore meſſis, ut ſervilis labor permittendus videatur, & diſpenſatum ſit, petatur licentia a Superioribus, vel etiam caſu ita exigente a Paſtore loci, & detur gratis, ita tamen, ut Paſtores in ſingulis Synodis Archi-Diaconalibus nomina deſignent, quibuscum, & ex quibus cauſis ſit diſpenſatum.

Feſtum S. Angeli Cuſtodis in Choro celebrari poteſt Dominica, quæ ſequitur feſtum S. Michaëlis conformiter Eccleſiæ Metropolitanæ Colonienſi, ut detur occaſio Concionatoribus cultum & beneficia Sanctorum Angelorum Cuſtodum populo proponendi.

Meminerint Religioſi, quod juxta Conc. Trid. præſcriptum in celebrandis Feſtis fori Epiſcopo & conſuetudini Eccleſiæ Diœceſanæ ſe accommodare tenentur.

Conveniens etiam eſt, prout antehac in Synodis demandatum eſt, ut pro aliarum Diœceſium & Eccleſiarum ritu feſtum Dedicationis & Patroni cum Octava in ſingulis quibusque Eccleſiis celebretur, quod & Nos in publicis & privatis Officiis juxta Rubricam Breviarii Monaſter. & morem ſolemnium Octavarum ab omnibus fieri volumus & mandamus. Et ut vel maxime unio omnium noſtræ Diœceſis Eccleſiarum cum Eccleſia Cathedrali ceu Matre melius agnoſcatur, viſum eſt, ut juxta S. Rom. Eccleſiæ diſpoſitionem feſtum Dedicationis Eccleſiæ noſtræ Cathedralis in hac noſtra Civitate Monaſterienſi ab omnibus cum Octava, extra vero Civitatem ipſa Dedicationis dies, in Choro aut Horarum lectione celebretur, translato aut anticipato S. Hieronymi feſto.

Optamus & hortamur omnes Superiores, Paſtores, & Concionatores, ut præter ſupremum Dei cultum, & ea, quæ ad Chriſtianam perfectionem pro ſtatus & vocationis ratione pertinent, devotionem erga Beatiſſimam Virginem MARIAM, S. Angelum Cuſtodem, S. Paulum, S. Joſephum Nutritium Chriſti, qui Patronus eſt ſingularis agonizantium, S. Ludgerum Proto-Epiſcopum Monaſterienſem, & omnes Sanctos in animis ſubditorum plantare, conſervare, & promovere ſtudeant.

Prohi-

Prohibemus autem diſtricte, ne circulatores, hiſtriones, mimi, comœdiantes (ut vocant) diebus Dominicis & Feſtivis nugas ſuas in theatris publice exhibeant, ne populi devotio turbetur & diſtrahatur. Imo ad præcavendam juventutis ſeductionem, cum levitatem fere inſtillent, actiones ejusmodi optamus plane prohiberi, Archi-Diaconis curam committentes.

Dies Rogationum & S. Marci celebrentur cum Proceſſione, Litaniarum decantatione, Miſſa, & brevi aliqua exhortatione ac abſtinentia a carnibus. Et ut populus libens & frequens interſit, in concione cohortandus eſt.

Nova Feſta Sanctorum hactenus Calendario aut Chori Directorio nondum adſcripta, licet canonizati ſint, nec ad Chorum, nec ad forum introducantur, ſine noſtra, aut Vicarii facultate.

Feſta tamen SS. Brunonis, Dominici, Franciſci, Nortberti, Ignatii ſub ritu duplici in Choro & Breviario ſervari poſſe & debere decernimus, idque ex cauſis gravibus, & animum noſtrum moventibus.

Nundinas & mercatus publicos, qui incidunt in dies Feſtos, & devotionem & Officium Divinum impediunt, anticipari & transferri in diem opportunum, vel proxime ſequentem generali Decreto in eum finem promulgando curabimus. Quod etiam vel maxime neceſſarium judicamus, ſi incidant in Vigilias ſummorum Feſtorum Paſchatis, Pentecoſtes, aut ſimilium.

Serio monebuntur rudiores, ut ſciant ſe diebus Feſtivis ad audiendum Sacrum obligari, licet in itinere, aut extra ſuam Parochiam conſtituti inveniantur, dummodo commoditas audiendi Sacri occurrat.

TITULUS XVI.

De Immunitate Eccleſiaſtica.

CUm Immunitas Eccleſiaſtica non tantum circa perſonas Dei, & Eccleſiæ ſervitio conſecratas, ſed & circa loca & bona verſetur; Nos authoritate S. Conc. Trid. *Seſſ.* 25. *C.* 20. *de Reform.* requiſiti, mandamus omnibus Officialibus noſtris tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus, prout & quibuscunque Magiſtratibus, aut poteſtatem in hac noſtra Diœceſi habentibus, ut Eccleſiæ & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem, Dei ordinatione conſtitutam, aliquo cupiditatis ſtudio, ſeu inconſideratione aliqua non violent; ſed debitam ſacris Summorum Pontificum & Conciliorum conſtitutionibus obſervantiam præſtent, prout latius dicto loco continetur.

Privilegium Canonis ſtrictiſſime volumus obſervari, ita ut neque Clericum ad judicia ſæcularia trahere liceat, neque ipſi coram ſæculari Judice forum ſine licentia S. Pontificis acceptare, multo minus aliquid ei imponere, quod ſit contra honorem ſtatus, niſi in caſibus a jure exceptis. Huic annectimus Canonem: "Si quis ſuadente " Diabolo, quem a nonnullis parum " attendi, a multis obſervatur &c."

Aſylum ad Eccleſias, loca pia, vel Sacerdotem Venerabile Sacramentum deferentem, aut alias obſervari, & in hoc caſu non aliter procedi contra reos fugientes mandamus; quam jura Canonica præſcribunt ſub pœnis juri Canonico & Bullis Summorum Pontific. inſertis, illis exceptis, qui jure noviſſimo per Bullam GREGORII XIV. ab hoc privilegio excluduntur.

Huic Immunitati, quæ propter ſanctitatem loci, Eccleſiæ, & cœmiteriis conceditur, affine eſt, ut in locis hujusmodi forum vel mercatus publicus non exerceatur, maxime ſi Officio Divino incommodet; multo minus decet fimetis, haris & ſordibus, nedum choreis & compotationibus defœdari.

Bona ſimiliter, quæ Eccleſiæ, ejusque Miniſtris deputata ſunt, immunitate gaudere volumus, ne (quod MARTINUS V. Pontifex conquerebatur) apud quosdam Catholicos Magiſtratus Sacerdotium novi Teſtamenti deterioris conditionis factum videatur, quam profanum Sacerdotium apud Pharaonem, qui aliis in ſervitutem redactis, Sacerdotes & poſſeſſiones eorum in priſtina libertate dimiſit.

Forte etiam juxta mentem S. Caroli Borromæi abuſus eſt, ut ad judicia &

& ſupplicia reorum populus per pulſum campanæ, per benedictionem & unctionem Epiſcopalem ſacratæ convocetur.

TITULUS XVII.

De Sepulturis & Exequiis.

CHaritas exigit Chriſtiana, ut defunctorum non tantum animabus, ſed & corporibus curam impendamus, qua in re Paſtores, Sacerdotesque Sæcularibus exemplo prælucere optamus.

Paſtores pro concione ſtatum animarum in purgatorio exiſtentium, pœnarumque gravitatem & acerbitatem proponent, tum ut ipſimet in mortis periculo ſive vitæ agone conſtituti pro propriis animabus ſoliciti ſint, tum ne ab hæredibus & amicis negligentius ſuffragia & charitatis officia mortuis impendantur, tum ut viventes intelligant magnum opus miſericordiæ ſpiritualis ſe præſtare, quando pro animabus defunctorum orare ſolent, præſertim diebus Dominicis & Feſtivis in Proceſſione. In quem finem introducta eſt pia conſuetudo, ut poſt datum veſperi ſignum ad Salutationem Angelicam, fiat pulſus, quo ad memoriam defunctorum excitemur, quod volumus deinceps continuari.

Mandamus tamen, ne Paſtores Exequiarum, Sepulturæ & Anniverſariorum cauſa quicquam paciſcantur, vel aliud aliquid moleſtius flagitando committant, præſertim circa pauperiores, quod Simoniacæ labis, vel ſordidæ avaritiæ ſuſpicionem habeat, pias tamen conſuetudines ſervari jubemus, & ſi quid ultro oblatum ſit, accipi permittimus.

In concionibus funebribus proponantur ea, quæ mortis memoriam refricent, ut multam miſeriam, qua homo natus de muliere repletur, ob oculos ponant. Ab affectatis autem & ſubinde immeritis defunctorum encomiis abſtineatur.

Si concio habenda ſit, ſervetur in Templis, non vero in cœmiteriis, ſed neque in ſepulturis infantium, & ita paſſim ut hactenus, nec poſt prandium; ſed ſi ſimul petantur & procurentur Exequiæ, vel ad minus Miſſa pro defuncto.

Ubi funus a Sacerdote excipitur, cum ſuperpelliceo, ſtola nigra, & aqua benedicta ad ſepulchrum, ſervetur conſuetudo, ubi vero id hactenus factum non eſt, ſub pœna demandetur.

Cœmiteria ita muris aut lignis ſepiantur, ne brutis animalibus ſit acceſſus, lapides ſepulchrales in Eccleſia non eleventur ultra ſuperficiem totius pavimenti, quod eſt ab utroque latere.

Intra tumbas ſepulchrales nihil apponatur corporibus defunctorum, quod ſuperſtitionem ſapiat.

Valde diligenter monendus populus, ne a malis hominibus in puncto apparitionis ſpirituum ſeducatur, quin potius Paſtores, aut viros Religioſos conſulat, quid facto opus ſit.

Infantium Baptiſmo ſuſcepto morientium ſepultura peragatur, ſine cæremoniis luctus: potius vero Sacerdos utatur ſtola albi coloris, adhibeatur pulſus campanarum feſtivus, & canatur Pſalmus gaudioſus, ut in Rituali Romano.

TITULUS XVIII.

De Regularibus & Monialibus.

ETſi ea, quæ ad Religioſos utriusque ſexus pertinere putamus, ad proximam Synodum, ne Decretorum promulgatio nimium detineat, reſervanda duxerimus, paucis tamen & Superiores monere, & ipſos Religioſos cohortari viſum eſt.

Primo, monemus Abbates & Abbatiſſas, ne in præjudicium jurisdictionis noſtræ Epiſcopalis, cui de jure vel conſuetudine ſubjiciuntur, ante obtentam a Nobis confirmationem, præſentatione per Cathedrale Capitulum noſtrum prævia, iis functionibus ſe immiſceant, quæ ſine confirmatione expediri non poſſunt.

2*do*. Etſi Majores noſtri (prout Bozius in libro *de ſignis Eccleſiæ* teſtatur) bene ſibi & toti patriæ conſultum putaverint, ſi in Monaſteriis & Conventibus erectis multi numerantur, qui ceu Cuſtodes ſuper muros Jeruſalem ſpiri-

ſpiritualis conſtituti, tota die ac nocte non tacerent laudare nomen Domini, volumus tamen, præcipiente ita Concilio Trid., non multiplicari eorum reſidentias, ſine noſtro, & Capituli noſtri Cathedralis in ſcriptis obtento conſenſu, nec plures ad Monaſteria ſive Conventus recipi, quam vel ex redditibus, vel hactenus permiſſa eleemoſynarum collectione, ſine gravamine ſubditorum & præcipue Paſtorum poſſint ſuſtentari.

3tio. Terminarii, qui a Superioribus ad colligendum terminum deputantur, ſint viri docti, exemplares, modeſti, ſobrii, qui poſſint & velint pro temporalibus, quæ libera charitate dantur, rependere ſpiritualia; abſtineant in cathedra ab omnibus, quæ riſum promovent; apud ſubditos, præſertim ſimpliciores, ſervent gravitatem religioſam, nec præſumant in privatis diſcurſibus ultra metas ſuæ vocationis conſilia & actiones ad ſe non pertinentes cenſurare, carpere vitam & famam Cleri ſæcularis, nec importunius exigant ut debitum, ſed potius doceant hilarem datorem diligi a Deo, & fœnerari Deo, qui miſeretur pauperis.

Sacerdotes in termino abſtineant ab audiendis Monialium confeſſionibus, niſi ad id a Nobis, vel Vicario noſtro poteſtatem habeant in ſcriptis.

4to. Volumus etiam, & cum hoc de conſenſu Venerabilis Capituli noſtri Cathedralis vobis omnibus & ſingulis inſinuamus ea, quæ in Bulla GREGORII XV. anno 1622. die 5. Februarii edita, & incipit: *Inſcrutabilis.* Circa Regulares & Confeſſarios Monialium, nec non Adminiſtratores temporalium bonorum apud easdem Epiſcoporum directioni & inſpectioni permittuntur.

5to. In Monaſteriis Monialium clauſuram introduci jubemus ſub eadem conteſtatione, tam gravi, quam neceſſaria, qua a S. Conc. Trid. & ſacris Canonibus eſt demandata; onerantes ſuper hoc Superiorum & Viſitatorum conſcientias. Huic annectimus, quod Spiritu Sancto dictante, pro juvandis afflictarum conſcientiis circa extraordinarium Confeſſarium aliquoties per annum Monialibus offerendum, jam ante ſæpius demandatum eſt, & ab omnibus ſumme neceſſarium judicatur, idque ſub pœna Bullæ GREGORII XV. de qua ſupra, inſertæ.

6to. Quam parum habitat Spiritus Sanctus in corpore ſubdito peccatis, tam parum ſub vano aut curioſo habitu latere præſumitur perfectio religioſa. Hinc eſt, quod diſtricte præcipiendo mandamus apud Moniales quaſcunque non tantum habitum & colorem Ordinis juxta reformationem uniformiter introduci; ſed etiam abrogari omnia, quæ contra votum ſanctæ paupertatis pugnare videntur, veſtes ſcilicet pretioſiores, annulos aureos, vela ſerica, & quicquid eſt vel invenitur ſimile.

7mo. Idem etiam quoad conformitatem habitus obſervari jubemus in Conventibus Auguſtinianarum, eo ſalvo, ut dum ad laborem deputatæ exeunt, veſtibus coloris griſei, nigri aut ſtannei uti poſſint. Cæteroquin in admiſſione, Conventu & Choro, vel quando alias cum licentia in ſcriptis obtenta prodeunt juxta Ordinis præſcriptum & Regulam indifferenter omnes veſtiantur veſte lanea coloris albi, aliis, quæ in Conſtitutione Prædeceſſoris noſtri JOANNIS, Bavariæ Ducis, circa dictas Auguſtinianas continentur, in ſuo robore permanentibus uſque ad ulteriorem diſpoſitionem.

Inſuper, quæ in ſuperioribus Titulis de Religioſorum Concionatoribus & Confeſſariis diſpoſita ſunt, hic repetita & innovata decernimus.

Cæterum Proceſſus & Mandata quoscunque & quæcunque authoritate Epiſcoporum Monaſter. felicium recordationum, ac noſtra voluntate & aſſenſu emiſſos & emiſſa, & pluries a ſacra Synodo Generali in dicta noſtra Eccleſia Monaſterienſi celebrata in præſentia Prælatorum & aliorum Clericorum Civitatis & Diœceſis Monaſterienſis tunc ibidem congregatorum executos & executa, una cum Statutis tam Provincialibus, quam Synodalibus in omni eorum forma, præſentibus innovamus, ipſosque & ipſa vobis univerſis & ſingulis ſupradictis inſinuamus, intimamus & notificamus, ac eos & ea cum

cum & sub pœnis & censuris in iisdem contentis, & expressis firmiter & inviolabiliter observari præcipimus & mandamus, nisi in quantum ipsis per S. Concilium Trid. & novissimas Constitutiones Synodales, aut aliter est derogatum, salvis tamen in omnibus Statutis, Ordinationibus, consuetudinibus, privilegiis, & prærogativis Ecclesiæ nostræ Cathedralis, & Beneficiatorum in eadem, quibus in nullo derogatum esse volumus.

In quorum omnium & singulorum fidem ac testimonium Decreta hæc Synodalia authoritate nostra cum consilio & assensu Venerabilis Capituli nostri Cathedralis, modo prælecta, manu nostra subscripsimus, & Sigillo nostro fecimus communiri. Data in Episcopali Civitate nostra Monasteriensi anno Domini Millesimo, sexcentesimo, quinquagesimo quinto, die undecima mensis Octobris.

Christophorus Bernardus mpp.

(L.S.)

---

† *Sequuntur Epistolæ aliquot Pastorales, Synodorum loco jussu Revmi & Illmi Principis ac Domini, D. CHRISTOPHORI BERNARDI, Monast. Episcopi, in Domo Capitulari lectæ, & ex Revmi Capituli Monasteriensis Tabulario communicatæ.*

EPISTOLA I. Pastoralis,

DATA

Anno Christi MDCLVI.

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA MONASTERIENSIS EPISCOPUS, S. R. I. PRINCEPS &c. &c.

SPonsus Ecclesiæ CHRISTUS JESUS, Sponsam suam ad agros invitans, videamus, inquit, si floruerint vineæ, si germinarint mala punica, si flores fructus parturiunt: Quod Nobis, qui Divina miseratione inter plurimos alios Rectores in vineis, hoc est, Episcopi in Ecclesia, tam excolendis palmitibus, quam vulpeculis, quæ vineam demoliuntur, capiendis, cum onere summo & obligatione gravissima constituti sumus, primario & singulariter dictum agnoscimus, rati nihil eorum esse negligendum, per quod obtineri possit, ut in hac vinea nostra Monasteriensi pro voto & zelo Sponsi, tam in floribus piorum desideriorum, quam operum fructu, pro status & vocationis ratione ab omnibus, & ubique, quantum patitur humana fragilitas, debite respondeatur.

Proinde sicut utiliter & fructuose in hunc finem per hanc nostram Diœcesin Visitationes Episcopales hucusque per Nos duximus continuandas, idque fere gravissimis obruti negotiorum arduorum impedimentis; sic etiam hac ipsa die Synodum Episcopalem universo Clero solenniter convocato & congregato, DEI gloriam, animarum salutem, Cleri honorem, patriæ bonum præ oculis & in corde habentes, celebrandam & concludendam constitueramus, visuri & audituri, num post tam multarum Synodorum Decreta, exhortationes, visitationes tum nostras, tum Archi-Diaconales ceu flores, vinea a DEO Nobis concredita uvas, an vero labruscas parturiret & proferret, nisi præter alias causas animum nostrum moventes, pestilentis morbi contagio Civitatem hanc nostram Monasteriensem jam pridem occupans, & occupatam adhuc premens, & terrens intentionem & consilia non sine dolore nostro & vestro invertisset.

Ne tamen Episcopali nostro officio, & vestro, qui convenistis, desiderio, in hac temporum calamitate & dolendæ infectionis miseria positi, omnino defuisse videamur, innovantes & denuo confirmantes omnia & singula, quæ specialibus Edictis, vel in superioribus Synodis, præsertim vero ultima Synodo majori prælecta, publicata, ordinata & demandata sunt, cum hoc & per præsentes denuo publicamus, ordinamus & demandamus cum eo robore & obligatione, quam haberent, aut habere possent, & deberent, si de verbo ad verbum præsentibus essent insertæ, & de verbo ad verbum prælegerentur & publicarentur.

Insuper quia Ordinationes Serenissimi & Rmi Principis Electoris FERDINANDI Episc. Monast. glor. memoriæ Prædecessoris nostri, anno Millesimo, sexcentesimo, decimo sexto, die nona Septembris, de consilio & præscitu Adm. Rdi Capituli nostri Ca-

Cathedr. editæ, in Synodo majore Autumnali anni superioris publicatæ & confirmatæ sunt, in quantum Constitutionibus nostris novissimis iisdem non est derogatum, sic ne ignorantia earum prætendi possit, voluimus & clementissime demandavimus eas, quæ Parochos, & curam animarum, & Sacramentorum administrationem concernunt, per Fiscalem nostrum Ecclesiasticum ex impresso exemplari publice recitari. Sunt autem tenoris subsequentis: *Ante omnia*, &c.

Lecta in Domo Capitulari 1656.

EPISTOLA II. Pastoralis,
DATA
Anno Christi MDCLVII.

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI GRATIA ECCLESIÆ MONASTERIENSIS ELECTUS ET CONFIRMATUS EPISCOPUS, S. R. IMP. PRINCEPS, &c. &c. VENERABILIBUS, SINCERE NOBIS DILECTIS CURATIS, CONCIONATORIBUS ET CONFESSARIIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

Congruum est vocationi vestræ sanctæ, ut quos Deus ad promovendam animarum salutem Nobis in partem operis adjunxit, in hoc sedulo incumbatis, ut & zelus in concionibus ad populum habendis contra ea vitia se vel maxime exerat, quæ rupto quasi aggere, in modum torrentis præsertim inter simpliciorem populum ita invaluerunt, ut vix pro tam gravibus delictis habeantur, quam alias in se malitia in illis contenta ex ratione objecti, quod læditur, importat: quod singulariter in blasphemiis, execrationibus, juramentis, aliisque, quæ ad hoc genus peccatorum reducuntur, animadvertere licet. Et quidem quo evidentius constat ex verbo Dei, hujusmodi peccatis Deum gravissime offendi, offensumque neglectum sui honoris, plagarum & malorum accumulatione vindicare, tanto magis mirandum esset, inter ipsos etiam Catholicos minorem horum peccatorum rationem & considerationem haberi, quam apud illos, qui quidem a Fidei orthodoxæ veritate aberrantes, de vitandis hujusmodi scandalis in quotidiana conversatione magis cauti sunt & soliciti, nisi Pastorum & Concionatorum negligentia, vel etiam dissoluta jurandi libertas in iisdem nota, exemplo malo malum foveret, & promoveret negotium.

Hortamur itaque omnes in Domino, & serio mandamus, ut in Concionibus, Confessionibus, Lectionibus catecheticis, aliasque opportune & importune hæc vitia extirpare, & consuetudinem tam pravam a parentibus subinde, quasi cum lacte in filios derivatam, tollere & emendare satagant, propositis non solum pœnis æternis & temporalibus a Deo intentatis, sed etiam commonitione severissimæ animadversionis, quam a Nobis & Archi-Diaconis serio & certo habent exspectare, uti patebit ex Edicto, quod eum in finem typis impressum publicabitur.

Illud quoque serio considerandum putamus Pastoribus & Concionatoribus, quomodo tum in Civitatibus, tum pagis contemptus, vel certe vilipendium præceptorum S. Matris Ecclesiæ invalescat, cum tamen ea sint Religionis Catholicæ pulchra symbola, notasque præbeant, & indicia interioris pietatis & filialis obedientiæ, quibus ad ædificationem & bonis collucere, & malis prælucere oportet. Videre id licet in violationibus tam Festorum, quæ extra diem Dominicum incidunt, quam abstinentiæ & jejuniorum, quæ in Quadragesima, Vigiliis, & quatuor temporibus, & per certos hebdomadæ dies authoritate Ecclesiastica a Deo accepta, etiam sub pœna anathematis in Concilio Gangrensi (*) Can. 19. præcipiuntur. Et certe hæc res Pastorum uti timendum est, socordia eo deducta est, ut abstinentia Sabbati ob memoriam Christi sepulti & Beatissimæ Virginis MARIÆ constituta, conjurantibus quasi sæcularium plurimorum animis & auribus ad vocem præcipientis Ecclesiæ obsurdescentibus, absque conscientiæ remorsu cessare velle videatur. Assurgite Pastores & Concionatores, ascendite in montem Sion, annuntiate populo peccata eorum, & inculcate authoritatem Ecclesiæ, obligationem fidelium, nisi vano nomine filiorum obedientiæ gloriari velint; insonet epiphonema illud: Qui non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Audiant illud S. Bernardi: Non causaberis vigiliam longio-

(*) Vide de hoc Concilio *Dictionnaire Portatif des Conciles*, Edit. Paris. 1758. & Christian. Wilh. Franc. Walchii *Ideam completæ Hist. CC. Eccles.* Lips. Edit. 1759. &c.

longiorem, si æternitatem festivitatis cœlestis attendens Væ, & æternum væ illis, qui pro lentis & carnis edulio primogenita vendunt diabolo &c. Cavete Pastores, ne licentia, quæ vobis sive ex Decretis Synodalibus, sive Superiorum permissu conceditur in dispensando, abutamini. Nunquam, nisi in casu summæ necessitatis dispensatio detur generalis, sed cum causæ & circumstantiarum cognitione singularis sit, & pro ista vice tantum, quid enim alias timendum, nisi quod vulgo dicitur, ut & dispensans & dispensatus cum licentia infernum intrent?

Quod minus frequenter & fructuose Lectiones Catecheticæ & instructio juventutis habeatur, id non tam populo, quam Pastoribus imputandum putamus, idque ea ratione, quod ex nostra Visitatione Episcopali deprehensum sit illis in locis & Parochiis, ubi Pastores zelosi & docti sunt, nullam sive in Catechismo docendo, sive frequentando difficultatem & querelas deponi, nec opus esse aut necessarium injunctis pœnis & mulctis simpliciorem populum convocari aut cogi, quin potius videre liceat cum gaudio, statutis pro tali doctione horis non minus repleri Ecclesias a promiscuæ ætatis hominibus, quam tempore antemeridiano ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium & Conciones Parochiales. Agite ergo Pastores, quod agitis, tractatis animas, & curatis eas, quarum pretium non exæquat mundus universus, solo Christi Sanguine æstimandas. Æqualis periculi negotium est, si negligentia & culpa vestra vel damnatur plena utens ratione, vel non debite tenera instruitur & ad bonum educatur juventus, fere deinceps ambulatoria juxta eas vias, quas ducente Parocho feliciter, vel eodem negligenter, cœco naturæ ductu est ingressa.

Demum proderit ad promovendam in simpliciorum animis devotionem, & obtinendam frequentationem Sanctissimorum Sacramentorum, si in singulis Parochiis singulatim, & in vicinioribus conjunctim, sive Civitatibus, sive oppidis aut pagis piæ Fraternitates instituantur & erigantur, sive in honorem S. Crucis, sive B. Mariæ Virginis vel aliorum Sanctorum, & quidem iis in locis, ubi vestigia antiquarum Fraternitatum deprehendere licet, restituantur in honorem & florem pristinum earum usus, ubi vero nullæ hactenus extiterunt, vel aggregentur vicinioribus, quæ vel in Civitatibus, vel locis celebrioribus, vel etiam apud Religiosos observantur, idque sive propter Indulgentias, sive propter Fraternitatem, & Sodalitatum directionem.

Docet insuper experientia, & insinuant Archi-Diaconorum querelæ, quod nondum cesset excursus simpliciorum ad Ariolos & homines de vitæ integritate & artibus prohibitis suspectos. Et quamvis Nos pro justo zelo eosdem ditione & Diœcesi nostra jam pridem Edicto publico præscripserimus, & realiter & cum effectu eliminari demandaverimus; manet tamen & adhuc perdurat excursus sive ad eos, qui adhuc forte latent, vel in viciniis commorantur, quod quidem præcaveri & impediri posse confidimus, si pro concione & in confessionibus populus de tanti peccati enormitate melius informaretur, simulque instrueretur frustra, irato vel permittente Deo, auxilium peti a Beelsebuth in Accaron, cum sit Deus in Israel.

Hæc sunt, quæ pro Episcopalis muneris nostri exigentia vobis duximus intimanda: in quibus sicut de humillima paritione vestra non dubitamus; sic ad majorem Dei gratiam obtinendam paternam Benedictionem nostram vobis libenter impertimur. In quorum fidem præsentes manu nostra subscriptas, sigillo nostro jussimus communiri. Datum in Civitate nostra Cosfeldiensi anno Millesimo, sexcentesimo, quinquagesimo septimo, die decima mensis Martii.

Christophorus Bernardus mpp.

(L.S.)

Lecta in Domo Capitulari 13tia Martii 1657.

EPISTOLA III. *Pastoralis,*

DATA

Anno Christi MDCLVIII.

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA SANCTÆ MONASTERIENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS, S. R. I. PRINCEPS &c. &c.

INter omnia Episcopalis & Principalis nostri Officii munera ad hunc finem omnem curam & cogitationem nostram primario & unice dirigendam esse agnoscimus, ut grex Domi-

Dominicus a DEO Nobis commiſſus ab illicitis vitiis & concupiſcentiis abſtinens, & præſentis temporis pace ac proſperitate in utroque homine conſtanter gaudeat, & periculis mortalis vitæ ereptus, paſcuis ſupernæ Jeruſalem abundantius in ævum perfruatur.

Et quanquam non ignoremus Divinæ Majeſtati, cui odio eſt impius & impietas ejus, omne omnino peccatum diſplicere, attamen ſicut propter leviora amicitiam cum hominibus virtute Sacramentorum, aut alias contractam (quæ magna eſt ejuſdem fragilitatem figmenti a ſe conditi agnoſcentis bonitas) non deponit; ſic ad ea emendanda & extirpanda delicta mentis aciem intendere neceſſe eſt, propter quorum inundationem impleta criminum menſura ad iracundiam juſtam provocatus benigniſſimus Pater populos, nationes & terras, bellorum, famis, peſtilentiæ, aliisque calamitatibus plectere & affligere conſuevit, prout non ſolum ad hoc teſtimoniis ſacræ Scripturæ ſufficienter inſtruimur; ſed etiam graviſſimis ac luctuoſis noſtrorum temporum exemplis commonemur. Inter quæ non ultimo loco collocanda duximus Divini cultus neglectum, blaſphemiæ crimen, execrationes, imprecationes, & paſſim ea, quæ prohibitione ſecundi Præcepti in Decalogo comprehenduntur, prout & ſupinam ſive Paſtorum, ſive parentum in informanda ad pietatem & Dei & Fidei cognitionem teneriori juventute ſocordiam.

Etſi autem in Synodo majore, & aliis ſucceſſive habitis Synodalibus Congregationibus contra eos, qui in ſupra dictis culpabiles deprehenderentur, ſeria & ſevera Edicta ex hoc loco promulgata, aut a Prædeceſſoribus noſtris ad Ss. Canonum & Conciliorum conformitatem edita authoritate noſtra confirmata ſint, quia tamen non æque apud omnes ea intelligimus obſervari, multos etiam nec Dei timore, nec pœnarum gravitate a peccandi voluntate & transgreſſionis reatu arceri dolenter videmus, Summorum Pontificum, Conciliorum Canonum, & Prædeceſſorum Decretis, noſtris etiam Conſtitutionibus Synodalibus inhærentes, de conſilio & aſſenſu Adm. Rdi Capituli Cathedralis per præſentis Edicti tenorem iteranda & denuo publicanda duximus.

Imprimis ad promovendam eam, quæ Deo dicatis Templis debetur, reverentiam, & ibidem exercenda externæ obſervantiæ officia ritu vere Catholico decentius obeunda ſtatuimus & mandamus, ut ad Eccleſias ſit humilis & devotus ingreſſus, quieta converſatio, devota oratio, omnes genibus flexis Ss. Sacramentum adorent, ad Nomen JESU CHRISTI Domini noſtri cum exhibitione reverentiæ caput inclinent, nullus in dictis Eccleſiis tumultum faciat, clamores excitet, aut propter locum aut jus ſedilis impetum aut violentiam committat, abſint vana & fœda colloquia, deambulationes, actus inhoneſti, vel quovis modo ſapierint inhoneſtatem, & quicquid ſcandalum generare Ss. Sacramento, vel Templo irreverentiam ingerere, vel Officia Divina & Conciones perturbare poſſe judicatur.

Quisquis contra hæc quovis modo deliquerit, præter Divinæ ultionis acrimoniam, mulctam pro delicti & perſonæ qualitate imponendam & moderandam incurret.

Ad cultum Divinum pertinet dierum Feſtorum obſervatio Lege Divina & Eccleſiaſtica multiplici fidelium emolumento inſtituta, unde par eſt eosdem prout & Feſtivitates ex laudabili locorum conſuetudine introductas, legitime ab omnibus obſervari, abuſus vero, qui contra hanc piam ac debitam obſervantiam Superiorum aut Paſtorum negligentia, vel etiam temporum & hominum malitia irrepſerunt, & fere palam & impune tolerantur, tolli & abrogari ſerio præcipimus ac mandamus, ut ſunt cauponum quæſtus, mercatus & negotiationes profanæ, quæ vel in dies Feſtos, vel Sanctorum aut Patronorum ſolennitates [unde antiquitus apud Catholicos nomen Miſſæ obtinuerunt] incidunt, & ſub Officiis Divinis, ſine timore Dei & magno cum præceptorum Eccleſiæ neglectu, adeoque & conſcientiæ reatu tractantur.

Hinc eſt, quod ſeveritatem Canonum & Conſtitutionum Synodalium Decreta denuo promulgantes & confirmantes, contra abuſus ejusmodi procedendum declaramus, ſimulque volumus & mandamus, ut, quod jam variis in locis introductum eſt, & ſine temporalis diſpendii metu & nota obſervatur, idem in Diœceſi & territoriis Nobis ſubjectis ubique introducatur & fiat; ſcilicet ut ſi dies Miſſæ aut mercatus in diem Dominicum aut Feſtivum incidat, profana iſta ſolennitas in diem ferialem proximam transferatur, & ſic deinceps Calendariis per Typographum noſtrum imprimatur & annotetur, quod etiam ſpeciali Reſcripto mandabimus publicari.

Ad abolendum vero nefarium & execrabile blaſphemiæ crimen, quod in antiqua lege Deus morte puniri mandat, quod etiam Imperialium Comitiorum jure receptum eſt, nunc autem propter eorum, quorum officii ratione intereſt, puniendi ſegnitiem, vel potius damnabilem deſuetudinem, & mundi in maligno poſiti præſumptam diſſolutionem, ſupra modum apud multos, præſertim ſimpliciores, invaluit, ad tollendam etiam

etiam ſcandaloſam, & veræ Catholicæ Fidei apud heterodoxos probroſam, jurandi, execrandi & imprecandi, & Sacroſanctis Christi Domini noſtri Vulneribus, Sanguine, Sacramentis &c. ad jocum fere & ſine reflexione abutendi conſuetudinem, mandamus tum Paſtoribus, ut enormitatem horum criminum populo tum ex textu ſacrarum Scripturarum, tum Canonum & Conciliorum cenſuris diligenter inſtillent, tum iis, ad quos hoc pertinet, ut non tantum pœnis impoſitis, ſed per ſucceſſivas vices duplicatis & cumulatis peſſimam hanc & deteſtabilem blaſphemandi, jurandi, & in vanum Nomen Domini aſſumendi conſuetudinem radicitus extirpent, & extirpari faciant ſub conteſtatione Divini judicii realiter & cum effectu, ſin ſecus, reddituri Deo & Nobis debitam rationem.

Sane is fuit LEONIS X. Pont. in Conc. Lateranenſi in hunc finem zelus & affectus, ut Magiſtratibus & cuivis privato certorum dierum Indulgentias conceſſerit, qui vel blaſphemantes puniret, vel Superiori competenti denunciaret, aſſignata eidem ex imponenda mulcta portione.

Quod attinet tenerioris juventutis & ſimplicis plebeculæ inſtructionem, quam in lectionibus Catecheticis promovendam & obtinendam decrevimus, renovantes omnia & ſingula deſuper publicata & inſinuata, hoc addendum duximus, ut neque in Viſitationibus ordinariis, vel etiam Synodis Archi-Diaconalibus ea Paſtorum excuſatio admittatur, qua negligentiam ſuam per hyemis aſperitatem, aëris inclementiam, viæ diſtantiam, famulantium incommoda, comparentium raritatem palliare & purgare nituntur, cum apud Eccleſias Parochiales in Civitatibus, oppidis & pagis ſufficiens inſtruendorum numerus facile congregari poſſit, a quibus zeli Paſtoralis effectum, & ſuſcepti laboris & operis fructum glorioſum poſſint exſpectare, cum etiam apud omnes de Fide ſit receptum unius animæ Chriſti Sanguine pretioſo redemptæ, ac Paſtoris diligentia conſervatæ omnium omnino laborum, qui ab hominibus univerſis ſuſcipi poſſunt, fructum eſſe abundantiſſimum. Unde contra eos ad pœnas Synodalibus Decretis impoſitas, vel arbitrio Superiorum cum diſcretione imponendas, procedi poſſe ac debere decernimus, iterato vobis, quorum intereſt, vel quibus id muneris & oneris ex officio incumbit, inſinuantes, quæ in hoc puncto tum circa energumenos, tum puerorum & ſimpliciorum informationem in Synodo ultima, Epiſcopali authoritate & paterna ſolicitudine duximus præſcribenda, obedientiam debitam a vobis, uti par eſt, exſpectantes, ſunt autem tenoris ſubſequentis: "Formula, ſive methodus celebrandarum Synodorum authoritate noſtra jam ſæpius ex hoc loco publicatus, ſicut ab Archi-Diaconis Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, aut eorum Commiſſariis laudabiliter in deſignatis ſedibus aut regionibus ut plurimum obſervatur, ſic ab Archi-Diaconis Cleri ſecundarii, pleriſque fere in locis non ſine labe contemptus & vilipendii negligitur. Cui malo occurrere volentes, ſtatuimus pœnam quatuor florenorum aureorum tam ab ipſis Archi-Diaconis utriuſque Cleri, aut eorum Commiſſariis, quam ſingularum Eccleſiarum Paſtoribus incurrendam, qui deinceps in hoc paſſu formulam a Nobis præſcriptam auſus fuerit contumaciter aut præfidenter præterire, vel profanam illam hucuſque non ſine ſcandalo & ſtatus Eccleſiaſtici opprobrio ſervatam methodum præſumpſerit continuare."

De cætero omnia ſuperioribus Synodis per Prædeceſſores noſtros, & noſtra antehac publicata & inſinuata, per præſentium tenorem, tanquam ſi ea de verbo ad verbum hic infererentur, renovantes & confirmantes, vos omnes & ſingulos in ſancta hac Synodo congregatos in Domino hortamur, ut exemplum gregis vobis commiſſi facti, ex animo inter Sæcularium converſationem ſicut luminaria vitæ & actionum luce fulgere ſtudeatis, Dei timorem ob oculos ſemper habentes, æternitatis memoriam nunquam depoſituri. Quem in finem Benedictionem noſtram Epiſcopalem vobis libenter impertimur. Data in Civitate noſtra Coſfeldienſi anno a partu Virginis 1658. die 10. Octobris.

Chriſtophorus Bernardus
mpp.

(L. S.)

Quia feſtum Annunciationis incidit in Feriam 3tiam poſt Dominicam Lætare, *ſic Synodus Epiſcopalis celebrabitur in Quadrageſima anni ſequentis Feria 5ta poſt eandem Dominicam* Lætare.

SYNO-

SYNODUS MONASTERIENSIS DIOECESANA,

Anno Christi MDCLIX. Alexandri VII. Papæ V. Leopoldi Imp. I.

Sub eodem CHRISTOPHORO BERNARDO *a* GALEN, *Monaster. Episcopo,*

CELEBRATA

FERIA V. POST DOMINICAM *LÆTARE.*

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI GRATIA ECCLEsiæ Monasteriensis electus & confirmatus Episcopus, S. R. I. Princeps, Burggravius in Stromberg, Dominus in Borckelohe &c. Universis & singulis Cathedralis nostræ Ecclesiæ, Monasteriorum & Collegiatarum, Parochialiumque Prælatis, Abbatibus, Præpositis, Prioribus, Decanis, Canonicis, Rectoribus, Curatis & non Curatis, aliisque Personis Ecclesiasticis, Civitatis & Diœcesis nostræ Monasteriensis, Salutem in Domino sempiternam.

CОnsiderantes solicitudinem nostram, quam pro Officii nostri Episcopalis ratione, inserendis virtutibus, extirpandis vitiis, ac Cleri nostri torpore excitando hucusque libenter impendimus, non possumus non dolere, dum ea, quæ affectu Paterno & zelo Episcopali à Nobis salubriter constituta, & ex hoc loco sæpius Canonum & pœnarum vigore expresse adjuncto, publicata sunt, a multis tamen minus obedienter; & debite cernimus observari. An experimentum quæritur ejus, qui in Nobis loquitur Christus? Laudamus sane illos de Clero nostro, qui dicto ac facto parentes ad assequendas optimas intentiones nostras, & ad servandas saluti ovium nostrarum commodas præceptiones studia sua, labores & vitæ exempla conferunt. Contra alios vero, in quibus prævaricationis aut negligentiæ per annos complures continuata culpa patet, etsi districtiori severitate procedendum judicaretur, tamen memores illius, quod Regius Psalmista insinuat, nonnullos ita aut a natura formatos, aut benigno gratiæ cælestis instinctu disposi tos, ut superveniente mansuetudine corripiantur, quos alias nec meritum charitatis, nec justitiæ vindicantis terror continebat in officio, de morigeris clementissime confisi, & meliora de aliis sperantes, ea, quæ superioribus, præsertim vero posterioribus Synodis insinuata & publicata sunt, ex assensu Rdi nostri Capituli Cathedralis denuo in hac Synodo *sub eadem formula & cautione, obligatione & comminatione paucis hisce, quæ sequuntur, tamen adjectis, serio innovanda, insinuanda ac publicanda duximus, sunt autem tenoris subsequentis.*

Relationes Archi-Diaconorum.

IN Relationibus suis expresse præter cætera antehac præscripta attendentur, an servetur diebus Dominicis Lectio Catechetica, atque út negligentia Curatorum non noceat simplicioribus de familia, sive ii pueri sint & puellæ, sive famuli & famulæ, Pastor toties quoties intermiserit, ab Archi-Diaconis discrete puniatur, & pro culpæ qualitate, præsertim si contumaciam intervenire deprehenderint, contra eosdem etiam ad suspensionem & privationem procedatur. Parochiani, qui semel ad minus singulis mensibus suos ad Catechismum non miserint, dent unam libram ceræ, & quidem, nisi commodius fieri posse videbitur, habeatur Lectio Catechetica, vel ante summum Sacrum, vel, ubi duo Sacra leguntur, inter primum & secundum.

Archi-Diaconi in singulis Synodis per se, vel suos Commissarios aut Promotores visitabunt Scholas, ubi eæ sunt, & diligenter attendent, quinam libri

libri a Magistris tolerentur, & quanquam novi Testamenti germanicam editionem Catholicam & approbatam non prohibeamus, volumus tamen, ut simul adhibeatur Catechismus parvus Canisii, & Lectiones quotidianæ & cum publica oratione inchoentur & finiantur.

Ubi Scholæ non sunt, cum Officiatis nostris & Dominis Proprietariis ineatur ratio, quomodo erigi aut dotari possint, præsertim, si quod enixe optamus, Sacerdotes se offerant ad onus instruendæ juventutis.

Inquirent sedulo, an in gradibus prohibitis Matrimonia contracta sint, & quidem si desuper vel authoritate Apostolica, vel Episcopali ordinaria, quantum scilicet de jure permittitur, non fuerit dispensatum, non tantum monendi sunt de periculo & reatu conscientiæ, cum per illicitam cohabitationem in statu peccati mortalis perdurent, sed etiam si publicum sit & scandalosum hoc impedimentum, tamdiu separandi sunt, usque dum de obtenta legitima dispensatione docuerint, dispensatione Archi-Diaconali in hoc casu nec attenta, & in se penitus invalida.

Archi-Diaconi deinceps neminem ad Beneficii simplicis sive Vicariæ investituram admittent, nisi is fundationem suæ Vicariæ in originali vel authentica copia exhibuerit, ex cujus attenta inspectione colligere licebit, an juxta tenorem fundationis præsentatus, vel actu Presbyter sit, vel infra annum ad Presbyteratum promoveri possit, qua conditione, ex mente Fundatorum requisita, deficiente rejiciantur. Idem observari mandamus cum illis, qui ad curam animarum, ad assistendum Pastoribus pro Parochiæ amplitudine vel occurrente necessitate obligantur. Illos enim non solum infra anni tempus ad Presbyterium, sed etiam pro examine ad Curam qualificatos esse volumus, nisi causæ sufficientes coram Nobis, aut Vicario nostro allegentur, quare cum illis tuto possit ad tempus dispensari, utroque onere Sacrorum scilicet & curæ apud Substitutum designandum permanente.

Curabitur similiter ab iisdem Archi-Diaconis, ut intelligant, ac desuper referre possint, an simpliciores & rustici in Parochiis, antequam ad contrahendum & solemnizandum Matrimonium in facie Ecclesiæ admittantur, prius a Pastoribus vel Cooperatoribus examinati sint de iis rebus, quæ ad salutem sunt scitu necessariæ, si tamen, ut etiam antehac in Synodis publicatum est, satis de subditorum informatione aut scientia constet, examen omitti poterit, super quo conscientias Archi-Diaconorum & Pastorum oneramus.

Circa investituras eorum, qui ab Acatholicis præsentationem ad curata Beneficia obtinere præsumunt, volumus, & ex gravissimis causis animum nostrum moventibus ordinamus, ut deinceps omnes & singuli, qui tales præsentationes duxerint obtinendas, prius examini pro cura animarum se sistant, in quo si admissi non fuerint, & de sua admissione coram Archi-Diacono non docuerint, nec investituram, nec jurisdictionem deinceps a Nobis, aut Vicario nostro obtinebunt. Et nisi cum tali conditione alius præsentatus fuerit intra fatalia, jus erit devolutioni.

De non Residentibus.

Decretum de non Residentibus authoritate nostra sæpius publicatum, nec tamen cum effectu & realiter introductum innovamus, & cum clausula devolutionis tam contra non Residentes, quam Patronos quoscunque publicamus præ præsentes, illud insuper addentes.

Primo. Quia ex actis Visitationis satis evidenter constat quarundam Vicariarum incorporationem, Pastoratibus, Scholis, Organo, aut aliis forsan usibus factam prætendi, nec tamen de interventu authoritatis Episcopalis & Ordinariæ hucusque doctum esse, sic erit Archi-Diaconorum debitam de singulis informationem exigere, & communicatione cum nostro Vicario prævia statuere, an & quantum prætensis ejusmodi incorporationibus deinceps, citra læsionem conscientiæ, cultus Divini detrimentum, & Fundatoris præjudicium deferri possit.

Pasto-

Paſtores abſentium Vicariorum deſervitiones & onera in ſe non recipient, ſed niſi evidens neceſſitas, aut redituum Paſtoralium tenuitas extrema aliud exigat, id fiat per Sacerdotem ſubſtitutum, idque ſine ulla limitatione aut prætextu obſervari volumus; vel maxime in illis locis, ubi cum licentia & cauſæ cognitione ſuper reſidentia cum duobus vel tribus ejusdem Eccleſiæ Vicariis authoritate noſtra diſpenſatum eſt. Et hac quidem in re ea cautio adhibenda eſt, ut Subſtitutus talis ad cooperandum ſuo Paſtori in loco poſſit obligari.

Ubi Parochiæ ſunt ampliores, & reditus competentes, conſtringantur Paſtores ad alendum & habendum ex propriis mediis Sacellanum, quod eos non difficulter admiſſuros confidimus, ſi ſerio cogitaverint, quanto majoris meriti ſit apud Deum & in omnem æternitatem bene & cum aliquo rei temporalis diſpendio curaſſe animas, quam ſit apud ſæculares hæredes partim ingratos, forte etiam jure prohibitos, patrimonium Chriſti, eleemoſynas Eccleſiæ & fidelium oblationes periculoſe depoſuiſſe, uberiora etiam Nobis pro re nata & circumſtantiarum conſideratione in hoc puncto reſervantes.

Circa Miſſam ſolennem in Parochiis, præſertim ruralibus, debite & devote audiendam, præter ea, quæ antehac & in Synodo majori, aliisque ſubſequentibus ordinata ſunt, & diverſis Reſcriptis ad tollendos compotationum, commerciorum & obſtaculorum abuſus ſerio & ſevere demandata ſunt, quæ etiam diſtrictiſſime jubemus obſervari, duo duximus per præſentes adjungenda. Unum, ut certa hora tam pro tempore hyemali, quam æſtivo deputetur, octava ſcilicet pro æſtivo, nona pro hyemali, qua ad audiendam Miſſam commode & mature præcepto Eccleſiæ ſatisfacturi conveniant, majorque ſit Paſtorum & Curatorum in hac re ſolicitudo, ne aut conniventia aut negligentia populus rudis ad barbariem vel atheiſmum tandem dilabatur. Alterum, ut ubi plures Vicariæ ſunt fundatæ, licet ad Sacra per hebdomadam extra dies Dominicos & Feſtivos celebranda, tantum obligentur, ibi licitum ſit Paſtoribus authoritate noſtra & de aſſenſu Archi-Diaconi Miſſam unam aut alteram pro amplitudine Parochiæ in dies Feſtivos transferre, ita ut, ubi duæ Miſſæ haberi poſſunt, una mane celebretur, ubi tres, tertia poſt concionem, decantato Evangelio & Symbolo ſemper habendam, legatur.

Multi etiam ſunt in oppidis minoribus & pagis, qui nec literas noverunt, multo minus legere: ut tamen ipſis & oratio ſit facilior & fructuoſior, minus vaga & diſtracta, incitandi imo cogendi ſunt ad uſum Roſarii B. Mariæ Virginis non tantum in Eccleſia ſub Divinis, ad quæ præcepto Eccleſiæ tenentur, ſed etiam in privatis prædiis & domibus recitandum, præſertim ab iis, qui juſtis impedimentis, ne ſtatutis diebus ad Officia Divina conveniant, ad domus cuſtodiam aut alias excuſati detinentur.

Hortamur in Domino & ſerio præcipimus Paſtoribus & Confeſſariis, ut memores & ſuæ obligationis, & infirmitati & verecundiæ ſubditorum conſulentes, ſiquidem ipſi ſurdaſtri ſint, procurent ſibi Sacellanos aut approbatos Sacerdotes, quorum opera, vel in confluxu populi circa Feſta in audiendis confeſſionibus, præſertim etiam infirmorum utantur, alioquin aſſignentur ipſis ab Archi-Diacono cum conſilio noſtri in Spiritualibus Vicarii, & de hoc ſpecialis fiat inter cætera relatio, ubi talis neceſſitas, Deo permittente, deprehenditur.

Meminerint Paſtores & Confeſſarii, ne falcem in alienam meſſem mittentes, ſubditos aliarum Parochiarum, licet ipſi ad faciendam confeſſionem ſponte ſua ſe offerant, audire & abſolvere præſumant, cum ob defectum jurisdictionis confeſſiones tales invalidæ ſint & nullæ, imo & ipſa abſolutio ſacrilega, niſi tamen ipſi vel generalem habeant licentiam & approbationem, vel poteſtatem a propriis confitentium Parochis.

Atque ut populum ad Sacramentorum frequentationem & Miſſæ auditionem efficacius alliciant, ſæpius ipſimet

met per ſeptimanam celebrare, & ſigno dato ſuos ad hoc convocare ſatagant, ne dici poſſit: ſicut populus, ſic Sacerdos.

Mandamus etiam Paſtoribus & animarum Curatoribus, ne contributionibus exigendis, ſublevandis, vel ex ambone poſt concionem habitam denunciandis occupentur, ſed illud per Præcones in cœmiteriis, vel per Cuſtodes, Officio Divino finito, peragatur. Si quid tamen aut noſtro, aut Archi-Diaconorum, aut Rdi noſtri Capituli Cathedralis, vel etiam Cleri aut Patronorum nomine promulgandum ſit, ſervetur conſuetudo; Idem fiat circa illa, quæ inſinuanda ſunt de mandato Conſiſtorii Eccleſiaſtici, niſi utilius fieri poſſe videatur per Æedituos.

De cætero omnia & ſingula ſuperioribus Synodis per Prædeceſſores noſtros, & noſtra antehac publicata & inſinuata Decreta, per præſentium tenorem, tanquam ſi ea de verbo ad verbum hic infererentur, renovantes & confirmantes, vos omnes & ſingulos in hac Sancta Synodo congregatos in Domino hortamur, ut tum gregis vobis a Deo ac Nobis commiſſi exemplum facti ex animo, tum in ſortem Dei per ſanctæ & Eccleſiaſticæ vocationis gratiam Nobiſcum vocati, inter Sæcularium converſationem ſicut luminaria vitæ & actionum luce fulgere ſtudeatis Dei timorem in cordibus, in moribus gravitatem, in Divinis Officiis pietatem, erga pauperes charitatem, ac demum erga vosmetipſos ſanctitatem & continentiam ſemper ſervantes, Dei honorem, proximi ſalutem, æternitatis memoriam ex animo nunquam depoſituri.

Quem in finem abeuntes quidem corpore, præſentes autem ſpiritu, Nos, ac dilectos noſtros ſubditos inter temporum horum calamitates, Sacrificiis ac precibus veſtris impenſe commendamus; Vobis vero ad æternæ beatitudinis compendia facilius aſſequenda Benedictionem noſtram Epiſcopalem paterne impertimur. Datum in Civitate noſtra Cosfeldenſi anno Milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo nono, die ... menſis Martii, Epiſcopatus noſtri Monaſterienſis anno nono.

Chriſtophorus Bernardus mpp.

(L.S.)

Lectum in Domo Capitulari
27. *Martii* 1659.

Synodus Autumnalis celebrabitur Feria 3tia poſt Sanctorum Gereonis & Victoris, quæ incidit in 14tam menſis Octobris currentis anni.

SYNODUS DIOECESANA NAMURCENSIS.

Eodem anno Chriſti MDCLIX. NAMURCI HABITA.

DECRETA & STATUTA

Synodi Diœceſanæ Namurcenſis, die quarta Maji anno MDCLIX. in Eccleſia Cathedrali Sancti Albani tractari inchoatæ, & die ſexta ejusdem menſis & anni a meridie abſolutæ:

PRÆSIDENTE IN EA PER-ILLUSTRI AC REVMO IN CHRISTO PATRE AC DOMINO, D. JOANNE A WACHTENDONCK, (*) EPISCOPO NAMURCENSI VII.

JOANNES, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS Namurcenſis, Univerſo Clero & Populo Civitatis & Diœceſis noſtræ Salutem in Domino.

CUm Epiſcopale noſtrum munus expoſtulet, ut quæ pro temporum ratione ad morum correctionem, & meliorem collapſæ diſciplinæ reſtitutionem faciunt, a Nobis matura delibe-

ration

ratione prævia per modum Statutorum Diœcesanorum ordinentur, & ordinata debitæ executioni mandentur: Nos, consilio probabito cum Capitulo nostro Cathedrali, decernimus per præsentes Synodo Diœcesanæ celebrandæ Dominicam post festum Inventionis S. Crucis, quæ erit quarta Maji, anni præsentis. Quare dictum Capitulum nostrum Cathedrale, Admodum RR. DD. Abbates, Abbatissas, Præpositos, Capitula Ecclesiarum Collegiatarum, Archi-Presbyteros rurales, Priores, Priorissas, cæterosque omnes, qui de jure vel consuetudine Synodo Diœcesanæ interesse debent, in Domino hortamur, ac nihilominus Sacri Generalis & Oecumenici Concilii Tridentini, ac nostra Episcopali respective auctoritatibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis à jure statutis districte eis præcipimus, ut per semetipsos, aut si forte justo detineantur impedimento, de quo fidem facere tenebuntur, per Procuratores suos legitimos ad præfatam Synodum Diœcesanam in Civitate Namurcensi, præscripta die, hora septima matutina, in Sacello nostro domestico tempestive conveniant in habitu gravi, suoque Ordini ac Religioni convenienti, ut inde processionaliter eatur ad dictam Ecclesiam Cathedralem, & in ea audiantur post celebrationem Divini Officii & invocationem Spiritus Sancti, examinatis examinandis & perpensis perpendendis, quæ circa præmissa statuenda censebimus, cum intimatione sive ad diem & horam præfixam præsentes fuerint, sive non, Nos autem ad Synodi celebrationem & Statutorum decisionem ac publicationem processuros, absentium contumacia non obstante, decernentes nihilominus absentes uti præsentes ad observationem omnium illorum, quæ ibi publicabuntur, ex eo tempore obligatos, ipsosque, nisi legitime excusati fuerint, & eorum excusatio admissa, pro qualitate culpæ, & contumaciæ, justitia exigente, merito puniendos fore, prout eos, ne eorum exemplo & impunitate alii negligentes reddantur, authoritatibus præmemoratis obligari & puniri volumus & mandamus per præsentes.

Ut autem hæ nostræ literæ ad omnium, quorum interest, notitiam perveniant, earum exempla per Secretarium nostrum subsignata, & contra Sigillo nostro munita, valvis Ecclesiæ nostræ Cathedralis, nec non Ecclesiarum Collegiatarum omnium nostræ Diœcesis, item Parochiarum Gemblacensis, Geldoniensis, Hanutensis, Boviniensis, Flerucensis, Wavriensis, & Braniæ Allodiensis affigi volumus, ac per bujusmodi affixionem eos omnes, quos concernunt, sic obligatos declaramus, ac si dictæ nostræ literæ, coram illis lectæ ac illis insinuatæ fuissent. Datum Namurci in Palatio nostro Episcopali anno 1659. die secunda Martii.

De mandato Per-Illustris ac Reverendissimi Domini

H. DE QUERENDONCQ,
Secretarius.

Ooo oo 3 *DE-*

(*) JOANNES A WACHTENDONCK, Vir quam clarus genere, tam virtute ac scientia illustris, Mechliniam natale solum habuit. Disciplinis ipsum humanioribus patria; Philosophicis excoluit Lovanium, ubi principem suos inter rivales locum est consecutus. In Doctorum J. U. postea relatus ordinem, & Mechliniensi ad S. Rumoldum, cujus Historiam edidit 1638. Juvenis Mechliniæ typis excusam, Collegio adscriptus, *Decani* primum, dein *Præpositi* dignitate, hac 11. illa 10. per annos floruit; Summum quoque apud Belgas Senatum optimis juvit consiliis, atque eum se quovis in officio Administratorem probavit, a cujus fide, industria, justoque fervore tum sacra, tum profana Respublica fructus amplissimos decerperet. Carmen, quo gratulatus est *Matthiæ Hovio*, Mechlin. Archiep. Sacerdotii Jubilæum agenti; Orationes funebres, quas augustæ memoriæ *Alberti Pii*, Belgarum Principis, *Isabellæ Claræ Eugeniæ*, Hispan. Infantis, & *Balthasaris Caroli*, Hispan. Principis dixit; Statuta præsentis Synodi perquam egregia ac præceptis referta saluberrimis, quantus Poëta, Orator, Præsul fuerit, testatum faciunt. Dies erat Decembris XIII. a. 1654., cum ad Cathedram Namurcensem eveheretur; inde post annos 13. summa laude exactos, *Andreæ Crusenii* in Archi-Episcopatu Mechliniensi Successor renunciabatur, non sine singulari totius Diœcesis, tam insignem sibi Antistitem gratulantis plausu; sed qui brevi in luctum abiit: anno enim altero 1667. die XXV. Junii Joannes Bruxellis obiit septuagenario major; ac Mechlinia, quem solemni parabat pompa & honore vivum excipere, defunctum in æde Metropolitana sepelivit.

Vide Joann. Bapt. de Castillion in sacra Belgii Chronologia Part. II. pagg. 454. & 500. *Item Cl. Joann. Franc. Foppens in Biblioth. Belgica Part. II. pag.* 750.

DECRETUM,

Quod nulli præjudicium fiat in ordine Sessionis in hac Diœcesana Synodo, & ut nemo recedat ante absolutionem illius, pronuntiatum a Reverendo Domino Archi-Diacono Ecclesiæ Cathedralis.

Per-Illustris ac Reverendissimus Dnus Episcopus Namurcensis statuit & declarat, si cui in hanc Synodum admisso non contigerit suo loco incedere vel sedere, aut alium quempiam actum in eo gerere, non ideo ulli jus acquiri aut acquisitum esse, nihilque de hujusmodi jure aut possessione detrahi aut accedere, sed omnia in eodem statu permanere, quo ante hanc Synodum Diœcesanam inveniebantur.

Interdicit præterea omnibus & singulis de Clero hic congregatis discedere aut reverti, antequam dicta Synodus finita & absoluta sit, sub pœnis per sacrum Conc. Trid. & per Canones interminatis.

(*) *Orationum, Synodo huic Namurcensi in Editione Bruxell. Velpiana præmissarum, breve hic loci argumentum exhibeo.*

I.

ORationem exhortatoriam quarta Maji, quæ Synodi prima erat, habuit Per-illustris ac Revmus D. EPISCOPUS in publico Virorum Amplissimorum consessu. Orsus eam est ab utilitate Conciliorum ab Episcopis frequentandorum; tum calamitates temporum, acerbos continui belli fructus exposuit, monuitque, remediis opus esse, quibus multiplex curetur malum. Post auctor fuit, ut Clerus a se primam ipso atque a Domo Dei curationem institueret; propositis in exemplum Josue & Esdra. Denique per veram omnes pœnitentiam, ac Sacrificia ad Deum, omnis boni consilii fontem, & largitorem potentis auxilii recurrere secum voluit.

II.

In Oratione, ab Adm. Rev. Domino *Antonio de Waitte*, Abbate Molinensi ad 5. Maji, secundam Synodi, Cathedrali in Ecclesia Namurci dicta, Pastorum explicabatur munus; deinde hujus illustrabatur atque ad ipsiusmet Divinitatis speciem quandam evehebatur, muneris dignitas. Postremo media ejusdem, ut par est, administrandi, salubriaque monita adferebantur, inter quæ illud D. Bernardi *Serm. de S. Joanne Bapt.* pro coronide fuit: *Tantum lucere, vanum; tantum ardere, parum: ardere & lucere simul, boc demum perfectum.*

III.

Adm. Rev. Dominus *Remigius du Laury*, Ss. Theol. & J. U. Licentiatus, Præpositus, Vicarius Generalis, & Officialis Namurcensis, in sua, quam die 6. Maji & Synodi 3. habuit, Oratione docta & nitida ab æquissimis Ss. & Oecumenici Tridentini Concilii laudibus descendit ad necessitatem, ex ejusdem præscripto Diœcesanas Synodos indicendi ferreis, quæ tum fluebant, temporibus ac celebrandi. Postea docet, ideo adesse Patres; quos bene sperare jubet, propterea quod Conciliis Oecumenicis & Christi Ecclesiæ ipse præsideat Spiritus S., Spiritus veritatis ac fortitudinis. Quam doctrinam gravissimis SS. PP. Augustini, Gregorii M. & Ambrosii testimoniis confirmat. Tum eandem in spem erigit præsentes, veluti universalis Ecclesiæ membra, quibus proin eundem ostendit tum ex mente Originis, Augustini, & Leonis P. M., tum ex antiquissima Ecclesiæ Catholicæ praxi, & summo Christianæ Reipublicæ emolumento, Spiritum Sanctum pariter adfuturum. Gratulatur mox Amplissimo Cœtui, quod præclarissima imitati sint Belgii lumina, quæ in sacris ejusmodi Comitiis tanquam astra quædam lucidissima aliquando claruerunt; demum liberali simul gravique Epilogo finem dicendi fecit.

INDEX TITULORUM SYNODI NAMURCENSIS.

TITULUS PRIMUS.
DE PROFESSIONE FIDEI.

CAPUT I.

Fides non solum ad finem, id est, beatitudinem necessaria est, sed etiam ad media, id est, opera ipsa meritoria istius finis exercenda; nullum enim opus sine fide æternæ vitæ meritorium est: unde Apostolus ad Hebr. Cap. 11. *Sine Fide impossibile est placere Deo.*

CAPUT II.

Fidem autem necessariam duobus modis accipimus: implicitam & explicitam; illam, qua creduntur fidei veritates non distinctæ in se ipsis, sed in aliquo communi principio, ut dum creduntur quæcunque tenet Sancta Romana Mater Ecclesia: hanc, qua in particulari creduntur ipsæ veritates fidei in se, & non in communi: implicita sola non sufficit, sed opus est utraque respective, implicita eorum, quæ tenet Ecclesia, explicita articulorum ad Divinitatem & etiam Humanitatem Christi pertinentium, quos explicite credere tenemur, etiamsi non teneamur omnes difficultates, & sublimitates eorum penetrare.

CAPUT III.

Fidem hanc, sine qua nemo salvus fieri potest, omnes verbi Dei Præcones frequenter in concionibus suis populo inculcabunt, & pro instructione illius Symbolum Apostolorum quotannis ad aliquot Dominicas, vel e suggestu, vel in catechizando explicabunt.

CAPUT IV.

Sicut Canonici Cathedralium Ecclesiarum priusquam admittantur ad possessionem Præbendarum suarum, tenentur facere Professionem fidei, ita etiam ad illam præstandam, ubi hactenus aliter obtinuit, Canonicos Collegiatarum obligamus.

CAPUT V.

Superiores etiam Monasteriorum, vel Congregationum dum ad Regimen deligentur, priusquam illud assumant, Fidei professionem facient juxta Constitutionem PII IV. quæ incipit: *Injunctas nobis*, editam anno 1564.

CAPUT VI.

Sed & Lectores in Conventibus Regularium idem præstabunt coram Superioribus suis, priusquam ad docendum accedant.

CAPUT VII.

Religiosi quoque admissi ad prædicandum verbum Dei, vel confessiones audiendas.

CAPUT VIII.

Professionem autem illam fidei intendimus per ipsosmet admittendos, vel admissos fieri, & non per Procuratores ipsorum: quod si qui admissi sint, qui hoc non fecerint, mandamus Professionem per principales reiterari.

CAPUT IX.

Contra Typographos, Bibliopolas, & circumforaneos respective imprimentes, in has Provincias inferentes, aut vendentes libros prohibitos, lascivos, & per eos, quibus incumbit non visitatos vel approbatos, quorum lectione corrumpuntur juveniles animi, provisum fuit per Edicta Regia, Augustarum memoriarum CAROLI V. PHI-

PHILIPPI II. & Archi-Ducis ALBERTI annis 1526. 1529. 1531. 1540. 1544. 1550. 1570. 1610. & 1616. nec non per illud, quod publicatum fuit, ſuper confirmatione & executione Synodi Provincialis Cameracenſis anno 1587. tam quoad Profeſſionem fidei per eos præſtandam in manibus Ordinarii, vel aliorum ad hoc deputatorum, quam pœnas in iisdem contentas, quorum Edictorum iidem Deputati præfatis Typographis & Bibliopolis mentionem facient, cum Profeſſionem excipient, ne ignorantiam prætendant, ſalvo jure Magiſtratui ſuper hoc competente.

CAPUT X.

Sunt qui verba ſacræ Scripturæ ad ſcurrilia ſæpe applicant vel in odium fidei, vel in magnum Catholicæ Religionis vilipendium & contemptum, in quos mandamus per Officiarios Curiæ noſtræ ſpiritualis ſerio animadverti, ſalvo jure præventionis per Judicem laicum.

CAPUT XI.

Audito, quod diverſæ perſonæ ſæculares præſumant legere Biblia, etiam lingua vernacula, ſub prætextu facultatis ſibi conceſſæ a Confeſſariis ſuis contra inhibitionem noſtram, Nos declaramus tales Confeſſarios illam a ſe facultatem non habere, proinde ſi quæ illis data eſt, vel a Prædeceſſoribus noſtris, vel etiam a Sancta Sede, ordinamus illis, quatenus intra menſem eam Nobis exhibeant, ſub pœna revocationis, ac alia arbitraria.

CAPUT XII.

Sciant Sæculares ſibi non licere diſputare de Fide Catholica, vel de ſententiis, aut propoſitionibus a Sancta Sede damnatis publice vel privatim, ſub pœna excommunicationis, cujus pœnæ gravitatem Concionatores opportuno tempore populo ſignificabunt.

CAPUT XIII.

Monebunt quoque populum, ut caveat a blaſphemiis, juramentis, execrationibus, nimis hoc tempore frequentibus, explicabuntque illi enormitates eorum, & quod, qui illis aſſueſcunt, non facile diſſueſcunt, ſed præcipites in malum ruunt, definit eſſe remedio locus, ubi quæ ſunt vitia, mores fiunt.

TITULUS II.

De Sacramentis in genere.

CAPUT I.

MAteriæ Sacramentorum non debent applicari ad alios uſus, quam ad eos, ad quos ab Eccleſia deſtinatæ ſunt, unde qui aliter applicabunt, ſive ad medicinam, ſive contra maleficia, graviter punientur.

CAPUT II.

Nihil pro Sacramentorum uſu exigendum eſt, ſi quid autem ſponte detur, recipi poterit.

CAPUT III.

Non licet uti materia probabili tantum, nequidem in Sacramento neceſſario, niſi in neceſſitate, quando certa materia haberi non poteſt, quia qui ſine neceſſitate periculo nihil agendi ſe exponit, graviter impingit in Sacramenti reverentiam. Alias ſecus, quia melius eſt Sacramentum probabile facere, quam Sacramento carere.

CAPUT IV.

Materia cenſetur ſubſtantialiter mutata, quando mutatio tanta eſt, ut ſecundum uſum & conceptum hominis non ſit ejusdem nominis & rationis cum materia a Deo præſcripta.

CAPUT V.

Mutatio formæ cenſetur ſubſtantialis, qua ſenſus verborum formæ, & per ſe a Chriſto intentus in forma Sacramenti ita tollitur, ut nec ſecundum rigorem verborum, nec ſecundum communem uſum, vel etiam (uti hic & nunc verba adhibentur) ex communi exiſtimatione hominum idem ſubſtantialis ſenſus verborum formæ maneat.

CAPUT VI.

Quando autem verba aliqua ratione mutantur, ſed ſenſus tamen ſubſtantialis formæ non tollitur, aut pervertitur, tunc forma non cenſetur mutari ſubſtantialiter.

CAPUT VII.

Sciant autem omnes, ſe obligari

uti

uti forma præscripta, sive contenta in Rituali Romano.

TITULUS III.

De Sacramento Baptismi.

CAPUT I.

CUm mulier proxima partui ægre se habet, & de ejusdem partu timetur, studeat tempori Parochum accersere, & si eum habere non potest, aliquem ex Ecclesiasticis Ministris, vel alium baptizandi peritum, obstetricibus juratis & gnaris solum in necessitatis casum admissis.

CAPUT II.

Inculcent Pastores sæpius intentionem, quam debent habere Ministri in baptizanda prole.

CAPUT III.

Pastores in baptizandis pueris expostitiis vel adventitiis prompti erunt, cum protestatione tamen, quod registris manu eorum propria inseretur, quod per hoc nullum communitati istius loci præjudicium generabitur, sed quod illi manebunt obligati istis pueris alendis, qui ante Baptismum obligati erant.

CAPUT IV.

Quia proles expostitiæ, apud quas invenitur scedula collati Baptismi, sæpe baptisatæ non sunt, vel non valide, cum talis forte scedula per matrem affixa videatur, quæ formulæ Baptismi incapax esse potuit, ideo non obstante ista scedula, poterit Pastor loci, in quo reperietur proles, illam sub conditione de novo baptizare.

CAPUT V.

Optandum esset, ut quisque baptizatus jam adultus die anniversaria Baptismi sui, quo ex servo factus est liber, ex filio iræ filius Dei, in tanti beneficii memoriam peccata sua per confessionem expiaret, & sacra se Communione reficeret, memor verborum Ambrosii, cum ait: "Repete, quid interrogatus sis (in Baptismo,) recognosce, quid responderis, renuntiasti Diabolo, & operibus ejus, mundo & luxuriis ejus ac voluptatibus, memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis."

CAPUT VI.

Nunquam Baptisma extra casum necessitatis, nisi in Ecclesia conferatur. Exorcismi autem & cæremoniæ semper in Ecclesia, & non in privatis domibus vel oratoriis.

CAPUT VII.

Non præsumat ullus Pastor purificare puerperas prolium illegitimarum, sub pœna arbitraria.

TITULUS IV.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

SIcut Pastores in Parochiis suis tenentur asservare Registra, quibus inscribant manu propria nomina Baptizatorum, Matrimonio junctorum, & defunctorum: ita monemus eos, ut etiam asservent registrum Confirmatorum, quod conscribent ex relatione patrinorum proles ad Confirmationem ducentium, si extra eorum Parochiam Episcopus confirmet, ne hoc Sacramentum a parvulis nondum ratione utentibus, & ita datæ Confirmationis ignaris, postea adultis reiteretur.

CAPUT II.

Pastores ante diem Confirmationis docebunt e suggestu, vel in Catechismo, quæ qualitas in patrinis, quæ in confirmandis, quæ dispositio in anima, quæ cura unius erga alterum requiratur.

CAPUT III.

Cum per Sacramentum Confirmationis invisibilis gratia conferatur, qua confirmatus contra omnes Dœmonum insultus fortis & constans, & juxta declarationem CLEMENTIS I. perfectus Christianus efficitur, non abs re erit, si quisque confirmatus adultus, quotannis etiam istius Sacramenti & characteris memoriam habeat: & in gratiarum actionem, per confessionem peccata sua eluat; & ad Sacram Synaxim accedat.

TITULUS V.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

COnfeſſarii ſive Regulares, ſive Sæculares, etiam generaliter approbati, non immiſceant ſe audiendis confeſſionibus Monialium, etiam ſibi ſubditarum, niſi ad id habeant ſpecialem facultatem, juxta Conſtitutionem GREGORII XV. editam anno 1622.

CAPUT II.

Nulli Confeſſario licebit in hac Diœceſi illius confeſſiones audire, cum quo in delicto, præſertim graviore, ipſe ſocius vel complex fuerit.

CAPUT III.

Neque poterit ullus etiam Religioſus, pœnitentem abſolvere a caſibus Epiſcopo in hac Diœceſi reſervatis, ſine ejus licentia oretenus vel in ſcriptis obtenta.

CAPUT IV.

Quicumque in una Diœceſi approbatus eſt ad audiendas confeſſiones, non poteſt audire confeſſiones in alia, ſine novo examine & approbatione Ordinarii iſtius Diœceſis.

CAPUT V.

Et quia contingit aliquando contrarium practicari, ne id deinceps eveniat, ordinamus omnibus Regularium Superioribus, quatenus Nobis quotannis menſe Januario exhibeant Catalogum Confeſſariorum a Nobis approbatorum, ut exinde innoteſcat numerus eorum, & annon aliqui ſub velamine approbationis ſe ingerant, ſub pœna ſuſpenſionis in caſum defectus.

CAPUT VI.

Permittitur Paſtoribus hujus Diœceſis audire confeſſiones adventantium ex aliis locis, in propriis ſuis Eccleſiis, prout & Capellanis eorum approbatis.

CAPUT VII.

Et poterunt Paſtores, qui veniunt in illorum auxilium tempore Indulgentiarum, vel turni Confraternitatum, aut alia juſta cauſa, etiam audire confeſſiones in illorum Eccleſia Parochiali.

CAPUT VIII.

Prout etiam Paſtores, qui in alia Diœceſi approbati ſunt; quod ſimiliter locum habebit in Eccleſiis Regularium. Videant tamen, ut ii, quos in ſubſidium admittent, apti ſint, ſcientes conſcientiam ſuam deſuper onerari.

CAPUT IX.

Non poterunt tamen Capellani non approbati pro tota Diœceſi audire confeſſiones extra locum ſuæ Eccleſiæ, ſine nova approbatione.

CAPUT X.

Extra caſum neceſſitatis nemo alicujus confeſſionem in domibus privatis audire præſumant, ſub pœna arbitraria.

CAPUT XI.

Neque etiam in Oratoriis, in quibus Miſſa celebratur, niſi habita ad hoc Sanctæ Sedis, Noſtra, Vicarii noſtri, vel Prædeceſſorum noſtrorum licentia.

CAPUT XII.

Si Confeſſarius advertat pœnitentem non ſufficienter examinaſſe vel diſpoſuiſſe conſcientiam ſuam, moneat illum, ut exactius id faciat, vel certe eum adjuvet & diſponat, & ſi congrue fieri poſſit, differat illius ulteriorem auditionem.

CAPUT XIII.

Si quæ fœmina aut puella nimis aperta aut nuda vel indecenti habitu induta, ſe confeſſionali ſiſtat, non admittatur, ſed nec juvenes, ut fœmina, compti.

CAPUT XIV.

In audiendis confeſſionibus admonentur Confeſſarii interrogare aliquando pœnitentes, an eorum peccata ſint habitualia, ut deinde judicent, quid agendum ſit.

CAPUT XV.

Conſulent etiam Confeſſarii, ut pœnitentes, qui ſe de nocte polluerunt, die ſuccedente a Sacra Communione abſtineant propter reverentiam Sacramenti.

CAPUT XVI.

Quia experientia comperimus varias variorum opiniones valde periculoſas-

losas prodire in lucem, non sine magno animarum detrimento, ideo mandavimus hic inseri instructionem nostram, cui quisque Confessarius Diœcesis nostræ se conformare promittet, sub pœna rejectionis, & in casum non servati post admissionem promissi, sub pœna suspensionis, donec eidem paruerit.

Imprimis monetur serio omnis Confessarius, ut in consulendo, judicando & absolvendo abstineat ab opinionibus novis, periculosis, & salutis animarum destructivis, quarum catalogus tradetur Examinatoribus, per eos iisdem prælegendus, de quo infra.

Ut parce, caste, & valde caute interroget circa peccata carnis, non solum quando virgines habet confitentes, sed etiam quando conjugatos & quoscumque alios.

Ad confessionem non necessaria non misceantur in confessione, nisi quatenus ad salutarem instructionem evidenter pertineant, reliqua ut sileat pœnitens, etiam enarrare volens, moneatur a Confessario.

Complicum nomina Confessarius nunquam inquirat, uti nec ipsorum pœnitentium.

Interdicimus prolixiora colloquia in confessione fœminarum, uti & invitationes earum ad nimis frequenter sibi confitendum, potius enim allaborandum est, ut serio vitam emendent, & saltem eo confitendi intervallo sint contentæ, quod Monialibus præscribitur.

Non utantur Confessarii scientia ex confessione accepta, difficulter enim id fit sine revelatione confessionis, cum sic facile soleat peccator, peccatum vel confessio prodi, aut in suspicionem venire.

Intolerabile est quosdam adeo sui oblivisci, ut etiam in conviviis referant ea, quæ in confessione audierunt, aut modum, quo quidam confitentur, maxime si peccata ipsa referant, & addant illo ipso die ea se audivisse, hoc omnes Confessarii caveant, alioquin sciant se a pœnis sacrilegii immunes non fore.

Non inducant pœnitentem ad sibi soli confitendum, imo etiam volentem id promittere, vel vovere prohibeant, sed hoc potius curent, ut omnis tollatur contentio, qua quis dicat: Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ.

Confessarii caveant, ne familiares sint fœminis sibi confitentibus, imo eo ipso, quo illas audiunt in confessione, sciant se ab earum familiaritate peculiariter debere abstinere.

Caveant etiam Confessarii, ne quæ commoda temporalia sibi, vel suis occasione confessionis a pœnitentibus aucupentur, neque convenit, ut ipsorum bonis temporalibus administrandis se immisceant.

Sciant item Confessarii, Sedi Apostolicæ inter cætera esse reservata vota perpetuæ castitatis & Religionis, quoad cætera vero, & excommunicationem caveant, ne temere illa tangant, neque excedant permutando, vel absolvendo potestatem suam, & indulta illis data, quæ nihilominus Nobis communicare tenebuntur, antequam illis utantur, exceptis indultis secretis Pœnitentiariæ Romanæ.

Meminerint finaliter Confessarii Casus Episcopo reservatos esse Sodomiam, cum aliis delictis gravioribus ejus generis, raptus virginum, homicidium voluntarium & proditorium, incendium ex deliberata voluntate procuratum, Simoniam, hæresim, apostasiam, incestum cum consanguinea, vel affine usque ad secundum gradum inclusive, Sacrilegium cum Moniali, injectionem manuum violentam cum deliberato proposito, & læsione in parentes factam, sortilegium, adulterium, notorium seu publicum, & omnia delicta, quæ excommunicationem Ordinario reservatam habent.

CAPUT XVII.

Sequantur Confessarii semper, quantum possibile est, in hac materia tam ardua opinionem magis probabilem & securam, neque se fundent facile super dicto unius Doctoris Neoterici, ne aperiatur via lata, quæ ducit ad pernitiem.

CAPUT XVIII.

Pœnitens in periculo mortis constitutus, si vox deficiat, nutibus absolutionem petens, absolvi poterit.

CAPUT XIX.

Et si pœnitens nutu deficiente, desiderium confitendi antea per alium ostenderit, etiam absolvi poterit.

CAPUT XX.

Confessarius, cui vir cordatus in platea dixerit certum pœnitentem petiisse confessionem, etsi talis cordatus præsens non fuerit, tamen pœnitentem in ejus verbo, absolvere poterit, absentia non obstante.

CAPUT XXI.

Cum iis, quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, & Medicos spirituales saluti ovium illis commissarum procurandæ, nihil magis cordi esse debet, quam ut Sanctissima Sacramenta, in eum finem utilissima, & respective necessaria, plenissimo semper effectu, & absque ullo invaliditatis periculo administrentur, & in iis adhibeantur materiæ & formæ certæ, & determinatæ, ac, quantum fieri potest, securissimæ, qualis est in Sacramento Pœnitentiæ, contritio ex amore Dei super omnia, quam etiam in articulo mortis adhibendam censent illi, qui attritionem alias sufficientem & securam esse existimant: Nos securiora securis præferentes, & certa dubiis; mandamus omnibus & singulis in hac Diœcesi nostra ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem admissis & approbatis, quatenus omnem suam industriam eo conferant, ut pœnitentes ad Sacramenti perceptionem accedentes, prævia dispositione per actus supernaturales fidei, spei, & charitatis inducant & moveant, ad veram & cordialem detestationem, & dolorem suorum peccatorum, non tam ex timore pœnarum, quam ex dilectione DEI, quem, cum ex toto corde amare debuissent, maxima impietate peccando contempsere. Si enim populus rudis sub veteri lege, qui acceperat tantum Spiritum servitutis in timore, in tanta gratiæ penuria, non poterat salvari, nisi per dilectionem Dei super omnia, nos filii novi Testamenti, qui accepimus Spiritum adoptionis, in tanta gratiæ plenitudine, merito tanquam tales ex amore ejus, qui dilexit nos, & lavit nos in Sanguine suo, ipsa peccata super omnia mala detestari debemus, quo sic auxiliante ipso, remissionem illorum, & animarum nostrarum salutem assequi valeamus.

TITULUS VI.

De Sacramento Eucharistiæ.

CAPUT I.

Fidelis quisque ita paratus esse debet pro Sacra Communione recipienda, ut hujus Sacramenti fidem integra mente teneat, recteque discernat mensam a mensa, hanc Sacram ab aliis profanis, cœlestem hunc Panem a communi, & bene calleat in Communione, quæ a Laicis sub una specie sumitur, Corpus Domini etiam cum Sanguine sumi, & cum fragmento Hostiæ totum Corpus Christi in qualibet parte contineri.

CAPUT II.

Non satisfacient præcepto Ecclesiæ de communicando in Paschate in Parochia sua, qui extra eam citra facultatem ab Episcopo, Vicario ejus Generali, aut Pastore proprio datam, ita communicabunt.

CAPUT III.

Neque qui communicaverint in Oratoriis domesticis citra facultatem, quæ supra.

CAPUT IV.

Omnes autem Pastores quotannis præceptum illud Ecclesiæ octiduo ante Dominicam Palmarum populo e suggestu publicabunt.

CAPUT V.

Sciant Regulares sibi non licere tempore Paschatis Communionem porrigere, nisi illis, qui durante illo tempore se in sua Parochia satisfecisse fidedigno testimonio probaverint.

CAPUT VI.

Sed nec ullo tempore se deferre posse publice aut privatim Eucharistiam ad ægros extra septa Monasterii sui.

CAPUT

CAPUT VII.

Multo minus Viaticum Sæcularibus aut Ecclesiasticis in mortis articulo existentibus, saltem nonnisi cum licentia, & de consensu expresso nostro, vel dicti Vicarii nostri Generalis, aut Pastoris loci, extra casum necessitatis.

CAPUT VIII.

Si qui ex illis præsumpserint præmissis contravenire, sciant se subjacere censuris, & tam per subtractionem eleemosynarum Cleri, quam ademptionem stationum eos cogendos iri ad observationem illorum.

CAPUT IX.

Qui vero defecerint communicare in Paschate in Parochia sua, aut qui Administrantes contra dispositionem Bullarum GREGORIANÆ, aut PAULIANÆ admiserint, citabuntur pro modo culpæ puniendi.

CAPUT X.

Nullus & nulla, nisi habitu decenti, & qualem decet sanctos, tecti, vel tectæ coram Venerabili pro Sacra Communione recipienda audeant comparere, sub pœna dimissionis.

CAPUT XI.

Inhibetur omnibus mulieribus tempore celebrationis Missæ & Laudum, quæ celebrabuntur cum Venerabili Sacramento, se inter sepimenta vel cancellos Altarium illorum sistere, propter reverentiam Sacramenti, & ne Sacerdos celebrans aut alias Venerabile tenens, earum aspectu tentetur, sub pœna publicæ admonitionis, aut alia simili.

TITULUS VII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT I.

SAcerdos, dum ægrum visitat, vel etiam Viaticum porrigit, hoc illum monebit, ut, dum sana mente est, inungi petat, simulque demonstrabit, quam salutare sit ultro & sponte Sacramentum hoc deposci.

CAPUT II.

Ejus quoque fructus & utilitates, cum opportunum erit, aliquando explicabit.

CAPUT III.

Si accideret Parochum in visitando & ungendo viribus deficere, alius Sacerdos si accedit, & aliunde evocatus, reliquas partes, quas Pastor non unxerit, unget, cæteras non item.

CAPUT IV.

Si per errorem Sacerdos aliud Oleum, quam infirmorum, ægroto adhibuerit, puta Chrismatis aut Catechumenorum, ut errorem evadat, Olei sacri, quod infirmorum est, unctionem eidem adhibeat, & Sacramenti formam iteret.

CAPUT V.

Quoniam nihil Sacramenti gratiam magis impedit, quam alicujus peccati mortiferi conscientia, Sacerdos in eo ministrando hanc consuetudinem tenebit, ut, si fieri potest, & extra casum necessitatis, non ita inungat, quin ad minus æger confessus fuerit, vel Sacram Eucharistiam sumpserit.

CAPUT VI.

Decebit etiam corporis præparationem adhiberi, ut partes ungendæ prius abluantur, quantum commode fieri potest, præsertim, quæ sordes magis contrahere solent, ad sacri Olei reverentiam.

TITULUS VIII.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

SCiat quisque, nullum sibi aditum ad examen pro quocumque Ordine suscipiendo patere, nisi decenti vestitu indutus, & in congruo pro sui status exigentia positus, capillitio ad mediam aurem execto, se coram Examinatoribus sistat.

CAPUT II.

Prima Tonsura initiandus debite testatum faciat, se legitimo Matrimonio natum esse, aut ob natale impedimentum secum fuisse dispensatum, baptizatum, & confirmatum, & præterea se vel origine, vel habitatione, vel alia ratione Diœcesanum esse.

CAPUT III.

Adferat testimonium conversationis & morum, & quod noverit Catholicæ Fidei rudimenta.

CAPUT IV.

Nemo ad altiores gradus admittatur, quem non scientiæ spes majoribus dignum ostendat: hi vero juxta dispositionem Sac. Conc. Trid. nonnisi post annum a susceptione postremi gradus minorum Ordinum, ad majores Ordines promovebuntur, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas videatur aliud exposcere.

CAPUT V.

Ante quemlibet Ordinem majorem quilibet ordinandus in loco aliquo a Sæcularibus remoto, per novem dies continuos exercitiis spiritualibus se fideliter probet, ibique anteactæ vitæ exomologesim faciat, & per sacras meditationes, & pias orationes Dei voluntatem exquirat, & ad sacrum Ordinem suscipiendum se præparet.

CAPUT VI.

Uno mense ante ordinationis diem se præsentet, nomen & cognomen exhibeat, parentesque & habitationem designet, & si ad Subdiaconatum aspiret, Beneficium Ecclesiasticum, pensionem & patrimonium, cujus titulo ordinandus erit, subministret, quod ad minus debebit esse centum florenorum aureorum, quodque afficietur per operas legis, & examinabitur per Officialem nostrum, an sufficiens sit; promittet autem ordinandus in scriptis, quod tale Beneficium, pensionem, vel patrimonium non distrahet, nec alienabit, aut aliud quid substituet in nostri præjudicium sine nostro consensu.

CAPUT VII.

Ante singulos Ordines solemnes fiant proclamationes, ut si quis aliquod contra ordinandos noverit impedimentum, id innotescat, quarum proclamationum dicti ordinandi exhibebunt testimonium, antequam admittantur ad examen.

CAPUT VIII.

Scire debent, qui Subdiaconi fieri volunt, differentiam inter majores & minores Ordines: debent instructi esse in doctrina Sacramentorum, & specialiter in iis, quæ spectant ad Ordinem Subdiaconatus, intelligere cæremonias, quæ adhiberi debent, & solent, nec non obligationem perpetuæ castitatis cum onere legendi Horas Canonicas.

CAPUT IX.

Ubi quis aliquem Ordinem Ecclesiasticum e majoribus susceperit, certæ Ecclesiæ adscribetur, si adscriptus non erit, ratione Beneficii, aut alias (nisi in Universitate & Seminario degat) nec ulterior Ordo ei conferetur, nisi docuerit se in ista Ecclesia injuncta sibi onera diligenter apimplevisse.

CAPUT X.

In Diaconatu exactius sumetur experimentum, nec enim qui veniet cum dimissoriis etiam dispensantibus super interstitiis, admittetur, nisi in eis exprimatur causa sufficiens, propter quam dispensatum sit.

CAPUT XI.

Ad Sacerdotium, qui venient, examinabuntur particulariter super sequentibus: Quid sit Missæ Sacrificium? quis effectus Sacrificii, quæ illius partes, quæ mysteria contineat, quæ sacrarum vestium significatio, quæ in offerendo Sacrificio requirantur, ubi & quando illud celebrare non liceat, quæ dispositiones animæ & corporis præcedere debeant, quid agendum in dubiis, quæ aliquando occurrunt, quam potestatem accipiant Sacerdotes ad remittenda peccata.

CAPUT XII.

Ordinati intra quadraginta dies Primitias celebrabunt, quas tamen nemo celebrare permittatur, nisi ostensis literis Presbyteratus, & constito per testimonium Decani loci, quod cæremonias Missæ exactissime noverit.

CAPUT XIII.

Regulares loco Tituli adferent testimonium factæ liberæ Professionis regularis.

TITULUS IX.

De Sacramento Matrimonii.

CAPUT I.

Sacramenti hujus institutionem, vim, naturam & sanctitatem Parochus, aut alius Sacerdos, cui facultas celebrandi

brandi Matrimonii data aut permiſſa erit, accurate ſæpe fidelibus explicabit, ut omnes intelligant, cujus rei cauſa Matrimonium inſtitutum ſit, & quam animi præparationem & pietatem in contrahentibus requirat.

CAPUT II.

Docebit autem potiſſimum hæc tria: quomodo Matrimonium ſancte contrahendum, quomodo in eo pie verſandum, quomodo in eo bene moriendum ſit.

CAPUT III.

Singulariter etiam demonſtrabit fideles ad Matrimonium non explendæ libidinis cauſa duci oportere, ſicut equum & mulum, quibus non eſt intellectus, neque efferri cupiditate divitiarum; ſed tum prolis ſuſcipiendæ gratia, quæ ſanctam Catholicam Religionem colens, ad cœleſtium præmiorum hæreditatem Chriſtianæ vitæ præceptis, pieque vivendi uſu inſtituatur, tum etiam cauſa vitandæ fornicationis, & ut conjuges alterius ope adjuti, facilius vitæ incommoda ferre, & ſenectutis imbecillitatem ſuſtinere queant.

CAPUT IV.

Etſi deſponſi rudimentorum doctrinæ Chriſtianæ ignari, non debeant arceri a contrahendo Matrimonio, nihilominus Parochi in id incumbant, ut illis ſuadeant tamdiu ab illo contrahendo abſtinere, donec inſtructi ſint, & neceſſaria pro ſuo captu intelligant.

CAPUT V.

Deſponſi ante Matrimonium contractum ſe, nec ſub eodem tecto dormire, nec ſecum mutuo carnaliter converſari poſſe monebuntur.

CAPUT VI.

Sancta Synodus damnat dicteria nonnullorum nimis petulanter aſſerentium, puellas ita ſui corporis dominas eſſe, ut promiſcue ſe proſtituere poſſint, quando eis libuerit.

CAPUT VII.

Animarum ſaluti conſulere volentes, pœnas pecuniarias contractibus antenuptialibus appoſitas, quarum metu contrahentes ad Matrimonium inviti, aut minus liberi compelluntur, improbamus, ideoque illis aſſiſtentes, & Notarios in Domino monemus, ut a tali ſtipulatione caveant.

CAPUT VIII.

Meminerint Parochi ſibi non licere vagorum hominum Matrimonio aſſiſtere, niſi re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi in ſcriptis obtinuerint, neque ea licentia ſine cauſæ cognitione & matura deliberatione detur.

CAPUT IX.

Irritum eſt Matrimonium, quod contrahitur coram Parocho quidem loci, ſed neutrius contrahentium.

CAPUT X.

Qui quarto ex uno, & quinto ex alio conſanguinitatis vel affinitatis gradu ſe attingunt, libere contrahere poſſunt, nec ullus illis deſuper moveat difficultatem.

CAPUT XI.

Si quando ſuper ultima trium proclamationum diſpenſatum ſit, eo die, quo diſpenſatum eſt, Matrimonium contrahi non probamus, idque minus, ſi ſuper omnibus.

CAPUT XII.

Impedimento per proclamationes denuntiato, non prius Parochus ad Matrimonii ſolemniſationem procedat, quam re ad Ordinarium, Vicarium Generalem, vel Officialem delata, intelligat, quid facere ea in parte debeat.

CAPUT XIII.

Parochi omnes impedimenta Matrimonii exacte noſſe, & in memoria habere ſtudeant; & ſubinde ea populo in concionibus ſuis declarare, notanter affinitatem ortam ex copula illicita impedire ad ſecundum gradum incluſive, nullam etiam cognationem ſpiritualem contrahi inter ſuſceptorem & ſuſceptricem, vel inter ſuſceptum & confirmatum ac ſuſcipientis conjugem.

CAPUT XIV.

Laudabile eſt eo die, quo contractum eſt Matrimonium, ſponſum & ſponſam a copula abſtinere.

CAPUT

CAPUT XV.

Quos Parochus ebrios adverterit, nec ad Sponſalia, nec ad Matrimonium contrahendum admittat.

CAPUT XVI.

Matrimonia in Eccleſia, quæ Sacramentorum proprius eſt locus, & intra Miſſarum ſolemnia, ſi fieri poteſt, contrahantur, nunquam autem a meridie, vel in domo ſine ſpeciali noſtra licentia.

CAPUT XVII.

Permittimus nihilominus, ut ſi quis in infirmitate conſtitutus, in favorem legitimandæ prolis Matrimonium contrahere cupiat, & non poſſit ad Nos ejus deſiderium commode referri, omiſſis tribus proclamationibus præſente Parocho, & duobus vel tribus teſtibus, etiam in privatis ædibus, dummodo aliud Canonicum impedimentum non obſiſtat, contrahere poſſit.

TITULUS X.

De Doctrina & Prædicatione verbi Dei.

CAPUT I.

MEminerint Regulares ſine licentia ſuorum Superiorum ac benedictione Ordinarii ſe prædicare non poſſe in Eccleſiis Ordinum ſuorum, ſed nec ſine licentia Epiſcopi in Eccleſiis, quæ non ſunt ſuorum Ordinum, ſed nec uſquam omnino Epiſcopo recuſante, vel contradicente.

CAPUT II.

Paſtores neminem ad Eccleſias ſuas pro concionando recipiant, niſi oſtenſa licentia Ordinarii in ſcriptis.

CAPUT III.

Ordinarium autem intelligimus non perſonæ, ſed loci: itaque nemo in hac Diœceſi, ſine noſtra licentia.

CAPUT IV.

Paſtoribus per ſe onus prædicationis obire volentibus, ſciant cæteri ſe illis cedere debere.

CAPUT V.

Abſtinebunt Concionatores ab inanibus, difficilibus, captumque auditorum ſuperantibus, & ad fidei ædificationem minus pertinentibus quæſtionibus, quæ vel riſum movere, vel animum a Superioribus ſuis avertere queant, neve paſſim hæreticorum argumenta apud imperitas mulierculas referant, ſed tantum ea doceant, quæ ad fidem, pietatem, & concordiam faciant, & quæ omnibus neceſſaria ſunt ad ſalutem.

CAPUT VI.

In quem finem conformabunt ſe inſtructioni, quæ hic ſubjungitur.

Imprimis inculcabunt populo cum brevitate & facilitate ſermonis vitia, quæ declinare, & virtutes, quas ſectari oportet, ut pœnas inferni evadere, & vitam æternam conſequi valeat.

Explicationi Evangelii, Præceptorum Decalogi, Sacramentorum Eccleſiæ, ſacrorumque rituum diligenter incumbent.

Frequentationem doctrinæ Chriſtianæ, Feſtorum Eccleſiæ obſervantiam, Euchariſtiæ & Pœnitentiæ neceſſitatem ac utilitatem ſæpius exaggerabunt.

Omnium ætatum & ordinum, Patris & filii, mariti & uxoris, Domini & ſervi, Magiſtratus & privati officia circumſpecte demonſtrabunt.

Ubi corruptelas in populo maxime frequentes intellexerint, circa illarum reprehenſionem ſine diſſimulatione verſentur, ita tamen prudenter, ut neminem nominatim inſectentur vel deſignent.

Superioribus omnibus tam Eccleſiaſticis, quam Sæcularibus, etiam diſcolis, a populo reverentiam deberi doceant, neque ſimiles publice reprehendant, ſed officii ſui generatim tantum, ſi opus fuerit, admoneant.

Et quæ ad curioſitatem tantum aut ſuperſtitionem ſpectant, vel turpe lucrum ſapiunt, tanquam ſcandala, & fidelium offendicula vitent, & vitanda eſſe moneant.

Moneant etiam populum, ut frequentet ſuas Parochias, & ſaltem eas Dominicis & Feſtis accedat.

Diligenter item hortentur unumquemque teneri Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi

ubi commode id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei.

Fucum orationis, Poëticam locutionem, verba peregrina ne ſectentur.

Sacra Scriptura ſecundum vulgarem editionem utantur, eamque interpretentur ex convenienti SS. PP. authoritate.

Contra abutentes graviter invehantur.

Allegorias tantum ex probatis Authoribus Eccleſiaſticis adhibeant.

Authoribus apocryphis & vanis hiſtoriis non utantur.

A fabulis & earum applicationibus abſtineant, niſi pro veritatis confirmatione, quandoque eas referri expedierit.

Hæreticarum opinionum argumenta nonniſi ubi neceſſe erit, & cautiſſime referent.

Quando autem id fiet, vel neceſſe erit hæreticas opiniones referre, clara redargutione, ſolidisque tantum argumentis eas refutent.

Nova miracula, niſi prævia approbatione Ordinarii, non promulgent.

Indulgentias item, niſi de licentia Ordinarii, publicare aut proponere caveant.

Abſtineant a relatione rumorum, ſeu rerum novarum, niſi ex neceſſaria cauſa Epiſcopus, ſeu aliquis ex ejus Vicariis id permiſerit.

Neminem, niſi de Ordinarii licentia, paupertatis nomine fidelium eleemoſynis e ſuggeſtu commendent.

Denique, ne cum aliis prædicaverint, ipſi reprobi efficiantur, tanta in privatis colloquiis, victu, vitaque quotidiana, gravitate, modeſtia & Eccleſiaſtica diſciplina aliis prælucere ſtudeant, ut quod verbis ædificant, moribus confirment, ſicque aliquando uberes laborum ſuorum fructus colligere mereantur.

CAPUT VII.

Difficulter veniunt parvuli ad Catechiſmum, vel ex negligentia parentum mittentium, vel ex incuria: cui providendo requirimus Magiſtratus cujusque loci, ut ea in parte ſoliciti ſint, vel parvulos præmiis e menſa pauperum, ubi illa ſufficiet, deſumendis invitando, vel parentibus negligentibus de eadem menſa gaudentibus eleemoſynas ſubtrahendo, aut alio quovis modo, juxta diſpoſitionem Edicti ſuper Synodo Provinc. Camerac. de anno 1578. Artic. 15. quod enim addit: Servos & ancillas inſtructione Catechiſtica egentes, per heros & heras ſuas ad hoc cogendas eſſe.

CAPUT VIII.

Non fiant promiſcuæ orationes funebres ruri, ſed tantum pro Dominis loci, Nobilibus, aut aliis perſonis eximiæ qualitatis.

TITULUS XI.

De Officio Divino, Cæremoniis, locis ſacris & Cæmiteriis.

CAPUT I.

CUm in Officio Divino negotium nobis ſit cum Deo ipſo, merito non modo ſtatis horis ad Chorum conveniendum eſt, ſed in eo etiam a fabulis, riſibus, & aliis inſolentiis omnino abſtinendum ſub pœna amittendæ diſtributionis.

CAPUT II.

Meminerint omnes Mandati Concilii Tridentini, quo in Choro ad pſallendum inſtituto tenetur quisque in Hymnis & Canticis Dei nomen, reverenter, diſtincte & devote laudare, non præcipitanter, non capite cooperto, non ſtando, dum alter ſedet, non ſedendo, dum alter ſtat, ſed uniformiter & pari modo.

CAPUT III.

Ut uniformitas cæremoniarum uſus Romani ubique obſervetur, ſequendum erit Cæremoniale Epiſcoporum, quod componi juſſit fel. record. CLEMENS VIII. & introduci mandavit in omnes Cathedrales & Collegiatas Eccleſias.

CAPUT IV.

Hoc vero cum fieri non poſſit ſine Magiſtro Cæremoniarum, qui totus in eo ſit, ut dictum Cæremoniale perlegat, & aliis rationem cæremoniarum oſtendat, mandamus, ut in iſtis Eccleſiis, ſumptu Capituli, aliquis idoneus conſtituatur, cui in ritibus ſervandis omnes parere teneantur.

CAPUT V.

Paſtores in ſuis functionibus curæ ſuæ exiſtentes, ubi de gremio Chori ſunt, diſtributionibus gaudebunt, prout & illi, qui in negotiis Capituli, vel Ecclesiæ.

CAPUT VI.

Qui mentaliter Horas dicit, obligationi non ſatisfacit.

CAPUT VII.

Purificatoriis Calicum nemo ad emungendas nares aut abſtergendos ſudores abutatur.

CAPUT VIII.

Procurent Archi-Presbyteri in viſitationibus ſuis, quatenus ornamenta neceſſaria ad celebrationem ſint munda & decentia.

CAPUT IX.

Durantibus hiſce temporum miſeriis, ubi calices ſeu cuppæ argenteæ haberi non poſſunt, vel habitæ non eſſe ſine periculo, & ſtanneæ de noſtra permiſſione adhibendæ erunt, mundentur illæ ad ſingulas quindenas.

CAPUT X.

Summa Miſſa Parochialis fiat in æſtate diebus Dominicis & Feſtivis hora octava; in hyeme hora nona, neque præſumant Paſtores id tempus prævenire, aut poſtponere propter Sponſos, vel Dominos temporales, quocumque alio prætextu, ut in magnum communitatis præjudicium & incommodum.

CAPUT XI.

Ubi in eadem Eccleſia plures Miſſæ fiunt, fiat in æſtate prima, hora ſexta, & ſub ea Catechiſmus, in hyeme hora ſeptima.

CAPUT XII.

In appendicibus non celebretur ea hora, qua Summum Sacrum fit in Parochia.

CAPUT XIII.

Feria quinta hebdomadæ ſanctæ non pulſetur in Eccleſia Collegiata, Parochialibus, aut Monaſteriis hujus Urbis Namurcenſis, poſtquam in Cathedrali ad ſolemne Sacrum pulſatum fuerit, neque Sabbato ſequente pulſetur in iisdem, antequam in dicta Cathedrali idem actum fuerit, juxta reſolutiones Sacræ Congregationis Rituum.

CAPUT XIV.

Vago & ignoto Sacerdoti non permittatur celebratio Miſſæ, niſi viſa Ordinarii licentia.

CAPUT XV.

Cæmiteria ſemper ſint bene concluſa, nec in illis admittantur tripudia, ſtrues lignorum, aut fœni, non officinæ, non ſuppelliculia, res profanæ aut ſterquilinia, ſed nec excubiæ, niſi in cauſa neceſſitatis ad certum tempus, ac illa durante.

TITULUS XII.

De Feſtis & Jejuniis.

CAPUT I.

MEminerint omnes exempti, etiam Regulares, ſe ad Feſta ſervanda obligari, quæ Epiſcopus in Diœceſi ſua ſervari præceperit.

CAPUT II.

Diebus Dominicis & Feſtivis tempore Concionis, Summi Sacri & Veſperarum, in tabernis potantes, publicis luſibus vacantes, aut tripudiis deferantur, pro qualitate & modo ſcandali porro puniendi. In quo caſu & omnibus aliis ſervabitur Edictum ALBERTI & ISABELLÆ de anno 1607. publicatum Namurci anno 1608.

CAPUT III.

Illi quoque, qui durante Quadrageſima choreas agent, & tibicines, qui illis ducendis inſtrumenta tangent.

CAPUT IV.

Prout etiam omnes illi, qui nominantur per Edictum publicatum ſuper Synodo Provinciali Cameracenſi de dicto anno 1588. art. 5. 6. 7. & 8.

CAPUT V.

Non habentes licentiam arandi & carrucandi, aut alia opera ſervilia exercendi, quo tempore ea opus eſt, citentur ſalvo tamen in hoc, & tribus Capitulis præcedentibus jure præventionis.

CAPUT VI.

Curent, quantum poterunt, qui ob legitimam cauſam a jejunio excuſantur;

tur, quibusve ovorum vel carnium esus diebus vetitis permittitur, id secreto & separatim facere, ne alias exemplo suo ad violandum jejunium, cibosque prohibitos comedendum alii provocentur. Qui autem dispensant vel permittunt, nihil petant pro dispensatione aut permissione.

CAPUT VII.

Quod fieri in quibusdam locis non assuevit, mandamus per totam Diœcesim servari jejunium ipsa Vigilia Pentecostes, ut corporibus per temperantiam dispositis, Spiritus Sanctus, sine cujus numine nihil est in homine, nihil est innoxium, repleat suorum corda fidelium, & sui amoris in eis ignem accendat.

CAPUT VIII.

Sicut Beatissima Virgo MARIA tertio ætatis suæ anno se præsentando in Templo, nobis insignia pietatis & devotionis reliquit exempla, & per illa nobis ostendit, nullum debere esse hominem cujuscunque qualitatis aut sexus, qui non solum semel in vita, sed quotidie se præsentet Domino Deo, ut per merita ejusdem Virginis, in eo quem intendit vel assumpsit statu, operari possit salutem animæ suæ, & tam corde, quam affectu se elevando, actiones suas in eum referre, ita Præsentationis illius celebritas ab omnibus condigne recolenda est, & ideo valde probamus, citra obligationem tamen, ut qui devotionis causa illius Præsentationis anniversarium diem tanquam Festivum honorare voluerint, id facere possint, & ut e suggestu, hujus nostræ declarationis publicatio fiat, honorantibus autem, illo die quadraginta dies de vera indulgentia in forma Ecclesiæ consueta in Domino impartimur.

TITULUS XIII.

De sacris Reliquiis & Imaginibus.

CAPUT I.

Novæ Reliquiæ venerationi non exponantur, nisi prius a Nobis, juxta dispositionem Concilii Tridentini recognitæ fuerint.

CAPUT II.

Inter novas Reliquias computandæ sunt, seu etiam jure censendæ, quæ antiquorum Sanctorum esse, sed recens ad Ecclesias, in quibus modo sunt, delatæ dicuntur.

CAPUT III.

Doceatur rudis populus imaginibus Christi & Sanctorum cultum & honorem, non adhiberi propter earum materiam, elegantiam, externum ornatum, vel aliquid simile, sed tantum propter eos, quos nobis repræsentant, atque ita nos in signis prototypa venerari, ut nec ipsis in signis neque imaginibus ullam fiduciam collocemus, neque Divinitatem inesse credamus.

CAPUT IV.

Si quæ imagines vel tabulæ carie, situ aut sordibus pene deletæ vel excesæ sint, amoveantur aut reparentur.

CAPUT V.

Imagines sacras sæculariter comptas, in Templis aut Processionibus Clerus non toleret, ne oculos offendant.

CAPUT VI.

Nemo Ecclesiasticus in domibus vel hortis suis lascivas vel obscœnas statuas aut imagines collocet sub pœna arbitraria.

CAPUT VII.

Non appendantur in Templis tapetes aliquid lasciviæ præ se ferentes, & sæpius Concionatores super similibus prædicationem instituant.

CAPUT VIII.

Reliquiæ Sanctorum vasis honestis includantur, nec ullus eas extrahat, nisi de consensu Ordinarii, vel alterius ab eo delegati.

CAPUT IX.

Non ponatur in Ecclesiis imago insolita, nisi prius ab Ordinario approbata.

CAPUT X.

In visitationibus per nos factis invenimus plures imagines sine consensu nostro aut permissione appensas arboribus, quibus trunci seu gazophylacia affixa sunt, excipiendis viatorum aut aliorum eleemosynis & oblationibus, qui-

quibus illi gaudent, qui eas appenderunt, vel hæredes eorum, magis ad avaritiam, quam ad intentum illarum imaginum cultum: quæ cum toleranda non sint, mandamus intra mensem illos truncos seu gazophylacia in Diœcesi nostra tolli, nisi ibi tanto tempore extiterint, ut hominum excedant memoriam, quo casu volumus, talibus truncis seras apponi juxta Edictum CAROLI V. de anno 1531. art. 16. quarum una clavis sit penes Pastorem loci seu viæ, ubi tales trunci collocati fuerint, altera clavis penes Officiarium loci, ut de oblationibus ibi faciendis postea disponatur, mediatim ad opus Ecclesiarum Parochialium, sub quarum districtu tales trunci erunt appositi, mediatim ad opus Pastorum earundem.

CAPUT XI.

Audivimus quosdam eo præsumptionis processisse, ut mandarint imprimi, & impressa vendi quædam tanquam miracula, nulla alia certitudine prævia, quam attestatione eorum, quibus illa miracula contigissent, quod cum tolerandum non sit, ordinamus illa impressa supprimi, & inhibemus simile quid imposterum fieri.

TITULUS XIV.

De Superstitione & Exorcismis.

CAPUT I.

QUoniam rudis populus ex ignorantia frequenter superstitionibus inquinatur, Parochi subditos suos diligenter de illis cavendis doceant, & inter cætera superstitiosum esse, exspectare quemcunque effectum ex quacumque re, quem nec res illa ex natura sua, nec ex institutione Divina, nec ex approbatione, vel ordinatione Ecclesiæ producere potest.

CAPUT II.

Nullus exorciset sine licentia Ordinarii in scriptis, nec utatur aliis Exorcismis, quam ab Ordinario approbatis, nec potestate exorcisandi abutatur.

CAPUT III.

Si quis ex aliena Diœcesi in hanc advenerit exorcisaturus sine nostra licentia, ille deferatur, ut & hoc suis Superioribus denuntietur, & contra eum procedatur per censuras, & alias prout juris.

CAPUT IV.

Licentiam exorcisandi adeptus, pura & nuda conscientia ad id munus accedat, & in ista functione religiose se gerat.

CAPUT V.

Mulieres energumenæ exorcismum adhibiturus, id faciat duabus personis probatæ vitæ præsentibus, & si fieri potest, energumenæ consanguineis vel affinibus.

CAPUT VI.

Monebunt Pastores Parochianos suos abstinere a remediis, quibus prætenduntur nosci occulta, & a vulgari consuetudine circumligandi arbores pro ubertate fructuum & infortuniis, patibula pro cessatione febrium, a peregrinationibus per imperitas mulierculas suggestis, & aliis similibus.

CAPUT VII.

Monebunt etiam abominandam esse eorum vanitatem, qui certo numero, & præscripta forma verborum & precum asserunt certas animas semper a purgatorio liberari.

TITULUS XV.

De Sede Episcopali vacante.

CAPUT I.

OEconomi Sede vacante a Capitulo constituendi ad bona Episcopatus administranda, non misceant illa, quæ eidem Episcopatui ratione Officialatus Brabantiæ unita sunt cum bonis aut proventibus Abbatiæ incorporatæ S. Gerardi in Bronio.

CAPUT II.

Neque in illis proventibus sive bonis, durante vacatione, quidquam contribuant vel conferant ad intertentionem Religiosorum istius Abbatiæ.

CAPUT III.

Neque excedant taxam illis ex Abbatiæ proventibus ab Episcopo assignatam, & pridem ad effectum deductam sine nova ordinatione.

TITU-

TITULUS XVI.

De Archi-Presbyteris, Pastoribus, Custodibus, Matriculariis, eorumque officiis.

CAPUT I.

IMprimis ordinatur Archi-Presbyteris, sicut & antehac factum est, quatenus in visitationibus Ecclesiarum sui districtus excitent Pastores, ne unquam Dominicis & Festivis diebus intermittant, saltem Catechismum, ad minus non extra tempus messis, quin potius etiam instituant privatim & per domos, ut populus instruatur in iis, quæ ad salutem necessaria sunt, ac simul explicent Mysteria, quæ in Missæ Sacrificio significantur, ut ita populus Missam audiens, majori cum devotione & reverentia eidem assistat, & quæ in illa geruntur, debita cum attentione perpendat.

CAPUT II.

Pastores tempore messis, & etiam illis diebus, quibus opiliones, bubulci, vel subulci in agris sunt, illos visitent ibidem, & doceant, imitaturi ea in parte vestigia Salvatoris nostri JESU CHRISTI, qui per vicos & plateas transibat evangelizare Regnum Dei.

CAPUT III.

Omnes & singuli Pastores præter Biblia sacra & egregios aliquos in Sacram Scripturam Commentatores, comparabunt sibi Concilium Tridentinum, Synodum Provincialem & Diœcesanas cum probato aliquo Authore Moralem Theologiam pertractante, de quibus annue inquirent Archi-Presbyteri in dictis visitationibus suis, & negligentes Curiæ spirituali deferent porro puniendos.

CAPUT IV.

Reservamus Nobis repetitionem examinis Pastorum, quandocumque Nobis placuerit, & eorum suspensionem vel etiam privationem, si in isto examine minus habentes inventi fuerint, quo sic diligentius studiis incumbant, & non dediscant.

CAPUT V.

Inhibetur Pastoribus cum ancillis suis ire ad convivia vel puerperia, aut cum illis insidere equis sub pœna triginta florenorum; ire etiam simul ad forum vel macellum sub pœna sex florenorum irremissibiliter exequenda.

CAPUT VI.

Pastores, aut Beneficiati, cum inducentur in possessionem Curæ vel Beneficii, tenebuntur respective exhibere Archi-Presbyteris inventarium munimentorum, registrorum, & bonorum Curæ seu Beneficii, si quæ habent, aut saltem intra trimestre a data possessionis sub pœna arbitraria.

CAPUT VII.

Porro, quia conveniet originalia istorum munimentorum & registrorum in Archivis conservari, ideo mandamus omnibus & singulis originalia habentibus, ea deponere ad manus Scribæ Officialatus Namurcensis, in eum finem intra simile tempus, reservata sibi eorum copia authentica, cui inscribent & annotabunt solutiones factas sibi & suo nomine, & eorum morte adveniente, hæredes, si Ecclesiastici sint, eam reponent, ut supra, tradendam Successori sub pœna, quod contra eos procedetur per arrestum mobilium, & alias prout juris.

CAPUT VIII.

Inhibetur Capellanis & Religiosis benedicere aquam lustralem in castris, sive aliis in locis, nisi doceant de privilegio ad hoc obtento.

CAPUT IX.

Prout etiam celebrare Missam in iisdem eo tempore, quo in Parochia celebratur Summum Sacrum.

CAPUT X.

Et quia etiam binationes alias in castris admissæ non serviunt tam communitati, quam Domino castri, ideo omnes illas revocandas duximus, & revocamus. Bene conveniat Domino, si Missam in castro suo habere voluerit, ubi id in castro licet nutrire Capellanum, aut cum alio Sacerdote non binante super eo transigere.

CAPUT XI.

Comperimus experientia multos Pastores sæpe discurrere, & evagari vel ad urbes, vel alio cum magno discri-

mine, & periculo animarum ſibi ſubditarum, ideo inhibemus id inpoſterum fieri, niſi de noſtra, Vicarii noſtri, aut Archi-Presbyteri licentia, ſub pœna, prout ſupra.

CAPUT XII.

Illud unusquisque Paſtor ſæpe revolvat ſe non ad inertiam & otium, ſed ad ſpiritualem & Eccleſiæ militantis laborem vocatum eſſe, & cum tam in Divinis Officiis, quam ſpiritualibus muniis & functionibus, quod debet tempus, inſumpſerit, quod reliquum eſt, non in rerum ſæcularium cura, profanisque actionibus, ſed in piis, ſanctisque ſtudiis ſibi traducendum eſſe.

CAPUT XIII.

Quare monentur omnes Archi-Presbyteri, ut annuales viſitationes obeuntes, & alias diligenter inquirant, quibus rebus Paſtores ſe impendant, ut ſi quos otio deditos repererint, ne nihil agendo male agere diſcant, eos actionibus Eccleſiaſtico homine dignis incumbere, & per bona opera certam ſuam vocationem facere procurent.

CAPUT XIV.

Cui fini inducent omnes & ſingulos, ut quotidie ad mediam horam lectioni Scripturæ ſacræ, aut alicujus pii libri, & aliam mediam horam Divinorum Myſteriorum & maxime Paſſionis Chriſti meditationi inſumant.

CAPUT XV.

Inducent etiam illos, ut quotannis opportuno tempore ſe recolligant, faciantque exercitia ſpiritualia apud eos, qui in iſta arte verſati ſunt, quibus ſic abſentibus providebitur populo de Sacerdote, qui tam in concionando, celebrando, quam confeſſiones audiendo eorum vices ſuppleat.

CAPUT XVI.

Ubicumque hactenus Paſtores non ſunt reducti in certas claſſes, qui ſingulis menſibus & certo ſtatuendo die & horis conveniant, ibique tractent de promovenda pietate in Deum, zelo animarum, & de ſcientia Paſtoribus neceſſaria, fiat quantocius, ubi per temporum difficultates & armorum ſtrepitus licebit; præſcribentur quoque libri pii tam Theologici, quos ante proximum Conventum legere tenebuntur, & in quibus examinandum, vel e quibus diſputandum, & cum Confratribus conferendum erit.

CAPUT XVII.

Monentur Paſtores, ut Archi-Presbytero, & aliis viſitantibus, denuntient exceſſus commiſſos in ſuis Parochiis, cum eorum circumſtantiis, diuturnitate ſcandali, ac delinquentium qualitate.

CAPUT XVIII.

Ex cauſis merito moventibus permittitur Archi-Presbyteris, ut quandocumque aliquis ex Paſtoribus ſuorum reſpective diſtrictuum, ea infirmitate detinebitur, quod munia curæ ſuæ incumbentia per ſe obire non poterit, alium aliquem vicinum Paſtorem e diſtrictu ſuo ſubſtituere, qui durante ægritudine ſine detrimento Parochiæ propriæ binare poſſit in Parochia infirmi, & functiones ejus Paſtorales exercere, dummodo tamen id faciat gratis & charitative, & niſi infirmitas ſit nimis diuturna, quo caſu adeundus erit Epiſcopus.

CAPUT XIX.

Invigilent Archi-Presbyteri, ut Paſtores, Vicarii, & Capellani ſub diſtrictibus ſuis degentes, quotannis ſe expurgent ſuper adimpletione onerum Beneficiis ſuis, fundationibus, vel officiis ſuis incumbentium, & ut intra trimeſtre a die poſſeſſionis exhibeant deſignationem limitum & terminorum, fundorum, ubi illa fundos habent, vel ſi reditus ſunt, corporum, ſuper quibus illi hypothecati ſunt, & ſi obligationes, declarationem perſonarum debentium, ut illæ cogantur ad reſtitutionem ſortis, aut ad realiſationem, & qui in eo lapſo tempore defecerint, denuntientur.

CAPUT XX.

Volumus etiam, ut iidem Paſtores, Vicarii, Capellani ſingulis decenniis procurent renovationem dictorum limitum & terminorum, ne per obitum aliquando adjacentium & ſua bona vendentium termini obſcurentur.

CAPUT XXI.

Cum ſæpe eveniat, quod infirmi diutius differendo Sacram Communionem, vel ob Medicorum defectum, vel ob ſilentium ſuum, aut amicorum, inadminiſtrati decedant ex hac vita, & ſine Sacramentis, ut in re tanti momenti melius deinceps provideatur, monebunt Paſtores in principio morbi, ubi evocati fuerint, ſuos infirmos, ut ſe ad eorum receptionem diſponant juxta Bullam PII V. & pro animabus illorum ſatagant tanquam exactam de iis in noviſſimo die rationem reddituri, ubi vero Religioſi audiverint confeſſiones infirmorum, illud Paſtori ſignificabunt.

CAPUT XXII.

Inhibemus Paſtores & Matricularios ſimul abeſſe a ſua Parochia.

CAPUT XXIII.

Renovamus ordinationem, qua inhibetur Eccleſiaſticis conducere agros alienos, etiam fabricæ & menſæ pauperum, Altarium, Monaſteriorum, vel eos excolere propriis & alienis ſumptibus, longe abſit eos propriis manibus ſeminare.

CAPUT XXIV.

Inhibemus etiam exercitium omnis mercaturæ & negotiationis toties a Canonibus interdictæ.

CAPUT XXV.

Animadvertimus permutationibus ſubinde factis ſub penſione eandem (quæ deberet ſæpe ſuccedere in locum Tituli ad Ordines) redimi ſine noſtro ſcitu aut conſenſu, & exinde magnum Nobis præjudicium generari, cui malo occurrendo inhibemus omnibus & ſingulis permutatariis ſeu reſignatariis, penſionariis ſuis redemptionem facere, etiam ceſſante obligatione tituli, & quocumque modo cenſeatur, ſine noſtro dicto conſenſu & ſcitu, ſub pœna centum florenorum, & alia arbitraria.

CAPUT XXVI.

Renovamus ordinationem, continentem Paſtores Regulares obligari ad reſcriptiones ſuas quotannis faciendas & tranſmittendas, ſicut faciunt Sæculares, niſi doceant de privilegio contrario intra trimeſtre exhibendo.

CAPUT XXVII.

Ubi in reſcriptionibus invenietur Mamburnos fabricæ & menſæ pauperum alicujus Parochiæ non reddere computum, ad Nos deferantur, ut mox certiorato Procuratore generali Brabantiæ & Namurcenſi reſpective per eos ad redditionem compellantur, & ſi quis redditis computibus coram lege loci præſentibus illis, quorum intererit, ſuperfuerit ex clauſura, juxta Edictum publicatum ſuper Synodo Provinciali Camerac. dicto anno 1588. per dictos Procuratores generales aut Scabinos loci cogantur ad illius ſolutionem & numerationem, & pecuniæ quantocius per dictos Scabinos ad fabricæ vel menſæ pauperum reſpective utilitatem applicentur.

CAPUT XXVIII.

Nullo modo permittendum eſt, ut Cuſtodes Parochialium Eccleſiarum tabernas exerceant, aut vinum aduſtum, vel tabacum divendant.

CAPUT XXIX.

Cum ob certas rationes creatus ſit a Nobis decimus tertius Archi-Presbyteratus Diœceſis noſtræ Genapiæ, ſervabitur dies Congregationis illius feria tertia poſt primam Dominicam Septembris, aut, illa impedita, feria quarta, idque in Eccleſia veteris Genapiæ, vel in Waſia, pro commoditate Decani.

TITULUS XVII.

De vita & honeſtate Clericorum, eorumque correctione.

CAPUT I.

QUia aliquorum Sacerdotum ea eſt vel incuria, vel negligentia, ut vel ipſi, vel alii, quando ad Eccleſiam conveniunt, non ita, ſicut decet, reverenter ſe gerant, ſed vanis ſæpe colloquiis, aut aliis actibus profanis non ſine ſcandalo intendant; ideo mandamus omnibus & ſingulis, quatenus juxta Conſtitutionem PII V. quæ incipit: *Cum primum Apoſtolatus officium*, eorum ſit ad Eccleſiam humilis & devotus ingreſſus, quieta converſatio, ut piis orationibus inſiſtant, ut genuflexi Sacra-

Sacramentum adorent, cessent vana & inordinata colloquia, risus immoderati, & id genus similia, caveant omnes, ne verso dorso ad Sacramentum irreverenter sedeatur, aut aliquid, quod scandalum pariat, præsumatur, sub pœna arbitraria.

CAPUT II.

Sæpe animadversum est, Sacerdotes aliquos, etiam ab actibus profanis redeuntes, sine ulla præparatione prævia se ad Sacrificium celebrandum accingere, quam præparationem tamen tantopere inculcat Concil. Trid. *Sess.* 13. *Cap.* 7. cum ait: " Si non decet ad sacras ullas functiones accedere, nisi sancte & certe, quo magis Sanctitas & Divinitas cœlestis hujus Sacrificii comperta est viro Christiano, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna sanctitate & reverentia ad illud accedat, cum plura formidinis verba apud Apostolum legamus: *Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Quare communicare volenti, revocandum est in memoriam ejus præceptum: *Probet se ipsum homo.*" Hæc Concilium. Quod si homo Christianus probare se debet, multo magis Sacerdos, cui injungimus, quatenus ante celebrationem debite se præparet per orationes & meditationes isti fini opportunas, post Missam autem se recolligat, & aliquo temporis spatio pro beneficiis acceptis in gratiarum actione perseveret.

CAPUT III.

Non sumatur tabacum seu in fumo, seu in pulvere a Sacerdotibus ante vel in celebratione, sub pœna arbitraria.

CAPUT IV.

Neque celebretur a Sacerdotibus cum chirothecis aut manica, sub eadem pœna.

CAPUT V.

Et quia innotuit Nobis ea, quæ per Concil. Trident. constituta sunt *de habitu Clericorum*, non rite observari, ideo injungimus omnibus & singulis in sortem Domini vocatis, & majoribus Ordinibus insignitis, quatenus intra quindenam (illi, qui in Civitatibus habitant) sibi comparent vestes descendentes, usque ad talos inclusive, renibus zona cinctis, qui vero foras proficiscuntur, aut tempore hyberno ruri degunt, descendentes usque ad genua, etiam inclusive, quo sic per dispositionem illam extrinsecam ostendant intrinsecam animæ suæ, & se tanquam in specula constitutos prælucere debere aliis forma, verbo & exemplo, qui defecerint termino lapso, mulctabuntur pœna trium florenorum, qui ulterius contumaces, pœna graviori.

CAPUT VI.

Otio vitando, concepimus methodum distributionis temporis, cui se conformabunt Capellani & Habituati Civitatum respective ac pagorum nostræ Diœcesis, quæ hic subjungitur.

Si in Ecclesia, cui Capellani & Habituati deserviunt, fiat Officium Matutinum, quisque eorum non infirmus aut impeditus illi intererit, & in Psalmis ac Canticis spiritualibus recitandis se promptum exhibebit.

Post absolutum Matutinum, mediam horam meditationibus impendet: si autem tunc forte quid aliud legendum vel cantandum sit, differet post absolutam Missam.

Deinde domum rediens poterit vacare negotiis, mox redire ad summam Missam, qua absoluta non impeditus, leget devotum aliquem librum usque dum ad prandium eundum erit.

A prandio, si libet, ambulabit ad horam, deinde ibit ad Vesperas, quibus finitis, quæ habet, expediet negotia, si non habet, debet se totum pietatis officiis, & singulariter iis, quæ concernunt Mysteria Passionis Christi, de quibus supra & ratione, quorum nos animat S. Augustinus *libro de Virginitate*, cum ait: *Aspice vulnera pendentis, Sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis, caput habet ad osculandum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus ad redimendum, hæc, quanta sint, cogita, hæc in statera cordis tui appende, ut totus tibi figatur in corde, qui totus pro te fixus est in Cruce.*

A cœna faciet recollectionem & examen conscientiæ per mediam horam, ut sic se disponat ad cubile.

Ubi

Ubi non fiunt Matutina aut Vesperæ, disponent se illi, cum surgent, ad meditationem mediæ horæ, deinde ad celebrationem Missæ, postea ad negotia, mox intererunt summæ Missæ, & illa absoluta, impendent quod reliquum erit temporis lectioni, a meridie locus erit deambulationi, deinde resumptioni lectionis post recitatas Vesperas, postea vacabunt iterum negotiis suis, & deinde ad cœnam, ab illa vero facient ut supra.

Capellani pagorum cum surgent, ex quo in pagis nulla sunt Matutina, & summum Sacrum nonnisi Dominicis & Festivis diebus, insument mediam horam meditationi, deinde legendo Officio, mox disponent se ad celebrationem Missæ, nisi Pastor aliter judicaverit, illa facta, domum redeuntes, legent ad horam aliquem pium librum, mox colendis hortis, si habeant, vel aliis exercitiis se occupabunt usque ad prandium, a meridie lectis Vesperis deambulabunt, deinde resument lectionem, & postea laborem manuum. Reliqua de cœna & recollectione ut supra.

Clerici ad Ordinem aspirantes, promittent servare hanc methodum ante suam admissionem.

Id etiam præstabunt extranei Sacerdotes in Civitatibus pro aliquo tempore, vel pagis hæsuri, alioquin ad Missæ celebrationem non admittendi, & in hoc invigilabunt Archi-Presbyteri.

CAPUT VII.

Clerici, quamdiu nullo Ordine insigniti sunt, quatuor majoribus Festis ad minus Communionem sumant; sciant autem Diaconi & Subdiaconi decere, ut singulis Dominicis & Festis Altari ministrantes, Sacram Synaxim accipiant.

CAPUT VIII.

Clericus Sacris initiatus, aut Beneficium Ecclesiasticum obtinens, coram Judice sæculari Advocati vel Procuratoris officio non fungatur, nisi propriam vel Ecclesiæ causam agat, aut miserabilium personarum.

CAPUT IX.

Artem quoque medendi aut tabellionatus non exerceat, nisi in casibus a jure expressis.

CAPUT X.

Ab omni etiam venatione caveat, quæ cum armis aut strepitu fit, sub pœna arbitraria.

CAPUT XI.

Sicut supra inhibitum fuit Pastoribus, ita & hic inhibemus omnibus Sacerdotibus adire convivia puerperarum, & alia ut ibi.

CAPUT XII.

Ebrietas, taberna, tabacum, irritamenta gulæ, non decent gentem sanctam, genus electum, Regale Sacerdotium; quare ordinamus omnibus Sacerdotibus, ut ab iis abstineant sub pœna trium florenorum in casum contraventionis eo ipso.

CAPUT XIII.

Ut in hac hominum malignitate omnis Cleri sugillandi tollatur occasio, non tantum incontinentiam, sed omnem etiam illius speciem aut suspicionem quisque caveat. Quare si quis de Clero habeat ancillam, vel cum aliqua sic conversetur, ut obloquium exoriatur, ad monitionem nostram, seu Vicarii, aut Archi-Presbyteri nostri, sub cujus districtu degit, hanc dimittere vel ab ea se sejungere teneatur, quod nisi fecerit, primo pœna libræ Flandricæ, & perseverans gravius punietur, quod etiam intelligimus de ancilla pridem male famata, & emendata.

TITULUS XVIII.

De Beneficiatis, & eorum Residentia.

CAPUT I.

Parochi jure Divino ad residendum obligantur, & nec consuetudine, nec paucitate ovium, nec defectu domus propriæ a residentia eos excusari declaramus. Quare si qui non resident, mandamus iis, ut sine mora ad residentiam se conferant sub pœnis per Concil. Trid. & sacros Canones comminatis.

CAPUT II.

Beneficiati neque ex fundatione, neque ex consuetudine, vel aliter obligati ad personalem residentiam, nihilominus onera suis Beneficiis incumbentia in

in Ecclesiis, ubi ea fundata sunt, plene ac debite expleri curent, alioquin hoc ipso, etiamsi in loco privilegiato resideant, a fructibus Beneficiorum suorum suspendantur, & suspensi maneant, donec docuerint debite de adimpletione oneris Missarum, ob cujus adimpletionis omissionem suspensi fuerant.

CAPUT III.

Beneficia in nostra Diœcesi possidentes, & sine placito a Nobis obtento, absentes a loco Beneficii sui, nec in eo residentes, monentur, quatenus intra quindenam procurent placita absentiarum suarum, exhibeantque testimoniales habitationis a Pastore, seu lege loci, in quo degunt, super vita, moribus, functionibus sive exercitiis suis, & eos singulis annis coram Nobis, seu Vicario nostro renovatas producant, ac de adimpletione onerum, ut supra, doceant sub pœna arbitraria.

CAPUT IV.

Renovamus Ordinationes per Prædecessores nostros factas, de Solutione obsonii & Cathedratici.

CAPUT V.

Permittimus nihilominus illis Prælatis, qui circa hunc articulum prætendunt exemptionem, exhibere privilegia, quibus muniuntur, intra trimestre peremptorie & sub pœna non auditionis.

TITULUS XIX.

De Sepulturis.

CAPUT I.

NEmo præsumat corpora infantium non baptizatorum in Ecclesiis aut Cœmeteriis benedictis sepelire.

CAPUT II.

Neque ullus sive Regularis, sive Sæcularis admittat ad sepulturam corpora defunctorum, qualiacumque illa sint, & etiamsi ob inopiam gratis fieri deberet, nisi Cruce præcedente, & uno saltem Sacerdote eadem comitante.

CAPUT III.

Ubicumque quæstio erit de sepeliendo in Monasteriis, significetur idipsum Pastori defuncti, ut juxta Edicta Principum possit hoc annotare in registro Defunctorum in eum finem confecto, & tam juxta dispositionem Conc. Trid., quam Canones conserventur ei sua jura illæsa.

CAPUT IV.

In sepeliendis mortuis seu deducendis ad Ecclesiam non poterunt Religiosi portare stolam extra Monasterii sui septa, juxta contentum Clementinæ: *Dudum de Sepulturis.*

CAPUT V.

Neque inducere aut persuadere morientibus, ut apud se eligant sepulturam, sub pœna comminata in Clementina: *Cupientes de pœnis.*

CAPUT VI.

Renovamus Ordinationem, qua anno 1639. dicitur Pastorum regularium Exequias soli Archi-Presbytero competere, & si illas non celebret, sua ei jura servanda fore.

CAPUT VII.

Taxa jurium funeralium Civitatis & Comitatus Namurcensis, prout illa inita & conventa est, de Mandato Regio cum consilio illius Provinciæ describitur infra ad calcem Synodi, cui quisque se conformabit.

TITULUS XX.

De Scholis.

CAPUT I.

PAstores tam e suggestu, quam privatim admonebunt sæpe Parentes, ut filios suos & filias ad Scholas mittant, ubi illæ erectæ sunt.

CAPUT II.

Ubi non, ineatur methodus illis erigendis, & Magistro alendo.

CAPUT III.

In Scholis autem illis sedebunt separati masculi a puellis, & congruum foret, ubi media suppetunt, masculis virum, puellis fœminam præfici.

CAPUT IV.

In Civitatibus, ubi ordinarie Scholæ Dominicales sunt, inhibemus easdem aperiri, nisi vel ante, vel post absolutum in Parochiis Divinum Officium.

TITU-

TITULUS XXI.
De Seminario.
CAPUT I.

Ereximus in Urbe Cathedrali Seminarium, conformiter dispositioni Concilii Tridentini, efformandis Theologis prope Ecclesiam nostram de consilio & assensu Capituli nostri Cathedralis, in quo quisque in sua ad illud admissione declarabit se habere animum ad statum Ecclesiasticum, & insuper promittet, cum idoneus fuerit, id se muneris in Ecclesia Dei subiturum, quod ipsi injungemus, aut refusurum expensas, quibus Seminarium affecerit.

CAPUT II.

In Seminarium assumendus non erit minoris ætatis, quam sexdecim annorum.

CAPUT III.

Nemo admittetur, nisi prævio examine, & singulis annis simile subibit, ut videatur an profecerit, & tunc statuatur de ejus continuatione, aut dimissione.

CAPUT IV.

Admissus promittet, si ad pinguiorem fortunam venerit, se in memoriam accepti beneficii de bonis suis temporalibus recogniturum Seminarium.

CAPUT V.

Simul atque per ætatem, scientiam & alias Ordinibus suscipiendis idoneus fuerit, se ad eorum susceptionem componet per exercitia spiritualia, jussus suscipiet, ac in illis ministrabit.

CAPUT VI.

Renovamus contenta Tituli III. *de Seminario*, publicata per piæ memoriæ Prædecessorem nostrum Illustrissimum Dominum BUISSERET anno 1604. ubi ait: "Bursarios docendos Cantum " Gregorianum, computus Ecclesiasti" cos, Homilias Sanctorum, formas " tradendorum Sacramentorum, cæte" rasque Cæremonias Ecclesiasticas, " nostro, & Successorum judicio."

CAPUT VII.

Quibus addimus regulas a Nobis præscriptas, & Domino Præsidi traditas, quibus omnes Alumni se conformabunt, sub pœnis in iisdem contentis.

CAPUT VIII.

Et quia Concilium Trid. vult Episcopum duos Canonicos e sua Cathedrali eligere, quorum consilio in visitatione, discipulorum expulsione & electione, ac aliis semper utatur, illi Decreto satisfaciendo ultra Revdum Adm. Dominum *Gaudentium de Pollein*, J. U. Licentiatum, Canonicum & Archi-Diaconum Namurcensem, ultimis elogiis sive tabulis dicti BUISSERET sub titulo officii seu dignitatis nominatum Collatorem ad Bursas ab eo fundatas, elegimus, & elegisse Nos declaramus RR. Adm. DD. *Remigium du Laury*, S. Theol. & utriusque Juris Licentiatum, Præpositum Ecclesiæ Cathedralis, Vicarium Generalem, & Officialem nostrum Namurcensem, & *Carolum Philippum de Wavre*, Canonicum & Decanum Ecclesiæ Cathedralis.

CAPUT IX.

Similiter cum ex quatuor aliis, quorum consilio in temporali administratione, cæterisque hujusmodi utamur, duo a Nobis sint eligendi, alter é Capitulo, & alter é reliquo Clero Civitatis, id præstantes elegimus Adm. Rdum Dominum *Simonem Ignatium Polchet*, Archi-Diaconum per Gallo-Brabantiam, & Pastorem Sancti Joannis Baptistæ.

CAPUT X.

Declaramus insuper quoad duos reliquos e Capitulo electum esse Dominum *Joannem Turlot*, S. Theologiæ Licentiatum, & a Clero Dominum *Joannem Velaine*, Pastorem S. Joannis Evangelistæ.

TITULUS XXII.
De elocatione & conservatione Bonorum Ecclesiasticorum.
CAPUT I.

Elocationes Bonorum Ecclesiasticorum, quæ anticipatis solutionibus fiunt, nullatenus Successores obligent, quocumque privilegio, vel indulto fulciantur.

CAPUT II.

Bona Ecclesiæ elocare non liceat ultra tempus a jure permissum, & per Synodum Provinc. Cameracensem expressum,

pressum, nimirum fundos agrorum ad novem annos, pratorum ad sex, & decimas ad triennium, nisi illæ cum fundis elocentur; quo casu ad sexennium poterunt elocari.

CAPUT III.

Elocationes bonorum beneficialium a Beneficiatis initas, declaramus non durare diutius, quam pro illo anno, in quo Beneficiatus moritur, vel dimittit Beneficium, nisi elocationes factæ sint auctione publica, vel nisi contrahens a Nobis, vel Capitulo, sub cujus jurisdictione illa Beneficia existunt, earum confirmationem obtinuerit.

CAPUT IV.

Non raro contingit bona Beneficiorum censibus vel reditibus gravatorum evinci, defectu solutionis eorum; ad id impediendum mandamus, ut singuli, qui ea gravata habent, eo tempore, quo dabunt specificationem bonorum, simul exhibeant Archi-Presbytero visitanti apochas solutionum, idque quotannis, vel saltem singulis biennis continuent, ex quo appareat illos satisfecisse ad exonerationem Successorum, sub pœna arbitraria.

CAPUT V.

Bona piarum fundationum ad certos usus relicta, ad alios non transferantur, nisi de Sanctæ Sedis, Nostro, aut Regio consensu, ubi is requiritur.

CAPUT VI.

Eleemosynæ mensarum pauperum sine humano affectu, & acceptione personarum iis tantum distribuantur, qui vere pauperes sunt, & in iis nihilominus vitæ, ac morum probitatis cujusque ratio habeatur, ad quem finem poterit adesse Pastor loci.

CAPUT VII.

Contra Decimatores & alios obligatos, non reparantes Ecclesias, Sacella & loca pia, neque præstantes ornamenta, procedatur exacte coram Nobis, Officialibus nostris, aut aliis a Nobis constituendis, in Districtu & Provincia Namurcensi, etiam per arrestum fructuum, Decimarum, & aliorum bonorum mobilium per eos possessorum, juxta Concordatum initum inter Concilium Provinciale Namurcense, & Episcopum loci munitum condemnatione voluntaria; Anno 1566. signatum *Margarita*, & infra *van der Aa*, in Brabantia vero agatur cum Procuratore Generali ad effectum, ut supra.

TITULUS XXIII.

De Regularibus & Monialibus.

CAPUT I.

Abbates, cæterique Monasteriorum Superiores omnem curam, & diligentiam adhibeant, ut in Monasteriis sibi subjectis ea, quæ ad regularis vitæ substantiam pertinent, nullo usquam tempore relaxentur, sed fideliter observentur; ne substantia tanquam fundamento corruente, ædificium ruat.

CAPUT II.

Atque ita diligentissime caveant, ne proprietatem, quæ tanquam aper vineam Religionis exterminat, vel in minutiis ullatenus admittant.

CAPUT III.

Quo autem id certius, & securius fiat, provideatur juxta dictamen Regulæ Religiosis de iis, quæ illis necessaria erunt.

CAPUT IV.

Religiosus promotus ad Beneficium curatum, Monasterio non subjectum, Nobis invitis, & non consentientibus per Prælatum suum Regularem illo privari, domumque revocari non potest, nisi Prælatus contrarium intendens legitimo privilegio muniretur.

CAPUT V.

Regulares Superiores, quibus alicujus Monasterii Monialium cura demandata est, provideant, ut Monialibus ii potissimum Confessarii assignentur, qui non modo in casibus conscientiæ versati, sed etiam ætate provecti, & summa morum integritate probati sunt, nec minorem cautionem adhibeant circa vitam, & mores sociorum illis adjungendorum.

CAPUT VI.

In omnibus Monasteriis Lectio sacra ad mensam adhibeatur.

CAPUT

CAPUT VII.

Extra horam refectionis non fit liberum Religiosis, etiam ob adventum parentum, comessationibus, aut compotationibus indulgere.

CAPUT VIII.

Mulieres ad loca regularia virorum, extra tempus processionum, sub pœna excommunicationis contra illas, suspensionis contra Superiores ne admittantur.

CAPUT IX.

Non intrent clausuram mulierum viri, nisi in casu necessitatis, sub eadem pœna.

CAPUT X.

Quando vero intrabunt infirmæ visitandæ vel administrandæ gratia, aut alia simili, non id facient, nisi comitibus duabus Religiosis e senioribus in introitu, & exitu.

CAPUT XI.

Sacra Congregatio censuit, non licere Episcopis concedere licentiam matri, sororibus, consanguineis ingrediendi Monasterium ægræ filiæ visitandæ causa, vel etiam, dum facit professionem, proinde nemo a Nobis ad hoc licentiam petat, vel ægre ferat, si repulsam patiatur.

CAPUT XII.

Nemo Religiosos fugitivos, & extra obedientiam vagantes recipere, fovere, aut ad Sacramenta, & Ministeria Ecclesiastica admittere audeat sub pœna excommunicationis.

CAPUT XIII.

Religiosi extra clausuram, vel Monasterium suum degentes, gerant habitum Regulæ suæ convenientem, ut omnibus innotescat eorum status, Professio & Religio.

CAPUT XIV.

Religiosorum Superiores nonnisi graves, maturos, & pios, ac Regularis disciplinæ studiosos viros Novitiis formandis præficiant, qui eos in mortificatione, humilitate, charitate, cæterisque virtutibus probe instituant.

CAPUT XV.

Tales quoque Magistras suis Novitiis præbeant Sanctimonialium Præfectæ.

CAPUT XVI.

Opportunum foret Novitias Testamentum condere volentes, tantisper extra clausuram constitui (in Monasterio tamen manendo) donec id conditum sit.

CAPUT XVII.

Inhibemus omnem dotium anticipationem, ne illo medio Superior Novitiam acceptare cogatur, aut Novitia exire volens, defectu restitutionis dotis aut molestiam patiatur, aut contra voluntatem patiatur.

CAPUT XVIII.

Sciant Regulares posse Episcopum procedere contra Religiosos prædicantes errores, & scandala.

CAPUT XIX.

Sed & illis mandare, ut proponant populo Festa, & jejunia hebdomadæ.

CAPUT XX.

Imo posse obligare Prælatum, ut puniat Religiosum delinquentem extra claustrum scandalose, idque intra tempus opportunum, alioquin illo lapso, se eum punire posse.

CAPUT XXI.

In causa etiam hæresis, & solicitationis mulierum, Regulares etiam exemptos Episcopo subesse.

CAPUT XXII.

Neque posse uti ullis privilegiis, si quæ habere prætenderent, nisi prius illa exhibuerint, & notificaverint eidem Episcopo.

CAPUT XXIII.

In Ecclesiis Regularium animarum curam habentium Episcopus visitare potest Sacramenta, paramenta, calices, & alia in administrando necessaria.

TITULUS XXIV.

De Judicibus delegatis & Examinatoribus.

CAPUT I.

AD satisfaciendum Concilio Tridentino de Judicibus & Examinatoribus, huic Synodo præpositi, & ab ea probati sunt in urbe Namurcensi Judices, Rdus Dominus *Remigius du*

Laury, S. Theol. & Juris utriusque Licentiatus, Præpositus Ecclesiæ Cathedralis & Vicarius Generalis, Rdus D. *Gaudentius de Pollein*, Archi-Diaconus Namurcensis, R. D. *Simon Ignatius Polchet*, Archi-Diaconus Gallo-Brabantiæ, & D. *Joannes de Tranx*, Officialis Brabantiæ. In Brabantia vero Amplissimi Domini *Martinus* Abbas Gemblacensis, & *Bernardus* Abbas Villariensis. Item Eximius Dominus Doctor *Godefridi*. Inter Sabim & Mosam Rdus D. *Antonius* Abbas Moliensis. Examinatores autem Domini de Vicariatu.

CAPUT II.

Meminerint hi juramenti, quo se obstringent, videantque, ut omni humano affectu semoto, munus a se susceptum recte obeant, & nihil ante & post examen, ratione illius accipiant, sub pœnis a dicto Concilio interminatis.

CAPUT III.

In omnibus & singulis examinis interrogationibus, non solum consideretur examinandi scientia, sed etiam usus, ingenium, judicium & solertia.

CAPUT IV.

Nullus Examinator examinandum commendet Collegæ suo.

CAPUT V.

Cautio sedula fit, ne alterius nomine quis examen subeat, & Examinatores decipiat.

TITULUS XXV.

De Synodo Diœcesana.

SCiant omnia Capitula & Monasteria exempta, vel exemptionem prætendentia se ad Statuta Diœcesana observanda teneri juxta resolutionem sacræ Congregationis super *Cap.* 2. *Sess.* 24. *de Reform.*

Declaramus nihilominus Nos per præmissa Statuta non intendere derogare aut præjudicare authoritati Regiæ Suæ Majestatis, & juribus illi quoquo modo competentibus, neque privilegiis aut exemptionibus, seu possessionibus subditorum ejus tam Ecclesiasticorum, etiam Regularium, quam Laicorum, si quas habent, & notanter eorum, qui hactenus se opposuerunt, & in futurum se opponere volent.

Decreta & legitime publicata sunt hæc Statuta Synodi præsente præcipuo totius Diœcesis Clero, qui interrogatus: *An nomine suo placeret illa per Secretarios Synodi subsignari pro majori eorum confirmatione*, respondit: *Placet.* Namurci die 6. Maji 1659.

Absoluta Synodo, Episcopus pronuntiavit sequens Decretum.

AD laudem Omnipotentis DEI, Beatissimæque Virginis MARIÆ & S. ALBANI Patroni nostri, decernimus Synodum dimissam, ac proinde cuique licitum esse, redire ad proprias Ecclesias. Hortamur autem vos, Fratres charissimi, ut tales vos præbeatis in ministeriis vestris, qualis decet viros ab omni mundanorum cura segregatos, illudque maxime, cum redieritis, præstandum erit, ut populus omnis vos ab hac Synodo non mediocrem fructum reportasse intelligat, id fiet, si novo Sancti Spiritus lumine illustrati, quæ magna vis Synodorum, ac virtus est, cæteris in omni opere vestro prælucere studueritis, & in omni parte officii vestri omnem diligentiam adhibueritis.

His peractis, factæ sunt acclamationes per Secretarium Synodi, Scholæ Cantorum, illi respondente cantu musico uti sequitur;

DEO Patri misericordiarum, & DEO totius consolationis, & gratiæ omnis laus & gloria in sæcula sæculorum,

℞. *Amen, amen, amen.*

Beatissimo Domino nostro, D. ALEXANDRO, Sanctæ & universalis Ecclesiæ Pontifici, Christiani nominis in omnes terrarum partes Propagatori, cunctarum gentium obedientia, pax vera, diuturna prosperitas.

℞. *Domine DEUS, Sanctissimum Patrem nostrum Ecclesiæ tuæ conserva, mitte ei auxilium de Sancto; ut eo gubernante gentes omnes illuminentur, & quæ dispersæ sunt, in unum Ecclesiæ tuæ ovile colligantur.*

Reverendissimo Domino nostro Episcopo hujus Synodi Præsuli, ejusque Ministris, salutaris vigilantia, in laboribus constantia & falix exitus.

℞.

℟. *Omnipotens DEUS, super Antistitem nostrum benedictionis tuæ dona multiplica.*

Totius Synodi Clero, ejusque Conventui pacem, concordiam, & gratiam a Domino.

℟. *Pacem, concordiam & gratiam nobis Dominus concedat.*

PHILIPPO, Regi Catholico, Religionis zelus, justitiæ & pacis fæcunditas, & contra Christianæ Fidei hostes victoria.

℟. *Quæsumus Omnipotens DEUS, ut Rex noster, qui tua miseratione suscepit Regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus, ad te, qui via, veritas & vita es, gratiosus valeat pervenire.*

Civitati & Diœcesi Namurcensi tranquillitas, salus, & Divinarum rerum abundantia.

℟. *Benedic Domine filios tuos, & esto in circuitu populi tui ex hoc nunc & usque in sæculum.*

Decretorum hujus Diœcesis observantiam salutarem omnes, qui hic adsumus, unanimi voto a Deo bonorum omnium largitore humiliter imploremus, intercedente Deipara Virgine MARIA, Domina nostra, cum Beatis Apostolis Petro & Paulo, ac Patrono Ecclesiæ nostræ Albano, & omnibus Sanctis.

℟. *Fiat, fiat. Amen.*

Absolutis acclamationibus celebratæ sunt Laudes Venerabilis Sacramenti, & post illas facta est Processio generalis, & in iis comparuit Capitulum Cathedrale cappis pretiosis indutum.

Abbates tam mitrati, quam alii, quibus peda sua præferebantur per Capellanos suos, etiam cappis ornati, Deputati Ecclesiarum Collegiatarum, Archi-Presbyteri, Pastores & alii superpelliciis & stolis induti, Proceres & alii Titulares cum reliquo Clero, post reditum cantatum est *Te Deum laudamus*, cum Collectis in gratiarum actionem, & deinde per Diaconum dictum est: *Recedamus in pace.*

℟. *In nomine Christi. Amen.*

Acta sunt hæc in Ecclesia Cathedrali S. Albani Namurci die sexta Maji 1659.

BLONDEAU *Synodi Secret.*

DE ZUERENDONCQ, *Secret.*

Sequitur

Taxa Jurium Funeralium Civitatis & Comitatus Namurcensis.

De qua fit mentio Tit. De Sepulturis. *Art.* 7.

1. ARchi-Presbyter Civitatensis celebrat ordinarie Missam defunctorum Nobilium, & eorum, quorum feretris e domo mortuaria arma (vulgo *Blason*) ad Ecclesiam præferuntur, aut in Ecclesia proponuntur, & habet pro juribus suis octo florenos, duo ejus Assistentes singuli sexdecim stuferos. Pastor loci pro Vigiliis & conductu sine Missa septem florenos cum medio, e quibus ipse sibi retinebit quinque florenos, Diaconus & Subdiaconus singuli quindecim stuferos & Matricularius viginti.

2. Choristæ cappis induti singuli decem stuferos.

3. Si domus mortuaria voluerit adhibere Musicos, dabit illis, prout convenerit.

4. In Exequiis ditiorum seu honoratiorum, si intra Chori cancellos sepeliantur, habebit Pastor sex florenos, Diaconus & Subdiaconus singuli sexdecim stuferos, Matricularius triginta duos.

5. In Exequiis eorum, qui intra Ecclesiam extra cancellos sepelientur, habebit Pastor quatuor florenos sexdecim stuferos, Diaconus & Subdiaconus singuli duodecim, Matricularius viginti quatuor.

6. Qui in cœmiterio sepelientur, dabunt Pastori triginta stuferos, Diacono & Subdiacono singulis octo stuferos, Matriculario quatuordecim.

7. Qui extra Parochiam sepelientur, non dabunt, nisi jura simplicia, & ordinaria juxta taxam & qualitates supra scriptas, sed pro commeatu addent Pastori viginti quatuor stuferos, Matriculario sexdecim, Diacono & Subdiacono singulis decem.

8. Famuli, ancillæ, operarii, solvent universim quadraginta asses.

9. Juvenes capaces Sacramentorum Eucharistiæ & Extremæ Unctionis, solvent

ſolvent duas tertias jurium adultorum, niſi facti ſint ſui juris, quo caſu integra ſolvent.

10. Si infra duodecimum ætatis annum moriantur, ſolvent dimidiata jura.

11. Parochiani extra ſuam Parochiam decedentes, ſolvent ut *Art.* 7.

De Candelis & Luminaribus.

12. Candelæ in Altari accenſæ tempore Vigiliarum & Miſſæ poſſunt eſſe tam exigui ponderis, quam quis volet, & illæ cedent mediatim Paſtori, mediatim fabricæ.

13. Ex candelis tempore Vigiliarum accenſis ad feretrum, nihil habebit Paſtor aut Matricularius.

14. E candelis in aliis Altaribus accenſis tempore Exequiarum, nihil habebit Paſtor.

15. In Miſſis Angelorum (ſi quæ fient) pro parvulis, habebunt Paſtor & fabrica reſpective medietatem candelarum Altaris.

16. Si faces feretris apponantur, nihil ex illis cedet Paſtori, ſed videtur æquum, ut Eccleſia pro honorando Venerabili Sacramento duas habeat, ſicut in aliis locis. Interim hoc relinquitur arbitrio hæredum vel parentum.

17. Oblationes cedent Paſtori.

De Miſſis quadragenis & Anniverſariis primis.

18. Pro Quadragena & Anniverſario primo (quod *Bout de l'an* vocant) Paſtor & alii habebunt dimidiata jura Exequiarum.

De Miſſa Angelorum.

19. Pro Miſſis Angelorum, quæ ſunt arbitrariæ in funeribus Nobilium, & aliorum intra ſeptennium defunctorum & inhumatorum intra cancellos Chori, ſolventur dimidiata jura ante taxata, quæ etiam ſervient pro illis, qui intra Eccleſiam, pro honeſtioribus, & aliis, qui in cœmiterio, & qui extra Parochiam.

20. Si Paſtor curet celebrari per alium, ipſe ex portione ſua ſolvet Celebranti.

Jus Sepulturæ.

21. Si quis intra cancellos Chori inhumari deſideret, & habere locum ſeparatum, in quo nemo alius ſepeliri poſſit, & ſuper eo velit imponi lapidem monumenti, ſolvet pro eo ſemel fabricæ viginti quatuor florenos, qui vero in Eccleſia, ſolvet ejus dimidium.

22. Quando quis ex illius hæredibus morietur, dabit pro apertura terræ, ſi intra Chorum, quatuor florenos, ſi extra Chorum, tres.

23. Pro parvulis dabitur unus florenus, quando in Eccleſia, & octo ſtuferi, quando in cœmiterio.

24. Quando ſepelietur quis extra Parochiam, nihil dabitur pro jure terræ.

25. Pro panno per quadragenam appenſo Altari principali, & alio appenſo feretro intra cancellos Chori exiſtenti, dabitur Paſtori ſemel ſumma octo florenorum.

26. Pro panno feretro appenſo extra Chorum in Eccleſia, dabitur Matriculario ſumma quinque florenorum.

27. Relinquitur arbitrio hæredum diſponere reſtantiis candelarum feretri.

De ſonitu Campanarum.

28. In Eccleſia Collegiata B. MARIÆ pro ſonitu campanarum in ſingulas pauſas, ſolventur (ſi majores pulſentur) decem ſtuferi, ſi minores, ſex. In aliis Eccleſiis Parochialibus ſolventur ſex Matriculario, qui eas dividet, uti hactenus.

Taxa funerum ruralium.

29. Quoad funera Nobilium, divitum mediocrium & operariorum, ac parvulorum, jura Decanorum, Paſtorum, Matriculariorum, eadem quæ in Civitate.

Pro ſonitu Campanarum.

30. Habebunt pulſatores in ſingulas pauſas tres aſſes.

31. Finaliter in caſum, quo ſuper ſtatu & conditione ſeu qualitate perſonæ oriretur controverſia, ejus deciſio remittetur ad Concilium Provinciale.

Catalogus opinionum,

Quarum praxim Epiſcopus Namurcenſis interdicit Confeſſariis ſuæ Diœceſis, ut in Tit. De Sacramento Pœnitentiæ, *donec a S. Sede aliter ordinatum fuerit.*

1. LIcet Sacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſos, ratione

tione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ Festivitatis, vel Indulgentiæ.

2. In rigore loquendo videtur, quod homo non teneatur unquam per totam vitam suam elicere actum amoris Dei.

3. Voluptates sensuum licite appeti posse propter se.

4. Nonnisi veniale peccatum est alterius famam sibi noxiam falso crimine elidere.

5. Famuli & famulæ domesticæ possunt occulte heris surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

6. Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando per temporale fit solum compensatio gratuita pro spirituali, vel econtra. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis; sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

7. Quidam putant probabiliter nondum animato fœtu licere abortum ad vitandum scandalum aut mortem procurare, ex quo apparet non condemnandam facile puellam abortum facientem, cum nondum est animatus fœtus, ne deprehensa gravida, occidatur aut diffametur.

8. Nemo tenetur occasionem proximam peccati vitare cum magno sui detrimento, unde nec concubinarius tenebitur dimittere concubinam, quæ ipsi nimis utilis est ad lucrandum bona temporalia, media negotiatione, vel etiam ad oblectamentum concubinarii, dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio afficerent concubinarium; & alia famula ad id nimis difficile inveniretur.

9. Licere pœnitenti confitenti suo Confessario, quem crederet non daturum absolutionem, si fateretur consuetudinem peccandi, æquivocare, & negare consuetudinem cum ista clausula, ut tibi confitear.

10. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis gratia, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam diem ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud addititium verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

11. Famuli comitantes Dominum noctu, vel die ad domum concubinæ, qui sine eorum societate eo non iret, vel ferunt internuntia, vel literas, vel referunt hinc inde horam ad peccandum, vel faciunt excubias, vel custodiam, dum simul cum concubina, vel altera committit peccatum, absolvi non possunt, si consentiant in peccatum Dominorum, secus si id fieret propter temporalem commoditatem.

12. Cedentem turpiter bonis posse pro se & familia sua tuto retinere in fraudem creditorum, quantum sufficit, ne indecore vivat, licet debita, pro quibus cedit, sint ex injustitia & notorio delicto contracta.

13. In causa æquali potest Judex aliquid ab una partium accipere, ut sententiam in ejus favorem ferat.

14. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis Celebrantibus audit.

15. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, aut temporali nostro, vel proximi.

16. Non est nisi veniale, etiam absque utilitate cibo & potu usque ad vomitum se ingurgitare, nisi ex hujusmodi vomitibus gravia valetudini incommoda oriantur.

17. Neque ad culpam, neque ad pœnam homicidii condemnandus est occidens eum, qui injuste aggreditur, usurpare rem, quæ est valoris unius aurei, vel minoris.

Collata cum suo originali concordant.

B. DE ROBIANO.

EPISTOLA Paſtoralis

CHRISTOPHORI BERNARDI a GALEN, Monaſt. Epiſcopi, ad Archi-Diaconos Monaſterienſes;

DATA

Anno Chriſti MDCLX.

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, S. R. IMP. PRINCEPS &c. &c.

HUmanarum rerum ea conditio eſt & natura, ut etiam, quæ optime ſancita & conſtituta ſunt, partim hominum imbecillitate & ad malum proclivitate, partim Dœmonis aſtutia paulatim deficiant, & niſi cura pervigili ſuſtententur, non tantum exiguus optimarum legum ſit effectus, ſed & ſubinde jamtum erigi & emendari cœpta in deterius prolabantur.

Et quidem Nos pro impoſiti Epiſcopalis Officii ratione, non tantum in Synodo majore, ſed & aliis, quæ eandem præceſſerunt, & uſque huc ſubſecutæ ſunt, nihil eorum in Decretis Synodalibus noſtra authoritate & de conſilio Rdi noſtri Capituli Cathedralis publicatis omittendum duximus, aut omiſſum judicamus, quæ ad vitæ, morumque diſciplinam in Clero & populo, bellorum injuria nonnihil perturbatam, in melius reſtituendam, ac deinceps confirmandam, imo & propagandam efficaciter conducere arbitrabamur, paterne ſperantes, fore ut animarum a DEO Nobis commiſſarum ſaluti, ad ejuſdem DEI gloriam, & ſolius ſalvificæ Religionis Catholicæ exaltationem cum certa optati ſucceſſus ſpe conſuleremus, dummodo ex morum innovatione & pietatis incremento, obedientia Superiorum decretis debita, & noſtram aſſequeretur intentionem, & compenſaret laborem, nec ullus pœnis contra delinquentes locus relinqueretur.

Exſpectavimus hucuſque Archi-Diaconorum, quos Nobis ceu oculos Mater Eccleſia, & Canonum, Conciliorumque providentia adjunxit, Relationes, tam ex præſcripto S. Concilii Tridentini, quam Synodalibus noſtris Conſtitutionibus impoſitas, quibus & Nos de ſtatu Eccleſiarum, Cleri, & animarum informaremur, & informati univerſalem Paſtorem S. Pontificem, prout tenemur, de ovium noſtrarum profectu ſuo tempore in Domino lætificaremus, ſed indignamur juſte, aut ſaltem ex corde dolemus in re tam ſeria & neceſſaria Archi-Diaconorum aut Commiſſariorum paritionem & diligentiam deſiderari.

Hinc eſt, quod iiſdem per præſentes ſerio mandamus, & eoſdem per meritum ſalutaris obedientiæ in Domino requirimus, ut ante Synodum proximam autumnalem Decretis noſtris parituri, Nobis, aut Vicario noſtro in Spiritualibus Generali relationes ſuas plene juxta ac mature exhibeant, contra negligentes aut contumaces arbitrariam pœnam Nobis reſervantes.

Archi-Diaconorum erit attendere, ne nominatus aliquis Paſtor ad inveſtituram admittatur, niſi prius ad examen pro cura perſonam ſuam ſtiterit, & qualificationis & approbationis ſuæ teſtimonium a noſtro in Spiritualibus Vicario debite obtinuerit, quo obtento, teneatur ipſe Paſtor poſt ſex ſeptimanas a die obitus Prædeceſſoris annum gratiæ erga ſalarium juxta Decreta Synodalia taxandum, deſervire.

Similiter obligatos volumus Executores & hæredes defunctorum Paſtorum, ut infra ſex ſeptimanas domum dotis evacuent, liberamque Succeſſori habitationem cedant.

Paſtores, qui domum dotis, dum viverent, ſartam tectam non ſervarunt, vel non inhabitarunt, & ſic non inhabitando ruinæ aut ruinæ cauſam dederunt, teneantur in vivis aut poſt mortem ex relictis qualitercunque bonis negligentiam & damnum ſupplere, pro eo ſaltem modo & parte, prout in vivis obligati ſunt, vel fuiſſent.

Paſtoribus nullatenus permittatur extra domum dotis aliam habitationem eligere, niſi cauſa cognita aliud concedendum pro tempore & ad tempus videatur. Ubi bellorum injuria domus Paſtorales combuſtæ ſunt, adeoque præter areas nihil reſtat, volumus & clementiſſime mandamus, ut cum conſilio noſtrorum Officiatorum & Dominorum Proprietariorum de reædificanda domo dotis cum Parochianis prudenter, ſerio tamen aliquid concludatur.

Inter

Inter cætera, quorum cura Archi-Diaconis severe & singulariter est commissa, merito numeramus præ omnibus Lectionem Catecheticam, & quia fere gravior culpa residet penes Pastores aut Sacellanos, quam Parochianos, procedatur contra negligentes singulis vicibus ad mulctam quatuor librarum ceræ, si medio anno neglexerint, ad suspensionem, si anno integro, ad privationem, cum intolerabilis & nimis damnosa sit in re tam gravi, & a qua animarum plurimarum salus dependet, negligentia.

Exigatur a Pastoribus, qui de vita dissolutiori antehac notam contraxerunt, scedula ultimæ & penultimæ confessionis factæ apud Confessarium, Nostra & Superiorum authoritate approbatum.

Quæ de cauponibus sæpius ordinata & publicata sunt, ut scilicet sub Missarum solemnibus & Concione Parochiali a compotationibus abstineatur, volumus etiam extendi ad horam, dum post meridiem Lectio Catechetica habebitur.

Patres & Matres familias si non ad minus semel singulis mensibus ad istam lectionem suos sive filios, sive domesticos, etiam maturæ ætatis, vices circa personas suæ familiæ alternando miserint, puniantur pœna arbitraria, idemque observetur circa illos, quibus propter simplicitatem instructio Christiana est necessaria; excusabuntur tamen illi, qui mane Divinis Officiis ex præcepto Ecclesiæ astiterunt.

Ad solemnizandum Matrimonium simpliciores non admittantur a Parochis, nisi prius examinati, de iis respondendo satisfecerint, quæ necessitate medii omnibus ad salutem scitu sunt necessaria; prout antehac idem in Synodis superioribus ordinatum & demandatum esse meminerint.

Cum Rustici tanquam rudes Religionem, & gravitatem corporalis juramenti vix satis dignoscant, tutius videtur, ut testes Synodales non ad formale juramentum, conceptis verbis emittendum obligentur, sed sufficere posset eos in vim juramenti obligari.

Abbatissæ aut Prælatæ jus præsentandi ad Archi-Diaconatus habentes, habeant suos Commissarios viros Ecclesiasticos & Sacerdotes probatos, per quos jurisdictio Archi-Diaconalis, præsertim si contra Clericos procedendum sit, administretur. Sin secus factum fuerit, quicquid immediate ab iis in publica Synodo, vel processu contra Clericos attentatum fuerit, careat omni robore & effectu, & in pœnam, inquisitio ad Nos, aut Vicarium nostrum devolvatur.

Allaboretur ab Archi-Diaconis, quantum quidem fieri potest, ut in proxima Visitatione Archi-Diaconali formetur taxa singulorum Pastoratuum & Beneficiorum, & quantum communiter ex quibusvis bonis & obventionibus annuatim percipi possit, designetur. Judicamus enim clementissime posse talem informationem deinceps servire ad determinandam intricatissimam, & a pluribus annis ventilatam de annis gratiæ quæstionem.

Monemus, & in Domino præcipimus Superioribus Religiosorum, præsertim Mendicantium, ut ad eleemosynam colligendam, pro Terminariis, illi sive Patres Sacerdotes, sive Fratres laici deputentur, de quibus verisimiliter, imo certe sibi promittere possint, ex eorum conversatione nihil scandali aut sinistræ existimationis in plebe aut simplicioribus oriturum, habita semper prudenti consideratione, ne Pastoribus locorum nimis onerosi deprehendantur.

Abstineant a Monialium confessionibus excipiendis, nisi specialiter ad id aut a Nobis commissionem habeant, aut examine prævio admissi & singulariter approbati sint, eo salvo, nisi ab ordinariis Monialium Confessariis vel Commissariis ter in anno juxta S. Conc. Trid. Decretum, vel alias, propter incidentem ex re nata necessitatem, cum licentia speciali, idque pro ista vice tantum requirantur.

Ad deserviendos annos gratiæ non adhibeantur Religiosi, nisi consensum nostrum, aut Vicarii Generalis in Spiritualibus in scripto impetrarint, & eo impetrato ad contestandum zelum promovendæ salutis animarum, aliosque suo exemplo excitandos solicite Lectiones Catecheticas diebus Dominicis instituant, & successive continuent, frequentiore usum Sanctissimorum Sacramentorum efficaciter inculcantes.

Cæterum omni meliori modo innovantes, & per expressum confirmantes omnia & singula, quæ & a Nobis, & a Prædecessoribus nostris in Synodis superioribus ordinata, publicata, & demandata sunt; Hæc etiam, quæ ex præsenti pagina modo prælecta, vobis omnibus & singulis retinenda, observanda, & inviolabiliter custodienda, authoritate Episcopali a Deo accepta, serio demandamus, majoris meriti messem, si obedientissime parueritis, vobis ostendentes, quam Nobis ipsis, qui pro salute vestra invigilantes, hæc duximus præcipienda. Valete in Domino JESU dilecti Fratres & Filii, Nosque, qui cum hoc Benedictionem Episcopalem vobis impertimur, & intentiones nostras, Ecclesiæ, Imperii ac Patriæ bonum

bonum ſpectantes, precibus & Sacrificiis veſtris ſedulo adjuvare & promovete. Signatum in Caſtro noſtro S. Ludgeri anno 1660. die ſecunda menſis Martii.

Chriſtophorus Bernardus mpp.

(L.S.)

Publicata ſunt in Synodo Quadrageſimali.



SYNODUS TORNACENSIS

Eodem anno Chriſti MDCLX. Alexandri VII. PP. VI. Leopoldi I. Imp. II.

ACTA in CONGREGATIONE

QUÆ VULGARITER NUNCUPATUR *SYNODUS*, ET HABERI SOLET QUOLIBET ANNO, TORNACENSI IN PALATIO EPISCOPALI FERIA III. POST DOMINICAM *MISERICORDIA DOMINI*, SICUTI ET HOC ANNO MDCLX. MARTIS XIII. APRILIS EADEM FERIA TERTIA.

Præſidente Illmo & Revmo Domino FRANCISCO VILLANI a GANDAVO, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Tornacenſi.

Aſſiſtentibus ſibi RR. Admodum DD. Andrea Catulle, *Presbytero J. U. L. Archi-Diacono majori & Vicario Generali in Spiritualibus & Temporalibus ejusdem Illmi & Rmi Domini Epiſcopi præfati. Item* Gregorio Ignatio Coxce, *Presbytero, J. U. L. Canonico & Theſaurario ejusdem Cathedr. Eccleſiæ.* Matthia Navæo, *S. Th. Doct. Can. Cathedr.* Petro Mazureel, *J. U. L. Can. Cathedr.* Jacobo Dalman, *Pœnitentiario, Can. Cathed.* Nicaſio le Febve, *J. U. L. Can. & Officiali.* Petro Lakier, & Joanne de Warignies, *reſpective Abbatibus S. Martini, Ord. S. Benedicti, & S. Medardi, vulgo S. Marci, Ord. Can. Regul. S. Auguſtini Civitatis & Diœceſis Tornacenſis.* † Petro van Cautere, *J. U. L. Præpoſito Inſignis Eccleſiæ Harlebecenſis.* Joanne Lys, *Eccleſiæ Collegiatæ Cort. Decano. RR. DD.* Cornelio du Ranel, *Paſtore S. Margaritæ, S. T. B. F. Decano Chriſtian. Torn.* Nicolao Lamberti, *S. T. L. Paſtore S. Mauritii, Decano Chriſtianit. Inſ.* Leonardo Schaerts, *Paſtore S. Martini, Decano Chriſtianit. Cortracenſis.* Franciſco Martin, *Paſtore in Henvelin, Decano Chriſtian. Seclinienſis.* Joanne Everardo Leſſio, *S. T. L. Paſtore in Celle, Decano Chriſtianit. S. Amandi.* Joanne d'Haveloose, *Paſtore & Decano Chriſtianitatis Menennenſis.* Jacobo de le Ruë, *S. T. B. Paſtore S. Geneſii, & Decano Chriſtianitatis Helchimenſis Flandrorum.* Joanne Prus, *S. Th. L. Paſtore in Robaix, Decano Chriſtian. Helch. Gallorum.* Judoco Ignatio Ranſt, *J. U. L. Secretario.* Petro del Ruë, *J. U. L. Advocato Fiſc.* Petro Villers, *Scriba Curiæ Spiritualis.* Joachimo Bukelaere, & Petro Bertrand, *Diſtrictus reſpective Flandriæ & Walloniæ Promotoribus.*

Circa horam octavam matutinam per Illuſtr. & Rev. D. FRANCISCUM VILLANI A GANDAVO, Epiſcopum Tornacenſem, fuit celebratum Sacrum de Spiritu Sancto, in Capella Epiſcopali ſive S. Vincentii, pro hujus Congregationis proſperitate & felici ſucceſſu ibidem agendorum.

Quo Sacro finito, idem Revmus Dominus ſe recepit ad Aulam Palatii una cum Aſſiſtentibus, in qua ſolet haberi Congregatio, ibique in primis habuit Oratiunculam, qua præſentes & aſſiſtentes, nominatim Decanos Chriſtianitatis, ad procurandum animarum ſalutem & proponendum ea, quæ ad hanc rem faciunt, & ad Religionis Catholicæ propagationem adhortatus fuit.

Rev.

Rev. Adm. D. *Andreas Catulle* Archidiac. Tornac. [loco Archidiac. Flandriæ, cui de more solito hoc incumbit] legit *Cap.* 1. *de Residentia Conc. Trid. Sess.* 23.

Dominus *Nicasius le Febve*, Officialis, prælegit Acta Synodi sive Congregationis anni 1649. quæ fuit ultima, interrupta postmodum simili Congregatione ob bella & pericula viarum, in quibus milites passim grassabantur, laus DEO, quod pace hoc anno reddita & publicata inter duos Reges; hæc Congregatio fuerit resumpta.

ARTICULUS I.

Relecto Articulo, I, tractante de regulamento concipiendo super observatione Festorum, & communicatione desuper habenda cum Dominis de Magistratu hujus Civitatis, & aliorum, si opus est, Magistratuum; mandavit, ut conformiter (& quemadmodum factum esse intelligitur Bruxellis, & alibi) ad tenorem dicti Articuli peteretur communicatio cum præfatis Dominis de Magistratu hujus Civitatis, & casu quo Domini præfati differrent diutius, vel recusarent inire hujusmodi communicationem, & ad eos fines per suos Deputatos comparere in Palatio Episcopali, prout ab immemoriali tempore fieri consuevit, habeatur Recursus per modum querelæ ad Regem, seu ejus Concilium privatum.

II.

Ordinamus revideri instructiones, quæ alias conceptæ & impressæ fuerunt pro Confessariis jam admissis, & imposterum admittendis, in quibus habeatur ratio Bullæ GREG. XV. & conferantur cum instructionibus, quæ in aliis Episcopatibus desuper datæ sunt: quod onus in se suscepit Dominus *Matthias Navæus*, Doctor & Canonicus Theologalis, ita ut deinceps quæcumque facultates ad confessiones audiendas non concedantur, neque scribantur, nisi in calce dictarum instructionum, quas mandamus imprimi competenti numero statim atque per Nos approbatæ fuerint, totumque, si fieri potest, infra Festum Pentecostes proximum executioni demandetur.

III.

Quia vero per relationes veridicas Nobis pridem constitit & constat, quod Prætores, seu Ballivi cum Scabinis, conniventibus etiam Pastoribus quibusdam, & Æditiuis, & Provisoribus mensæ pauperum durante præterita bellorum tempestate non sine sacrilegio insumpserint & diverterint denarios nummos & reditus annuos Ecclesiæ & pauperum, solutionibus gabellarum, seu expensarum communium pagi applicare attentarunt; mandamus, ut Pastores quilibet in suis pagis diligenter inquirant circa hujusmodi abusus, atque etiam circa omnes Æditiuos & Administratores, qui computus non reddiderunt, vel computu reddito manserunt, & manent debitores, Nobisque declarationem in proxima visitatione per Nos, vel per Vicarium nostrum facienda scripto consignent, ut ad restitutionem male impensorum, nec non solutionem debitorum, etiam implorato brachii sæcularis auxilio, compellantur.

IV.

Cum alias in Congregatione seu Synodo anni 1649. Art. II. salubriter constitutum fuit ob deperdita in pluribus Ecclesiis Parochialibus registra Baptizatorum & Matrimonio junctorum, ut Pastores conficerent singulis annis parvulum registrum (expensis nempe a mensa Parochiali desumptis) in quo Baptizati & Matrimonio juncti describerentur, illudque tradere curarent Decanis Christianitatis in annua Congregatione Pastorum post Pascha facienda, & Decani ea parvula registra ad Nos tuto remitterent in Archivis Episcopatus conservanda & retinenda, & nihilominus iidem Pastores aliud registrum majus in folio, vel saltem in semifolio in Arca rite clausa asservarent, quod tamen hucusque a plerisque Pastoribus neglectum est, ordinamus & districte præcipimus illud omnino ab omnibus Pastoribus fieri & observari sub pœna, quod defectuosus pœna 6. florenorum mulctabitur, & non obstante mulcta, quæ sine dissimulatione a Decanis loci exigetur, iidem Pastores via juris ad supplendum isto anno defectum infra mensem a dicta Congregatione computandum, per Pro-

motorem ad Decanorum querelam & denuntiationem sub pœna alterius libræ grossorum compellantur & cogantur.

V.

Cum laudabile sit veterem & ab antiquo gestari solitum Religionis habitum, constanter & religiose retinere, hinc est, quod prohibendum duximus & prohibemus stricte, ne quis Regularium, Monialium, etiam Hospitalariarum, seu alterius cujuscumque Instituti, vestem seu habitum suum Religionis vel quoad formam, vel quoad materiam innovet aut mutet, addendo vel tollendo aliquid, sine nostra in scriptis licentia, mandando Directoribus & Administratoribus Monasteriorum & Hospitalium, ut singulariter ad hoc invigilent, ac Nobis fideliter & sine mora deferant, ad hujusmodi abusibus occurrendum pœna juris ac alia arbitraria, ad quas sine dissimulatione contra Nobis subjectos authoritate quidem ordinaria, contra exemptos potestate Nobis in hac parte delegata quantocius procedemus.

VI.

Mandamus, ut Decani Christianitatis & Pastores Ecclesiarum Parochialium, præsertim in Civitate Tornacensi, oppidis Insulensi & Cortracensi, & alibi diligenter invigilent, an exteri ex locis hæresi infectis venientes non permittant in ædibus suis fieri conventicula, quæ vocant *Prechias*, habeant vel distribuant libros vetitos, seu alia scandala committant, aut etiam alios pervertere conentur in præjudicium Orthodoxæ Fidei; maxime cum placuerit Regiæ Suæ Majestati pro suo in Fidem Catholicam zelo quoad eos præscribere modum & ordinem tum per Edictum anni 1609. ac literas ad Nos, & alios Episcopos nuper directas, quibus Officialem nostrum sese conformare absolute volumus & mandamus.

VII.

Item curent etiam Decani Christianitatis, ut Bibliopolæ & Ludimagistri renovent singulis annis in manibus suis Fidei professionem, nec non visitent Officinas Bibliopolarum, an non habeant libros prohibitos, sicuti & in auctionibus publicis librorum: & casu quo repererint tales, eos per modum sequestri retineant, & ad Nos transmittant: quales sunt Scripturæ & Bibliorum vernacula lingua traducti, & denique, quoties Bibliopolæ recipiunt sarcinas librorum, eas aperiant præsentibus, si opus est, librorum Censoribus.

VIII.

Injungimus denuo, ut alias & omnino stricte Archi-Diaconis & Decanis Christianitatis, ut singulis annis in suis visitationibus diligenter inquirant super negligentia Pastorum, qui defectuosi sunt in catechizando, non obstantibus tot admonitionibus desuper factis, sicuti idem mandamus Promotoribus, ut eos sine connivenția procurent citari, & puniri pœnis per Prædecessores nostros statutis, quas hic renovamus, scilicet sub pœna trium florenorum pro prima vice, pro secunda sex florenorum, & postea sub pœna privationis ab administratione fructuum absque ulla dissimulatione per Officialem nostrum mulctari procurent. Qui quidem Promotores qualibet Feria sexta Quatuor temporum teneantur Nobis, seu Vicario nostro Generali & dictis Archi-Diaconis tradere nomina hujusmodi Pastorum, qui ob istam negligentiam citati & notati fuerunt, sub pœna, quod ipsimet Promotores pœnam pecuniariam trium florenorum incurrent, quam Dominus Sigillifer, seu ejus Clericus statim exiget, & insuper ad trimestre ab officio suspendentur, præcipiendo etiam Archi-Diaconis & Decanis Christianitatis, ut statim facta sua visitatione defectuosos hujusmodi Pastores Nobis denuntiare, & in scriptis tradere non omittant.

IX.

Vesperæ dierum Dominicorum & Festorum, quæ in quibusdam Parochiis belli tempore fuerunt omissæ, vel statim post Missam decantatæ, deinceps post meridiem circa horam secundam decantabuntur, sicuti & illæ, quæ in Sabbato & pridie majorum Solemnitatum celebrari consueverunt.

X.

X.

Mandamus quoque horas per Statuta Synodalia præfixas ad Missam Parochialem celebrandam, videlicet a Paschate usque ad festum S. Remigii circa octavam, & a festo S. Remigii usque ad Pascha circa nonam, imposterum servari sub pœna unius floreni, pro quolibet defectu.

XI.

Cum non sit toleranda quorundam Æditourum & Administratorum mensæ pauperum, sive etiam Quæstorum negligentia in computibus suis reddendis, qui jam pridem fuerunt neglecti, etiam connivente Pastore; ordinamus districte, ut Pastor serio invigilet & procuret assignari certum diem, intra quem hujusmodi computus reddantur, & defectuosi per mulctas pecuniarias bonorum, vel etiam corporis apprehensionem, adhibito & implorato Dominorum temporalium brachio sæculari, & in subsidium per pœnam excommunicationis a Domino nostro Officiali ferendam, ad id cogantur, sub quibus pœnis etiam volumus bona Ecclesiarum ac mensæ pauperum ob belli injuriam in contributiones, gabellas, & alias expensas ipsius pagi, vel ipsius communitatis conversa, a Prætoribus, vel Scabinis, vel ab iis, qui ad id obligantur vel tenentur, recuperari saltem intra biennium, vel citius, si fieri potest.

XII.

Cum deceat Clericos vestium honestate, & gravitate morum, vitæ integritatem testari, ordinamus denuo, (insequendo Conc. Trident. Statutum *Sess.* 14. *Cap.* 6. quod observari omnino desideramus) ut quisque Beneficiatus, præcipue Sacris Ordinibus initiati, ac maxime Sacerdotes vestem & coronam gestent Ordini congruentes, conformiter ad Statuta Synodalia Reverendiss. Domini piæ memoriæ Prædecessoris nostri, *Cap.* 15. *De Clericis in genere*, idque sub pœna pecuniaria pro arbitrio nostro ad pium usum applicanda, ac alia, si opus sit, graviore.

XIII.

Cum ex antiqua consuetudine hujus Diœcesis ad instantiam Magistratus oppidorum & urbium consueverint Episcopi dispensare super esu lacticiniorum tempore Quadragesimali, demptis Cinerum & Parasceves diebus, mandamus, ut Pastores, etiam rurales, id populo e suggestu ipso die Cinerum denuntiare non omittant, & ea conditione, ut quilibet de populo juxta facultates suas in recognitionem, sive commutationem dictæ dispensationis & gratiæ, aliquam eleemosynam Ecclesiæ Parochiali vel pauperibus elargiri obligetur.

XIV.

Item ex antiqua & pariter immemoriali consuetudine observatum extitit, ut expensæ faciendæ pro acquisitione campanarum, nec non refusione seu refectione, quando eas contingit, rumpi & effringi, sicuti etiam pro funibus & cordis, ac alias: ut expensis pagi seu communitati solvantur, & nullo modo ex mensa Ecclesiæ Parochialis vel pauperum desumantur, nisi ex speciali gratia id per Nos concessum fuerit, consentientibus Pastoribus & Æditius; mandamus, ut dicta consuetudo, tamquam rationabilis, exacte observetur.

XV.

Mandamus observari, & in quantum opus est, confirmamus & renovamus Statutum Synodale GUILBERTI DOGNI, Prædecessoris nostri Episcopi, *Cap.* 8. *Tit. De Parochis & eorum offic.* nempe, ut advigilent Pastores diligenter, si sui Parochiani singulis diebus Dominicis & Festivis Missæ Parochiali & Divinis intersint Officiis, & si quos tribus Dominicis continuis sine legitima causa se absentare cognoverint, ad Nos, nostramque Curiam deferant pro modo culpæ puniendos, juxta consuetudinem & ab omni immemoriali tempore in hac Diœcesi, & pluribus aliis Episcopatibus tam in Gallia, quam alibi observatam, non sine evidenti ratione & utilitate, quandoquidem multa publice in Ecclesia Parochiali denuntientur, quæ merito ab omnibus sciri debent: prout sunt bannorum denuntiationes, Festorum & jejuniorum dies, & alia magni momenti, quæ ad Fidem & salutem animarum necessaria sunt, unde ex negligentia Parochianorum frequen-

frequentandi ſuas Eccleſias Parochiales evenit, quod hujusmodi denuntiationes ſuo careant effectu, & impedimenta Matrimonii non aperiantur, immo & a multis jejunia negligantur, nec non plures, etiam adulti, ignorent ea præcepta, quæ ad Fidem & ſalutem neceſſaria ſunt & opportuna.

XVI.

Cum plurimum Sacerdotali detrahat dignitati, quod plurimi Sacerdotes inutiliter omnino vivant, ſic quidem, ut nonnulli etiam Miſſam non celebrent, ad quod ceſſante legitimo impedimento tenentur: ſed ſolummodo ter, quaterve in anno celebrare conſueverint, vel ſi quotidie celebrent, reliquum diei tempus colloquiis ad rem non pertinentibus, deambulationibus, frequentationibus tabernarum, ludis alearum, & vanis hujusmodi occupationibus impendant, ſicque ab omni literarum ſtudio, ſimulque a quovis orationis & pietatis exercitio penitus ſemoti vivunt, & inde in craſſam & intolerabilem deveniant ignorantiam; & ſibi & Eccleſiæ Dei inutiles reddantur, cui deſidiæ & malo otio ut remedium aliquod adhibeamus, mandamus, ut Decani Chriſtianitatis ſingulis annis ejusmodi deſidioſos & otioſos Sacerdotes ſiſtant coram Nobis, aut Vicario Generali, quando Nos in loco gratia viſitationis & alias eſſe continget, ad hoc ut ſuæ vitæ rationem quoad mores & temporis inſumptiones reddant, nec non examen ſuæ quoad doctrinam capacitatis ſubeant; & nominatim, qui inter tales Sacerdotes admiſſi ſunt ad confeſſiones audiendum: ad ſe ſiſtendum, ut ſupra moneantur, &, ſi opus eſt, cogantur. Si vero tales Sacerdotes bis, terve moniti nolint ſe ſe applicare alicui operi pio, v. g. in inſtructione juventutis, Catechiſmoque faciendo in Schola Dominicali, aut aliis Scholis: ſed continuent in vanis occupationibus, ludis, ſeu vita otioſa, mandamus eos citari ad Curiam noſtram, & per Dominum Officialem tanquam putrida membra extra reliquum corpus Sacerdotum noſtræ Diœceſis abſcindi, hoc eſt, extra Diœceſim relegari.

XVII.

Invigilent Decani Chriſtianitatis, an Sacerdotes & Eremitæ, qui plerumque inſtar locuſtarum vagantur per oppida, vel civitates, vel etiam pagos, ut ſtatim ad propria redire cogantur, obſerveturque Statutum alias deſuper editum ſub Revmo Domino Prædeceſſore noſtro anno 1643. *Tit.* 12. *Cap.* 12.

XVIII.

Inſuper declaramus Capellanos, ſive Sacerdotes domeſticos, habitantes in Caſtris Dominorum temporalium, ſubjici viſitationi Archi-Diaconorum & Decanorum Chriſtianitatis, non minus, quam quoscumque alios Presbyteros Nobis jure Ordinario ſubjectos, ſicuti & Oratoria in dictis caſtris exiſtentia pari modo & minus ſubjiciantur, quam Eccleſiæ Parochiales. Si vero contingat Dominos temporales, vel eorum Capellanos non velle admittere hujusmodi viſitationem, poſt monitionem a Nobis, vel Vicario noſtro Generali ſemel iterumque factam, volumus & decernimus, ut tales Capellani a Divinis in eodem loco ſuſpendantur, quamdiu ipſi, vel Domini temporales fuerint in hoc inobedientes, atque inſuper dicta Oratoria interdicto Eccleſiaſtico ſubjici, ita ut non liceat per alios quoscumque Sacerdotes, etiam Regulares, ibidem celebrari ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, vel etiam incarcerationis ſuarum perſonarum, de quo dicti Domini temporales per ipſum Viſitatorem, ſeu Archi-Diaconum, ſeu Decanum Chriſtianitatis moneantur.

XIX.

Volentes rigoroſe obſervari ſacros Canones de Baptiſmo, prohibemus iterum, uti alias, per Statuta Revmi Domini noſtri Prædeceſſoris prohibitum reperimus, ne quis extra Eccleſiam & ſine ſolemnitatibus in Manuali præſcriptis Sacramentum Baptiſmi conferre præſumat: ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis per trimeſtre, ac alia arbitraria, exceptis Regum, Principumque filiis, & caſu neceſſitatis (per quem intelligimus evidens periculum mortis infantis baptizandi) vel niſi ob rationabilem &

& justam causam animum nostrum ad id moventem, dispensandumque esse duceremus pro brevi aliquo termino, intra quem cæremonias præfatas in Ecclesia Parochiali & loco consueto adhiberi, & suppleri sub pari suspensionis ac alia arbitraria pœna ordinamus. Parentibus vero id differentibus, Pastor, qui prolem assecuravit, eos ad id monebit sine conniventia, & Nos, vel Vicarium nostrum hujusmodi suæ monitionis certiores reddet, alias uti hujus nostræ Ordinationis transgressor punietur.

XX.

Insequendo Decreta Conc. Trid. *Sess.* 24. *Cap.* 8. nominamus pro examine Pastorum eosdem, qui adhuc in vivis existunt, & nominati fuerunt in Synodo seu Congreg. annua per Nos habita 2. Septemb. an. 1648. loco vero RR. Admodum DD. Defunctorum, videlicet *Joannis Baptistæ Stratii*, dum viveret, Ecclesiæ Cathedralis Decani: *Gasparis van Lauretten*, Archid. majoris, vulgo Torn.: *Adriani Lamoraldi Villani a Gandavo*, Thesaurarii: *Godefridi Wendelini*, Excanonici & Officialis: *Cornelii van den Heyden*, tunc Pastoris Cortracensis, nunc in longinquis agentis; substituimus RR. DD. *Nicasium le Febve*, J. U. L. Officialem nostrum modernum: *Jacobum Brabant*, S. Theol. Lic. Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, & *Cornelium du Ranel*, etiam Theologum & Pastorem Ecclesiæ S. Margaritæ, Civitatis Tornacensis, & Tornacesii Decani Christianitatis.

XXI.

Deputati fuerunt Judices Synodales iidem, qui in dicta Synodo præcedenti, & in vivis existunt, loco vero defunctorum, vel alibi extra Civitatem & Diœcesim nostram Torn. residentium: substituti fuerunt RR. Admodum DD. *Ignatius Gregorius de Coxie*, J. U. L. Thesaur. & Canon. nostræ Cathed. Ecclesiæ: *Nicasius le Febve*, Off. qui supra: *Petrus de Gazier*, & *Joannes de Warignies*, respective Monasteriorum S. Martini, Ord. S. Benedicti, & S. Nicolai seu Medardi, vulgo S. Marci, Ord. Canonic. Regularium S. Augustini Civitatis & Diœcesis Tornacensis Abbates.

NOTATIO SCRIPTORIS

AD ANNUM CHRISTI MDCLX.

De Synodis aliis, ab Illmo & Revmo FRANCISCO GUILIELMO, Comite de Wartenberg, glor. mem. celebratis.

Post Synodum, quam dedimus, Osnabrugensem Majorem, Præside Illmo ac Revmo Principe D. FRANCISCO GUILIELMO, a. 1628. habitam, decem omnino & quatuor alias ab eodem Præsule celebratas reperio; quas inter Osnabrugenses octo ad illam, veluti cynosuram suam, plerumque respiciunt. Accedit, quod Acta singularum ipsa, Statutaque aut desiderentur, aut certe non, nisi mutila vel redacta in compendium existant. Quare satis me facturum puto, si, quo loco, quo anno ac die Synodi istæ prodierint, delibatis obiter rebus memoria dignioribus, ex laudata sæpius Kalcoviana editione paucis hic benevolo cum Lectore communicem.

Typo subjecimus Osnabrugenses præterea duas, anni 1629. alteram; alteram a. 1630. (*vide pagg.* 504. & 510.) quas idem dignissimus Antistes, ex Ss. Concilii Tridentini præscripto habuit. Conversus deinde ad cognoscendum *Verdensis* Diœcesis statum, eundemque, quibus mediis posset, pristinæ, unde per bellicos motus & heterodoxorum licentiam dejectus fuerat, integritati restituendum, Verdæ Synodum indixit, ubi non sine stupore in Ecclesia Cathedrali tres consecratas Hostias omnino integras, illæsasque, aliis non consecratis in lignea pyxide situ squalidis atque a vermibus corrosis, tum sacram thecam, seu Solem Eucharisticum, quam *Monstrantiam* dicimus, ex argento, aliaque vasa sacra, tumbam denique primorum istius Ecclesiæ Episcoporum, quod cum Pontificii vestitus partes, tum liber antiquissimus, fausto simul omine inventus testabantur, venerandas complectentem exuvias repererat. Quod sane admirationis habeat non parum; cum ab infelici mutatæ Religionis epocha intra ipsos tres & sexaginta annos tot belli fluctibus jactata civitas fuisset, aliumque per vices, cui parendum erat, obtinuisset Gubernatorem.

Indictam celebravit Synodum Celsissimus Princeps octava Maji, Sacris operante Cardicensi Episcopo ac Suffraganeo Paderbornensi Revmo D. Joanne Pelckingio, Ord. S. Francisci, & P. Augustino Turriano S. J. Orationem Synodicam habente, sub qua Prædicantes viginti circiter & quatuor cum Superintendente, ut vocant, comparuêre. Lecta post publicam Fidei professionem Synodalia Statuta, quæ inter primo promulgabantur Concilium Trid., Breviarium Rom. & Calendarium novum Gregorianum. Altero die, jussis emigrare Acatholicis, Catholicisque eorum loco Pastoribus ac Rectoribus Ecclesiarum designatis, hæc Synodus finem habuit die 8. Maji a. 1630.

Biennio post iisdem ferme *Mindensis* Ecclesiæ vulneribus eadem adplicuit medicamenta FRANCISCUS GUILIELMUS, promulgatam nimirum ante omnia Osnabrugensem Majorem Synodum, & Decreta quædam tam loco, quam tempori apta, solenni in Synodo die 15. Octobris publicata. *De Christiano, Duce Brunswicensi, quem Comes de Schawmburgh, Episcopus Catholicus, Coadjutorem sibi assumpserat, fors alibi erit disserendi locus.*

Synodo Hildesimensi a. 1633. die 25. Januarii celebratæ, atque a restitutis sub ea tempora Cœnobiis ac Parochiis comparentibus illustri, præfuit *FRANCISCUS* pro Maximiliano Henrico, Bavariæ Duce, adhuc minorenni, ceu *Commissarius*; Bonnensibus aliquot ab anno 1629. coactis, tanquam Præpositus & Archi-Diaconus Bonnensis; Ratisbonensi 5. Julii a. 1650. habitæ, ut ejusdem Ecclesiæ Episcopus; Pluribus postmodum Osnabrugi. Anno demum 1660. die 2. Aprilis, ad habendam iterum Ratisbonæ Synodum, Clero Literas dedit encyclicas, quarum exemplar profert *Cl. Lünig P. II. Spicil. Eccl. Cont. II. a pag.* 885.

SYNODUS TORNACENSIS

Anno Christi MDCLXI. Alexandri VII. Papæ VII. Leopoldi I. Imp. III.

CONSTITUTIONES

FACTÆ IN CONGREGATIONE, QUÆ VULGARITER NUNCUPATUR *SYNODUS*, ET HABERI SOLET QUOLIBET ANNO TORNACI IN PALATIO EPISCOPALI MARTIS FERIA III. POST DOMINICAM II. POST PASCHA, QUA CANTATUR IN ECCLESIA, *MISERICORDIA DOMINI*: EVOCATIS ALIQUOT DE CLERO PRÆCIPUIS DIŒCESIS TORNACENSIS, UNA CUM OMNIBUS DECANIS CHRISTIANITATIS, SICUTI ET HOC ANNO MDCLXI. MARTIS III. MAJI EADEM FERIA III.

Præsidente hoc anno, ob infirmitatem Illmi & Revmi D. FRANCISCI VILLANI a GANDAVO, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Tornacensis, ejus Vicario Generali in Spiritualibus & temporalibus R. Adm. D. ANDREA CATULLE, Presbytero, J. U. L. Archi-Diacono majori & Canonico Cathed. Torn.

Assistentibus RR. Admodum Dominis, Gregorio Ignatio Coxie, *Presbytero, J. U. L. Thesaurario, &c. &c.* (*Iisdem ferme, qui anno superiore.*)

Circa horam octavam matutinam per Rev. Adm. D. *Andream Catulle*, Vicarium Generalem Illmi & Revmi Domini, fuit celebratum Sacrum de Sacro Spiritu in Capella Episcopali, seu S. Vincentii, pro felici hujus Congregationis successu, ac ibidem proponendorum salutari resolutione.

Absoluto Sacro, idem Rev. Adm. Vicarius Generalis comitantibus præfatis Assistentibus recepit sese ad Aulam Palatii Episcopalis, in qua solet haberi Congregatio, ibique

ibique RR. Adm. DD. Aſſiſtentes Oratiuncula de more ad ſerio amplectendam curam animarum, earumque ſalutem procurandam in Domino fuit adhortatus.

Poſtea mandavit per Rev. Adm. D. *Coxie*, loco Archid. Flandriæ abſentis (qui hoc facere ſolet) legi Statutum *de onere Reſid. Seſſ.* 23. *Conc. Trid. Cap.* 1.

Rev. Adm. D. *Nicaſius le Febve*, Officialis, prælegit Acta Synodi præcedentis.

ARTICULUS I.

ORdinatum fuit, ut omnino mandetur executioni id, quod præcedenti Congregatione ſtatutum fuit circa obſervationem exactiorem Dominicorum & Feſtorum dierum, & circa ceſſationem ab operibus ſervilibus & mercaturis exercendis, præſertim in Civitatibus, ubi præcipue & cum majori ſcandalo violantur, officinis paſſim apertis. Ad quem finem alias Reverendiſſimus Dominus juſſit coram ſeipſo, aſſiſtentibus ſibi Archi-Diacono majore & Domino Officiali, invitari ad Palatium ſuum Epiſcopale aliquos a DD. de Magiſtratu Torn. deputandos, ut deſuper pro faciliori executione, communicatione ſimul habita, provideatur.

II.

Circa executionem Articuli præcedentis Synodi, quantum ad bona menſæ Parochialis & pauperum, & arrieragia debita, ipſoſque reditus in ſolutionem Gabellarum ſeu expenſarum communium pagi applicatos, ſive impenſos, ordinatum fuit, ut offeratur libellus ſupplex Suæ Majeſtati ſub nomine Decanorum Chriſtianitatis & Paſtorum hujus Diœceſis in Concilio ejus privato, quatenus dignetur Sua Majeſtas facere Edictum publicum ſive Decretum, quo mandetur Ballivis, ſeu Prætoribus & Scabinis, Ædituis & menſæ pauperum Proviſoribus ſeu Receptoribus, ut infra ſex menſes a die publicationis reddent computus more & forma conſuetis de ejuſmodi arieragiis & denariis, ut præfertur in utilitatem communitatis expenſis, ſicut etiam ad hoc, ut documenta quæcumque ad Eccleſias Parochiales & menſas pauperum pertinentia, quæ apud ſe detinent, vel alio tranſtulerunt, reſtituere, & in iſtis ad hoc deſtinatis in Eccleſiis reponere cogantur, ſub duabus clavibus: quarum una erit in manibus Paſtoris, alia in manibus Ædituorum & Proviſorum menſæ Sancti Spiritus ſive pauperum.

III.

Statutum fuit pro executione Art. IV. præcedentis Congregationis circa regiſtra Baptizatorum & Matrimonio junctorum, & circa parvulum regiſtrum conficiendum, & aliud regiſtrum majus in folio, ut omnino pœnæ ſtatutæ contra Paſtores negligentes defectuoſos in conficiendis ſimilibus regiſtris tam per Decanos Chriſtianitatis, quam Archi-Diaconos, jus viſitandi habentes, exigantur ſine diſſimulatione: quod quidem onus conficiendi ſimilia regiſtra, intelligitur impoſitum non ſolum Paſtoribus ruralibus, ſed etiam Civitatum & oppidorum.

IV.

Ex occaſione, quod Articulo V. præcedentis Synodi prohibitum, ſtricte reperitur, ne quis Regularium ac Monialium, etiam in Hoſpitalibus ſeu Noſocomiis & Xenodochiis, cujusvis Ordinis aut Inſtituti, veſtem ſeu habitum Religionis innovare aut mutare præſumant, ſine licentia ejuſmodi Revmi Domini Epiſcopi Diœceſani in ſcriptis obtenta, quod tamen etiam noviſſime factum eſt in plurimis locis: hinc etiam prohibetur Prioriſſis Hoſpitalium, ne ſibi nomen vel titulum ab antiquo attributum, v. g. Dominæ (vulgo *Madame*, aut Flandriæ *Mevrauwe*) arrogare præſumant: ſicut inhibemus omnibus Nobis ſubditis, ne eas publice ſic appellare vel in ſcriptis, ſeu libris annotare præſumant contra antiquam nuncupationem: *Dame prieuſe*, Flandriæ: *Vraw prieuſe*, præſertim, ſi ab immemoriali tempore titulo tali non fuerint inſignitæ. Quæ meminiſſe debent ſeſe ſatis magno honore inſigniri, dum ſunt & nuncupantur ſervæ & ancillæ pauperum ſeu membrorum Chriſti: cum & nomen iſtud *Madame*, aut *Mevrauwe* ſapiat

ſapiat potius vanitatem ſæcularem, quam modeſtiam regularem. Quod tamen de Abbatiſſis, utpote majore præeminentia in Eccleſia fulgentibus, locum non habere declaramus.

V.

Salubriter inſtitutum eſt Art. VI. præcedentis Synodi, ut Decani Chriſtianitatis & Paſtores Parochialium per totam quidem Diœceſim, ſed maxime in Civitatibus invigilent circa externos, qui ex locis hæreſi infectis ſeſe irrepunt, & libros vetitos hinc inde ſpargunt ſub variis prætextibus: ſed revera ut habeant conventicula ſecreta, in quibus tractant de Lutheri & Calvini ſectis & dogmatibus, & ad illa attrahere conentur ſimplices de populo: cui rei jam reddita pace & libertate omnibus ex Hollandia, aut aliis locis ſuſpectis veniendi ad has partes, invigilandum eſt, prout continent literæ Suæ Majeſtatis Regiæ nuper ad omnes Epiſcopos Belgii directæ, ultra Edictum Sereniſſimorum Archid. ALBERTI & ISABELLÆ 1609. quæ hic ideo ad longum poſt hæc Statuta reperiuntur. (*Scriptæ Gallice.*)

VI.

Cæterum ad hunc finem tendunt etiam, quæ ſtatuta ſunt Art. VII. nempe, ut Decani Chriſtianitatis curent ad ſe evocari Bibliopolas & Ludimagiſtros in ordine ad Profeſſionem fidei in manibus ſuis quotannis faciendum & renovandum, nec non viſitent Officinas Bibliopolarum (quod & injungitur Cenſoribus librorum) an non habeant libros prohibitos, ſicuti etiam quoties adveniunt externi librorum venditores, & in auctionibus publicis: & ſi quos libros prohibitos reperiant, eos per modum ſequeſtri retineant, & ad Revmum Dominum, vel ejus Vicarium Generalem transmittant: deprecantes DD. de Magiſtratu, ut deſuper brachium ſuum ſæculare (ſi opus eſt) Decanis & Cenſoribus librorum impertiantur.

VII.

Dolendum porro eſt, ut ad aures Revmi pervenit, quod præfati Decani & Cenſores Librorum nuper a quodam Magiſtratu (qui hic honoris cauſa ſubticetur) fuerint impediti ad ſimiles libros prohibitos ſequeſtrandum, nominatim opera Caroli Molinæi, quæ tam ſevere, tam ſtricte & toties a Sancta Sede Apoſtolica prohibita (accedente etiam Edicto Regio) & in prima claſſe repoſita fuerunt, ſub pœna excommunicationis contra eos, qui illa legere & detinere, imo paſſim in Regiis Tribunalibus tamquam Juris primipilum citare, ejusque opiniones pravas & novellas ſectari, tam conſulendo, quam judicando, præſertim in materia jurisdictionis, immunitatis & libertatis Eccleſiæ præſumunt, contra opiniones antiquorum Canoniſtarum, & famoſiorum ſanioris & melioris doctrinæ. Super quo condolentes & videntes plures hujus Belgii Epiſcopi dicti Molinæi opera paſſim Juris-Conſultorum manibus teri, ſæpius conſuluerunt Sanctam Sedem, an tales poſſent ab excommunicationibus excuſari, & an ſaltem opera iſta non poſſent reformari, & ſic reformata ſub alio nomine imprimi. SSmus Dominus noſter toties reſpondit, nullo modo licere quibuslibet Juris-Conſultis aut Judicibus, quavis dignitate præditi ſunt, ejusmodi opera legere, nec niſi igni repurgari aut reformari poſſe. Quapropter quia plures cenſuris innodati reperiuntur, ad eorum ſaluti conſulendum, ordinatum eſt in hac Congregatione, ut deſuper ex parte Revmi & totius Cleri Tornacenſis ſupplicetur Suæ Majeſtati ad hoc, ut rurſus ſpecialiter præfatum Regium Edictum renovare dignetur, adjectis etiam pœnis gravioribus mille florenorum, v. g. aut etiam confiſcationis bonorum vel exilii, contra eos, qui ea legere & citare, in Tribunalibus audebunt: mandando ſuis reſpective Fiſcalibus, ut deſuper invigilent, & ad ſimiles pœnas contra transgreſſores concludant.

VIII.

Attento, quod continet negligentia in catechizando; injungitur Domino Officiali, ut ſingulo cujusque menſis die judiciali primo, invigilet & animadvertat, qui citentur Paſtores, & negligentiores exemplariter & ſine mora puniat: & ſi Promotores deſuper in citando & accuſando ſint negligentes,

tes, eos juxta Articulum VIII. ad pœnam pecuniariam mulctet, ac etiam ad aliquod tempus ab officio suspendat.

IX.

Ordinatum est observari Statutum præcedentis Synodi Art. XVI. circa otiosam vitam Sacerdotum, deambulationes & frequentationes tabernarum, adeoque nullus ad sacros Ordines admittetur imposterum, nisi juxta Conc. Trid. *Sess.* 23. *Cap.* 6. alieni Ecclesiæ reperiantur inscripti, non tantum nomine inscripto, sed re ipsa Ecclesiæ servientes, nullusque etiam imposterum in Diœcesi Torn. ad sacrum Subdiaconatus Ordinem admittatur, nisi vere & realiter possideat reditus legitimos sufficienter hypothecatos, vel alia bona stabilia in terris arabilibus, pratis, vel domibus usque ad summam centum quinquaginta florenorum annue, præsertim quoad illos, qui non excellunt in aliqua Facultate Theolog. vel Juridica: & præter juramentum solitum præstent etiam juramentum speciale, quod non promiserunt retrocedere, vel non exigere bona ipsis assignata vel donata.

X.

Cum in quibusdam locis & Parochiis irrepserit abusus sive ex tolerantia, sive, quod pejus est, ex adulatione Pastorum, ut Dominis sæcularibus vel etiam eorum conjugibus detur aqua benedicta, vel etiam osculum pacis, antequam ipse Custos in habitu Clericali existens aspergatur: cum tamen ibidem in Choro repræsentet Clerum, inhibetur stricte dictis Pastoribus, vel eorum Capellanis, ne præsumant introducere similem abusum, qui vergit in dedecus Cleri, cum ex simili præeminentia Cleri, plures sententiæ latæ tam in foro Ecclesiastico, quam sæculari reperiantur, conformiter ad Rubricas Missalis & alias Ecclesiasticas Constitutiones.

XI.

Ad evitanda multa inconvenientia, mandatur stricte omnibus Pastoribus, & eorum Vicariis & Capellanis, ut ad minus singulis quindenis Hostiæ, quæ reservantur ad Communionem, mutentur, præsertim tempore hyemis.

XII.

Cum sæpe contingat conjugibus, ut mutuo consensu per modum collusionis, vel etiam ad instantiam alterutrius, divortium inter eos concedi: & sæpe veræ & legitimæ causæ divortii non cognoscantur, sed Judicem lateant; ideo mandatur Domino Officiali, vel alteri Judici forsan per Illmum & Reverendissimum deputando, ne imposterum sententiam in materia divortii ferant, nisi prius ad se evocato Domino Pastore ejusmodi partium, sive conjugum, & super causis ejusmodi divortii audito: an videlicet expediat concedi, nec ne: sicuti nunquam feratur sententia, præsertim inter conjuges adhuc ætate juvenes, vel maturos, nisi audito Promotore, qui semper stare debet contra divortium, quod est a diabolo, pro Matrimonio, quod est vinculum charitatis & conjunctionis.

XIII.

Insequendo Statuta antiqua & sæpe in Synodis prioribus ab antiquo renovata, quæ passim tempore bellorum fuerunt violata in maximum Cleri dedecus; inhibemus stricte sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ne quisquam Notarius vel Tabellio super vita & moribus Clericorum, Presbyterorum, & præsertim Pastorum, etiam instante aliquo Magistratu vel persona privata, informationes facere præsumant, sine licentia & authoritate Rmi D. Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis, vel Officialis in scriptis obtenta: cum nonnunquam temerarie fiant, etiam nulla infamia vel clamosa querela præcedente; unde contingit Presbyteros sæpius innocentes & antea optimæ famæ diffamari, quod est crimen maximum & restitutioni obnoxium, eoque magis periculosum, quod sub larva justitiæ præfatæ informationes fiant, cum nequidem Judicibus Ecclesiasticis hoc liceat sine tali diffamatione præcedente & clamosa querela, quæ Judicis ordinarii & superioris Diœcesani aures pulsaverit.

XIV.

Cum nihil magis inculcetur per sacros Canones, quam ut Officium Divinum in Choro rite & decenter fiat, præ-

præsertim in Ecclesiis insignibus & Collegiatis, quodque ad aures hujus Congregationis pervenerit, quod in Ecclesiis ejusmodi Missa major sive Conventualis celebretur accenso dumtaxat uno cereo, vel aliquando nullo: præcipitur, ut in majoribus Ecclesiis tempore Missæ majoris duæ ad minus candelæ ardentes in Altari summo accendantur, neque id omittatur cujusvis prætextu egestatis, sive calamitatis & jacturæ bonorum, tempore belli, vel alias. Quod si thesaurariæ vel fabricæ bona id non permittant, expensæ ex massa grossa Canonicorum & Cleri desumantur: in Parochialibus vero pro Missa majori diebus Dominicis & Festivis celebranda idem servetur, & expensæ ex mensa Ecclesiæ, vel si reditus ejusmodi mensæ non sufficiant, pro expensis his collectæ fiant.

XV.

Laudabiliter observatur in Ecclesiis Collegiatis, ut Clerici simplices, Subdiaconi & Diaconi diebus solemnioribus, v. g. Paschæ, Pentecostes, Omnium SS., Nativitatis Domini, & præcipuæ Festivitatis Dedicationis communicent e manibus Præpositi, Decani, vel Sacerdotis tunc celebrantis, quod intelligimus in aliquibus non observari: ideoque mandamus, ut Præpositi ejusmodi Ecclesiarum, ac alii quocumque nomine Superiores, seu Præfecti curent omnino hanc consuetudinem laudabilem observari.

XVI.

Insequendo Ordinationes alias factas, inhibemus omnibus Diaconis & Subdiaconis, ut, dum canunt Epistolam, vel Evangelium, & Missæ assistunt, ne Epistola decantata, vel Evangelio absoluto, sese vestibus exuere præsumant; sed assistant Missæ in habitu Diaconi vel Subdiaconi ad finem & Evangelium S. Joannis: ut postea simul cum Sacerdote celebrante se se ad Sacristiam vel Revestiarium ordine decenti recipiant, & ibidem demum vestibus exuantur, idque sub pœna amissionis distributionum, quas pro assistentia lucrarentur, & de hoc distributor teneat notam exactam, nec unquam liceat super hoc indulgere: imo si bis terve aliquis in tali defectu reperiatur, a decantatione Epistolæ vel Evangelii per tres menses suspendatur.

XVII.

Denique optandum foret, ut juxta antiquissimam & laudabilem consuetudinem in hac Diœcesi, aliisque Episcopatibus ab omni hominum memoria observatam, quilibet Parochianus in sua Parochia suo proprio Parocho in Paschate confiteatur. Quia tamen hoc ab aliquo tempore toleratum fuit a nonnullis Parochis, præsertim accidente aliqua causa rationabili, ut tempore Paschali alicui Presbytero ex Ordine Mendicantium, atque etiam Societatis JESU, per Episcopum admisso, censeatur satisfecisse præcepto de confitendo, semel saltem in Paschate, si talis Parochianus adferat Confessionis factæ testimonium, & proprio Parocho cum omni humilitate tradat: attamen moneantur tales Parochiani se nullo modo satisfecisse ejusmodi Communioni in Paschate de mensa Domini, nisi illud in propria Parochia fiat: ideoque hortamur ejusmodi Regulares, ut a Dominica *Palmarum* usque ad Dominicam *in Albis* inclusive non sternant mensam in suis Ecclesiis ad communicandum: quemadmodum non ita pridem observatum extitit ad varia incommoda evitandum; meminerintque Regulares Constitutionum LEONIS XI. & GREGORII XV. in hac materia editarum: ne in aliquo authoritatem Pastorum offendant vel usurpent, cum illis cura non incumbat Parochianorum.

XVIII.

Insequendo Decreta Conc. Trid. *Sess.* 24. *Cap.* 8. nominamus pro examine Pastorum eosdem, qui adhuc in vivis existunt, & nominati fuerunt in ultima Synodo, seu Congreg. annua per Nos habita 13. Aprilis 1660. quibus adjunximus Rev. Adm. D. *Eugenium Philippum de Berges*, Canonicum nostræ Cathedral., in Jure & sacra Theologia Licentiatum.

XIX.

Deputati fuerunt Judices Synodales pariter iidem, qui in dicta Synodo præcedenti: quibus adjunctus fuit Rev. Adm. D. *Joannes Catulle*, J. U. Lic. Cathedralis nostræ Canonicus.

J. RANST, *Secret.*

Ex Summa Statut. Synod. Torn. cit.

SYNO-

SYNODUS CAMERACENSIS
Eodem anno Christi MDCLXI.

ORDINATA

ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino, D. GASPARE NEMIO, (*) LXXXIV. Archi-Episcopo & Duce Cameracesii &c. &c.

In Congregatione Decanorum Christianitatis, Cameraci Kalendis Octobris, Anno M. DC. LXI.

Cum ea, quæ a Prædecessoribus nostris, piæ memoriæ, fuerunt sanctissime statuta & ordinata, jam pridem bellorum injuria sint abolita, & in dissuetudinem abierint: Nos DEI misericordia jam tandem reddita pace, Clero nostro & saluti animarum Nobis commissarum providere cupientes, complura ex illis innovare, & ad viridem observantiam revocare, quædam nova etiam addere, statuere & ordinare decrevimus, prout decernimus, statuimus & ordinamus.

I.

Inprimis, cum Fides Catholicos doceat Christum Dominum in Venerabili Sacramento, vere, realiter, & substantialiter contineri: advigilent serio & diligenter omnes Pastores, ut illud sub sera honestissimo Tabernaculo reverenter recondatur: quod Tabernaculum non solum deforis sæpe mundetur, sed intus maxime, ut nec aranearum telæ, nec aliæ sordes unquam illic appareant. Et Decani in suis visitationibus, exactam hujus rei rationem & curam habeant.

II.

Pastor quilibet sacrum Fontem sub operculo & sera: Sacrum quoque Chrisma & Oleum, quod singulis annis statim a Dominica Resurrectionis, a Decano suo tenebitur petere, sub sera & loco honesto diligenter servet, clavemque Tabernaculi Sanctissimi Sacramenti ita custodiat, ut nemo in Sacris non constitutus, ejus copiam habere possit.

III.

Cum Altaria sint mensæ Sacrarum Oblationum DEO singulariter dicatæ, & sepulchra Martyrum, atque ideo in magna reverentia merito haberi debeant, non est permittendum, ut ab aliqua parte pateant, & rerum vilissimarum, imo & sordium receptacula fiant. Quare & mandamus, ut non modo a fronte, sed a posteriori quoque parte, & utroque latere obstruantur.

IV.

Ubicumque aliquod Altare consecratum est, ibidem a proximo festo Nativitatis Domini, usum altaris portatilis omnino prohibemus. Ubi vero omnia altaria adhuc sunt profanata, statim ea honestis lapidibus instruantur, & ad consecrationem debite aptentur; & interim dum consecrata non sunt, in iis tantum altaribus portatilibus celebretur, quæ sint integra & justæ magnitudinis, & de quorum consecratione constet.

V.

Mandante Sacro Concilio Tridentino *Sess.* 23. *Decret. De observandis & evitandis in celebratione Missæ*, ut Ordinarii locorum Episcopi in suis Diœcesibus interdicant, ne cui vago & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat; & rursus *Sess.* 23. *Cap.* 16. *De Reform.* ut nullus Clericus peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarii literis ab ullo Episcopo ad Divina celebranda & Sacramenta administranda admittatur: pro execu-

(*) Vide de hoc Præsule *pag.* 651. *b. T.*

executione tam salutarium Decretorum, iterum ordinandum duximus, & ordinamus, ut sicut ex parte nostra nulli ignoto Sacerdoti Regulari aut sæculari, Missam in nostra Diœcesi celebrare permittitur, nisi per literas testimoniales & commendatitias ipsius Ordinarii de falso minime suspectas, ipsum & Sacerdotem, & a Divinis non suspensum esse constiterit; ita quoque nullus omnino ejusmodi ignotum Sacerdotem ad Missam in aliqua Ecclesia, Sacello vel Oratorio intra limites nostræ Diœcesis celebrandum admittat, nisi visa nostra permissione in scriptis, sub pœna arbitraria.

VI.

Nemo in Sacris constitutus barbam gestet alatam. Insuper quilibet Sacerdos superius labrum ita semper rescissum habeat, ut Sanguinem Christi sumpturo, non sit impedimento.

VII.

Clerici in Sacris constituti, vultu, habitu & vestitu, juxta Canonum Decreta suum ministerium & ordinem profiteantur: nec ullo modo capillitium, aut vestitum gestent, qui Laicum, aut militem potius deceat, quam Clericum.

VIII.

Pastores ad administranda Sacramenta vocati, officio suo fungi non tardent, graviter alioqui puniendi: gravissime vero, si quem negligentia ipsorum sine Baptismo, Confessione, Sacro Viatico, aut Extrema Unctione ex hac vita migrare contigerit.

IX.

Non in Sacristia, sed in loco Ecclesiæ aperto & patulo fœminarum confessiones excipiantur, & dum tenebræ sunt, etiam lumen adhibeatur.

X.

Si (quod absit) Sacerdotum cum filia spirituali, quam baptizavit, vel e sacro Fonte levavit, vel in Confirmatione tenuit, aut cum muliere, cujus Sacramentalem Confessionem audivit, fornicari contingat; sciat quicumque hoc scandalum dederit, se mox deponendum, & insuper juxta sacros Canones sine connivventia puniendum.

XI.

Si quem Confessarium per tactus inhonestos, vel gravius (quod absit) contra castitatem cum aliqua persona peccare contigerit, ejusdem confessionem excipere non præsumat, & ut minus id attentare audeat, potestatem ejusmodi corream, sive complicem Sacramentaliter absolvendi omnino illi adimimus, etiamsi facultatem a quibusvis casibus Nobis reservatis absolvendi obtinuisset, sub pœna Can. *Si quis Sacerdos*. & Can. *Non debet*. XXX. Quæst. 1. & alias arbitraria.

XII.

Nemo exorcizare præsumat sine licentia nostra in scriptis præobtenta. Ita quoque admissus non aliter fœminis exorcismum adhibebit, quam in præsentia duarum personarum probatæ fidei, nec aliis exorcismis unquam utatur, quam qui in Manuali Cameracensi vel in libro Exorcismorum a Domino *Eynatten*, Canonico Antverpiensi, edito, continentur.

XIII.

Extra diem Natalis Domini nemo bis uno eodemque die Missam celebret, nisi ratione succursus, aut repentini morbi vicini Pastoris, vel alias ex speciali nostra licentia id ei permissum fuerit, caveat id diligenter, ne in priori Sacro vel ablutionem sumat (sic enim desineret esse jejunus) vel statim a sumptione Sanguinis Domini calicem abstergat (hoc enim foret Sacrilegium: sed prius infuso vino calicem plene abluat, & hoc ipsum ablutionis vinum in vitrum, vel aliud honestum vasculum infundatur, in alium diem, quo non binetur, pro ablutione sumendum.

XIV.

Formæ Sacramentorum tractim ac distincte admodum pronuntientur, & in Canone Missæ nihil, etiam pietatis prætextu, unquam addatur vel mutetur, & generaliter alios ritus, aliasque cæremonias, vel preces in celebratione Missarum nemo adhibeat, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ & receptæ sunt.

XV.

XV.

Curent Paſtores, nec non alii, ad quos id pertinet, ut ſacri calices, corporalia, purificatoria, albæ, & reliquæ veſtes Sacerdotales, omniaque paramenta altaris ſemper ſint integra & munda, ſub pœna arbitraria pro modo culpæ & negligentiæ.

XVI.

Ubicumque pyxides Sanctiſſimi Sacramenti cupreæ ſunt aut ſtanneæ, ſatagat Paſtor, ut ex eleemoſynis Parochianorum parva ſaltem pyxis argentea comparetur, quæ majori pyxidi cupreæ aut ſtanneæ imponatur: ſicque inferius rotunda, inſtar cuppæ calicis, ut facilius ac plenius mundari queat.

XVII.

Omnino caveant Parochi, ne aliquem Sacerdotem in cura animarum ſuſtinenda, gerendave ſibi adjungant, ne quidem ad beviſſimum tempus, qui ſe à Nobis approbatum, & ad confeſſiones excipiendas admiſſum eſſe in ſcriptis non docuerit.

XVIII.

Singuli Paſtorum in proxima viſitatione Decani, exhibebunt ei Concilia Tridentinum, utrumque Provinciale, & noviſſimum Diœceſanum Cameracenſe, cum proprii nominis & cognominis adſcriptione in prima pagina.

XIX.

Habeat inſuper quilibet Parochus duos libros, unum in quo ſingulorum Baptizatorum, nec non parentum & patrinorum ac matrinarum nomina & cognomina, diemque Baptiſmi diligenter deſcribat: alterum, qui nomina & cognomina Matrimonio junctorum ac teſtium, nec non diem contracti Matrimonii plene contineat, & uterque quotannis in viſitatione a Decano examinabitur. Mandamus inſuper, ut eadem regiſtra ipſimet Paſtores aſſervent, non permittentes, ut Clerici ſive Cuſtodes ea habeant: quæ poſtmodum in Archivis reponantur.

XX.

Ebriis Sponſalia contrahere volentibus, Parochus operam ſuam non impendat, nec ſimiliter ſuis Parochianis, ut poſt meridiem Matrimonium contrahant. Qui ſecus faxit, protinus citetur & puniatur.

XXI.

Quilibet Paſtor ſedulo advigilet circa obſtetricem ſuæ Parochiæ, an ſcilicet materiam & formam Baptiſmi probe norit, & ignorantem debite inſtruat. Satagat inſuper, ut Magiſtratus ab obſtetricibus juramentum exigat, quod pueros baptizandos ante diem tertium Parochis denunciabunt, prout mandat noviſſima Synodus Provincialis *Tit.* 6. *Cap.* 11. & Edictum Regium deſuper ſubſecutum, *Art.* 9.

XXII.

Quoniam rudis populus ſæpe ex ignorantia ſuperſtitionibus inquinatur, Parochi ſubditos ſuos diligenter de iis doceant, & inter cætera ſuperſtitioſum eſſe, expectare quemcunque effectum a quacumque re, quam res illa, nec ex ſua natura, nec ex inſtitutione Divina, nec ex ordinatione vel approbatione Eccleſiæ producere poteſt. Atque graviter peccare eos, qui ſuperſtitioſis remediis utuntur: nec eos ſolum, ſed & ipſos Divinos, & qui eos conſulerint, nec non dantes alta nomina (ut vocant) eisve utentes, & quicumque ad exorcizandum non admiſſi, exorcizare præſumpſerint, vel opera ſæcularium exorciſtarum uſi fuerint, ſine conniventia & ſine mora denuntientur.

XXIII.

Nemo extraneus Fidelium eleemoſynis e ſuggeſtu commendetur ſine conſenſu noſtro, ſeu Vicariatus noſtri in ſcriptis.

XXIV.

Si quæ ſacræ tabulæ, aut imagines, nimia vetuſtate, carie, ſitu, aut ſordibus pene deletæ, aut mutilatæ, tam indecenti aſpectu ſint, ut contemptum potius, quam venerationem excitent, eæ pie, religioſeque reſtaurentur ab iis, quorum intereſt, aut ſi id fieri nequeat, ab Eccleſia tollantur.

XXV.

Cum nuperrime bellorum barbarie, ſpreto Dei cultu, multæ Eccleſiæ omni ſupellectili ſacra fuerint ſpolia-

tæ, combuſtæ & deſtructæ, curent ſedulo Paſtores, ut expenſis eorum, qui damni cauſam dederunt, aut quorum intereſt, protinus reſtaurentur.

XXVI.

Cum nihil æque ſit neceſſarium, quam juventutem debite catechizari, & tamen hoc ipſum plurimis in locis vel omittatur, vel neglectim admodum peragatur: omnes & ſingulos Parochos, & quoſcumque alios, quos ea cura tangere debet, rogamus & obſecramus per viſcera miſericordiæ DEI, & cum obteſtatione Divini Judicii, ut huic officio ſuo ſerio ſatisfaciant; & non ſatisfacientes denuntientur.

XXVII.

Ubicumque Scholæ, præſertim Dominicales, adhuc requiruntur, vel male frequentantur, agant Decani cum Magiſtratibus & Præfectis locorum, ut eæ mox erigantur, & directæ, quantocius fieri poterit, reparentur, & pauperes per ſubtractionem eleemoſynarum menſæ pauperum, alii vero aliis pœnis, liberos, alioſque domeſticos ſuos ad Scholas Dominicales, ad Lectionem Catechiſticam mittere compellantur. Eoque tempore, quo juventus in Scholis inſtituitur, vel catechizatur, a tripudiis vel aliis inſolentiis, quibus pueri a Scholis & Catecheſi avocantur, omnino abſtineatur.

XXVIII.

Cum paſſim in pagis tanta ignorantia multi laborent, etiam adulti, ut ne ea quidem ſciant, quæ neceſſitate medii ſcitu neceſſaria ſunt ad ſalutem; ſeu quorum notitia eſt medium abſolute neceſſarium, ad obtinendam DEI gratiam & gloriam: quilibet Confeſſarius ſedulo de iis examinet, ac inſtruat pœnitentes, de quorum ſufficienti inſtructione non eſt certus, nec facile abſolvat extra periculum mortis, antequam eos utcumque tolerabiliter illa intelligere advertat.

XXIX.

Ubicumque certa ſunt jura funeralia, Paſtores ea nullatenus excedant. Ubi vero hactenus ea fuerint incerta & pro diſcretione Paſtorum exigi conſueverunt, curent Decani ea legitime taxari, agendo deſuper cum Paſtore & Magiſtratu loci, ac Æditui & Rectoribus menſæ pauperum: & ſi alicubi communi conſenſu illa determinari non potuerint, idipſum Nobis ſignificetur.

XXX.

Converſatio eorum, qui de hæreſi ſuſpecti ſunt, ſingulariter & caute a Paſtoribus obſervetur. Et ſi quis libros prohibitos alicui communicaverit, aut etiam penes ſe habuerit, vel aliquid ſcandaloſi quoad fidem dixerit, aut fecerit, aut præceptis Eccleſiæ de annua Confeſſione, Communione in Paſchate non ſatisfecerit, abſque ulla conniventia & mora denuntietur, & quando aliquid ſcandaloſe dictum aut factum fuerit, omnes circumſtantiæ ſcandali debite declarentur.

XXXI.

Ubicumque ab aliis, quam juratis Bibliopolis & Librariis libri, cantilenæ, ephemerides, aut ſimilia publice venalia exponuntur, vel plateatim circumferuntur, Satagant Decani & Paſtores, ut authoritate Magiſtratuum & Præfectorum locorum id impediatur, ſecundum Edicta, annis M. D. L. & M. D. LVI. a CAROLO V. Imperatore & Rege PHILIPPO II. deſuper edita.

XXXII.

Quilibet Decanus in ſuo diſtrictu exiget Fidei profeſſionem ab omnibus & ſingulis Ludimagiſtris; qui hactenus eam non fecerunt, etiamſi Capellani fuerint, aut Cuſtodes, tantumque doceant legere aut ſcribere.

XXXIII.

Decani dum inter viſitandum vel aliter cognoſcunt aliquos in excommunicatione inſorduiſſe, ſeu per annum integrum in ea permanſiſſe, mox eos denuntient, ut contra eoſdem tanquam ſuſpectos de hæreſi procedatur, implorato etiam, ſi opus fuerit, brachio ſæculari.

XXXIV.

Non decet Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, præſertim Sacerdotes, ad Pſittacum, vel ad ſcopum jaculari, aut in locis publicis ludere pila palma-

palmaria; quapropter quilibet deinceps ab iis abſtinebit, ſub pœna arbitraria.

XXXV.

Paſtores, & quicumque alii Sacerdotes aut in Sacris conſtituti, edendi vel bibendi cauſa tabernam ingredientes, niſi profectionis neceſſitate fuerint compulſi, ſolvent pro prima vice ſex florenos, ſecunda vice duplum, tertia vice plectentur per carceres, & ſæpius recidivi punientur tanquam incorrigibiles.

XXXVI.

Quanto magis Clericos decet manſuetudo & ſpiritus lenitatis, tanto gravius ſcandalum patitur populus, ſi eos ad verbera venire contigerit. Eapropter diſtricte mandamus omnibus & ſingulis Beneficiatis, vel titulo patrimonii Ordinatis, ut ab omni percuſſione abſtineant, ſub pœna gravis & exemplaris correctionis, & ſi ea percuſſio in taberna, vel cultro, aut aliis majoribus armis facta fuerit, mox percuſſorem carceribus mancipari, & recidivum & incorrigibilem a Divinis ſuſpendi, ac Beneficio privari volumus.

XXXVII.

Quando aliquis excommunicatus majori excommunicatione ob notoriam percuſſionem Clerici, vel aliam ob cauſam excommunicatus, nominatim denuntiatus, ab Officiali abſolvitur, ipſa abſolutio exhibeatur Paſtori, & per eum populo denuntietur: & non aliter quis pro abſoluto habeatur.

XXXVIII.

Decani Chriſtianitatum ſinguli, primo quoque tempore ſibi conficient debitum regiſtrum omnium Paſtoratuum & quorumcunque aliorum Beneficiorum ſui diſtrictus, omniumque & ſingulorum bonorum ad ea ſpectantium, nec non Miſſarum, cenſuum & redituum, ac quorumcumque aliorum onerum tam ipſis Beneficiis, quam bonis eorum incumbentium, & ut debite id præſtare valeant, mandamus omnibus & ſingulis, quæcumque & qualiacumque Beneficia curata vel non curata impræſentiarum obtinentibus, ut intra annum proximum plenam & perfectam deſignationem omnium bonorum & fructuum ſuorum beneficiorum, & onerum iiſdem, eorumve bonis incumbentium, a Paſtore, Prætore, & Scabinis locorum ſubſignatum, Decano ſuo in ſcriptis tradant, ſub pœna arbitraria, pro modo culpæ & negligentiæ.

XXXIX.

Reipſa frequentiſſime compertum eſt per Beneficiatorum abſentiam, fructus Beneficiorum deperdi, & onera negligi: eapropter licentiam abſentiæ, & gratiam vel conſuetudinem non reſidendi, nemini ſuffragari volumus, qui non conſtituerit legitime Procuratorem, & quidem Virum Eccleſiaſticum Nobis ſubjectum, ad Nos, vel Decanum quotannis in viſitatione, vel ſaltem ante feſtum S. Magni ſeu 19. Auguſti, ſufficienter docendum de Miſſarum & aliorum onerum adimpletione, ac de cenſibus & reditibus, quibus bona ipſius Beneficii gravantur, plene perſolutis, aliiſque ſimilibus.

XL.

Quod olim dixit Deus per Iſaiam Prophetam: *Calendas veſtras, & Solemnitates veſtras odivit anima mea: facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens*; multo majori ratione (proh dolor) dici poteſt de Feſtis Chriſtianorum in plerisque locis. Atque ideo juſte timendum eſt, eventurum nobis, quod Divina Majeſtas comminata eſt per Prophetam Malachiam: *Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus Solemnitatum veſtrarum, & aſſumet vos ſecum. Et ſi a Deo reſpuentur, qui hic nolunt Deum Sabbatis quærere* (ut inquit S. Auguſtinus) *quanto gravius punientur, qui ipſos dies Feſtos inhonorant, & per opera ſervilia polluunt.*

XLI.

Hæc & ſimilia Paſtores & alii Concionatores populo ſæpe ac ſerio inculcent, iiſdemque Feſtis ac Dominicis diebus opera prohibita exercentes, & tempore Concionis, ſummi Sacri, aut Veſperarum in tabernis potitantes, aut publicis luſibus vel tripudiis vacantes, denuntientur, pro qualitate perſonarum, & modo ſcandali puniendi.

XLII.

Cœmeteria undique clausa existant, nec inposterum equi, vaccæ, porci, aliave animalia in illis pascantur, aut in loca sacra nullatenus admittantur.

XLIII.

Qui fabricæ Ecclesiæ, Hospitali vel mensæ pauperum Præfecti sunt, id munus juste & diligenter exequantur, & quot annis computus suos reddant.

XLIV.

Decani Christianitatis singuli convocabunt omnes Eremitas sui Decanatus, iisque prælegent Ordinationes & Statuta nostra, cum mandato, ut ea exacte observent sub pœna arbitraria: & qui ter puniti se non emendaverint, sine conniventia habitu Eremitico exuantur.

XLV.

Utque deinceps vitam Eremiticam aggressuri, ad eam magis idonei reddantur, nullus inposterum ad habitum recipiatur, nisi post admissionem nostram in scriptis per annum integrum apud alios Eremitas a Nobis designatos habitaverit; & ita se gesserit, ut testimonio ipsorum debite commendetur.

XLVI.

Quotannis postridie Congregationis Decanorum iidem coram Officiali inibunt computum cum Promotoribus, quoad salaria sibi debita, pro captis informationibus: & Officialis curabit iisdem satisfieri per Promotores de adjudicatis & receptis.

XLVII.

Decani Ecclesias Decanatus sui, singulis annis, serio & exacte visitabunt, juxta instructionem suam, acta quoque suarum visitationum nitide descripta, & a se subsignata, quotannis ante Kalendas Septembris ad Nos transmittent.

XLVIII.

In singulis Capitulis legentur & inculcabuntur Ordinationes, quas legi & publicari jusserimus: & quilibet Pastorum separatim in scriptis exhibebit Decano suo abusus, defectus, & scandala, quæ in Parochia sua observaverit.

XLIX.

Singuli Decani bis quotannis celebrabunt Capitulum Pastorum sui districtus.

Prius Capitulum servabitur intra Dominicam *in Albis* & Pentecosten, ordine & tempore sic designato.

Decani *Cameracesii* & *Valencenensis* celebrabunt illud feria quarta post Dominicam *in Albis*.

Capitula *Bellimansi* & *Haspren*se servabuntur feria secunda post Dominicam *Misericordia*, quæ est II. post Pascha, & feria quarta proxime subsequente succedent Capitula *Castelli* & *Avesnense*.

Decani *Malbodiensis* & *S. Brixii* celebrabunt Capitula sua feria secunda post Dominicam *Jubilate*, quæ est III. post Pascha, & illis feria quarta ejusdem septimanæ succedent Capitula *Bavacense* & *Cervoiense*,

Septimana immediate subsequente, seu IV. post Pascha celebrabuntur cætera quatuor Capitula, scilicet *Montense* & *Lessiniense* feria secunda; & *Binchiense* cum *Stallensi* feria quarta.

Quoad alterum Capitulum celebrandum mense Octobris, idem omnino ordo servabitur. Et quidem si Kalendæ Octobris inciderint in diem Dominicam, feriam secundam, tertiam aut quartam; Capitula *Cameracesii* & *Valencenense* celebrabuntur feria secunda proxime sequentis septimanæ. Si vero dictæ Kalendæ inciderint in feriam quintam, sextam vel diem Sabbati; præfata Capitula *Cameracesii* & *Valencenense* celebrabuntur feria quarta immediate subsequente. Et deinde singulis feriis secunda & quarta celebrabuntur duo alia Capitula ordine subscripto; ita tamen, ut duo postrema Capitula, scilicet *Binchiense* & *Stallense* demum habenda sint feria secunda post festum Animarum.

Porro aliquo festo in feriam secundam & quartam incidente, servabitur Capitulum postridie.

FINIS.

EPISTOLA Paſtoralis
CHRISTOPHORI BERNARDI a GALEN, Monaſt. Epiſcopi, ad Clerum in Synodo congregatum.

DATA

Eodem anno Chriſti MDCLXI.

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, S.R. IMP. PRINCEPS &c. &c. VENERABILI CLERO CIVITATIS ET DIŒCESIS MONASTERIENSIS IN SYNODO AUTHORITATE NOSTRA CONGREGATA, SALUTEM IN DOMINO.

VUlgatiſſima eſt, & fere omnibus nota veritas, quod bonus Deus mala non permitteret, niſi ex malis & ſciret & vellet elicere meliora. Sic non ita pridem vidimus & experti ſumus, dum nonnulli a diſcenſionum authore ad inſana bella incitati proſiliunt, diſpenſante Authore omnis boni Deo ad majus bonum eam pacem Eccleſiæ, Patriæ & ſubditis eſſe conceſſam, qua utraque ſalus populi, ceu ſuprema lex regentibus poſita, & obtineretur optata, & ſecura ſtabiliretur.

Et quidem etſi pax nunquam non ſit in votis & deliciis omnium omnino hominum, ita tamen fere ſolet accidere, ut minus bonum videatur pax continuata per otium, quam reddita poſt laborem, dulcius ſcilicet munera gratiæ Divinæ proveniunt, quæ non ſine magnis ſudoribus acquiruntur.

Satagamus itaque in Domino Dilectiſſimi, ne tanto cœleſtis miſericordiæ dono videamur ingrati, ſed potius vocationis noſtræ eminentis juxta ac ſanctæ memores, ad illum unum finem intentiones, ſtudia, & actiones indiviſa & inconcuſſa contentione conferamus, ut proſit promovendo honori Divino, conſervandæ Fidei orthodoxæ, proximorum ædificationi, novisque ac gravioribus malis avertendis, reſtaurandæ etiam ac firmandæ Clericali diſciplinæ amplexa opulentæ pacis multitudo.

Neque enim dubitare ullo modo poſſumus, quin ſicut peccatis iram Dei provocantes ſuperiorum annorum motus & bella ſumus experti, ſic juſte & merito timeamus pejora prioribus, ſi pacis tranquillitate ad remedia correctionis non utamur; Paſtores præſertim Sacerdotes & Clerici, quos Deus in hac mundi malignitate lucere voluit, ſicut luminaria, verbum vitæ non doctrina ſolum, ſed & exemplo continentes.

Noſtis aut certe noviſſe debetis, quæ & in noſtra Synodo, aliisque ſive Reſcriptis, ſive Paſtoralibus literis non noſtro bono, ſed pro officii Epiſcopalis ratione, veſtra autem directione & ſalute, Deo inſpirante, concepta, ſerio demandata, & repetitis vicibus inculcata ſunt, quæ, ſi ſervierint, quod ſingulariter optavimus, veſtrum omnium aut ſaltem plurimorum profectui, aut eorum excitaverint animos, qui in partem oneris cum officio Archi-Diaconali, ceu vigilantes oculi, & honoratiſſimi Cooperatores Nobis a Deo ſunt adjuncti, eſſet, unde ſibi gauderet, & gratularetur cura Paſtoris.

Nunc multa ſunt, quæ quia non ſervantur, nec Nos in adminiſtratione Epiſcopali ſecuros, nec Archi-Diaconos & Paſtores in tali conniventia, aut ſubditos in tali inobedientiæ contumacia coram Principe Paſtorum ſtatuent excuſatos.

Intimamus proinde & innovamus authoritate Epiſcopali & de aſſenſu Venerab. Capituli noſtri Cathedralis omnia & ſingula antehac Synodis recurrentibus ex hoc loco vobis prælecta & demandata; & ex his pro rei & cauſæ exigentia ſingulariter ea, quæ ſequuntur, in hac Synodo repetenda ducimus.

Procedatur ſerio contra eos, qui conſulunt ariolos, qui ſuggerunt aut applicant ſuperſtitioſa.

Inculcetur a Concionatoribus, quam graviter peccent, & quanto periculo ſubverſionis ſe exponant, & per alios exponantur, qui legunt libros hæreticos, audiunt Conciones, interſunt illorum Divinis, ſerviunt aut cohabitant illis, a quibus per parentes ſeu tutores ſunt revocandi ſub pœna arbitraria & pro qualitate delicti, prout latius ſpeciali Decreto eum in finem a Nobis promulgando continetur.

Renovetur & publicetur Edictum contra pessimam jurandi consuetudinem,& contra jurantes ad mulctam eatur, convenit enim pessimam illam consuetudinem districtius comprimi, quæ nulla benignitate sanari potest.

Juventutis instructio, Scholarum erectio, & Catechismus promoveatur, habeaturque ratio absentium. Pastores, si ulla in re, in hac certe vocationis & obligationis suæ memores esse debent.

Inquiratur in Visitationibus Archi-Diaconalibus de numero Acatholicorum in singulis Parochialibus, & si qui ad veram Fidem conversi, aut dolo Prædicantium, aut occasione Matrimonii,aut aliter perversi sint, designentur.

Dierum Festivorum & Jejuniorum sive abstinentiæ, in Sabbatis præsertim, diebusque ab Ecclesia præscriptis, observantia urgeatur, nec præsumant Pastores dispensare indifferenter & generaliter.

Diebus ferialibus Curati & Sacellani, licet non obligentur, per septimanam sæpius celebrent, frequentationem Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, & Sacri auditionem inculcent.

Infirmorum & moribundorum curam gerant. In pagis & oppidis, etiam in Civitatibus, nisi personarum qualitas aliud dictare videatur, nulli admittantur ad Matrimonii solemnisationem, nisi prius examinati in iis punctis vel articulis, quæ necessitate medii aut gravioris præcepti scitu necessarii sunt.

Pastores surdastri aut dimittant, aut permutent curatum Beneficium, aut habeant Sacellanum.

Usus & fructus Extremæ Uctionis doceatur & melius introducatur, nec administretur in Parochiis a Religiosis; sicut nec Eucharistia per modum viatici, nec per eos fiant introductiones puerperarum, etiam nobilium, sub gravissima nostra indignatione.

Sacrum Missæ Officium non dicatur extra Ecclesiam, vel erectum authoritate Episcopali Oratorium, sive a Sacerdotibus secularibus, sive Religiosis, nisi obtenta ab ipsomet Illmo Episcopo potestate. Ad actum tamen unum vel alterum potest peti licentia a Vicario Generali.

Pueri & puellæ, cum accedente usu rationis participes esse poterunt S. Communionis, nunquam tamen in summis Festivitatibus ipsis prima Communio concedatur propter concursum populi, sed sæpius & bene instructi in Dominica alia aut Festo, idque cum cæremonia extraordinaria, & præmissa parvula exhortatione, pro juventutis captu & astantium simpliciorum instructione communicentur.

Meminerint Sacerdotes juramenti in investitura a se præstiti de servandis oneribus a Fundatore impositis, nec putent sibimet ipsis blandientes posse proprio eorum judicio numerum Missarum & onerum minui, sed determinationem in hoc puncto a S. Conc. Trid. Episcoporum cognitioni & definitioni reservatam, quærant & exspectent.

Superiores Monialium præter ordinarium Confessarium ter in anno ad minus alium Confessarium Monialibus offerent, eumque vel sæcularem Sacerdotem a Nobis ad audiendas Monialium confessiones specialiter approbatum, aut ex Religiosis alicujus Ordinis alterius, eligendum ducimus & optamus propter graves causas.

Sacerdotes in publicis & privatis Missis Collectam contra hostes Ecclesiæ & Imperii Romani perdurante præsenti periculo, quod a Turcis imminere videtur, adjungent.

Deinceps qui ad sacrum Subdiaconatus Ordinem suscipiendum se sistent, mature satis in modo legendarum Horarum ex Breviario se ab aliis facient informari, noverintque, sicut in cantu fieri solet, sic etiam in hoc puncto sub pœna rejectionis, pro qualitate tamen negligentiæ, se examinandos.

Concludentes. O magna & inclyta Dei instrumenta Sacerdotes, a quibus populi beatitudo ut plurimum dependet, hortamur vos in Domino omnes & singulos, ut vitam in timore Dei, ab omni crimine & criminis suspicione liberam instituentes, gratiam, quæ in vobis est, per impositionem manuum Episcopalium, pertinaci studio & diligentia servare & resuscitare, adeoque & bonis collucere, & malis morum sanctitate prælucere adnitamini.

Nos vestris intentionibus & conatibus Paterna benignitate semper inclinati, Episcopalem Benedictionem vobis impertimur. Datum in Arce nostra Saffenbergensi prima mensis Octobris anno 1661.

Christophorus Bernardus mpp.

(L.S.)

Volumus etiam & serio mandamus, ut intra bimestre ab hac Synodo computandum, omnes & singuli contributionem suam pro Seminario sive Alumnatu juxta taxam antiquam in Camera Sigilli solvant sub pœna dupli.

Syno-

Synodus Quadragesimalis anni sequentis 1662. *habebitur Feria 3tia post Dominicam* Lætare, *quæ incidit in diem vigesimum primum mensis Martii, eaque celebrabitur cum ea solemnitate, & cæremoniis, quæ in Pontificali Romano præscribuntur, ad quam omnes, qui comparere quovis modo obligantur, instructi paramentis & habitu respective necessariis convenient.*

Lectum in Domo Capitulari 10. 8bris 1661.

EPISTOLA *Pastoralis*

Ejusdem CHRISTOPHORI BERNARDI *a* GALEN, *Monasteriensis Episcopi,* INVITATORIA AD SYNODUM, DATA Anno Christi MDCLXII.

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, S. R. IMP. PRINCEPS, &c. &c.

SYnodum Quadragesimalem in Autumnali debite publicatam, S. Concil. Trid. Decretis ac institutis Prædecessorum inhærentes, vicesimo die mensis Martii in Ecclesia nostra Cathedrali, assistente Spiritus S. gratia, solemniter celebraturi, omnes & singulos, qui de quovis jure aut consuetudine ad illam comparere tenentur, per præsentium tenorem evocandos & citandos duximus, prout authoritate Episcopali & Ordinaria, sub pœna Canonum & arbitraria, contumacibus & absentibus non excusatis, infligenda, citamus & evocamus visuros & audituros, quæ Nobis de consilio & assensu Ven. nostri Capituli Cathedralis ad Divini cultus, Christianæque pietatis amplificationem, ad Cleri mores & vitam juxta Canonum ac Conciliorum præscripta confirmandam, atque tollenda abusuum, vitiorumque zizania, si quæ agro Dominico Nobis Divina miseratione concredito superseminante inimico innata sunt, decernenda, proponenda & promulganda videbuntur. Quos etiam cum hoc paterne monitos volumus, ut mature & opportune ex locis Residentiæ, quibus adscripti sunt, discessuri solicite & caute ita omnia disponant, ne in absentia aliquid eorum negligatur, quod circa infirmantium curam, aut necessariam Sacramentorum per substitutos vicinosve Religiosos suscipiendam administrationem a Pastoribus debet & solet exspectari.

Constituti in via & in Civitate hac nostra, quam celebrandæ Synodo destinavimus, commorantes, memores Sacerdotalis modestiæ, gravitatis & frugalitatis ab iis abstineant, quæ non tantum sacratis Deo personis, sed etiam sanctissimi status gloriæ haud levem maculam inurere judicantur, quin potius vita, conversatione, exemplo prælucentes fideli populo, Confessionis Sacramento expiati, ipso Synodi die aut Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrent, aut ex manibus nostris Sacram Communionem accepturi, ad Processionem & Officium solemne togis superpelliceis & biretis ritu Ecclesiastico vestiti congregentur.

Mandamus insuper & clementissime jubemus, ut die Dominico Synodum proxime præcedenti populus per Pastores de habenda Synodo præmonitus & instructus, per decantationem Sacri de Spiritu Sancto, & Litaniarum adjungendas cum Clero preces excitetur, & invitetur, omnes unum hoc tota animi pietate intendentes, ut tam labores & studia nostra in præscribendo, quam vestra in obediendo alacritas ad illius cedat honorem & gloriam, in quo vivimus, movemur & sumus.

Illud etiam huic nostro Edicto addendum & inserendum statuimus, ut Festum S. Josephi, quod hoc anno in Dominicam quartam Quadragesimæ incidit, eo die ab omnibus in Choro, Officiisque Divinis sine translatione celebretur, ejusdemque tam sancti, quam potentis in mortis articulo Intercessoris cultus & invocatio pro concione ab omnibus verbi Dei Prædicatoribus efficaciter & instanter inculcetur. In quorum finem similiter de consilio & assensu Venerabilis Capituli nostri Cathedralis, eadem Dominica quarta, vulgo *Lætare* dicta, in futurum recurrenti festo S. Josephi eisque ad aliam ordinationem habendo & celebrando destinata permanebit.

Tan-

Tandem ut Seminarii Ecclesiastici utilis pariter ac necessaria erectio, juxta Concilii præscriptum, ad effectum deducatur, volumus & clementissime mandamus, ut omnes & singuli, qui antehac sub Serenissimo FERDINANDO laudatissimo Prædecessore nostro, in singulos annos, juxta taxam in Camera Sigilli inveniendam contribuerunt, ante festum Paschatis, & hoc & subsequentibus annis sub pœna dupli eodem modo taxam contribuant erga quietantiam in dicta nostra Camera recipiendam realiter & cum effectu.

Confidentes de paritione & Nobis debita & vobis meritoria dabamus præsentis Edicti paginam manus nostræ subscriptione & sigilli subimpressione firmatam. Monasterii in Civitate nostra Episcopali, anno Salutis 1662. die 16. mensis Februarii.

Christophorus Bernardus mpp.
(L. S.)

SYNODUS MONASTERIENSIS

Eodem anno Chr. MDCLII. Alexandri VII. PP. VIII. Leopoldi I. Imp. IV.

Sub Revmo & Illmo Domino, D. CHRISTOPHORO BERNARDO a GALEN, Monast. Episcopo,

DIE XVII. MARTII CELEBRATA.

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI GRATIA Episcopus Monasteriensis, S. R. Imp. Princeps &c. &c.

INstantia quotidiana & solicitudo omnium Ecclesiarum Vas illud Electionis D. Paulum, ejusque sanctam animam ita ex omni parte pervaserat, ut licet usque ad vitæ tædium sæpius affligeretur, tamen omne illud, quod fortissimus quisque laborem dixerit, ita contemneret, ita avide arriperet, tam impense tractaret, ut quasi in naturam laboris exercitia, & dolorum agmina abiisse viderentur, nec magis Solem cursus assiduus, mare inquietior æstus, cælos indefessa vertigo, quam pectus illud Apostolicum labores continui, & fere in orbem redeuntes fatigarent.

Idæa hæc est Præsulum Apostolicorum, Nostri, vel eo magis, qui sanctæ huic Ecclesiæ Monasteriensi sub patrocinio ejusdem Apostoli dispensatione Divina præsidemus.

Agnoscimus Officium nostrum & onus, quod in hac Domo DEI humeris nostris providentia summi Patrisfamilias imposuit. Et quia merito nec imprudenter timemus, ut sicut in manufactis ædificiis, aut ex imbrium infusione, aut procellarum turbine, aut ipsa antiquitate vel incuria gravioris damni, imo & totalis ruinæ periculum omine non vano prævidetur, sic etiam ex superiorum annorum concussione, & bellorum motibus, quibus nos exercere placuit Deo, quia multa vel irrepserunt mala, vel neglecta sunt bona, quibus nisi pervigil cura stimulando & corrigendo succurrat, dissolutio morum, disciplinæ Ecclesiasticæ laxatio, vel extrema sanctæ ædificationis subversio ut brevi subsequatur, necesse sit.

Hinc & necessarium visum est, Prædecessorum insistendo vestigiis Synodum hanc indicere, & obedienter factum est a vobis, quod ad eam a Nobis indictam hodie convenistis, non alio fine, quam ut ea tractentur & proponantur, quæ ad conservationem structuræ hujus spiritualis conducere judicat usus & Ecclesiæ consuetudo.

Satis quidem ea, ut in superioribus Synodis constituta, sed non proinde ab omnibus & ubique observata magno certe animi dolore, majore tamen periculo eorum, qui propter Dignitatis, Officii aut Beneficii titulum ad arctam & exactam rationem Deo reddendam se norunt obligari.

Renovantes itaque de consilio & assensu Ven. nostri Capituli Cathedralis omnia & singula, quæ superioribus Synodis, sive a Nobis, sive a Prædecessoribus nostris ex hoc loco publicata & demandata fuerunt, horumque observationem authoritate Episcopali serio exigentes, eorum, quæ negligentius urgeri, vel non satis prompte pro debita Nobis obedientia ad effe-

effectum deducta esse vel deduci cognovimus, paucis, sed serio recapitulanda & subjungenda duximus, tenore subsequenti:

Diebus Dominicis habeatur Lectio Catechistica.

Convivia eodem die quacunque ex causa non celebrentur.

Recitentur Oratio Dominica, Salutatio Angelica, Symbolum Apostolorum post Concionem Parochialem.

De Scholis erigendis, ubi ullo modo id fieri poterit, concludatur.

In Scholis discatur Catechismus parvus Canisii & modus confitendi.

Non mittantur filii aut filiæ servituræ ad loca Acatholicorum.

Inquiratur serio & procedatur contra superstitiosos.

Contrahantur Processiones longiores, caveaturque, ne earum occasione Sacri auditio negligatur.

Claves Tabernaculi & Baptisterii sint in potestate & custodia Curatorum, non vero Custodum aut Sæcularium.

Nemo Sacerdotum sive is Sæcularis sit, sive Religiosus, sub prætextu cujusvis privilegii, sine licentia celebret extra Ecclesiam aut Oratorium ab Episcopo benedictum.

Ante Baptismum abstineatur a cauponis & vino adusto.

Conciones post Synodum Quadragesimalem singulariter dirigantur ad præparandos simpliciores pro Confessione & Communione Paschali.

Concionatores memores sui officii, dum contra vitia dicendum judicant, abstineant a taxandis personis, nec ipsimet suam in vindicandis privatis, quas apprehendunt injuriis, vindicandi libidinem auditoribus faciant manifestam, sanctam etiam concionum audiendarum obligationem aut necessitatem reddant odiosam.

Inculcetur punctus restitutionis, præsertim famæ in proximo læsæ, & dent ipsimet cautioris linguæ exemplum.

Curent etiam Pastores & Concionatores sedulo, ut sicubi scandalosus usus invaluerit, quod Sponsus & Sponsa post contracta Sponsalia tantum de futuro, ante contractum per verba de præsenti coram Parocho, testibusque legitime Matrimonium, publice cohabitent, abusus ille tollatur, mulctis etiam propositis, & realiter infligendis.

Sacerdotes diligant decorem Domus Dei, Altarium, ornatum Tabernaculi, & paramentorum munditiem, & de lumine perpetuo ante Sanctissimum Sacramentum soliciti sint.

Ubi germanicæ cantiones propter Sacerdotum aut personarum qualificatarum raritatem cum differentia sunt admittendæ, nihil canatur, quod sapiat Lutheranismum, sed quæ sacro Missæ Sacrificio conveniunt, & simpliciores ad orthodoxæ Fidei instructionem manuducant.

In Communione Paschali observetur præceptum Ecclesiæ, & attendatur ad vagos & mendicantes, qui non admittantur ad communem & privatam eleemosynam, nisi doceant in scriptis, ubi suum Pascha celebrarint.

Extremæ Unctionis usus urgeatur & introducatur.

In Synodis Archi-Diaconalibus attendendum ad contrahentes in gradibus prohibitis, nec arrogent Pastores sibi licentiam, vel in unica proclamatione dispensandi.

Pastores semel ad minus in anno proponant populo Decretum Concilii Trid. *de Reform. Matrimonii*, præsertim de cognatione, quæ in Sacramentis Baptismi & Confirmationis contrahitur, & quod de vagis præscribitur.

Durante hac Synodo omnes inquirant pro se & vicinis, qui propter absentiam forte sunt excusati, de taxa ad Seminarium annuatim solvi solita, & intra mensis spatium solvant.

Relationes Archi-Diaconorum toties demandatæ edantur, Sodalitates piæ erigantur, & uniantur primariis, quæ in hac nostra Episcopali Civitate Monasteriensi sunt erectæ.

Sacerdotes ex vocatione Sancti Sancta sancte tractent, etiam ad ædificationem populi.

In Clero servetur honestas in vestibus & capitis corona.

In concionibus funeralibus servetur discretio & modus, potiusque intendatur instructioni viventium, quam immodicis laudibus defunctorum.

Scamna in Templo ita disponantur, ut etiam viri pro devotione præsertim ad elevationem in Missa genuflectant.

Rosarium introducatur, & modus illud orandi doceatur.

Caveant Sacerdotes, ne ad sacram aram consistentes, defluente ex humeris capillitio, personam potius militis, quam sacrati Deo hominis præsentent.

Præcipitantiam cantus in Officio Divino vitent Canonici & Vicarii Collegiatarum præsertim tam scandalosam, quam parum meritoriam, sciantque Deo de tumultuario isto carmine serio respondendum.

Et hæc quidem omnia superioribus Synodis sufficientissime vobis publicata esse, vobisque constare non dubitamus, iterum autem iterumque insinuanda duximus, ut officio nostro satisfacturi, vestram quoque in exequendo & parendo promptitudinem in onerosa functione nostra & hic experiamur cum gaudio, & in æterna retributione de cumulo meritorum gloriæ & beatitudinis, junctis viribus & animis & gaudiis gratulemur.

Unum addimus supradictis: Festum S. Josephi celebrabitur deinceps annis subsecuturis semper Dominica *Lætare*, eoque die Concionatores populo commendabunt patrocinium & invocationem hujus Sancti pro obtinendo felici ex mortali hac vita ad æternam transitu.

Festum S. Henrici Imperatoris Romani & Patroni totius Germaniæ sub ritu duplici celebrabitur 14to die mensis Julii.


Festum S. Maximi Martyris, cujus S. Reliquias Roma ab INNOCENTIO X. S. Pontifice acceptas, anno superiori in Festo Ss. Reliquiarum in Civitatem nostram Monasteriensem ad Ecclesiam Cathedralem introduximus, semper celebrabitur in Choro, & assignabitur in Calendario & Directorio legendarum Horarum fer. 2da, qua solemnis Processio cum delatione SSmi Sacramenti habetur per hanc Civitatem.

Demum dilectissimi in Christo Fratres & Filii hortamur & obsecramus vos, ut in sortem Domini singulari privilegio vocati, in timore Domini, & casta, sancta, votoque solemni firmata conversatione viventes, ac in omni opere bono fructificantes, honorem Dei, & animarum salutem verbo aut exemplo ubique intendentes, auribus obedientiæ hæc, quæ vobis prælecta, & authoritate quidem Episcopali, magis autem paterno affectu demandata sunt, realiter & cum effectu impleatis, discatque a vobis exemploque vestro multitudo populi sæcularis, quem zelum honori Divino promovendo, propriæ saluti procurandæ, Nobisque ac jussis nostris obediendo debeat impendere. Nos Sacrificiis & precibus vestris commendantes, Benedictionem nostram Episcopalem vobis impertientes, dabamus præsentem Synodalium Constitutionum cum delectu excerptam recapitulationem manus nostræ subscriptione, & Sigilli majoris subimpressione firmatam. Monasterii anno 1662. 17. mensis Martii.

Christophorus Bernardus
mpp.

(L. S.)

Lecta in Synodo 21. *Martii.*



SYNO-

SYNODUS DIOECESANA COLONIENSIS, (*)

Sub Reverendiſſimo & Sereniſſimo Principe ac Domino,
D. MAXIMILIANO HENRICO, (**) utriusque Bavariæ Duce, Colonienſi Archi-Epiſcopo,

CELEBRATA
IN ECCLESIA METROPOLITANA
COLONIÆ
Eodem anno Chriſti MDCLXII.
DIEBUS 20. 21. ET 22. MENSIS MARTII.

DECRETA SYNODALIA DIOECESIS COLONIENSIS.

PRÆFATIO

Editioni Buſæanæ a. 1667., *qua uſus ſum, præmiſſa.*

MAXIMILIANUS HENRICUS, DEI ET APOSTOLICÆ Sedis gratia Archi-Epiſcopus Colonienſis, S. R. Imperii Princeps Elector, per Italiam Archi-Cancellarius, & Sedis Apoſtolicæ Legatus Natus, Epiſcopus ac Princeps Hildeſienſis, & Leodienſis, Adminiſtrator Berchtesgadenſis & Stabulenſis, Utriuſque Bavariæ, Superioris Palatinatus, Weſtphaliæ, Angariæ & Bullonii Dux, Comes Palatinus Rheni, Landtgravius Leuchtenbergenſis, Marchio Franchimontenſis, Comes Loſſenſis, Longienſis & Hornenſis, &c. Venerabilibus Nobis in Chriſto dilectis ac devotis Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ Colonienſis Præpoſito, Decano & Capitulo, nec non Abbatibus, Præpoſitis, Archi Diaconis, Collegiorum Decanis & Ruralibus, Capitulis & Canonicis, Commendatoribus, Prioribus, Guardianis, Rectoribus, Paſtoribus, Sanctimonialium Præfectis, Plebanis & Curatis, cæterisque Civitatis & Diœceſis noſtræ Colonienſis Clericis & perſonis Eccleſiaſticis tam Regularibus, quam Sæcularibus, Salutem in Domino ſempiternam.

INter cunctas ſolicitudines, quibus Suprema Eccleſiæ Capita, Sanctiſſimos nempe Pontifices Paſtorale preſſit olim, (a) *hodieque premit Officium, & debitum Apoſtolicæ ſervitutis aſtringit, illa præcipua eſt, ut gregi Dominico ipſis ſuperna diſpoſitione commiſſo animarum cura non deſit, ne illum lupus rapax, antiquus ſerpens, humani generis inimicus invadat, ejusque ſanguis de ipſorum (quod abſit) clamante Propheta* (b) *manibus requiratur: proinde quantum ex alto permittitur, pacem inſerere, ſcandala removere & jurgiorum materiam amputare nunquam non ſtuduerunt, magno Eccleſiæ bono, maximo animarum*

(*) Ejusdem Synodi Decreta extant pro ratione morum ac temporum annis labentibus ſic poſtulante, eaque diverſis etiam typis impreſſa. Quædam dedimus a pag. 729. h. T. Collectio illorum uberior Coloniæ Agrippinæ apud *Joann. Anton. Kinckium* a. 1661. in lucem prodiit. Bibliotheca Collegii noſtri Colon. habet illius exemplar, ſed quod titulo caret & prolegomenis.

(**) Elogium maximi hujus Archi-Epiſcopi vide ſuperius pag. 779. in quo addet Lector: *Sermus ejusdem parens*, poſt voces: *ſe dederat.*

(*a*) Extrav. Inter cunctas. De privileg. inter communes. (*b*) Ezech. 3. ℣. 18. & 20.

marum fructu, quem DEUS Omnipotens, & clemens, cujus natura bonitas, cujus voluntas patientia, cujus opus misericordia, (c) *incremento uberiori porro amplificare dignetur.*

Nos quoque a tempore illo, quo Nos Divina Bonitas ad Supremam Archi-Diœceseos Coloniensis Cathedram nullo nostro merito, sed ut mirabilem faceret gratiam suam, (d) *qui in eum sua merita contulit, in quo meritorum suffragia non invenit, dignata est provehere, quo Pallium, quod plenitudinis Officii Pontificalis insigne est,* (e) *a Romano Pontifice recepimus; quo vinculo Pastoralis sollicitudinis Ecclesiæ Coloniensi ligari cœpimus,* (f) *inter curas humeris nostris incumbentes perpeti cura revolvimus, ut Sacræ & Oecumenicæ Tridentinæ Synodo* (g) *insistentes, & Archi-Præsulum piissimæ memoriæ Antecessorum nostrorum pluribus retro sæculis, imo proxime Decessoris nostri FERDINANDI felicissimæ recordationis provido regimini inhærentes, ea ubique in Ecclesiastica nostra jurisdictione spectaremus, quæ DEI gloriam, Ecclesiæ incrementum, Archi-Diœcesani Ordinis & Status nostri honorem ac reverentiam, apud quascunque jurisdictioni nostræ subjectas animas promovere possent, ac proinde studiosissime in id incumberemus, ut Diœcesin nostram Divini Numinis favore in diebus nostris videremus, uti erat in primævo suo flore, Ecclesiastica disciplina, quæ est morum ordinata correctio, & Regularum a Majoribus traditarum studiosa observatio, vigentem, sacris studiis, quæ post Dei cultum & inculpatos vitæ mores ad universalis Ecclesiæ regimen maxime necessaria sunt, coruscantem, & omnis denique virtutis gloria rutilantem,* (h) *hoc est, quod profecto desideranter exquirimus, ad id nostræ mentis sedulo destinamus affectum, ac circa illud diligenti studio & studiosa diligentia vigilamus, nec ambigimus, quin ad hujusmodi nostrum desiderium assequendum saluberrimorum Statutorum sit expositio congrua, ipsorumque fidelis executio admodum opportuna.*

Quapropter prout Archi-Episcopalis Officii ratio exigit, communi bono prospicere volentes, ac periculis animarum, Ecclesiarumque Archi-Episcopali nostræ jurisdictioni subjectarum dispendiis, congruis remediis (quantum Nobis ex alto conceditur) salubriter occurrere intendentes, bonos exstimulare, errantes in viam veritatis reducere, lapsos erigere, omnes denique Deo, sua Nobis cooperante gratia, lucrifacere consultum atque perutile duximus, ut ita in quibusdam Diœceseos nostræ locis, vel subditis incorrupta augeretur Religio, in aliis refrigescens Officii sui cura incenderetur, ut apud nonnullos, de quo dolemus ex intimis, extincta reviviscat sanctarum nostrarum Constitutionum debita observantia; Cum enim sacri Canones, tanquam Ecclesiasticæ vitæ amusses, a Sanctissimis olim Pontificibus constituti, aliæque Sanctiones Apostolicæ Ecclesiæ universali latæ, omnibus omnino particularibus Ecclesiarum casibus, Provincialibus item ac Diœcesanis consuetudinibus, peravitis ritibus speciatim providere, omniaque particularia facta exhaurire nequaquam potuerint, hinc injunctæ Nobis debitum servitutis exposcit, ut quæ ad Diœcesin nostram solicite & debite gubernandam pertinent, uno ordine, succincta methodo, omnibus ac singulis cujuscunque in Hierarchia nostra Ecclesiastica functionis, gradus aut status forent, sic definiremus, ut unanimi sensu suas quisque partes ita perageret, ne vel Hierarchiæ status, vel gradus Harmonia a quopiam turbari conspiceretur; Idque vel tanto magis humeris nostris onus incumbere dignoscimus, quod quorundam nimis rigidam, aliorum contra nimis laxam in suo statu & gradu degeneri consuetudinem animadvertimus, ut vel discretionis sæpenumero desit moderamen, vel proterva quædam prudentiæ & Religionis adsit exuberantia, ita ut dum consulere disciplinæ, ac opus virtutis exigere volunt, (i) *non compatientes naturæ, non æstimantes possibilitatem, austeriora decernant, quam possit humana conditio sustinere, eaque præfigant, quæ non juvant, sed obstant ad meliora pergenti;* (k) *econtra vero nonnulli perantiquis suis, ut ajunt, consuetudinibus (quæ tamen verius in hac parte corruptelæ dicendæ) pertinaciter insistant,* (l) *adhæreantque, & effrænato quodam vivendi modo libitum pro licentia capientes, & per dissolutionis lubricum & sine ullo rationis imperio gradientes, neglecta honestatis observantia, & gravitate Ecclesiasticæ Religionis abjecta, vitam suam non sine Dei offensa, propriæ salutis dispendio, & pernicioso sæpe populi talia concipientis exemplo transigant,*

(c) S. Leo serm. 2. de Nativit. Domini. (d) S. Leo serm. 1. de Anniverf.
(e) Cap. Antiqua. de Privileg. (f) C. Magnæ. de Voto. (g) Sess. 24. de Refor. c. 2.
(h) Cap. Super specula. Ne Clerici vel Monachi. cap. Cum ex eo. De elect. in 6. Clementina 1. de Magistris. (i) S. Ambros. in Psalm. 118.
(k) S. Hieron. in Cap. 3. ad Galat. (l) Cap. Cum tanto. De consuetud.

gant, (m) *unde fit, ut qui ad reformandos hujusmodi in Nobis subditis mores & actus solertius intendere debemus, eorum defectibus vel excessibus occurramus, reformationisque accommodæ remedium apponamus. Insuper Ecclesiarum Regimen, & Deo consecratarum iisque appertinentium rerum usum, atque administrationem ita in quibusdam locis vacillare illubentes comperimus, ut Ecclesiæ plurimum damni, læsionis & ruinam ipsam sentire videantur, ipsaque rerum Ecclesiasticarum administratio, non absque irreparabili damno pessum eat, & illud, quod Ecclesiis ultro delatum erat, negligatur; Templaque, Altaria, Sacella sanctissime olim consecrata, & magno a Majoribus studio extructa & ornata suis spolientur ornamentis; quæ profecto cum animum nostrum, ut par est, non mediocriter crucient, Prædecessorum nostrorum tramitem secuti, ea, quæ ab iisdem circa hæc salubriter decreta, renovare, & alia, quæ ad rem hanc pertinere dignoscuntur, statuere, authoritate nostra Archi-Episcopali debite cogitamus & resolvimus, neque reprehensibile judicari debet, si secundum varietatem temporum Statuta quandoque varientur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit,* (n) *quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo. Præter hæc cum nonnulli habentes temporale Dominium, vel potestatis gerentes officium sæcularis libertatem & immunitatem Ecclesiasticam lædere ac minuere* (o) *tanquam honoris & privilegii Ecclesiarum invidi moliuntur, non attendentes, quod, quamvis ad manutenendam immunitatem ac conservandam libertatem non modo Ecclesiarum: sed etiam Ecclesiasticarum personarum, eorumque, qui in sortem Domini vocati, plurima tam Canonica, quam legalia edita sint Statuta, & diversæ etiam a diversis nostris Antecessoribus, ac Majoribus* (p) *super hoc provisiones emanarint, imo immunitas hæc Dei ordinatione constituta, nihilominus excrescente malitia quorundam, qui Nomen Domini in vacuum recipere non formidant, & solo nomine se Christianos gloriantur, diversæ & innumerabiles tribulationes & injuriæ Ecclesiis & Ecclesiasticis personis frequenter & maxime his temporibus inferuntur;* (q) *expedit, quod authoritate nostra (quos omnium curam & tutelam Ecclesiarum habere convenit) contra talium ausus & conamina opportunum remedium apponatur, ut Ecclesiæ non minus, quam ipsæ Ecclesiasticæ personæ, in plenitudine juris sui, & integritate libertatis lætentur, ac detestabilis nonnullorum audacia, & insolentium nefaria temeritas, propulsetur.*

Et licet per Diœcesin nostram in obeundis & administrandis Sacramentis solerter observatus hactenus sit ritus, in aliis quoque Sacramentalibus agendis, defunctorum humatione, justis persolvendis, & similibus concors sit stylus & observantia; ipsorum tamen temporum vicissitudo, & quorundam iis minus probe servientium incidens negligentia, vel affectata incuria hoc etiam in genere quippiam vel obliterare, aut prædictorum rituum & avitarum consuetudinum faciem immutare facile possent, quæ omnia, sicut monet Apostolus (r), *ut honeste & secundum ordinem fiant, non tam utile, quam expediens fuerit hujusmodi emersuris defectibus anticipate prospicere, quam post vulneratam causam medelam investigare.*

Nec minus pro concredito grege, quam ejus Rectoribus juxta debitum ministerii nostri Pastoralis onus, attenta diligentia & diligenti attentione soliciti ac vigiles circa Prælatos, Parochos, Regulares, aliasque personas Ecclesiasticas, cujuscunque gradus ac dignitatis, quos jurisdictionis nostræ & authoritatis Archi-Episcopalis quovis modo consortes esse voluimus, sui quoque Officii commonefacere necesse duximus.

Proinde vos, qui Christo proximi esse debetis, qui in Clero ceu Duces & Principes ad abolendas subditorum maculas cæteris præeminetis, immaculatam & irreprehensibilem traducere vitam (s) *necesse est, ut is, qui ex adverso est, vereatur nihil habens malum dicere de vobis. Si enim hi, qui in populo Dei eminent, potenti Spiritus Sancti virtute animati ac vegetati ab omni infirmitate sua convaluerint,* (t) *ac salutari virtutum omnium unguento perfusi fuerint, fieri non potest, quin eorum*

(*m*) Innocentius VI. in Bulla ad Wilhelmum Archiepisc. Colon. quæ inter ejusdem Statuta refertur pag. 177. (*n*) Cap. Non debet. De consanguinitate & affinit.
(*o*) Cap. Quia. De immunit. Eccles. in 6. (*p*) Engelbert. Archiepisc. Colon. in Præfat. Statutorum suorum pag. 19. Concil. Trid. Sess. 25. de Reform. c. 20.
(*q*) Engelbert. loc. cit. cap. Quia cit. (*r*) 1. Cor. 14. ℣. 40. (*s*) Ad Tit. 2. ℣. 8.
(*t*) Octavius Frangipanus Episc. Tricaricensis ad Ferdinandum Archi-Episcopum Coloniens. Coadjutorem.

eorum virtus vicina membra corripiat, foveat & vegetet; nimirum ut quemadmodum unguentum illud, quod descendit in barbam Aaron, mox pervasit extremam vestimenti ejus oram, (u) *sic Christi bonus odor, veraque pietas, ubi primos quosque Christiani populi Rectores, eorumque Cooperatores invaserit, veræque sanctitatis gustu & fructu immutaverit, mutantur mox alii omnes horum authoritate, exemplo & vitæ merito, & de hoc dubitandum non esse monet Sacrosancta Tridentina Synodus* (x); *vere enim veræ virtutis cupidinem ingenerat visa toties aliena virtus; econtra vero, si ii, qui animabus curandis præpositi sunt, & oculi Episcoporum, ut loco ipsorum per Episcopatum prospicientes, quæ corrigenda viderint, corrigant,* (y) *in jure appellantur, factis ipsis ac vitæ actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, se muneri suo conformes non ostendant, scandalum poterit Laicorum mentibus generari dicentium: ubi est Deus Clericorum? quod enim agitur a Prælatis,* (z) *in exemplum facile trahitur a subditis, juxta quod Dominus ad Moysen ait* (a): *Si Sacerdos, qui est unctus, peccaverit, faciet delinquere populum. Quare Prælati & Pastores scire debent, quia si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt,* (b) *unde necesse est, ut tanto se cautius a culpa custodiant, quanto per prava, quæ faciunt, non soli moriuntur, sed aliorum animarum, quas pravis exemplis destruxerunt, rei sunt; bonis itaque subditis bene vivere ad salutem sufficit, Prælatis vero propria vita non sufficit, sic nempe integritas Præsidentium salus est subditorum.*

Quapropter attendite vobis & pretioso deposito, quod vobis concreditum est, (c) *illudque insigne Christi verbum, quod hinc discedens, Petroque oviculas suas committens, post tertiam demum dilectionis stipulationem, promissionemque uti ultimum elogium ac memoriale fidelissime diligentissimeque inculcavit, & mente & opere tenete, quod est, Pasce agnos meos; ne sitis tanquam lupi rapaces, vulpeculæ vineam Domini demolientes, turpis lucri cupidi in ovile irrepentes,* (d) *qui, ut præclare loquitur S. Augustinus* (e), *non quærunt JESUM propter JESUM, sed ut saturentur de panibus; quibus procul dubio illud, quod est apud Ezechielem* (f), *dicetur: Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Verum econtra illud Apostolorum Principis* (g) *pareneticum oculis & mentibus infigentes: Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee, secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo, & cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam; oportet proinde, ut qui in partem solicitudinis nostræ assumpti, & a Deo fortissimo Zelote positi estis, quasi Custodes in vineis, zelo zelantes assistatis Nobis; Estote in Pastorali vestro munere strenui, in exequendis hisce Decretis indefatigati: nam parum est condere jura, nisi sint, qui ea debite executioni demandent;* (h) *estote veri Pastores, acerbas illas reprehensiones horribilesque minas, quas ignavis Pastoribus non minus Propheticæ, quam Evangelicæ & Apostolicæ voces uniformi consensu terribiliter intentant, vehementer horrete, quæ a vobis desiderantur, gnaviter adimplete, ut Dei iram declinare possitis, scientes, quod sit horrendum incidere in manus Dei viventis;* (i) *sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei, sit odor vitæ vestræ delectamentum Ecclesiæ Christi, ut prædicatione atque exemplo ædificetis domum, id est, familiam Dei,* (k) *quatenus nec Nos de vestra provectione, nec vos de tanti oneris susceptione damnari a Domino, sed remunerari potius mereamur.*

Quæ quidem omnia & singula, cum in Diœceseos nostræ florem, vigoremque non tantum salutaria & utilia, verum ad Ecclesiastici status, totiusque Cleri conservationem pernecessaria Nobis visa sint, officii commissi memores, jurisdictionisque Archi Episcopalis debitum exequi volentes, ad bona inferenda, prava evellenda, omnesque laudabiles Constitutiones, consuetudinesque Diœceseos nostræ conformandas, & si quæ subditorum nostrorum, super quorum universalem curam & custodiam fuimus constituti, neglectu sopita, temporumque iniquitate nonnihil obfuscata sint, resuscitanda ac redintegranda, quod Majores ac Prædecessores

(u) Psal. 132. ℣. 2. & 3. (x) Sess. 25. de Reform. c. 1. (y) Cap. Adhæc. de offic. Archidiac. Trid. loc. cit. (z) Cap. Magnæ. de Voto.
(a) Levit. 4. ℣. 3. (b) S. Greg. part. 3. Past. cap. 5. (c) S. Bern. serm. 76. in Cant.
(d) Joan. ult. ℣. 15. & 16. (e) In Cap. 6. Joan. (f) 34. Cap. ℣. 2.
(g) 1. Pet. 5. a ℣. 2. (h) Cap. Periculoso. §. Et quoniam. de statu Regularium in 6.
(i) Hebr. 10. ℣. 31. (k) Pontificale Rom. tit. de Ordin. Presbyt.

sores nostri magno sæpe animarum fructu fecerunt, id etiam sub spe consimili a Nobis faciendum, præsertim in tanta rerum jam commemoratarum, quam deprehendimus apud nonnullos, varietate, non solum utilissimum, sed etiam omnino necessarium judicavimus.

Idcirco Nos ex prænominatis, aliisque causis rationabilibus, quæ ad id animum nostrum induxerunt, de communi consilio pariter & assensu Venerabilis Capituli nostri Metropolitani universum Diœcesis nostræ Clerum ad Diœceseos ejusdem Metropolim Coloniam Agrippinam nuper congregari, Synodumque celebrari jussimus, prout tunc invocato Spiritus Sancti auxilio eandem effective celebravimus, cui etiam, prout par erat, Archi-Episcopali nostra authoritate Nos ipsi præsedimus, eo fine, ut succincta methodo, facili ordine, omnibus & singulis Diœceseos nostræ, quorum intererat membris, totique Clero palam faceremus, quid cuique in suo gradu, statu & ordine salubriter juxta ac utiliter observandum velimus, quod ut in oculis ac manibus pariter versaretur omnium, Constitutiones nostras Synodales authoritate nostra prædicta publici juris facere, & prælo committere decrevimus, & in hanc formam Reverendi Nobis sincere Dilecti Georgii Pauli Stravii, *Episcopi Joppensis, nostri, dum viveret, in Pontificalibus & Spiritualibus Vicarii Generalis, opera ac studio non mediocriter adjuti redigi fecimus. Porro cum nihil æque imperii imbecillitatem prodat, quam legum multiplicitas & observantium raritas, muneris nostri est, summo id agere studio, ut quæ tam maturo discussa sunt judicio, tamque salubriter decreta, optatissimum sortiantur effectum. Nos itaque authoritate ordinaria omnibus & singulis nostræ jurisdictioni subjectis, Apostolica vero etiam exemptis, ut hæc Decreta, omniaque & singula in eis contenta juxta tenorem suum, inviolabiliter & ad amussim observent & exequantur, districte mandamus atque præcipimus.*

Eadem quoque Authoritate imperamus omnibus & singulis, ad quos id spectat, ut etiam adhibitis, si necesse fuerit, censuris Ecclesiasticis, aliisque juris remediis, ac etiam invocato brachii sæcularis auxilio (si quorundam pertinax obstinatio aliter frangi nequeat) omnes sibi subjectos eadem observare realiter & cum effectu curent, atque compellant; ut vero eorum, quæ in hisce Decretis nostris præfiguntur, nullus ignorantiam prætendere queat, volumus atque etiam serio præcipimus, ut omnes & singuli (quorum interest) eadem Statuta quamprimum procurent, studiose evolvant, & magna attentione ruminent, non tam ut sciant, quam ut exactissime observent, & opere adimplere satagant, frustra enim illa custodientur memoria, si non custodiantur & vita. Quapropter quotquot sive Ordinariæ nostræ, sive Nobis a Sede Apostolica & Concilio Tridentino delegatæ jurisdictioni subjecti estis, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem (l) faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando, sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in Regnum æternum Domini & Salvatoris JESU CHRISTI.

DIRECTORIUM
PRO SYNODO DIOECESANA COLONIENSI
CELEBRANDA
COLONIÆ IN ECCLESIA METROPOLITANA
ANNO M.DC.LXII.
DIE VIGESIMA MENSIS MARTII, ET SEQUENTIBUS.

Circa quam consideranda sunt:

Præliminaria.
Agenda appropinquante die præfixa.
Agenda pridie diei.
Prima die Synodi agenda mane & post prandium.
Secunda die Synodi mane & post prandium agenda.
Ultima die agenda.
Post Synodum agenda.

Præ-

(l) 2. Pet. 1. ℣. 10. & 11.

PRÆLIMINARIA.

I. CApitulo Ecclesiæ Metropolitanæ exponenda intentio de habenda Synodo, ut de ejus consilio omnia fiant.

II. Edictum de celebranda Synodo affigendum ad valvas Ecclesiæ Metropolitanæ, aliarumque Ecclesiarum celebriorum tam intra, quam extra Civitatem, & mittendum tempestive ad omnes Diœceseos Prælatos, & Superiores, Archi-Diaconos, Decanos Rurales, atque per hos ad singulos Pastores.

III. Adjungendæ literæ Monitoriæ cum instructione brevi, quomodo & qualiter ante & in ipsa Synodo quisquis se gerere debeat.

IV. Tabula totius Cleri Diœcesis Coloniensis tam exempti, quam non exempti, dummodo alias cessante exemptione interesse debeant Synodo, conficienda est, ut secundum illam omnes & singuli citari, in Synodo evocari, & absentes contumaces puniri possint.

I. APpropinquante die præstituta designandus, disponendus & ornandus erit locus Synodi, itemque Altare separatum pro Venerabili Sacramento exponendo, Altare pro summa Missa, Sedes & Credentia, aliaque ordinaria pro Serenissimo juxta summum Altare, Thronus Synodalis pro Serenissimo, ornatu rubeo, subsellia hinc inde pro Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ, ornatu viridi, sedes minores pro Assistentibus, itemque pro iis, qui operam suam navant in Synodo, in specie pro Directoribus & Promotoribus duobus, Secretario, atque Actuario, & Lectore, omnia colore violaceo tecta, Cathedra pro Sermocinatore & Lectore Decretorum. Ordinanda quoque loca pro Prælatis mitratis, nec non Sæcularibus & Regularibus, aliisque Decanis Ruralibus, Pastoribus, & aliis in Tabula totius Cleri nominatis, idque tali ordine, ut nullus de aliquo præjudicio justam querelæ causam habeat.

II. Designanda hospitia pro Clero extraneo, si fieri potest, apud Ecclesiasticos Ecclesiæ Metropolitanæ viciniores, eoque fine constituendus tempestive hospitiorum Præfectus, qui adventantibus loca cuilibet congrua designet, quæ sumptibus quisque propriis, triduo Synodi durante, incolat.

III. Mature providendum de personis in celebratione Synodi necessariis, quales sunt:

- Celebraturus Missam Synodalem prima, secunda ac tertia die.
- Assistentes Serenissimo in Missa, & extra illam in Synodo.
- Directores Synodi.
- Cæremoniarius Synodalis.
- Sermocinatores duo.
- Secretarius sive Actuarius.
- Lector unus, vel plures.
- Cantores & Musici.
- Ostiarii, & alii famuli Cursores.

IV. Aliæ quoque personæ designandæ sunt, quarum pleræque deinde in Synodo ipsa publice nominantur, videlicet:

- Executores Decretorum & Promotores Synodales duo.
- Judices querelarum & excusationum.
- Confessarii Cleri cum potestate absolvendi a Reservatis, durante Synodo.
- Judices Causarum Apostolicarum.
- Examinatores Parochorum & Ordinandorum ad Curam.
- Librorum Censor.
- Pœnitentiarius.
- Commissarii Seminarii.
- Recognitores onerum & numeri Missarum.
- Testes Synodales.

V. Tempestive quoque prospiciendum de illis, quæ vel typo imprimi, vel manu scribi debent.

IMPRIMENDA SUNT.

Primo, Edictum sequentis tenoris:

EDICTUM CONVOCATORIUM
AD SYNODUM.

MAXIMILIANUS HENRICUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS &c. &c. Venerabilibus Nobis in Christo dilectis ac devotis, Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ Coloniensis, Præposito, Decano & Capitulo, nec non Abbatibus, Præpositis, Archi-Diaconis, Collegiorum Decanis & Ruralibus, Capitulis & Canonicis, Commendatoribus, Prioribus, Guardianis, Rectoribus, Pastoribus, Sanctimonialium Præfectis, Prioribus seu Con-

Confessariis, Plebanis & Curatis, aliisque Ecclesiasticis personis, tam Regularibus, quam Sæcularibus quibuscunque per Civitatem ac Diœcesin nostram Colonensem ubilibet constitutis, exemptis æque ac non exemptis omnibus ac singulis, quotquot de jure, vel consuetudine Synodo Diœcesanæ Coloniensi interesse possunt ac debent, salutem in Domino sempiternam.

ETsi quod a Nobis exigit Pastoralis Officii ratio, jam inde ab initio nostræ ad Metropolitanam Coloniensem Ecclesiam, cui a misericordissimo Domino, sine meritis nostris, in Sponsum & Pastorem dati sumus, promotionis, in eam semper curam, Deo aspirante, omni conatu ac indefessa solicitudine incubuerimus, qua ratione Dominico gregi custodiam simul ac disciplinam adhiberemus, nec difficile esset advertere corruptos injuria temporum non minus, quam hominum incuria in eadem Ecclesia nostra mores Cleri simul ac populi, labefactatamque Fidem Orthodoxam, non alia ratione meliori, quam quæ a sacris Canonibus, & signanter Concilio Tridentino præscripta, Majorumque ac Prædecessorum nostrorum salubri exemplo frequenter comprobata fuit, reformari atque in melius restaurari, atque ita reformata ac restaurata conservari ac stabiliri posse, proindeque nihil magis in votis nostris ac desideriis habuerimus, quam solemnem exactamque ad præscriptum eorumdem Canonum, & Ss. Concilii, Synodum Diœcesanam celebrare, eique non solum præsidere personaliter, sed etiam solido veluti fundamento successuras deinceps annis singulis Synodos superstruere, in quibus tum ea, quæ ad Dei imprimis honorem, cultum Sanctorum, ac Divinum Officium promovendum, depravatos Cleri & populi nostri mores formandos, tollenda errores & schismata, Religionis integritatem, pietatem, disciplinamque Ecclesiasticam restauranda, viderentur conducere maturo consilio deliberate ordinarentur ac decernerentur: Ab ea tamen cogitatione frequenter, & quod, non sine magno animi dolore, experiri Nos oportuit, continuis fere impedimentis, non quidem plane revocati, plurimum tamen abstracti fuimus. Inprimis enim nostra ad Coloniensem hanc Ecclesiam provectio in ea tempora incidit, quibus non ipsa duntaxat Ecclesia ac Diœcesis nostra, sed universa propemodum Germania, ex atrocissimo plurimorum annorum bello vix aliquantulum respirans, Clericos passim videre coacta est a beneficiis & possessionibus suis exules, Pastores percussos, ovesque gregis dispersas, omni ferme earundem congregandarum spe sublata, nisi & ferventiores ad Deum preces & constans fiducia, ac longanimitas, ipsaque potissimum populi inexplicabilis miseria Divinum Numen ad misericordiam, ut sperare fas est, permovissent, ac tandem post annorum aliquot curricula, Clerus Ecclesiis & populo, uterque suis sedibus, ejusdem Numinis bonitate fuissent restituti: adeo vero etiam postliminio reversis, & antecedentium temporum difficultatibus fuerunt accisa ac pene nulla temporalium rerum (sine quibus ægre spiritualia tractantur atque subsistunt) subsidia, ut in summis illis temporum, rerumque angustiis, difficillimum profecto fuerit, Prælatos, Pastores, aliosque Diœcesis nostræ Sacerdotes & Clericos, per eandem longe lateque diffusos, sumptibus, itineribus & incommodis non modicis in unum, prout in Domino optassemus, congregare non solum, sed, quod rerum tractandarum gravitas exposcebat, per dies plures extra proprii quemlibet domicilii ac residentiæ loca, diutius in Civitate nostra distinere. Accesserunt his impedimentis præter publica, eaque gravissima, universum Imperium Romanum contingentia negotia, etiam vicinorum Regum dissidia, quibus componendis non curam ac solicitudinem duntaxat, sed propriam quoque personam impendere necessarium habuimus.

Nunc posteaquam, singulari Dei benignitate a præfatis aliisque turbis & obstaculis nonnihil expeditos esse concessum est; Nos tempus hoc Divinæ Majestati suæ beneplacitum & acceptabile futurum rati, ejusdem gratia aspirante, mentem, animumque nostrum ipsaque cordis & animi penetralia novis, iisque fortissimis motibus pulsari sentimus, desideriumque quotidie crescens experimur, quo tandem Prælatos, & Clerum Pastorali nostræ solicitudini commissos, Nobiscum in Dei nomine congregatos videre, eosdem paterne amplecti universos, atque una cum iis congregatis, Spiritu Sancto prævio ac ductore, verba salutis tractare, definire, decernere, Nobis concedatur.

Igitur in Nomine DEI Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, deque ejusdem Sanctissimæ Trinitatis adjutorio humiliter confisi, Synodum Diœcesanam Coloniensem indicendam & celebrandam esse constituimus, prout eandem de Venerabilis Decani & Capituli nostri Metropolitani consilio pariter & assensu indicimus, & ad DEI gloriam, Clerique ac populi nostri salutem, celebrandam esse decernimus in Civitate nostra Coloniensi, atque

atque in Ecclesia Metropolitana, Feria secunda post Dominicam Lætare, *quæ erit vigesima mensis Martii, currentis hujus anni millesimi sexcentesimi sexagesimi secundi, cum continuatione dierum sequentium, quotquot ad res in ea tractandas erunt necessarii. Vos igitur Præpositum, Decanum & Capitulum Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ prædictæ, Abbates, Præpositos, Archi-Diaconos, Decanos Collegiorum & Rurales, Capitula & Canonicos, Commendatores, Priores, Guardianos & Rectores, Pastores, Sanctimonialium Præfectos, Priores, seu Confessarios, Plebanos & Curatos, aliasque Ecclesiasticas personas, tam Regulares, quam Sæculares quascunque per Civitatem & Diœcesin nostram ubilibet constitutas, exemptas æque, ac non exemptas, quotquot de jure aut consuetudine Synodo Diœcesanæ Coloniensi interesse potestis ac debetis, supradictas omnes & singulas tam Sacri Concilii Tridentini, quam Ordinaria nostra authoritate, in Domino requirimus, hortamur & monemus, atque etiam sub pœnis & censuris in jam dicto Concilio expressis, & alias à jure contra inobedientes & contumaces decretis, & eisdem infligi solitis, præcipimus & mandamus, ut in diem ac locum Synodo Coloniensi Diœcesanæ, ut præfertur, celebrandæ, præstituta, per vos ipsos, vel si justo impedimento fueritis detenti, de quo Nobis fidem facere teneamini, per legitimos Procuratores & Nuntios tempestive occurratis, & mane ad sonitum campanæ majoris, in habitu ac tonsura Ecclesiastica, prout uniuscujusque dignitati ac Ordini congruis, compareatis, Sacro-Missæ Officio celebrato (in quo Divini Numinis opem ad hoc devote implorabitis) Nobiscum ea peracturi, quæ ad ejusdem Numinis laudem & gloriam, Ecclesiæ Catholicæ, & Diœcesis nostræ Coloniensis spirituale incrementum, Cleri ac populi mores formandos, Ecclesiasticam disciplinam promovendam, restaurandam Religionis integritatem, & salutem denique animarum quomodolibet esse necessaria videbuntur vel opportuna.*

Quod si, monitione ac mandato nostris non attentis, aliqui ex vobis ad Synodum a Nobis per præsentes literas legitime indictam venire, atque in eadem comparere neglexerint aut contempserint, Nos contra inobedientes & contumaces hujusmodi, pœnas & censuras illas, quas tum sacrum Concilium, tum jura Canonica in ejusmodi statuunt, aliasque arbitrarias infligendo, nihilominus, eorum inobedientia seu contumacia non obstante, ad Synodi celebrationem, usque ad executionem eorum, quæ in ea decernentur ac statuentur, omnium & singulorum, procedemus & faciemus procedi. Volumus autem, ut omnes & singuli Ecclesiarum Prælati, Archi-Diaconi & Decani, quamprimum ad eos præsens nostrum Edictum pervenerit, in singulis Ecclesiis, eorundem curæ vel inspectioni commissis, ubi id commode fieri poterit, duas ad minus hebdomadatim Missas pro felici successu Synodi, usque ad ejusdem exitum, dici procurent, populumque sedulo faciant admoneri, ut assiduis precibus a Patre Misericordiarum ac Deo totius consolationis assistentiam Sancti Spiritus efficacem Nobis imploret, qua suffulti, consilia, sermones, actionesque nostras in finem dirigamus, qui est CHRISTUS JESUS Redemptor noster, cui in sanctitate & justitia servire nos oportet omnibus diebus nostris.

Ut autem hæ literæ ad omnium, quorum interest, notitiam deveniant, earum exemplaria typis excusa, & nostro Sigillo munita valvis Ecclesiarum nostræ Metropolitanæ, nec non Collegiatarum Ss. Cassii & Florentii Bonnæ, S. Victoris Xantis, S. Patrocli Susati, Smæ Virginis Mariæ Dusseldorpii, S. Swiberti Cæsaris Insulæ, Smæ Virginis Matris Resæ, Smæ Virginis Mariæ Juliaci, Ss. Chrysanthi & Dariæ Monasterii Eiffliæ, S. Quirini Novesii, S. Walburgis Meschedæ, S. Martini Kerpenæ, S. Hyppoliti in Gerresheim &c. affigi, & ad singulos Decanos Rurales destinari volumus, perque earum affixionem & insinuationem eos omnes, quos concernunt, non secus obligatos esse declaramus, quam si ipsismet coram prælectæ ac insinuatæ fuissent.

Secundo,

Literæ Monitoriæ

sequentis tenoris:

Jussu & authoritate Reverendissimi & Serenissimi Principis ac Domini nostri Clementissimi, D. MAXIMILIANI HENRICI Archi-Episcopi Coloniensis &c. omnibus & singulis de Clero Civitatis ac Diœcesis Coloniensis &c. Sæcularibus & Regularibus, quorum interest, notum sit, postquam Serenissima sua Celsitudo per patentes suas literas sub die prima mensis Februarii hujus anni emissas, Synodum Diœcesanam in Civitate Coloniensi, atque in Ecclesia ejusdem Metropolitana die vigesima mensis Martii anni jam dicti inchoandam, & cum continuatione dierum sequentium prosequendam ac debito fine terminandam indixit, cupiatque & exoptet omnia

omnia in illa quam decentissime atque secundum ordinem fieri, qui deceat Congregationem Sanctorum; Hinc ejusdem Reverendissimæ ac Serenissimæ Celsitudinis suæ auctoritate & mandato moneantur inprimis omnes quarumcunque Ecclesiarum Collegiatarum, nec non Conventuum ac Collegiorum Religiosorum Prælati, Rectores ac Superiores, Decani item Rurales, & Pastores, ut, juxta tenorem Archi-Episcopalis Edicti, duas ad minus Missas hebdomadatim in eorum Ecclesiis celebrari procurent, pro felici successu Synodi, usque ad ejus conclusionem.

2. *Sanctimoniales autem in suis Monasteriis & Conventibus Hymnum:* Veni Creator *&c. cum Oratione de Spiritu Sancto, & Litanias omnium Sanctorum eadem intentione, dicant omni die in Choro post Missam Conventualem, vel hora opportuna. Deinde omnes & singuli de Clero foraneo per præfatum Edictum citati, pro die ipsius Synodi celebrandæ circa meridiem se sistant in Civitate Coloniensi, apud Magistrum Latorum Curiæ nostræ Archi-Episcopalis* Nicolaum Thoni, *in Aula ibidem nostra Coloniensi designatum ad hoc Præfectum, ut si qui ex illis propria, vel alias conducta non habeant diversoria, illis a jam nominato Præfecto hospitia assignentur, durante Synodo, propriis cujusque ac moderatis sumptibus incolenda.*

3. *Archi-Diaconi majores & minores ad Serenissimum, ejusque Vicarium in Spiritualibus Generalem tempestive, atque ad minus octiduo ante Synodum mittant numerum ac nomina Decanatuum, & Decanorum Ruralium intra fines seu terminum Archi-Diaconatuum sive Regiuncularum curæ suæ commissarum, Constitutorum, nec non Collegiorum, Monasteriorum, Conventuum & Fundationum piarum.*

4. *Decani Rurales omnes quarto ante inchoandam Synodum die compareant personaliter, atque coram eodem nostro Vicario, aliisque ad hoc deputatis deponant quam exactissime nomina Pastorum, Vice-Pastorum seu Curatorum; Beneficiatorum quoque aliorum, etiam sine cura, in singulis Ecclesiis proprii cujuslibet Decanatus existentium.*

5. *Pastores similiter tam sua, quam quorumcunque Beneficiatorum, nec non locorum piorum in districtu Parochiæ suæ existentium nomina, ac seriem in ipsa Synodo exhibere parati sint.*

6. *In loco Synodi omnes compareant in tonsura ac habitu Ordini, dignitati ac statui cujusvis congruente; Ecclesiæ Metropolitanæ Canonici habitu Chorali albo induti, Abbates mitrati sine pedo, pluviali rubeo, ac mitra simplici (exempti tamen uti poterunt auriphrigiata) Præpositi similiter, Archi-Diaconi & Decani Civitatis Coloniensis pluvialibus vestiti, reliqui tam Prælati, quam Canonici in habitu suo Chorali albo, Regularium Ecclesiarum Præpositi ac Superiores, nec non Rurales Decani stolis rubeis latioribus, denique Parochi stolis ordinariis, omnes vero & singuli superpelliceis mundis, & cum quadrato seu bireto decenti comparebunt, Breviarium secum, & nomen tum proprium, tum titulum Beneficii ac provisionem, aliaque superius expressa deferentes.*

7. *Tam Decani Rurales, quam Pastores & Curati omnes ac singuli in promptu habeant, scriptoque commonstrent, quid, quantumcunque ex antiqua consuetudine sint pendere soliti, imprimis ad taxam ordinariam pro subsidio, deinde pro Decimatione, denique pro Cathedratico, quod tamen pro hac vice remittitur, idque juxta formulas infrascriptas.*

8. *Necessarias in aliquot dierum victum, quatenus Synodus duraverit, expensas, omnes Pastores ad manum habeant; Oeconomo seu Collectori in hanc rem deputato depromendas.*

9. *Nemo eorum, qui vocati sunt ac citati, quique huic Synodo interesse debent, per Procuratorem, nisi gravissima urgente causa, atque in procuratorio explicata, sed personaliter omnes compareant.*

10. *Parochi, qui Capellanos aut Vicarios non habent, pro eo tempore, quo Synodus durabit, ipsique absentes fuerint, pro servitio Ecclesiarum suarum tantisper surrogent Sacerdotes alios sæculares, vel Regulares authoritate ordinaria approbatos.*

11. *Omnes & singuli de Clero Sacerdotes, ac non Sacerdotes, quicunque Synodo interurerunt, præparati sint ad Sacrificandum tempestive prima die Synodi, vel sacram Communionem sumendam ex manibus Serenissimi & Reverendissimi Domini Archi-Episcopi, quo fine, atque ut eo dignius quisque se ad sacram Synaxin præparet, unus aut plures in Ecclesia Metropolitana præsto erunt Confessarii, qui omnes & singulos ad se recurrentes tum ante, tum ipsa Synodo durante, a peccatis & censuris quibuslibet Ordinario reservatis, absolvere possint, aliis quoque diebus non omittant Presbyteri necessitates Ecclesiæ Coloniensis DEO per Missæ Sacrificium, reliqui autem de Clero per frequentiores preces humiliter ac devote commendare.*

12. *Non solum autem in ipsa Synodo, atque in Ecclesia, sed etiam foris in diversoriis, & in publico omnes modeste, graviter, religioseque versentur, Directoribus, Præfectis & Cæremoniariis obtemperent, ac tales ubique se præbeant, quales esse & conspici decet Christi & Ecclesiæ Ministros.*

13. *Si quæ pro necessitate, vel decore Ecclesiæ proponenda sint ad Synodum spectantia,* ea

ea tempestive ad Serenissimum, ejusvè Vicarium destinentur brevi scripto, ut eorum si expediens fuerit, in ipsa Synodo haberi ratio possit.

14. *In Processionibus, Sessionibus, Stationibus, aliisque actionibus ea habebitur ordinis ratio, ut consuetudo cum possessione moderna pro norma sit; Decani autem Rurales, juxta ordinem suæ promotionis sedeant atque incedant, omnes vero sciant, nemini ex inferiori, vel superiori cujusquam sessione præjudicium aliquod creandum fore. Formulæ autem, de quibus superius est facta mentio, sunt sequentes:*

PRO DECANIS RURALIBUS.

EGo NN. Pastor in N. Decanus Christianitatis N. sub Archi-Diaconatu N. constitutæ, habeo sub meo Decanatu Parochias numero NN. inter quas aliquæ sunt filiales, videlicet N. dependens a Matrice N. item N. dependens a Matrice N. Capellas N. Parochia N. sicut ex antiquis documentis constat, solvere consuevit ad taxationem tantum [NB. exprimatur quantitas monetæ] ad decimationem tantum, & ad Cathedraticum tantum.

PRO PASTORIBUS.

EGo NN. Pastor in N. sub Decanatu N. constitutus habeo Adjutores & Beneficiatos in Ecclesia mea Parochiali, imprimis N. Vicarium, N. Capellanum, N. Beneficiatum, N. Altaristam, Collatores eorundem sunt NN. item sunt intra districtum Parochiæ meæ Monasteria N. Virorum Ordinis N. item N. Virginum Ordinis N. Capellæ, loca pia NN. mea Parochia antiquitus pendere consuevit ad taxam, tantum, ad decimam tantum, ad Cathedraticum tantum. Vicarius dare consuevit ad taxam tantum, ad Decimam tantum, ad Cathedraticum tantum. Ego NN. Pastor ut supra m.pp.

Tertio, Professio Fidei Catholicæ, quæ habetur Statutorum Synodalium Parte I. Tit. I.

Quarto, Acclamationes, sequentis tenoris:

DEO Patri misericordiarum, & DEO totius consolationis & gratiæ omnis laus, honor & gloria in sæcula sæculorum. fa fa fa re.

Respondent omnes: *Amen, Amen, Amen.*

Beatissimo Papæ ALEXANDRO, Sanctæ & Universalis Ecclesiæ Pontifici, Christiani nominis in omnes terrarum partes propagatio, cunctarum gentium obedientia, pax vera, diuturna prosperitas.

Resp. *Domine Deus Sanctissimum Patrem nostrum Ecclesiæ tuæ conserva, mitte illi auxilium de Sancto, ut, eo gubernante, gentes omnes illuminentur, &, quæ dispersæ sunt, in unum Ecclesiæ tuæ ovile colligantur.*

Imperatori LEOPOLDO, & omnibus Principibus Christianis Catholicæ Religionis zelus, justitia & pacis fæcunditas, & contra Christianæ fidei hostes victoria.

Resp. *Princeps cœlestis terrenos Principes Catholicæ fidei, æquitatis & concordiæ conservatores, atque hostium nostrorum exanimatores custodi.*

Reverendissimo & Serenissimo Antistiti nostro, hujus Synodi Præsidi, ejusque Ministris salutaris vigilantia, in laboribus constantia, & fœlix exitus.

Resp. *Omnipotens Deus super Antistitem nostrum benedictionum tuarum dona multiplica.*

Civitati & Diœcesi Coloniensi tranquillitas, salus & Divinarum gratiarum abundantia.

Resp. *Benedic Domine filios tuos & esto in circuitu populi tui ex hoc nunc & usque in sæculum.*

MAXIMILIANO HENRICO Archi-Episcopo & Pastori vigilantissimo, disciplinæ Ecclesiasticæ Assertori perennes gratias.

Resp. *Perennes gratias, incolumem, salvumque illum nobis Dominus diutissime custodiat atque conservet.*

Totius Synodi Clero atque Conventui pacem, concordiam & gratiam a Domino.

Resp. *Pacem, concordiam & gratiam semper nobis Dominus concedat.*

Decretorum hujus Diœcesis observantiam salutarem omnes, qui hic adsumus, unanimi voto a Deo bonorum omnium Largitore humiliter imploremus, intercedente Deipara Virgine MARIA, Domina nostra, cum Beatis Apostolis Petro & Paulo, & Beatis Patronis nostris, tribus Regibus, Felice, Nabore, Severino, Cuniberto, Annone, Evergislo, Engelberto & omnibus Sanctis.

Resp. *Fiat, Fiat, Amen, Amen.*

Quinto, Directorium Visitationis in Synodo, si videtur distribuendum.

Sexto, Liber Statutorum Synodalium.

MANU

MANU SCRIBENDA.

Primo, Tabula totius Cleri. 4. Exemplaria.

Secundo, Ordo totius Processionis, quæ instituetur sub initium & finem Synodi, modo sequenti:

QUadrante ante octavam totus Clerus sæcularis Civitatis Coloniensis in Metropolitana Ecclesia congregatus gravi incessu accedit ad Palatium Serenissimi, ibique moratur, donec egrediente Serenissimo e suo conclavi detur signum egressus per Cæremoniarium: tum prælata Cruce Metropolitanæ Ecclesiæ ac Crucibus Collegiatarum procedunt omnes bini & bini ad Ecclesiam, ac primo minus digni, deinde digniores usque ad Capitulum Metropolitanum exclusive; post Clerum Prælati Collegiatarum Ecclesiarum, Abbates & D. Suffraganeus, & per Ministros suos curant deferri post se mitras; ante Serenissimum defertur Crux Archi-Episcopalis, Serenissimum sequitur Capitulum Metropolitanum suo ordine. Interea dum Clerus sæcularis Serenissimum e Palatio deducit ad Ecclesiam, Clerus Regularis intra Ecclesiam sese disponit ad Processionem transeundo ante Ss. Tres Reges versus Capellam Beatissimæ Virginis subsistendo, donec dato signo progredi jubeatur.

Serenissimus ingressus Ecclesiam procedit, transeundo per Clerum stantem hinc inde a lateribus (cui singuli debitam faciunt reverentiam) ad sepulchrum Ss. trium Regum, inde ad Capellam Beatissimæ Virginis, ubi postquam aliquantulum oraverit, ad locum Synodalem, & in eo paratam sedem Archi-Episcopalem, ubi sedens induitur indumentis Pontificalibus, & pulsantur organa.

Dum Serenissimus induitur, fit Processionis initium, & pergit Clerus Regularis, ordine, quo in Processionibus procedere solet: PP. Capucini, PP. Recollecti, PP. Cruciferi, PP. Augustiniani, PP. Carmelitæ, PP. Minoritæ, PP. Dominicani, PP. Benedictini, Pastores Civitatis Coloniensis cum stolis rubeis: Capitulum S. Cæciliæ, Capitulum S. Ursulæ, Capitulum Beatæ MARIÆ Virginis in Capitolio, Capitulum S. Georgii, Capitulum Beatissimæ Virginis in Gradibus, Capitulum ad Ss. Apostolos, Capitulum S. Andreæ, Capitulum S. Cuniberti, Capitulum S. Severini, Capitulum S. Gereonis; postea Prælati Civitatis Coloniensis cum pluvialibus rubeis, Abbates quoque cottis ac pluvialibus induti cum mitra, & D. Suffraganeus cum rochetto, stola, pluviali ac mitra, deferens baculum S. Petri, tum Crux Archi-Episcopalis & post eam Serenissimus indutus alba, stola, pluviali rubri coloris, cum mitra & pedo; Prælatis Metropolitanæ Ecclesiæ etiam pluvialibus vestitis hinc inde pluviale Serenissimi sublevantibus, aliis Ecclesiæ Metropolitanæ Prælatis & Canonicis immediate subsequentibus. Mox ut Serenissimus e sede sua descendit ad Processionem, Cantores genuflexi inchoant Hymnum: *Veni Creator Spiritus*, & prosequuntur per Processionem cantando successive Responsoria de Sanctissima Trinitate, de S. Petro Apostolo, Ss. tribus Regibus.

Porro Processio dirigetur ex Metropolitana Ecclesia ante Ss. tres Reges & Capellam Beatissimæ Virginis versus portam Commentariensem transeundo ad pinguem gallinam sub porta Flaminea, per plateam potatoriam ante Aulam Coloniensem redeundo ad Ecclesiam Metropolitanam, per portam majorem juxta campanile ad locum Synodalem, & loca singulis assignata.

Sub prima Processione Clerus extraneus in locis assignatis reditum Serenissimi modeste præstolatur; quem tamen Processionem pro majori solemnitate sub finem Synodi comitari convenit.

Tertio, Professio Fidei brevis majusculis literis scribenda in tabula, sequentis tenoris:

EGo N. N. recipio, promitto, spondeo, profiteor, detestor, anathematizo, voveo & juro, ut in formula Professionis fidei modo lecta, singula singulis referendo; sic me Deus adjuvet & hæc Sancta Dei Evangelia.

In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &c.

Quarto, Juramentorum formulæ pro Examinatoribus & Testibus Synodalibus, sequentis tenoris:

EGo N. N. Examinatoris Officium, quod suscepi, promitto, spondeo, & juro, me fideliter & sincere, quantum in me erit, executurum, sic me Deus adjuvet & hæ Sanctorum Reliquiæ.

Ego N. N. Testis Synodalis a Reverendissimo Archi Episcopo nominatus promitto, spondeo & juro, quod a modo in antea, quidquid

quid novi, aut audivi, aut postmodum inquisiturus sum, quod contra voluntatem Dei, aut rectam Christianitatem in regione mihi commissa factum sit, vel futurum erit, si in diebus meis venerit tantum ad meam cognitionem quocunque modo, si scivero, aut mihi indicatum fuerit, causam esse Synodalem, & ad Ministerium Reverendissimi Archi-Episcopi pertinere, quod ego nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam ullatenus celabo Reverendissimum Archi Episcopum, aut ejus Missum, qui hoc me interrogaverit, sic me Deus adjuvet & hæ Sanctorum Reliquiæ.

I. PRIDIE DIEI pulsandæ sunt campanæ majores Metropolitanæ, & omnium Ecclesiarum totius Civitatis duabus horis, & vicibus, ita ut primus pulsus inchoetur post horam duodecimam, secundus sub crepusculum hora sexta, de quo tempestive monendi sunt Præfecti & Custodes Ecclesiarum.

II. Omnia ad Synodum necessaria in Ecclesiam deferenda, suoque loco & ordine collocanda sunt, ut postridie sine strepitu, tumultu aut confusione peragi possint.

III. Determinandus circuitus, per quem instituenda sit Processio Synodalis.

IV. A Directoribus & Cæremoniariis locus ipse, omnia ad Synodum celebrandam necessaria diligenter inspicienda sunt, ne quid vel deficiat, vel incongrue dispositum sit.

V. Affigendæ ad valvas Metropolitanæ & aliarum Ecclesiarum schedulæ hujus tenoris:

Crastina die, quæ erit vigesima mensis Martii, anni Millesimi sexcentesimi sexagesimi secundi, hora septima omnes, qui Synodo interesse debent, adsint induti superpelliceis & habitu congruente in Ecclesia Metropolitana, ut exinde ordine suo procedere possint ad Palatium Serenissimi & Reverendissimi Archi-Episcopi & deducere eundem ad Ecclesiam.

VI. Similiter in Ecclesia Metropolitana affigendæ schedulæ distributionis Cleri, majusculis literis scriptæ.

Ipsa die Synodi prima.

I. Mane, absolutis Matutinis, cæterisque Horis Canonicis, ab hora septima usque ad octavam iterum in omnibus Ecclesiis pulsantur campanæ sicut pridie factum.

II. Interim Serenissimus in Palatio suo se præparat cum suis Assistentibus & Ministris ad ingressum in Ecclesiam cappam indutus.

III. Totus Clerus primarius & secundarius statim post septimam congregatur in Æde Metropolitana, singuli secundum ordines in singula loca sive Sacella distributi.

IV. Quadrante ante octavam totus Clerus sæcularis Civitatis Coloniensis in habitu congruente gravi incessu venit ad Palatium Serenissimi, ordine, quo in Processionibus consuevit.

V. Accedentibus ad limen Palatii obviam fiunt aliqui ex Ministris Serenissimi, Ecclesiastici & sæculares Nobiles, qui Capitulum Metropolitanum, & Prælatos ad Aulam locumve commodum Palatii introducant, reliquo Clero inferius in atrio expectante.

VI. Egressus e conclavi suo Serenissimus cum Ministris & Assistentibus salutat capite annuendo omnes in anteriore Aula præsentes.

VII. Tum egrediuntur omnes bini & bini, & ad Ecclesiam procedunt hoc ordine, ut præcedant cum Cruce Metropolitana Cruces Collegiatarum Ecclesiarum: mox procedit Clerus, ac primo minus digni, deinde digniores; post Clerum deportatur Crux Archi-Episcopalis, quam sequitur Serenissimus cappa indutus, subsequentibus Prælatis & Canonicis Metropolitanis.

VIII. Ingresso in Ecclesiam Serenissimo, pulsantur Organa, dignior Canonicus porrigit Aspersorium [quod Clerus aliquis ad manum habeat cum vase aquæ benedictæ] quo se ipsum & vicinos aspergat.

IX. Clerus in Ecclesia hinc inde stans, transeuntem Serenissimum veneratur, Serenissimus autem recte procedit ad Altare, in quo est expositum Venerabile Sacramentum, ubi procumbens in genuflexorium orat nonnihil mentaliter.

X. Fit Processio juxta ordinem præscriptum.

XI. Finita Processione, Serenissimus ascendit ante Altare majus, in quo Missa celebranda, cum Ministris & Assistentibus, orat nonnihil in genuflexorio, vadit ad sedem suam, ubi paratur ad Missam more consueto, in Missa non utitur Pallio Archi-Episcopali.

XII. Missam canit Serenissimus de Spiritu S. absque ulla Commemoratione, in qua toti Clero præbet Communionem sacram, Ornatus & paramenta erunt rubra, in fine Missæ non datur benedictio, sed post Synodum.

XIII. Finita Missa, Serenissimus redit ad sedem suam, exuitur Pontificalibus indumentis usque ad tunicellam inclusive, accipit pluviale, mitram & baculum. Prælati

lati retinent paramenta [id est] superpellicеum, amictum & pluviale, quibus debent esse induti tempore Synodi.

Sessio prima Synodalis.

I. SErenissimus vadit ad locum Synodalem in thronum sibi paratum, sedet aliquantisper mitram habens & baculum, Cruce ante ipsum & versus ejus faciem semper retenta.

II. Surgit Serenissimus deposita mitra, eoque stante, cantat Diaconus assistens: *Orate*.

III. Serenissimus se ad Altare vertit, genuflectit super genuflexorio ad hoc parato, genuflectit etiam Clerus, orat nonnihil mentaliter, deinde manens genuflexus, inchoat in cantu Antiphonam: *Exaudi nos Domine* &c. ut in Pontificali.

IV. Inchoato Psalmo: *Salvum me fac* &c. sedet cum mitra, sedet etiam Clerus, alternatim cantans Psalmum.

V. Psalmo finito & repetita Antiphona, surgit Serenissimus, ac deposita mitra versus Altare dicit Orationes: *Adsumus Domine* &c. & *Omnipotens* &c. ut in Pontificali.

VI. Postea Cantores inchoant Litanias, sub quarum finem Serenissimus cum mitra & baculo stans benedicit Clero, ut in Pontificali, &, iis finitis, dicit Orationem: *Da quæsumus* &c. ut ibidem.

VII. Serenissimus ascendit faldistorium in plano Altaris collocatum, ibique Diacono & Subdiacono cum Thuriferario & Ceroferario accedentibus, benedicit incensum more solito.

VIII. Diaconus cantat Evangelium: *Convocatis JEsus duodecim* &c. Subdiaconus porrigit librum cum textu osculandum, Diaconus incensat.

IX. Serenissimus genuflexus sine mitra, inchoat Hymnum: *Veni Creator* &c. Finitoque primo versu, surgit, stans versus Altare usque ad totius Hymni finem.

X. Serenissimus alloquitur Clerum, dicens intelligibili voce: *Venerabiles Consacerdotes & Fratres nostri* &c. ut in Pontificali.

XI. Sermocinator accedit Serenissimum genuflexus, petit benedictionem, quam sola manu & signo Crucis dat Serenissimus, ascendit Cathedram ac breviter perorat.

XII. Lector conversus ad Synodum, dicit alta voce:

Si quis ex Clero habet querelas vel gravamina, ea postea deferat ad Judices querelarum designandos in Synodo.

XIII. Tum Lector comitatus a Cæremoniario accipit librum Decretorum, & accedens ante Serenissimum, factaque profunda inclinatione, porrigit eundem librum, dein genuflexus interrogat in hunc modum:

Placetne Reverendissimæ & Serenissimæ Celsitudini Vestræ, ut præsentia Decreta legantur?

Annuente Serenissimo per verbum *Placet*, surgit Lector, recipit Decreta, factaque iterum reverentia, vadit ad suggestum, in eo stans detecto capite, legit alta voce Decretum *de incohanda Synodo*.

In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen.

MAXIMILIANUS HENRICUS, DEI & Apostolicæ Sedis gratia Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, S. R. Imp. Princeps Elector, Bavariæ Dux, &c. Dominus noster Clementissimus, ad DEI Omnipotentis ac Beatissimæ Virginis Mariæ, nec non Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum, aliorumque ejusdem Ecclesiæ Patronorum & Sanctorum omnium honorem & laudem Diœcesanam Synodum Coloniensem incipiendam esse decernit, eamque incipit. Faxit idem DEUS Omnipotens & clemens, ut ex ea lumen & spiritum recipiant omnes, ad officia sua secundum voluntatem Dei peragenda.

XIV. Sedet dehinc Lector in cathedra seu suggestu, ac legit Decretum *de modo vivendi in Synodo:*

QUoniam nihil fere sæpius tam Divinis literis, quam Ecclesiasticis monumentis commendatum est Clericis, quam integritas vitæ, innocentia, Fides, Religio, pietas, aliæque virtutes, quibus domus Dei potissimum excolitur & ornatur: ideo Reverendissimus & Serenissimus Archi-Episcopus Clerum suum hic præsentem monet & per viscera misericordiæ Dei nostri obtestatur, ut cum semper, tum maxime hoc tempore, quo hæc Synodus durabit, in verbo & conversatione laicis hominibus præluceant, omni virtutum splendore juxta Monitoriales alias a sua Serenitate publicatas.

XV. Idem Lector sedens, ut prius legit & publicat Officiales ac Ministros Synodales in modum sequentem:

REverendissimus & Serenissimus Archi-Episcopus in hac sua Synodo constituit & nominat:

1. Ex-

1. Executores Decretorum & Promotores Synodales: *Albertum Reusing*, J. U. Licentiatum, Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicum Presbyterum Capitularem, Archi-Episcopalis Curiæ Officialem, *Thomam Quentel*, J. U. Doctorem, Metropolitanæ & Collegiatæ S. Andreæ Ecclesiarum Præpositum & Canonicum Presbyterum, ejusdemque Curiæ Archi-Episcopalis Sigilliferum majorem.

2. Judices querelarum & excusationum: Tres ex Metropolitana Ecclesia Canonicos Presbyteros Capitulares *Paulum Aussemium*, Ss. Theol. Licentiatum, Vicarium in Spiritualibus Generalem, *Henricum Meringh*, & *Thomam Quentel*, J. U Doctores.

3. Confessarios Cleri, durante Synodo cum potestate absolvendi a sibi reservatis: *Antonium Wormbs*, Ss. Th. Doctorem, Pastorem S. Laurentii, *Paulum Theoderici*, Ss. Th. Licentiatum, Pastorem S. Severini, *Franciscum Bossart*, Ss. Th. Doctorem, Pastorem S. Joannis in Curia, *Joannem Costerum*, Pastorem in Pasculo.

4. Notarium sive Secretarium: *Theodorum Schulckenium*, Collegiatarum Ecclesiarum S. Andreæ & B. MARIÆ Virginis in Capitolio Canonicum, Curiæ Archi-Episcopalis Sigilliferum minorem.

5. Magistros Cæremoniarum: *Leonardum Ingenrae*, Collegiatæ Ecclesiæ Ss. Cassii & Florentii Bonnæ Canonicum, *Arnoldum Flostorff*, & *Casparum Sartorium*, Metropolitanæ Ecclesiæ Vicarios.

6. Lectores: *Joannem Brewer*, Ss. Theol. Licentiatum, Collegiatæ Ecclesiæ S. Georgii Canonicum, *Joannem Horn*, Ss. Theol. Licentiatum, Metropolitanæ Ecclesiæ Vicarium.

7. Procuratorem Cleri: *Joannem Bruckman*, Collegiatæ Ecclesiæ B. MARIÆ ad Gradus Canonicum.

XVI. Mox idem Lector legit Decretum *de non præjudicando*, dicens:

DEcernit Reverendissimus & Serenissimus Archi-Episcopus, si cui contigerit, aut continget, loco suo aut ordine non sedere, aut incedere, aut vocari, aut quidpiam aliud agere, propterea nemini novum jus acquiri, nec quicquam de jure aut possessione cujusquam detrahi, sed in eo statu permanere, in quo ante hanc Synodum reperiebatur.

XVII. Deinde legit Decretum *de non discedendo*:

OMnibus præterea & singulis, qui huic Synodo de jure interesse debent, sub pœna excommunicationis prohibetur, ne eorum quisquam ab hac Civitate Coloniensi discedat, priusquam hæc Diœcesana Synodus absoluta ac dimissa sit, nisi cum facultate Vicarii Generalis in Spiritualibus; sed eidem Synodo & Synodalibus conventionibus, actionibusque omnes & singuli sub eadem pœna excommunicationis interesse jubentur.

XVIII. Subjungit Decretum *de Oratione publica*.

QUoniam veteris est instituti, solemnisque ritus, ut in Synodali conventione pro publicis rebus oretur: eapropter Reverendissimus & Serenissimus Archi-Episcopus decernit, ut his diebus Synodalibus in omni prece, ac præsertim in Sacrificio Missæ a Sacerdotibus oretur:

Pro Sanctissimo Domino Nostro ALEXANDRO Pontifice Maximo, & pro Ecclesiæ Catholicæ tranquillitate.

Pro Imperatore nostro LEOPOLDO.

Pro Prælatis & Principibus Romani Imperii.

Pro pace & concordia inter Proceres Christianos.

Pro augmento Christianæ disciplinæ in hac Civitate & Diœcesi.

Pro salutari hujus Synodi successu.

Pro perpetua Cleri & populi in charitate & bonis operibus perseverantia.

Pro Ministris Ecclesiasticis.

Pro perfecta omnium, quæ hic decernentur ac statuentur, executione.

XIX. Posthæc Lector descendit e Cathedra, & una cum Promotoribus accedit Serenissimum, ibi facta reverentia debita unus ex Promotoribus facit instantiam pro facienda Professione fidei ad modum sequentem:

Reve-

Reverendissime & Serenissime Princeps ac Domine Archi-Episcope: Cavit Sacrosanctum Concilium Tridentinum, ut omnes, qui Beneficia Ecclesiastica sunt consecuti, & qui Synodo Diœcesanæ interesse debent, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, Fidei professionem faciant ac præstent, prout illa Tridentina sanctione expressum; Ideo Nos hujus Synodi Promotores humiliter petimus & requirimus, sanctionem illam legi & ad illius præscriptum omnia & singula ab iis, qui tenentur, præstari.

XX. Respondente Serenissimo: *Decernimus & mandamus*, discedunt Promotores ad sua loca, Lector ad pulpitum seu cathedram, ex qua legit Decretum *de Professione fidei* ex Concilio Tridentino, prout sequitur:

Ex Concilio Tridentino Sess. 25. cap. 2.

"SAcrosancta Tridentina Synodus præcipit Patriarchis, Primatibus, Archi-Episcopis & omnibus aliis, qui de jure vel consuetudine Concilio Provinciali interesse debent, ut in ipsa prima Synodo, post finem præsentis Concilii habenda, ea omnia & singula, quæ ab hac sancta Synodo definita & statuta sunt, palam recipiant, nec non veram obedientiam Summo Romano Pontifici spondeant & profiteantur, simulque hæreses omnes a sacris Canonibus & Generalibus Conciliis, præsertimque ab hac eadem Synodo damnatas, publice detestentur & anathematizent." *Et infra*:

"Cæteri vero omnes, sive in præsenti, sive in futurum Beneficia Ecclesiastica habituri, & qui in Synodo Diœcesana convenire debent, idem, ut supra in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, faciant & observent: alias secundum formam sacrorum Canonum puniantur."

XXI. Prosequitur Lector:

Omnes igitur & singuli Ecclesiastica Beneficia obtinentes, vel sacris Ordinibus initiati, Fidei professionem juxta formulam a PIO IV. Pontifice præscriptam, me prælegente audiant, & tacite mecum emittant.

XXII. Quo dicto, omnes parumper extra sua loca procedunt, & Lector stans in cathedra legit Professionem fidei:

Ego N. N. firma fide credo & profiteor &c. Dum autem legitur Professio fidei, stat totus Clerus capitibus detectis.

Si Serenissimus ipse velit facere Professionem fidei (quod est in ejus arbitrio) omnibus stantibus, ipse solus genuflexus faciet Professionem verbis sequentibus:

Ego MAXIMILIANUS HENRICUS Archi-Episcopus &c. *ut in Pontificali.*

XXIII. Post finem lectionis datur Serenissimo liber Evangeliorum, quem hinc inde tenent Diaconi duo: Mox accedunt terni aut quaterni ex Clero [Capitulo, ac dein dignioribus præcedentibus] tactis Evangeliis dicunt:

Ego N. N. recipio, promitto, spondeo, profiteor, detestor, anathematizo, voveo & juro; ut in Decretis & formula Professionis fidei modo lectis, singula singulis referendo, sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia.

XXIV. His peractis, Lector accedit Serenissimum, flexis genibus dicens modesta voce:

Placetne Serenitati Vestræ, ut sessio hæc Synodalis continuetur post prandium ad horam secundam?

Respondet Serenissimus: *Placet.*

XXV. Tum Lector ascendens suggestum, clara voce dicit, stans capite detecto:

Reverendissimus & Serenissimus Archi-Episcopus decernit ac indicit continuationem hujus primæ sessionis fore hodie post prandium ad horam secundam, in qua initium dabitur lectioni Statutorum Synodalium.

XXVI. Mox descendit Lector & Promotores accusant contumaciam absentium his verbis:

Reverendissime & Serenissime Princeps ac Domine Archi-Episcope: Cum jam dies vigesima mensis Martii advenerit, qua omnes & singuli Ecclesiastici Ordinis Viri Civitatis & Diœcesis hujus legitime vocati, Synodo huic jam præsentes esse deberent, cumque multi non paruerint, sed usque adeo vel negligentes, vel contumaces fuerint, ut neque præsentes sint, neque justi impedimenti causam vel excusationem aut Nuntium miserint: ideo pro nostri muneris ratione Nos hujus Synodi Promotores eorum contumaciam accusamus, & apud Reverendissimam Serenitatem Vestram instamus, ut citationem valvis hujus Ecclesiæ Metropolitanæ affigi, & cum iisdem tanquam inobedientibus agi jubeat, prout juris est, & sacrorum Canonum ratio postulat.

Respondet Serenissimus: *Ita decernimus & jubemus.*

XXVII. Deinde iidem Promotores conversi ad Notarium, instant pro Rogitu, his verbis:

Nos hujus Synodi Promotores requirimus te Notarium Synodalem, ut de omnibus & singu-

ſingulis in hac ſeſſione peractis, unum vel plura conficias Inſtrumenta.

Notarius reſpondet: *Conficiam, adhibitis Teſtibus hic præſentibus N. & N.*

XXVIII. Lector aſcendit ſuggeſtum, & exinde legit Decretum *de diſceſſu*, his verbis:

Ne quiſquam ab hoc loco prius diſcedat, quam Reverendiſſimus & Sereniſſimus Archi-Epiſcopus abierit, nec vero raptim aut turbulenter, ſed gravi ac decoro inceſſu; Capitula & Clerici Collegiatarum Eccleſiarum, ut collegiatim venerunt, ita recedant, prælata Cruce. His dictis, deſcendit.

XXIX. Denique Sereniſsimus exuitur Pontificalibus indumentis, induit cappam, orat nonnihil, Clero benedicit manu duntaxat, & recedit, ſolo Clero Metropolitanæ Eccleſiæ comitatus uſque ad Palatium, Clerus ad ſua quisque domicilia.

Poſt receſſum Cleri, Notarius affigit Edictum contra contumaces abſentes ad valvas Eccleſiæ.

A PRANDIO.

Continuatio primæ Seſſionis.

I. HOra ſecunda pulſantur campanæ, cantatur Completorium, convenit Clerus in Eccleſiam.

II. Inſtante hora tertia Sereniſsimus a Capellano monitus, cappa indutus procedit ad Eccleſiam ſolo Capitulo Metropolitano comitante ac ſequente, ſalvo quod Crux Archi-Epiſcopalis anteferatur, ut alias, Decanus porrigit aſpergillum, ut ſupra, pulſantur organa: totus Clerus in ſuis locis ſtans, expectat Sereniſſimum, Sereniſſimus orat nonnihil ante Venerabile Sacramentum, vadit ad ſedem ſuam juxta Altare majus, ubi exutus cappam, accipit amictum, ſtolam, pluviale, mitram & baculum, circumſtantibus Canonicis in habitu ſuo.

III. Veſtitus, ut ſupra, Sereniſſimus deſcendit ad ſedem ſeu thronum Synodalem, Canonici & reliqui ad ſua loca.

IV. Omnibus, excepto Sereniſſimo, ſtantibus, Diaconus a dextris conſiſtens, cantat *Orate*: & mox omnes genuflectunt, Sereniſſimus etiam ſurgit, & converſus ad Altare, dicit Orationes: *Adſumus Domine* &c. & *Omnipotens* &c. Ut in Pontificali.

V. Sedet poſtea Sereniſſimus, ac deinde totus Clerus. Lector accepto libro, in quo continentur Statuta, accedit Sereniſſimum, factaque profunda reverentia, genuflexus interrogat Sereniſſimum, an placeat, ut legantur, dicens:

Placetne Serenitati Veſtræ, ut hæc Statuta atque Decreta legantur & publicentur, & hujusmodi lectionis & publicationis initium fiat in hac ſeſſione?

Annuente Sereniſsimo per verbum *Placet*, ſurgit Lector, & facta iterum profunda reverentia, recedit ad ſuggeſtum, incipiens:

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

Incipiunt Decreta & Statuta Synodalia Reverendiſſimi & Sereniſſimi Principis Electoris MAXIMILIANI HENRICI, *Archi-Epiſcopi Colonienſis, Bavariæ Ducis &c. De Fide & Religione Catholica &c.*

Et continuatur lectio, quouſque viſum fuerit Sereniſsimo. Quod ſi uni Lectori difficile erit continuo legere, poterit ipſi dari adjutor.

VI. Lecta aliqua parte Statutorum, Lector edicit Miſſam pro Defunctis die ſequenti celebrandam, nec non Seſsionem ſecundam Synodalem, dicens:

Reverendiſſimus & Sereniſſimus Archi-Epiſcopus edicit craſtina die Miſſam ſolemnem eſſe celebrandam pro defunctis hujus Diœceſeos Archi-Epiſcopis, & omnibus de Clero, quotquot poſt ultimam Synodum in Domino obierunt. Præterea decernit & indicit ſolemnem ſeſſionem ſecundam Synodalem fore craſtina die, quæ erit vigeſima prima hujus menſis Martii, hora octava matutina.

VII. Promotores iterum inſtant contra contumaces abſentes, ut ſupra.

VIII. Diaconus ad dextram aſsiſtens, cantat: *Orate*, & tam Sereniſsimus cum mitra, quam reliqui omnes genuflectunt & orant nonnihil mentaliter.

IX. Surgunt deinde omnes, & idem Diaconus cum Sereniſsimo converſus ad Clerum cantat:

1. *FRatres Chariſsimi, toto corde ad Dominum converſi, mentes ad cœlum erigamus, & invocatis ſanctis Patronis noſtris Petro & Paulo, tribus Regibus, Felice, Nabore, Severino, Cuniberto, Annone, Evergiſlo, Engelberto & omnibus Sanctis devote precemur. Orate intimo dolore, ut Dominus peccatorum veſtrorum veniam vobis concedat, negligentiis indulgeat, ignorantiæ parcat, errata omnia condonet, quæ in Clericali diſciplina & in Officiis Sacerdotalibus multiplici errore commiſiſtis; intimo charitatis affectu ſinguli pro Reverendiſsimo noſtro Archi-Epiſcopo & omni Clero ſibi commiſſo orate; Orate pro invicem, ut ſalvemini.*

2 *Fratres chariſsimi, unanimes perſeverate in oratione, & petite a Patre miſericordiarum & Deo totius conſolationis, quem credimus*

dimus esse in medio hujus sacri Cœtus, Spiritus Sancti dona, ut posthac digne omnes ambulent vocatione, qua vocati sunt, ut Sacramenta digne ministrent, verbum Dei cum fructu prædicent, animas solicite curent, Religiose vivant, in patientia possideant animas suas.

3. *Fratres charissimi, unanimes orate pro sanctissimo Domino nostro ALEXANDRO Papa, Christi Vicario, ut sanctam Ecclesiam sancte gubernet cum sacro Cardinalium Collegio; Orate pro sancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia toto orbe terrarum diffusa, ut eam Deus conservet, defendat, augeat, exaltet ad honorem & gloriam suam.*

Post singulas Orationes omnes ad Altare conversi, parumper orant in silentio ad tractum Psalmi *Miserere*.

X. Oratione finita, totus Clerus manet genuflexus, Serenissimus autem surgit, & dat Benedictionem solemnem, dicens: *Sit Nomen Domini benedictum* &c. sine indulgentiis.

XI. Deinde Serenissimus exuitur pluviali & indutus cappa, procedit ad Palatium suum Canonicis Metropolitanæ comitatus.

FINIS PRIMÆ SESSIONIS.

Sessio secunda.

I. MAne hora septima datur signum campana majore, Clerus convenit in Ecclesiam, ut heri, expectans Serenissimum.

II. Serenissimus hora octava egreditur e Palatio suo ad Ecclesiam, indutus cappa, & comitatus Clero duntaxat Metropolitano, prima dignitas porrigit asperforium, pulsatur organum, Serenissimus orat nonnihil ante Venerabile, & mox vadit ad sedem suam in Presbyterio.

III. Missa cantatur pro defunctis Episcopis & Sacerdotibus ab aliquo Canonico, in qua Serenissimus assistit cum cappa.

IV. Sub finem Missæ extenditur pannus niger ante sedem Serenissimi, qui mox induitur amictu, stola, pluviali nigri coloris & mitra simplici, Subdiaconus cum Cruce, & Acolythi duo cum cereis stant facie contra Serenissimum versa, Sacerdos interim, qui Missam celebravit, cum Ministris, aqua benedicta, thuribulo & asperforio descendit ad locum in Choro, ubi posita est tumba seu feretrum cum candelabris majoribus, & facit Commendationem seu Absolutionem consuetam cum Responsorio: *Libera me Domine* &c. & unica oratione: *Deus, qui inter Apostolicos* &c. interim Serenissimus apud suam sedem manens, legit Commendationem cum suis Ministris.

V. Postquam Cantores dixerunt: *Requiescant in pace*, amovetur non solum pannus niger, sed etiam feretrum & candelæ, & Serenissimus mutat paramenta nigra in rubea, assumptaque mitra, descendit ad sedem Synodalem, ut heri.

VI. Diaconus cantat: *Orate*, & omnes genuflectunt cum Serenissimo, qui ad Altare conversus sine mitra, inchoat Antiphonam: *Propitius esto* &c. ut in Pontificali.

VII. Inchoato Psalmo, Serenissimus sedet resumpta mitra, sedet etiam Clerus tectis capitibus usque ad finem Psalmi: *Deus venerunt* &c.

VIII. Repetita Antiphona, Serenissimus ad Altare conversus, deposita mitra, dicit Orationem: *Nostrorum tibi* &c. ut in Pontificali.

IX. Cantatur Evangelium a Diacono, petita prius Benedictione &c. ut in Pontificali.

X. Dicitur Hymnus: *Veni Creator* &c. & Serenissimus alloquitur Clerum, si velit, dicendo: *Venerabiles* &c. ut in Pontificali.

XI. Tunc Promotores instant pro Electione Judicum & Examinatorum, his verbis:

Reverendissime & Serenissime Archi-Episcope: Concilium Tridentinum, BONIFACII VIII. Constitutioni inhærens, decrevit, ut in Conciliis Diœcesanis aliquot personæ dignitates seu personatus habentes, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonici designentur, quibus præter locorum Ordinarios causæ Ecclesiasticæ ac spirituales & ad forum Ecclesiasticum pertinentes, authoritate literarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejusdem, committantur Decrevit insuper alia Constitutione, Examinatores singulis annis in Diœcesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario ad minus sex proponi debere, ut in Parochialium Ecclesiarum vacatione tres ex illis ab Episcopo deligendi cum illo examen perficiant. Quamobrem Nos hujus Synodi Promotores humiliter petimus & instamus, tot personas, quot & quales Constitutiones prædictæ postulant, & alioquin ad id aptas a Vestra Serenitate designari, quæ hujusmodi munus examinandi, judicandive, ex præscripto Concilii Tridentini, exequantur.

XII. Serenissimus annuit verbo, vel signo. Et Lector ascendit suggestum, ac legit imprimis Decretum Concilii *de Electione Judicum*, dicens:

Ex Concilio Tridentino Sess. 25. Cap. 10.

„ QUoniam ob malitiosam petentium suggestionem, & quandoque ob locorum longinquitatem personarum notitia, quibus causæ mandantur, usque adeo haberi

" ri non poteſt, hincque interdum Judicibus non undequaque idoneis cauſæ in partibus delegantur, ſtatuit ſacra Synodus in ſingulis Conciliis Provincialibus aut Diœceſanis aliquot perſonas, quæ qualitates habeant, juxta Conſtitutionem BONIFACII VIII. quæ incipit: *Statutum* &c. & alioquin ad id aptas deſignari, ut præter Ordinarios locorum, iis etiam poſthac cauſæ Eccleſiaſticæ ac Spirituales, & ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur, & ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in ejus locum uſque ad futuram Provincialem aut Diœceſanam Synodum, ita ut habeat unaquæque Diœceſis quatuor ſaltem, vel etiam plures probatas perſonas, ac, ut ſupra, qualificatas, quibus hujusmodi cauſæ a quolibet Legato vel Nuncio, atque etiam a Sede Apoſtolica committantur: alioquin poſt deſignationem factam, quam ſtatim Epiſcopi ad ſummum Romanum Pontificem transmittant, Delegationes quæcunque aliorum Judicum, aliis quamvis factæ, ſubreptitiæ cenſeantur. Admonet dehinc Sancta Synodus tam Ordinarios, quam alios quoscunque Judices, ut terminandis cauſis, quanta fieri poteſt brevitate ſtudeant, ac litigatorum artibus, ſeu in litis conteſtatione, ſeu alia parte judicii differenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant."

Tum additur Conſtitutio BONIFACII VIII.

" STatutum &c. & *infra*: Sancimus igitur, ut nullis, niſi dignitate præditis aut perſonatum obtinentibus, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Canonicis, cauſæ auctoritate literarum Sedis Apoſtolicæ, aut Legatorum ejusdem de cætero committantur, nec audiantur alibi, quam in Civitatibus vel locis inſignibus, ubi poſſit commode copia peritorum haberi." *Et reliqua.*

Sacra Tridentina Synodus jubet aliquos viros deligi, quales Summus Pontifex BONIFACIUS VIII. ſua Conſtitutione præſcripſit, aptos atque idoneos, quibus cauſæ ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, in partibus committi poſsint; ſed & GREGORIUS XV. præcepit, ut Regulares ſibi Conſervatores ex Judicibus Synodalibus eligant, cujus Conſtitutionis verba hæc ſunt:

" IN futurum Sanctitas Sua hac generali & perpetuo valitura Conſtitutione ſtatuit & decrevit, ut Judices Conſervatores hujusmodi, ſive principales, ſive ſubrogati eligi, nominari, aut deputari non poſſint, niſi non ſolum habeant qualitates requiſitas & deſcriptas in Conſtitutione felicis memoriæ BONIFACII Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris ſui, quæ incipit: *Statutum*, &c. ita ut vel dignitate Eccleſiaſtica præditi, vel Perſonatum obtinentes, vel Eccleſiarum Cathedralium Canonici exiſtant; ſed etiam in Conciliis Provincialibus aut Diœceſanis juxta Decretum Concilii prædicti Judices electi ſeu deſignati ſint: Quodque deinceps literæ conſervatoriæ per Sedem Apoſtolicam concedendæ ſupraſcriptis tantum dirigantur, & quæ literæ aliter expedientur, illæ ac deputationes hujusmodi omniaque exinde ſequenda, nullius ſint roboris vel momenti, & nihilominus, qui ſecus, quam juxta formam ſuperius præſcriptam, Conſervatores hujusmodi cum effectu eligere, nominare, ſeu deputatis uti auſi fuerint, Regulares quidem voce activa & paſſiva ſint ipſo jure privati, adeo ut habilitationem a nemine, præterquam a Romano Pontifice conſequi valeant, reliqui aliis pœnis arbitrio Sanctitatis ſuæ coerceantur, & prædictorum omnium Conventus, Monaſteria ac loca hujusmodi, eorumq; perſonæ ac bona careant Conſervatore ad annum, ita ut illorum cauſæ interea coram locorum Ordinariis duntaxat cognoſci ac diffiniri debeant; Cæterum, ut latius pateat Conſervatorum hujusmodi eligendorum facultas, Sanctitas ſua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, ut in Synodis Provincialibus, aut Diœceſanis quamplures perſonas ex habentibus qualitates in prædicta Con-

" Constitutione ejusdem BONIFACII
" Prædecessoris contentas, & alioquin
" ad id aptas designari procurent, &
" si aliquem interea ex designatis mori
" contigerit, substituat Ordinarius loci
" cum consilio Capituli alium in ejus
" locum usque ad futuram Provincia-
" lem aut Diœcesanam Synodum."

Et prosequitur, dicens:

UT igitur ejusmodi Decreta debite executioni mandentur, proponuntur pro Judicibus, quibus causæ Apostolicæ delegentur, sequentes Viri Ecclesiastici, & alias ad hoc secundum præfatas Constitutiones idonei, videlicet: ex Ecclesia Metropolitana *Bertholdus Comes a Königseek*, Præpositus, *Franciscus Egon Comes a Fürstenberg*, Decanus, *Joannes Jacobus Comes a Königseck*, Subdecanus, *Salentinus Comes a Manderscheidt*, Chori Episcopus, *Wilhelmus Egon Comes a Fürstenberg*, Sholasticus, *Georgius ab Eyschen*, Ss. Theologiæ Licentiatus, *Albertus Rensing*, J. U. Licentiatus, Officialis, *Adrianus de Walenburch*, J. U. Licentiatus, *Paulus Aussemius*, Ss. Theol. Licentiatus, Vicarius in Spiritualibus Generalis, *Henricus Mering*, J. U. Doctor, *Ferdinandus Strobelius*, S. Theol. Doctor, *Joannes Francken*, J. U. Doctor, respective Prælati & Canonici Presbyteri Capitulares. Ex Clero intraneo: *Ægidius*, Abbas S. Panthaleonis, *Conradus a Lyskirchen*, Præpositus S. Cuniberti, *Thomas Quentel*, Præpositus S. Andreæ, *Arnoldus Meuser*, Decanus S. Severini, *Everhardus Richartz*, Decanus S. Andreæ, *Wernerus Francken*, Decanus Ss. Apostolorum, *Joannes Goldschmidt*, Decanus MARIÆ ad Gradus, *Theodorus Brewerius*, Decanus S. Georgii; Ex Clero extraneo, *Joannes*, Abbas Siegburgensis, *Joannes*, Abbas Steinfeldensis, Archi-Diaconus Schleidanus, *Joannes Mockel*, Decanus Xantensis, *Hermannus Stephanus Schungel*, Decanus S. Patrocli Susatensis, *Joannes Henricus Schommartz*, Decanus Meschedensis.

Et Lector conversus ad Clerum, interrogat: *Placentne vobis?*

Et respondent omnes: *Placent.*

Deinde idem Lector subjungit Decretum Concilii Tridentini *de Examinatoribus*, dicens:

Decretum de Examinatoribus, ex Concilio Tridentino Sess. 24. Cap. 18.

" EXaminatores autem singulis an-
" nis &c. *usque ad*: puniri possint.

Et subjungit Lector:

VOlens ergo Serenissimus & Reverendissimus Archi-Episcopus hujusmodi Decreto satisfacere, proponit ad hoc munus hasce personas sex, quousque in futura Synodo alii nominentur, videlicet: præter Suffraganeum & Vicarium in Spiritualibus Generalem *Ferdinandum Strobelium & Thomam Quentel* ex Clero primario; ex Clero vero secundario *Theodorum ab Elmpt*, Canonicum S. Georgii, *Godefridum Molanum*, Canonicum S. Severini, & Pastorem S. Pauli, Ss. Theol. Doctores.

Quibus nominatis, interrogat Lector: *Placentne vobis?*

Et respondent omnes: *Placent.*

XIII. Lector quoque manens in cathedra, legit Decretum *de Testibus Synodalibus*, his verbis:

VEtus est consuetudo, Sacrosanctis Canonum Decretis introducta, ut in Synodis Diœcesanis viri aliquot vita & moribus graves ac probati deligantur, qui animadvertant diligenter, an aliquid in Urbe & Diœcesi sit, quod corrigi emendarive debeat: ac si quid tale cognoverint, id Episcopo, vel Vicario, aut Visitatoribus vel Promotoribus officii significent, interrogatique de aliqua re, quæ emendationem requirat, summa integritate referant.

Huic ergo muneri proponuntur:

In Civitate,

Magister Latorum, sive Cursor.

In Diœcesi,

Latores Curiæ Archi-Episcopalis jurati.

XIV. Pergit Lector, & legit Decretum *de Jurejurando præstando*, his verbis:

EXaminatores ac Testes Synodales promulgati accedant ante Serenissimum Archi-Episcopum, & coram eo præstent juramentum ad formam præscriptam. Nisi forte Serenissimo placuerit id præstari ad manus Vicarii sui in Spiritualibus.

XV. Accedentes ergo jurant bini, ac bini, imprimis:

Examinatores, ut supra.

Deinde *Testes Synodales*, ut supra.

Quod si Testes Synodales nolint publicari sua nomina, vel si non expedierit ea publicari, tunc illi scribuntur in schedula separata, ac sigillata sigillo Serenissimi, quæ eidem Serenissimo exhibetur, & illi postea secreto faciunt juramentum, *ut supra.*

XVI. Promotores deinde instant pro ulteriore Decretorum lectione, his verbis:

Reverendissime & Serenissime Archi-Episcope: Quoniam ea, quæ cœpta sunt, legi, Clero sunt valde utilia, neque potuerint angustia temporis absolvi: Ideo Nos hujus Synodi Promotores petimus & instamus, ea, quæ desiderantur, legi, priusquam Synodus dimittatur.

Annuente Serenissimo, Lector e suggestu legit ante omnia Decretum Concilii Tridentini *de Residentia*, dicens:

Concil. Tridentin. Sess. 6. *de Reform. Cap.* 1.

" SAcrosancta Tridentina Synodus " omnes Patriarchalibus, *&c. usque* " *ad:* salubriter expedire.

Et statim subjungit:

Ex eodem Concilio Tridentino, Sess. 23. *de Reformatione Cap.* 1.

" CUm præcepto Divino *&c. & in-* " *fra:* Ne vero ea, quæ de Resi- " dentia *&c. usque ad:* desuetudine ab- " oleantur.

XVII. Lectis istis Decretis Concilii, prosequitur Lector lectionem Statutorum Synodalium ab eo loco, in quo heri desierat, dicens:

Sequitur in Statutis & Decretis Diœcesanæ Synodi &c.

XVIII. Denique idem Lector accedens reverenter ante Archi-Episcopum, interrogat de continuanda Sessione post prandium, dicens flexis genibus:

Placetne Serenitati Vestræ, ut hæc Sessio continuetur post prandium hora secunda?

Annuente Serenissimo iterum ascendit suggestum, ac detecto capite publicat continuationem, *ut heri.*

XIX. Promotores instant contra absentes, & pro Rogitu Actorum apud Notarium, *ut heri.*

XX. Lector legit Decretum de discessu, *ut supra.*

XXI. Postremo Serenissimus exuto pluviali cappam induit, factaque brevi oratione in genuflexorio, manu tantum benedicens Clero, recedit ad Palatium, comitatus a Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ, *ut heri.*

Continuatio secundæ Sessionis.

I. POst prandium omnia fiunt, *ut heri.*

II. Postquam Serenissimus descenderit ad sedem seu thronum Synodalem, omnes de Clero stant capitibus detectis: Tunc Diaconus cantat: *Orate*, & omnibus genuflectentibus etiam Serenissimus conversus ad Altare mitra deposita, dicit Orationes: *Adsumus* &c. & *Omnipotens* &c. ut in Pontificali.

III. Sedet postea Serenissimus, nec non totus Clerus.

IV. Lector, facta Serenissimo reverentia, ascendit suggestum, & continuat lectionem Statutorum Synodalium, ubi desierat hodie.

V. Lecta aliqua parte Statutorum, cum visum fuerit Serenissimo, indicitur Sessio tertia in diem sequentem:

Reverendissimus & Serenissimus Princeps ac Dominus Archi-Episcopus decernit & indicit Sessionem tertiam Synodalem fore crastina, quæ erit vigesima secunda mensis Martii mane hora octava.

VI. Promotores quoque instant contra contumaces absentes & pro Rogitu Notarii.

VII. Denique Diaconus a dextris assistens, cantat: *Orate:* & tam Serenissimus cum mitra, quam totus Clerus genuflexus versus Altare, orant nonnihil mentaliter. Surgunt deinde omnes, & idem Diaconus cum Serenissimo conversus ad Clerum, cantat in tono consueto.

1. *FRatres Charissimi, unanimes orate, ut bonum, quod in nobis a Reverendissimo Antistite nostro tam incenso charitatis studio & officio requiritur, omnino exequamur, utque prompta cum eo solicitudine gradientes, digne ambulemus vocatione, qua vocati sumus, omnique in opere bono crescentes, obediamus studiis Deo placitarum Orationum.*

2. *Fratres Charissimi, orate pro Reverendissimo Antistite nostro, ut Divino Spiritu illustratus & roboratus una cum suis Adjutoribus & cum grege suo consequatur vitam æternam.*

3. *Fratres Charissimi, unanimes orate Christum Dominum messis hujus, ut operarios mittat in messem suam, detque omnibus hujus vineæ operariis Spiritus Sancti ignem & lumen, demumque mercedem æternam.*

VIII. Finitis Orationibus, surgit Serenissimus & Clero genuflexo dat Benedictionem solemnem, dicens: *Sit nomen Domini &c.* sine Indulgentiis.

IX. Ex-

IX. Exuitur Serenissimus pluviali, & cappam indutus recedit ad Palatium, *ut heri.*

FINIS SESSIONIS SECUNDÆ.

Sessio Tertia.

I. Hora septima datur signum, atque in ingressu in Ecclesiam omnia fiunt, *ut heri.*

II. Serenissimus in sede sua juxta Altare majus induitur amictu, alba, cingulo, cruce, pectorali, stola & pluviali albi coloris, mitra & baculo.

III. Officiator, qui interea paratus fuit, accedit ad Altare, & cantat Missam de Sanctissima Trinitate cum Collecta pro gratiarum actione, cui assistit Serenissimus paratus, *ut supra*, & incensatur in principio Missæ, post Evangelium & post Offertorium.

IV. In Choro omnia cantantur cantu Gregoriano, excepto *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, *Sanctus*, *Agnus*, quæ organo ludi, vel musice cani debent; in fine autem Missæ non datur benedictio.

V. Post Missam Serenissimus induitur paramentis rubeis, *ut supra*, & vadit ad sedem Synodalem.

VI. Ubi nonnihil sederit, dictumque fuerit: *Orate*, Serenissimus sine mitra genuflexus versus Altare, incipit Antiphonam: *Exaudi nos* &c. & subjungitur a Clero Psalmus: *Salvum me fac Deus* &c. ut in Pontificali.

VII. Finito Psalmo (sub quo Serenissimus cum mitra sedet) surgit, ac mitra deposita stans versus Altare, dicit Orationes: *Ad te Domine* &c. *Omnipotens* &c. *Deus qui* &c. imponit incensum in thuribulum, Diaconus cantat Evangelium & Serenissimum incensat, aliaque fiunt, ut in Pontificali.

VIII. Deposita dehinc mitra & baculo, Serenissimus versus Altare genuflexus, inchoat Hymnum: *Veni Creator* &c. ac primo versu finito, surgit, & stante Serenissimo versus Altare, stat similiter Clerus.

IX. Hymno finito, Serenissimus in sede sua cum mitra sedens, alloquitur Clerum, dicens: *Venerabiles* &c. *ut heri*, si placet, vel omissa hac allocutione mandat fieri exhortationem brevem.

X. Post allocutionem vel sermonem, Promotores accedentes ante Serenissimum, instant pro continuatione lectionis Decretorum seu Statutorum Synodalium, *ut supra*, & annuente Serenissimo, Lector, facta reverentia, ut moris, ascendit suggestum, prosequiturque lectionem, ubi desierat, donec jubeatur cessare.

XI. Manente Lectore in suggestu, Promotores faciunt instantiam pro publicatione Officialium Cleri, dicentes:

Reverendissime & Serenissime Princeps ac Domine: Ad faciliorem hujus sanctæ Coloniensis Ecclesiæ administrationem possunt assumi in partem solicitudinis Pastoralis aliquot viri prudentes & graves, qui variis muneribus addicti, Reverendissimam Serenitatem Vestram in animarum & aliarum rerum cura adjuvent, Nos igitur hujus Synodi Promotores petimus & instamus, eos de suggestu nominari, ut a Clero eorundem merita & munia cognoscantur.

XII. Jubente Serenissimo publicari Officiales, per verbum *Publicentur*, Lector eos publicat, dicens:

Reverendissimus & Serenissimus Princeps ac Dominus noster Archi-Episcopus, præter Ordinarios suos ac suæ Diœceseos Officiales seu Vicarios *Adrianum de Walenburg*, Episcopum Adrianopolitanum, suum in Pontificalibus Vicarium, *Albertum Rensing*, J. U. Licentiatum, Archi-Episcopalis Curiæ Officialem, & *Paulum Aussemium*, Ss. Theol. Licentiatum, suum in Spiritualibus Vicarium Generalem, nominat imprimis:

Censorem Librorum: *Ferdinandum Strobelium*, Ss. Theologiæ Doctorem, Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicum Presbyterum.

Commissarios Seminarii: *Franciscum Egon Comitem de Fürstenberg*, *Adrianum a Wallenburch*, *Paulum Aussemium*, & *Ferdinandum Strobelium.*

Recognitores onerum Missarum: ex Ecclesia Metropolitana *Paulum Aussemium*, *Ferdinandum Strobelium*, & *Thomam Quentel.*

XIII. Denique Promotores instant pro reductione Missarum, ut sequitur:

Reverendissime & Serenissime Princeps ac Domine Archi-Episcope: Datur facultas Reverendissimæ & Serenissimæ Celsitudini Vestræ a Sacrosancto Concilio Tridentino, ut in Synodo Diœcesana, rebus diligenter perspectis, possit pro sua conscientia in Ecclesiis suæ Diœcesis sibi subjectis statuere circa numerum Missarum, vel ob tenuem eleemosynam, vel ob magnum Missarum numerum ante Concilium Tridentinum a Testatoribus relictarum, & item a sacra Congregatione ejusdem Concilii Tridentini circa Anniversaria

ria & Officia Defunctorum, quicquid magis ad Dei honorem & cultum atque Ecclesiarum utilitatem expedire videatur. Cum autem in hac Synodo non possint omnia exacte nominari, propterea Nos hujus Synodi Promotores humillime petimus & instamus apud Serenitatem Vestram, ut committat Recognitoribus onerum Missarum antea nominatis, qui cum Vestra Serenitate, prout opus erit, eadem onera seu numerum reducant.

Serenissimus respondet: *Committimus.*

XIV. Postremo Lector, petito Serenissimi beneplacito, indicit continuationem hujus Sessionis tertiæ, *ut supra.*

XV. Promotores quoque instant contra contumaces absentes & pro Rogitu, *ut supra.*

XVI. Et Lector legit Decretum de discessu, *ut supra.*

XVII. Serenissimus autem cappam indutus nonnihil orat, dataque manu duntaxat Benedictione, recedit ad Palatium suum comitatus a Canonicis Ecclesiæ Metropolitanæ.

POST PRANDIUM,

Continuatio Sessionis Tertiæ.

I. POst prandium fiunt omnia, *ut heri*, nisi forte matutino tempore omnia potuerunt absolvi & concludi Synodus.

II. Post Orationes: *Adsumus* &c. *Omnipotens* &c. sedente Serenissimo in sua sede, Lector, facta debita reverentia, ascendit suggestum, & lectionem Statutorum Synodalium usque ad finem continuat.

III. Finita lectione, Lector descendit, & totum librum Statutorum reddit Serenissimo, qui illum consignari facit Notario Synodali postea restituendum.

IV. Tunc Promotores accedentes ante Serenissimum, instant pro conclusione Synodi:

Reverendissime & Serenissime Princeps & Domine: Cum omnia, quæ in hac Synodo Diœcesana agenda & tractanda erant, Divina auxiliante gratia, ad optatum finem perducta sint; ideo a Serenissima & Reverendissima Celsitudine Vestra petimus Nos hujus Synodi Promotores, ut ipsam concludere ac dimittere velit.

V. Serenissimus respondet his verbis:

SYnodi nostræ Diœcesanæ Coloniensis, DEO adjutore, optatum finem videmus; Quapropter eam cum gratiarum actione concludendam esse decernimus & conclusam enuntiamus.

VI. Promotores instant contra contumaces & pro Rogitu Notarii, *ut supra.*

VII. Lector legit nomina omnium in Synodo esse debentium, juxta tabulam totius Cleri sibi a Vicario in Spiritualibus Generali traditam, & absentes contumaces notantur.

VIII. Serenissimus adhuc cum mitra sedens, facit adhortationem Pastoralem, si placet, dicens: *Fratres dilectissimi & Sacerdotes Domini* &c. ut in Pontificali.

IX. Ea finita, undique Ecclesia aperitur, cantatur *Te Deum laudamus* &c. a Clero & Musicis, & pulsantur denuo campanæ omnium Ecclesiarum.

X. Serenissimus, postquam nonnihil sederit, stans sine mitra conversus ad Altare, dicit Orationem: *Nulla est Domine humanæ* &c. ut in Pontificali. Interim distribuuntur acclamationes, ut omnes de Clero eas facere possint.

XI. Diaconus assistens, cantat *Orate*, & orationes sequentes:

1. *FRatres Charissimi, orate toto cordis affectu pro Imperatore nostro LEOPOLDO, & pro Electoribus & Principibus Romani Imperii, ut cum pace & salute communi munus suum exequantur, recta semper sentiant & operentur, Ecclesiæ defensores se præstent, & vitam sempiternam mereantur.*

2. *Fratres Charissimi, orate unanimes, ut Deum spiritum Religiosæ observantiæ, det omnibus viris Regularibus hujus Diœcesis, ad salutem propriam & ædificationem populorum, omnibus Monialibus ad salutem suam & aliorum.*

3. *Fratres Charissimi, unanimes orate pro cunctis populis hujus Diœcesis, ut Deus conservet sanctam Fidem Catholicam, peccata eliminet, augeat devotionem, concedat abundantiam fructuum terræ ad eorum felicitatem.*

XII. Completis istis Orationibus, idem Diaconus vel Canonicus aliquis consistens ad dextram Serenissimi, cum mitra stantis, & similiter toto Clero stante detecto, facit, Clero respondente, acclamationes supra positas.

XIII. Lector ascendit suggestum, & legit Decretum *de dimissione Synodi*, dicens clara voce:

AD laudem DEI Omnipotentis, Beatissimæque Virginis MARIÆ, Ss. Apostolorum Petri & Pauli, aliorumque hujus sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Patronorum, decernit Serenissimus & Reverendissimus Princeps ac Dominus Archi-Episcopus Synodum di-

dimiſſam eſſe, ac propterea, cuique eundum ad proprias Eccleſias. Hortatur autem omnes, ut tales ſe præbeant quisque in miniſterio ſuo, prout decet Sacerdotes ab omni mundanarum rerum cura ſegregatos, illudque imprimis curent, ut, poſtquam domum redierint, cæteris in bono opere prælucere ſtudeant, quatenus populus omnis intelligat, Clerum ab hac Synodo non modicum fructum reportaſſe.

XIV. Totus deinde Clerus genufleſtit, & Sereniſsimus aſcendens ante Altare majus, dat Benedictionem ſolemnem, dicens more conſueto:

Sit Nomen Domini benedictum &c.

Publicantur Indulgentiæ.

Diaconus cantat: *Recedamus in Pace.*

Clerus reſpondet: *In nomine Chriſti.*

XV. Sereniſsimus deponit veſtimenta, ſolam cappam indutus, orat nonnihil ante Altare, & recedit ad Palatium comitante toto Clero, cui deinde ſigno Crucis benedicit, eumque dimittit in nomine Domini.

FINIS TOTIUS ACTIONIS SYNODALIS.

ORATIO SYNODALIS.

Sereniſſime ac Reverendiſſime MAXIMILIANE HENRICE, Utriuſque Bavariæ Dux,

Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcope, S. R. Imp. Princeps Elector, Domine Clementiſſime.

Illuſtriſſimi, Admodum Reverendi,

Prænobiles Domini Præſules ac Prælati, Venerabiles Chriſti Sacerdotes, cæterique Clerici, atque Auditores Humaniſſimi.

INter Reſpublicas Orbis Chriſtiani univerſas, illa eſt omnium præcipua, ac plane Princeps, quæ Eccleſiaſtica dicitur, quam idcirco D. Dionyſius Areopagita, Græco vocabulo *Hierarchiam*, hoc eſt, Sacrum Principatum appellavit: porro, ut iſti Reipublicæ, Sacer ſuus, arduo illo, ac prorſus Divino munere, dignus ſplendor conſtaret; eapropter Servator ac Redemptor noſter CHRISTUS JESUS, inſigne etiam ac omnino ſingulare Sacramentum inſtituit, quod vulgari, receptoque jam nomine Sacramentum *Ordinis* appellamus, ſeptenis nimirum Ordinibus, tanquam ſuis quibusdam gradibus, ornatum, diſtinctumque, quorum in numero Ordinum, quotquot Archi-Epiſcopali authoritate citati hic adſumus, omnes cenſemur. At enim ergo, illud inprimis hic nobis præſtandum eſt; primævam illam ab ipſo DEO inſtitutore ſuo, ſemel acceptam dignitatem, ſacris hiſce Ordinibus, per vitam, ac mores noſtros, tueri uti liceat. *Sereniſſimus quidem Reverendiſſimusque Archi-Epiſcopus, ac Princeps Elector, Dominus noſter Clementiſsimus*, poſtquam Supremo animarum noſtrarum Epiſcopo ita volente, in curam Epiſcopalis ſolicitudinis vocatus eſt, nihil unquam habuit antiquius, quam Hierarchiam hanc, ſive Principatum Eccleſiaſticum, omni ex parte videre quam abſolutiſsimum, adeoque nulla impenſior cura ſubiit animum, quam ex mente Sacroſancti Concilii Tridentini, coacta ſuis temporibus Synodo, Clerum ſuum, commiſſumque ſibi gregem dirigere; quando autem, vel circumſtrepentium adhuc bellorum turbinibus, vel vicinarum Provinciarum inter ſeſe conflictu, æſtuque, vel Paſtorum exilio, vel communi Patriæ ſqualore excluſus, vel etiam componendis Potentiſsimorum Regum diſsidiis, feliciſsime interceptus, rem tantam aggredi hactenus non potuit; nunc rebus, uti ſperari cum Dei gratia poteſt, utcunque compoſitis, enimvero ex intimis viſceribus ſibi gratulatur, illuxiſſe tandem illum diem, diem illum, quo, pro DEI Optimi Maximi gloria, pro Eccleſiæ, ac Diœceſis Colonienſis incremento, pro commiſſarum ſibi animarum ſalute, ſuperiorum annorum votis obſequi, ac ſtatuere ea liceat, quæ ad rem Eccleſiaſticam, ſive ſtabiliendam, ubi recto adhuc talo ſtat; ſive, ubi collapſa ſit, erigendam, inſtaurandamque, facere videbuntur. Atque hujuscemodi mentis, ac voti ſui interpretem, ac teſtem, *Auditores*, ex hoc loco, *vobis*, eſſe me voluit, eandemque in rem, pauca quædam præfari juſsit; quod ego, dum ut debeo, facio breviter, quæſo vos, obteſtorque, ut favore veſtro dicentem proſequamini. Veterem omnem Legem, Sacrificia, ac Cæremonias, umbras tantum fuiſſe, nudasque figuras præſentis, quam tenemus Eccleſiæ, notius id eſt vulgo, quam ut intelligentibus recoquere oporteat; *Pontifices*, *Sacerdotes*, *Levitæ*, *Sacraria*, *Tabernaculum*, *Altaria*, *Templum*, *Victimæ & Holocauſta*, noſtram hanc, inquam, Eccleſiam, velut caligantis Auroræ radii ſuum Solem præcurrebant, præſagiebantque; at enim nubibus iſtis, umbrisque ſi puriſſimi Soles imperati ſunt, quid reſponſuri denique nos ſumus,

ſumus, ſi ad illorum lucem, emorientes, ſcilicet, ſemivivæ lampadis fumi, vix aliud, quam in nocte tantillulum emicamus? Ut infinita alia prætereamus, unicum nobis ob oculos ſit; Levitici cap. 21. *Homo de ſemine tuo, qui habuerit aliquam maculam, non offeret panes Deo ſuo*; quam illud autem diſtricte, ac ſevere, de nulla, uſquam macula intellectum ſit, vel ex illo planiſſimum eſt, quod eodem illo Levit. 21. capite, ſeveriſſima lege, res, ut videri poteſt leviſſima, Sacerdotibus interdicitur: mortuum videlicet corpus aliquod aut cadaver, ne tangerent; excipiuntur duntaxat Patris, ac matris, filii, ac filiæ, fratris, ac ſororis funera; præter illos cadaver tangere, aut plangere funus, etiam nefas cenſebatur: Nobis quidem Sacerdotibus, Eccleſiaſticisque in hac lege gratiæ, cadaveribus attingendis, nemo interdixit; quemadmodum tamen nova hæc lex, & veriſsima viventis Dei Sacrificia, ſupra corpus, ac cadaver, altius quiddam ſpirant, ac ſapiunt, ita ſi ſpiritum ac animam illius legis cæremonialis inſpicimus, nobis ſane, iſta lege, in animis, ac pectoribus noſtris, ſcelerum funera, ac fœtentium cadavera vitiorum evitanda ſunt, quæ quoties habemus cum plebe communia, aut homines Eccleſiaſtici quovis cœno, ac luto volutamur, toties ex mente Sanctorum Patrum hoc loco, contra legem attactis funeribus polluimur, ac contaminamur; Patrum quidem, ac Matrum funera in Levitico contingere poterant, neque minus Nos, primorum parentum funeribus, ſive prima labe contaminati, ac non multo poſt, tanquam torrente quodam abrepti, in propinqua humanæ naturæ vitia, tanquam in fratrum, ac ſororum cadaveribus lapſi ſumus: ſicut autem in ejusmodi depravatæ vitia naturæ, ex DEI Domini ac Servatoris noſtri JESU CHRISTI inſtituto, per ſalutaria novæ legis Sacramenta pugnandum eſt omnibus: ita profecto, peculiari quodam, ac ſolicito magis magisque ardente conatu, in vitia quævis pugnandum eſt nobis, quotquot non e vulgo Chriſtiani duntaxat, aut Catholici, ſed Sacerdotes, ſed Sacrificiis deſtinati cenſemur: adeo, ut jam labi nemo noſtrum poſsit, quin eadem ſecum ruina e plebe proximum quemque involvat: id quod D. Chryſoſtomus, graviſsima eaque ſeveriſsima ſententia pronuntiavit, Hom. 38. in Matthæum: *Videte*, inquit, *Sacerdotes, quomodo vos componatis in verbo & opere, quoniam ſi aliquis Chriſtianorum peccaverit, non omnino peccant & Sacerdotes, ſi autem ipſi Sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus convertitur ad peccandum; ideo unusquisque peccatorum pro ſuo peccato rationem reddet; Sacerdotes autem non ſolum pro ſuis, ſed & pro omnium peccatis rationem reddituri ſunt.* Eſt ita ſane, *Auditores*, exemplo ſuo Sacerdotes ac Clerici, apud vulgus utramque in partem omnia poſſunt, aut nocere ſi mali ſunt & improbi, aut prodeſſe ſi religioſi ac pii. Quid enim mirum, ſi ruſticanus aliquis & agreſtis homo, Divinæ Sacrificio Miſſæ tam negligenter interſit, ut in re ſacra nihil ipſe ſacri præ ſe ferre videatur? Quid mirum inquam? quis enim illi perſuaſerit, quo tremore ac reverentia ſacris hiſce Myſteriis intereſſe, qua cordis & animi puritate, aut exteriori etiam decore ad Sacræ Communionis acceſſum præparari oporteat? illi inquam, quis iſta perſuaſerit? qui aſſuetus jam ſit ad ſacrum Altare conſpicere; e Sacerdotibus, utinam duntaxat unum aliquem, quem pridie aut inter pocula temulentum, aut in plateis, neſcio, quid vacillantem notaverit! Qui continentiam eidem, ac vitæ puritatem probaveris, ſi te videat ipſe domi, palam alentem, aut etiam obſcura ſub luce, deprehendat obvoluto capite prorepentem ex...? Quid opus eſt verbis? Satis ipſi ſcimus, quam facile ſcandalo materiam vulgus inveniat, quam dein inefficax de moribus futura ſit oratio, cui peſsimo exemplo tam graviter præjudicaveris, jam ipſe tu vides. E prophana plebe tamen, ſimilia ſi peccat laicus aliquis, peccat ille ſane quidem, Divinamque Majeſtatem offendit quam graviſsime: at in ipſa ſui ruina ſe ſiſtit, ac ſepelitur hic lapſus, quando in nobis late ſui diffuſa tabe proximum quemque corripit, adeo ut jam mediocria eſſe delicta noſtra haud quaquam poſsint. Ezechielis cap. 8. Propheta Spiritu Domini ducitur in urbem Hieroſolymitanam; videt autem plebem univerſam, non reptilibus modo, & fœdiſsimis quibusque beſtiis, ſed & Adonidis turpiſsimo ſimulachro, Divinos honores offerre, quæ omnia abominationes peſsimæ vocantur, ſed *converſus*, inquit ſacer textus, *videbis abominationes majores his, & introduxit me in atrium Domus Domini interius, & ecce inter veſtibulum & altare, quaſi viginti quatuor viri, dorſa habentes contra Templum Domini*: Ergone Templo aut Altari tergum obvertere, gravius credemus, quam illa priora & peſſima tot tamque nefandæ idololatriæ? pulcherrime in hunc locum D. Chryſoſtomus: *Illa*, inquit, *priora, quia in atrio committebantur exteriori, ſæcularium peccata deſignant, hæc autem, quæ in atrio interiori, ſeu ſanctuario Templi, quod ſolis intrare Sacerdotibus fas erat, peccata denotant Eccleſiaſticorum.* Ergo, ſi ſæculares homines divitias, ſi luxum, aut immunditiam ſectantes, tanquam idola quædam ſuas opes, ac libidinem colant, offendunt illi ſane quidem Deum, ac peccant graviſsime. Sacerdotem tamen, Eccleſiaſti-

ſiaſticumque, officii ac nominis immemorem ſui, non dico in ejusmodi gravioribus, ſed in minoribus etiam labi, ac altari dorſum obvertere, hoc eſt, robuſta quadam improbitate, conſcientia impura, cœco impetu, conſuetudine inculta, ad Divina ſua irruere contumaciter, eaque & tractare contemptim, & peragere negligenter: hæ enimvero ſunt abominationes, quas peſsimis, graviſsimisque pejores ac graviores appellari audivimus. Quid enim quæſo, humanæ menti aut æſtimationi grave adeo, & ſubita morte expiandum facinus commiſerat Oza, propter quod percuſſus a Domino, ipſo, quo ſteterat loco, corruit exanimis? Arca Dei ſolenni deductione plauſtro vehebatur, quod Oza & Ahio fratres agebant, Ecce tibi ad aream Nahon, recalcitrantibus bobus, arca in terram minatur, cum extendens manum Oza, ut lapſuram fulciret, repente corruit emortuus: *Iratus eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit illum ſuper temeritate, & mortuus eſt juxta Arcam Dei*, 2. *Reg. cap.* 6. O Judicia Dei abyſſus multa! rem tam levem, tam acriter caſtigari! ſive enim Levita dicatur peccaſſe, quia nudis manibus Arcam tetigerit, quam non niſi per vectes portare licebat; ſive quia plauſtro impoſuerit, cum ex præcepto legis humeris portare deberet; quodcunque demum hac re peccatum ſit, error levis fuiſſe videri poteſt, & lapſus duntaxat in cæremoniis: & quis non etiam cum primis laudabile putet; ruituræ arcæ manum ſubjicere? & hoc tamen erratum, tam atroci morte debuit expiari; at enim, & Philiſtæi aliquando arcam nudaverant, & contra legem plauſtro impoſitam vexerant, nec tam acrem Dei manum ſenſere. Quid ſubeſſe putabimus cauſæ? Philiſtæi erant, gens prophana erant, & homines laici, quos, in Divinam ſuam Majeſtatem irreverenter aliquid egiſſe, haud magnopere videbatur indignari; Levitam vero, hoc eſt, hominem cultui Divino ſpecialiter deſtinatum, a legis præſcripto vel latum unguem recedere, certa, eaque ſeveriſſima morte multari debuit. In Sacrificiis antiquæ legis, cæteras inter cæremonias & hæc erat, ut ignem oblaturi Deo, non qualemcunque, ſed ex Altari Holocauſti acciperent; at Nadab & Abiu, recens creati Sacerdotes arreptis thuribulis, aliunde acceptum obtulerunt ignem, & incenſum deſuper, *offerentes coram Deo ignem alienum, egreſſusque ignis a Domino devoravit eos, & mortui ſunt coram Domino, Levitici cap.* 10. Quis non hunc iterum errorem levem putet, quem novelli præſertim Sacerdotes, nec ſatis adhuc in cæremoniis verſati, aut ignorantia, aut forte, ut fieri ſolet, turbatione aliqua commiſere? at non impune tamen fuiſſe videmus: magno enimvero incitamento noſtro, ut immolaturi Deo Patri, non umbras iſtas, ſed Solem ipſum, Solem juſtitiæ, Deum ac Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, ſerio nos ſoliciteque circumſpiciamus, ne qua ulla uſquam hæreat macula. Quin agimus ergo, & pro hujus diei ac Synodi voto, quisquis ſeſe quam diligentiſſime excutit, emendaturus in melius, quæ ignoranter peccaverit; imo vero, ac potius quæ prudens, videns, ac ſciens peccaverit, ut videat denique, quis qualisque ſit ignis, quem e conſcientiæ ac animi ſui thuribulis, Deo, velut in odorem ſuavitatis oblaturus ſit, depromptus nimirum ex ipſo Sanctuario puræ mentis ac pectoris in Deum recti, non ſane ignis alienus, aut cupiditatibus effervescens mundanis, ſed talis, qualem Chriſtus ipſe ſe *mittere dicit in terram, eo fine, ut ardeat* in pectoribus & animis videlicet noſtris amoris in ipſum ferventiſſimi, intentionis puræ, ac conſcientiæ candidæ, ut non tantum Sacrificia Eccleſiæ ſuprema, ſed & *omnis dirigatur oratio noſtra, ſicut incenſum in conſpectu Dei.*

INDEX TITULORUM,

Qui in tribus Partibus Decretorum Synodalium D. MAXIMILIANI HENRICI, Archi-Epiſcopi Colonienſis, continentur.

PARS I.

De Fide & Religione Catholica, Officio, cultuque Divino & Cæremoniis.

PARS II.

De Sacramentis.

PARS III.

De ſtatu Perſonarum.

DECRETORUM SYNODALIUM
DIOECESIS COLONIENSIS
PARS I.
DE FIDE ET RELIGIONE CATHOLICA, OFFICIO CULTUQUE DIVINO, ET CÆREMONIIS.

TITULUS I.
De Fide, & ad integritatem Fidei conſervandam pertinentibus.

CAPUT I.

§. I. *Catholicæ Fidei profeſſionem edant Cathedralium Prælati & Canonici, nec non Curati omnes.*

CUm *ſine Fide, quæ eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, & argumentum non apparentium, impoſſibile ſit placere DEO;* (a) nec nobis ſpes æternæ beatitudinis ulla poſſit affulgere; idcirco Decretis Synodalibus Colonienſibus de emittenda Fidei Orthodoxæ profeſſione juxta formam a PIO IV. Pontifice præſcriptam, (b) atque antehac a Deceſſoribus noſtris Colonienſibus Archi-Epiſcopis (c) ſæpius publicatam, & in fine hujus Tituli ſubjunctam, inhærentes, ſevere mandamus, ut ſaluberrimum Decretum Concilii Tridentini (d) de ejusdem Fidei profeſſione in manibus Epiſcopi Diœceſani, ejusve Vicarii Generalis, ſeu Officialis facienda ab omnibus & ſingulis, quibus de Dignitatibus, vel Eccleſiarum Cathedralium Canonicatibus, & aliis quibuscunque Beneficiis Eccleſiaſticis curam

(a) Hebr. 11. ℣. 1. & 6. (b) Pii Papæ IV. Conſt. 88. Bullarii tom. 2.
(c) Synodus Colonienſ. ſub Ferdinando Archiep. an. 1612. poſt Dominicam *Invocavit.* tit. 1. num. 4. ac tit. 8. & eodem anno 2. Octobris tit. 2. & 19. April. an. 1627. tit. 1.
(d) Conc. Trid. Seſſ. 24. de Reform. c. 12.

ram animarum habentibus provisum est, sicubi in oblivionem ac desuetudinem abierit; in memoriam, usum & consuetudinem revocetur; præsertim cum declaret idem Concilium, quod alioquin prædicti fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.

§. II. *Collegiatarum Ecclesiarum Prælati, Decani, Canonici, Canonissæ, Beneficiati quoque non curati, etiamsi antea eandem Professionem fecerint.*

Et quia temporum calamitas, & invalescentium hæresum malitia cogit, ut nihil prætermittatur, quod ad crediti Nobis gregis profectum, & Catholicæ Fidei præsidium posse conferre videatur: ideo etiam volumus, & serio jubemus, ut omnes & singuli Dignitates, vel Canonicatus in Ecclesiis Collegiatis, aut in iis Vicarias, Capellanias, Sacellanias, sive alia qualiacunque Beneficia, aut Officia Ecclesiastica quovis nomine nuncupata, deinceps assecuturi, cæterique Sacerdotes, Clerici, Ecclesiarum Ministri, atque Custodes seu Æditui, nec non Abbatissæ, atque Canonissæ sæculares quarumcunque Ecclesiarum supradictam Fidei professionem in Capitulo, antequam ad possessionem, vel ad residentiam admittantur, faciant; etiamsi alias ipsam Fidei professionem emisissent.

§. III. *Et omnes Ecclesiæ Ministri.*

Similiter Vicarias, Sacellanias, aut alia quæcunque Beneficia, seu Officia Ecclesiastica in Parochialibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis adepturi, item Parochialium Ecclesiarum Custodes seu Æditui in eorum admissione coram suis Archi-Diaconis, Decanis Ruralibus, vel Pastoribus, aut aliis, qui auctoritate nostra eorum Ecclesias, seu Beneficia visitant, quandocunque moniti fuerint, Fidei hujusce professionem facere teneantur.

§. IV. *Regulares quoque in Monasteriis & Militares in Baliviis & Domibus &c.*

Constitutionem quoque PII IV. Papæ (e) de forma Professionis Fidei, a provisis de Monasteriis, Conventibus, & aliis locis Ordinum Regularium & Militiarum faciendæ editam, reverenter amplectentes, declaramus eos omnes, quibus de Monasteriis, Conventibus, Domibus, & aliis quibuscunque locis Regularium quorumcunque Ordinum, etiam Militiarum, quovis nomine, vel titulo providebitur, ad eandem Fidei professionem emittendam obligari.

§. V. *Sæculares etiam & Regulares Prælati, Concionatores & Confessarii.*

Universi itidem ac singuli, tam Sæculares, quam Regulares, Prælati, Concionatores, Confessarii, dum ad prædicandum verbum Dei, vel confessiones audiendas approbabuntur, eodem modo Fidem profitebuntur. (f) Religiosi tamen ad concionandum, aut excipiendas confessiones deinceps admittendi, hanc Fidei professionem coram Superioribus suis Regularibus (quos ad id deputamus) faciant, & de ea facta docebunt, quando se Nobis, seu nostro in Spiritualibus Vicario Generali benedicendos, vel generaliter ad concionandum, vel confessiones audiendas admittendos sistent.

§. VI. *Insuper Ludimagistri, & Magistræ Trivialium Scholarum, & Obstetrices.*

Hanc similiter Fidei professionem cuncti Scholarum, etiam Trivialium Magistri, & Magistræ, ac quicunque eorum Hypodidascali seu adjutores sunt, faciant coram Pastore loci; nec ad Fidei professionem, & aperiendam Scholam admittantur, nisi eidem Pastori fidei suæ integritatem, ac vitæ, morumque probitatem idoneis testimoniis abunde probarint. Obstetrices etiam ubivis locorum in manibus Pastoris loci eandem edant Fidei professionem.

§. VII. *Atque omnes Professores, & Regentes studiorum cujusvis facultatis.*

Quæcunque insuper cum a PIO IV. Pontifice, (g) tum in postrema Synodo Coloniensi (h) de emittenda Fidei pro-

 fessione

(e) Pii IV. Constit. 89. Bullarii tom. 2.
(f) Syn. Diœces. Colon. celebrata 19. Aprilis anno 1627. tit. 1.
(g) Pii IV. Papæ Constit. 88. Bullarii tom. 2.
(h) Synodus Diœces. Coloniens. loco cit.

feſſione ab omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis, tam Sæcularibus, quam cujusvis Ordinis Regularibus, quarumvis Univerſitatum Rectoribus, Doctoribus, Gymnaſiorum Regentibus, & cujuscunque artis, ac facultatis Profeſſoribus, antequam officiis ſuis fungantur, ſalubriter decreta ſunt, hic pro inſertis habeantur.

§. VIII. *Et Lectores intra Clauſtra eandem edant.*

Decretum noviſſimæ Synodi Diœceſanæ (*i*) de Profeſſione fidei a Profeſſoribus facienda, etiam Lectores in Collegiis Religioſorum, Clauſtris Monachorum, & Conventibus Regularium obſtringere decernimus: quorum tamen commoditati proſpicere volentes, permittimus, ut illam præſtent coram ſuo quique Superiore.

§. IX. *Obligati facere Profeſſionem fidei, idipſum per ſeipſos, non autem Procuratores præſtare tenentur.*

Ad Fidei porro profeſſionem emittendam obligati, opera Procuratoris uti non poſſunt, ſed per ſeipſos id præſtare debent, uti declaravit ſacra Congregatio Cardinalium (*k*) ad dubia Concilii Tridentini reſolvenda deputatorum: Hinc, qui ſuorum Canonicatuum, vel Beneficiorum poſſeſſionem per Procuratorem apprehendi fecerunt, antequam ad reſidentiam, vel perceptionem fructuum eorundem admittantur, ipſi per ſe Fidei profeſſionem emittant.

CAPUT II.

§. I. *Doctrina Fidei ſubditis crebro explicanda.*

QUia vero parum prodeſſet Superiores ac Præfectos Fidem Catholicam profiteri, niſi & populus univerſus a teneris annis eam imbibat, & ſuorum Superiorum vigilantia in eadem ſincere firmiterque perſeveret; monemus Prælatos omnes, Paſtores & Vice-Paſtores, ut per ſeipſos, aut alios viros doctos, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, Præcepta Decalogi, & ſanctæ Matris Eccleſiæ, doctrinamque omnium Sacramentorum populo ſibi commiſſo frequenter explicent, ac diligenter advigilent, ne forte lupus aliquis inter oves verſetur aut latitet.

§. II. *Eorumque familiæ ſtudioſe viſitandæ, deſcribendæ & dignoſcendæ.*

Quod nulla meliori ratione deprehendent, quam ſi ſtudeant cognoſcere vultum pecoris ſui, frequentiusque viſitent domos & familias ſibi commiſſorum: nec non ſingulis annis univerſos ſuæ curæ commiſſos doli capaces deſcribant, & in Paſchate ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum non aliis, quam ſibi aut alicui ex Confeſſariis auctoritate noſtra approbatis, confeſſis adminiſtrent, & de ipſa confeſſione aliis facta fidem in ſcriptis (quam ipſi Confeſſarii dare teneantur) exigant, ſaltem ab iis, qui ſuſpecti de hæreſi, vel dubiæ Fidei exiſtimantur. (*l*) Qui etiamſi tempore Paſchatis abfuerint, quouſque in propria Parochia ſacram Euchariſtiam ſumant (niſi fidem authenticam adferant, quod peregre profecti alibi eam ſumpſerint) ab Eccleſiæ ingreſſu vivi, & mortui ab Eccleſiaſtica ſepultura juxta ſacrorum Canonum præſcriptum arceantur.

CAPUT III.

§. I. *Viſitandi Hæretici & Schiſmatici.*

ADhæc cum hoc noſtro ſæculo hæreſeos feraciſſimo, vel maxime locus ſit illi B. Hilarii ad Conſtantium querimoniæ, qua deplorat tot eſſe Fides, quot voluntates, tot doctrinas, quot mores, dum ita Fides ſcribuntur, ut volumus, aut ita, ut cupimus, intelliguntur. Ideo Parochi, Concionatores & Catechiſtæ omnes diligenter Auditores ſuos moneant, ne per liberiorem cum hæreticis conſuetudinem, aut familiaritatem virus eorum imbibendo, Religionis Catholicæ naufragium faciant, ſed meminerint ſalutaris præcepti, quod morti proximus B. Antonius (teſte S. Athanaſio (*m*)) diſcipulis ſuis dedit: *Hæreticorum & Schiſma-*

(*i*) Synod. Diœceſ. Colon. loc. cit. (*k*) Ad 12. Cap. Seſſ. 24. de Refor. Collect. Farinac.
(*l*) C. Omnis utriuſque. De pœnit. & remiſſ. (*m*) S. Athanaſius in vita S. Antonii.

Schismaticorum venena vitate, meumque circa eos odium sectamini, scitis ipsi, quod nullus mihi nec pacificus sermo cum iis unquam fuerit.

§. II. *Proles cum periculo Fidei non mittendæ ad regiones hæresi infectas.*

Caveant proinde parentes, ne temere, vel linguæ, vel mercaturæ discendæ causa, liberos suos ad regiones hæresi infectas ablegent, ne forte temporale lucrum sectantes, Fidei Catholicæ, atque animæ, nullo pretio æstimabilis, jacturam & detrimentum patiantur, & sæpe mortem importent patriæ, a qua vitam acceperunt.

§. III. *Et non nisi ad Catholicorum Scholas.*

Cum nullum sit pernitiosius animabus venenum, quam quod in hæreticorum scholis, & libris propinatur, omnibus & singulis Civitatis & Diœcesis nostræ Coloniensis incolis severe prohibemus, ne ulla de causa liberos, aut domesticos suos permittant cujusquam scholam etiam trivialem frequentare, quem a Nobis aut nostro Vicario in Spiritualibus Generali, Archi-Diaconis, vel aliis ad hoc a Nobis specialiter deputatis, approbatum esse, non constiterit: nec etiam eos, studiorum causa, ad alium locum, Universitatem vel Academiam, quam Catholicam amandent.

CAPUT IV.

§. I. *Non simulanda Religio aliena.*

MEminerint etiam Catholici, dum hæreticorum terras peragrant, non licere quovis colore, vel nomine cum dissimulatione suæ Religionis alienam simulare, aut Ecclesiæ præcepta de observantia jejuniorum, Festorumque violare, cum scriptum sit: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est:* (n) Quod si qui hac in re deliquisse deprehendantur, Pastores, Vice-Pastores & Concionatores, ut errorem suum agnoscant & detestentur, crebro gravitatem hujus criminis pro concione explicare non intermittant.

§. II. *Exteris cibi vetiti in hospitiis non proponendi.*

Sub gravi insuper pœna arbitraria prohibemus, ne quisquam hospitum, vel cauponum divertentibus ad se exteris, esum carnis, aut alterius cibi vetiti indulgeat, multo minus ultro carnes apponere præsumat.

§. III. *Modus servandus ab iis, qui inviti ad disputationes cum hæreticis lacessuntur.*

Quod si hæretici Catholicos ad certamen de Religione lacessant invitos, respondeant ipsi: talem conflictum non ad se, sed eos, qui exercitatos in Scriptura sensus habent, pertinere. Deinde insanum esse, ea in disputationem vocare, quæ multis retro centuriis annorum plenis Conciliis, toto spectante Orbe disputata, recepta, & approbata fuerunt, secundum celebrem illam S. Augustini (o) regulam: *Si quid tota per Orbem frequentat Ecclesia, id, quin ita faciendum sit, disputare velle, insolentissimæ insaniæ est.* Atque istos respondendi modos Pastores, Vice-Pastores, Concionatores & Catechistæ populum doceant, vel ut adducant ad eruditiores, qui ipsis respondeant, hortentur.

§. IV. *Conciones eorundem vitandæ.*

Et quoniam pestilentius est venenum, quod auribus, quam quod ore hauritur, hoc enim corpus, quod nobis cum belluis commune est, inficit; illud vero animas Dei imagine insignitas interimit: Severe omnibus nostris subditis, tam Ecclesiasticis, quam Laicis inhibemus, ne conciones hæreticorum temere adire præsumant, cum illorum *Sermo ut Cancer serpat*, (p) ac blandis verborum lenociniis innocentium corda seducat.

CAPUT V.

§. I. *Lectio librorum hæreticorum vetita.*

CUm non sufficiat sana doctrina populum imbui, (q) nisi librorum etiam, diligens habeatur ratio, ne simplices in hæreticorum libros ignari periculi incidant, & incauti ex eorum vene-

(n) Matth. 10. ℣. 33. (o) S. August. Epistola 118. (p) 1. Tim. 2. ℣. 17.
(q) Conc. Provinc. Colon. sub Adolpho III. Archiep. cap. Interest quoque. pag. 428. & §. An e suggestis. pag. 488.

venenato calice mortem animæ bibant: proinde injungimus omnibus, quibus prædicandi, docendique munus creditum est, ut libros prohibitos aliquando pro concione recenseant, illos maxime, quos norunt teri vulgi manibus, aut ab abusu non procul abesse, populumque frequenter admoneant, ne quos libros domi suæ servet, aut deinceps emat, quos Episcopali authoritate a Catholicis librorum Censoribus examinatos & approbatos esse non constat: ne quandoque pia libri inscriptione, vel qualibet alia pietatis specie, seu verborum elegantia & nitore decepti, alicujus erroris laqueis implicentur.

§. II. *Sicut & eorum aliorumque libellorum turpium retentio.*

Pari ratione libros hæreticos, (r) aut qui profitentur turpia, subditis nec legere, nec retinere licere, Pastores, Vice-Pastores, Concionatores & Catechistæ diligenter admoneant, pœnasque contra secus facientes in Indicibus librorum prohibitorum constitutas crebro iisdem inculcent, doceantque sub libris interdictæ lectionis etiam eos omnes comprehendi, qui licet non profiteantur hæresin, sub alio tamen argumento perniciosa spargunt dogmata.

§. III. *Uti & chartarum ac schedularum similium.*

Huc spectant chartæ, vel schedulæ, quas hæretici in Fidei Catholicæ contemptum edere consueverunt, quæ licet mole & quantitate sint exiles, scurrilibus tamen jocis, calumniis & Religionis ludibrio despectuque non cedunt maximis etiam voluminibus.

CAPUT VI.

§. I. *De judiciaria Astrologia, & hujus farinæ libri cavendi.*

QUandoquidem Romana Catholica Ecclesia non solum detestata semper fuerit exercitium Astrologiæ judiciariæ; & alia quæcunque superstitionum, divinationum, vanarum observationum, & magicarum artium genera, nec non libros, opera, tractatus &c. qui de eisdem, aut de futurorum contingentium successibus, fortuitisve casibus, aut eis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid affirmant; verum etiam gravissimis pœnis temeritatem illorum, qui similibus operam dant, consulunt, usurpant, vel scriptos de eisdem libros, opera, tractatus &c. legunt, vel quomodolibet apud se retinent, voluerit puniri. Nos pernitiosis ejusmodi ausibus, quantum in Nobis est, obviare cupientes, insistendo desuper editis Sanctionibus, maxime vero SIXTI V. (s) & URBANI VIII. (t) Pontificum, easdemque renovando, præcipimus omnibus & singulis Pastoribus, Vice-Pastoribus & Concionatoribus, ut in suis concionibus & privatis colloquiis, Christi fideles ab hujusmodi hominum commercio, usu & consuetudine avertant, nec non hujus delicti (quod hodie familiare multis est) magnitudinem atque pœnas, tam in illos, qui hanc divinatoriam artem profitentur, aut exercent, quam qui eosdem consulunt, similesque libros retinent aut legunt, decretas, sedulo ac frequenter subditis nostris, & auditoribus suis exponunt, & si quos hoc vitio notatos norint, eosdem privatim moneant, in quanto suæ salutis periculo & discrimine versentur, & ad expianda Sacramentali confessione peccata adhortentur, quod si salutarem hujuscemodi monitionem contempserint, Nobis denuntientur, ut pœnis a prædictis constitutionibus inflictis digne castigentur.

§. II. *Inquisitio libraria facienda.*

Parochi proinde, & Vice-Parochi juxta Decretum Synodi Diœcesanæ sub Decessore nostro ADOLPHO III. Archi-Episcopo (u) habitæ, libros omnes suspectæ fidei, vel ab hæreticis corruptos, magicos, divinatorios, & quoscunque alios illicitos penitus auferant: eos vero, qui ejuscemodi libros

(r) Statuta Adolphi III. Archiep. Colon. pag. 490. (s) Sixti V. Papæ Const. 17. Bullarii tom. 2. (t) Urbani VIII. Papæ Const. 114. Bullarii tom. 4.
(u) Statuta Synodi Diœces. Colon. sub Adolpho III. Archiep. pag. 465. col. 1. in princ. Act. 19. ℣. 19.

bros ipsis tradere recusarint, tanquam hoc ipso de hæresi, vel etiam magia suspectos, Nobis deferant.

§. III. *Ludi Theatrales, antequam exhibeantur, censendi.*

Insuper sub irremissibili centum florenorum aureorum pœna, pro una medietate ad pios usus fabricæ Ecclesiæ, seu mensæ pauperum loci, & altera Fisco nostro applicanda præcipimus, ne uspiam locorum Civitatis, vel Diœcesis nostræ Coloniensis ludi theatrales deinceps a quoquam, priusquam ab uno ex constitutis nostris librorum Censoribus, vel ab aliis idoneis & legitimis Superioribus authoritate nostra ordinaria ad id peculiariter deputatis, pro subjectæ materiæ necessitate diligenter revisi & permissi fuerint, neque tunc quidem in ulla Ecclesia, neque ullibi Divinorum Officiorum tempore, exhibeantur.

CAPUT VII.

Contra blasphemantes & abutentes Sacris pœnæ decernuntur.

PAstores, Vice-Pastores & Concionatores crebrius inculcent, graviter eos peccare, qui Nomine DEI blasphemiis abutuntur, qui sacræ Scripturæ verba, vel sententias ad jocos scurriles, res impuras, superstitiones, libellos famosos, & quosvis profanos sensus impie applicant; ideoque eos, qui hoc in genere deliquerint, ut juxta præscriptum Concilii Tridentini, (x) ac PII V. Pontificis Constitutionem, (y) nec non Edictum politicæ Ordinationis Archi-Episcopatus Coloniensis (z) debite puniantur, Nobis volumus denuntiari.

CAPUT VIII.

De redeuntibus ab hæresi ad Ecclesiam.

QUicunque hæresi infecti in Ecclesiæ Catholicæ gremium admitti flagitant, non tantum hæresin, & errores omnes ejurent, atque publice Fidem Orthodoxam, juxta formam a PIO IV. Papa præscriptam, profiteantur, sed & libros prohibitos, quos apud se domi servant, Confessariis tradant, & paulatim sacras conciones audiendo, piosque libros legendo, ad sacri Chrismatis susceptionem, ac Pœnitentiæ, Sacrosanctæque Eucharistiæ frequentationem sedulo præparentur.

CAPUT IX.

§. I. *Censendi Libri & quævis chartæ.*

SAncte & salubriter diversi Pontifices, (a) Concilium Tridentinum, (b) & iis congruenter Concilium Provinciale Coloniense sub HERMANNO V. (c) Archi-Episcopo Coloniensi, Decessore nostro, sanxerunt, ne ulli libri, scripta, chartæ, picturæ, sculpturæ, rhytmi, cantiones, & quidquid alias ad rem librariam pertinet, sine expressa Sedis Apostolicæ, aut Episcopi Diœcesani, vel ab eo deputati in scriptis obtenta, & in libri, seu scripturæ fronte præfixa approbatione excudantur, in lucem prodeant, veneant, vel ullo pacto in Ecclesiam, & Rempublicam Christianam invehantur, spargantur, distrahantur.

§. II. *De Bibliopolis, Typographis & Librariis.*

Et licet omnes ac singulos, tum Typographos, tum Bibliopolas, Doctores, Professores, Magistros, librorum Institores in tota Civitate & Diœcesi nostra Coloniensi pro ea, qua sanctæ Sedi Apostolicæ, Concilio Tridentino, & nostris, qua Provincialibus, qua Synodalibus Conciliis, Religione, fide & observantia existunt devincti, ejusmodi Apostolicas, Provinciales, & Synodales Constitutiones sub virtute sanctæ obedientiæ, atque expressis in secus facientes gravibus censuris & pœnis inviolate observasse confisi fuerimus; aliquando tamen & quidem duplici modo

(x) Conc. Trid. Seff. 4. in fin. (y) Pii V. Papæ Constit. 5. §. 10. Bullarii tom. 2.
(z) Edictum Ordinationis politicæ Archi-Episc. Colon. an. 1596. editum pag. 1. 2. & 3.
(a) Leo X. Papa Const. 12. Bullarii tom. 1. (b) Conc. Trid. Seff. 4. Index librorum prohibitorum cum regulis ex Concilii Tridentini præscripto concinnatus, a Pio IV. comprobatus, Const. 77. Bullarii tom. 2. & a Clemente VIII. Const. 36. Bull. tom. 3.
(c) Conc. Provinc. Colon. sub Hermanno V. Archiep. part. 12. cap. 9. pag. 401.

modo delictum fuiſſe dolenter accepimus.

§. III. *Libros non approbatos, imagines & chartas excudentibus, vel alibi excuſas vendentibus.*

Primum per Bibliopolas, Typographos, Sculptores, & librorum Inſtitores, qui non approbatos rite libros, imagines, chartas, ideas, rhytmos, cantiones, imo etiam reprobatas, & a Fide Orthodoxa, bonisque moribus alienas ejusmodi merces auſi fuerunt vel lucri cupiditate, vel Apoſtolicarum prohibitionum ignorantia, in Civitatem & Diœceſin noſtram Colonienſem alibi excuſas importare, aut in ea excudere ipſi, aut excudendas curare.

§. IV. *Idem eſto de illis, qui a deputatis librorum Cenſoribus non ſunt approbati.*

Deinde etiam per librorum quosdam ſubreptitios Cenſores, ſeu Sæculares, ſeu Regulares, etiam Theologos & Profeſſores, qui privata auctoritate, & Nobis, noſtrisve, quibus id competit, inſciis, quosdam libros & ſcripta approbare præſumpſerunt.

§. V. *Pœnæ contra delinquentes decretæ.*

Hinc Apoſtolicis & Majorum noſtrorum Decretis firmiter inhærentes, omnibus & ſingulis Civitatis & Diœceſis noſtræ Colonienſis Typographis, Bibliopolis, Sculptoribus, librorum Inſtitoribus, cujusvis artis, facultatis & ordinis Doctoribus, Profeſſoribus, Magiſtris, cantionum & rhytmorum concinnatoribus, & quibuscunque aliis ad hanc rem conſilium, ſtudium & operam conferentibus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub cenſuris & pœnis prædictis Apoſtolicis, & Provincialibus Decretis inſertis præcipimus, ne ullos quocunque titulo inſignitos, ſive Eccleſiaſticos, ſive profanos libros, ſcripta, picturas, ideas &c. ſine expreſſa noſtra, ſeu unius ex deputatis a Nobis librorum Cenſoribus licentia in ſcriptis obtenta, & approbatione, neque nominibus Auctoris, Typographi, vel loci doloſe ſuppreſſis, excudere, venum exponere, invehere, diſtrahere, vel etiam privata auctoritate cenſere ſeu approbare audeant, vel ullo modo præſumant.

§. VI. *Contra eosdem requirendus Magiſtratus.*

Monemus proinde ſerio, & in Domino hortamur omnes & ſingulos quavis auctoritate, vel dignitate præditos & ornatos, ut præter librorum proſcriptionem & pœnas in ejusmodi Apoſtolica & noſtra Decreta violantes conſtitutas (ubi ad hos puniendos fuerint requiſiti) acriter animadvertant, ut facilius ab Eccleſia Dei hæreſes, & pravorum morum ſementis & ſeges procul arceatur: ac pura Dei Religio, & morum integritas floreat & conſervetur. (*)

§. VII. *Poteſtas cenſendi libros ab aliis non uſurpetur.*

Et quia ſubinde factum comperimus, quod Regulares quidam Auctorum tam ſui, quam alterius Ordinis Religioſorum libris cenſuram ſuam præfixerint, vel eos approbarint absque noſtra, aut ullius a Nobis deputati Cenſoris licentia, idcirco omnibus ac ſingulis quorumvis Ordinum Religioſis, quocunque gradu & dignitate præfulgentibus, etiam quantumvis exemptis, & aliis quibuscunque ſevere prohibemus, ne hac in re impoſterum delinquant, ſed in cenſendis, approbandisque libris, ſcriptis, picturis, imaginibus, chartis, ideis, rhytmis, & cantionibus, Conſtitutionibus Apoſtolicis, & juribus Ordinarii non violatis, intra inſtituti ſui limites ſe contineant.

§. VIII. *Excutiendæ per Cenſores officinæ librariæ.*

Ne qua ipſis noſtris librorum Cenſoribus invitis, vel inſciis, ejusmodi in Eccleſiam venenum gliſcat, iisdem mandamus, ut officinas librarias, aliasque de latente ſimili veneno ſuſpectas, toties, quoties ipſis viſum fuerit, viſitent, inſpiciant, repurgent, & quidquid librorum, ſcriptorum, imaginum &c. legitima approbatione deſtitutum deprehenderint, inde adhibito etiam ad

(*) *Hæc in Collectione Kinckiana & uberius pertractantur & nervoſius, digna, quæ ſub tempeſtatem hanc noſtram adamuſſim obſerventur.*

ad hoc, ſi opus fuerit, bracchii ſæcularis auxilio, proſcribant, & contra eos apud quos ſimiles libros, ſcripta vel imagines &c. repererint, ut jura exigunt, procedant, aut procedi faciant.

CAPUT X.

UT autem quivis in promptu habeat formulam profeſſionis Catholicæ Fidei, hic eandem a PIO Papa IV. præſcriptam ſubjicimus:

FORMA PROFESSIONIS FIDEI Orthodoxæ.

EGo NN. firma fide credo, & profiteor omnia, &c.

TITULUS II.

De Doctrina Fidei, Prædicatione verbi Dei, & Catecheſi.

CAPUT I.

§. I. *Dotes in Concionatoribus requiſitæ.*

FIdes infantibus in ſacro Baptiſmo infunditur, dum ex aqua & Spiritu Sancto renaſcuntur: (*d*) adultis vero per auditum DEI verbum, ut aſſerit Apoſtolus, (*e*) donatur. Ea re ſanctum DEI verbum, quanta fieri poteſt diligentia & ſedulitate, ab iis eſt prædicandum, qui ad illud promulgandum legitime ſunt vocati, & deſtinati: Cujusmodi in Civitate & Diœceſi noſtra Colonienſi ſunt Paſtores, Vice-Paſtores, aliique animarum Curatores, & Concionatores a Nobis, noſtrove Vicario in Spiritualibus auctoritate noſtra approbati, & ad id muneris admiſſi, quos non ſolum doctrina ſacra, & rerum Theologicarum cognitione ſuo munere rite obeundo neceſſaria inſtructos, ſed moribus honeſtos & graves, vita integros, infamia liberos eſſe volumus; memores illius apud Pſalmiſtam: (*f*) *Peccatori dixit Deus: quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?*

§. II. *Vitæ exemplo conforment ſe verbo.*

Proinde veluti lucernas ardentes & lucentes neceſſe eſt illos eſſe, qui populum verbo erudire, exemplo ad imitandum provocare ſatagunt, potentes ſermone & opere, doctrina & facto, ut quod verbis proponunt, moribus adimplendo perſuadeant & confirment: parum alioquin doctrina, & prædicatione ſua, quantumvis ſana, effecturi.

§. III. *Alioquin nullum fructum facturi.*

Si Paſtor itaque, aliusve legitime vocatus, approbatus & miſſus verbi Dei Præco propriam animam ſibi conjunctiſſimam non curat, quomodo curam ex animo geret aliarum? aut quomodo cum fructu alios excitabit ad charitatem Dei, rerumque cœleſtium deſiderium, ſi ipſemet eo igne cœleſti privatus algeat? quomodo exhortabitur alios ad temperantiæ caſtitatisque virtutem, ſi ipſemet crapulæ deditus & impurus exiſtat? quomodo commendare poterit mutuam charitatem, pacem & manſuetudinem Chriſtianam, ſi ipſemet lites alat, impatientia & iracundia æſtuet? Quilibet ergo mores ſuos ita componat, tanta in privatis colloquiis, victu, quotidiano uſu & conſuetudine, gravitate, modeſtia, & Eccleſiaſtica diſciplina aliis prælucere ſtudeat, ut ab iis, quæ verbo docet, vita non diſcrepet.

CAPUT II.

§. I. *Facultas ad concionandum ab Epiſcopo Diœceſano obtinenda.*

NE quis ergo minus idoneus in arduum hoc & periculoſum concionandi munus ſe ingerat, (*g*) norint comprimis omnes ac ſinguli cujuscunque Ordinis & inſtituti Religioſi, quantumvis exempti, qui in Eccleſiis ſuorum Ordinum voluerint prædicare, quod præter Superiorum Regularium licentiam, etiam Epiſcopo Diœceſis, in qua populo Epiſcopo ſubdito, vel palam

(*d*) Joan. 3. ℣. 3. Marc. 10. ℣. 14. (*e*) Roman. 10. ℣. 14. & ſeq. Catechiſmus Romanus ex Decr. Conc. Trid. & Pii V. Pont. Max. juſſu editus in Proæmio Num. 2.

(*f*) Pſalm. 49. ℣. 1. (*g*) Conc. Trid. Seſſ. 5. de Reform. cap. 2. & Seſſ. 24. de Reform. cap. 4. Gregorii XV. Papæ Conſtit. 18. §. 6. Bullarii tom. 3. & in d. Seſſ. 24. c. 4. S. Congregationis Cardinalium ejusdem Concilii Interpretum declarationis, Collectore Farin.

lam concionaturi ſunt, ſe ſiſtere, & ab eo benedictionem petere teneantur: in Eccleſiis autem aliis, ſine expreſſa facultate tam Epiſcopi Diœceſani, quam Superiorum ſuorum Regularium nullo modo, nec uſquam omnino, Epiſcopo Diœceſano invito, concionari poſſint. Qui contravenerint, noverint ſe juxta Canonicas Sanctiones a Nobis puniendos.

§. II. *Multo magis in ſubjecta Epiſcopo Diœceſano Eccleſia per ſubjectum ſibi Clericum.*

Sed neque Sacerdotibus, neque Diaconis ſæcularibus, ſine licentia Epiſcopi Diœceſani, vel eo contradicente, licet prædicare. Quare Paſtores, Vice-Paſtores, aliive Eccleſiarum Superiores neminem prorſus, etiam qualicunquo modo exemptum Religioſum, vel ſæcularem Sacerdotem, etiam alterius Parochiæ Curionem, ſeu Vice-Curionem, qui antequam concionandi initium faciat, noſtram, noſtrive Vicarii prædicti licentiam in ſcriptis non monſtraverit, in ſuis Eccleſiis ſinant concionari.

§. III. *Ad concionandum in Monialium, quantumvis exemptarum Eccleſiis, ſpecialis approbatio exigitur.*

Adhæc declaramus nullum Sacerdotem ſæcularem, vel cujusvis Ordinis, vel Inſtituti Regularem, etiam ejusdem, ſeu alterius Ordinis Superiorem, vel Prælatum, etiam quoquomodo exemptum, quamvis auctoritate noſtra ordinaria ad concionandum in quibuscunque Civitatis & Diœceſis noſtræ Eccleſiis approbatum, in ulla cujuscunque Ordinis Monialium, quantumvis exemptarum; aut ſibi, aut ſui, aut alterius Ordinis Superioribus ſubjectarum Eccleſia, ſeu Capella, niſi ſpeciatim ad id fuerit ante a Nobis, noſtroque Vicario in Spiritualibus Generali approbatus, concionari poſſe.

§. IV. *Pœnæ eorum, qui ſine facultate prædicant.*

Et ne quisquam temere ſecus faciat, ſciant univerſi penes Epiſcopum Diœceſanum veluti Sedis Apoſtolicæ delegatum, vigore Conſtitutionis a GREGORIO XV. (*b*) Pontifice hac de re editæ, plenam eſſe jurisdictionem contra quoscunque exemptos, tam Sæculares, quam Regulares, contra prædicta quoquomodo delinquentes, quoties & quando opus fuerit, Eccleſiaſticis cenſuris, & aliis pœnis libere procedendi. Ad cujusque enim Epiſcopi Diœceſani Officium ſpectat providere, cui oves ſuas Chriſti Sanguine redemptas, Divini verbi pabulo reficiendas committat.

CAPUT III.

§. I. *Curati ipſimet concionentur.*

UT ſatisfiat Concilii Tridentini Decretis, (*i*) ſinguli Parochi, Vice-Parochi, & quivis alii curam animarum gerentes, per ſemetipſos, quoad ejus fieri poteſt, omnibus per annum Dominicis Feſtisque fori, atque quibusdam etiam ferialibus Adventus, & Quadrageſimæ diebus pro noſtræ Diœceſis more, munus prædicationis verbi Dei obeant, nec toti dependeant a Regularibus Terminariis, ut vocant, quos non convenit e ſuis Monaſteriis majori anni parte abeſſe, ſed tantum tempore ſuarum ſtationum, Adventus, Quadrageſimæ, diebusque aliquot ſolemnioribus, quibus a Paſtoribus, ſeu Vice-Paſtoribus in ſubſidium evocari conſueverunt, Parochis autem ſeu Vice Parochis, aliisque animarum Curatoribus, quoties per ſe in propria ſua Eccleſia concionari voluerint, cæteri omnes libenter cedant.

§. II. *Vel ſubſtituant idoneos.*

Quandocunque vero legitime impediti, prædicationis Officio per ſeipſos fungi nequiverint, (*k*) id per alios idoneos Sacerdotes impleri, provida Paſtorali ſolicitudine curent, ne oves Chriſti eſuriant, neve quod Propheta (*l*) dolens queritur: *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Neminem tamen in munere prædicandi ſubſtituant, niſi qui prius a Nobis, vel noſtro in Spiritualibus Vicario Generali

(*b*) Citat. Conſtit. §. 6. (*i*) Conc. Trid. Seſſ. 5. de Reform. cap. 2. & Seſſ. 22. de Sacrif. Miſſ. c. 8. & Seſſ. 24. de Reform. c. 4. & 7. (*k*) Conc. Trid. cit. Seſſ. 5. c. 2.
(*l*) Jerem. Thren. 4. ℣. 4.

rali fuerit approbatus, & ad id muneris admissus, suæque approbationis & admissionis testimonium scripto exhibuerit.

CAPUT IV.

§. I. *Prudenter & caute Curati linguam moderentur.*

CUm facile deleri nequeat, quod multorum cordibus publica concione imprimitur, & persæpe accidat, ut a verbi Divini Præconibus aliquid vel inscitia, vel animi calore, quod præter Evangelii scopum est, elabatur, non sine multorum interdum offendiculo, iis incommodis providere cupientes, subjecta monita diligenter a Concionatoribus observari volumus.

§. II. *Ad salutem necessaria doceant.*

Imprimis omnes verbi Dei Præcones doceant populum, (*m*) quæ unicuique ad salutem non tantum scitu, sed & factu sunt necessaria, & quæ communiter Catechismo comprehensa, maxime inculcando ei breviter & nervose vitia, quæ declinare, & virtutes, quas sectari debet, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeat.

§. III. *Humili & utili potius, quam sublimi utantur argumento.*

Difficiliores ac subtiliores quæstiones de prædestinatione, reprobatione, & hujusmodi, (*n*) ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, sed potius infiniti nascuntur scrupuli, non proponant, nec moveant: per ea enim, ut S. Bernardus (*o*) inquit: *Student magis alta, quam apta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum sui, non ipsorum salutem operantes*: præcipue vero explicationi Evangelii, Epistolæ, Symboli Apostolorum, Orationis Dominicæ, Salutationis Angelicæ, decem Præceptorum Decalogi, & quinque Præceptorum Ecclesiæ serio vacent, concionesque suas ita disponant, etiam diebus solemnioribus, ut potius Catechismum, quam concionem redoleant, & captui audientium, quantum fieri potest, accommodent: sic enim una eademque opera oves & agnos pascent; imo juxta ejusdem S. Bernardi monitum, nusquam evidentius eloquentiæ suæ specimen dabunt, quam si humilem materiam tractent ornate, literati apud eruditos, simplices apud simplices, omnibus se aptent, ut omnes Christo lucrifaciant, exemplo S. Pauli, (*p*) qui licet sapientiam de cœlo haustam libere docere potuisset, apud perfectos tantum tradendam censuit, apud imperfectos Christum, & hunc tantum Crucifixum.

§. IV. *Missa & Sacramenta populo explicanda.*

Item quo fidelis populus tam ad Sacrificium Missæ audiendum, (*q*) quam Sacramenta suscipienda, majori cum reverentia, atque animi præparatione & pietate accedat, frequenter diebus præsertim Dominicis & Festis Sanctissimi hujus Sacrificii Mysterium, ejusque sacros ritus, nec non singulorum Ecclesiæ Sacramentorum vim & usum, præcipue vero Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ necessitatem, atque utilitatem, religiosamque eorundem frequentationem, juxta formam in Catechismo Romano ex Decreto Concilii Tridentini, & PII V. Pontificis jussu edito, singulis Sacramentis præscriptam sæpius explanent.

CAPUT V.

§. I. *Præceptum Paschalis Communionis in propria Ecclesia Parochiali sumendæ Pastores publicent.*

CUm omnes & singuli utriusque sexus Christi-fideles, (*r*) qui annos discretionis attigerunt, juxta Concilii Lateranensis Constitutionem, debeant singulis annis, ut minimum in Paschate, sacram Synaxin in Ecclesia sua Parochiali sumere, nec satisfaciant, si in aliis Ecclesiis communicarint, cujuscunque etiam Ordinis, seu Instituti privilegiis gaudeant, si specialis ab- fit

(*m*) Conc. Trid. dict. loc. (*n*) Conc. Trid. Sess. 25. in princ. dec. de Purgatorio.
(*o*) S. Bernard. tom. 5. serm. 27. n. 2. (*p*) 1. Corinth. 1. Cap. 2. ℣. 2.
(*q*) Conc. Trid. Sess. 22. de Sacrif. Missæ cap. 8. & Sess. 24. de Reform. cap. 7.
(*r*) C. Omnis utriusque. De pœnit. & remiss. Conc. Trid. Sess. 13. can. 9. & ibi declarat. Card. Collect. Farin. Statuta Adolphi Archiep. Colon. pag. 455. col. 1. in princ.

ſit Epiſcopi Diœceſani, vel Parochi ſui conſenſus, uti declaravit ſacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum. Ea de cauſa quilibet Parochus, Vice-Parochus & Concionator hoc ſalutare ſanctæ Matris Eccleſiæ præceptum e ſuggeſtu, & præcipue Dominica Paſſionis & aliis proxime ſubſequentibus quotannis publicent, ne quisquam ignorantiam prætexat: & poſt Dominicam in Albis ſinguli Paſtores ſeu Vice-Paſtores diligenter inquirant, ſi qui huic præcepto non ſatisfecerint.

§. II. *Pœnæ illud non adimplentium.*

Si quis autem Parochianorum huic mandato non obedierit, vel in Paſchate a Parochia ſua abfuerit, & reverſus intra octo dies vel ſponte, vel a Parocho ſuo ad id requiſitus, ſe alibi in Paſchate confeſſum, & ſacra Communione refectum eſſe non docuerit, mox Nobis denuntietur, & niſi legitimam excuſationem attulerit, vivus ab Eccleſiæ ingreſſu, mortuus vero ab Eccleſiaſtica ſepultura arceatur. Si qui autem dixerint ſe in Paſchate alibi confeſſos eſſe, deſuper teſtimonium a Confeſſario ſuo ſubſcriptum exhibere teneantur: id ſi non habuerint, contra eos, ac ſi confeſſi non eſſent, procedatur.

CAPUT VI.

§. I. *Frequentanda Parochialis Eccleſia, & ad finem Miſſæ perſeverandum.*

ADhortentur pariter populum, (s) ut frequenter ad ſuas Parochias, non diebus Dominicis, majoribusque fori Feſtis duntaxat, ſed aliis etiam ſolemnioribus accedat, ibique ſacro Miſſæ Officio, Concionibus & Catecheſibus attente & devote audiendis uſque ad finem interſit.

§. II. *Miſſa æque Feſtivis atque Dominicis diebus integre audienda.*

Doceant quoque auditionem Miſſæ æque præcipi ſub peccato mortali diebus fori feſtivis atque Dominicis: nec eos ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, qui partem Sacri tantum audiunt, ac poſt lectum Evangelium, vel Offertorium intrant, vel ante Elevationem, aut paulo poſt eam Eccleſia exeunt, aut qui, dum in Eccleſia Miſſa celebratur, fabulis, luſibus, aliisque nugis in cæmeterio, vel alibi vacant.

§. III. *Subditi ad Miſſam interpolato campanæ pulſu vocentur.*

Et ne ipſimet Paſtores, ſeu Vice-Paſtores aliquam ejus occaſionem præbeant, volumus omnino, & ſub gravi pœna arbitraria præcipimus, ut in omnibus ac ſingulis Curatis, & Vice-Curatis Diœceſis noſtræ pagorum Eccleſiis non Collegiatis, Dominicis & feſtis fori diebus, ſtatis anni temporibus; æſtate quidem a feſto Paſchæ inchoata uſque ad feſtum S. Remigii hora octava, hyeme vero a feſto S. Remigii uſque ad Paſcha hora nona Miſſæ Parochialis Officium ſine dilatione peragant. Sacrum autem matutinum æſtate hora quinta, hyeme hora ſexta, celebrandum curent, præmiſſo ſingulis Miſſis campanarum trino per dimidiatæ vel quadrantis horæ ſpatium pulſu, ut Parochiani etiam longius diſſiti poſſint ad ſacrum Miſſæ Officium, & verbum Dei in Eccleſia ſua integre audiendum tempore adeſſe; neque a præfixis his a Nobis horis metu, minis, blanditiis quorumcunque particularium, cujuſcunque fuerit ſtatus, aut conditionis, abducantur; nunquam vero diutius, quam horæ ſpatio, niſi Paſſio Dominica explicetur, concionentur.

§. IV. *Curent Paſtores, ne famuli & ancillæ Sacrum negligant.*

Soliciti etiam ſint Paſtores, & Vice-Paſtores, ut pauperes, mendici, famuli, ancillæ, pecorum cuſtodes, atque alii, qui nec Parochiali concioni, nec pomeridianæ lectioni Catecheticæ intereſſe queunt, abſoluta Miſſa matutina in his, quæ ſine ſuæ ſalutis periculo ignorare nequeunt, Catechiſmo erudiantur.

CAPUT VII.

§. I. *Argumenta Concionum magis neceſſaria.*

OMnium ætatum & ordinum, utpote Parentum, Liberorum, Maritorum

(s) Conc. Trid. Seſſ. 24. de Reform. cap. 4.

ritorum, Uxorum, Dominorum, Servorum, Magiſtratus & privatorum Officia circumſpecte explicent; ubi vero corruptelas in populo maxime frequentes intellexerint, circa illarum reprehenſionem ſine ſimulatione verſentur: ita tamen, ut neminem nominatim inſectentur, aut deſignent, caveantque pro Concione dicere ea, ex quibus colligi poſſet particularis aliqua contra privatos animi exulceratio, aut alicujus ab iis commiſſi criminis reprehenſio, multo minus ea proferre, quæ revelatæ confeſſionis ſuſpicionem etiam leviſſimam moveant.

§. II. *Nulli nominatim reprehendendi.*

Superioribus univerſis ac Magiſtratibus tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis a populo reverentiam & obedientiam eſſe deferendam, (t) frequenter inculcent, nullatenus autem ſimiles publice reprehendant, carpant, vel perſtringant: ſed officii ſui generatim duntaxat, ſi opus fuerit, admoneant, neque aperte quempiam ita objurgent, ut intento quaſi digito eum demonſtrent; parcant perſonis, inſectentur vitia; maxime vero caveant, ne in ullam Religioſam familiam aut ſtatum Eccleſiaſticum invehantur; a mutuis etiam æmulationibus, contentionibus, & aculeatis dictis, ne Parochianis & Auditoribus ſuis exinde ſint offendiculo, abſtineant.

§. III. *De bono & malo uſu ſacræ Scripturæ in concione.*

Si ſacræ Scripturæ teſtimonia producenda ſint, iis ſecundum vulgatam editionem utantur; nec ſacras literas ex ſuo ſenſu, ſed ſanctæ Eccleſiæ (quæ columna & firmamentum eſt veritatis) ſententia; & concordi ſanctorum Patrum doctrina & auctoritate interpretentur.

§. IV. *Concionis cultus oratorius vitandus.*

Allegorias ex probatis tantum Eccleſiaſticis Auctoribus deſumant & imitentur. Fucum Orationis, Poeticam locutionem, & verba peregrina, aut incertas ſeu apocryphas hiſtorias, vel auctores minime ſectentur. Fabulis & earum allegoriis, item relatione rumorum, ſeu rerum novarum, niſi id ſubjecta materia, temporis, vel loci ratio, & emergens inde Chriſtianæ Fidei confirmatio poſtularit, abſtineant. Ea vero, quæ auditoribus vel riſum movere, aut eorum animos a Superioribus abalienare poſſunt, ſicuti facetias, ſales, lepores, jocos, nemo pro ſuggeſtu recenſeat.

§. V. *Argumenta Hæreticorum non facile pro concione tractanda.*

Hæreticarum opinionum argumenta pro concione, non niſi cum neceſſitas exigit, & cautiſſime referant, eademque ſolidis rationibus ad captum populi, & veram fidem ſtabiliendam refellant & redarguant.

CAPUT VIII.

§. I. *Validi & ficti mendici amandandi.*

Repletur ignotis, vagis & validis mendicantibus patria, quorum complures eleemoſynas a fidelibus non modo impudenti importunitate, ſed falſis etiam ſub, & obreptitiis commendationum literis, quin & ementita ſpecie & habitu Religionis conantur extorquere; imo & Concionatorum opera in ſuis fictis neceſſitatibus publicandis abutuntur: & hi creduli perſæpe ab iis decipiuntur. Ut hujusmodi fraudibus, quantum in Nobis eſt, obviemus, ne ullus Paſtor, Vice-Paſtor, Concionator quamcunque extraneam perſonam, paupertatis nomine Chriſti fidelium eleemoſynis e ſuggeſtu, niſi viſa prius noſtra, noſtrive Vicarii in Spiritualibus licentia ſcripto impetrata commendet, ſevere interdicimus.

§. II. *Eleemoſynæ in templo non dentur.*

Inſuper moneat Chriſti fideles, ne mendicis per Eccleſias perinde ac forum publicum contra loci ſacri reverentiam curſitantibus, unquam in ipſis templis eleemoſynas erogent, (u) niſi easdem colligendi a Nobis, ſeu Vicario noſtro licentiam habuerint; egenis tempore Officii Divini & concionis ad fores Eccleſiæ juxta Evangelium & diſci-

(t) Rom. 13. ℣. 1. Tit. 3. ℣. 1. 1. Pet. 2. ℣. 18. (u) Act. 3. ℣. 2.

disciplinam templi Salomonici amandatis.

§. III. *Non liceat Regularibus Terminariis colligere eleemosynas sine licentia Episcopi seu Vicarii Generalis.*

Prohibemus quoque cujuscunque Ordinis & sexus Regularibus mendicantibus, ne sine nostra, nostrive Vicarii in Spiritualibus facultate scripto impetrata, frumenta, carnes, vinum aliaque esculenta, vel pocuienta, linum, aut simile quid colligant, aliter collecta illis auferri, & mensæ pauperum loci applicari volumus: Quod ut omnibus innotescat, hoc nostrum Decretum e suggestu sæpius quotannis publicari mandamus.

CAPUT IX.

A Divinis Officiis tempore concionis abstinendum.

DUm habetur concio in aliqua Ecclesia, nemo in eadem Missam, etiam privatam celebret, nisi forte in Sacello ita ab auditorio secluso, ut nec populus, nec Concionator videre aut audire Sacrificantem, nec turbari in sua dictione vel attentione possit: sed nec Horæ Canonicæ decantentur, aut Cantores, Vicarii vel Canonici eas ante finem concionis incipere audeant; quod si Concionator æquo prolixior fuerit, modeste per aliquem moneatur, non autem morose, & cum strepitu in sua concione turbetur.

CAPUT X.

§. I. *Petri Canisii Catechismus ubique docendus.*

DIversitas libellorum doctrinæ Christianæ sive Catechismi magnam in discendo & docendo parit difficultatem. Ideo mandamus, ut Parochi, Vice-Parochi, ad quos Catechismi tradendi munus spectat, unum & eundem modum in discendo & docendo doctrinam Christianam ubique per Civitatem & Diœcesin nostram observent, observarique faciant; eum scilicet, qui auctoritate nostra ordinaria approbato Catechismo Petri Canisii jam dudum Germanice edito continetur.

§. II. *Et desuper per Visitatores inquiratur.*

Archi-Diaconi quoque Decani Rurales, & alii auctoritate nostra deputati Visitatores, in visitationibus suis diligenter investigent, (*x*) an omnia, quæ ad Christianam doctrinam promovendam pertinent, diligenter & pro tantæ rei necessitate curentur, & sicubi defectibus occurrentibus ipsi mederi non poterunt, Nobis, aut nostro in Spiritualibus Vicario Generali denuntient. Ut autem de Pastorum, Vice-Pastorum diligentia, & ætatis tenerioris profectu Nobis constare possit, Decani Rurales quoties visitant, convocata juventute breve examen Catecheticum instituant: Quidquid vero memorabile contigisse notaverint, in Acta suarum Visitationum Nobis, nostrove in Spiritualibus Vicario intra mensem juxta Concilii Tridentini sanctionem, exhibenda referant.

TITULUS III.

De Officio Divino & Cæremoniis.

CAPUT I.

§. I. *In Divinis Officiis uniusmodi ritus & cæremoniæ, quoad fieri potest, observandi.*

INter Ecclesiæ Catholicæ notas haud minima est, quod una sit, proinde uno Baptismate initiatos, uno Christi Spiritu animatos, uno Christi Sanguine redemptos, unius Matris Catholicæ videlicet Ecclesiæ lacte nutritos, una ejusdem disciplina & imitatione colligari fas est, (*y*) ut Psalmistæ (*z*) in Nobis elogium: *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum:* impleatur. Sed cum id locorum distantia, nationum & ingeniorum varietas in quibusdam levioribus non sinant, in eo tamen toti desudamus, ut ad unum consensum omnium quam proxime accedentes, Ecclesiæ nostræ Coloniensis, quæ præ reliquis toto orbe diffusis, & olim, & tunc fidelis Romanæ Ecclesiæ filia meretur appellari, gloriam propagemus.

§. II.

(*x*) Conc. Trid. Sess. 24. de Reform. c. 3. §. Archi-Diaconi autem, Decani & alii inferiores &c. & §. Sed non ideo Episcopus. (*y*) 1. Cor. 12. (*z*) Psal. 132. ℣. 1.

§. II. *Romanæ Ecclesiæ conformes.*

Ideo non rara nos cura ſolicitat, ut hæc noſtra Archi-Epiſcopalis Eccleſia in communibus Officii Divini ritibus & cæremoniis, Horariisque precibus & Miſſarum Sacrificiis, illi Eccleſiæ, quæ eſt Mater & Magiſtra cæterarum omnium, conformetur; cum non poſſit non eſſe valde ſelectum, eximium & ſingulare, quod illa recipit, quæ a Spiritu Sancto certius & fidelius gubernatur, & omnium nationum ſtudiis, ingeniis & induſtria excolitur & adjuvatur.

§. III. *Juxta PII V. Papæ Conſtitutionem.*

Quod quidem noſtrum votum, præſertim quoad Horas Canonicas, tum Sacroſanctum Concilium Tridentinum, tum PIUS V. Pontifex (*a*) præcipue in Nobis excitarunt, dum unicum Breviarium reliquis (quorum prima inſtitutio non eſſet a Sede Apoſtolica approbata, vel ducentorum ante ſuæ deſuper editæ Conſtitutionis datum annorum uſu recepta) omnino abolitis, per univerſam Eccleſiam ab omnibus recipiendum eſſe ſtatuerunt.

§. IV. *Diſparitas in ſacris Ordinibus & ſtatibus quidem eſt laudanda, in cæremoniis tamen Officii Divini reprobanda.*

Etſi enim ad Eccleſiæ decorem faciat, ipſam, inſtar ſponſæ, circumamictam eſſe varietatibus, *dum alii in ea Pontifices, alii minoris Ordinis Sacerdotes, alii Diaconi, & Subdiaconi, diverſorum Ordinum viri, conſecrantur, atque ex multis & alternæ dignitatis membris unum Chriſti corpus efficitur:* quia tamen unus in omnibus eſt Spiritus, ordinem Eccleſiæ, in Divinis potiſſimum Officiis ab omnibus eodem ritu, modoque cuſtodiri convenit; (*b*) ne ex multitudine ac diverſitate eorundem oriatur confuſio, ritus primævi penitus antiquentur, ac laudata concordia uni Deo, una & eadem ratione preces & laudes dicendi, & ſacrificandi diſſimillimo inter ſe, & proprio cujusque Eccleſiæ Officio diſcerpatur.

§. V. *Officium feriarum privatæ alicujus perſonæ, vel Collegii auctoritate non eſt in aliud commutandum.*

Quod cum olim non ſine offendiculo in Civitate & Diœceſi noſtra Colonienſi invaluiſſet, quando nondum invento typorum uſu, e libris manu exaratis Divina Officia peragebantur: huic malo occurſum videbatur repertis typis, & per noſtram Diœceſin uno quodam ex pluribus collecto Breviario vulgato. Sed cum idipſum quoque lectionibus ac rubricis inuſitatis, vel legitima auctoritate deſtitutis deformaretur, tum etiam alii ſubinde ratione fundationis & pietatis privatæ, neglecto communi feriarum Officio, ſæpe aliud ſubſtituerent, alii nonnunquam absque juſta cauſa de quodam Sancto in ſua Eccleſia ſolemnem inſtituerent celebritatem, cujus in aliis Eccleſiis nulla extaret memoria, quin etiam neque nominis in faſtis vel tabulis Eccleſiaſticis fieret mentio; (*c*) adhæc plurimi quoties occurreret ſeptimana, uti vocant, vacans, prætermiſſo feriarum Officio brevitatis ergo, preces Horarias de Patronis non ex præſcripto ſanctorum Patrum, ſed faſtidii & negligentiæ cauſa recitarent, ſicque Officium feriarum contra morem Eccleſiæ per majorem anni partem omitteretur, ut vix ulla reperirentur Breviaria, quæ quorundam temeritate ac privatorum affectu corrupta ab inſtituto veteri non deviarent.

§. VI. *Circa Breviariorum ac Miſſalium repurgationem adhibita olim remedia.*

Hinc, ut tantæ varietati obviam iretur, juſte & neceſſario in Concilio Provinciali ſub HERMANNO V. (*d*) & in Synodo Diœceſana ſub ADOLPHO III. (*e*) Archi-Epiſcopis Colonien-

(*a*) Pii V. Papæ Conſtit. 64. Bullarii tom. 2. & Breviario Romano præfixa.
(*b*) C. Convenit. diſt. 5. de Conſecr.
(*c*) C. In die. diſt. 5. de Conſecr. Statuta Henrici Archiep. Colon. Cap. 7. pag. 68.
(*d*) Conc. Prov. Colon. ſub Hermanno V. Part. 2. cap. 6. 7. & 11. pag. 50. & 352.
(*e*) Statuta Adolphi III. pag. 413. §. Et quia. & pag. 466. col. 2. §. Quarto Reverendiſſ. &c.

nienſibus, Anteceſſoribus noſtris, iterum decretum fuit, Breviaria perinde ac Miſſalia repurganda eſſe, & ad ſanctorum Patrum regulas priſtinæ dignitati, & nitori reſtituenda.

§. VII. *Alia ſub SALENTINO & FERDINANDO Archiepiſc. Colonienſib.*

Cui Decreto ut ſatisfieret, Deceſſores noſtri SALENTINUS primum, deinde FERDINANDUS, Archi-Epiſcopi Colonienſes, omni ſtudio & labore, delectis ad hoc ex Clero ſuo doctrina pariter & pietate præſtantibus viris, ſalubriter ordinarunt, ut Breviarium & Miſſale Colonienſe, denuo reformata, & ad uſum Romanum magis accommodata, in lucem prodierint, Tutelarium interim Sanctorum Civitatis & Diœceſis noſtræ propriis Officiis, quibus præcipua veneratio merito debetur, retentis.

§. VIII. *Breviario & Miſſali reformato diverſitas Officiorum Divinorum non ſublata, ſed potius aucta fuit.*

Veruntamen varietas & diverſitas Officiorum Breviario ac Miſſali ſic reſtitutis non ſublata, ſed potius aucta videtur: dum quidam prius Breviarium a SALENTINO, alii poſterius a FERDINANDO correctum receperunt, nec tamen integrum, ſed ea duntaxat parte, qua ad prolixas quasdam preces, ad Officium Beatiſſimæ MARIÆ Virginis, & alia nonnulla, ad quæ ex præſcripto antiqui Breviarii tenebantur omnes, non obſtringit: quidam antiquum, licet omnium judicio reformandum Breviarium, & antiqua Miſſalia retinere maluerunt, quam nova & emendata recipere, non obſtante Archi-Epiſcopali mandato, quo ad ea recipienda Diœceſis noſtræ Clerici obligabantur. Ex quibus, dum nonnulli tam Sæculares, quam Regulares paulatim Romanum Officium aſſumpſiſſent, dolenter accidit, quod præcipuorum ſanctorum Patronorum Colonienſis noſtræ Eccleſiæ Officia, & cultus plurimum paſſa fuerint detrimenti, cum eorum vel nulla, vel perpauca Officia Romanum Breviarium & Miſſale complectatur.

§. IX. *FERDINANDUS Archi-Epiſcopus Manuale quoddam SS. Patronorum Civitatis & Diœceſis Colonienſis Officia & Miſſas continens imprimi curavit.*

Idcirco idem noſter Deceſſor FERDINANDUS Divinæ gloriæ & Sanctorum cultus promovendi ſtudio, aliorum Germaniæ Archi-Epiſcoporum & Epiſcoporum pio exemplo, qui idipſum ante eum aggreſſi fuerant, & perfecerant, permotus, præcipuis incommodis, dum univerſis nondum liceret, mederi tandem cupiens, ne pietas erga Tutelares Civitatis & Diœceſis noſtræ Patronos apud eos, qui Romano utuntur Breviario, ac Miſſali, ſenſim flacceſſeret, Manuale, ut vocant, quoddam uſui Romano accommodatum, typis vulgandum, quo ſola propria ſanctorum Patronorum Civitatis & Diœceſis Colonienſis Officia & Miſſæ continerentur, curavit, eademque Officia Horaria, & Miſſas ſingulari induſtria, zelo, & cura eorum, quibus id muneris demandatum erat, concinnata examinavit, laudavit, approbavit, ut utroque hoc caſu, pro majori commoditate; Breviarium ſive Romanum, ſive Colonienſe legentibus prompte deſerviret.

§. X. *MAXIMILIANUS HENRICUS Archi-Epiſcopus ad Officium Romanum recipiendum omnes paterne hortatur.*

Nos cum eandem hanc Eccleſiæ Catholicæ concordiam exoptemus, ac multum arbitremur ad Chriſti fidelium pietatem promovendam, profuturum, ſi uno & eodem orandi, pſallendique externo & publico ritu, Deus ſemper laudetur & invocetur, ſupra memoratis Deceſſoris noſtri FERDINANDI Archi-Epiſcopi Decretis, ac Statutis inhærentes, vel eo impenſius adhortamur omnes ac ſingulos Civitatis & Diœceſis noſtræ Eccleſiaſticos ſæculares, & utriusque ſexus Regulares tam noſtræ jurisdictioni ſubjectos, quam ab ea quoquomodo exemptos, qui ad Horas Canonicas decantandas, ſeu legendas obligantur, ut deinceps non diverſa, ſed unum idemque Breviarium & Miſſale Romanum ex Decreto Sacroſancti Concilii Tridentini reſti-

restitutum, PII V. jussu editum, (*f*) deinde CLEMENTIS VIII. postremo URBANI VIII. auctoritate recognitum recipiant, atque ex eodem preces suas Horarias sive privatim legant, sive publice in Ecclesiis decantent, adeoque Rubricas & regulas in Breviario, Missalique Romano, ac propriis prædictis sanctorum Patronorum Coloniensium Officiis & Missis præscriptas diligenter observent.

CAPUT II.

§. I. *Non licet Officium diei, vel ritum ejus mutare.*

NOrint autem universi, non posse Episcopos locorum post Constitutionem PII V. Pontificis de Breviario Romano editam, addere Calendariis etiam propriis Sanctorum Officia, nisi ea duntaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis, vel sacræ Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur, sicut disertis verbis sacra Rituum Congregatio declaravit, cujus Decretum hic integrum subjicimus.

§. II. *Ex sacræ Congregationis Rituum præscripto.*

" SAcra, *inquit*, Rituum Congrega-
" tio (*g*) declaravit & decre-
" vit, &c.

CAPUT III.

§. I. *Officium B. Mariæ Virginis uti a PIO V. præscriptum est, privatim & publice recitetur.*

AD majorem porro Civitatis & Diœcesis nostræ Ecclesiarum cum Romana consensionem, rituumque & cæremoniarum certiorem convenientiam volumus, ut quicunque ordinariæ nostræ jurisdictioni subjecti, tam Regulares, quam Sæculares ad Officium Beatissimæ MARIÆ Virginis, vel privatim legendum, vel in Ecclesiis publice decantandum obstringuntur, non alio, quam eo, quod PII V. Pontificis, jussu editum, & sub URBANO VIII. recognitum est, utantur Officio.

§. II. *Officium Beatæ Mariæ Virginis reformatum imprimi curavit PIUS V.*

De Officio Beatissimæ Virginis Deiparæ ab eodem PIO V. Pontifice (*h*) constitutum est, ad modum sequentem:

" Cum in executionem Decreto-
" rum Sacri Concilii Tridentini &c.

CAPUT IV.

§. I. *Pro sacrorum Rituum uniformitate ubivis introducenda in quibuscunque Ecclesiis certus deputetur cæremoniarum Magister.*

CUm sacrorum Rituum & cæremoniarum consensus, & concentus magnopere commendet Catholicæ Religionis dignitatem, & concordiam, ut ille non in quibuscunque Missarum Sacrificiis duntaxat, sed in reliquis etiam Ecclesiasticis officiis & functionibus omnibus, prout decet, adhibeatur, vehementer exoptamus: quem in finem in Domino hortamur universos Civitatis & Diœcesis nostræ Ecclesiarum Prælatos, Superiores & quoscunque alios, ad quos pertinet, & in futurum pertinebit, ut in singulis tam Metropolitana, quam Collegiatis, Parochialibus, & Regularibus Ecclesiis unus vel alter pius & peritus sacrorum Rituum & cæremoniarum Ecclesiasticarum Magister, cui in ritibus & cæremoniis obedire omnes teneantur, constituatur; qui totus in eo sit, ut Romano Cæremoniali diligenter evoluto; aliis, ad quos spectat, sacras cæremonias & ritus in eodem præscriptos, juxta illius modum, & normam in quibuscunque actibus ostendat & doceat.

§. II. *Pro Neomystis instruendis in singulis Decanatibus Ruralibus duo deputentur cæremoniarum periti.*

Quin etiam, ut eadem cæremoniarum, & rituum Ecclesiæ Romanæ con-

(*f*) Constit. Pii V. & Clementis VIII. & Urbani item VIII. Breviario Romano præfixa.
(*g*) Decretum sacræ Rituum Congregationis Breviario Romano præfixum: quod uberiore in Collectione uberius explicatur. In qua pariter, tribus ultimis Majoris hebdomadæ diebus quid agendum sit, fuse proponitur.
(*h*) Pius V. Constit. 122. §. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & 10.

concordia ubique introducatur, volumus in singulis Decanatibus Ruralibus nostræ Diœcesis duos deputari, ejusmodi cæremoniarum & rituum peritos, qui Neomystas omnes, tam primam Deo hostiam litaturos, quam Sacramenta Ecclesiastica administraturos, eisdem cæremoniis ac ritibus debite instruant. Quapropter singuli Decani Rurales in proxima congregatione, aut Capitulo Pastorum diligenter dispiciant, qui ad hoc munus obeundum erunt idonei, eosque Nobis, nostrove Generali in Spiritualibus Vicario repræsentent, & facta per Nos, vel nostrum Vicarium prædictum eorum designatione, nemo deinceps sæcularis Sacerdos Primitias celebret, aut novellus Pastor, seu Vice-Pastor Sacramentum administret, nisi per testimonium unius ex designatis Instructoribus doceat, quod in cæremoniis & ritibus sufficienter instructus sit: & quando aliquem eorum Instructorum e vivis excedere, aut locum mutare continget, volumus mox alium ei subrogari.

CAPUT V.

§. I. *Officium Divinum singulis diebus statis horis in quibuscunque Ecclesiis debite est canendum.*

INsuper sciant, qui tum in Metropolitana, tum reliquis Civitatis, & Diœcesis nostræ Ecclesiis, Prælaturas, Dignitates, Canonicatus seu Præbendas, Pastoratus, Vicarias, aliave Beneficia, vel Officia Ecclesiastica obtinent; & alii quotquot Divinis mancipati sunt functionibus, se ideo de altari, & Ecclesia vivere, ut Officium Ecclesiasticum debite peragant; (*i*) adeoque totius humani generis apud Divinam clementiam causam agant, militantisque Ecclesiæ vota, preces & laudes Deo offerant, eaque sua puritate, pietate, ac merito faciant commendatiora. Eapropter iisdem omnibus, aliisque in sacro aliquo Ordine constitutis severissime præcipimus, ut horas Canonicas articulatim, distincte, attente ac pie singulis diebus statis horis, observato tamen dierum solemnium a ferialibus, & minus solemnibus discrimine, in Ecclesia cantent, vel minimum privatim legant, sub pœnis in sacris Canonibus expressis, aliisque arbitrariis.

§. II. *Nec a legentibus illud privatim negligendum.*

Quoniam discrimen septem præcipuarum diei horarum orationi apud Judæos olim destinatarum, imitata est subsequens Ecclesia Christi per septem horas Canonicas diem distribuendo, in memoriam, honorem, & gratiarum actionem pro maximis a Deo beneficiis, (*k*) horis illis orbi concessis; optandum foret, ut sancti Petri exemplo, (*l*) Ecclesiastici omnes stata precum horariarum tempora, quando per occupationes licet, ex mente & præscripto Ecclesiæ diligenter observent, non simul omnes citra necessitatem, sed divisim suis quasque horis, ut fere in choro fit, persolventes.

§. III. *Horas Canonicas quilibet per se & juxta præscriptum Pontificum legere tenetur.*

Sane suo non satisfaciunt Officio, nec fructus faciunt suos, qui non per se, sed per alium, aut alias horas Canonicas, aut alio modo legunt, quam a Summis Pontificibus præscriptum est.

§. IV. *In quacunque Cathedrali vel Collegiata Ecclesia sacro saltem Subdiaconatus Ordine necdum initiatus, vocem in Capitulo non habeat: quid præstare teneantur ad majores Ordines promoti.*

Observanda quoque sunt duo Concilii Tridentini Decreta sequentia, (*m*) quorum prius sic habet: " Quicun-" que in Cathedrali, vel Collegiata sæ-" culari, vel Regulari Ecclesia Divinis " mancipatus Officiis, &c.

CAPUT

(*i*) Conc. Provinc. Colon. sub Hermanno V. Part. 2. cap. 4. & Part. 3. cap. 10. & 13.
(*k*) Psalm. 118. ℣. 163. (*l*) Act. 3. ℣. 1. (*m*) Conc. Trid. Sess. 22. de Reform. cap. 4. & Sess. 24. de Reform. c. 12. §. Neminem etiam &c. & §. Omnes vero Divina &c. Statuta Prov. Henrici Archiep. Colon. cap. 13. pag. 81. Statuta Wilhelmi Archiep. Colon. cap. 8. pag. 159. & Friderici Archiep. Colon. cap. 38. pag. 212. & cap. 40. pag. 213.

CAPUT VI.

Divinum Officium, uti Deo dignum est, ab omnibus peragendum.

QUum in Officio Divino cum ipſo Deo, qui Rex Regum eſt, & Dominus Dominantium, ſit nobis negotium, merito non modo ſtatis ſemper horis, in Choro conveniant, ſed in eo etiam a fabulis, riſibus, jocis, & aliis levitatibus omnino abſtineant, & ita functionem illam omnes, quibus ſive ex beneficio, ſive ex officio incumbit, non minus ſupremi gradu, quam infimi obeant, ea, quæ Divinæ Majeſtati congruit reverentia, mente pia & attenta, corpore decenter compoſito, modeſtia gravi, & verborum pronuntiatione minime præcipiti, in Pſalmis decantandis, & in medio, & fine cujuslibet Verſus, quieſcant nonnihil, ut & Deum, quo par eſt, cultu honorent, & populi pietatem excitent.

CAPUT VII.

Frequens intereſſentia in Divinis per diſtributiones quotidianas procuranda eſt.

QUandoquidem propter inæquales Beneficiatorum proventus, aliasque ob cauſas, una generalis nequeat regula ſtatui in executione Decreti Concilii Tridentini (n) de tertia parte fructuum, & quorumcunque proventuum, & obventionum in diſtributiones quotidianas convertenda; ſingula Capitula modum, & rationem id debite efficiendi concipiant, & Nobis, ſeu Vicario noſtro in Spiritualibus Generali exhibeant, ſic tamen, ut in majoribus Horis, ſcilicet Matutinis, ſumma Miſſa, & Veſperis multo largiores ſint, quam in minoribus Horis, nec in minoribus tam exiguæ, ut eæ negligantur.

CAPUT VIII.

§. I. *Diſtributionibus priventur abſentes aut notabiliter ſero venientes.*

STudeat unusquisque mox a principio, Divino Officio tam Matutino, & Veſpertino, quam minorum Horarum, ante finem primi Pſalmi cujusque Officii, uſque ad finem ejusdem intereſſe, (o) qui ſecus faxit, quavis colluſione aut remiſſione excluſa, diſtributionibus careat: exceptis duntaxat iis, quos cauſæ in Conſtitutione BONIFACII VIII. (p) expreſſæ excuſant, & pro præſentibus habendos, ut diſtributionibus gaudeant, jura decernunt. Si in quibusdam Eccleſiis ex fundatione, ſtatuto, vel conſuetudine citius intereſſe Divino Officio teneantur, vel diutius in eo permanere, nolumus illis eſſe derogatum.

§. II. *Idem de Officiis & Miſſis defunctorum ſtatuitur.*

Quemadmodum diſtributionibus privandi ſunt, qui ante finem primi Pſalmi cujusque Officii, uſque ad finem eidem Officio non interſunt: ita quoque eis privari volumus, qui in Miſſis tam de tempore, quam votivis, & anniverſariorum, quæ ex fundatione ſine commendationibus canuntur, ante Epiſtolæ finem: in Vigiliis vero ante finem ſecundi Pſalmi Veſperarum, ſeu Matutinarum, & in commendationibus ante finem primi Pſalmi uſque ad finem, vel in habitu chorali, qualem temporis & perſonæ conditio requirit, non interſunt.

§. III. *Anniverſariarum memoriarum & fundationum liber ſeu index conficiatur, & conſpicuo loco affigatur.*

Ne autem Anniverſaria, aliæve piæ fundationes ob defectum ſufficientis ſtipendii negligantur, aut plane intercidant, (q) volumus, ut omnes tam Collegiatarum, quam Parochialium, etiam Regularium Eccleſiarum Decani, Parochi, Vice-Parochi, & Superiores quicunque ut ea quamprimum legitime reduci curent, & ſic reducta cum aliis, quibus congrui reditus ſunt attributi, in peculiari anniverſariarum memoriarum libro ad id conficiendo cum tabula ſeu indice omnium piarum fundationum, & onerum, ad quæ Beneficia, Officia, fabrica, menſa pauperum,

(n) Conc. Trid. Seſſ. 21. de Reform. cap. 3. §. Diſtributiones vero.
(o) Conc. Trid. Seſſ. 24. de Refor. c. 12.
(p) C. unicum. de Clericis non reſid. in 6.
(q) Urbani Papæ VIII. Conſtit. 43. & ibidem Declarationes ſacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum.

rum, Confraternitates, aut servitia istius Ecclesiæ obligantur, prout habet illarum fundatio vel reductio, cum annotatione, & specificatione diei, & mensis, quando, per quem, & pro quibus fieri, & impleri debent, nitide & correcte describant, quæ tabula continuo in Sacristia, seu alio commodiore loco conspicuo, quo populus id rescire possit, muro affixa dependeat.

§. IV. *Dicti libri seu indicis copia authentica Archi-Diaconis aut Decanis Ruralibus tradenda.*

Exemplum quoque authenticum dictæ tabulæ seu indicis anniversariorum, ac fundationum, singuli Pastores, ac Vice-Pastores, tradant suis Archi-Diaconis, aut Decanis Ruralibus, qui illud cum actis suæ proximæ Visitationis Nobis, aut Vicario nostro in Spiritualibus Generali transmittant.

§. V. *Anniversaria per hebdomadam occurrentia Pastores diebus Dominicis publicent.*

Præterea singuli Pastores, & Vice-Pastores diebus Dominicis populo cum debita commendatione, pro concione omnia anniversaria & fundationes per hebdomadam occurrentia publicent, & in fundationibus præscripta observari curent.

CAPUT IX.

§. I. *Statutum de diebus recreationis abrogatur, & Bonifaciana Constitutio observari mandatur.*

ET ne dicta Constitutio BONIFACII Papæ, nec non Concilii Tridentini Decretum occasione prætensi cujusdam de diebus recreationis statuti violetur; decernimus & declaramus ejusmodi Statutum, sicubi extat, tanquam corruptelam ex libris, & protocollis Capitulorum delendum, & expungendum esse, & loco illius observandum, quod dicta BONIFACIANA Constitutione permittitur, ut si quis ob negotia Ecclesiæ, vel ob infirmitatem corporis horis interesse nequiverit, pro præsenti in Divinis habeatur, & quotidianis distributionibus, ac præsentiis, etiam manualibus, ex defunctorum exequiis seu anniversariis memoriis gaudeat, sub quibus casibus etiam eos comprehendi censemus, qui pro conservanda, aut recuperanda valetudine aerem ad breve tempus mutare, aut alias publica, seu legitima causa juxta dictam BONIFACII Constitutionem abesse coguntur.

§. II. *Quinam in negotiis Ecclesiæ occupari censeantur, & pro præsentibus habendi sint.*

Intelligimus autem in Ecclesiæ negotiis occupari non solum eos, qui Capituli, aut fabricæ suæ Ecclesiæ negotia tractant, sed & illos omnes, qui propria Dignitatum vel Præbendarum suarum munia obeunt, (r) aut Nobis, seu Successori nostro Archi-Episcopo Coloniensi, pro eo tempore existenti, Ordines conferenti, Civitatem seu Diœcesin Visitanti adsunt, vel in aliis Archi-Episcopatus Coloniensis negotiis occupantur, vel aliquo ab eo missi consilium & operam suam impendunt, quos pro eo tempore, fraude & dolo seclusis, decernimus pro præsentibus reputari, & omnibus emolumentis gaudere debere, perinde ac si per se Divinis interessent. Illos quoque, qui sub Divinis Officiis, aut Missæ Sacrificium celebrant, aut ad colebrandum sese præparant, volumus pro eo tempore præsentes in Divinis reputari, modo tamen absoluto Sacrificio sine notabili mora in Chorum redeant.

§. III. *Serius ad Officium Divinum venientes nec excludendi, nec publice confundendi.*

Serius ad Officium Divinum venientes, etsi distributionibus privandi sint, libere tamen cum habitu decenti chorum intrare permittantur: nec quisquam eos manuum, vel pedum plausu, vel sibilis, aliove strepitu excipiat; si quis secus fecerit, ipse quoque distributionibus privetur, & insuper pro modo culpæ & offendiculi puniatur.

§.IV.

(r) C. De cætero. & c. Audientiam de Clericis non resid. Conc. Trid. Sess. 24. cap. 12. & ibidem Declarationes Cardinalium ejusdem Concilii Interpretum.

§. IV. *Minus decentia sub Officio Divino vitanda.*

Nemo quoque cum publice preces Horariæ cantantur, vel Sacrificium Missæ celebratur, profanum quippiam, aut ab instituto alienum legat, neque etiam dormiat, aut fabuletur, aut velut iners truncus, & mutus assistat sub pœna privationis distributionum ejus Officii, etsi semel correptus, secundo aut tertio circa præmissa deliquerit, ultra amissionem distributionum in eum gravius adnimadvertatur.

CAPUT X.

§. I. *Officia Divina non mutilanda.*

UT omnia porro in Officiis Divinis cum decore, & reverentia peragantur, serio mandamus, ut Missæ Sacrificium integre, Symbolo Apostolico, Præfatione, & Oratione Dominica nunquam per organa, aut chorum decurtatis vel mutilatis celebretur & decantetur.

§. II. *In Organis, instrumentis musicis, campanisve lasciva vitanda.*

Organis item, ac quibuscunque aliis instrumentis musicis, tam in Ecclesiis, quam in Processionibus ita canatur, ut modulatione sua lascivas, impuras, militares, vel indecoras cantiones non imitentur, & ea, quæ voce canuntur, ne procul absint a mente. Quicunque tintinnabulorum & campanarum, si quæ sint ad harmoniam compositæ, curam gerunt, caveant, ne earum pulsu turpes, inhonestas, vel sæculares cantiones exprimant, sed potius hymnorum & canticorum Ecclesiæ modulationes graves, & quæ pios affectus moveant, imitentur.

§. III. *Conventus profani & Divinum Officium perturbantia in Ecclesiis non tolerentur.*

Conventus autem profani, transactiones, & quæcunque Divinum Officium possunt perturbare, aut decori ac sanctitati domus Dei officere, in templis non tolerentur. Quæ autem ad cultum Divinum, munditiam, ornatum atque splendorem sacri loci faciunt, eadem ab omnibus diligenter observentur. (*)

TITULUS IV.

De Superstitione.

CAPUT I.

§. I. *Quænam sint vitia Superstitionis nomine comprehensa, auditores & pœnitentes doceantur.*

MUltos ignorantia, multos curiositas, multos malitia, variis jure Divino & humano severissime prohibitis superstitionibus coinquinat; ideo Pastores, Vice-Pastores, Concionatores, Catechistæ & Confessarii, auditores & pœnitentes suos diligenter de vitiis Religionis virtuti oppositis, & communi superstitionis nomine comprehensis doceant; ac generatim & frequenter inculcent, superstitiosum esse certo exspectare quemcunque effectum a quacunque re, quem illa nec sua natura, nec ex Divina, vel sanctæ Ecclesiæ Catholicæ institutione, vel approbatione potest producere.

§. II. *Explicent sæpius Pastores, quam graviter sacra Scriptura quæcunque divinationum genera detestetur.*

Speciatim vero doceant, quam graviter Scriptura sacra (*s*) quodcunque divinationis genus detestetur; inter quas non solum eæ condemnantur, quibus dœmon expresse, sed etiam illæ, quibus tacite duntaxat invocatur; ut in Auguriis, Ominibus, Chiromantia, & Spatulamantia, quibus (Deo juste id permittente) se dœmon frequenter miscet. Cum autem soli Deo propria sit divinatio, & prænotio futurorum contingentium, æque ac secretorum cordis; dum ea homo sine Deo contendit perscrutari, (*t*) seque Deo superbe componit, merito sibi relictus corruit.

CAPUT

(*) In editione Kinckiana hic sequitur Titulus: *De Precibus seu Oratione quadraginta horarum.* (*s*) Exod. 22. ℣. 18. Levit. 19. ℣. 26. & 31. ac Cap. 20. ℣. 6. & 27. Deut. 18. ℣. 10. 11. & 12. (*t*) Apoc. 2. ℣. 23.

CAPUT II.

§. I. *Aſtrologia divinatoria ab Eccleſia Romana damnata eſt.*

ILlicita autem ab Eccleſia Romana prorſus damnata eſt Aſtrologia divinatoria, per quam ex aſtrorum aſpectu eventus, qui a libero hominis pendent arbitrio, prædicuntur: vel præteriti, præſentes, aut futuri effectus occulti denuntiantur, vel ex inſpectione ſideris, conceptionis, ſeu diei natalis, obſervatoque puncto nativitatis cujusque hominis, aut manuum, ac faciei lineamentis, ex mortuis apparentibus, ex galea, quam vocant nativitatis, aliisque id genus obſervationibus, certo de futuris hominis moribus, proſpera, ſeu adverſa fortuna, aut exitu pronuntiatur, & ex ſiderum poſitione & ſitu obventura prædicuntur, eaque & propenſiones ad bonum, aut malum ſolis aſtris ſubjiciuntur, aut ex ſortibus absque Divino inſtinctu & afflatu occulta, ut certa diſcernuntur.

§. II. *In interpretandis ſomniis magna prudentia adhibenda.*

Etſi liceat ex iis ſomniis, quæ veroſimile eſt a Deo, vel bono Angelo proficiſci, (*u*) divinare; quæ fere ex adjunctis, & peculiari lumine Divino manifeſte cœlitus immitti diſcernuntur, ex diabolicis tamen ſomniis, quæ interdum permittit Deus, & prudentum judicio facile dignoſcuntur, nullo modo fas eſt conjecturam facere; omne enim Nobis commercium cum dœmone, uti ruinæ noſtræ ſemper cupidiſſimo hoſte, eſt inhibitum.

CAPUT III.

§. I. *Populus docendus, quænam ſint vanæ obſervationes.*

DOlendum eſt, non rudem tantum populum, ſed interdum alios quoque vanis obſervationibus deditos, conſideratione alicujus eventus fortuiti, veluti leporis in via decurſu, vel corvi crocitatione, conjicere de proſpero vel adverſo ſucceſſu, & inde actiones ſuas moderari. Quocirca Paſtores, Vice-Paſtores & Catechiſtæ ſæpius populum admoneant, ſuperſtitioſam eſſe artem, per quam quibusdam orationibus, jejuniis, aſpectu certarum figurarum, aliisve ſignis, adminiculisque vanis adhibitis, ad effectus intentos, qui nullam cum iis neque ex natura rei, neque ex Dei, vel Eccleſiæ inſtituto proportionem habent, variæ ſcientiæ, ſeu doctrinæ absque labore acquiruntur.

§. II. *Incantationibus & ligaminibus ſuperſtitioſis nullatenus utendum.*

Graviſſime tales peccare doceantur, (*x*) qui ad morbos, vel vulnera hominum, aut brutorum animalium curanda, ſanguinem ſiſtendum, dolores mitigandos, ad vitam, vel valetudinem conſervandam, ad immunitatem a vulneribus procurandam adhibent incantationes, inſufflationes, ligamina &c. ſcripturas, characteres, ſeu imagines aſtrologicas, precationes ad certum & determinatum verborum numerum reſtrictas, amuleta, brevia, involucra, ſigna, Sanctorum etiam permiſtis reliquiis, deque collo ſuſpenſis, verba ſacra, preces deſcriptas, quæ nativam medendi vim non habere aperte conſtat, neque Eccleſiæ approbationem, quibus accenſenda ſunt medicamenta naturalia, ſi illis aliqua frivola tanquam neceſſaria adjunguntur.

§. III. *Etiamſi Crucis ſignum vel alia Sacra ſimul adhibeantur.*

Neque refert, quod interdum ſpecie pietatis, ſignum Crucis, ſacra verba & preces adhibeantur, quibus alia quoque vana & inutilia admiſcentur, ignota ſcilicet nomina, characteres, vel ſpes tribuitur modo ſcribendi, vel ligandi, vel alia vanitas, a cultu Divino aliena conjungitur.

CAPUT IV.

§. I. *Ab omnibus diabolicis remediis penitus abſtinendum.*

EXecranda eſt quoque eorum malitia, qui herbas certo die, hora, aut ritu decerptas ad certas quasdam injurias, & pericula propulſanda valere confingunt, quique ad expellendos dœmo-

(*u*) Daniel. 4. ℣. 5.

(*x*) C. Non liceat. 26. q. 5. c. Non obſervetis. c. Quis æſtimaret. 26. q. 7.

dœmones, obtinendam victoriam, præcavenda vulnera, diabolicis utuntur remediis, & altis, ut vocant, seu magicis, vel incognitis nominibus, verbis, notis, vel signis, quorum fiducia in cædes, suo & aliorum periculo, animarumque æterno damno ruunt.

§. II. *Decernuntur pœnæ in similibus utentes, & publicari mandantur.*

Cumque detestanda ista temeritas latius serpat, quam ut paternis admonitionibus possit impediri, acriori censura coercendam judicamus. Cunctis itaque Civitatis & Diœcesis nostræ Pastoribus, Vice-Pastoribus & Concionatoribus mandamus, ut ter, quaterve in anno, ubi populus frequentior est in Ecclesiis, videlicet circa Festum Paschatis, Nativitatis Domini, & Dedicationis Ecclesiæ, aut, quod vocant Nundinarum, publice de suggestu denuncient, Nos omnes & singulos, qui similia diabolica remedia, & alta, seu magica, sive incognita nomina, verba, notas, vel signa gestaverint, vel aliis gestanda dederint, pœnæ excommunicationis, ipso facto incurrendæ subjicere, ejusque absolutionem Nobis reservare. Insuper per præsentes prohibemus Pastoribus, & Vice-Pastoribus supradictis sub pœnis suspensionis ab officio, ne quem in loco sacro sepeliant, qui cum istis altis, seu magicis & incognitis nominibus, verbis, notis, vel signis mortuus deprehendetur.

CAPUT V.

§. I. *Vanæ observationes circa certos numeros & præscriptas formas Missarum, precum vel candelarum proscribendæ.*

PRoscribenda pariter est eorum vana observatio, qui certo numero, & forma Missarum, precum, vel candelarum, affirmant certas designatasque animas e purgatorio semper liberari, quive certo pollicentur sine pœnitentia, & Sacramentis ex hac vita non migraturos eos, qui hunc, vel illum ex Sanctis coluerint, vel Crucem die Veneris Sancto portaverint: moneantur tales, recte ipsos id facere in honorem alicujus sacri Mysterii, sed non ea certa persuasione, sic se tantum illud impetraturos, quasi deprecatio Deo grata futura non sit, nisi septem Missæ pro defuncto dicantur, septem accensis candelis, septies datis eleemosynis. Non ideo tamen prohibitas censemus triginta Missas a S. GREGORIO Pontifice Maximo (y) pro defunctis institutas, & approbatas, prout & sacra Congregatio Cardinalium sacris Ritibus præpositorum desuper consulta respondit.

§. II. *Sagæ vero & magi maxime execrandi.*

Omnibus vero dictis magis execrandi sunt magi, atque sagæ, qui maleficiis corpora, non præstigiis solum, sed vere miris immutant modis, illecebris, & philtris homines ad idololatriam, aliaque scelera pelliciunt, suis incantationibus fascinant, dementant & interimunt incautos, bruta animalia necant, morbos, grandines, auras noxias, sterilitatem, dœmone ad hoc eis opitulante, inducunt, hominibus, pecoribus, & terræ frugibus nocent, in maribus vel fœminis usum Matrimonii impediunt, omniaque nocendi genera, non siderum, aut maleficiorum vi, sed dœmonum pacto & concursu machinantur.

§. III. *Sortilegi & consultores eorum severe a Magistratu puniendi.*

Ut autem detestabile hoc superstitionum & divinationum, vanarumque observationum, & fœdarum artium magicarum studium, quantum in Domino possumus, extirpemus: omnes ac singulos ubivis locorum Diœcesis nostræ Judices Ecclesiasticos & sæculares serio adhortamur, ut omnes, qui de rebus deperditis, aut præteritis, præsentibus, seu futuris eventibus, alisque secretis, vel occultis consulti responsa dare cognoscuntur, suis sedibus pellant, vel protinus pellendos curent: eos autem, qui talium hominum auxilium implorant, solicitant, pecunia redi-

(y) Gregor. Papa IV. Dialog. 55. Sacra Congregatio Rituum apud Gavan. Comment. in Rubric. Missal. Part. 1. tit. 5. n. 3. lit. D.

redimunt, vel super rebus amiſſis, aut occulta veritate cognoſcenda, vel ſolvendis maleficiis conſulunt, graviter puniant, ac multo gravius in Veneficos, Sortilegos, Ariolos, Incantatores, Pythones, Divinatores, Præſtigiatores, Augures, Chiromanticos, præſertim vero illos, qui ſub vulgari Ægyptiorum nomine vagantur, eorumve aſſeclas, aut qui ſe tales mentiuntur, & illorum utuntur habitu, animadvertant, eosque deportent & exterminent.

§. IV. *Ad depellenda maleficia, remedia ab Ecclesia uſitata adhibenda.*

Omni itaque cura docendus populus, ut ad depellenda maleficia, eorumque vim & noxios effectus impediendos, iis utatur remediis, quæ adverſus nequitias & illuſiones dœmonum, Eccleſiaſtica tradit auctoritas, uſusque confirmavit: ea ſunt ſincera ad Deum converſio, frequens Sacramentorum uſus, jejunium, eleemoſynæ, Miſſæ Sacrificium, Fidei Catholicæ ſæpe repetita profeſſio, frequens recitatio Symboli Apoſtolici, invocatio Nominis JESU, Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, Angeli Cuſtodis, aliorumque Sanctorum, Litaniæ omnium Sanctorum, frequentes preces & Collectæ, ſignum Crucis, ſolennes exorciſmi, ſacræ Imagines, Reliquiæ Sanctorum, benedictarum campanarum pulſus, Agni DEI, aqua, cereus, herbæ, ſal, & alia ejusmodi uſitato Eccleſiæ ritu benedicta.

§. V. *Librorum aut Scriptorum ſortilegia, veneficia aut divinationes docentium lectio aut retentio prohibetur.*

Præterea libros, opera, ſcripta, ac tractatus, qui ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, execrabiles incantationes, magicas præſtigias, diabolicas artes, & vanas ſuperſtitiones, ac divinationes docent, aut quomodolibet de eis tractant, a quibuscunque Chriſti fidelibus legi, aut retineri, ſeveriſſimis ſub pœnis in ſummorum Pontificum SIXTI V. (z) & URBANI VIII. (a) Conſtitutionibus, nec non prohibitorum librorum Indice expreſſis, aliisque arbitrariis, prohibemus: ſed & eosdem quantovis etiam pretio æſtimentur, exemplo Epheſiorum, & juxta ſacrorum Canonum, Oecumenicorumque Conciliorum præſcriptum cremari, mandamus. Unde Paſtores, Vice-Paſtores & Concionatores frequenter populum commoneant, quam gravi ſe peccato talium lectione, ac multo magis eorum experimentis obſtringat; quod ſi nihilominus aliquos, ſpretis noſtris mandatis, ejusmodi libros, ſcripta, ſeu tractatus uſurpare, legere, vel retinere deprehenderint, ſemel iterumque moniti, niſi dimiſerint, noverint ſe pœnis gravioribus a Nobis eſſe puniendos.

CAPUT VI.

Pœnæ in maleficos & ſortilegos decernuntur.

CUm vero nonnulli ſuæ conditionis obliti, & ſolennis ſponſionis ab iis factæ, cum in Chriſti gregem, per ſacrum regenerationis lavacrum adſciti fuerunt; Satanæ, cui renuntiarunt, artibus, maleficiis, ſuperſtitionibus, ac nefariis inventis operam dare non vereantur; quinimo Magiſtrum imitantes, qui capitali odio, quo humanum genus proſequitur, hominibus inſidiari nunquam ceſſat, proximum variis modis lædere, animas vero ſuas æternum perdere non timeant, Nos ut tam exitioſa ſcelera a Chriſti fidelibus arceantur, Conſtitutioni GREGORII Papæ XV. adverſus maleficos & ſortilegos editæ inhærentes, præcipimus, ut conſtito, quod aliquis pactum cum diabolo fecerit, & a fide apoſtatando maleficiis ſive ſortilegiis unam, ſeu plures perſonas, ita læſerit, ut ex maleficio, vel ſortilegio mors ſecuta ſit; etiam primo lapſu Curiæ ſæculari tradatur debitis pœnis puniendus. Qui vero ſimiliter apoſtatando pactum cum diabolo, ut præfertur, fecerit, & maleficium, ſeu ſortilegium commiſerit, licet mors ſecuta non ſit, infirmitas tamen, divortium, impotentia generandi, ſive animalibus, frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile provenerit,

(z) Sixti V. Papæ Conſtit. 17. ticos. c. De Epiſc. audient.

(a) Urbani Papæ VIII. Conſtit. 113. L. Mathema-

rit, muro claudi, five perpetuis carceribus mancipari debeat.

TITULUS V.
De Exorcifmis.

CAPUT I.

§. I. *Exorcifmis circumfpecte utendum.*

QUanquam Exorcifmorum ufus, ex Divina inftitutione, Apoftolica traditione, & Ecclefiæ confuetudine, pro pellendis ex humano corpore dœmonibus, ædibus ab illorum infeftatione liberandis, variis damnis ac malis, quæ per tempeftates, animalia noxia, venena, vel alia quavis ratione inferri folent, avertendis, utilis omnino fit & falutaris; eorundem nihilominus abufus tot ac tanta peperit incommoda, ut cogamur revocare, prout præfenti Decreto omnes & fingulas exorcizandi licentias verbo, vel fcripto a Nobis, vel authoritate noftra conceffas, revocamus.

§. II. *A nemine autem fine prævia licentia.*

Quare nullus in Civitate & Diœcefi noftra Colonienfi, pofthac fine noftra, noftrive Vicarii in Spiritualibus Generalis facultate fcripto obtenta exorcizare præfumat: Quibuscunque autem deinceps a Nobis, feu prædicto noftro Vicario hujusmodi facultas dabitur, id charitatis officium afflictis fine fpe lucri, omni vana gloria, & præfumptione fepofitis, impendant.

§. III. *Ufus eorum folis Decanis Ruralibus conceditur.*

Ne vero noftra hæc revocatio indigentibus incommoda fit, Ruralibus noftris Decanis, ut in omnibus diftrictus fui locis exorcifmos adhibere queant, præfentium tenore facultatem concedimus; Paftores vero, & Vice-Paftores hac facultate curentes hujusmodi exorcizandos ad Decanos, vel alios fpeciali exorcizandi poteftate munitos mittant.

§. IV. *Exorcizans ab Ecclefia approbatis cæremoniis tantum utatur.*

Licentiam porro exorcifmis utendi a Nobis, vel noftro Vicario adeptus, in ejusmodi functione graviter, pie ac religiofe fe gerat, nec aliis, quam in Rituali Romano, feu Paftorali Colonienfi præfcriptis Exorcifmis, precibus & cæremoniis, quantumcunque piæ ac bonæ appareant, utatur.

CAPUT II.

§. I. *Exorcifta non fit facilis ad exorcizandum.*

NOn temere credat Exorcifta aliquem effe obfeffum, intoxicatum, aut locum infeftum, aut fpiritum vagari, cum cæcitas & credulitas hominum millies in ejusmodi vel erraric, vel malitia fraudem texuerit, uti frequens docet etiamnum experientia. Proinde neque facile adhibeat exorcifmos, nifi fignis, prudenti Medicorum, fuo, aliorumque Doctorum maturo judicio examinatis, perfpicue conftet effe energumenum, aut maleficio affectum, & multo minus morbos hominum, pecorum languores, aut damna poffeffionibus illata, ftatim incantationibus aut maleficiis attribuat, nec homines, dum id ordinarie exiftimant, in ifta finat hærere opinione, minime vero confirmet, ne fruftra remedia Ecclefiæ ad alios fines & effectus, quam ordinata funt, cum periculo contemptus adhibeantur.

§. II. *Signa mali fpiritus genuina ab aliis prudenter difcernenda.*

Quamvis evidenter cognofci nequeat, quando homo a dœmone obfeffus, vel maleficio fit intoxicatus, certiora tamen prioris indicia funt; fi lingua peregrina pluribus verbis loquatur, vel loquentes intelligat, fi absque prævia doctrina artificiofe legat, fcribat aut cantet, fi diftantia & occulta patefaciat, vires fupra ætatis feu conditionis fuæ naturam exerat, præfertim, fi cum remittit afflictio, nefciat, ut antea de occultis refpondere; fi juffus invocare Nomen Dei, aut orationes pias dicere, id facere nequeat; fi horreat & contremifcat, quando, ipfo infcio, adhibentur Sanctorum Reliquiæ, Crucis fignum, aqua benedicta, & his fimilia, quæ ex probatis Authoribus Exorcifta noffe ftudebit; proderit etiam occulte & difcrete caufas inquirere, ob quas dœmon putetur ingref-

ingreſſus, aut afflictus maleficio affectus, quæ licet aliquando ſint ſolius Dei gloria, & afflicto augmentum meriti, ordinarie tamen cauſa ſunt peccata, videlicet deſperatio ex amiſſione bonorum temporalium, nimia cum dœmone, vel cum hominibus, qui cum eo commercium habent, familiaritas, parentum vel aliquorum de maleficio ſuſpectorum mala dœmonis imprecatio, in ſuperſtitionem propenſio, gravis alicujus criminis confeſſione nondum expiati, aut voluntarie in eadem omiſſi conſcientia, & in tali ſtatu ſacræ Euchariſtiæ ſumptio, nimia ex ſcrupulis anxietas, per quam, niſi a peritis Confeſſariis mature occurratur, miſeri homines ad varias perturbationes & deſperationem adiguntur.

§. III. *Maleficii veri indicia.*

Signa vero particularia maleficii, præter inſolita ſymptomata & affectus corporis, accedente judicio peritorum Medicorum, ut ſupra, etiam ſunt, ſi morbus, præcedentibus minis alicujus perſonæ ſuſpectæ, ſubito fuerit exortus; ſi in corpus afflicti ingeſta deprehendantur talia, quæ naturæ vi inferri, aut generari in eo non poſſunt, ut cultri, glomi, capſulæ, crines, aciculæ, oſſa, ferramenta, & his ſimilia.

§. IV. *Naturalia quidem remedia non rejicienda, primæ tamen Spiritualibus tribuendæ.*

Itaque dum Exorciſta compererit aliquem Energumenum, & intoxicatum eſſe, non rejiciat quidem naturalia remedia; ſed licet primas det Spiritualibus, permittat tamen afflicto ex præſcripto Medici uti medicinis idoneis ad hypochondriæ malum minuendum, ipſe tamen eas non adhibeat, ſed Spiritualia, quæ, ut feliciorem ſucceſſum habeant, conſcientia peccatorum maculis purgata in oratione ad Deum, fervente Symboli Apoſtolici recitatione, nec non jejuniis, aliisque carnis afflictationibus aliquot dies ſe exerceat, ſibique perſuadeat, ſine ejusmodi præparationibus, ſæpe parum, aut nihil profici, juxta teſtimonium CHRISTI, (*b*) *boc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione & jejunio.* Dein exorciſmos juxta Ritualis Romani, vel Paſtoralis Colonienſis formam præſcriptos, impreſſionem ſigni Crucis, Reliquias Sanctorum, Agnum DEI, ut vocant, aquam & cereum benedictum, panes ſacros, palmas, ſalem & alia ejusmodi uſitato ritu Eccleſiæ benedicta adhibeat. Sæpius vero utatur ſigno Crucis, ſed cum reverentia & attentione rei ſignatæ, id eſt, paſſionis & mortis CHRISTI Domini, hoc enim vim magnam habet, & adfert homini fiduciam & defenſionem, dœmoni vero terrorem incutit, eumque in fugam agit.

CAPUT III.

§. I. *Exorciſta ſit humilis, devotus & prudens.*

Quia non ſuis viribus, aut potentia, ſed ſolius Dei miſericordia, & Chriſti meritis nixus adverſus diabolum, Dei, & humani generis infeſtiſſimum hoſtem, omnis Exorciſta arma ſuſcipit; hinc ab omni faſtu, & vanæ gloriæ oſtentatione ſit alienus. Caveat adhæc in exorciſmis, a ritibus & precibus ab Eccleſia non approbatis; ſiquidem orationes proprio ingenio compoſitæ, ſuſpectæ, & non tam efficaces ſunt, quam ſi Eccleſiæ authoritate & juſſu inſtituantur. Nullis jocoſis, ſuperfluis, & nugatoriis interrogationibus, nec ad vana & curioſa edicenda diabolum adjuret, ſed ſolum ad ea, quæ ad rem pertinent, & ad augendam Dei gloriam, & ſolamen afflicti erunt convenientia, videlicet de numero, nomine ſpirituum obſidentium, tempore & modo, quo ingreſſi ſunt, de cauſa ingrediendi, & aliis ejusmodi: & an detineantur in corpore ob magicam aliquam operam, aut ſigna maleficia, vel ſi alibi fuerint depoſita, ea manifeſtet, ut inventa comburantur.

§. II. *Maxime autem polleat fide & religione.*

Exorciſmos igitur legat & faciat cum imperio & authoritate, magna fide, humilitate & fervore: & quibus ſacris verbis, aut ſignis advertit dœmonem magis urgeri, iis magis & crebrius inſtet; ſi autem viderit obſeſſum aliqua

(*b*) Marc. 9. ℣. 29.

aliqua corporis parte commoveri, pungi, aut tumorem apparere, ibi Crucis ſignum & aquam benedictam, quæ ſemper in promptu eſſe debet, adhibere non intermittat, ſervato tamen ſemper decore & honeſtate, & ſalva rerum ſacrarum reverentia. Proinde ſi coram Sacra Euchariſtia fieri contingat exorciſmos, nullo modo ea corpori Energumeni, ſed Sanctorum Reliquiæ debita cum reverentia & decore applicentur.

§. III. *Curet Exorciſta, ne afflictus remediis illicitis utatur.*

Quia vero dœmon, teſte S. Cypriano, citius, vel ſegnius, quem obſidet, deſerit, prout vel fides patientis adjuvat, vel gratia curentis aſpirat: debet Exorciſta, quando jam ſeipſum rite ad hoc munus diſpoſuit, etiam curare, ut ex parte afflicti non ſit defectus. Curet itaque diligentiſſime, ne afflictus, ſpretis Eccleſiæ miniſtris, ad Magos, Ariolos, Divinatores, vel quoſcunque Laicos pro levamine recurrat, aut remediis ſuperſtitioſis utatur; unde Paſtores, Vice-Paſtores, Concionatores, Catechiſtæ, & Confeſſarii ſæpius & graviter illius peccati malitiam, & pericula incidendi in plenam ſervitutem ipſius dœmonis, explicent.

§. IV. *Monitionibus contravenientes Eccleſiaſtica careant ſepultura.*

Si qui autem prædictis monitionibus minus obſequantur, eos Eccleſiaſtica volumus carere ſepultura, niſi ante mortem ſcelus ſuum fuerint deteſtati. Non permittat etiam Exorciſta ab Energumeno ſeu intoxicato geſtari ſacra amuleta, aut brevia, niſi uſitata & examinata, propter periculum ſuperſtitionis: verum omni modo conetur afflictum inducere ad ſinceram peccatorum confeſſionem, cum vero animi dolore & peccatorum deteſtatione, & digna ſatisfactione, ac Sacræ Euchariſtiæ frequentiori ſumptione, quia laſciviam & diſſolutam vitam ſæpe ita Deus punit, diabolo homines torquendi facta poteſtate.

§. V. *Obſeſſus vel maleficio affectus monendus, ut magnam in Deo fiduciam habeat.*

Moneatur quoque obſeſſus vel maleficio affectus, ut dum Exorciſmi fiunt, totum ſe recolligat, mentem ad Deum convertat, ac ſumma fide ſalutem ab eo depoſcat cum animi humilitate; dumque vehementius torquetur, non diffidat de Dei auxilio, quod tempore opportuno experietur.

§. VI. *Si liberetur, id Deo adſcribendum: ſi liberatio diutius differatur, Exorciſta afflictum conſoletur.*

Quod ſi Exorciſmi felicem ſucceſſum habeant, & Energumenus aut maleficio affectus liberatus fuerit, Exorciſta Deo, a quo profectum eſt, & Chriſti paſſioni, & meritis totum adſcribat, ſibi nihil arroget. Moneat pariter liberatum, ut medullitus gratias Deo agat, & ſtudioſe peccata vitet, ne dœmoni occaſionem præbeat revertendi, *fiantque noviſſima pejora prioribus.* (c) Si vero effectus diutius differatur; non ideo commoveatur animo, ſed conſoletur afflictos, doceatque dœmonem tunc glorioſiſſime vinci, quando calamitates quaſcunque (Deo permittente) nos affligentes, exemplo Jobi & Sanctorum, cum patientia & obedientia ſuſcipimus de manu Domini, ad medelam peccatorum & virtutum exercitationem. Adjiciat plures eſſe cauſas, quæ Exorciſmorum efficaciam remorentur, ut incredulitatem, aut alia peccata hominum; vel ut diutius a diabolo ad Divinam opem implorandam vexati, majori fide & animi fervore properent, tum ut ſanctæ patientiæ merito, hanc a Deo immiſſam afflictionem perferant, complurium etiam Sanctorum exemplo, quos Deus e dœmone divexari perſæpe permiſit.

§. VII. *Utilia remedia ſuggeruntur adverſus infeſtationes.*

Si afflictus non ſit ſacro Chriſmate confirmatus, curet eum confirmari, hortetur quoque eum ad Sacrificium Miſſæ pie quotidie audiendum, ad frequentes orationes, & præſertim Fidei profeſſionem, & Symbolum Apoſtolo-

(c) Luc. 11. ℣. 26.

ſtolorum mane & interdiu ſæpius recitandum, propter defectum enim fidei vel fiduciæ in Deum, frequenter diabolus homines torquere permittitur; jejunet interdum, aliaque pœnitentiæ & pietatis opera exerceat. Moneat etiam, ut ſæpius ſeipſum aſpergat aqua luſtrali; quippe quæ contra dœmonis machinationes ex inſtitutione Eccleſiæ benedicitur; geſtet quoque ex collo Sanctorum Reliquias, ſæpius Nomen JESU reverenter invocet, imploretque Sanctorum & S. Angeli Cuſtodis opem, maxime B. MARIÆ Virginis, quæ caput hujus ſerpentis contrivit; admoneatur etiam afflictus, ut graviores animi tentationes Exorciſtæ patefaciat.

§. VIII. *Ad liberandas a dæmonis præſtigiis domos pœnitentiæ, orationes, cæteræque virtutes incolarum conducunt.*

Similiter eos, in quorum domibus dœmonis præſtigiæ advertuntur, ſerio Exorciſta hortetur, ut pœnitentiam & peccatorum confeſſionem inſtituant, orationibus apud Deum inſiſtant, in eumque finem etiam alios pios precum ſocios & adjutores adſciſcant, excluſis tamen ignotis, iisve, quos curioſitas eo adduxit. Licet enim Exorciſmi vim a Deo impetrandi habeant per preces ſeu ſuffragia Eccleſiæ, experientia tamen conſtat, efficaciam eorum, cum effectus non ſemper neceſſario conſequatur, plurimum ipſius miniſtri, aliorumque præſentium pietate juvari.

CAPUT IV.

§. I. *Locus Exorciſmorum.*

TAmetſi expediat Exorciſmos Energumeno, vel maleficio obnoxio in Eccleſia aut loco ſacro adhiberi, idque ſi fieri poſſit, peracto Sacrificio Divino: ſi tamen neceſſitas aut honeſta cauſa requirat, adjuratio fiat in privatis ædibus, in præſentia talium, qui afflicto precibus opitulentur.

§. II. *Mulier ſola ne exorcizetur.*

Mulieri nunquam ſolus adhibeat Exorciſmos, ſed præſentibus aliquot honeſtis mulieribus, quæ Energumenam, dum exagitatur a dœmone, teneant, & (ſi fieri poſſit) ſint illius conſanguineæ aut affines.

TITULUS VI.

De Proceſſionibus & Repræſentationibus. (*)

TITULUS VII.

De Feſtis.

CAPUT I.

§. I. *Dies Dominici & Feſti pie tranſigendi.*

UT dies Feſti, qui Deo colendo & pietati fovendæ, augendæve inſtituti ſunt, religioſe & accurate tranſigantur, (*d*) Paſtores, Vice-Paſtores & verbi Dei Præcones ſingulis diebus Dominicis ſub concione, vel ſummo Sacro, dies Feſtos in proximam hebdomadam incidentes populo denuncient, & ſæpe auditores ſuos, quod Feſtis diebus æque ac Dominicis ad Sacroſanctum Miſſæ Officium audiendum, atque abſtinendum a ſervilibus operibus, ſub peccato mortali omnes Chriſti fideles obligentur, moneant.

§. II. *Pœnæ in Feſtorum violatores conſtitutæ populo inculcentur.*

Quin & pœnas a PIO V. (*e*) Pontifice in Feſtorum violatores conſtitutas populo graviter inculcent: " Cum " dierum, *inquit*, Feſtorum obſervatio " ad DEI cultum maxime perti" neat, &c.

§. III. *Paſtores populum doceant, quomodo dies Dominici & Feſti traducendi.*

Non honorantur autem, ſed violantur potius dies Dominici, & Feſti pernicioſa conſuetudine, qua plerique ab opere quidem ſervili & illicito abſtinent, majorem tamen illorum partem deambulationibus, luſibus, choreis,

(*) *Vide hæc omnia pag.* 729. *h. Tom.*

(*d*) Conc. Trid. Seſſ. 25. de Reform. ſub fin. De delectu ciborum, jejuniis & diebus feſtis. Conc. Prov. Colon. ſub Hermanno V. Part. 9. cap. 9. & 10. pag. 391. Statuta Adolphi III. Archiep. Colon. pag. 461.

(*e*) Pii V. Papæ Conſtit. 5. §. 7.

reis, ſpectaculis, comeſſationibus, compotationibus, vel rationibus conficiendis, aliisque rebus profanis, ſeu mundi vanitatibus impendunt. Ea ut aboleatur, Paſtores, Vice-Paſtores, Concionatores & Catechiſtæ, qua ratione dies Dominici, ac Feſti ſint pie traducendi, auditores ſuos doceant: (*f*) videlicet iisdem diebus ab omni opere ſervili ita eſſe ceſſandum, ut univerſus populus orationibus vacet, Eccleſias frequentet, Sanctiſſimo Miſſæ Sacrificio, ſacris Concionibus, cæterisque Divinis Officiis & Chriſtianæ pietatis exercitiis diligenter interſit, quibus, tam quæ fidem attingunt, quam quæ ad vitam, & mores recte formandos, & fugienda vitia pertinent, addiſcat.

§. IV. *Diebus Dominicis & Feſtis tabernæ ſub Divinis nulli pateant.*

Quæ ut exactius ab omnibus ſerventur, & comeſſationum, atque potationum occaſio præſcindatur, ſub arbitraria pœna omnibus Oenopolis & Cauponibus, ne Dominicis aut Feſtis diebus eo tempore, quo Divinum Officium peragitur, aut verbum Dei prædicatur, ullis, niſi viatoribus, œnopolia aut tabernas aperiant, ſevere prohibemus; (*g*) omnes etiam & ſingulos, qui dicto tempore, cauponas & œnopolia potandi, aut aleis, chartisve ludendi cauſa frequentaverint, graviter puniri volumus.

CAPUT II.

§. I. *Diebus Dominicis & Feſtis mercatus non inſtituantur, nec operibus ſervilibus vacetur.*

UT improbæ hominum cupiditati modum ponamus, (*h*) ſerio prohibemus, ne inpoſterum ullis in locis jurisdictioni noſtræ ſubjectis diebus Dominicis, aut aliis fori feſtivitatibus mercatus (niſi forte rerum ad quotidianum victum neceſſariarum) inſtituantur, aut ne ſubditi noſtri ulli operi ſervili, quod ſine damno notabili aut periculo differri poteſt, manum admoveant. Caveant igitur pannos, laneos vel lineos lavare, dealbare, tingere,; oves, porcos, vel boves mactare, frumenta aut ligna equis & curribus vehere, merces etiam ſuas dictis Dominicis, vel Feſtis ante fores, vel in feneſtris domorum, vel alibi venales exponere.

§. II. *Si neceſſitas opera ſervilia diebus Dominicis, vel Feſtis exercendi urget, licentia petenda.*

Parochi, ac Divini verbi Præcones, opifices, agricolas, vinitores, & quoscunque alios operarios diligenter moneant, & ſæpius inculcent per annum, ne deinceps juxta perverſam quorundam conſuetudinem Dominicis vel Feſtis diebus, etiam verno vel autumnali tempore, agros colere, ſeminare, aut meſſis, ſeu vindemiæ tempore fruges, & uvas colligere audeant; ſi quæ urgens, vel evidens exercendi alicujus operis, ac laboris neceſſitas incidat, facultatem ad id, a Nobis, noſtrove in Spiritualibus Vicario Generali, vel Archi Diacono loci, aut Decano Rurali impetrent. In gravi moræ periculo, ſementis, meſſis & vindemiæ potiſſimum tempore (extra tamen tempus Divini Officii) Paſtoribus, ſeu Vice-Paſtoribus, ut Parochianis ſuis licentiam laborandi poſſint indulgere, permittimus.

CAPUT III.

Publicatur URBANI VIII. de diebus Feſtis Conſtitutio.

INſuper ut omnibus conſtet, quosnam dies Feſtos univerſus orbis Chriſtianus ſolenniter ex Conſtitutione URBANI VIII. Pontif. (*i*) pro obſervatione Feſtorum edita, & univerſam Eccleſiam obligante, celebrare teneatur, eandem inſerendam duximus.

URBA-

(*f*) Conc. Prov. Colon. Part. 9. cap. 9. & 10. pag. 391. Statuta Adolphi III. Archiepiſc. Colon. pag. 514. §. Cum inter omnia. & ſeq.
(*g*) Statuta Adolphi III. Archiep. Colon. pag. 488. §. An pateant œnopolia.
(*h*) C. 1. de Fer. Conc. Prov. Colon. ſub Nicolao Cuſano Cardinale pag. 248. §. Item ut ſinguli. (*i*) Urbani VIII. Papæ Conſtit. 164.

URBANUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

§. I. *Exordium.*

" Universa per orbem novit Ecclesia Romani Pontificis supremæ incumbere solicitudini Dominicum gregem ad æternam dirigere salutem, & Apostolica sic explicare præcepta, ut fideles in viam mandatorum currere, & ad beatitudinem valeant feliciter pervenire.

§. II. *Causæ hujus Constitutionis.*

" Plurimorum siquidem Venerabilium Fratrum nostrorum Archi-Episcoporum, &c.

§. III. *Dies Festi ex præcepto observandi recensentur.*

" Nos itaque volentes, &c. Apostolica auctoritate decernimus, & declaramus, infrascriptos duntaxat dies pro Festis ex præcepto colendos esse, quos nempe, vel ab initio veneranda sacravit antiquitas, vel universalis Ecclesiæ probavit consuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur.

" *Dominicos scilicet dies totius anni, Nativitatis D. N. JESU CHRISTI, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis cum duabus sequentibus Feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus Feriis, Sanctissimæ Trinitatis, solennitatis Corporis Christi, & Inventionis S. Crucis, nec non Festivitatum Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, & Nativitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, SS. Petri & Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, Ss. Philippi & Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, Ss. Simonis & Judæ, & S. Matthiæ, Christi Domini Apostolorum. Item S. Stephani Protomartyris, Ss. Innocentium, S. Laurentii Martyris, S. Silvestri Papæ & Confessoris, S. Josephi etiam Confessoris, & S. Annæ, Deiparæ respective Sponsi, ac Genitricis, solennitatis omnium Sanctorum, atque unius ex principalioribus Patronis in quocunque Regno, sive Provincia, & alterius pariter principalioris in quacunque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi & venerari contigerit.*

§. IV. *Ad reliquorum Festorum observationem Christi fideles minime tenentur.*

" Ad reliquorum vero dierum observantiam, quos hactenus sive in universa Ecclesia, sive in quavis Natione, aut Regno, Provincia, Diœcesi, aut loco quomodocunque, sive ex præcepto, sive ex consuetudine, sive ex devotione Christi fideles tanquam festivos celebrarunt, nequaquam ex præcepto ipsos teneri (*) dicta auctoritate tenore præsentium perpetuo etiam decernimus, & declaramus. &c.

CAPUT IV.

§. I. *Constitutio URBANI ab omnibus servari præcipitur.*

Quocirca sicut omnibus Civitatis & Diœcesis nostræ Coloniensis Prælatis, Parochis, Concionatoribus & Catechistis districte præcipimus, ut Constitutionem præscriptam, pro Festorum observatione, sibi commissis subditis vel auditoribus publicent: ita pariter optamus, ut eosdem laxato jam rigore præcepti, funiculis charitatis ad eorum quoque Festorum observationem spontaneam, quæ suprascripta Constitutione non comprehenduntur, devinciant Regium Psaltem imitando dicentem: *Voluntarie sacrificabo tibi &c.* (k)

§. II. *In tota Provincia Coloniensi Festum Immaculatæ Conceptionis, in Civitate vero Festum Ss. Ursulæ & Sociarum ejus solenniter in foro observari mandatur, Oppidis vero & Pagis, ut Patronum eligant, conceditur.*

Nobis vero cum prædicta Constitutione Apostolica duos Festos dies principaliorum Patronorum, alterum per totam Provinciam nostram Coloniensem, Civitatibus autem, Oppidis & Pagis alterum indicere concedatur. Hinc

(*) *Ex simili Clementissima Ordinatione MAXIMILIANI FRIDERICI, hodierni nostri Archi-Episcopi, abrogata sunt a. 1770. Festa septemdecim.*

(k) Psalm. 53. ℣. 6.

Hinc Festum Conceptionis Immaculatæ Deiparæ Virginis Mariæ ac Dominæ nostræ volumus per totam Diœcesin nostram Coloniensem sub præcepto solenniter in foro etiam observari, cum qua concepta vel genita, Metropolis nostra Colonia exstructa creditur; (*) cujus etiam patrocinium tempore pacis, serpente contagio, vel annonæ caritate; bellorum vero motibus, in communi Germaniæ tot annis vastitate vel excidio, tutelam & præsentem opem desperatis in rebus sæpe sensimus, præsertim *cum gloriosissimæ mem. FERDINANDUS II. Imperator hunc ipsum Conceptionis Immaculatæ Virginis Festum diem*, ad æternam tot victoriarum memoriam ejusdem DEI Genitricis interceſſione obtentarum (quas ei in acceptis ferebat) augustius Imperio toto celebrari desideraverit, prout ad hoc usque tempus etiam diligenter fuit observatum. Pro altero vero in Civitate nostra Coloniensi duntaxat, Festum Ss. Ursulæ & Sociarum Martyrum, mandamus eadem lege, & cultu præcipuo celebrari, ut cumulatis tot millium Virginum & Martyrum, quæ magnam Civitatis partem sanguine suo consecrarunt, deprecationibus, desideratam huic Urbi cœlestem defensionem, & gratiæ abundantiam DEUS Optimus Maximus elargiri dignetur. Singulis insuper Diœcesis nostræ Oppidis & Pagis, ut unum aliquem in præinserta Constitutione Apostolica non nominatum Patronum præcipuum eligere, eumque auctoritate nostra accedente ad ejusdem Constitutionis præscriptum, anniversario Festo honorare possint, indulgemus.

§. III. *Pastores advigilent, ut Festa accurate observentur, & publica Processio Feria quarta Pentecostes non instituatur.*

Cum accurata Festorum observatio curæ Pastorali unice commendata esse debeat, idcirco severe mandamus, ut omnes & singuli Pastores diligenter advigilent, quatenus præscriptis nostris Decretis conformiter Festa omnia per Civitatem & Diœcesin nostram Coloniensem; tum etiam particularia Patronorum in singulis Oppidis & Pagis quam exactissime observentur; studeantque omnibus modis extirpare illam, quæ multis in locis invaluit, corruptelam violandi Feriam tertiam Pentecostes ea de causa, quod Feria quarta Pentecostes soleant feriari, vel ob Processionem aliquam publicam, vel quod sacræ Reliquiæ propriæ, vel alienæ Ecclesiæ populo ostendantur, & vicinorum Pagorum frequenti concursu visitentur: quem abusum, cum ubivis, omnemque peccandi occasionem omnino tollere desideremus, severe prohibemus omnibus, & singulis Ecclesiarum & locorum Superioribus, ne publicam aliquam supplicationem instituant, neve sacras Reliquias deinceps quarta, sed Feria tertia Pentecostes populo venerandas exponant, atque exhibeant: injungimusque Pastoribus, & Vice-Pastoribus vicinorum locorum, ut auditores suos moneant, ab omni prorsus opere servili & illicito Feria tertia Pentecostes abstinendum, ac pietati vacandum esse.

CAPUT V.

Puellas frequentare tabernas prohibetur.

CUm multis dissolutionibus & malis indies causam præbeat abusus ille, quo etiam puellæ, non habita ratione verecundiæ sexui isti propriæ & necessariæ, invitatæ a juvenibus diebus, præsertim Dominicis & festivis ruri tabernas passim frequentare, & choreas ducere audent: Ideo Pastores, Vice-Pastores, & Concionatores in concionibus suis strenue adversus istam corruptelam invehantur, parentesque, qui suas filias cum tanto æstimationis, ac pudoris periculo, & non modico offendiculo audere talia patiuntur, socordiæ ac negligentiæ suæ reprehendant.

TITULUS VIII.
De Reliquiis & Veneratione Sanctorum.

CAPUT I.

§. I. *Sicubi nova vel contigerint vel contigisse putabuntur miracula, ea minime sunt evulganda, sed significanda Episcopo.*

FIde digno multorum testimonio ad Nos delatum est, quosdam Eccle-

(*) Gelenius de magnitudine Coloniæ Lib. 1. pag. 2.

Eccleſiarum Rectores, dum quæſtum ſpecie pietatis velant, valde proclives eſſe, ut credant, vulgentque publice miraculoſas hominibus curationes præſtitas eſſe, quæ vel leviter confictæ ſunt, vel cum naturæ viribus accidant, adjunctis quibusdam minus veris ita exaggerantur, ut appareant prodigioſæ: nec alio quidem fine ſpargant in vulgus, quam ut populi venentur concurſum, & largis oblationibus locupletentur, de vero DEI cultu & honore promovendo parum alias ſoliciti. Huic malo gliſcenti, ut quamprimum occurratur: & quod Oecumenica Synodus Tridentina (*l*) vehementer urget, quæſtus omnis tollatur, omnibus & ſingulis Civitatis & Diœceſis noſtræ Colonienſis Abbatibus, Præpoſitis, Archi-Diaconis, Decanis, tam Collegialibus, quam Ruralibus, Paſtoribus, Vice-Paſtoribus, quarumcunque Eccleſiarum Rectoribus & Superioribus, aliisque curam animarum habentibus, ſerio mandamus, ut vigili cura circumſpiciant, ſicubi nova miracula ad alicujus Sancti, vel Sanctæ invocationem contigerint, vel contigiſſe putabuntur, ne ea promulgentur, nec populus earum publica narratione ad fidem iis certam tribuendam concitetur, antequam locorum iſtorum Prælati, Rectores, Parochi, vel Eccleſiarum Superiores eadem Nobis, noſtrove in Spiritualibus Vicario Generali, adjecta pleniſſima totius rei geſtæ narratione ſignificarint, ut matura deliberatione præmiſſa, diligentique veritatis examine inſtituto, juxta formam a Concilio Tridentino præſcriptam, vel tanquam vera miracula, beneficiave cœlitus collata comprobentur, vel ut ſuppoſititia rejiciantur.

§. II. *Nondum canonizatorum, vel beatificatorum Imagines cum radiis, ſplendoribus, ſeu laureolis minime proponantur, neque ad eorum ſepulchra tabellæ appendantur, vel quæcunque lumina accendantur.*

Severe etiam prohibemus, ne hominum nondum a Sede Apoſtolica Canonizationis aut Beatificationis honore inſignitorum imagines cum radiis, ſplendoribus, aut laureolis ullus ullibi depingat, ſeu proponat, aut tabellas votivas ex cera, argentove, ſeu alia materia, aut etiam lychnos ad eorum ſepulturas apponat, quia hæc ex Eccleſiæ Catholicæ conſuetudine ſolent eſſe ſigna propria Sanctorum Canonizatorum, vel ſaltem Beatificatorum, quos tota veneratur Eccleſia: extat hac ſuper re Conſtitutio URBANI VIII. Pontificis, tenoris ſequentis:

URBANUS PAPA VIII.
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

§. I. *Prœmium.*

" Cœleſtis Hieruſalem cives, (*m*)
" quorum glorioſis natalitiis ſan-
" cta lætatur Mater Eccleſia, &c.

CAPUT II.

§. I. *Novæ Reliquiæ non ſunt exponendæ priusquam approbentur.*

ETſi antiquæ Sanctorum Reliquiæ haberi debeant in honore, in quo hactenus habitæ fuerunt, novæ tamen aut ignotæ nunquam recipiendæ, minusque venerationi ſunt exponendæ, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano, juxta Sacroſancti Concilii Tridentini ordinationem (*n*) recognitæ fuerint & approbatæ. Quare deinceps nemo, quantumvis exemptus, ullas novas Reliquias a quocunque oblatas, vel undecunque acceptas, publicæ venerationi ſine expreſſa noſtra, aut noſtri in ſpiritualibus Vicarii licentia in ſcriptis obtenta, ſub gravi pœna arbitraria exponere præſumat.

§. II. *Reliquiæ recentiores non approbatæ removeri debent a publica veneratione, antiquiſſimas approbatas fuiſſe præſumitur.*

Inter novas Reliquias annumerandæ ſeu cenſendæ ſunt, quæ antiquorum quidem Sanctorum eſſe dicuntur, ſed jam recens ad eas Eccleſias, in quibus modo ſunt, delatæ fuerunt: ideo ſi quæ non approbatæ alicubi exponuntur, volumus, ut removeantur, donec a Nobis, vel noſtro Vicario ſint recognitæ & probatæ, exceptis iis, quas

(*l*) Conc. Trid. Seſſ. 25. de invoc. vener. & Reliq. Sanctorum.
(*m*) Urbani Papæ VIII. Conſtit. 134.
(*n*) Conc. Trid. loco cit.

quas ab immemorabili tempore, semperque pro veris habitas fuisse, certum habetur & exploratum.

§. III. *Sanctorum Reliquiæ debite honorentur.*

Cum non solum in propria persona sua Sancti sint honorandi, sed & in cadaveribus, aliisque Reliquiis suis (etenim sacra illa membra atque ossa viva quondam fuerunt Spiritus Sancti domicilia, ac templa, ad quorum vel attactum, vel intuitum, maxima Deus edidit prodigia, quod utriusque testamenti exemplis perspicuum est) plane convenit, ut a Christi fidelibus honeste condantur, pretiosisque loculis religiose conserventur.

§. IV. *De Sanctarum Reliquiarum usu & veneratione instruendus populus.*

Unde quo magis carpunt hæretici usum & venerationem sanctarum Reliquiarum, eo Concionatores, Parochi, cæterique, quotquot docendi munus, curamque sustinent, diligentius instruant populum de Sanctorum intercessione, utilique proinde & salutari invocatione, atque religiosa sacrarum Reliquiarum veneratione.

§. V. *Sanctorum Reliquiæ reverenter visitandæ.*

Eandem ob causam Christi fideles, & ut fidem suam profiteantur, seque inter mundi hujus illecebras & persecutiones, ad similem vitæ exitum accendant, sacra loca, ubi Sanctorum corpora quiescunt, & Reliquiæ servantur, Majorum suorum exemplo, pie & frequenter visitent, iisque, quem merentur honorem, impendant, ut in omnibus adversis, eorum patrocinium tanto citius & efficacius obtinere mereantur, quanto eis per hujusmodi officia & obsequia affectu, & spiritu facti fuerint viciniores.

§. VI. *Reliquiæ Sanctorum quomodo sint custodiendæ.*

Prælati, Rectores, aliique Superiores Ecclesiarum diligentissime curent, (o) ut *Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta Corpora, quæ viva fuerunt membra Christi, & templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda ac glorificanda*, eorumque partes quantumvis minutæ & reliquiæ, ab omnibus sordibus ac pulveribus mundæ, in vasis honestis seu capsulis occlusis, ne facile exinde extrahi possint, atque juxta Pontificalis præscriptum rite prius benedictis, locoque decenti (non tamen in Tabernaculo Sanctissimi Sacramenti, aut in armario sacrarum vestium) pie, diligenterque asserventur; ne item sacrilegiis aut furto expositæ sint, neve vilescant, ac sine cultu jaceant, vel nimis irreligiose ab aliquibus tractentur.

§. VII. *Reliquiæ approbatæ in tabella designentur.*

Ut majori in veneratione habeantur apud fidelem populum Sanctorum Reliquiæ, volumus, ut singularum inscriptiones, quatenus opus, renoventur, & catalogus earundem, sive eæ nominatæ sint, sive non nominatæ, intra duorum mensium spatium, post notitiam hujus Decreti habitam, ab Ecclesiarum cunctarum Rectoribus & Superioribus conficiatur, atque Vicario nostro in Spiritualibus mittatur: item ut appendantur tabellæ in singulis Ecclesiis, seu Capellis, quibus declaretur, quæ & quales in unaquaque Reliquiæ, judicio Ordinarii approbatæ, conserventur. Quod si plane certum sit esse alicujus Sancti Reliquias, licet incertum cujusnam in particulari, quia scedula amissa est, possunt eæ tam publice, quam privatim coli, sicut ex praxi Ecclesiarum constat.

§. VIII. *Sacræ Reliquiæ non facile, & nulla ratione extra capsam, aut a Laicis ostendi debent.*

Ad majorem vero Dei, & Sanctorum cum eo regnantium gloriam, nec non populi pietatem accendendam, (p) in Festis Sanctorum, quorum Reliquiæ elevatæ, ornatæ, & decenter inclusæ sunt, easdem in altaribus, aut aliis aptis locis exponi decet; quin eas populo passim ostendi, ac temere omnium oculis

lis

(o) Conc. Trid. d. loco.

(p) C. Cum ex eo. De Reliq. & vener. Sanct.

lis exponi nequaquam convenit, & quidem extra capsas seu loculos nulla ratione, ad servandam majorem earum reverentiam: Si tamen vel ob magnam certorum Festorum celebritatem, vel ad populi devotionem excitandam, vel ad DEUM per intercessionem Sanctorum suorum, & repræsentationem sacrorum pignorum placandum, Reliquiæ hujusmodi ostendendæ videantur, jubemus, ut non a Laicis, etiam cujusvis dignitatis personis, sed a Clericis sacris Ordinibus initiatis, superpelliceo, ac desuper pluviali, vel minimum stola, pro Reliquiarum Ecclesiæ ratione indutis, accenso lumine, ac sine quæstu omni exhibeantur; & in ostendendis iis ea gravitas, reverentia & pietas adhibeatur, quæ Fidem & Religionem Christianam præ se ferat, & intuentium animos ad omnem pietatem & reverentiam commoveat.

§. IX. *Quales Reliquiæ ostendendæ sint.*

Ostendantur vero Reliquiæ sinceræ, non falsæ pro veris, non incertæ & dubiæ pro certis ac probatis, non incognitæ pro cognitis, sine superstitione omni, fraude & abusu. Quocirca opus erit singulis schedam aliquam, e qua dignoscantur, apponere.

§. X. *Quomodo publice in Ecclesia expositæ, sint custodiendæ, & cujus ministerio attingendæ.*

Quamdiu insignes Reliquiæ sacræ in altari, vel alio loco erunt palam expositæ, tamdiu candelæ duæ accensæ ibidem colluceant, atque ad earundem custodiam, semper adsit Clericus majoribus initiatus Ordinibus, a vitæ morumque probitate commendatus, & superpelliceo indutus: hujus enim, non laici hominis opera, ministeriove adhibito, licet Christi fidelibus pietatis & religionis causa, Rosaria seu numismata ad sacrarum Reliquiarum capsulas, loculosve admovere & attingere, vel aliquas sacras Reliquias fidelibus osculandas porrigere.

§. XI. *Sacræ Reliquiæ vendi non possunt, nec ad turpem quæstum exponi.*

Improbæ hominum cupiditati modum ponere volentes, (q) severissime prohibemus, ne ullæ sacræ Reliquiæ venales seu ad turpem quæstum exponantur, neve Reliquiæ sacræ extra Ecclesiam, in qua asservantur, ad infirmos etiam cujuscunque consuetudinis colore, nisi per Clericos sacris Ordinibus initiatos, idque cum debita reverentia, devotione ac pietate exportentur.

CAPUT III.

Thecæ sacrarum Reliquiarum a quibus in Processione gestandæ.

CUm publice in Templo aut Processione sacrarum Reliquiarum thecas gestare ad Clericos duntaxat spectare videatur, (r) nunquam Reliquiæ, vel Imagines in Processionibus a puellis, sed Clericis Ecclesiasticis paramentis indutis (quod ejus fieri potest) vel saltem a piis, honestisque viris sæcularibus palliatis, aperto capite, & hinc inde comitantibus tædiferis deferantur.

CAPUT IV.

Sanctorum Reliquiæ quomodo donandæ.

IN elargiendis sacris Reliquiis hæc ratio deinceps observetur, ut nemini donentur unquam, nisi ut loco sacro reponantur, majori, aut non minori saltem pietatis studio ibidem servandæ, quam ubi ante servabantur; notabiles vero Reliquiarum partes, ne ullus Prælatus, Rector Ecclesiæ, aliusve Superior extrahere, multo minus ex Civitate & Diœcesi nostra Coloniensi exportare, (s) aut dare transferendas alicui, sine speciali Summi Pontificis, seu nostra licentia scripto obtenta præsumat, gravissime interdicimus; quibus id permittentibus, donationis hujus authenticæ simul dentur literæ, & in Indice Reliquiarum Ecclesiæ eadem donatio cum sufficienti Reliquiarum donatarum, nec non personæ dantis & accipientis, ac temporis expressione annotetur.

TITU-

(q) Cit. c. Cum ex eo. & dict. Sess. 25. Part. 3. cap. 31. pag. 363.

(r) Conc. Prov. Colon. sub Hermanno V.

(s) C. Corpora. de Consecr. dist. 1.

TITULUS IX.

De Imaginibus ſacris.

CAPUT I.

Quæ Concilium Tridentinum & URBANUS VIII. de ſacris Imaginibus ſanxerunt, ſerventur.

UT omnis ſæcularis vanitas, levitas, vel inuſitata quælibet forma Imaginum, aut ſtatuarum ornatus ab Eccleſiæ moribus alienus deinceps caveatur, volumus omnino, ut exacte ea, quæ tum Sacroſancta & Oecumenica Synodus Tridentina (t) de ſacris Imaginibus, tum URBANUS PP. VIII. ſequenti hac ſuper re edita Conſtitutione ſancivit, obſerventur.

URBANUS PAPA VIII.

AD FUTURAM REI MEMOTIAM.

§. I. *Proœmium.*

" SAcroſancta Tridentina Synodus
" (u) optime agnoſcens, &c.

CAPUT II.

Sacræ Imagines prototypi ſui cauſa ſunt in honore, proinde eidem ſint conformes.

IMprimis ergo ſtatuæ, & imagines Chriſti Salvatoris, Deiparæ Virginis, & aliorum, cum non in Templis ſolum, ſed in privatis etiam Oratoriis, Sacellis, aris, & agris haberi & retineri poſſint, eisque congruus honor, & veneratio habeatur, (x) eo quod effigies ſint ſuorum prototyporum, quibus is honor recte defertur; Idcirco in exponendis Sanctorum imaginibus ſtudioſe diligenterque curandum eſt, ut prototypis, quæ per illas repræſentantur, juxta veritatem hiſtoriæ, ac receptam & probatam Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ traditionem, quoad ejus fieri poterit, ſimillimæ ſint; nec pro privati cujusque genio, ad exhibendam viventis alicujus hominis effigiem genuina earum forma adulteretur. Inſuper mandamus univerſis ac ſingulis Civitatis & Diœceſis noſtræ Colonienſis Abbatibus, Præpoſitis, Archi-Diaconis, Decanis tam Collegialibus, quam Ruralibus, Paſtoribus, Vice-Paſtoribus, Rectoribus, aliisque Eccleſiarum Superioribus, ut pro concionibus quandoque fideles moneant, & commoneri faciant, cum in imaginibus veluti ſignis prototypa, Sanctosque, quos repræſentant, veneremur, nullam imaginibus ineſſe divinitatem, vel fiduciam in illis eſſe collocandam, neque propter ipſarum materiam, formam, elegantiam, externum ornatum, vel quid ſimile, ſed propter eos, quos nobis repræſentant, iis honorem adhiberi.

CAPUT III.

§. I. *Ornatus Imaginum ſolum devotionem provocet.*

IN ornandis porro Sanctorum ſtatuis, (y) tam eis, quæ in templis proponuntur, quam quæ in Proceſſionibus ſeu Supplicationibus deportantur, ab omni procaci venuſtate, obſcœna, pudendave nuditate, æque ac deformitate, & vano quovis ornatu abſtineatur; aptiſſimoque ad exprimendum cujuslibet Sancti vel Sanctæ prototypon colore, ſcita artificis & pictoris manu ita delineentur, ut nil niſi quod pietatem, & ſanctum earum prototypa imitandi deſiderium provocet, in illis uſquam appareat.

§. II. *Unius Sancti, ejusdemve Myſterii in Eccleſia una tantum ſit Imago.*

Præterea nec Beatiſſimæ Virginis, nec cujusvis alterius Sancti, vel Sanctæ plures, (z) quam una cujusque myſterii imagines, ſeu ſtatuæ ad excitandam Sancti beatam, & utilem memoriam in uno eodemque altari, vel ſæpius in una eademque Eccleſia collocentur, vel in Proceſſionibus, aut Supplicationibus, niſi diverſarum Sodalitatum fuerint, circumferantur.

(t) Conc. Trid. cit. Seſſ. 25. (u) Urbani VIII. Conſtit. 163.
(x) C. Perlatum. c. Venerabiles. de Conſecr. diſt. 3. Conc. Trid. loco cit.
(y) Statuta Adolphi III. Archiep. Colon. §. An unius Sancti. pag. 481.
(z) Concil. Provinc. Colon. ſub Adolpho III. cap. Nihil prope tam ſanctum. pag. 452. Statuta ejusdem Adolphi cit. §. An unius Sancti. & §. An curent etiam. pag. 486.

CAPUT IV.

§. I. *In pavimento nullæ ſculpantur cruces, vel imagines, neque in parietibus, niſi tela linea, vel tabulis tectis, pingantur.*

IN pavimento Sanctorum imagines, vel cruces non efformentur, vel ubi clavis transfigi, vel uligine pluviaque deleri, vel deformari poſſunt, & licet in muro ex vivo politoque lapide exſtructo, ſacræ poſſit hiſtoriæ exprimi, non tamen in muro vel pariete, argilla vel calce incruſtato; ejusmodi enim incruſtatio facile decidit, & pictas deformat imagines. Suademus autem, ut paries, aut murus hujusmodi tela linea, tabulisve politis, artificioſeque compactis tegatur, & ſic picturis exornetur.

§. II. *Cruces & ſtatuæ Sanctorum benedictæ tantum exponantur.*

Cruces & Sanctorum imagines, ſeu ſtatuæ, adhibitis precibus, atque cæremoniis in Pontificali præſcriptis prius benedicantur, quam in Eccleſiis exponantur.

§. III. *Imagines deformatæ inſtaurentur, mutilatæ removeantur.*

Imagines & ſculpturæ ſacræ, quæ nimia vetuſtate, carie, fuligine ſive ſordibus, aut alia quavis incuria deformes ſpecie ſua intuentium oculos offendunt, & contemptum potius, quam venerationem excitant, pie religioſeque quamprimum inſtaurentur, ac integritati priſtinæ decorique reſtituantur, aut ſi id fieri nequeat, omnino deleantur, vel incinerentur: non tamen publice, ſed citra offendiculum; & cineres in Sacrario recondantur. Tabulæ quoque vel ſtatuæ ab Iconomachis, aut alias ruptæ, ſive mutilatæ, quamdiu decore & honeſte non ſunt reparatæ, extra Eccleſias & conſpectum populi ſeponantur.

§. IV. *Imagines inſolitæ, niſi approbatæ in Eccleſiis non exponantur, neque in intima Altarium tabula vivorum effigies exprimantur.*

Adhæc cum tam URBANI VIII. Papæ præinſerta Conſtitutione, quam Concilii Tridentini Decreto (z) ſevere prohibeatur, ne in Eccleſiis etiam exemptis, inſolita imago, niſi ab Ordinario approbata, ponatur: provideant diligenter Prælati, Paſtores, Vice-Paſtores, aliique quarumcunque Eccleſiarum Superiores ac Rectores, ut in imaginibus tam pictis, quam ſculptis loco ſacro jam illatis, vel poſthac inferendis, nihil inordinatum, profanum, inhoneſtum appareat: neque in intima Altarium tabula vivorum effigies deinceps depingantur; imagines vero aliter, quam in dicta Conſtitutione URBANI VIII. præſcribitur, pictæ vel ſculptæ, quamprimum ad habitum & formam veterem in Eccleſia Catholica conſuetam emendentur, vel ab Eccleſiis & quibuscunque aliis locis eliminentur.

§. V. *Falſæ & apocryphæ Imagines tollantur.*

Statuæ vel imagines, quæ apocryphas hiſtorias, ſuperſtitioſa, falſaque dogmata præ ſe ferunt, aut erroris occaſionem rudibus præbere poſſunt, neque in ſacris, neque profanis locis ſunt tolerandæ. Ideo ſi quæ ejusmodi deprehendantur, quæ periti pictoris aut ſculptoris manu debite corrigi, vel ab omni falſitatis indicio vindicari nequeunt, ab Eccleſiis removeantur, ac deleantur.

TITULUS X.

De Jejuniis.

CAPUT I.

§. I. *Jejuniorum Eccleſiaſticorum finis, & multiplex fructus populo ſæpius explicetur.*

JEjunia animabus, corporibusque curandis ab Eccleſia certis temporibus, & diebus ſalubriter inſtituta, (a) ſtricte volumus obſervari, admonerique populum, cur ſint indicta; nempe ut peccata expientur, corpus in ſervitutem redigatur, animusque vegetius ac promptius Divinæ voluntati ſeſe ſubjiciat. Cum autem multum hodie antiquus Chriſtianorum in jejuniis exacte ſervandis fervor, & rigor refrixerit; præcipimus Paſtoribus, Vice-Paſtoribus, & verbi Dei Prædicato-

(z) Conc. Trid. loco cit.

(a) Conc. Prov. Colon. ſub Hermanno V. Part. 9. c. 2. p. 389.

catoribus, ut sæpius jejunia hujusmodi ab omnibus Christianis, qui ætatem habent, nisi justa aliqua causa excusentur, sub reatu peccati mortalis esse diligenter observanda, inculcent. Præterea singulis diebus Dominicis sub concione, vel summo Sacro jejunia instanti hebdomada occurrentia, ne quispiam prætendere possit ignorantiam, populo denuntiare non omittant.

§. II. *Differentia pleni, a semipleno jejunio: monendusque populus in jejunio non solum carnium usum, sed etiam luxum in piscibus esse cavendum.*

In denuntiandis jejuniorum diebus populo diligenter quoque explicent, quæ sit jejunandi ratio, & in quo jejunium plenum seu perfectum a semipleno seu abstinentia differat; quod scilicet diebus, quibus semiplenum, seu abstinentia indicitur, esus solummodo carnium interdictus sit; sed quoad ciborum refectionem unam, vel plures nihil ab Ecclesia præcipiatur. Quibus vero diebus plenum sive perfectum jejunium est indictum, quod non tantum ab esu carnium abstinendum, sed unica etiam per diem, eaque frugalis cibi refectio, hora competenti sumenda sit, moneantque Pastores, Vice-Pastores, aliique animarum Curatores, non abstinentiam modo, sed ipsam præcepti rationem magis spectandam; adeoque non carnibus solum, sed & piscium sumptuosis, nimisque copiosis ferculis, bellariis, & immodicis potationibus merito abstinendum esse.

CAPUT II.

§. I. *Abstinentia servanda omnibus Sabbatis & feriis sextis, excepto Natali Domini in horum alterum incidente.*

Dies, in quibus ex veteri Ecclesiæ consuetudine a carnibus duntaxat abstinetur, sunt omnes feriæ sextæ, & Sabbata totius anni (quos Majores nostri honori Dominicæ Passionis, & Beatissimæ Deiparæ Virginis jejunio sacros habuerunt) nisi Festum Nativitatis Domini in horum alterum incidat: (*b*) tunc enim propter Festi excellentiam, cunctis voto non prohibitis, carnes comedere licet.

§. II. *Sabbatis etiam inter Domini Natalem & Purificationis Festum carnibus abstinendum.*

Cum feriis sextis & Sabbatis carnium esus interdictus sit, districte inhibemus, ne quis etiam Sabbatis intra Natalem Domini, & Purificationem Beatæ MARIÆ Virginis occurrentibus, illis vescatur, aut aliis, etiam alterius Diœcesis, eas proponat.

CAPUT III.

§. I. *Specificatio dierum, quibus jejunandum est.*

PORRO singulis annis per totam Civitatem & Diœcesim nostram Coloniensem ab universis ætatem habentibus, nec legitime excusatis, (*c*) in Quadragesima, & quatuor anni temporibus, vigiliis Nativitatis Domini, S. Matthiæ Apostoli, Pentecostes, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, S. Jacobi Apostoli, S. Laurentii Martyris, Assumptionis Beatissimæ MARIÆ Virginis, S. Bartholomæi Apostoli, S. Matthæi Apostoli, Ss. Simonis & Judæ Apostolorum, Omnium Sanctorum, S. Andreæ Apostoli, & S. Thomæ Apostoli jejunandum est, quæ Festa, si in feriam secundam inciderint, ob lætitiam & celebritatem diei Dominici, in quo memoria Resurrectionis Christi peragitur, Sabbatis proxime antecedentibus jejunatur. (*)

§. II. *Vigilia S. Joannis Baptistæ incidente in diem Festum Corporis Christi, non est jejunandum, sed feria antecedenti.*

De Vigilia S. Joannis Baptistæ, si in Festum Corporis Christi inciderit, observetur sequens URBANI VIII. Ordinatio. (*d*)

URBANUS PAPA VIII.
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

" CUm evenire quandoque possit,
" ut Vigilia S. Joannis, &c.

CAPUT

(*b*) C. ult. De observ. jejun.

(*c*) Statuta Henrici Archiep. Colon. cap. 3. pag. 67.

[*] Per Clementissimam Ordin. (*de qua pag.* 952.) transfertur jejunium ante Festa tam abrogata, quam non abrogata in diem Sabbati, hujusmodi Festum immediate antecedentem; nisi hoc Festum vel in ipsam diem Sabbati, vel in Fer. V. 4. Temp. inciderit. Jejunium vero pro Vigilia Nativ. D. mansit diei XXIV. Dec. semper adfixum.

(*d*) Urbani VIII. Constit. 154.

CAPUT IV.

§. I. *Populus Dominica Quinquagesimæ de observando jejunio moneatur.*

Singulis annis Dominica Quinquagesimæ Pastores, Vice-Pastores, Concionatores & Catechistæ publicent jejunium Quadragesimale, moneantque suos auditores a die Cinerum usque ad Vigiliam Paschæ inclusive, omnibus diebus, exceptis Dominicis, quibus duntaxat abstinentia servatur; etiam Festis, ac die Cœnæ Domini sub reatu peccati mortalis esse jejunandum.

§. II. *Damnatur abusus ter hebdomadatim in Quadragesima jejunandi.*

Corruptelam & detestabilem abusum, quo quidam ter solummodo per hebdomadam in Quadragesima jejunare præsumunt, penitus damnamus.

§. III. *Quatuor temporum jejunia observanda sunt religiosius, sicut & Vigilia S. Matthiæ.*

Jejunium Quatuor temporum magna religione ab omnibus observandum esse, Pastores, Vice-Pastores, & verbi Dei Præcones auditores suos doceant, cum ob rationes & causas a S. Leone Magno in sermonibus de hisce jejuniis recensitas, tum quia istis temporibus sacris Ordinibus altaris Ministri initiantur: ideo merito convenit jejunia, orationes, & eleemosynas ad eum finem a fidelibus adhiberi, quatenus omnes uno spiritu efficacius Dominum exorent, ut eligendorum sortes ad Ecclesiæ suæ dirigat utilitatem, operarios idoneos in messem suam mittat, eosque septiformi spiritu suo confirmet, & omni virtute muniat. Jejunium vero Quatuor temporum, ac Vigilia S. Matthiæ, dum in Quadragesimam incidit, religiosius, quam reliquis diebus colendum declarent; cum duobus nominibus ad illud obligentur.

CAPUT V.

§. I. *Magistratus sæcularis Quadragesimali tempore nemini carnes vendere, aut apponere permittat.*

Quo jejunia accuratius observentur, Magistratus sæcularis Quadragesimali tempore macella omnia claudi curet, & nulli carnes hoc tempore vendendi, aut cauponibus easdem, etiam viatoribus proponendi, vel ministrandi licentiam permittat.

§. II. *Quibus ob corporis debilitatem esus carnium permittitur, etiam plures refectiones concessæ censentur.*

Cum Ecclesiasticum jejunium duplicem contineat abstinentiam, tam a cibis vetitis, quam a secunda refectione; ideo cui ob corporis infirmitatem, aut debilitatem per dispensationem esus ciborum vetitorum & carnium conceditur, benigna interpretatione etiam plures refectiones eidem concessæ censentur, cui vero aliam ob causam, ut, quia cibi Quadragesimales facile haberi non possunt, vel quia a piscibus natura abhorret, vel quia putantur noxii ejus temperamento, carnium esus indulgetur, una carnium refectione contentus sit.

§. III. *Soluti lege jejunii alios ad illud violandum non provocent.*

Caveant autem, quantum poterunt, qui ob legitimam causam a jejunio excusantur, illive, quibus ciborum vetitorum esus permittitur, ne alios suo exemplo ad violandum jejunium, vetitosque cibos sumendos provocent. (*)



STATU-

(*) In Collectione Kinckiana claudit Partem primam Titulus XII. *de Usuris*, quinque constans Capitibus.

STATUTORUM SYNODALIUM
DIOECESIS COLONIENSIS
PARS II.
DE SACRAMENTIS.

TITULUS I.
De Sacramentis in genere.

CAPUT I.

§. I. *Sacramenta sanctos Ministros exigunt.*

CUm in Ecclesia Dei nihil sanctius, excellentius, aut magis Divinum habeatur, quam novæ legis Sacramenta, ceu certa nostræ salutis instrumenta, quibus vera in fidelibus justitia gignitur, augetur, vel amissa reparatur, magnam sane in Ministro sanctitatem requirunt.

§. II. *Attentos pariter pios & circumspectos.*

Quapropter in eam curam toti incumbant Pastores, Vice-Pastores, cæterique Sacramentorum Ministri, ut Sacramentum aliquod administraturi, in rem tractandam animum intendant, nec de eis, quæ eo non pertinent, quicquam cum alio colloquantur, in ipsaque administratione non solum integre, distincte, clare, attente & devote essentialia Sacramentorum, Materiam scilicet, Formam, & *actualem*, vel saltem *virtualem* intentionem faciendi, quod Christus Dominus noster instituit, vel quod vera Christi Ecclesia in eo facit & servat, adhibeant; sed etiam sancta illa sancte, pie, & reverenter, orationes & quasvis alias ab Ecclesia Catholica præscriptas preces religiose, & clara voce ex libro Pastorali seu Rituali ob memoriæ lapsum recitando, tractent, ac legitime petentibus dispensent.

§. III. *Sacratissima Eucharistia & Olea sacra fideliter custodiantur, nec ex materia cujuspiam Sacramenti alicui quippiam tradatur.*

Et quoniam *Sanctum minime dandum est canibus*, (e) quilibet Parochus & Vice-Parochus sacratissimam Eucharistiam & Olea sacra in locis tutis, & vasis mundis fideliter, soliciteque custodiat; ita ut impiis ac sacrilegis hominibus non facilis ad ea accessus pateat; nec ex sacra materia cujuscunque Sacramenti, ullus unquam aliquid alicui, etiam specie medicinæ, vel tollendi maleficii tradat, vel tradi permittat: neque ipse Pastor, vel Vice-Pastor materias Sacramentorum ad alium usum applicet, quam eum, quem Ecclesia definivit.

CAPUT II.

§. I. *Minister Sacramentorum sit vitæ integræ & sanctæ.*

ETsi Sacramenta indigna administratione contaminari non possint, (f) utpote quorum virtus & efficacia non a probitate conferentis, sed a solo Deo, fonte & auctore omnis salutis, gratiæ ac sanctitatis dependet; multum tamen honoris, dignitatis, atque venerationis apud Christi fideles, præsertim in fide infirmos illis decedit, si eorum Ministri vitæ impurioris sint. Monemus proinde serio & in Domino hortamur omnes Parochos, Vice-Parochos, cæterosque Sacramentorum Ministros, ut ea reverenter, mente, manuque pura tractent, ac petentibus administrent; ne de iis dicatur illud Jeremiæ: (g) *Male-*

(e) Matth. 7. ℣. 6. (f) C. Si justus. 30. c. Multi. 84. cum seqq. 1. quæst. 1. Conc. Trid. Sess. 7. de Sacram. in genere, can. 12. (g) Jerem. 48. ℣. 10.

Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter, seu, ut LXX. Interpretes habent, *negligenter*.

§. II. *Sacerdos peccati mortalis sibi conscius, vel de eo dubitans, antequam Sacramenta administret, confessionem præmittat.*

Itaque si Sacerdos peccati mortalis (quod absit) sibi conscius, aut de eo probabiliter dubius fuerit, ad Sacramentorum administrationem non accedat, nisi prius se confessione expiarit, quantum copia Confessarii, temporis, ac loci ratio parietur; alias præmissa saltem contritione, peccata sua detestetur cum firmo animi proposito prima opportunitate ea confitendi.

§. III. *Non jejunus ea non ministret.*

Si quis (quod Deus avertat) non jejunus Sacramentum aliquod administrare præsumpserit, sive is Pastor, sive Sacerdos alius fuerit, pro delicti magnitudine severe puniatur.

CAPUT III.

§. I. *Populo sæpius virtus, utilitas & necessitas Sacramentorum & cæremoniarum exponantur.*

UT fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia atque animi præparatione accedat, (b) volumus omnino & mandamus, ut Pastores, & Vice-Pastores sæpe Divinorum horum Mysteriorum institutionem, usum, virtutem, utilitatem, necessitatem, & efficaciam, uti & rituum atque cæremoniarum significationes, tam in concionibus & Catechismi explicatione, quam singulorum Sacramentorum administratione juxta præscriptum Concilii Tridentini, & sanctorum Patrum, & Catechismi Romani doctrinam pro captu suscipientium, & adstantium, pie prudenterque, etiam lingua vernacula, prout occasio permittet, exponant.

§. II. *Excommunicati nominatim, denuntiati, aut manifesti Clerici percussores ad Sacramenta non nisi in periculo vitæ, & præstita cautione admittantur.*

Nullus a Judice Ecclesiastico nominatim excommunicatus, denuntiatus, aut etiam manifestus Clerici percussor, ad Ecclesiastica Sacramenta, extra mortis periculum admittatur, (i) nisi prius in scriptis, seu alias legitimo ac fide digno testimonio constiterit, eum ab eodem Judice, aut suo Superiore in foro exteriori absolutionem obtinuisse. Veruntamen in mortis periculo ad Sacramenta talis admitti potest, facta tamen prius promissione, & quoad ejus fieri potest, præstita cautione, quod si periculum evadat, statim curabit, ut ab illo Judice absolvatur.

§. III. *Hæretici, publice facinorosi, aut usurarii a Sacramentis arceantur.*

Nullus etiam hæreticus, aut publice facinorosus (k) absque legitima pœnitentia, nullus publice usurarius, etiam in mortis periculo constitutus, nisi usuris prius restitutis, aut saltem de eisdem restituendis firma, juxta sacrorum Canonum præscriptum præstita cautione: nullus etiam concubinarius, vel concubina, nisi se tanta loci intercapedine, ut cesset omnis incontinentiæ suspicio, separaverint: nulli demum, qui in statu illicito, aut crimine notorie publice vivunt, aut vitam turpiter transactam non detestantur, ad Ecclesiæ Sacramenta admittantur.

CAPUT IV.

§. I. *In Sacramentorum administratione præter intentionem, materiam & formam, Ecclesiæ Catholicæ ritus & cæremoniæ adhibeantur.*

VOlumus omnino & severe præcipimus, ut quivis Parochus, Vice-Parochus, aliusve Sacerdos in cujusque Sacramenti administratione præter *actualem* seu *virtualem* intentionem, legitimamque materiam & formam, non alios, quam approbatos Ecclesiæ Catho-

(b) Conc. Trid. Seff. 24. de Reform. cap. 7. Conc. Prov. Colon. sub Hermanno V. Part. 7. cap. 2. pag. 372. & sub Adolpho III. §. An instruant. §. An doceant. §. An circa. pag. 485.
(i) C. Excommunicatos. 11. quæst. 3. cum seqq. (k) C. Quanquam. de Usuris. in 6. Statuta Sigifridi Archiep. Colon. cap. 14. pag. 46. & 47. Statuta Wichtoldi Archiep. Colon. cap. 12. pag. 54.

Catholicæ ritus & cæremonias adhibeat, atque ita decenter, gravique actione cuncta juxta Ritualium librorum præscripta peragat, ut & tantorum Mysteriorum Majestas commendetur, & circumstantium fidelium mentes per hæc visibilia Religionis & pietatis signa, ad pietatem & rerum Divinarum, quæ in Sacramentis latent, contemplationem excitentur.

§. II. *Sacerdos ante Sacramenti administrationem cæremonias perlegat, & devote se præparet.*

Sacerdos itaque ad Sacramenti alicujus administrationem accessurus, ritus & cæremonias pro temporis opportunitate prævideat, diligenterque perlegat; ac deinde rei sacræ, quam acturus est, meditationi paululum vacet, gratiamque digne, & cum fructu Sacramentum administrandi devotissime imploret.

§. III. *Habitum sacrum ab Ecclesia præscriptum non negligat.*

Insuper Parochus, (*l*) vel quivis alius ad Sacramentorum dispensationem legitime admissus Sacerdos, in omni Sacramentorum administratione quocunque anni tempore, etiam *Adventus*, *Quadragesimæ*, imo & *Majoris hebdomadæ* superpelliceo, ejusque desuper, quem Sacramenti ritus exposcit, coloris stola sit indutus, nisi in administrando Pœnitentiæ Sacramento occasio, consuetudo, vel locus aliud interdum suadeat.

§. IV. *Adsistat omni Sacramento, Pœnitentiæ excepto, Minister secundarius honeste vestitus.*

In singulorum quoque Sacramentorum administratione (Pœnitentiæ duntaxat excepto) unus saltem decenti habitu Clericali, mundoque superpelliceo indutus, ac linguæ pariter latinæ gnarus, qui Sacerdoti totius Ecclesiæ nomine respondeat, adhibeatur Minister.

§. V. *Nihil pro Sacramentorum ministerio exigatur, sed, quod moris est, vel pie offertur, acceptetur.*

Pro Sacramentorum ministerio nihil exigatur, (*m*) eo peracto, si quid vel sponte, vel ex laudabili consuetudine offerri soleat, velut vitæ stipendium licite acceptari poterit; præsertim ubi potior pars victus atque sustentationis Pastoralis in oblatis fidelium consistit.

CAPUT V.

§. I. *Sacrum Chrisma & sancta Olea Presbyteri, non Laici vel fœminæ in vasculis mundis excipiant.*

QUamvis Decani Rurales per seipsos, aut saltem per Decanatuum suorum Camerarios, vel Vicarios seu alios Presbyteros in Ecclesia nostra Metropolitana Feria V. Hebdomadæ sanctæ comparere, sacrum Chrisma, & sancta Olea e manibus *Clerici*, quem vocant *Cameræ*, seu ad id a Nobis, vel nostro in Pontificalibus Vicario deputatorum recipere, ac dein Parochis, & Vice-Parochis suorum Decanatuum distribuere teneantur: nihilominus intelligimus quosdam domi suæ hærentes per Pedellos suos homines laicos, imo etiam (quod maxime absurdum est) per submissas fœminas, hæc Sancta vel petere, vel ad se per multa itinerum spatia curare deferri. Ut huic abusui & Sacrilegii periculo occurramus, omnibus ac singulis Decanis Ruralibus, & aliis, quibus id incumbit, severe præcipimus, ut ipsimet, vel eorundem Camerarii, vel alii idonei substituti Sacerdotes, præfata Feria V. in Ecclesia nostra Metropolitana superpelliceo, ac desuper stola induti tempestive compareant, ac in tribus mundis & honestis vasculis saltem stanneis (nullo autem modo cupreis, neque testaceis aut vitreis) bene obturatis; quæ inter se distincta, & per incisas literas majusculas discreta sint, excipiant.

§. II.

(*l*) Statuta Wilhelmi Archiep. Colon. cap. 30. pag. 182.
(*m*) C. Placuit. 102. 1. q. 1. c. Cum in Ecclesia. c. Ad Apostolicam. de Simon. Statuta Sifridi Archiep. Colon. cap. 6. pag. 39. Conc. Provinc. sub Hermanno V. Archiep. Part. 8. cap. 1. pag. 387.

§. II. *Sacrum Chrisma & sancta Olea gratis & justa quantitate dispensentur.*

Hi vero, (n) quibus sacrum Chrisma, sanctaque Olea in Metropolitana nostra Ecclesia distribuendi munus injunctum est, absque ullo murmure aut contentione benigne ac gratis, omnique cum gravitate & pietate, nec non justa quantitate illa dispensent; & quidem primo exteris & a Civitate nostra Coloniensi remotioribus, ut ad Ecclesias suas tempestive ante Vigiliam Paschæ eadem deferre, ipsaque Vigilia Fons baptismalis novo Oleo & Chrismate sacro (veteribus combustis) benedici queat.

§. III. *Distributa per Decanos Rurales, aut alias, Pastores vel alii Sacerdotes accipiant & deferant.*

Pastores etiam singuli quotannis a Decano suo Rurali, vel ex ea, unde consueverunt, Ecclesia, per se, aut alium Sacerdotem sacrum Chrisma & sancta Olea adferre non omittant, in vasculis tamen, ne error contingat, discriminatis.

§. IV. *Sicubi Sacerdotum paucitas, per Laicos honestos inclusa ligneis thecis & signata deferantur.*

Sicubi vero Parochiales Ecclesiæ extra Civitatem nostram Coloniensem non habent plures, quam unum, vel duos Sacerdotes, eosque sacro illo tempore in Passionis Dominicæ Mysteriis explicandis, aut excipiendis confessionibus occupatos, Decani Rurales, aliique, quibus sacrum Chrisma, sanctaque Olea adferre & distribuere incumbit, cum reverentia sacras pyxides capsis ligneis (quarum formam Prædecessor noster FERDINANDUS Archi-Episcopus Coloniensis hactenus præscripsit, & per singulos Decanos Rurales sibi subjectis Parochis exhiberi mandavit) includant. Hasce ligneas capsas ita clausas Decanorum Ruralium, & jus habentium sigillis consignent, atque ita ad Parochias subjectas per honestos viros laicos deferantur, qui ubicumque locorum fuerint, priusquam ad proprios redeant Pastores, ea, qua decet, veneratione, sacrum Chrisma cum Oleis custodiant, caveantque, ne in via potationibus vacent, vel quid aliud indecorum committant.

§. V. *Vetus Oleum sacrum non aboleatur, nisi allato novo, & pro eo vasculum aliud habeatur.*

Quia quolibet anno Feria V. Cœnæ Domini in nostra Ecclesia Metropolitana benedicuntur Olea sacra infirmorum, Catechumenorum, atque Chrisma, & ideo prædictorum Oleorum vascula per Pastores, seu Vice-Pastores a vetustate diligenter expurgata, ad Decanos Rurales pro recens benedicta materia recipienda deferri debeant, ne interea Dei populus Sacramentorum usu destituatur; parentur honesta & nitida quædam alia vascula, in quibus vetera pro populi necessitate tantisper conserventur, donec nova adferantur.

§. VI. *Vetera Olea sacra, quæ fluunt, lampadi Eucharisticæ infundantur, quæ gossipio inhærent, exurantur.*

Simul atque vero quivis Pastor, seu Vice-Pastor novum Chrisma, sanctaque Olea receperit, veteribus non utatur, (o) sed quidquid ex his liquidum superfuerit, totum lampadi in Ecclesia ante Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ardenti infundat; sin bombyci vel gossipio duntaxat immixtum fuerit, super piscinam comburat.

§. VII. *Si exaruerit Oleum benedictum, vel penitus defecerit, a Superiore petatur novum.*

Si contingeret sacrum Chrisma, vel aliquod sanctorum Oleorum exarescere, aut crebro Sacramentalium usu deficere, aliud non benedictum Pastor seu Vice-Pastor non admisceat, sed benedictum a Nobis, nostrove in Pontificalibus Vicario, vel Decano suo Rurali petat.

§. VIII. *Sin haberi nequeat, gutta profani & puri affundatur, ita tamen ut benedicti major sit quantitas.*

Si vero Chrisma vel Oleum benedictum ab iis haberi non possit, (p) ac

(n) C. Placuit, ut nullus. 102. 1. q. 1. Statuta Prov. Colon. sub Henrico Archiep. cap. 26. pag. 83. (o) C. Si quis de alio. 122. de Consecr. dist. 4.
(p) Statuta Sifridi Archiep. Colon. cap. 4. in fin. §. Item Chrisma. pag. 38.

ac proinde veteri Chrismati, sanctove Oleo deficienti, admiscendum sit Oleum non benedictum, per guttas tantum puri ac recentis Olei olivarum non consecrati instilletur, ut Oleum consecratum id, quod infunditur, copia superet; tum ita diligenter virgula permisceantur, ut nihil inde, cui non aliquid consecrati Chrismatis, vel Olei admixtum fuerit, accipi possit.

TITULUS II.

De Sacramento Baptismi.

CAPUT I.

Baptismus ultra octavum diem non differatur.

CUm sacrum Baptisma ex institutione Christi omnibus, non modo adultis, sed & infantibus ad salutem necessarium esse, testetur ipsa veritas his verbis, *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*; (q) summa ad illud tempestive riteque administrandum ac suscipiendum diligentia est adhibenda. Quamobrem sub gravi pœna arbitraria præcipimus, ne Baptismus infantium, etiam quorumcunque nobilium aut insignium personarum, ulla prorsus de causa diutius, quam ad tertium vel summum octavum a partu diem, differatur.

CAPUT II.

§. I. *Sola naturalis aqua est Baptismi Materia: modum illam benedicendi præscribit Missale.*

SCiat quilibet Pastor, & Vice-Pastor Materiam Sacramenti Baptismi esse solam aquam veram & naturalem, proinde nullo prorsus vino, aliove liquore utendum. Aquam vero ipsam non aliter, quam adhibitis ritibus & precibus in Missali Romano, seu recognito & correcto Coloniensi præscriptis adhibendam esse.

§. II. *Aqua Baptismalis sit unius solum anni, & in vase lapideo, vel plumbeo conservetur.*

Aqua fontis Baptismalis sit eo anno benedicta in Sabbato sancto Paschatis, vel in Vigilia Pentecostes, (r) quæ in vase lapideo solido, & mundo nitida & pura conservetur, & ubicunque proxime sacrum Fontem necdum extructa est piscina, citra moram extruatur, & in eam vetus, dum nova fontis aqua benedicenda est, effundatur, ipseque fons, antequam nova benedicatur, per Pastorem, vel saltem aliquem in Ordine sacro constitutum diligenter purgetur. Si forte aqua fuerit imminuta, vel non sufficiat, potest alia non benedicta admisceri, sed minori quantitate, ut infusam superet benedicta.

§. III. *Si defecerit, nova, clauso templo, benedicatur.*

Sin alicubi aquam Baptismalem corrumpi, vel vas ipsum gelu, vel aliter quomodocunque findi, atque ... ipsam aquam effluere, vel totam deficere contigerit, (s) Parochus, seu Vice-Parochus Vigiliam Paschæ, aut Pentecostes, ut novam aquam benedicat, non exspectet, sed faciat id, quam fieri potest, citissime juxta formam in libro Pastorali seu Rituali præscriptam, ostiis tamen Ecclesiæ clausis, & exclusis laicis, ipsoque vasculo debite prius mundato.

§. IV. *Congelata liquefiat.*

Si aqua sit congelata, curetur, ut liquefiat: (t) si nimis frigida, potest parum aquæ non benedictæ calefieri, & misceri aquæ Baptismali in vasculo, ne noceat infantulo baptizando.

CAPUT III.

§. I. *Trina vel una aspergio fluentis aquæ, aut etiam infusio vel immersio adhibeatur cum clara Formæ pronuntiatione.*

LIcet Baptismus, (u) vel trina aquæ ablutione, infusione, immersione & aspersione cum defluxu aquæ, quæ Sanctissimam Trinitatem, vel unica, quæ unicam, & indivisam trium Personarum Divinitatem, & Christi Passionem designat, administrari possit,

(q) Joan. 3. ℣. 17. Conc. Trid. Sess. 7. de Baptismo can. 2. (r) Rituale Roman. de Sacram. Baptismi. tit. de materia Baptismi. (s) Rituale Rom. loc. cit. (t) Ibid.
(u) C. de Trinit. 80. c. Propter. de Consecr. dist. 4. Rituale Roman. de Sacram. Baptismi, tit. de forma Baptismi. §. Baptismus licet, &c.

ſit, priorem tamen modum propter expreſſiorem Sanctiſſimæ Trinitatis ſignificationem convenientiorem, & velut uſitatiorem retinendum cenſemus; ita ut trina ablutione, ſive infuſione caput baptizandi perfundatur, & uno eodemque tempore clare, diſtincte & attente Forma pronuntietur.

§. II. *Forma ad unamquamque ablutionem ſeu infuſionem non repetatur.*

Caveat vero Baptizans, ne ad unamquamque ablutionem ſeu infuſionem totam quoque formam repetat, ſed ad dictam jam normam ſub unica formæ pronuntiatione tres ablutiones vel infuſiones abſolvat, tantum aquæ adhibendo, ut non aſperſio, ſed vere ablutio reputetur, quæ baptizatum non ſolum ſuperficie tenus in capillis, ſed & in cute tingat.

§. III. *Extra baptiſterium ſupra pelvim abluatur baptizandus, aqua pelvi excepta loco ſacro, ſi piſcina deſit, effundatur.*

In Baptiſmi adminiſtratione infantes ſupra fontem baptiſmalem non teneantur, (x) ſed extra eundem aqua Baptiſmi nitido vaſculo ſeu cochleari ex argento vel alio metallo (quod huic uſui tantum ſerviat) ſupra caput baptizandi ab ipſomet Baptizante fundatur; quæ niſi ſtatim in piſcinam baptiſterii prope ipſum fontem extructam defluat, ſuppoſita pelvi, malluvio aut alio vaſe ad hoc præparato excepta in ipſius baptiſterii, vel Eccleſiæ ſacrarium, ſeu piſcinam, vel cœmeterium, aliumve locum honeſtum effundatur.

CAPUT IV.

§. I. *Obſtetrices calleant formam & normam baptizandi.*

Curet Parochus, ſeu Vice-Parochus, ut obſtetrices recte baptizandi ritum probe teneant, & ſervent; quem in finem eis ſæpius vernacula lingua inculcent Baptiſmi formam, quam dum pronuntiant, aquam pariter effundant, ut morali judicio ſimul fieri cenſeantur, ideoque priusquam proferant: *N. Ego te baptizo &c.* aquam ſuper baptizandum non effundant; doceantque, dum baptizant, intentionem debere eſſe faciendi id, quod Chriſtus Dominus inſtituit, vel ſancta Eccleſia Catholica facit, & ſervat.

§. II. *Extra neceſſitatem extremam proles a parentibus non baptizetur.*

Pater & Mater propriam prolem extra mortis articulum baptizare non debet, (y) neque tunc quidem, niſi alio, qui baptizare poſſit, abſente, per quod tamen nulla cognatio, quæ Matrimonii uſum impediat, contrahitur.

CAPUT V.

§. I. *Baptizaturus decenter ad tantam functionem accedat, moneatque Patrinos & Matrinas, ut pie, quid agatur, attendant.*

Sacerdos itaque baptizaturus ad tanti muneris functionem, non leviter & remiſſe; ſed ſancte graviterque accedat, ac Patrinos comprimis moneat & Matrinas, dum ad templum comitantur, ut jocis omnibus, fabulis, nugisque ſemotis pie ac religioſe, quid agatur, attendant, Deoque gratias agant, qui filium iræ, & hæredem gehennæ benigne ad Sacramentum regenerationis admittit, ut filius DEI & regni cœleſtis hæres efficiatur.

§. II. *Parochus nomina baptizati, parentum ejus, & ſuſceptorum in libro baptiſmali cum anno, menſe & die annotet.*

Quilibet Parochus, ſeu Vice-Parochus peculiarem librum habeat, (z) in quo ſingulorum baptizatorum, nec non parentum, patrinorum ac matrinarum nomina & cognomina, diemque, menſem & annum Baptiſmi diligenter deſcribat, annotato ſimul anno, menſe & die nativitatis ipſius infantis. Sic enim & ætas pueri, & ejus conditio, & inter quos ſpiritualis cognatio contracta ſit, facile dignoſcetur.

§. III.

(x) Rituale Rom. loco cit. & ibidem in fin. §. Ubi vero &c. & tit. de ſacris Oleis. §. Vaſculum ſeu cochlear &c. & §. Pelvis. (y) C. Ad limina. 30. q. 1.
(z) Conc. Trid. Seſſ. 24. de Reform. Matrim. cap. 2.

§. III. *Liber baptiſmalis Archi-Diacono vel Decano Rurali quovis anno in viſitatione exhibeatur.*

Eundem librum quotannis in viſitatione Archi-Diacono vel Decano ſuo Rurali Paſtor exhibeat, qui, extra publica belli aliaque pericula, non niſi in Sacriſtia loco tuto & clauſo, aut fonti baptiſmali vicino, ubi vero completus fuerit, diligenter in Archivo Eccleſiæ cuſtodiatur.

CAPUT VI.

§. I. *A Baptiſmo omne profanum abſit.*

CUm in Baptiſmo unusquisque operibus ſatanæ, ejusque pompis renunciet, (a) Parochus ſubinde populum doceat, quam ſimplici & Chriſtiano habitu infans ad Baptiſmum ſit deferendus, ut nihil adhibeatur, quod mundi hujus pompam præ ſe ferat; cum minime deceat in ipſo vitæ Chriſtianæ limine eis ſtudere rebus, quibus tunc ſolemni ſponſione renuntiatur.

§. II. *Extra Parochiam ſine licentia nemo baptizetur.*

Nullus, niſi prævia licentia Paſtoris, prolem ſuam extra Parochiam baptizari procuret, ubi vero de ejus licentia baptizata fuerit, illius teſtimonium Paſtori adferat, qui id libro baptiſmali inſerat. Paſtores autem raro nec niſi gravi de cauſa talem licentiam largiantur.

§. III. *Parochus diſpiciat, an infans ſuæ Parochiæ ſit.*

Ideo Parochus, infante ad ſe delato, diſpiciat, an ſuæ Parochiæ ſit: quem ſi alienæ deprehenderit eſſe, non niſi urgente neceſſitate baptizet, ſed ad proprium Parochum remittat. Quod maxime in prolibus thoro illegitime natis obſervandum.

§. IV. *Parochi infantes illegitimos, vel parentibus pauperibus natos, vel ſponſore deſtitutos baptizare non recuſent.*

Adhæc ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio Paſtorali, aliaque graviori arbitraria, omnibus ac ſingulis Parochis, & Vice-Parochis præcipimus, ne ob id ſolum, quod infans baptizandus ſit illegitimus, vel ex parentibus pauperibus, vel exteris natus, nullusque pro ejus ſuſtentatione ſeſe Sponſor offerat, ipſum baptizare recuſent, aut differant, etſi Magiſtratus loci, vel alii quicunque ob prædictas, vel alias ſimiles cauſas infantem baptizari prohibeant.

§. V. *Matre peſte correpta natus per infuſionem aquæ, ſine ſolitis cæremoniis baptizetur, periculo ceſſante, cæremoniæ adhibeantur.*

Quando infans peſte laborans, aut eo nomine ſuſpectus, utpote ex matre peſtifero infecta morbo natus erit, baptizandus, poterit quamprimum a Paſtore, ſeu Vice-Paſtore, aliove Sacerdote, ſi haberi valeat, domi privatæ per infuſionem aquæ baptizari, qui deinde, ſi ab omni ſuſpicione luis liber erit, in Eccleſia ſua Parochiali Parocho, ſeu Vice-Parocho ſuo ſiſtatur, ut ex inſtituto Eccleſiæ Catholicæ cæremonias adhibeat.

CAPUT VII.

§. I. *Si quis prudenti judicio ſub conditione baptizandus ſit, ea exprimatur.*

CUm Baptiſmum nullo modo liceat iterare, ſi quis ſub conditione baptizandus erit, ea ſic exprimatur: *N. ſi non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris † & Filii † & Spiritus Sancti †* nec antequam dicere inceperit: *Ego te baptizo*, aquam baptizando infundat. Hoc tamen non paſſim fiat, nec leviter; ſed prudenter, & ubi re diligenter inveſtigata, Baptiſmum non fuiſſe collatum, probabilis ſubnaſcitur dubitatio.

§. II. *Sal expoſititiis infantibus appoſitus incertum Baptiſmi ſignum.*

Quia ſal apud pueros expoſitos repertus non eſt ſufficiens, & certum Baptiſmi collati indicium: ideo ſemper absque diſcrimine pueri expoſiti ſub conditione baptizentur, niſi teſtimoniis certioribus eosdem baptizatos eſſe comprobetur.

CAPUT

(a) Conc. Prov. Colon. Part. 7. cap. 6. pag. 377.

CAPUT VIII.

§. I. *Nunquam nisi unus vel una, & ad summum unus & una ad suscipiendum e Baptismo infantem admittantur.*

NUmerus Patrinorum a generali Tridentina Synodo (*b*) ad multifariæ cognationis spiritualis impedimenta evitanda præscriptus sequetur a Parochis, qui proinde nunquam plures, quam unum vel unam, vel ad summum unum & unam ad infantem de Baptismo levandum admittant, hisque infantem tangendum, vel suscipiendum simul offerant, quos saltem puberes, ac sacro Chrismate confirmatos esse convenit.

§. II. *Ad tangendum infantem instar Patrinorum se ingerere volentes arceantur.*

Alios vero quantumvis Nobiles, qui majoris solemnitatis & splendoris gratia ad tangendum infantem patrinorum instar se ingerere velint, a fonte arceant Pastores, priusquam baptizetur infans: nec ullos præter designatos, & in libro baptismali describendos vere Patrinos esse, aut ullam cognationem spiritualem contrahere, diserte declarent: sicut nec Patrinus, neque etiam baptizatus contrahit cum suscipientis conjuge, cum tantum inter baptizantem, baptizatum, baptizatique Patrem & Matrem: item inter suscipientes & baptizatum, ejusque Patrem & Matrem cognatio spiritualis intercedat.

§. III. *Obligationis suæ Patrini moneantur.*

Patrinis quoque & Matrinis in memoriam revocent Pastores, quod sese apud Deum sponsores obtulerint pro baptizatis, (*c*) quos proinde veluti filios spirituales, dum adolescunt, per se vel idoneos Magistros diligenter instruere, fidei Catholicæ rudimenta docere, a vitiis abstrahere, & ad virtutes, vitæque honestatem sectandam frequentius hortari tenentur.

§. IV. *Infideles, vitiis infames, amentes, & minores duodecim annis ad levandos e Baptismo infantes non admittantur.*

Idcirco Parochi (*d*) non modo infideles, Judæos, aliosque non baptizatos, sed & hæreticos, vel de hæresi suspectos, ebriosos, publice excommunicatos, infames, annis duodecim minores, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Fidei Symbolum ignorantes, pro baptizato respondere non valentes, (*e*) aut per mentis inopiam ejus, quam faciunt, sponsionis notitiam non habentes, ab infantium de fonte levatione, arcendos esse meminerint.

§. V. *Parentes proprias proles e Baptismo non levent, neque Regulares quempiam de Baptismo suscipiant.*

Pater aut mater propriam prolem e Baptismo non levet, (*f*) tametsi mortis periculum eidem immineat, quo casu Patrinos seu Matrinos adhibere non est necesse; Monachis, Sanctimonialibus & cujusvis Ordinis vel Instituti Regularibus, etiam Abbatibus, de fonte levare infantem in jure prohibitum est.

§. VI. *Mandans, non mandatarius, cognationem contrahit.*

Dum quis infantem per Procuratorem e fonte levat, (*g*) non Procurator, sed ipse constituens cognationem contrahit, eoque casu tam mandans, quam mandatarius libro baptizatorum inscribatur.

§. VII. *Cognationem contrahit in necessitate sine cæremoniis baptizatum suscipiens.*

Et quia, quando Baptismum domi in necessitate confertur, non vero cum cæremoniæ, quæ tunc defecerunt, in Ecclesia adhibentur, (*h*) cognatio contrahitur; idcirco Parochi nomen Patrinorum in Baptizatione adhibitorum

(*b*) Conc. Trid. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 2. c. In Catechismo 100. c. Non plures 101. c. In Baptismate 102. de Consecr. dist. 4. (*c*) C. Vos ante omnia 105. de Consecr. dist. 4. Conc. Prov. Colon. sub Hermanno V. Part. 7. cap. 4. pag. 576.
(*d*) C. In Baptismate. 102. tit. cit. (*e*) Conc. Prov. Colon. d. loc.
(*f*) C. Non licet 103. c. Monachi 104. de Consecr. dist. 4. Conc. Prov. Colon. sub Adolpho III. cap. Quamvis. pag. 459. (*g*) Sacra Congreg. Cardinalium Interpretum Conc. Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 2. §. Baptizatum Farinac. Part. 4. pag. 69. col. 2. §. Baptizatum. (*h*) Sacra Congreg. loco cit. 5. Qui in Ecclesia.

rum libro baptismali tantum inscribant.

CAPUT IX.

Baptismus sine necessitate extra Ecclesiam, quæ Baptisterium habet, non conferatur.

TAmetsi urgente necessitate, (i) quovis tempore, etiam interdicti, & cessationis a Divinis, & quovis loco Baptismus conferri possit, nihilominus cum proprius Baptismi administrandi locus sit Ecclesia, in quo vel prope quam baptismalis fons esse solet: ideo sub pœna suspensionis ab officio Pastorali, & alias, arbitraria prohibemus, (k) ne quis Pastorum, aliorumve Sacerdotum, quantumvis exemptorum, Baptismi Sacramentum sine cæremoniis Ecclesiæ adhiberi solitis, vel in privatis ædibus, aut alio in loco, quam in Ecclesia fontem baptismalem consecratum habente, extra gravem necessitatem, conferre audeat, idque non nisi matutino tempore.

CAPUT X.

§. I. *Quid obstetrices præstare debeant, antequam ad obstetricandum admittantur.*

MAgistratus hortamur in Domino, & requirimus, ne quam parturientibus ad obstetricandum concedant, nisi prius a Pastore loci, ubi obstetrix moratur, testimonium sinceræ & Catholicæ Fidei habeat, Professionemque fidei coram eodem Pastore seu Decano Rurali faciat; nec non materiam, formamque Baptismi testimonio ejusdem Pastoris probe calleat, & præter consuetum juramentum in libro Pastorali Coloniensi præscriptum, juret, quod infantes a se excipiendos quantocius, vel saltem infra tres, aut summum octo dies baptizare curabit, & obsistentes parentes, vel amicos, mox Pastori loci denunciabit.

§. II. *Obstetrices extra casum necessitatis non baptizent.*

Obstetrices pariter omnes serio monitas volumus, ne infantem extra casum necessitatis baptizare audeant, baptizatum vero ad Ecclesiam, ut præscriptæ ab Ecclesia cæremoniæ adhiberi queant, prima opportunitate deferant.

§. III. *Nutrices proles non baptizatas lactandas non suscipiant.*

Inhibemus similiter, ne nutrices, proles, quas legitimo Pastoris testimonio rite baptizatas esse non constat, imposterum lactandas suscipiant.

CAPUT XI.

§. I. *Pastores hortentur populum, ut a conviviis baptismalibus abstineat.*

AD pravam consuetudinem, (l) qua post infantium Baptismum convivia non sine incommodis celebrari consueverunt, abolendam; mandamus Pastoribus, Vice-Pastoribus & Concionatoribus, ut populum, quatenus hujusmodi conviviis abstineat, subinde moneant & exhortentur; quod ut facilius, suaviusque impetrent, imprimis ipsi, quantumvis invitati, a dictis conviviis sese honeste subducant, modesteque excusent, scientes, quod tunc recta via gradiantur oves, quando bono exemplo præcedunt Pastores.

§. II. *Pia consuetudo recolendi quotannis diem natalem Baptismatis in usum revocetur.*

Impensius proinde desideramus, ut Religiosum illud institutum, quo olim dies Baptismi solemni abrenuntiationis sponsione insignis, quotannis a fidelibus celebrabatur, cum ad pietatis Christianæ cultum, piamque morum disciplinam non parum adjumenti adferre soleat, in usum revocetur: itaque Parochi, Vice-Parochi & Concionatores auditores suos hortentur, ut unusquisque diem illum, quo baptizatus est, non conviviorum apparatu, non luxu, non operibus tenebrarum, cum dies lucis sit, sed ardentiore prece, sacra exhomologesi & Communione,

(i) C. Si qui necessitate 16. de Consecr. dist. 4. Conc. Prov. Colon. sub Hermanno V. Part. 7. cap. 7. pag. 377. Synodus Diœc. Colon. 2. Octob. anno 1597. sub Ernesto celebrata tit. 2. num. 3. (k) Conc. Prov. Colon. sub Adolpho III. §. An etiam baptizent. pag. 495. col. 2. (l) Conc. Prov. Colon. sub Hermanno V. Part. 7. cap. 11. pag. 375. & Adolpho III. §. Detestanda. pag. 449. sub fin.

ne, atque eleemoſyna, ſi per facultates liceat, omnique charitatis opere, atque officio, & pietatis exercitatione, ſpiritualisque gaudii celebritate quotannis recolat, memor ſe, æternæ damnationis deleto chirographo, regni cœleſtis deſignatum eſſe hæredem.

TITULUS III.

De Purificatione Puerperarum.

CAPUT I.

§. I. *Puerperas aliquot diebus a partu Eccleſiam non frequentare convenit.*

QUanquam in nova lege puerperæ Chriſtianæ ſtatim a partu gratias acturæ Templum ſine peccato ingredi poſſint, ut INNOCENTIUS III. Pontifex reſpondit: (*m*) more tamen ab antiquis temporibus introducto, tum ob valetudinis curam, tum ob venerationem Sacrorum, & ad imitationem puriſſimæ Virginis MARIÆ, ab ingreſſu Eccleſiæ diebus aliquot abſtinent.

§. II. *Puerperæ in publicum prodituræ primum ad Eccleſiam ſuam Parochialem ſe conferant.*

Sacris Canonibus inhærentes, veterem ac religioſum Catholicæ Eccleſiæ morem, pleriſque in locis, prope collapſum in uſum revocamus, quo puerperæ, confirmata a partu valetudine, in publicum prodituræ, antequam alio digrediantur, primum ad Eccleſiam ſuam parochialem ſe conferant, ut Domino Deo pro felicis puerperii beneficio grates referant, ejusque benedictionem conſequantur.

§. III. *Puerperæ ante 25. a partu diem ad purificationem non admittantur, loco defunctæ alia mulier non ſubſtituatur.*

Volumus ergo, ut nulla omnino puerpera ante vigeſimum quintum a partu diem, a proprio Parocho, ſeu Vice-Parocho ad purificationem, neque alibi, quam in Eccleſia admittatur, ibidemque Sacrificio Miſſæ interſit, & nunquam alia mulier purificanda in locum defunctæ puerperæ ſubſtituatur.

§. IV. *Fœminæ ex illicito concubitu parientes, ad Purificationem non admittantur.*

Mulieres porro, quæ ex illicito concubitu pepererunt, in pœnam peccati, ad ſervandam Eccleſiæ diſciplinam, a ſacro hoc ritu merito arceantur: quamobrem nulli Paſtori, Vice-Paſtori, aliive Presbytero ſub pœna ſuſpenſionis eo ipſo incurrendæ, mulieres ſimiles ad purificationem admittere liceat.

CAPUT II.

§. I. *Puerperæ ad purificationem ſine pompa procedant.*

CUm in quibusdam Diœceſis noſtræ locis puerperæ a partu in publicum prodeuntes, numeroſo mulierum comitatu ſtipatæ, ad Eccleſiam, non ſine magnis impenſis ſe conferant, ſub viginti quinque florenorum aureorum pœna vetamus, ne ulla prorſus puerpera cum pluribus, quam duabus aut ſummum tribus fœminis ad purificationem & benedictionem in Eccleſia accipiendam procedat.

§. II. *Diebus Dominicis vel Feſtis purificatio non inſtituatur; Eccleſiaſtici conviviis, purificatis mulieribus, inſtructis non interſint.*

Cæterum, quia pleraſque data opera diem Dominicum vel Feſtum, ut licentius genio indulgeant, ſuæ purificationi eligere inaudimus; ordinamus, ne præfatis diebus ſacris mulierum purificatio inſtituatur. Graviſſimeque interdicimus, ne ullus Parochorum, aliorumve Sacerdotum, vel Clericorum convivia purificatis mulieribus inſtructa frequentet.

§. III. *Orationes purificandis deſtinatæ cadaveri puerperæ, vel eidem infirmæ in privatis ædibus non adhibeantur.*

Damnamus ineptias nonnullorum, qui ad cadaver mulieris in partu mortuæ, antequam tumuletur, legunt orationes, quæ puerperis in Eccleſia purificandis adhibentur. Inhibemus pariter, ne quando mulieri poſt partum ex infirmitate periclitanti in privatis ædibus Sacramenta miniſtrantur, Orationes, introducendis in Eccleſiam puerperis prælegi ſolitæ, recitentur.

TITU-

(*m*) C. unic. de Purificat. poſt part.

TITULUS IV.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

§. I. *In Confirmationis Sacramento robur & plenitudo Spiritus Sancti baptizato confertur.*

SAcramento Baptiſmatis ſuccedit aliud, quod a SS. Patribus nunc *Confirmatio*, nunc *manus impoſitio*, nunc *Sacramentum Chriſmatis* aut *Unctio* nominatur: cujus quidem Sacramenti virtute homini baptizato plenitudo Spiritus Sancti, & auxilium ac robur ſingulare confertur, quale datum eſt Apoſtolis die Pentecoſtes, ut Chriſti nomen & fidem coram Principibus mundi & orbe toto intrepide valeant profiteri.

§. II. *Ordinarius Sacramenti Confirmationis Miniſter eſt ſolus Epiſcopus jurisdictione præditus.*

Ordinarius hujus Sacramenti Miniſter eſt ſolus Epiſcopus: (*n*) ad legitimam autem ejus adminiſtrationem jurisdictio requiritur; hinc Epiſcopus ſolos ſpirituali ſuæ poteſtati ſubjectos confirmare debet, niſi expreſſa, vel ſaltem probabiliter præſumpta alterius Epiſcopi proprii licentia accedat.

CAPUT II.

§. I. *Sacramentum hoc ſine gravi Sacrilegio iterari non poteſt.*

SAcramentum hoc, cum non tantum baptizatum in gratia per Baptiſmum collata, (*o*) ad Chriſti nomen fortiter confitendum, & contra omnes dœmonis, mundi, carnisque impetus animoſe pugnandum corroboret; ſed etiam indelebilem animæ characterem imprimat, nunquam ſine gravi Sacrilegio iterari poteſt.

§. II. *Confirmatis circumſtantiæ Confirmationis in memoriam revocentur.*

Quia tamen frequenter evenit, ut parentibus vita defunctis pueri Confirmationis ſuſceptæ nequaquam memores, (*p*) iterum ſe offerant Confirmationi; idcirco mandamus parentibus ac patrinis, ut præſertim ante rationis uſum confirmatis, quando, a quo, & ubi fuerint confirmati, & a quo patrino Epiſcopo oblati, ſæpe in memoriam revocent, ut hac gratiæ plenitudine, quam vi Sacramenti acceperunt, ad DEI gloriam & ſalutem ſuam recte utantur, & de virtute in virtutem quotidie progrediantur.

§. III. *Paſtores moneant ſæpius parentes, ut ſuos liberos, qui annos diſcretionis attigerunt, ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum adducant.*

Cum hujus Sacramenti ſuſceptio utiliſſima ſit, (*q*) præcipimus omnibus ac ſingulis Civitatis & Diœceſis noſtræ Paſtoribus, Vice-Paſtoribus, Concionatoribus & Catechiſtis, ut parentes crebro adhortentur, quatenus ſuos liberos nondum confirmatos ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum adducant, dummodo annos, quos vocant diſcretionis, attigerint: tum ut ipſum Sacramentum præmiſſis Fidei, rectæ intentionis & aliarum virtutum actibus, majori cum reverentia, fructuque ſuſcipiant: tum etiam ut poſtea melius Sacramenti ſuſcepti poſſint meminiſſe, eviteturque illius repetendi periculum, niſi forte Epiſcopus Confirmans aliter judicaverit.

§. IV. *Circa Quatuor tempora, & Pentecoſten Coloniæ, extra eum cum Epiſcopum adventurum noverint, confirmandi debite inſtruantur.*

Eapropter Paſtores, Vice-Paſtores, Concionatores & Catechiſtæ Dominicis & Feſtis diebus jejunia Quatuor temporum proxime antecedentibus, (*r*) quibus populus Coloniam, ad ſuſcipiendum Confirmationis Sacramentum, acurrere ſolet, præſertim vero in Feſtis Pentecoſtes, ac quandocumque Nos,

(*n*) Eugenii IV. Papæ Conſtit. 19. §. 11. c. Presbyteris 119. de Conſecr. diſt. 4. c. De his vero 3. c. Manus quoque 4. de Conſec. diſt. 5. Conc. Trid. Seſſ. 7. de Confirm. can. 3.
(*o*) Conc. Trid. Seſſ. 7. de Sacrament. in genere. can. 9. c. Dictum 8. & c. De homine 9. de Conſecr. diſt. 5. (*p*) Statuta Sifridi Archiep. Colon. cap. 5. in fin. pag. 38.
(*q*) Statuta Sifridi Archiepiſc. d. loco. Conc. Provinc. Colon. ſub Hermanno V. Part. 7. cap. 9. pag. 378. (*r*) Catechiſm. Roman. Part. 2. de Sacram. Confirm. cap. 3. n. 1.

Nos, vel Vicarium nostrum in Pontificalibus adventurum, & hoc Sacramentum administraturum esse compererint, auditores suos plene instruant de omnibus, ad illud digne suscipiendum pertinentibus.

§. V. *Usum Sacramenti Confirmationis a primordio Ecclesiæ fuisse, Pastores doceant.*

Et quia nostri temporis hæretici, spiritu humilitatis destituti, ridere solent, (s) quod non intelligunt, hocque Sacramentum ludibriis & cachinnis excipiunt; doceant in concionibus Parochi, Vice-Parochi & Concionatores, tam ex sacris literis, quam SS. Patrum scriptis & Conciliorum definitionibus, Confirmationem inter Sacramenta novæ legis semper numeratam fuisse, usumque ejusdem ab Ecclesiæ nascentis viguisse exordio.

§. VI. *Quinam a Sacramento Confirmationis, vel ad tenendum in ipso Sacramento arcendi sint.*

Inter adultos vero nullus hæreticus, excommunicatus, interdictus, vel gravioribus facinoribus contaminatus, aut primorum Christianæ Fidei rudimentorum, videlicet Orationis Dominicæ, Salutationis Angelicæ, ac Symboli Apostolorum ignarus, ad percipiendum hoc Sacramentum, vel ad tenendum confirmandum se ingerat; nisi forte doctrinæ sit incapax, veluti perpetuo amens, surdus, mutus, &c. quo casu tantum ad Confirmationis Sacramentum suscipiendum, nullo vero pacto ad quempiam in ipso Sacramento tenendum admittitur.

§. VII. *Confirmandi sint in statu gratiæ.*

Cum Sacramentum Confirmationis ex propria sua institutione, gratiæ augmentum conferat, (t) necessarium censetur, ut illud recepturus, jam ante in Dei gratia sit constitutus; idcirco volumus, ut omnes confirmandi, qui octo vel summum decem annis majores sunt, dolique capaces, ne gratiæ Spiritus Sancti ponant obicem, si conscii sibi fuerint peccati mortalis, Confessionis Sacramentum præmittant, quo a peccatorum sordibus expurgati, velut vasa munda amplissimis Spiritus Sancti donis copiosius impleantur, & tam animæ, quam corpora eorum, viva Spiritus Sancti templa efficiantur.

§. VIII. *Vel saltem actum contritionis præmittant. Pastores confirmandos deducant.*

Si tamen confirmandi temporis angustia pressi, vel alias legitime impediti Confessionem Sacramentalem præmittere nequeant, de admissis saltem peccatis prævie conterantur. Pastores igitur & Vice-Pastores, eorumve Vicarii, vel Sacellani, Catechisticis item lectionibus Præfecti adultis confirmandis certum confitendi tempus præstituent, eosdemque ad designatam pro Confirmatione accipienda deducent Ecclesiam, vel de eorum facta confessione atque convenienti dispositione testabuntur.

§. IX. *Confirmandi mundi & fronte libera accedant.*

Præterea Sacramenti hujus reverentia postulat, ut omnes confirmandi facie lota, & a sudore sordibusque expurgata, fronte libera, nec panno obvoluta se sistant, ut sacro perungi Chrismate decentius & commodius possint.

CAPUT III.

§. I. *In Confirmatione non sit Patrinus, qui fuit in Baptismo, nec plures uno vel una adhibeantur.*

IN Confirmatione non sit idem, qui fuit in Baptismo patrinus, (u) nisi necessitas aliud postulet, ut ea ratione confirmati amplior cura habeatur, si ejus instructio ad plures pertineat; non tamen plures, quam unus, sive vir, sive mulier, neque parentes ullum ex suis liberis in Confirmatione teneant, neque conjugum alter alterum.

§. II.

(s) Catechism. Roman. loc. cit. (t) C. Ut jejuni 6. de Consecr. dist. 5. Conc. Prov. Colon. Part. 7. cap. 9. pag. 377. & 378. Statuta Adolphi III. Archiep. Colon. pag. 475. colum. 1. (u) C. In Catechismo 100. c. Non plures 101. de Consecr. dist. 4.

§. II. *Regulares personæ pro Patrinis non assumantur.*

Monachi quoque, vel Sanctimoniales, aliive cujusvis Ordinis Regulares in patrinos vel matrinas non adhibeantur: (x) obligationi enim confirmatum instruendi satisfacere nequeunt.

§. III. *Patrinus ejusdem sit sexus, cujus est confirmandus, neque ipse minor ætate.*

Patrinum ejusdem sexus, cujus est confirmandus, esse convenit, neque minorem ætate; indecorum enim est, si minor majorem monendo, vel corripiendo patris vices obeat.

§. IV. *Patrinus sit Catholicus, pubes, confirmatus & bonæ vitæ.*

Volumus autem, non quemlibet absque discrimine ad id muneris admitti; (y) sed tantum Catholicos, ætate puberes, Sacramento Confirmationis insignitos, ab omni excommunicatione liberos, vita, moribusque integros, & qui Christianæ Fidei rudimenta noverint, eoque anno ad Sacramentum Confessionis & Communionis accesserint; & generatim, qui in Baptismo patrinus esse prohibetur, in Confirmatione quoque non est admittendus. Vetatur etiam abusus, quo patrinus rogatur obvius quilibet ignotus ac peregrinus; cum confirmatus a similibus nullum spirituale emolumentum habere possit, cujus solius gratia assumitur.

§. V. *Neque Patrinus, neque confirmandus armatus accedat, nomina minus convenientia in Confirmatione mutentur.*

Patrini ad hoc Sacramentum armis vel gladiis accincti non accedant, neque armis instructi adducantur. Curent etiam parentes, aut patrini, ut si quis ridiculum vel gentile, neque conveniens homini Christiano nomen in Baptismo acceperit, illud in nomen homini Christiano conveniens commutari.

§. VI. *Observanda a Patrinis in Confirmatione, & post Confirmationem.*

Si quandoque judicio Episcopi infantes confirmandi fuerint, portentur brachio dextro, & teneantur, atque a genuflexis Episcopo offerantur, adulti manibus ante pectus devote complicatis genuflectant, Patrini vero sive Matrinæ, a tergo manu dextra dextro humero confirmandi imposita, donec Episcopus frontem confirmandi in modum Crucis unxerit, leviterque maxillam ejus percusserit, assistant: Patrini pariter de nomine confirmandorum rogati, clara & distincta voce illud exprimant: susceptoque Sacramento cum confirmatis recedentes, aliis succedentibus locum relinquant.

§. VII. *Patrini fasciam lineam conferant; quæ per confirmatos in tertium usque diem gestetur.*

Patrini fasciam adferant lineam novam ac mundam, duobus aut tribus digitis latam, & justæ longitudinis, ut confirmatorum frontes & capita ob reverentiam sacri Chrismatis, statim ea decenter possint obligare, interposito inter fasciam & consighatum frontis locum linteolo duplicato, aut modico gossipii; caveatur, ne Patrini, confirmative manu contingant sacram Unctionem: fascia circumligata non statim deponatur, sed juxta veterem & receptam consuetudinem in tertium usque diem, vel minimum quousque Chrismatis Unctio fuerit deficcata, gestetur.

§. VIII. *Patrini munera confirmatis dare non obligantur.*

Sciant Patrini vel Matrinæ, ac etiam illi, qui fasciam confirmatorum deponunt, quod neque confirmatis, neque eorum parentibus quidquam omnino largiri teneantur, ne, quod aliquando factum esse constat, cuiquam hoc Sacramentum, iterandi præbeatur occasio.

§. IX. *Patrini ante benedictionem Episcopalem non abeant.*

Patrini & Matrinæ confirmatos apud se modeste retineant, & precibus in-

(x) C. Non licet 103. c. Monachi 104. de Consecr. dist. 4. c. Pervenit. 20. 18. quæst. 2.
(y) C. In Baptismate 102. de Consecr. dist. 4.

intenti, ultimam benedictionem ab Episcopo præstolentur.

§. X. *Ritus in solvenda confirmati fascia a Sacerdote servandus.*

Etsi præstet per Pastorem, ejus Sacellanum, aut alium Sacerdotem, quam per Patrinum fasciam deponi, si tamen deponat, modum hunc servet: primo aqua munda in pelvim infundatur, deinde fasciam, adhibitoque modico sale, frontem confirmati defricet, eluat & abstergat; finita elutione, fascia una cum panniculo seu gossipio, quo unctio cooperta fuit, comburatur, conjiciantur que cineres, nec non aqua lotionis in piscinam sacram, vel cœmeterium, ossuarium, profluentem, vel in ignem; aut Parochus ipsam fasciam in sacrario, aut alio loco honesto comburendam in usum cinerum sacrorum in die *Cinerum* in Quadragesima conservet. Cavendum autem est, ne in sterquilinium, vel in cœnum, aut alium immundum locum hæc aqua, ob sacri Chrismatis reverentiam effundatur; quamvis si vitta diligenter lota, in sacrario, vel alio decenti loco conservata, ad similem sacrum ritum adhiberi possit; ad profanos tamen usus applicari non debet, cum per sacri Chrismatis contactum quodammodo sit consecrata. Cæterum absque urgente causa non permittendum, ut mox post collatum Sacramentum frons confirmati abluatur, seu abstergatur.

CAPUT IV.

§. I. *Semel confirmatus, iterum confirmari non debet: de Confirmatione dubitans, Nos, vel Suffraganeum nostrum consulat.*

Cum semel confirmatus, iterum confirmari non debeat, si quem præmature parentibus orbatum, vel alium quemcunque post diligentem inquisitionem dubitare contingat, num aliquando hoc Sacramentum acceperit, is Nos, seu nostrum Suffraganeum consulat, ut sub conditione, si ita visum fuerit, confirmari valeat.

§. II. *Confirmatorum, Parentum & Patrinorum nomina inscribenda.*

Quod ne deinceps facile contingat, usque de cognatione spirituali constare possit, Parochi & Vice-Parochi singulorum, confirmatorum, eorumque parentum, ac patrinorum seu matrinarum nomina in peculiari libro distincte describant.

§. III. *Moneantur Patrini, quænam sit eorum obligatio.*

Parochi, Vice-Parochi & Concionatores patrinis & matrinis inculcent, ut suos filios, & filias spirituales virtutis, & Christianæ perfectionis viam ingredi hortentur, ipsosque Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum, nec non reliqua Fidei rudimenta doceant, vel curent saltem, ut Catechismum hebdomadatim semel adeundo, ea perdiscant.

TITULUS V.
De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

§. I. *Sacramenti Pœnitentiæ institutio.*

Sacramentum Pœnitentiæ Christus Dominus tunc præcipue instituit, (z) cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* (a) Quo tam insigni facto, & verbis, tam perspicuis potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos Apostolis, & eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.

§. II. *Nullus confitens, nisi peccato oretenus expresso absolvatur.*

Ut autem virtute hujus potestatis a Christo communicatæ absolutio Sacramentalis impertiatur, ordinarie loquendo confitens peccatis speciatim expressis, materiam clavibus subjicere debet; neque peccata per nuncium, seu literas Confessario absenti Sacramentaliter confiteri, ab eoque absente absolutionem impetrare licet: quod CLEMENS VIII. Pontifex verbis subjectis declaravit: " Sanctissi-" mus P. N. D. CLEMENS Papa VIII. &c.

(z) Conc. Trid. Seff. 14. de Sacram. Pœnit. cap. 1.

(a) Joan. 20. Matth. 12.

" &c. (*b*) Auditis votis Patrum Theo-
" logorum, & re cum Illustrissimis &
" Reverendissimis Dominis Cardinali-
" bus contra hæreticam pravitatem ge-
" neralibus Inquisitoribus mature ac
" diligenter considerata, hanc propo-
" sitionem, scilicet, licere per literas
" seu internuncium, Confessario ab-
" senti peccata Sacramentaliter confi-
" teri, & ab eodem absente absolutio-
" nem obtinere, ad minus uti falsam,
" temerariam & scandalosam damnavit
" ac prohibuit. Præcepitque, ne dein-
" ceps ista propositio publicis, priva-
" tisque lectionibus, concionibus &
" congressibus doceatur, neve unquam
" tanquam aliquo casu probabilis de-
" fendatur, imprimatur, aut ad pra-
" xin quovis modo deducatur, quod
" si quis illam docuerit, defenderit,
" imprimi fecerit, aut de ea disputati-
" ve tractaverit (nisi forsan impug-
" nando) vel ad praxin directe vel in-
" directe deduxerit, præter excom-
" municationem latæ sententiæ, quam
" ipso facto incurrat, & a qua non
" possit (præterquam in articulo mor-
" tis) ab alio quacunque etiam digni-
" tate fulgente, etiam S. R. E. Majori
" Pœnitentiario, nisi a pro tempore
" existenti Romano Pontifice absolvi,
" aliis etiam pœnis arbitrio infligendis
" subjaceat. In generali Congregatio-
" ne sanctæ Romanæ & universalis In-
" quisitionis habita in Palatio Aposto-
" lico in Monte Quirinali die 20. men-
" sis Julii 1602.

§. III. *Forma Absolutionis præscribitur.*

Insuper volumus, & mandamus, ut omnes omnino hac a Sede Apostolica præscripta absolvendi Pœnitentes forma utantur: *Dominus JESUS CHRISTUS te absolvat: & ego authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis & interdicti, in quantum possum, & tu indiges: deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris † & Filii † & Spiritus Sancti † Amen.* (*c*) Quod si pœnitens Laicus fuerit, verbum *suspensionis* omittatur: neque huic formæ quisquam aliquid, vel pietatis, vel reverentiæ causa addat, neque in ea mutet: antequam quoque detur absolutio, imponatur satisfactio.

CAPUT II.

§. I. *Sacramentum Pœnitentiæ in mortale lapsis est necessarium.*

SAcramentum istud non minus lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, (*d*) quam nondum renatis ipse Baptismus, recte a Ss. Patribus & Oecumenica Tridentina Synodo *secunda post naufragium tabula* nominatur; quia: sicut naufragis unicum vitæ servandæ perfugium superest tabula, qua enatent, sic innocentia Baptismi perdita, quasi fracta per peccatum mortale primæ gratiæ navi, nisi quis ad hanc pœnitentiæ tabulam confugerit, certum æternæ damnationis periculum subit. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis: facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* (*e*)

§. II. *Confessio diu non est differenda.*

Hinc diligenter docendus est populus, ut mortali peccato commisso, statim de eo conteratur; deinde Sacerdoti a Nobis, nostrove in Spiritualibus Vicario ad Sacramentales Confessiones excipiendas approbato illud legitime confiteatur, & salutarem pœnitentiam sibi injunctam impleat: nec confessionem ad festum usque Paschæ differat.

§. III. *Merito Passionis Christi Sacerdos peccata remittit.*

Doceant Parochi, & Vice-Parochi suos parochianos institutionem, partes & effectum hujus Sacramenti, (*f*) quodque summa animi dimissione & dolore, magnaque spe misericordiæ Divinæ ad latebras conscientiæ detegendas unumquemque oporteat accedere; declarentque remissionem peccatorum in confessione per Sacerdotis absolutionem factam, merito Sanguinis Christi perfici: siquidem post Resurrectionem suam, hoc inter prima munera passio-
nis

(*b*) Clementis VIII. Papæ Constit. 87. §. 1. & seq. (*c*) Rituale Rom. de Sacram. Pœnit.
(*d*) C. Secundo 72. de Pœnit. dist. 1. Conc. Trid. Sess. 14. de Sacram. Pœnit. can. 2.
(*e*) Luc. 13. ℣. 3. Matth. 3. ℣. 8. Luc. 3. ℣. 8. (*f*) Conc. Trid. Sess. 14. de Sacr. Pœnit. cap. 1. vers. 5.

nis suæ contulit Apostolis, (g) ut quorum remitterent peccata, iis eadem apud Deum remissa essent.

§. IV. *Numerus & circumstantiæ peccatorum exprimi debent.*

Moneant etiam Parochi, Vice-Parochi, Concionatores, Catechistæ parochianos suos, speciem & numerum peccatorum mortalium, quantum fieri potest; & circumstantias eorundem, quæ speciem mutant, aut vehementer aggravant, in confessione explicandas esse.

§. V. *Sæpius in anno repetatur Confessio.*

Pastores, Vice-Pastores, Concionatores & Catechistæ sæpius hortentur pueros & minores, ut in festis solemnioribus; adultiores autem saltem quinque summis anni festivitatibus, Sacramento Confessionis conscientiæ suæ maculas eluant, sic fiet, ut illi a teneris instructi methodum rite confitendi facilius addiscant, firmiusque retineant, & facti provectiores, minore cum difficultate sese in illa exerceant: hi vero Divinæ gratiæ, adeo ipsis in adulta ætate, ob quotidiana vitæ pericula necessariæ copiam abundantius adipiscantur.

§. VI. *Medici curent, ut animæ prius, quam corpori consulatur.*

Sancitum est ab INNOCENTIO III. & PIO V. (h) ut Medici ad ægrotos lecto decumbentes vocati, antequam illorum curam suscipiant, ipsos statim admoneant confessionis apud idoneum & Episcopi Diœcesani auctoritate approbatum Confessarium instituendæ, neque ultra tertiam diem eos visitent, nisi forte tempus ampliandum infirmo, Confessario justis de causis videretur, vel Medicis constiterit infirmum peccata sua confessum esse. Has salutares constitutiones diligenter observari volumus, Medicosque in Domino monemus, ut si quos ægros de hæresi suspectos, vel a fide Catholica alienos tergiversari, aut vitæ liberioris fuisse animadverterint, Pastori, seu Vice-Pastori denuncient; vel si id damno sibi fore timeant, Parochum, seu Vice-Parochum saltem monendum curent, ut quamprimum periculose infirmum in sua parochia visitet. Idemque Religiosi, ac Religiosæ, qui ægris assistunt, præstent. Pastor autem, seu Vice-Pastor monitus, ægrum statim conveniat, & ad suscipiendum salutare Pœnitentiæ Sacramentum modis omnibus inducat, & cæteris omnibus officii sui partibus debite fungatur.

§. VII. *Puerperæ & periculose ægrotantes tempestive muniantur.*

Puerperæ, & alii, quibus probabile vitæ periculum imminet, non differant salutaribus pœnitentiæ remediis se tempestive munire, ne cum corpore pariter animæ periculum incurrant; advigilent etiam studiose ad hoc Pastores & Vice-Pastores, cumque necessarium judicaverint, ultra se offerant.

§. VIII. *Consuetudo confitendi initio Quadragesimæ in usum revocetur.*

Antiquam confitendi consuetudinem initio Quadragesimæ a Christi fidelibus omnibus in usum revocari summopere exoptamus, (i) ut futura jejunia & alia pietatis opera in statu gratiæ perficiantur, & meritum inde augeatur. Quare Pastores, Vice-Pastores, Concionatores & Catechistæ Dominica *Sexagesimæ* vel *Quinquagesimæ* adhortentur auditores suos, ut ipsis antecineralibus, vel sub initium jejunii Quadragesimæ peccata sua confiteantur; nihilo tamen minus confessionem ante Paschalem Communionem iterent. Injungimus quoque iisdem Pastoribus, Vice-Pastoribus & Confessariis, ut dicto tempore tam initio, quam sub finem Quadragesimæ, & circa solemnia Festa, sacra tribunalia adeant pœnitentes audituri.

§. IX. *Dominica Passionis præceptum Paschalis Communionis promulgetur.*

Ne quis ignorantiam præcepti de annua saltem Confessione & Communione in Paschate, ab omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, cum ad annos discretionis pervenerint, juxta

(g) Matth. 18. ℣. 18. Joan. 20. ℣. 23. (h) C. Cum infirmitas 13. de Pœnit. & Remiss. Pii V. Papæ Constit. 3. (i) Trid. Sess. 14. de Pœnit. c. 5. in fine.

juxta Concilii Lateranensis Constitutionem (k) implendi prætendere queat, volumus quotannis tam a Sæcularibus, quam Regularibus Concionatoribus & Confessariis idipsum Dominica *Passionis* publicari, & post Dominicam *in Albis* vigilare & annotare Pastores & Vice-Pastores, quinam ex suis parochianis intra quindenam paschalem, quæ a Dominica *Palmarum* usque ad Dominicam *in Albis* inclusive numeratur, defuerint officio, eos moneri, & nisi præcepto satisfecerint, vivos a cœtu fidelium, mortuos ab Ecclesiastica sepultura arceri.

§. X. *Pastores Confessionis documentum exigant.*

Ne tepidi Catholici, vel de fide suspecti facile, prout hactenus factum fuisse, cum dolore animi accepimus, dictam Ecclesiasticam legem eludant, & in sordibus suis diutius volutentur, volumus, ut Pastores & Vice-pastores, quoties similes in parochia sua commorari deprehenderint, exigant ab iis chirographum Confessarii sui, ut inde constet, ubi & quando fuerint isto anno confessi. Item in pagis, qui se dicunt in paschate alibi confessos esse, testimonio Confessarii auctoritate nostra approbati id docere teneantur: quod si non fecerint, contra eos, ut non confessos, procedatur.

CAPUT III.

§. I. *Requisita in Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.*

QUoniam Minister Sacramenti Pœnitentiæ est solus Sacerdos, (l) qui non hominis, sed Dei judicium exercet, circa animas pretioso Christi Sanguine redemptas, dum Confessionibus pœnitentium intendit: in eo comprimis præter potestatem Ordinis, quam Presbyterio, initiatus accepit, necessario requiritur jurisdictio in pœnitentem ordinaria, vel delegata, sine qua nulla est absolutio, sicut sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum disertis verbis, GREGORIO XV. & URBANO VIII. confirmantibus, declaravit.

§. II. *Sine Presbyterii Ordine confessiones excipientes, vel Missam celebrantes, graviter puniantur.*

Idcirco Nos ut impiam & sacrilegam nefariorum hominum audaciam, qui ad sacrum Presbyteratus Ordinem non promoti, munus audiendi confessiones usurpare præsumunt, coerceamus: CLEMENTIS VIII. & URBANI VIII. Sanctionibus in eos, qui non initiati Sacerdotio, Missam celebrant, vel Sacramentalem Confessionem audiunt, publicatis insistendo, decernimus, ut si quis, seu Laicus, seu Clericus sæcularis, aut cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam necessario exprimendæ, Religiosus, aut cujuscunque alterius Instituti, quomodocunque etiam exempti & Apostolicæ Sedi immediate subjecti, nec non Militiarum quarumcunque, etiam S. Joannis Hierosolymitani fuerit, salutis suæ immemor, eo temeritatis processerit, ut Sacerdotii charactere minime insignitus, Missam celebrare, aut Sacramentalem Confessionem audire non vereatur, ob atrocissimum hoc scelus suum, quo non tantum Catholicam veritatem, quæ solos Presbyteros dictorum Sacramentorum Ministros esse docuit, facto impugnare; sed & Sacramenti Pœnitentiæ dignitatem contemnere, atque Christi fideles cum maximo animarum periculo decipere audet, is uti Ecclesiæ misericordia plane indignus condigne puniatur, & ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit, rite degradetur, absque mora Curiæ sæculari tradatur, Judicum sententiis debito supplicio puniendus. Quin nec hujusmodi delinquenti privilegium ætatis minoris, dummodo vigesimum annum compleverit, valeat suffragari, quo minus per præfatos Pontifices Maximos impositis pœnis subjiciatur; si quis vero scenice vel ludicre mimorum modo pœnitentiam vel Eucharistiam exhibuerit, severissimis pœnis arbitrio nostro subjaceat.

§. III.

(k) C. Omnis utriusque sexus. de Pœnit. & Remiss.

(l) Eugenii IV. Constit. 195. 13. Conc. Trid. Sess. 14. de Sacram. Pœnit. c. 6. & 7. & can. 10.

§. III. *Quid ad jurisdictionem accipiendam requiratur.*

Sacerdos ad dimittenda peccata fit aptus in genere per poteſtatem Ordinis, determinate vero per poteſtatem jurisdictionis; ſine qua Confeſſiones Sacramentales excipere præſumens, præter pœnam arbitrariam, eamque gravem, ipſi authoritate noſtra infligendam, ab officio & beneficio ſuſpendatur. (*m*) Porro nullus Sacerdos, etiam Regularis, poteſt confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneus reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem obtineat.

§. IV. *Approbatus in una Diœceſi, in alia ad confeſſiones exponendus de novo debet approbari.*

Semel approbatus ab Epiſcopo unius Diœceſis, (*n*) etiam ab Epiſcopo alterius Diœceſis, in qua ad animarum curam, vel confeſſiones exponendus eſt, iterum approbari debet, nec ſine ejusmodi nova approbatione, ullas quarumcunque perſonarum ſæcularium Sacramentales Confeſſiones excipere poteſt.

§. V. *Ad curam animarum ſæcularium exercendam, & eorundem, vel Monialium Confeſſiones excipiendas jus approbandi ſoli Epiſcopo Diœceſano competit.*

Poteſtas porro (*o*) qualemcunque Sacerdotem ſæcularem aut Regularem quantumvis exemptum, vel quocunque privilegio munitum ad curam animarum ſæcularium exercendam, aut Sacramentales ſæcularium, aut quorumcumque Ordinum Monialium confeſſiones excipiendas approbandi, Epiſcopis tantummodo Diœceſanis competit: privilegiis contrariis, ſtatutis, indultis & conſuetudinibus etiam immemorabilibus penitus ſublatis.

§. VI. *Approbatio gratis detur & in ſcriptis habeatur.*

Hæc approbatio, gratis dando, in ſcriptis habeatur, ut in omnem eventum poſſit, maxime viſitationibus, exhiberi.

CAPUT IV.

§. I. *Subjungimus & publicamus Urbani Pontificis declarationem, quæ ſic habet:*

URBANUS PAPA VIII.
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

§. II. *Cauſa abrogationis.*

" CUm, ſicut accepimus, (*p*) aliquibus Religioſis quorundam Ordinum, ſeu Congregationum a Sede Apoſtolica indultum fuerit, ut Sacramentales perſonarum ſæcularium Confeſſiones audire valeant, etiamſi ab Epiſcopis Diœceſanis ad id examinati, & approbati non fuerint; nec deſint, qui temere aſſeverent, hoc ipſum privilegium cæteris quoque aliorum Ordinum Regularibus competere ex ampliſſimis privilegiorum communicationibus, quas ab eadem Sede Apoſtolica obtinuerunt: & hinc ſaluberrimum ſacri Concilii Tridentini Decretum deſuper ſancitum penitus evertatur. &c. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem ſub annulo Piſcatoris die XII. Septemb. M.DC.XXVIII. Pontificatus noſtri anno ſexto."

CAPUT V.

Miſſionarii exhibeant literas approbationis, ſtabilium Confeſſariorum & Concionatorum nomina annotentur.

CUm in Diœceſi noſtra duplicis ſint conditionis Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtri; ſtabiles nimirum, uti Parochi, Sacellani, Patres Conventuum, & Miſſionarii: de utriſque nonnulla videntur eſſe ſtatuenda. Ac Miſſionarii quidem, nonniſi exhibitis literis approbationis ſuæ, ad Sacramentorum adminiſtrationem admittantur. De ſtabilibus vero decernimus, ut ſinguli Decani Rurales, Paſtores, Vice-Paſtores,

(*m*) Conc. Trid. Seſſ. 23 de Reform. cap. 15.
(*n*) Innocent. X Conſtit. 30.
(*o*) Gregorii Papæ XV. Conſtit. 18. atque ibid. Declarat. Congreg. Cardin. Conc. Trid. Interpr. deſuper emanatæ, tum ab ipſo Gregorio, tum Urbano VIII. ejus Succeſſore approbatæ. Innocent. X. Papæ Conſtit. 30.
(*p*) Urbani Papæ VIII. Conſtit. 92.

res, aliique Ecclesiarum Rectores, in Manuale hunc in finem conficiendum, ac singulis annis Nobis, seu Vicario nostro in Spiritualibus Generali, aut Archi-Diacono, sive Decano suo Rurali in visitatione exhibendum dictorum Confessariorum & Concionatorum nomina, Ordinis qualitatem, nec non nomen ejus, qui literas approbationis hujusmodi expedivit, referant.

CAPUT VI.

§. I. *Qualitates requisitæ in Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.*

Adhæc magna oportet sacri hujus Tribunalis Ministrum esse instructum scientia & prudentia, utpote, qui de rebus maximis ex tempore debet judicare. Ideo Confessarius, ut recte decernat inter lepram & non lepram, ac, tanquam peritus Medicus, animarum morbos prudenter curet, & apta cuilibet remedia applicet, fusis ad Deum orationibus, moderatione passionum, & frequenti sacræ Scripturæ, Ss. Patrum, & probatorum Authorum lectione requisitam sibi scientiam comparet, & epitomen aliquam casuum conscientiæ sibi familiarem habeat, ut occurrentibus dubiis satisfacere possit; quem in finem etiam peritiorum consilium, nulla tamen facta pœnitentis mentione, in rebus gravioribus exquirat.

§. II. *Confessarius sciat casus Sedi Apostolicæ, & Episcopo Diœcesano reservatos.*

In specie vero sciat casus & censuras tum Sedi Apostolicæ, tum Nobis reservatos, easque diligenter observet: casus Sedi Apostolicæ reservatos præcipuos recenset Bulla *Cænæ Domini*, ac probati Authores, qui subjiciunt alios permultos desumptos ex corpore Juris communis, & diversorum Pontificum Constitutionibus. In Diœcesi vero nostra Coloniensi Nobis hi sunt reservati, prout eos reservamus: *Apostasia, homicidium voluntarium, incendium Ecclesiæ, Sodomia, raptus Virginum, incestus cum consanguineis aut affinibus in primo aut secundo gradu, aut cum Sanctimonialibus, adulterium manifestum, injectio manuum violenta in parentes cum læsione, blasphemia magna, serioque prolata, veneficium, sortilegium, ligatura & omne maleficium, quo impeditur actus matrimonialis in conjugibus, perjurium manifestum.*

§. III. *Vota non facile commutentur, aut ab excommunicatione detur absolutio.*

Sciant item Confessarii Sedi Apostolicæ inter cætera reservata esse vota: *Castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, Peregrinationis Romanæ, Jerosolymitanæ, & Compostellanæ*: quoad reliqua vero vota & excommunicationes, quibus eorundem permutatio sive absolutio Apostolico privilegio aut delegatione permittitur, caveant, ne temere permutando vota, vel ab iis absolvendo suam excedant potestatem.

§. IV. *A casibus reservatis extra mortis periculum sine speciali facultate Confessarius non absolvat.*

Nemo Sacerdotum seu sæcularium, seu cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis & Instituti Regularium, etiam ad confessiones sæcularium personarum audiendas legitime approbatorum, a casibus Sedi Apostolicæ, aut Nobis reservatis quempiam, extra mortis periculum, absque speciali Apostolica, seu nostra facultate absolvere præsumat: Sacerdos enim ad confessiones excipiendas generatim approbatus, nullam ab iis absolvendi habet potestatem, prout sacra Congregatio Cardinalium subjectis verbis definivit.

§. V. *Decretum sacræ Congregationis Cardinalium negotiis Episcoporum & Regularium præsidentium.*

" Sacra Congregatio S.R.E Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita censuit, per confirmationes privilegiorum, quas Regulares a Sede Apostolica post sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis Decretis sublata atque extincta, si quæ habebant absolvendi a casibus Ordinario loci reservatis; quemadmodum nec indulta absolvendi a casibus contentis in Bulla, quæ in die *Cænæ Domini* legi consuevit, utpote sublata per annuam illius

" illius Bullæ publicationem, vires, " aut robur acquisivisse, ex subsequen- " tibus privilegiorum confirmationi- " bus. Ac proinde Regulares cujus- " vis Ordinis, Congregationis, Socie- " tatis & Instituti, etiam necessario ex- " primendi, nec intra, nec extra Ita- " liam in vim privilegiorum, aut con- " firmationum ejusmodi, quas vel ha- " ctenus obtinuerunt, vel deinceps " forte obtinebunt, posse quemquam " absolvere ab eisdem casibus in Bulla " *Cœnæ*, aut Ordinario loci reservatis. " Ac si secus egerint, absolutiones " nullas atque irritas fuisse ac fore. " Ab aliis vero casibus & censuris Se- " di Apostolicæ reservatis, si quidam " Regulares habeant a Sede Apostolica " absolvendi facultatem, illam extra " Italiam minime sublatam fuisse iisdem " sacræ Congregationis Decretis hac " de re editis, jussu San. mem. CLE- " MENTIS VIII. Quam sacræ Con- " gregationis sententiam, Sanctitas sua " ad se relatam approbavit, mandavit- " que ab omnibus, ad quos pertinet, " inviolabiliter observari. Romæ 17. " Novembris 1628."

§. VI. *Potestate a casibus reservatis absolvendi, vel in irregularitatibus & votis dispensandi nemo utatur, nisi eandem exhibuerit.*

Quod si quis a dictis casibus Episcopo Diœcesano reservatis absolvendi potestatem, vel ea majorem a Romano Pontifice obtinuerit, inhibemus, ne prius illa in nostra Diœcesi utatur, quam eam Nobis, nostrove Vicario in Spiritualibus Generali, aut Archi-Diacono loci examinandam exhibuerit; ne hoc colore sub ovina pelle lupi in ovile nostrum irrepant, gregemque nostrum dissipent ac mactent. Quod si legitime de tali obtenta facultate constiterit, ea non ad eversionem, sed ædificationem utatur, exposita pœnitentibus peccatorum gravitate, & congrua satisfactione, prout spiritus suggesserit, prudenter imposita, neque in irregularitatibus aut votis, nisi speciali munitus potestate, dispenset.

§. VII. *Ubi, & quomodo Sedes confessionales debeant esse dispositæ.*

Ut perversis & improbis hominibus omnis calumniandi occasio, quantum fieri potest, subtrahatur, mandamus omnibus facultatem & licentiam audiendi confessiones habentibus, ut, sicubi erectæ nondum sunt Sedes confessionales, eas quamprimum sumptibus fabricæ in ipsa Ecclesia, loco publico & aperto curent erigi, quæ Confessarium a pœnitente utrimque asserculo cancellato, seu crate perforata, ac pœnitentem ab aliis alio asserculo disjungant; extra quas nullus unquam Confessarius sæcularis, seu cujusvis Ordinis, Congregationis & Instituti Regularis, virorum, aut cujuscunque qualitatis & conditionis mulierum, seu puellarum, etiam Religiosarum, confessiones excipiat: surdis autem, prægnantibus, aut alia infirmitate laborantibus poterit Confessarius commodum tempus eas audiendi assignare; semper tamen in loco Ecclesiæ valde conspicuo; nec quisquam Sacerdos mane ante Solis ortum, aut vesperi post Solis occasum, alterius sexus confessiones sine lumine audiat.

§. VIII. *Quo habitu Confessarii esse induti, & quid considerare debeant.*

Confessarii in sacro illo Tribunali modestiam & gravitatem præseferant, sedeantque superpelliceo induti, & stola a collo dependente, seu alio decenti habitu Presbyterali, ac memores sint, se agere conscientiarum Judices, ac Spirituales animarum Medicos, justitiæ simul ac misericordiæ Ministros a Deo constitutos esse, ut tanquam arbitri inter Deum, & homines, non minus honori Divino, quam animarum saluti consulant, nec excedant ad dextram vel sinistram, sive indulgentia, sive severitate; proinde non oscitantes, sed magna cum attentione, circumspectione & judicio Sacramentum hoc administrent, & cognito pœnitentium statu, congrua vitiis adhibeant remedia, & pœnitentiam saluti animarum maxime convenientem imponant.

§. IX.

§. IX. *In sola Ecclesia confessiones excipiantur, maxime mulierum, nisi necessitas aliud exegerit.*

Nulli etiam sæculari in privatis ædibus, vel in Sacristia, vel alibi, quam in sede ad hunc finem in Ecclesia dicto modo erecta, idque januis patentibus liceat confessiones, præsertim mulierum, audire, nisi gravi necessitate, aut infirmitate hoc exigente; quæ, si inciderit, Confessarius in Sacramentalibus mulierum confessionibus excipiendis cubiculi januam apertam, ejusque velum, si quod fuerit, levatum semper habeat; ita ut conspici, non autem audiri possit: Quod si forsan in celebritate aliqua extraordinaria, pœnitentium concursus plures Confessarios postulet, eo casu sacra Tribunalia pro tempore tunc assignanda, loco patenti in Ecclesia, & quantum fieri potest, ad normam supradictam constituantur.

§. X. *Pœnitentes genuflexi discinctis gladiis confiteantur, Confessarius sedens & tecto capite confessiones excipiat.*

Sicut nullis prorsus confitentibus quacunque etiam dignitate Ecclesiastica, aut sæculari fulgentibus licitum est assidere Confessario (extra infirmitatem) sed ipsis pœnitentibus animo contrito, non quasi hominis, sed Dei sententiam de suis peccatis audituris, humiliter discinctis, si quos habent, gladiis, genuflectere; ita & Sacerdos nullius pariter, cujuscunque conditionis existat, confessionem excipiat, nisi sedens, nec aliter, quam tecto capite, pœnitentem absolvat. Insuper nec vultus austeritate, nec verborum asperitate pœnitentes deterreat, sed magna cum mansuetudine ad veram peccatorum confessionem invitet.

§. XI. *Confessarii confessiones audientes, ut alii propius accedant, non permittant.*

Non permittat Confessarius, dum unius confessionem audit, alios propius accedere, ne pœnitens, dum ab aliis audiri metuit, peccata reticeat, & Confessarius minus libere confitentes examinet: caveatque, ne tunc ea in medium proferat, vel a confitentibus adducantur, quæ ad materiam confessionis non pertinent.

§. XII. *Pœnitentes rudiores in rebus fidei, & modo confitendi instruantur.*

Confessarii, dum rudiores pœnitentes inveniunt, de quorum instructione in rebus fidei, & modo confitendi dubitant, ante omnia illos examinent, an fidei Catholicæ rudimentorum, aut Orationis Dominicæ, Salutationis Angelicæ, Symboli Apostolorum, Præceptorum Decalogi, & Ecclesiæ, atque peccatorum capitalium notitiam habeant, & quos horum ignaros cognoverint, si tempus suppetat, breviter, vel assignato alio commodiore, instruant de rebus fidei, & aliis ad salutem cognitu necessariis, de conscientiæ discussione, confessione, & dolore ad eam necessario; corripiant eorum ignorantiam, utque inposterum ea diligentius addiscant, serio commoneant. Recteque pro Officii sui munere facient Confessarii, si pœnitentem, quem vel examinandæ conscientiæ non vacasse, vel simplicitate nimia in hac parte laborare intelligunt, sua diligentia, & prudenti interrogatione adjuvent.

§. XIII. *Circa castitatis materiam examinandam Confessarii sint circumspecti.*

Monemus serio omnes, & singulos Confessarios, ut in examinandis confitentibus parce, & valde caute circa peccata carnis procedant, non solum dum virgines, sed etiam conjugatos, aut quoscunque cœlibes audiunt, ne incautis interrogationibus peccata, quæ ignorant, vel aliter offendiculo sint, & in cæteris omnibus prudentes sint, & circumspecti, eaque sinceritate & maturitate munere suo fungantur, quam & tanta ministerii Sanctitas, & animarum salus deposcit.

§. XIV. *Circa confitentem, aut complices, non sint curiosi.*

Ut supervacanea, a Confessione aliena & extranea inter confitendum non sunt miscenda; ita multo minus a Confessario nomen complicis, vel ipsius etiam pœnitentis, ejus domicilium, vel rei domesticæ status curiose inqui-

inquiratur: hæc enim affectatam curiositatem, familiaritatem, aut quæstum redolent; quin hortamur pœnitentes, ut tales Confessarios, vel prætereant, vel deserant.

§. XV. *Nemo pœnitentem inducat ad sibi soli ex voto confitendum.*

Cum puritati & tranquillitati conscientiarum modis omnibus consulendum sit, Confessariis omnibus sub pœna arbitraria, eaque gravi, prohibemus, ne quemquam ad sibi solis confitendum inducant, multoque minus voto ad id obligent; imo etiam propensis ad id vovendum, vel promittendum dissuadeant, & vetent: quin & Nos ejusmodi votum, seu promissionem, etiam juratam, a ratione alienam & imprudentem esse declaramus, & quatenus opus est, rescindimus; sed hoc potius curent, ut omnis tollatur contentio dicentium: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo*; *ego vero Cephæ.* (q)

CAPUT VII.

§. I. *Proprii peccati complicem nemo audiat.*

UT animarum periculis, quantum in Domino possumus, occurramus, sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda, inhibemus omnibus Confessariis, ne quis confessionem mulieris, cum qua in materia carnis peccavit, aut complicis, aut fautoris peccati (nisi in necessitate extrema) excipiat.

§. II. *Pœnitentem ad turpia solicitantis pœna.*

Confessarius porro, qui occasione, vel specie Sacramentalis Confessionis pœnitentem ad turpia solicitarit, severissime puniatur juxta Constitutionem GREGORII Papæ XV. (r) cujus hæc verba sunt: " Statuimus, decernimus & declaramus, quod omnes " & singuli Sacerdotes, tam sæculares, " quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectorum Ordinum, Institutorum, Societatum & " Congregationum Regulares, cujuscumque dignitatis & præeminentiæ, " aut quovis privilegio muniti existant, " qui personas, quæcunque illæ sint, " ad inhonesta, sive inter se, sive cum " aliis quomodolibet perpetranda in " actu Sacramentalis Confessionis, sive " ante, vel post immediate, seu occasione vel prætextu confessionis hujusmodi, etiam ipsa confessione non " secuta, sive extra occasionem confessionis in Confessionario, aut in " loco quocunque, ubi Confessiones " Sacramentales audiuntur, seu ad " confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire " solicitare, vel provocare tentaverint, " aut cum eis illicitos & inhonestos " sermones, sive tractatus habuerint, " in Officio sanctæ Inquisitionis severissime, ut infra, puniantur. Et " præterea omnes hæreticæ pravitatis " Inquisitores, & locorum Ordinarios " omnium Regnorum, Provinciarum, " Civitatum, Dominiorum & locorum " universi orbis Christiani in suis quemque Diœcesibus & territoriis, per " has nostras literas, etiam privative, " quoad omnes alios, specialiter ac " perpetuo Judices delegamus, ut super his contra supradictos simul, vel " separatim in omnibus, prout in causis Fidei, juxta sacrorum Canonum " formam, nec non Officii Inquisitionis hujusmodi constitutiones, privilegia, consuetudines & decreta diligenter inquirant, & procedant: & " quos in aliquo ex hujusmodi nefariis " excessibus culpabiles repererint, in " eos pro criminum qualitate & circumstantiis suspensionis ab executione Ordinis, privationis Beneficiorum, dignitatum & Officiorum quorumcunque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ & " passivæ, si Regulares fuerint, exilii, " damnationis ad triremes, & carceres " etiam in perpetuum, absque ulla spe " gratiæ, aliasque pœnas decernant; " eos quoque, si pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ sæculari puniendos tradant.

§. III.

(q) 1. Corinth. 1. ℣. 12. (r) Gregorii XV. Papæ Constit. 34.

§. III. *Inquisitorum arbitrio probationes permittuntur.*

" Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ DEI tam perniciosum, remaneat ob probationum defectum, impunitum, cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, judiciis & adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo judicandi, & Curiæ sæculari, ut præfertur, reum tradendum esse, pronuntiandi.

§. IV. *Pœnitens solicitantem tenetur denunciare.*

" Mandantes omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, solicitatos, moneant de obligatione denunciandi solicitantes, seu, ut præfertur, tractantes, Inquisitoribus seu locorum Ordinariis prædictis: quod si hoc Officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios solicitantes seu tractantes, ut supra, iidem locorum Ordinarii & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.

§. V. *Fœminarum cavenda familiaritas.*

Caveant itaque Confessarii, ne familiares sint fœminis sibi confitentibus; prolixiora colloquia earundem evitent, neque illas ad nimis frequenter sibi confitendum invitent.

§. VI. *Cum filia Spirituali lapsus puniatur.*

Si quis Sacerdos cum filia Spirituali, aut cum muliere, cujus Sacramentalem Confessionem audivit, fornicatus fuerit, (s) sciat se ob grave crimen commissum mox deponendum, & juxta sacros Canones, sine conniventia puniendum.

§. VII. *Rebus temporalibus pœnitentis sese non immisceat Confessarius.*

Confessarii quoque commoda temporalia sibi, vel suis occasione confessionis a pœnitentibus non aucupentur. Neque convenit, ut ipsorum bonis administrandis se misceant, nisi pupillorum, viduarum, vel alias gravatorum conditio id poscat.

§. VIII. *Quibus neganda absolutio.*

Noverint etiam proximas occasiones mortaliter peccandi vitandas esse, easque vitare nolentibus beneficium absolutionis non esse impendendum; ut nec iis generatim, quos non habere propositum abstinendi a peccatis, aut nullum de admissis dolorem evidenter cognoscunt. . . . .

§. IX. *In pœnitentiis injungendis Confessarius sit circumspectus.*

Confessarii sint prudentes & circumspecti in salutaribus injungendis pœnitentiis, habita ratione status, conditionis, sexus, ætatis ac dispositionis pœnitentium, & pro peccato occulto pœnitentiam publicam non imponant, ne, dum Medici animarum videri volunt, peccatorum proditores fiant.

Ut autem sciant, quid in injungendis satisfactionibus potissimum considerandum sit, mature expendant hæc verba Concilii Tridentini: (t) " Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere: ne forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem; nam claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed ad ligandum, concessas, etiam antiqui Patres & credunt & docent.

CAPUT VIII.

§. I. *Sigillum confessionis servetur illæsum.*

Cum nihil confessionem magis suavem & gratam reddat, quam sigillum,

(s) C. Si quis Sacerdos. c. Non debet. 30. q. 1.

(t) Sess. 14. de Pœnit. c. 8.

gillum, (u) norint Confeſſarii id ſibi ſtrictiſſime ſervandum, nec verbo, ſigno, nutu, aut quovis alio modo, vel minimum veniale peccatum confitentis prodendum eſſe, ſub pœnis degradationis, & aliis a jure ſalubriter præſcriptis. Hoc ſigillum ad ea ſe quoque extendit, quæ ſubinde occaſione eorum, quæ in confeſſione detecta ſunt, poſt datam abſolutionem a Confeſſariis interrogati pœnitentes vel repetunt, vel fuſius narrant, etiamſi corporis, animi, vel natalium, aut alii defectus naturales ſint.

§. II. *Etiam poſt latam in pœnitentem mortis ſententiam.*

Non ferenda quorundam eſt Judicum ſacrilega interrogatio, qua poſt latam in reum mortis ſententiam inquirunt ex Confeſſariis, ſitne juſte damnatus reus an non? quo caſu nec minimum confeſſi veniale delictum, quibuslibet etiam tormentis propoſitis, Confeſſariis detegere permiſſum eſt.

§. III. *Hiſtorica in confeſſione acceptorum narratio prohibetur.*

Abſtineant Confeſſarii ab omni prorſus (ſuppreſſis quamvis nominibus) hiſtorica acceptorum in confeſſione narratione, quæ peccata ipſa, eorumque modum, vel etiam pœnitentium in confitendo morem exhibeat: ne audientes a confitendo deterreantur.

§. IV. *Extra confeſſionem de confeſſis non agat Sacerdos.*

Obſervent ſimiliter, ne cum pœnitentibus extra confeſſionem de peccatis in illa manifeſtatis, niſi petita & obtenta eorundem venia loquantur. Quod ſi confeſſus juſta ratione motus cupiat, vel conſentiat peccata a ſe confeſſa revelari, tutius eſt, ut ipſemet pœnitens peccatum ſuum coram aliis manifeſtet, quam Confeſſario manifeſtandum committat.

§. V. *Quicunque ex confeſſione peccata novit, ad ſigillum obligatur.*

Non ſolum autem Confeſſarius hoc ſigillo tenetur, ſed omnes omnino, qui peccata alterius ex ſola confeſſione noverunt, ſive Clerici, ſive Laici, ſive licite, ſive illicite, etiam illi, quibus confeſſio a Confeſſario ſacrilege detecta fuerit; ideoque omnibus iſtis ſevere præcipimus, ne peccata ſic cognita ulli propalare audeant; qui contrarium fecerint graviſſime noſtro arbitrio punientur. Et quia rudis plebs hujus ſigilli eſt ignara, ei Paſtores, Vice-Paſtores, Concionatores & Catechiſtæ hanc obligationem exponant.

§. VI. *Pœnitens Confeſſarii dicta non revelet.*

Pœnitentes quoque non facile referant, quæ Confeſſarius dixerit, ſuam quippe ſalutem impedit, qui Confeſſario libertatem ſanctam monendi, vel increpandi, aliaque agendi, quæ ſui muneris ſunt, effutiendo adimit.

TITULUS VI.

De Indulgentiis & Confraternitatibus.

CAPUT I.

§. I. *Indulgentiæ quid ſint.*

Magnum imbecillitatis humanæ ſolatium, ingens vero pœnitentium adjumentum ſunt Indulgentiæ, (x) quarum diſpenſationem Chriſtus S. Petro, ejusque Succeſſoribus in ædificationem, non vero deſtructionem fidelium commiſit & credidit, ut rite pœnitentibus, pœnæ temporalis reatus, interdum non exſoluta pœna relaxetur.

§. II. *Conditiones requiſitæ pro eis lucrandis.*

Quam gratiam ut recipiamus, oportet præter ſeriam pœnitentiam, operisque præſcripti expletionem, conceſſionem Indulgentiarum veram eſſe & certam. De qua certitudine ut conſtet, non niſi per locorum Ordinarios ſunt publicandæ; providendumque eſt Archi-Epiſcopis & Epiſcopis, ut perquam accurate, ante earundem promulgationem recognoſcantur & approbentur, illorumque coerceatur temeritas, qui dubiis & incertis Indulgentiis,

(u) C. Sacerdos. de Pœnit. diſt. 6. c. Omnis. §. Caveat. de Pœnit. & Remiſſ.
(x) Trid. Seſſ. 25. in fine Decret. de Indulgent.

tiis, ad quæſtum potius, & corrogandas eleemoſynas, quam ad fidelium pietatem excitandam abutuntur.

§. III. *Abuſus Confraternitatum.*

Inter quos abuſus & corruptelas merito cenſentur Confraternitatum & Congregationum ſpiritualium paſſim ſine noſtra, noſtrive in Spiritualibus Vicarii Generalis licentia factæ Inſtitutiones, Erectiones, Aggregationes, & Indulgentiarum, ſubinde non ſatis probatarum, communicationes.

§. IV. *Ad hos tollendos edita Conſtitutio CLEMENT. VIII.*

Eapropter CLEMENS VIII. Pontifex magna ſolicitudine formam inſtituendi, erigendi, aggregandi, & recte adminiſtrandi Sodalitates & Confraternitates, nec non Indulgentiarum theſauros communicandi præſcripſit.

CLEMENS PAPA VIII.
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

§. I. *Singulare hujus Pontificis ſtudium.*

" QUæcunque a Sede Apoſtolica
" (y) ad promovendam Chriſti
" fidelium ſalutem aliquando
" conceſſa ſunt, &c.

CAPUT II.

§. I. *Indulgentiarum conficiatur index, & Nobis, vel Vicario noſtro in Spiritualibus examinandus offeratur.*

SAcri Concilii Tridentini, aliisque Apoſtolicis, & Prædeceſſorum noſtrorum Decretis inſiſtendo ordinamus, atque in virtute obedientiæ Eccleſiarum quarumcunque, tam Regularium, etiam exemptorum, quam ſæcularium Civitatis & Diœceſis noſtræ Abbatibus, Præpoſitis, Archi-Diaconis, Decanis tam Collegialibus, quam Ruralibus, Paſtoribus, Vice-Paſtoribus, Prioribus, Guardianis, cæterisque Superioribus & Rectoribus quibuscunque præcipimus, ut Indulgentiarum Eccleſiæ ſuæ conficiant indicem, addantque, quibus pietatis operibus eæ ſint promerendæ; inſuper a quibus Indulgentias obtinuerint, a quo approbatæ, & ad quod tempus extendantur, perquam accurate annotent, ac Nobis, noſtrove in Spiritualibus Vicario examinandas ac recognoſcendas tradant; ut ſi revocatæ, vel ad certum jam elapſum tempus conceſſæ ſint, ſeu alias expiraverint, rejiciantur, & omnis abuſus, ſi quis irrepſit, tollatur, quæ vero legitime probabuntur, in librum peculiarem referantur, evulgentur. (z) Quin etiam ad majorem fidelium pietatem & certiorem notitiam, in ſingulis Eccleſiis, quibus ſpirituales Indulgentiarum gratiæ conceſſæ noſcuntur, earundem index in publico loco affigatur, ut cœleſtes Eccleſiæ theſauros cuncti cernentes ad pietatem moveantur.

§. II. *Non publicentur ſine authoritate Ordinarii.*

Severe prohibemus Civitatis & Diœceſis noſtræ Paſtoribus, Vice-Paſtoribus, Concionatoribus & Catechiſtis, (a) ne deinceps ullas Indulgentias, aut alias ſpirituales gratias quibuscunque, etiam exemptis Eccleſiis, Monaſteriis, Collegiis, Congregationibus, Confraternitatibus, Sodalitatibus, ſeu quibusvis aliis locis piis, ſub quovis modo & forma, aut quacumque de cauſa conceſſas publicent, aut publicari procurent absque licentia & authoritate Ordinarii, in quarum promulgatione earundem vim & efficaciam populo proponant, ut fructum conſequatur uberiorem.

§. III. *Sodalitates compotatoriæ abrogentur.*

Sicubi vero Sodalitates ad celebrandum ſolummodo anniverſarium convivium, non autem ad fovendum Dei, Sanctorumque cultum deprehendantur inſtitutæ, eas ab Eccleſia Dei prorſus removendas eſſe cenſemus; & ne diutius ſimilium Sodalitatum tituli atque inſignia alicubi tolerentur, ſub pœna interdicimus arbitraria.

TITU-

(y) Clementis VIII. Conſtit. 115. Bullarii Tom. 3. (z) Trid. Seſſ. 25. de Reform. Decret. de Indulg. (a) Trid. Seſſ. 21. de Reform. c. 9.

TITULUS VII.
De Sacramento Eucharistiæ.
CAPUT I.

§. I. *Ss. Eucharistia religiose est asservanda, pertractanda & suscipienda.*

SAcrosanctum Eucharistiæ Sacramentum (quod non solum gratiam, ut reliqua Sacramenta, confert, (b) sed ipsummet omnis gratiæ & sanctitatis fontem, authoremque Christum Dominum admirabili modo reipsa & substantialiter continet) præ cæteris religiose habendum est, & administrandum, atque a fidelibus sancte & devote suscipiendum, reverenterque ad infirmos deportandum.

§. II. *Excellentia hujus Sacramenti populo explicanda.*

Quapropter quæ in Generalibus, Provincialibusque Conciliis, ac Synodalibus Statutis ad cultum, venerationem, ac majestatem hujus Sacramenti sancita sunt, Pastores, Vice-Pastores, Concionatores & Catechistæ auditoribus suis inculcent. Ecclesiarum autem Prælati, Superiores, aliique Cleri ac populi Rectores, officii, vocationisque suæ memores, opere compleant.

§. III. *Hostiæ consecratæ in Ecclesiis Parochialibus asservandæ & renovandæ.*

Variis Conciliis & Canonibus ordinatum est, (c) ut in singulis Ecclesiis Parochialibus, aliisque curam animarum habentibus Hostiæ consecratæ in Tabernaculo clave obserato pro infirmorum, aliorumque fidelium Communione asserventur, quæ, ne vetustate corrumpantur, singulis saltem quindenis, vel si loci humiditas requirat, sæpius etiam renoventur, & novæ consecrentur.

§. IV. *Ss. Eucharistia asservanda in loco sacro, non tamen choro Monialium.*

Sacrosancta Eucharistia, (d) nec adorationis prætextu, nec infirmis succurrendi gratia servetur alibi, quam in loco sacro, non tamen intra chorum, vel septa Monasterii Monialium, sed in Ecclesia publica.

§. V. *Excepto tempore belli, aut quo hæreticorum irreverens timeretur tractatio.*

Si tamen in locis sacris aut militum deprædantium, aut hæreticorum hoc Sacramentum irreverenter tractantium timeretur incursus, in loco quocunque tuto, eoque honesto asservari posset, requisito desuper nostro, aut nostri in Spiritualibus Vicarii consensu.

§. VI. *Tabernaculum sit firmum & clausum, neque in ea Olea sacra aut Reliquiæ serventur.*

Tabernaculum, (e) in quo Sanctissimum Christi Corpus custoditur, sit firmum, & juxta cujusque Ecclesiæ facultates tam intus, quam foris decenter exornatum, in medio altaris majoris, vel alio venerationi tanti Sacramenti commodiori loco collocatum. Chrismatis vero & Oleorum sanctorum vascula, sicut & Reliquiæ separatim asserventur.

§. VII. *Pyxides Tabernaculo imponendæ quot, & quales.*

In ipso Tabernaculo ciboria recludantur seu pyxides duæ, (f) in quarum majore Sacra Eucharistia asservetur, in minore ad infirmos deferatur: quas aureas esse oportet, vel argenteas, eburneas, aut minimum stanneas, easque mundas & nitidas, nequaquam vero ligneas, testaceas, aut vitreas, ob periculum fractionis, neque lapideas ob humiditatem & gravitatem, neque æneas vel cupreas propter æruginem.

§. VIII. *Pyxis sit clausa.*

Nunquam Corpus Domini in solo linteo extra clausam pyxidem, ciborium, vel calicem, aut deferatur, aut custodiatur, ipsiusque pyxidis, ciborii, aut calicis operculum pyxidi, ciborio, aut calici ita inhæreat, ut tametsi ciborium, calicem aut pyxidem cadere contingeret, non aperiretur.

§. IX.

(b) Trid. Seff. 13. de Euchariſt. c. 1. 3. 6. & can. 1.
(c) C. Sane. de celeb. Miff. c. 1. de custod. Euchar. Trid. cit. c. 6. & can. 7.
(d) Trid. Seff. 25. de Reg. c. 10. pag. 41. col. 1. in fine.
(e) C. Sane. cit. Statuta Sifridi Archiep. Colon.
(f) Stat. Sifridi pag. 40. col. 2.

§. IX. *Corporale substernatur.*

Pyxidi, ciborio, calici, seu cuicunque alii vasculo, in quo Sacrosancta Eucharistia conservatur, tam in Tabernaculo, cui includitur, quam dum ad excitandam populi pietatem in altari exponitur, semper benedictum ac mundum corporale sit suppositum.

§. X. *Clavis Tabernaculi a quo custodienda.*

Clavis Tabernaculi nunquam in ejusdem ostiolo, altari, aut loco vicino vel sacrario relinquatur; neque ulli unquam Laico, vel Æditico, neque Moniali etiam credatur, quod sub excommunicationis pœna Prædecessor noster HERMANNUS IV. (*g*) vetuit; sed in Ecclesiis Parochialibus a solo Parocho, vel alio Sacerdote cum ipsius licentia, in aliis autem Ecclesiis tam sæcularium, quam Regularium a Sacerdote per Superiorem speciatim deputato custodiatur, qui diligentissime advigilet, ut Tabernaculum semper sit clausum, ne temeraria cujuspiam manus ad horrenda sacrilegia consecratis Hostiis abutatur: neque unquam ab ullo in majoribus Ordinibus non constituto aperiri seu claudi patiatur.

§. XI. *Eucharistiam negligenter custodientis pœna.*

Si quis sacram Eucharistiam negligentius servarit, (*h*) per tres menses juxta Canonicas Sanctiones puniatur; & si per ejus incuriam aliquid nefandum contigerit, graviori subjaceat ultioni.

§. XII. *Lumen ante Tabernaculum alendum.*

Ob tanti Sacramenti reverentiam in quacunque Ecclesia, tam sæculari, quam Regulari, ubi asservabitur, perpetuum lumen (quo significetur præsens esse, qui *lucem inhabitat inaccessibilem,* (*i*) & mentium nostrarum tenebras illustrat) noctu diuque ante Tabernaculum ardeat; fundationes in eum finem factæ stricte impleantur: (*k*) adimplere recusantes Superioribus debite corrigendi deferantur.

§. XIII. *Sacra vasa quoties mundanda.*

Monstrantiæ, pyxides, calices & ciboria, si argentea, aurea, vel inaurata sint, quotannis minimum bis, circa festum Paschæ vel Pentecostes, ac S. Michaëlis: si vero stannea sint, singulis quindenis, aut mensibus saltem diligentissime mundentur.

CAPUT II.

§. I. *Hujus Sacramenti Sanctitas frequenter populo exponenda.*

SI neminem ad sacras functiones accedere deceat, nisi sancte, certe quo magis viro Christiano hujus Sacramenti comperta est Sanctitas atque Divinitas, (*l*) eo diligentius, ne absque magna reverentia & sanctitate ad ejus perceptionem accedat, cavere debet. Quapropter Parochi & verbi Divini Præcones sæpius, maxime Festis celebrioribus, quanta sit Eucharistiæ excellentia, quanta religione, pietate, & humili etiam corporis habitu ad Divinum hoc epulum (in quo omnis spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur) sit accedendum, populo exponant, moneantque, ut ita seipsos probent, & præmissa Sacramentali Confessione Panem illum supersubstantialem frequenter & devote suscipiant, ut vere eis sit animæ vita & perpetua sanitas mentis.

§. II. *Pueri, an, & quando ad Communionem admittendi.*

Pastores etiam & Concionatores hortentur parentes, ut liberos, qui per ætatis & judicii discretionem Dominici Corporis Mysterium intelligunt, ad ejus participationem inducant, ut cœlesti hac alimonia pasti, omnium bonorum operum & meritorum capiant incrementa, erroneumque esse doceant, fideles ante decimum sextum ætatis annum, vel priusquam ad justam Matrimo-

(*g*) In Statut. suis pag. 274. col. 2. (*h*) C. Qui bene. 94. de Consecr. dist. 2. c. 1. de custod. Euchar. (*i*) 1. Tim. 6. V. 16. (*k*) Stat. Adolphi III. pag. 486. col. 1. (*l*) Trid. Sess. 13. de Euchar. cap. 7.

trimonii contrahendi ætatem pervenerint, ad ſumendum hoc Sacramentum non obligari. Advigilent tamen, ne eum admittant, quem prima fidei rudimenta, quidve in ſacra contineatur Euchariſtia, ignorare conſtat.

§. III. *Præparatio ad Communionem.*

Admoneant quoque populum eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus peccati mortalis ſibi conſcius, quantumvis ſibi contritus videatur, absque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat, niſi in periculo mortis conſtitutus confiteri non poſſit; vel copia Confeſſarii deſit; quodque communicare volentes, naturale jejunium ſervare teneantur, ita ut a media nocte nihil omnino, ne quidem per modum medicinæ comederint aut biberint, infirmis tamen, de quorum periculo dubitatur, ne ſine Viatico e vita diſcedant, exceptis.

§. IV. *Peccatoribus publicis neganda Euchariſtia.*

Concubinariis, meretricibus, uſurariis, inimicitias palam foventibus, aliisque peccatoribus, ſi tamen publici fuerint, neque concubinis, uſuris & inimicitiis reſpective renuntiaverint, aut renuntiare ſerio parati fuerint, ſacram Euchariſtiam negandam eſſe decernimus.

§. V. *Prout & amentibus.*

Phrenetici ſeu amentes, dum rationis uſu carent, aut a pietatis ſenſu ſunt alieni, ab hoc Sacramento ſunt excludendi, niſi lucida habentes intervalla pie & religioſe illud ſumere deſiderent: (*m*) furioſis vero, amentibusque in fine vitæ, ſi ante inſaniam ſeu amentiam, vel habentes lucida intervalla Sacramentum hoc ſibi adminiſtrari petierint, & reverentiam eidem exhibuerint, dummodo vomitus, vel alterius incommodi periculum abſit, devote ad illud ſumendum præparatis non eſt denegandum; prout & energumenis, tum ut ejus virtute contra Dœmonium, quo infeſtantur, muniantur, tum ut ab eodem liberentur.

§. VI. *Similiter ultimo ſupplicio afficiendis.*

Ultimo ſupplicio afficiendis (*n*) quamvis ſacra Euchariſtia denegari non debeat, reverentiæ tamen tanti Sacramenti convenit, ut ante ſupplicii diem ipſis miniſtretur.

§. VII. *Quotannis publicanda Communio Paſchalis.*

Quilibet Paſtor & Vice-Paſtor per ſe, vel per alium Concionatorem e ſuggeſtu quotannis populo Conſtitutionem Concilii Lateranenſis ſub INNOCENTIO III. denunciet, (*o*) quæ jubet, ut quisque fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenit, omnia ſua peccata, ſaltem ſemel in anno confiteatur proprio Sacerdoti, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abſtinendum, alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura.

§. VIII. *Eaque in propria ſumenda Parochia, non vero in Eccleſiis Regularium.*

Exponant etiam, quod virtute hujus Conſtitutionis omnes a Dominica *Palmarum* uſque ad Dominicam *in Albis* incluſive, ut præcepto Communionis Paſchalis ſatisfaciant, de manu proprii Paſtoris in Eccleſia Parochiali ſacram Communionem ſumere teneantur, ut Cardinalium Tridentini Interpretum Congregatio declaravit, (*p*) quæ etiam decrevit, non licere Regularibus in die Paſchatis perſonis ſæcularibus in ipſis etiam Monaſteriis habitantibus adminiſtrare Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, etiamſi ipſæ perſonæ ſæculares alio die intra eandem quindenam præceptum Eccleſiæ de Communione Paſchali adimpleviſſent. Quare Regu-

(*m*) C. Is, qui. 26. q. 6. (*n*) C. Quæſitum. 13. q. 2. c. Fures de furtis.
(*o*) C. Omnis utriusque. de Pœnit. & Remiſſ. Declarat. Cardin. Seſſ. 13. de Sacroſ. Euchar. Sacr. can. 9. Stat. Adolphi III. pag. 455. col. 1. pag. 486. col. 1.
(*p*) Ad Seſſ. 15. poſt Canones de Euchar. §. Saltem. §. Congregatio. §. Dubitatur. §. Famuli.

Regulares aliud non præsumant, nisi speciali privilegio a Nobis tamen, nostrove in Spiritualibus Vicario prius viso & probato sese munitos esse ostenderint.

§. IX. *Puerperæ a Communione Paschali non abstineant Dominica Palmarum, die Cœnæ Domini ac festo Paschatis nullus tabernas frequentet.*

Cum abusus quibusdam in locis irrepserint, primo, ut puerperæ citra licentiam Pastoris statuto ab Ecclesia tempore Eucharistiam sumere negligant. Dein Communicantes, maxime adolescentiores filii, filiæ, famuli & famulæ, Dominica *Palmarum*, die *Cœnæ Domini*, ac festo Paschatis publicas tabernas epulaturi iterum *in fermento veteri malitiæ & nequitiæ* (q) frequentent. Mandamus, ut illæ tempestive prædicto Concilio Lateranensi satisfaciant, & Paschalem Communionem domi saltem sumant, neque, donec in Ecclesiam introductæ fuerint, eam differant, nisi Parocho aliud videatur; hi a Pastoribus temporalis etiam pœnæ comminatione, ut tabernas publicas non frequentent, serio moneantur.

CAPUT III.

§. I. *Sacramenta qualiter ministranda ægrotis.*

PAstores, seu Vice-Pastores ægrotis Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis distinctis temporibus, nisi aliud exegerit necessitas, administrent, curentque, ut ægrotantis cubiculum ab omni prorsus sorde purgetur, & mensa, si non nitida mappa, saltem alio linteo mundo honeste instrata, & effigie Christi cruci affixi, luminaribus, duobus vasculis, altero cum vino, altero cum aqua benedicta, & aspersorio ac linteo mundo ante pectus communicandi ponendo instructa præparetur, in qua supposito corporali pyxis cum Sanctissimo Sacramento collocari possit.

§. II. *Quo ritu.*

Ægrotis Parochianis, etiamsi extra præscriptos Paschales dies Sacram Communionem sumpserint, nihilominus Paschalibus diebus illam ministrent: nunquam vero hoc Corporis Christi Sacramentum ad ægrotos, aut alios ullus Sacerdos quovis anno, etiam *Adventus*, *Quadragesimæ*, & *majoris hebdomadæ* die, nisi decenter superpelliceo ac desuper stola indutus deferat; (r) Custos quoque superpelliceo ornatus, lumen, librum Ritualem seu Pastoralem, bursam cum corporali, item linteolum purificatorium ad abstergendos digitos Sacerdotis, campanulam quoque sonantem præferat, quo populus sui officii tum erga Sanctissimum Sacramentum, tum erga infirmum admoneatur; idque observetur, etiamsi infirmus frequentius in ægritudine sua Sacrosanctam Eucharistiam sibi ex pietate deferri petat; in secus facientes gravi pœna arbitraria animadvertetur.

§. III. *Eucharistia ad ægros cum lumine deferenda.*

Parochi, seu Vice-Parochi sibi commissos sæpe hortentur, ut dum Sanctissimum hoc Sacramentum ad ægrotum defertur, & ad Ecclesiam refertur, frequenter ac devote tædas ardentes præseferentes comitentur. Pastor autem, seu Sacerdos ejus vices gerens Sanctissimum Sacramentum ad ægrotum delaturus, signum campanæ, quo fideles ad Sacramentum comitandum invitentur, dari jubeant, semperque duo, ut minimum, cum luminibus ex ægroti vicinis Presbyterum cum Custode a templo ad ægrotum reverenter deducant, & ad Ecclesiam reducant; ad quam pietatem promovendam singulis deducentibus & reducentibus quadraginta dierum indulgentiam authoritate nostra Archi-Episcopali impertimur.

§. IV. *Idque tempestive, si mortis immineat periculum.*

Viaticum Sacratissimi Corporis Domini ægrotantibus mature & solicite ministrandum est, ne forte contingat eos tanto bono, Parochi incuria privatos decedere. Ægro dies aliquot sumpto Viatico supervivente, iterum-

(q) 1. Cor. 5. ℣. 8. (r) C. Sane. de celeb. Miss. Stat. Sifridi Archiep. Colon. pag. 40, col. 2. in fine. Stat. Wilhelmi Archiep. Colon. pag. 182. col. 2.

que communicari volente, pio ejusdem desiderio Parochus non desit.

§. V. *Infirmus vi morbi oppressus monendus, ut spiritualiter communicet.*

Parochus adveniens, si infirmum vi morbi oppressum communicare nequeat, eundem ut fide viva, quæ per dilectionem operatur, desiderium seu votum cœlestem hunc cibum sumendi concipiat, admoneat.

§. VI. *Eucharistia non deferatur de nocte, nisi urgente necessitate.*

Abusus, qui frequens esse solet, ut sub vesperum ad ægros deferatur Sanctissimum Sacramentum, tollatur, & nisi necessitas aliud suadeat, jejuni tantum Eucharistiam sumant; nunquam tamen Pastor quovis etiam nocturno tempore vocatus, infirmo Sacramenta administrare intermittat, sciatque se gravissime puniendum, si ejus culpa infirmus e vita excesserit tam necessario non munitus Sacramento.

§. VII. *Duæ Hostiæ deferantur ad ægrum.*

Ordinarie non unica, sed duæ ad minimum Hostiæ consecratæ ad ægrotum deferantur, (s) ut, una infirmo porrecta, altera ad Ecclesiam referatur, ne, Parocho ad Ecclesiam redeunte, inanem pyxidem populus adoret.

§. VIII. *Equitantes & currui insidentes ad adorandam Eucharistiam descendant.*

Cum quis Sacerdoti ad ægros Eucharistiam deferenti, aut cum eadem inde redeunti equo vel currui insidens occurrerit, statim descendat, flexisque genibus Sacramentum adoret. (t)

§. IX. *Sacerdoti longius ituro pyxis e collo pendeat.*

Quod si longius difficiliusque iter ineundum, aut etiam equitandum fuerit, pyxis cum sacra Hostia bursæ decenti collo appensæ pectori alligatæ includatur, ut neque decidere, neque e pyxide sacra Hostia possit excuti.

TITULUS VIII.

De Sacrificio Missæ. (u)

TITULUS IX.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT I.

§. I. *Extremæ Unctionis utilitas.*

Sacramentum Extremæ Unctionis non modo Pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ consummativum est, (x) ad hoc speciatim a Christo Domino institutum, & per Jacobum Apostolum fidelibus commendatum atque promulgatum, ut sub finem vitæ, si quæ restent, peccatorum reliquias, & omnia, quæ animam mox e corpore migraturam, ab ingressu cœli remorari possunt, impedimenta tollat: adeoque hominem ad introitum regni cœlestis: nisi saluti animæ sanitas corporis magis expedierit, præparet, atque expeditam reddat; unde Sacramentum hoc a nemine negligendum est.

§. II. *Tempestive suscipienda.*

Idcirco populus tam publice in concionibus, quam privatim a Pastoribus, Vice-Pastoribus & Concionatoribus frequenter moneatur, ut adultus quisque in verisimili mortis periculo propter infirmitatem constitutus, tempestive hoc Sacramento, dum sensus & ratio adhuc viget, muniatur, ut majore cum reverentia illud suscipiat, & ad actus pietatis, amoris & fiduciæ in DEI misericordiam eliciendos, virtute hujus Sacramenti excitetur.

CAPUT II.

§. I. *Quis sit Minister Extremæ Unctionis.*

Minister hujus Sacramenti est Sacerdos jurisdictionem habens: unde graviter peccat, qui cum nec proprius sit Pastor infirmi, nec ab Episcopo Diœcesano, ejusve in Spiritualibus Vicario, nec a proprio Pastore licentiam obtinuerit, hoc Sacramentum administrare præsumit; (y) Religiosi vero,

(s) Stat. Wilhelmi Archiep. pag. 182. col. 2.

(t) Stat. Sifridi pag. 41. col. 1. sub fin.

(u) *Videatur hoc Tomo a pag. 740.*

(x) Trid. Sess. 14. de Extr. Unct. cap. 1. 2. & can. 1. in Procem.

(y) Clem. 1. de Privil.

vero, nisi & ipsi sint Parochi, sententiam excommunicationis Sedi Apostolicæ reservatam ipso facto incurrunt, si Clericis, vel Laicis Sacramentum Unctionis, sine Episcopi Diœcesani, vel Parochi proprii licentia ministrarint.

§. II. *Quando Sacerdos simplex possit inungere.*

Quod si proprius Parochus absit, vel non possit, aut hoc Sacramentum periculose ægrotanti ministrare nolit, neque etiam ad Nos, nostrumve in Spiritualibus Vicarium, aut saltem Archi-Diaconum ob loci distantiam, aut aliud impedimentum pro petenda licentia facilis detur accessus, tunc quivis alius idoneus authoritate nostra approbatus Sacerdos, non excommunicatus, neque suspensus licite ministrat; cum Sacramentum hoc animæ in extrema lucta perquam utile, firmissimumque contra dœmonis infestationes sit præsidium. (z) Sacerdos si per errorem in Extrema Unctione infirmum unxerit sacro Chrismate, vel Catechumenorum Oleo, postquam errorem adverterit, Olei sacri, quod proprium infirmorum est, Unctionem adhibeat, forma repetita, cum ex defectu materiæ Sacramentum fuerit invalidum.

§. III. *Sacerdoti longius eunti, quid faciendum.*

Quod si propter peragendum longius iter effusio timeatur, vas sancti Olei sacculo honesto, aut bursæ violacei coloris inclusum Sacerdos e collo suspendat, ut omne periculum evitetur.

§. IV. *Sacramentum Eucharistiæ & Unctionis simul ad infirmum deferendum.*

Si infirmo post peccatorum suorum confessionem mors imminere videatur, tunc cum sacro Viatico Oleum infirmorum ad eum per ipsum Sacerdotem una cum sacra Eucharistia deferri poterit, nisi alius Presbyter vel Diaconus, qui Oleum sanctum deferat, haberi possit, qui superpelliceo indutus cum Oleo sacro occulte delato sequatur Sacerdotem Viaticum portantem, ut postquam infirmus Viaticum sumpserit, a Sacerdote inungatur.

CAPUT III.

§. I. *Pueri an hujus Sacramenti capaces.*

Cum solus baptizatus ratione utens hujus Sacramenti sit capax; idcirco pueris, aut amentibus, qui ab ipso ortu nunquam mentis fuerunt compotes, non est Extrema Unctio ministranda, cum fructus hujus Sacramenti non sint capaces.

§. II. *Qui modo violento perimuntur, non sunt inungendi.*

Sacramentum hoc iis conferri non potest, quibus extrinsecus gladio, suspendio, submersione, aut alias vi, mors est inferenda, quia non dicuntur infirmi; vulneratis tamen lethaliter, cum infirmis accenseantur, dari debet.

§. III. *Ultronee Pastor infirmum accedat.*

Si Pastor quempiam ex suis infirmum esse resciverit, de quo veretur, ne forte negligentia, aut malitia domesticorum aut propinquorum Sacramentis non munitus moriatur, adibit ædes infirmi etiam non vocatus, eumque de Sacramentis suscipiendis & cura salutis suæ monebit. Quod si per occupationes non liceat Pastori adesse morituro, submittat ipse, aut moneat infirmum, aut alium Sacerdotem, vel Religiosum advocari curet, qui morti propinquum in lucta contra serpentem saluti insidiantem animet & consoletur.

§. IV. *Timor suscepto hoc Sacramento citius moriendi improbatur.*

Pastores, & Vice-Pastores graviter quoque reprehendant parum Christianum quorundam timorem, quo sibi persuadent, si inungantur, eo se citius morituros, susceptoque hoc Sacramento Testamentum condi non posse.

§. V. *Contemptor hujus Sacramenti Ecclesiastica privetur sepultura.*

Quod si quis hoc Sacramentum contempserit, vel in extremis constitutus compos mentis, impendi sibi noluerit,

(z) Trid. loc. cit.

luerit, juxta Conſtitutionem Concilii Provincialis ſub Deceſſore noſtro ADOLPHO III. Archi-Epiſcopo habiti, (a) Eccleſiaſtica careat ſepultura.

§. VI. *Poſt ſuſceptam ſacram Unctionem infirmo petenti rurſus Sacramentum Euchariſtiæ & Pœnitentiæ eſt adminiſtrandum.*

Conſuetudo quidem ubique ferme obtinet, ut Sacramentum Extremæ Unctionis, ultimo loco inter Sacramenta, morituro conferatur, quia eſt Sacramentum exeuntium: (b) nihilominus poſt acceptam Extremam Unctionem, ſi infirmus aliquanto tempore vivat, & Viaticum iterum petat, ei adminiſtrari debebit, ac quoties voluerit, a peccatis abſolvi. Item quibus ob inſaniam, furorem, gravem caſum, vel alium morbum uſu ſenſuum deſtitutis Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ adminiſtrari nequeunt, Extrema tamen Unctio poteſt, quamvis antequam inſanirent, aut loquelam amitterent, non petierint, dummodo alias bonæ vitæ fuerint.

§. VII. *In novo mortis periculo denuo quis poteſt inungi.*

Admoneatur etiam populus, Extremam Unctionem toties utiliter iterari poſſe, quoties quis in gravem & periculoſum morbum relabitur, præmiſſa tamen ſemper Sacramentali Confeſſione & Communione, ſi fieri queat; non tamen in eadem ægritudine cum eodem mortis periculo, etiam ad plures menſes permanente, niſi jam ſemel inunctus melius habere cœperit, & Medicorum judicio extra probabile ſeu propinquum mortis periculum fuerit conſtitutus.

TITULUS X.
De Sacramento Ordinis. (c)

TITULUS XI.
De Sacramento Matrimonii. (d)

TITULUS XII.
De Eccleſiis, Altaribus & Cœmeteriis.

CAPUT I.

§. I. *Eccleſiæ Divino cultui dicatæ.*

CUm Eccleſiæ Divino cultui dicatæ proprie ſint Sacramentorum locus, merito de illis nunc agendum, eaque ordinanda ſunt, quæ a ſacris Canonibus, Concilio Tridentino & Majoribus noſtris accepimus, ut per eorum obſervantiam profana quælibet & indecentia ab omnibus Civitatis & Diæceſis noſtræ Eccleſiis procul arceantur.

§. II. *In ſolis Eccleſiis extra neceſſitatem celebrandum.*

Eccleſiæ autem nomine hic vulgariter ſumpto, intelligitur ædificium Divino cultui exercendo, ac præcipue Sacrificio Miſſæ Apoſtolica vel Epiſcopali authoritate deputatum; ſi Eccleſia ſit diruta aut combuſta, eo caſu donec inſtauretur, in Capellis; ſimiliter in magno populi conventu, quem Eccleſia non capit, item in bello pro exercitu, in longa peregrinatione per loca infidelium, ſub dio vel in loco aliquo decente, (e) ſuper viatico tamen, ut vocant, altari lapideo & conſecrato, Apoſtolica vel noſtra licentia interdum ſacrificare permittitur.

§. III. *In Oratoriis privatis an liceat celebrare?*

Etiamſi cuilibet domi ſuæ liceat habere privatum Oratorium, in eo tamen celebrari non debet, niſi ſit ad Divinum tantummodo cultum dedicatum, & authoritate noſtra deſignatum: (f) in Oratoriis intra privatos parietes conſtitutis absque Summi Pontificis, noſtrove conſenſu celebrantes debite punientur.

§. IV. *Absque Diœceſani licentia non licet ædificare Eccleſiam.*

Nemini porro in locis ordinariæ noſtræ jurisdictioni ſubjectis, (g) absque

(a) Pag. 456. col. 1. (b) Trid. cit. c. 3. (c) *Videatur h. Tom. a pag.* 752.
(d) *Vid. h. Tom. a pag.* 767. (e) C. Sicut. c. Concedimus. de Conſecr. diſt. 1.
(f) Trid. Seſſ. 22. in Decret. de obſ. in celeb. Miſſæ. (g) C. Nemo. de Conſ. diſt. 1. c. Cum ſicut. de conſecr. Eccleſ.

que consensu nostro, nostrive Vicarii in Pontificalibus Ecclesiam novam construere, neque aliter, quam constituta dote pro luminaribus & Ministris Ecclesiæ, atque oneribus aliis persolvendis, conceditur: si absque consensu nostro, seu nostri Vicarii quispiam Ecclesiam construxerit, nec alteri noceat, destrui quidem non debet, sed ædificans jure patronatus non gaudebit. Ecclesiam ædificari curans pro constituenda dote recte convenitur: Episcopus pariter Ecclesiam non dotatam consecrans ad dotem tenetur.

§. V. *Ecclesia cum præjudicio Parochialis non facile ædificanda.*

Cavendum similiter, (b) ne nova Ecclesia etiam Parochialis, in præjudicium antiquæ ædificetur, nisi justa causa subsit, veluti si numerus Parochianorum ita creverit, ut una Parochialis omnes non capiat, vel nimia sit distantia Parochianorum sine magno incommodo & difficultate antiquam Ecclesiam Parochialem adire non valentium, aut si tam frequens sit populus, ut unus Pastor non sufficiat; tunc enim authoritate nostra nova Ecclesia, etiam invito antiquæ Ecclesiæ Rectore extrui, quin & portio competens ex reditibus & proventibus Ecclesiæ antiquæ sine præjudicio possidentis, relicta tamen ejusdem Rectori debita competentia, alioque modo eam dotandi deficiente, novæ nostro arbitrio potest assignari: imo necessitate exigente, populus ad subministrandum novo Parocho honestam vitæ sustentationem compelli potest. Illo tamen casu antiquæ Ecclesiæ jus hoc accrescit in novam, ut hujus dicatur matrix, eique a nova honos exhibendus sit; pars vero populi, quæ novæ Ecclesiæ subjicitur, a subjectione prioris absolvitur.

§. VI. *Leprosi propriam possunt habere Ecclesiam.*

Leprosi propriam Ecclesiam (i) seu Capellam cum cœmeterio & Presbytero, sine præjudicio tamen antiquarum Parochiarum habeant.

CAPUT II.

§. I. *Ecclesia ab Episcopo dedicetur.*

Ecclesia extructa quantocius a Nobis, seu Vicario nostro in Pontificalibus, vel alio Episcopo ex commissione nostra consecretur, (k) Altaria similiter in Ecclesia constituta, quæ lapidea, fixa, & stabilia esse debent, sive plura, sive unum, sive eodem die & simul cum Ecclesia, sive diversis diebus & seorsim possunt, ac debent dedicari; consecrata enim Ecclesia, hoc ipso Altaria consecrata non censentur.

§. II. *Quo die Ecclesia dedicanda, & dedicationis anniversarium servandum.*

Quolibet die sive Dominico, aut Festo, sive feriali, Ecclesia vel Altare potest consecrari. (l) Dedicatio porro Ecclesiæ quotannis solemniter est recolenda, nisi Episcopus justa de causa, dum consecrat, alium diem anniversariæ dedicationis constituat.

§. III. *Ecclesia vel Altaria quando reconsecranda.*

Ecclesiæ vel Altaris consecratio non repetitur, (m) licet Ecclesia illæsis saltem parietibus magna ex parte corrueret. Quod si dubitetur, an Ecclesia vel Altaria consecrata sint; nec desuper scripturæ appareant, vel testes existant, consecrari debent.

CAPUT III.

§. I. *Altare aliud fixum, aliud mobile.*

Porro Altaria alia sunt mobilia, quæ de loco ad locum portantur, ideo viatica dicta; & fixa seu stabilia, quod ex lapide duro, vel opere lateritio, vel gypso, admixto cœmento constructa alicui loco, seu basi calce similive modo affixa sint. Differunt: nam illa per se consecrantur, hæc vero quatenus basi affixa sunt; ideo consecrationem amittunt, si vel loco moveantur, vel lapis

(b) C. ult. de Eccles. ædific. Trid. Sess. 21. de Reform. cap. 4. (i) C. 2. de lepros.
(k) C. 2. de consecr. Eccles. c. 1. de Relig. domib. (l) C. 2. cit.
(m) C. Ligneis. de consecr. Eccles. c. Solemnitates. c. Eccles. de Consecr. dist. 1.

lapis ſeu menſa conſecrata ab inferiori ſtructura ſeu ſtipite removeatur, (n) quia conſecratio afficit conjunctionem ſuperioris menſæ ſeu aræ, & inferioris ſtipitis. Viaticum altare non execratur a ligno, cui incluſum eſt, ſeparatum, niſi in ipſo ligno ſigillum, ſeu loculus ſacrarum Reliquiarum includeretur.

§. II. *Conſecrationem amittit per notabilem fractionem.*

Tam portatile, quam fixum altare amittit conſecrationem notabili fractione, qualis eſt, ſi in nulla Altaris parte calix cum patena poſſit conſiſtere. Ad retinendam conſecrationem ſufficit, ſi patenam capiat. In aliis licet quid fractum & ipſis etiam cornibus, in quibus unctio, fit, additum aut detractum ſit, non amittitur conſecratio, niſi media menſa fracta eſſet, qua parte calix & patena collocatur.

§. III. *Reliquiæ Altaribus includendæ.*

Juxta Pontificalis præſcriptum, in Altari quolibet ſit loculus, qui ſacras contineat Reliquias, & ſigillum; proinde ab omnibus Eccleſiarum Prælatis, Superioribus & Rectoribus providendum, ut (remotis aliis cujuscunque dignitatis & conditionis perſonarum corporibus, ſi quæ ſub Altaribus ſepulta ſunt) antiqua conſuetudo in omnibus altaribus ſacras recondendi Reliquias perſeveret: id enim in introitu Miſſæ ſignificatur per verba: *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquiæ hic ſunt, &c.*

§. IV. *In Eccleſiis pollutis non eſt celebrandum.*

Innovando Decretum Synodi Diœceſanæ ſub Deceſſore noſtro HENRICO habitæ, (o) graviſſime interdicimus, ne quiſpiam in ullis Eccleſiis, Capellis ſeu Sacellis pollutis & profanatis, Sanctiſſimum Miſſæ Sacrificium ante eorum reconciliationem offerat; ne vero Eccleſiæ, Sacella vel cœmeteria ejusmodi diutius maneant polluta, injungimus omnibus Eccleſiarum Superioribus, Paſtoribus, Vice-Paſtoribus, Cuſtodibus, Æditui, & aliis quibuscunque de violatione & profanatione notitiam habentibus, ut eandem Nobis, noſtrove Suffraganeo ſignificent.

CAPUT IV.

§. I. *Altaria portatilia ex neceſſitate permiſſa.*

Altarium portatilium uſum luctuoſiſſima præteritorum motuum tempeſtate ad populi commoditatem aliquando permiſimus, ſed ne, quod gravi tunc urgente, nunc per DEI clementiam ceſſante cauſa, indultum fuit, in corruptelam degeneret, (p) præcipimus, ut, ſicubi altaria ſint violata, vel profanata, ea comprimum fieri poterit, inſtaurentur; & ſacris uſibus Pontificali conſecratione reſtituantur, altarium mobilium uſu penitus interdicto.

§. II. *Quantæ debeant eſſe capacitatis.*

Quod ſi deinceps ex gravi cauſa portatilium altarium uſus erit permittendus, ea debent eſſe tantæ magnitudinis, ut hoſtiam & calicem commode contineant. Attendant vero ſinguli Sacerdotes, quibus in altaribus conſecrent, ne dum in lapideis conſecrare exiſtimant, in appoſitis lapidi altaris aſſeribus ſacrificent; ideo remota mappa lapidem prius inſpiciant, ut norint, quo loco calix & patena ſit collocanda; vetant enim ſacri Canones, (q) Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini noſtri JESU CHRISTI in alio, quam lapideo altari confici.

§. III. *Altaria ubique obſtruantur, & bene muniantur.*

Cum altaria ſint menſæ Sacrificii Dominici & Sanctorum Martyrum ſepulchra, maxima eis debetur mundities ac reverentia; quocirca oportet eadem undequaque taliter eſſe firmata, ne eſculentorum, & poculentorum, ac ne veſtium quidem ſacrarum armaria ſint, neque cerei, vaſa, ornamenta & ſupellex ſacra ibi recludantur; proinde

(n) C. Si motum. de Conſecr. diſt. 1. c. Ligneis. c. Quod in dubiis. de conſecr. Eccl.
(o) Pag. 102. col. 2. n. 12. (p) Stat. Hermanni IV. Archiep. Colon. pag. 275. col. 1. in princ. (q) C. Altaria. 1. de Conſecr. diſt. 1.

inde severe præcipimus, ut in quibuscunque Ecclesiis non modo a fronte, sed a posteriori quoque parte, & utroque latere ubique obstruantur, & omni ex parte bene muniantur, ut nullis sordibus pateant.

§. IV. *Altaria serventur munda.*

Ne item canes antipendia seu pallia fœdent, singula cancellis æneis, ferreis aut ligneis cingantur: qui semper clausi teneantur, ut nulli unquam, præterquam Sacerdoti cum Sacrificium Missæ offeret, ejusque Ministris ad altare pateat accessus, adeoque tempore Divini Officii nulli ad Presbyterium admittantur laici; neque altare propius accedant, quam decet, multo minus eidem capite, brachiis, aut alia corporis parte incumbant.

§. V. *A privatis Sacerdotibus paramenta assumantur in Sacristia.*

Observandum diligenter illud Sacræ Rituum Congregationis insertum Romano Missali Decretum: "Paramenta non debent sumi de altari pro celebratione Missarum, cum id tantum competat Episcopis, sive solemniter, sive privatim celebrent; inferioribus vero habentibus usum Pontificalium, non nisi quando in Pontificalibus celebrant." Quamobrem volumus omnino, ut in singulis Ecclesiis Collegiatis, Parochialibus, & aliis quibuscumque (ut primum fieri poterit) Sacristia communis, sicubi nondum est erecta, construatur; quod si angustia loci non patiatur, in eadem Ecclesia locus alius, ab altari semotus, huic usui accommodetur, in quo Sacerdotes omnes sacrificaturi, ac Diaconus & Subdiaconus in Missa ministraturi, sacris se vestibus induant, & inde ad altare procedant.

§. VI. *Ornatus Ecclesiæ.*

Aulæis, floribus, frondibus, aliisque decentibus ornamentis Templi parietes, pulvinaribus sedilia, cum solemniora Festa postulaverint, exornentur, & ad cultum, ornatumque domus Dei, populi pietatem & religionem excitandam conducentia ab Ecclesiarum Custodibus sedulo procurentur; illis autem ornandis peristromata, quæ vanas & turpes historias exhibent, nullatenus adhibeantur.

CAPUT V.

§. I. *In Ecclesiis Parochialibus eleemosynæ colligantur, & Gazophylacium collocetur.*

QUoniam nonnullarum Ecclesiarum Parochialium proventus adeo sunt exiles, ut necessariis expensis non respondeant, juxta antiquam & laudabilem consuetudinem, diebus Dominicis & Festis solemnioribus, collectæ in Ecclesiis eleemosynæ ad istum finem applicentur; Præfecti vero una cum Pastore receptorum curam habeant, de iis tempore præfinito, exactam rationem reddituri. Ad eundem finem in dictis Ecclesiis Parochialibus collocetur Gazophylacium sera duplici clausum, cujus clavium alteram Pastor, Senior ædilis alteram custodiat.

§. II. *Ab Ecclesiis amovenda supellectilia & frumenta.*

Tametsi propter hostiles incursus, repentina incendia, aliosve casus inopinatos supellectilia, resque profanas Ecclesiis inferri non sit illicitum; ut nihilominus Ecclesia, non solum nomine, sed reipsa domus Dei, & orationis censeatur, INNOCENTII III. Pontificis in Concilio Lateranensi Decretum (r) jubemus exacte observari, ut periculo & necessitate cessante rursus efferantur, nec lino, frumento, lana, panno, cibariis, cistis, hastis, ensibus, sclopetis, signis militaribus, aliisque impedimentis Templa, Sacella, Sacraria per annum repleta, ut in quibusdam locis apparet, maneant, multo minus Sacella in equorum aut alia stabula convertantur.

CAPUT VI.

§. I. *Mendici e Templis arceantur.*

ABusus est, quod pauperes tempore Missæ, Concionum, aliorumve Divinorum Officiorum in Ecclesiis stipem colligant, siquidem ipsi oran-

(r) C. fin. de custod. Euchar.

orantium pietatem frequenter interrumpunt.

§. II. *Idque ab hominibus conductis.*

Quapropter ad valvas Ecclesiæ stare jubeantur: certæ vero personæ ab omnibus ubique Superioribus, vel Administratoribus aut Præfectis Ecclesiarum, quæ mendicos arceant ab Ecclesia & expellant, deputentur, stipendio vel honoratio ex bonis mensæ pauperum, seu fabricæ Ecclesiæ eis attributo. Quod PIUS V. Pontifex (s) omnibus & singulis Ecclesiarum Superioribus, Rectoribus, Capitulis & Parochis, ac quibuscunque etiam Regularibus injunxit verbis sequentibus: " Pauperes " quoque mendicantes, seu eleemosynas petentes per Ecclesias tempore " Missarum, prædicationum, aliorumque Divinorum Officiorum ire non " sinant, sed eos ad valvas Ecclesiarum " stare faciant sub pœna duorum aureorum Capitulis infligenda pro qualibet vice, nisi eos ejici curaverint, " & Parochis dimidii aurei; Religiosis " etiam claustralibus sive Regularibus " præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, ut in Ecclesiis suis deputent " aliquem, qui tales ejiciat, & si negligentes fuerint, gravissime ab Ordinario corripiantur; quod si illi parere recusaverint, gravissimas pœnas " incurrent, & pro qualitate personarum etiam corporaliter punientur " arbitrio nostro, sive Superiorum."

CAPUT VII.

§. I. *Cæmeteria muniantur & custodiantur.*

Cœmeteria muris, fossis aut sepibus, de nocte etiam portis claudantur & muniantur, (t) ne contentiosis ac dissolutis hominibus, qui eadem sæpe profanant, nec equis, vaccis, porcis, aliisque bestiis aut feris ad illa pateat ingressus; sed nec vitibus aut oleribus plantandis serviant, neque herbas cœmeteriorum Pastoris, seu Vice-Pastoris animalia depascantur; si animalia ibidem reperta fuerint, detineantur, nec suis possessoribus, nisi floreno Coloniensi pro singulis exsoluto, restituantur. In Ecclesiarum vestibulis vel cœmeteriis a colloquiis, conventionibus, cachinnis, ambulationibus, jurgiis, & id genus insolentiis abstineatur.

§. II. *Non plantandæ in ipsis arbores.*

In cœmeteriis nullæ deinceps arbores fructiferæ vel aliæ plantentur; plantatæ ab Ecclesiis quibusvis ita remotæ sint, ne vel radices dilatatæ parietum fundamentis, vel frondes diffusæ tectis aut fenestris officiant; alioquin excidantur. Vites quoque & hederæ, quæ Ecclesiarum parietibus adhærent, evellantur.

§. III. *Neque transitus, trituratio, aut lignorum strues in iis toleretur.*

Nec sine gravi loci sacri injuria tolerari potest, ut Ecclesiæ & Cœmeteria sint viæ quasi publicæ, per quas res profanæ & onera deferantur; cum nec vas aquæ per Salomonis Templum ferre licuerit, vel ut in iis frumentum, hordeum, ligumina, instrumenta rustica, vel alia supellex profana recondantur: neque ut in Ecclesiarum vestibulis aut cœmeteriis frumenta, quasi in area triturentur, fruges expandantur, strues lignorum fiant, lignave congerantur.

§. IV. *Neque mercatus, ludi, judicia &c.*

Severissime pariter ullis in Ecclesiis seu Cœmeteriis judicia sæcularia haberi, vel forenses denunciationes quarumcunque venditionum, aut rerum venalium deinceps fieri vetamus; ludi vero histrionum, convivia, prandia publica, symposia, tripudia, nuptiæ, Sagittariorum conventus, tympanorum pulsus, ejaculatio Sclopetorum prorsus a cœmeteriis eliminentur.

§. V. *Neque Laicorum ædes.*

Animadvertimus etiam in multis Diœcesis nostræ cœmeteriis habitationes & ædes Laicorum contra sacrorum Canonum prohibitionem & Ecclesiasticam immunitatem erectas, quas posthac in cœmeteriis ædificari nolumus, ædificatas vero dejici, prout & fimeta vaccarum aut porcorum stabula, equilia

(s) Tom. 2. Bullarii Constit. 5.

(t) Statut. Sifridi pag. 45. col. 2.

lia & caulas ex cœmeteriis removeri mandamus.

§. VI. *Offuariorum ſtructuræ.*

Oſſuaria intra cœmeterium muro ſeu pariete, vel ſaltem cancellis undique ſepta, tectoque ac fornice, ſicubi poteſt, operta, conſtituantur; in his mortuorum oſſa educta tumulis ordine ponantur, ne vel a canibus aut porcis rodantur, vel ab hominibus conculcentur.

CAPUT VIII.

§. I. *Altaria abſque Epiſcopi licentia non deſtruantur.*

NUllum Altare conſecratum abſque legitima cauſa & expreſſa Epiſcopi licentia, nec niſi certis precibus ac cæremoniis adhibitis deſtrui debet.

§. II. *Quid faciendum, ſi ab Eccleſia deſtruenda transferantur Reliquiæ.*

Quod ſi Eccleſia aliqua ſeu Capella præhabita a Nobis, vel Suffraganeo noſtro licentia, deſtruenda ſit, ſacræ Reliquiæ, Corporave Sanctorum in ea recondita, aliquot ante ipſius deſtructionem diebus, diligenter recognita, ad aliam Eccleſiam a Nobis, noſtrove Suffraganeo conſtitutam ſolemni ritu transferantur, convocato ad hujusmodi etiam translationem (ſi Corpora ſint, ſeu inſignes Reliquiæ) Clero vicino & populo, ac dein Eccleſiæ ſeu Capellæ altaria, adhibitis precibus & cæremoniis, amoveantur.

§. III. *Amotis altaribus fidelium oſſa deportentur.*

Altaribus amotis oſſa fidelium exhumentur, & collecta ſimul reponantur, antequam exhumationis fiat initium, ante altare majus ſubmiſſe oretur: poſtea Clero & populo concomitante oſſa ad locum deſtinatum cum Pſalmis & precibus pro defunctis efferantur, & ſi tempus permittat, Miſſæ Sacrificium pro iisdem celebretur. Denique Eccleſia ſeu Capella diruatur ab operariis, & in loco Eccleſiæ ſeu Capellæ dirutæ Crux, quæ nunquam amoveatur, erigatur, juxta Concilii Tridentini (u) præſcriptum. Idem fiat in cœmeteriis profanandis.

TITULUS XIII.

De Teſtamentis, & eorum executione.

CAPUT I.

§. I. *Teſtamenti ad mortem dilatio noxia eſt.*

EXperientia docet, quam ſit periculoſum, quantumque detrimenti afferat, teſtamentariam diſpoſitionem ad extremum vitæ terminum differre; quapropter volumus, & injungimus omnibus Civitatis & Diœceſis noſtræ Paſtoribus, Vice-Paſtoribus & Concionatoribus, ut ſubinde auditores ſuos ſerio moneant, ut ultimæ voluntatis tabulas mature condant: atque tempeſtive domui, rebus & bonis ſuis temporalibus conſulant, ne inſtante morte ægri & anxii circa mox relinquenda magnis conficiantur moleſtiis non ſine periculo ſæpe ſalutis æternæ amittendæ.

§. II. *Teſtamentum condentes ſint in ſtatu gratiæ.*

Hortentur ſimiliter, ut teſtamentum ſuum extra gravioris noxæ conſcientiam faciant, totamque diſpoſitionem ad bonum finem dirigant, ne vanitate potius memoriæ poſt mortem relinquendæ, vel quovis alio ſiniſtro ducti affectu, quam DEI & proximorum amore permoti, operis boni merito ſpolientur.

§. III. *Reconciliationis cum adverſariis meminerint.*

Quod ſi teſtamenta condere volentes cum aliquo, vel aliquibus publicas habeant inimicitias, non ſolum animitus ignoſcant, ſed in præſentia aliorum, quod ignoverint, teſtatum faciant, ut cum odore virtutis decedant. Quod ſi alios offenderint, expedit, ut ad veniam petendam amicos deſtinent, & pro modo offenſæ ſatisfaciant, reconciliatioque ſubſequatur. An vero inter præſentes ea ſit conficienda, prudentis judicio æſtimandum relinquitur;

(u) Seſſ. 21. de Reform. cap. 7. in fine.

cum inter præsentes aliqando controversias componi non sit consultum; occultæ inimicitiæ secreto quoque dirimantur.

§. IV. *Christum faciant cohæredem.*

Quamvis Testatores numerosam habuerint prolem, vel consanguineos, meminerint tamen Christum scribere cohæredem, nisi hæreditas forte sit adeo tenuis, ut necessariis hæredibus seu liberis ad sustentationem honestam necessaria videatur, & legatis minuenda non judicetur.

§. V. *Recordentur Orphanorum & pauperum.*

Si Testatoribus nulli fuerint fratres, sorores, aliive cognati indigentes, liberalioribus legatis ad pias causas animarum suarum saluti optime consulent, benefaciendo scilicet pupillis, orphanis, viduis, pauperibus, captivis, peregrinis & ægris, Ecclesiis quoque, earumque Ministris penuria laborantibus. Insuper laudabile erit debitoribus vix solvendo existentibus integrum debitum vel partem ejusdem remittere.

§. VI. *Nec non amicorum.*

Etsi autem Testatores cognatos aut amicos alias locupletes magnis legatis honorare non intendant, conveniens tamen fuerit, eorundem in benevolentiæ signum vel exiguo legato recordari, ne decedentibus invisi aut odio fuisse æstimentur.

§. VII. *Parochiæ aliquid legetur.*

Cum D. Hieronymus verissimam censeat vulgi sententiam, qua dicitur: (x) *Divitem esse aut iniquum, aut iniqui hæredem*: Idcirco quilibet dives Deum timens animæ suæ bene providebit, si aliquam partem substantiæ piis usibus testamento relinquat; imprimis autem ut matricem & parochialem suam Ecclesiam Majorum consuetudine & pietate pro ratione fortunarum suarum pio legato honoret: sicque ignorantiam etiam quæstus iniqui sibi displicere ostendat.

§. VIII. *Confessarii opera pietatis in genere tantum commendent.*

Confessarii, præsertim Religiosi, ut majori spiritus libertate, & fructu animas juvare possint, scriptioni testamentorum non intersint, aut Testatori nominatim suadeant, cui, aut quibus hæreditatem, vel legata relinquat; præsertim vero propriarum Ecclesiarum, Collegiorum aut Conventuum importunum patrocinium non suscipiant; pro consilio requisiti in genere opera pietatis commendent, & electionem Testatori omnino liberam relinquant.

CAPUT II.

§. I. *Ecclesiastici in condendo testamento Ecclesiæ & pauperum memores sint.*

MEminerint Ecclesiastici, quod singulariter lex charitatis exigat, ut Ecclesiæ & pauperibus benefaciant, proinde in suprema voluntate declaranda non propinquitate & sanguinis inclinatione moveantur, sed Ecclesiæ DEI utilitatem, pauperumque sublevamen sibi proponant.

§. II. *Amicis bona Ecclesiastica non relinquant.*

Considerent etiam periculum suum, si mox ad Tribunal Christi rapiendi, deque omnibus usque ad extremum quadrantem rationem reddituri facultates sibi creditas ex patrimonio Christi & bonis Ecclesiasticis provenientes maluerint propinquis & consanguineis, quam Christo & ejus Ecclesiæ, atque pauperibus relinquere.

§. III. *Seminarium Archi-Episcopale habeant commendatum.*

Concilii Tridentini Decretis conformiter Seminarium Clericorum, seu Pastorum, Coloniæ per Decessorem nostrum FERDINANDUM Archi-Episcopum alias fuit institutum, nonnullis annuis redditibus assignatis. Quam piam pro totius nostræ Diœcesis necessitate & utilitate intentionem promovere, Seminariumque congruentibus redditibus ac proventibus dotari cupientes, illud ipsum inter cæteras pias causas,

(x) Epist. 150.

ſas, & ſancta opera omnibus teſtari volentibus commendamus.

§. IV. *Et fabricam Eccleſiæ Metropolitanæ.*

Receptam pariformiter conſuetudinem certum quid relinquendi fabricæ noſtræ Metropolitanæ, tanquam omnium per Diœceſin noſtram matrici Eccleſiæ, Paſtores & Vice-Paſtores auditoribus ſuis notam faciant, Executoresque moneant, ne in legato hoc ſolvendo negligentes ſint.

CAPUT III.

§. I. *Quomodo Eccleſiaſtici teſtamenta ſua condere debeant.*

ARchi-Epiſcopali quidem privilegio Venerabili Clero noſtro in & extra Civitatem noſtram Colonienſem teſtamenta condere, & de redditibus etiam Beneficiorum absque ſolemnitatibus a jure civili requiſitis valide & licite diſponere permittitur; inhærendo tamen Canonicis Sanctionibus, Deceſſorumque noſtrorum Statutis & Ordinationibus, (y) volumus, ut omnes Eccleſiaſtici Civitatis & Diœceſis noſtræ Colonienſis teſtamenta ſua in præſentia Notarii, vel Paſtoris, duorumque ad minus teſtium condant, vel in ſcriptis voluntatem ſuam propria manu ſubſcriptam, ſignatam & occluſam Notario vel Paſtori coram duobus teſtibus exhibeant, & in charta hujusmodi contineri ultimam ſuam voluntatem, declarent; Notarius vero, aut Paſtor in dorſo chartæ hunc actum ſcribat, & ſubſignet: diſpoſitiones aliter factas nullas & invalidas; legata tamen ad pias cauſas propria Teſtatoris manu ſcripta vel ſubſcripta ſine Notario & teſtibus ſubſiſtere declaramus.

§. II. *Teſtamenta per Executores infra triginta & unum dies pro approbatione exhibeantur.*

Ne teſtamenta Eccleſiaſticorum caſusque ab inteſtato diu detineantur & occultentur; interea vero hæreditates expilentur, Executores poſt mortem Eccleſiaſticorum (etiamſi eisdem de ſpeciali gratia taxa Nobis competens (z) remiſſa ſit) teſtamenta infra triginta & unum dies Officiali ac Sigillifero majori exhibeant, approbationem petant, & juramentum de fideliter exequendo præſtent; alioquin præter mulctam decem aureorum per Executores ſolvendam, authoritate Officialis & Sigilliferi majoris Promotores Officii & ſententiarum Notarius elapſo jam definito tempore hæreditates conſignent, & expenſis earundem deſcribant.

§. III. *Sedulo attendatur, ut teſtamentariæ diſpoſitiones adimpleantur.*

Quandoquidem omnium ultimarum voluntatum & piarum diſpoſitionum ſupremi Executores & Tutores ſunt Epiſcopi, (a) per illos vel maxime providendum eſt, ut Teſtatorum ordinationes fideliter executioni demandentur; non raro autem accidat, quod tam Clericorum, quam Laicorum extremæ voluntates & teſtamenta ad pios etiam uſus, legata & relicta doloſis machinationibus varie impediantur, retardentur, aut in alios uſus expendantur; idcirco Officialis & Sigillifer noſter major ſedulo advigilent, accuratamque curam gerant, ut Teſtatorum deſiderio & voluntati plene ſatisfiat, nec ad pios uſus deſtinata in alios impendantur.

§. IV. *Quid ante teſtamentorum approbationem obſervari debeat?*

Sigillifer noſter major teſtamenta, codicillos & diſpoſitiones Eccleſiaſticorum diligenter examinet, & inquirat, an in forma, inſtitutione & legatis ſubſiſtant, quales ſint hæredes & legatarii, an capaces & legitimi, vel in fraudem Fiſci concubinæ ſeu ſpurii directe vel indirecte inſtituti; ſi maturo examine prævio teſtamenta confirmanda duxerit, deſuper Officiali noſtro fidelem relationem faciat, qui absque ulteriori inquiſitione approbationem ſub ſigillo Curiæ & manu Notarii ſententiarum expediri demandet.

§. V.

(y) Statut. Friderici Archiep. Colon. §. de teſtam. Cleric. fol. 200. ejusdem Frider. §. Item quod Clerus ſæcularis. fol. 202. Statut. Hermanni V. fol. 296.

(z) Statut. Hermanni §. Et nihilominus. fol. 297.

(a) Conc. Trid. Seſſ. 22. de Reform. cap. 8.

§. V. *Tempus reddendarum rationum determinatur.*

Executores (*b*) intra triginta & unum dies post obitum defuncti numerandos statum hæreditatis sub quadraginta aureorum Sigillifero nostro majori solvendorum, neque sine expresso nostro mandato remittendorum vel moderandorum pœna, statum hæreditatis sive inventarium legale dicto nostro Sigillifero exhibeant, consuetamque & ab HERMANNO V. Decessore nostro (*c*) constitutam taxam juxta vires inventarii solis funeralibus & debitis liquidis, vel infra mensis spatium liquidandis detractis persolvant, & testamentum infra annum continuum a die mortis computandum exequantur, (*d*) ac de executione per ipsos fideliter gesta legales rationes cum debitis justificationibus exhibeant; de annis vero gratiæ & restantiis post earundem receptionem respondeant; anno elapso Sigillifer noster executionem velut ad Nos ipso jure devolutam suppleat; in grave enim piarum causarum & Creditorum damnum, opprobrium status Ecclesiastici & dispendium salutis animarum vergit, quod Executores legalia inventaria exhibere, rationesque receptorum & expositorum multis sæpe annis reddere negligant.

§. VI. *Executorum infra annum executionem non perficientium pœna.*

Omnes pariter testamentorum Executores, qui intra annum executionem sibi commissam non perfecerunt, infra mensis spatium a publicatione horum nostrorum Decretorum Synodalium coram Officiali aut Sigillifero nostro compareant, (*e*) & computum legalem de rebus & bonis per eos receptis & expositis reddant, alioquin ultra pœnam centum aureorum, quam elapso præfixo termino incurrent, ad excommunicationem contra eosdem procedemus.

§. VII. *Bona Ecclesiasticorum ab intestato decedentium quibus cedant.*

Si Clericus quispiam plane intestatus, vel sufficienti, & legitimo testamento non condito decesserit, (*f*) ejus hæreditas per Notarium sententiarum, in præsentia tamen Promotorum Officii describatur, ex Beneficiis Ecclesiasticis provenientia juxta Ordinationem HERMANNI V. per Sigilliferum nostrum majorem administrentur, solutisque funeralibus & debitis ad usus pios in refrigerium animæ defuncti a Nobis præscribendos applicentur; patrimonialia vero hæredibus ab intestato relinquantur.

§. VIII. *Executorum obligatio.*

Executorum officium quamvis passim appetatur, grave sane est & molestum: tenentur siquidem Executores non solum ultimam Testatorum voluntatem accuratissime temporibus præscriptis exequi; verum etiam in obligationem eorundem succedentes, testamenta, quorum Executores deputati fuere, debitæ executioni proptissime demandare.

§. IX. *Quid Executores circa funeralia & debitorum solutionem observare debeant.*

Justam conquerendi Creditoribus præbent occasionem Executores, dum statum & vires hæreditatis defuncti ignorantes, multos minus necessarios sumptus in funeralia profundunt, & sine Decreto Judicis propriis ducti affectibus, quin etiam proprio lucro moti nonnulla debita persolvunt; unde sæpissime provenit, ut Creditores privilegiati, tenuioris quandoque fortunæ defraudentur; gravissimæ huic corruptelæ, imo manifestæ iniquitati opportunum adhibere remedium cupientes, omnibus & singulis testamentorum Executoribus severissime inhibemus, ne viribus hæreditatis non perspectis, ullis ad honestam sepulturam omnino non necessariis expensis eandem minuant, neque antequam legitimum inventarium confectum fuerit, ex illoque constiterit, quod hæreditas omnibus debitis solvendis sit sufficiens, vel minutissimam etiam summam, in cujusvis quantumvis privilegiatissimi debiti solutionem absque ordinatione Offi-

(*b*) Statuta Hermanni loc. cit. (*c*) Loc. cit. (*d*) Statuta Hermanni IV. fol. 269. pag. 2. §. Cum nil plus. Statuta Adolphi III. fol. 530.
(*e*) Statut. Philippi II. §. De exequend. testam. p. 486. (*f*) Stat. Hermanni V. fol. 297.

Officialis nostri exponant; contravenientes ad restitutionem factarum non necessariarum expensarum & pecuniæ cuicunque Creditori solutæ teneri, & ultra mulctam iisdem pro qualitate transgressionis infligendam opportunis juris remediis volumus compelli.

§. X. *Officiali & Sigillifero approbatio testamentorum committitur.*

Archi-Diaconi, eorundemque Officiales, ac Decani Collegiatarum & Christianitatum examen testamentorum & approbationem sibi non arrogent, neque sub quocunque prætextu ulla jura ab Executoribus vel hæredibus exigant; vices enim nostras in approbandis & examinandis testamentis Officiali & Sigillifero privative committimus.

TITULUS XIV.

De Sepultura & Exequiis.

CAPUT I.

§. I. *Defuncti juxta morem patriæ vestiendi.*

Corpora Christianorum, qui neque in annis innocentiæ decesserunt, neque Clericali militiæ aut sacris Ordinibus adscripti fuere, juxta receptum in hisce regionibus morem veste linea induti, componantur in lectulis aut feretris sive tumbis; aut si illustres fuerint, pro ratione conditionis vestiantur: Infantes autem & pueruli indui poterunt, priusquam in tumba recludantur, veste convenienti, iisque coronæ e floribus vel herbis odoriferis contextæ virginitatis & integritatis indices imponi.

§. II. *Sepultura Ecclesiastica quinam priventur.*

Etsi autem Ecclesiastica Sepultura juxta illud Ecclesiastici (g): *Mortuo non prohibeas gratiam, sciens, quoniam omnes morimur*; nemo videatur privandus: nonnullis tamen juste negatur, ut infidelibus, paganis, Judæis (quibus annumerantur infantes sine Baptismo mortui, nec non catechumeni, quamvis pro iis oret Ecclesia, si credentes decesserint) item hæreticis, etiamsi eorum hæresis primum post mortem publicetur, ipsorumque receptoribus & fautoribus, cæterisque excommunicatis nominatim denunciatis, quorum etiam ossa, si internosci possint, eruenda sunt, & procul a sacris locis abjicienda, ne ea polluant; (h) quibuscum enim non communicamus viventibus, cum iis nec mortuis communicare debemus: & qui tales scienter sepeliunt, ipso jure e cœtu fidelium exturbantur.

§. III. *Usurariis publicis negatur sepultura.*

Insuper Ecclesiastica sepultura negatur usurariis publicis, (i) licet testamento usurarum restitutionem imperarint, nisi actu & reipsa pro facultatum magnitudine, de iis restituendis idoneam cautionem juxta juris dispositionem præstiterint.

§. IV. *In torneamentis mortuis & seipsos necantibus.*

Arcendi sunt etiam a sepultura sacra (k) in equestribus certaminibus, vulgo torneamentis morientes, vel sibi ex proposito & sponte, vel ex desperatione, vel iracundia mortem inferentes, nisi ante mortem signa pœnitentiæ dederint. Secus si casu, ex insania, aut fatuitate seipsos interemerint. Item in duello occumbentes, licet ante mortem signa pœnitentiæ ostenderint.

§. V. *Blasphemis, in duello occisis, &c.*

Præterea Ecclesiastica sepultura (l) negatur blasphemis, impœnitentibus, raptoribus, furibus & latronibus in flagranti crimine, sicut & in duello occisis.

§. VI. *Peccata in anno non confitentibus, Eucharistiam in Paschate non sumentibus.*

Similiter illi, quos publice constat peccata sua semel in anno non expiasse, (m) neque tempore Paschali Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento refectos

(g) Cap. 7. ℣. 37. (h) C. Ecclesiam. de Consecr. dist. 1. c. Sacris. de Sepult. c. 2. de hæret. in 6. c. Consuluisti. de consecr. Eccles. (i) C. 2. de Usur. in 6. (k) Pius V. Constit. 48. (l) Trid. Sess. 25. de Reform. c. 19. (m) C. Omnis. de Pœnit. & Remiss.

fectos esse, vel absque pœnitentiæ signo obiisse, Ecclesiastica sepultura privandi sunt.

§. VII. *Ultimo supplicio affectis.*

Ultimo etiam supplicio damnatis, si absque pœnitentia moriantur, sepultura non conceditur: alioquin sepeliuntur, accedente tamen Principis aut Judicis authoritate, qui subinde in exemplum & terrorem aliorum, cadavera eorum in loco supplicii inhumata remanere jubet.

§. VIII. *Tempore interdicti mortuis.*

Sed & tempore interdicti generalis omnibus in loco interdicto sepultura denegatur, exceptis Clericis servantibus interdictum, qui sine campanarum pulsatione & cessantibus solemnitatibus omnibus possunt in cœmeterio sepeliri; sin jure prohibiti funerentur, Ecclesia vel cœmeterium polluitur, reconciliarique debet, priusquam alii ibi tumulentur, & ossa eorum, si discerni queant, jubentur exhumari: hæc tamen intelligenda sunt de iis, qui absque pœnitentia decesserint, nec in articulo mortis Ecclesiæ fuerint reconciliati: nam si quis, dum in extremis ageret, legitime absolutus fuerit, ei Ecclesiastica sepultura, aliaque Ecclesiæ suffragia minime sunt neganda; pariformiter si Ecclesia vel cœmeterium subjaceat interdicto, nemo inibi sepeliri potest.

§. IX. *Extra duellum occisorum exequiæ non differendæ.*

Extra duellum occisorum exequiæ differendæ non sunt, quousque inter homicidam & defuncti hæredes conventum fuerit, ne animæ eorundem subsidio salutarium suffragiorum tam diu careant.

§. X. *Exequiæ non celebrentur pro iis, quibus sepultura non conceditur.*

Nemo autem pro iis, quorum cadaveribus Ecclesiastica denegata est sepultura, exequias celebret, sub pœna suspensionis, & alias arbitraria.

CAPUT II.

§. I. *Corpora defunctorum quando & quomodo tumulanda.*

NUllum defuncti corpus, præsertim si mors repentina intervenerit, nisi post debitum temporis intervallum (nempe viginti quatuor horarum) terræ mandetur. (*n*) Interim corpus, donec efferatur, de more honeste compositum loco decenti cum lumine collocetur. Crux parva super pectus inter manus defuncti ponatur, aut sicubi Crux desit, manus in modum crucis componantur: interdum aspergatur aqua lustrali, præsentes vero Sacerdotes, vel alii pro defuncto orare meminerint.

§. II. *Vulgares excubiæ abrogantur.*

Minime tolerandus est mos pessimus, qui in nonnullis Civitatis & Diœcesis nostræ locis inolevit, ut cadaver, antequam ad sepulturam deferatur, a vicinis utriusque sexus adolescentulis vespere, ac nocte tota custodiatur; quamvis enim præsentia cadaveris mortalitatis hominem admonere deberet, ea tamen occasione multæ levitates, petulantiæ, lasciviæ, & enormia sæpe flagitia committuntur. Præcipimus proinde Pastoribus, Vice-Pastoribus & Concionatoribus omnibus, ut serio prohibentes tales nocturnas vigilias aut custodias doceant, magis expedire, ad defuncti corpus unam vel alteram piam personam, vel Religiosos vigilare, & preces pro anima defuncti ad Deum fundere, quam sub prætextu harum vigiliarum Divinam Majestatem non raro gravissime offendi.

§. III. *Innocentes ubi tumulandi.*

Parvulorum baptizatorum corpora ob vitæ innocentiam, qua adultos antecellunt, juxta vetustam & laudabilem quarundam Ecclesiarum consuetudinem non in communibus cœmeteriorum & Ecclesiarum tumulis promiscue funerentur, (*o*) sed in Ecclesiis aut illarum cœmeteriis, si commode fieri poterit, specialis & separatus locus designetur, in quo tumulentur. Ordo

(*n*) Ritual. Rom tit. de Exequiis. §. Nullum corpus.

(*o*) Ritual. Rom. loc. cit. & tit. Ordo sepeliendi parvulos.

Ordo porro ſepeliendi parvulos, in Rituali Romano præſcriptus, a Parochis, Vice-Parochis, & aliis Eccleſiaſticis omnibus diligenter & inviolate obſervetur.

§. IV. *Ubi Sacerdotes & Clerici.*

Sepulchra Sacerdotum & Clericorum, cujuscunque Ordinis, a tumulis Laicorum convenit eſſe ſeparata, ac decentiori loco ſita, (*p*) eoque diſcrimine, ut alia pro Sacerdotibus, alia pro inferioris Ordinis Eccleſiæ Miniſtris ſejungantur.

§. V. *Uſitatus ſepulturæ locus ſit cœmeterium benedictum.*

Ubi viget antiqua conſuetudo mortuos in cœmeteriis ſepeliendi, retineatur, & ſicubi exolevit, reſtituatur. (*q*) Quapropter cœmeterium loco honeſto authoritate noſtra ad Chriſtianorum ibidem corpora ſepelienda deſtinato, riteque benedicto, conſtituatur, ut mortuorum cadavera minus ab immundis vexentur ſpiritibus, & defuncti Sanctorum patrociniis, quorum nomini conſecrata eſt Eccleſia, in cujus cœmeterio ſepulti ſunt, commendentur, participesque fiant precum, quæ pro defunctis ibidem funduntur; inſuper defunctorum proximi & amici, quoties cœmeterium tranſeunt, ad orandum pro illis excitentur.

§. VI. *Extra quod fideles non ſepeliantur.*

Quanquam nullus Communionis fidelium particeps extra Eccleſiam aut cœmeterium rite benedictum debeat ſepeliri: (*r*) ſi tamen neceſſitas aliud poſtulet, opera detur, ut, ea ceſſante, quamprimum corpus in locum ſacrum transferatur; interim crux capiti apponatur, ad ſignificandum, illum in Chriſto quieviſſe.

§. VII. *Ubi mortui ſepeliendi ſint, & quid ſit portio Canonica.*

Communiter ſepeliendi ſunt mortui in Eccleſia Parochiali, (*s*) vel ejusdem cœmeterio, in qua receperunt, aut recipere debuerunt Sacramenta, niſi vel elegerint alibi ſepulturam, aut alibi monumentum Majorum extet; liberum enim eſt cuilibet, quietis locum ſibi deligere, quibus caſibus detur *Portio*, ut vocant, *Canonica* Eccleſiæ Parochiali. *Portio* autem *Canonica* quandoque eſt quarta pars bonorum, quæ defunctus reliquerit Eccleſiæ, in qua, vel juxta quam ſepeliri voluit, quandoque tertia, quandoque media, quandoque minor: ideoque in ejus quantitate definienda, loci cujusque ſpectanda eſt conſuetudo, eoque fine Sancta Tridentina Synodus (*t*) decernit, " ut quibusque in locis, jam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali aut Parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolvi, ac poſtea fuerit ex quocunque privilegio, aliis Monaſteriis, Hoſpitalibus, aut quibuscunque locis piis conceſſa, eadem poſthac integro jure & eadem portione, quæ antea ſolebat Cathedrali ſeu Parochiali, eidem Eccleſiæ perſolvatur, non obſtantibus conceſſionibus, gratiis, privilegiis, etiam mari magno nuncupatis, aut aliis quibuscunque." Eccleſiaſtici porro ſæculares, niſi aliter diſpoſuerint, in Eccleſia, in qua fuerunt beneficiati, ſepeliendi ſunt.

§. VIII. *Non baptizati ubi ſepeliendi.*

Etſi pueruli, vel quorumcunque, etiam piiſſimorum hominum liberi, item catechumeni, & quicunque ex hac vita ſine Baptiſmo migrantes, in Eccleſia ſeu quovis alio loco ſacro minime ſepeliantur; eorum corpora tamen more belluarum non ſunt abjicienda, ſed pro ipſis extra Eccleſiam & cœmeterium, vel ſaltem in aliqua cœmeterii parte locus deputandus, in quo ſine ullis precibus ac ſolemnitate a Laico deponantur; nec quisquam ex Clero, etiam vocatus, interſit profanæ ejusmodi ſepulturæ. Abolendus etiam abuſus eſt, quo iſtiusmodi in parentum, alio-

(*p*) Ritual. Rom. tit. de Exequiis. §. Sepulchra Sacerdotum. (*q*) Rit. Rom. loc. cit. §. ult. Viget. (*r*) Rit. Rom. loc. cit. §. Cæterum nemo.
(*s*) C. 4. 8. 10. de Sepult. c. 2. eod. in 6. Clem. Dudum eod. Trid. Seſſ. 25. de Reform. c. 10.
(*t*) Loc. cit.

aliorumve privatorum hortis vel domibus terræ mandantur.

§. IX. *Vespillones quid observare debeant.*

Qui humum sepeliendo in Ecclesia cadaveri egerit, caveat, ne Sacerdotibus, aut oranti populo, fabulis, clamore, vel tumultu molestus sit: sed ante lucem, vel prandii, aut cœnæ tempore, finitisve vespertinis precibus sepulchrum aperiat, nec sepultorum exuvias, quas fodiendo offendit, minus religiose tractet, neve loculos integros stimulante avaritia comminuat, tabularumque vendendarum, aut comburendarum causa cadaver excutiat.

§. X. *Sepulchrorum dispositio.*

Sepulchra aliquantulum remota sint ab Ecclesia, præsertim pro eorum cadaveribus, qui peste moriuntur, ne sepulta cadavera aërem corrumpant, aut gravem per Templa, aut cœmeteria diffundant odorem; liberaque sint a bestiis & canibus; vespillones & fossores sepulchrorum illa ut minimum sex pedes profunda fodiant, ita ut saltem duos vel tres pedes supra defuncti loculum terra congeri possit. Et in Templis quidem lapidibus, in cœmeterio autem vetustissimo Christianorum more, cruce ferrea, lapidea, aut saltem lignea, cum defuncti nominis, cognominis, tituli, diei, mensis & anni, obitus inscriptione, velut monumento sepulchra muniantur. Quibus in Ecclesia conceditur sepultura, illorum tumulus ultra terram non elevetur, remotiorque sit ab Altari, nullatenus vero sub eodem, ejusve gradibus quispiam funeretur.

§. XI. *Qua hora sepeliendi defuncti.*

Nullus, nisi contagioso morbo defunctus, nocturno tempore, vel horis aliquot post occasum, aut ante ortum Solis sine expressa Superiorum licentia sepeliatur, sed corpus defuncti in Ecclesiam ante meridiem efferatur, & Missa celebretur, antequam sepulturæ tradatur, ac dein precum & aliarum cæremoniarum solemnitas adhibeatur. Quod si illius deportatio ultra undecimam producatur, Pastores & Clericos funus comitaturos sine ullo respectu personarum ad Ecclesiam properare & Divinum Officium inchoare sub pœna arbitraria volumus, ut tandem tot annorum corruptela sepulturas tam tarde instituendi abrogetur.

§. XII. *Cerei funeribus adhibendi, & pauperes gratis sepeliendi.*

Antiquissimus ritus Ecclesiasticus cereos accensos in exequiis & funeribus deferendi observetur, (*u*) pauperes vero gratis omnino sepeliantur, necessariaque luminaria in eorundem sepultura suis impensis Pastores, Vice-Pastores, aliive Sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, suppeditent, vel piæ Sodalitates, ubi reperiuntur, juxta loci consuetudinem subministrent.

CAPUT III.

§. I. *Cæremoniæ probatæ in sepulturis serventur.*

SAcros ritus & cæremonias, quas ex antiquissima traditione, atque summorum Pontificum institutis sancta Mater Ecclesia in filiorum suorum sepulturis & exequiis adhibere consuevit, tanquam veræ Religionis Mysteria, Christianæque pietatis signa, ac fidelium mortuorum saluberrima suffragia, Parochi omnes & Vice-Parochi summo studio servent.

§. II. *Innocentes Ecclesiæ precibus non indigent.*

Parvuli, qui post Baptismum ante usum rationis decedunt, oratione Ecclesiæ non indigent; occasione tamen sepulturæ parvulorum, qui in albis ad Dominum rapiuntur, oretur pro defunctis precibus Ecclesiæ indigentibus.

§. III. *Ritus celebrandi exequias pro adultis.*

Cum vero exequiæ pro adultis celebrantur, Officium defunctorum juxta præscriptum Ritualis ac Missalis Romani integrum semper paramentis nigris peragatur.

§. IV. *Dominicis & Festivis diebus Missa primaria non sit funebris.*

Si quis ob urgentem necessitatem Dominico seu Festo die sit sepeliendus,

(*u*) Ritual. Rom. tit. de Exequiis.

dus, (x) Missa propria pro defunctis celebrari poterit, dummodo ipsius Dominicæ diei seu Festi Missa Conventualis seu principalis, & Officia Divina non impediantur; nunquam enim primaria seu Conventualis Missa diebus Dominicis aut fori Festivis debet esse funebris, aut pro defunctis, sed proprio diei Dominici vel Festi Officio conformis; proindeque tunc duæ Missæ, una pro defunctis, altera de Dominico vel Festo die dicantur.

§. V. *Justa funebria ultra sex septimanas non differantur.*

Justa funebria, ultra sex septimanas a die obitus, nisi gravibus de causis per Nos, aut Superiores approbandis, non differantur, quibus elapsis si hæredes aut consanguinei defuncti a Pastore, seu Vice-Pastore præmoniti & requisiti, illa persolvi non curent, hæc negligentia Fiscalibus denuntietur. Hortentur etiam serio Pastores & Vice-Pastores Parochianos suos, ne convivia exequiarum, vel anniversariarum memoriarum in multas horas protrahant, nimioque potu exorbitent.

§. VI. *Quando ad feretrum servandæ cæremoniæ.*

Quod si die sepulturæ parentetur quidem, sed ob contagii metum, corruptionis periculum, aut fœtoris horrorem, corpus in Ecclesiam non deferatur, tunc corpore sepulturæ tradito, in medio Ecclesiæ feretrum, in funeris repræsentationem erigatur, circa quod exequiarum cæremoniæ servabuntur.

§. VII. *Sermones, quibus defuncti laudentur, non habendi, bene tamen breves conciones adhortatoriæ.*

In exequiis aut sepultura sermone funebri defunctos sine nostro, aut Superiorum præscitu deprædicare prohibemus; permittimus tamen & probamus breves adhortationes, quæ totæ ad humanam miseriam fidelium oculis proponendam, peccatorum fugam, assiduamque vigilantiam inculcandam dirigentur.

CAPUT IV.

Jura funeralia a quibus determinanda.

Tametsi jura funeralia per totam Diœcesin nostram nequeant esse uniformia; multis enim in locis sunt magna pars congruæ portionis Pastorum seu Vice-Pastorum; in quibusdam vero Pastoribus seu Vice-Pastoribus aliunde de honesta competentia provisum est; curent tamen in proximis Ecclesiarum Parochialium visitationibus Archi-Diaconi, Decani Rurales, ut in singulis Parochiis, prævia cum Pastore seu Vice-Pastore ac Magistratu, Ædilibus atque Provisoribus mensæ pauperum cujusque loci communicatione, jura tam funeralia, quam alia pastoralia determinentur.

CAPUT V.

§. I. *Semel rite sepultorum, etiam Sanctorum corpora sine Episcopi licentia non transferantur.*

Quorumcunque mortuorum corpora sub dio jacentia quantocius humentur; (y) nullius vero defuncti corpus sepulturæ semel traditum sine expressa nostra, aut Superiorum licentia exhumetur, vel ad alium locum transferatur, multo minus Sanctorum corpora, cum ea non possint sine licentia Summi Pontificis vel Episcopi Diœcesani adhibitis precibus, ritibus & cæremoniis in Rituali Romano præscriptis, erui vel transferri.

§. II. *Quid faciendum in casu dubio.*

Corpora seu ossa mortuorum, dum fundamentum novi ædificii foditur, vel alias loco profano reperta, si post debitam inquisitionem dubium maneat, num Gentilium vel Christianorum fuerint, in ignem aut alium sordidum locum non abjiciantur; sed eodem seu alio profano loco rursus inhumentur. Reliquiis autem loco sacro recens inventis, de quibus non constat, utrum sint veræ alicujus Sancti, ab earum quidem veneratione etiam privata omnino abstineatur, neque aliis Sanctorum Reliquiis propter periculum superstitionis permisceantur; loco tamen decenti asserventur.

(x) Ritual. Rom. tit. de Exequiis. Concil. Provinc. Colon. pag. 382. cap. 28.
(y) Rit. Rom. tit. de Exeq. & tit. de translat. Reliq.

STATUTORUM SYNODALIUM
DIOECESIS COLONIENSIS
PARS III.
DE STATU PERSONARUM.

TITULUS I.
De vita & honestate Clericorum.

CAPUT I.

§. I. *Clericorum vita aliis sit exemplo.*

NIhil prope optabilius, quam ut Clerici omnes Christi militiæ, Sponsæque ejus Ecclesiæ ministeriis adscripti, ea vitæ probitate, morum honestate & pietate præcellerent, ut non modo pusillos non offenderent; sed cunctis exemplo virtutis præluccerent. Hoc sensu Sacrosancta Tridentina Synodus, (z) " Nihil est, *ait*, quod alios " magis ad pietatem & DEI cultum assidue instruat, quam eorum vita & " exemplum, qui se Divino ministerio " dedicarunt: Cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tanquam in speculum, reliqui omnes oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum præseferant: levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.

§. II. *Præsertim Laicis.*

Huc spectat & illud ejusdem Tridentinæ Synodi: (a) " Cum proprie " Episcoporum munus sit, subditorum " omnium vitia redarguere, hoc illis " præcipue cavendum erit, ne Clerici " præsertim ad animarum curam constituti, criminosi sint, neve inhonestam vitam, ipsis conniventibus ducant. Nam si eos pravis & corruptis moribus esse permittant, quo pacto Laicos de ipsorum vitiis redarguent, qui uno ab eis sermone convinci possent, quod Clericos ipsis patiantur esse deteriores? qua etiam libertate Laicos corripere poterunt Sacerdotes, cum tacite sibi ipsi respondeant, eadem se admisisse, quæ corripiunt? Monebunt propterea Episcopi suos Clericos, in quocunque Ordine fuerint, ut conversatione, sermone, & scientia commisso sibi DEI populo præeant, memores ejus, quod scriptum est: (b) Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum. Et juxta Apostoli vocem: (c) Nemini dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum: sed in omnibus exhibeant se, sicut Ministros DEI; ne illud Prophetæ dictum impleatur in eis: Sacerdotes DEI contaminant Sancta, & reprobant legem.

§. III. *Unde proveniat, quod Clerici non honorentur.*

Et sane quod Sacrorum Ministris debitus non tribuatur honos, non nisi vitæ nimis dissolutæ & depravatis Clericorum moribus est imputandum; quos ut pro debito Pastoralis Officii ad Ecclesiæ primitivæ integritatem & laudabilem normam, quantum cum Domino possumus, reducamus, sancte a Majoribus statuta diligenter recolenda & serio inculcanda duximus.

CAPUT

(z) Sess. 22. de Reform. c. 1. (a) Sess. 14. de Reform. in Procem.
(b) Levit. 11. ℣. 25. 1. Pet. 1. ℣. 16. (c) 2. Corinth. 6. ℣. 3.

CAPUT II.

§. I. *Clerici Tonſuram & habitum ſtatui congruum geſtent.*

OMnes Clerici, (*d*) potiſſimum qui Eccleſiaſtico funguntur miniſterio, aut Eccleſiæ bonis ſuſtentantur, ut vere Clerici ſint, & peculiari quadam ratione Dominum poſſidere, & a Domino poſſeſſi videantur, terrenis cupiditatibus & voluptatibus non indulgeant. Hujus eos admonet Clericalis Tonſura, Regale decus Chriſti Regis noſtri, noſtræque militiæ inſigne: idcirco omnes & ſinguli Ordini & gradui ſuo convenientem gerant coronam, eamque ſæpius faciant renovari, habitumque honeſtum ſtatui ſuo congruentem geſtent.

§. II. *Veſtis Clericorum ſit coloris nigri ad genua promiſſa.*

Et licet proprius habitus Clericorum antiquo jure nuſquam determinetur, ſpeciatim tamen Clerici omnes veſtibus indecentibus & luxum præſeferentibus, veluti rubeis, aut viridibus manicis, aut verſicoloribus, calcaribus deauratis, & aliis id genus, quæ vanitatem ſpirant, indui prohibentur. *Omne quippe, quod non propter neceſſitatem ſuam, ſed propter venuſtatem accipitur, elationis habet calumniam*, magnus ait Baſilius; & mellifluus Bernardus: (*e*) *forma veſtium, deformitatis mentium & morum indicium eſt; quid ſibi vult, quod Clerici aliud eſſe, aliud videri volunt? nempe habitu milites, quæſtu Clericos, actu neutrum exhibent. Nam neque pugnant ut milites, neque ut Clerici evangelizant. Cujus Ordinis ſunt! cum utriusque eſſe cupiunt, utrumque deſerunt, utrumque confundunt &c. Vereor, iſtos non alibi ordinandos, quam ubi nullus Ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Omnes idcirco Clerici ſæculares Beneficia Eccleſiaſtica poſſidentes, ſeu in Odinibus ſacris conſtituti, veſtibus coloris duntaxat nigri utantur, neque ſine veſte longiore ad genua promiſſa unquam foras prodeant, itinerariæ etiam veſtes decentes ſint, & Clericos a Laicis diſtinguant, Clericalemque modeſtiam præſeferant, & animum prodant omnis vanitatis & ſuperbiæ mundanæ contemptorem.

§. III. *Clerici abſtineant a venatione, armis, officio tabellionis, chirurgia &c.*

Clerici Sacris initiati, aut Beneficiati omnino abſtineant ab omni venatione clamoſa, (*f*) nec canes ad venandum, nec accipitres aut falcones alant; aut armati, niſi ob itinerum pericula incedant, coram Judice ſæculari Advocati, Procuratoris, Notarii ſeu tabellionis Officio non fungantur, nec cauſas præter proprias vel Eccleſiæ ſuæ agant, niſi neceſſitas propinquorum vel miſerabilium perſonarum eorundem patrocinium exigat; artem quoque chirurgicam vel medicam non exerceant, neque profana officia, niſi in caſibus a jure permiſſis; judicio ſanguinis aut executioni ſententiæ capitalis, niſi officii ſpiritualis cauſa non interſint.

§. IV. *Familiam honeſtam alant, & ad hauſtus æquales non provocent.*

Familiam honeſtam alant, non infames, non ſuſpectas, aliave turpi nota laborantes perſonas domi ſuæ detineant. (*g*) Intempeſtiva convivia, longiores accubationes, ad æquales hauſtus provocationes, pomeridiana ſympoſia, & conſortium quorumvis intemperantium, & male moratorum ſtudioſe declinent, conceſſisque ſibi a Deo bonis ſobrie & frugaliter utantur.

§. V. *Tabernas non intrent.*

Cauponas Eccleſiaſtici, maxime vero Beneficia curata obtinentes, (*h*) ſeu tabernas potorias ſub quocunque prætextu, niſi in itinere conſtituti, aut idipſum cura animarum exigat, non ingrediantur, aut frequentent.

§. VI.

(*d*) Clem. Quoniam. de vita & honeſt. Cler. Trid. Seſſ. 14 de Reform. c. 6. Statuta Henrici Archiep. Colon. pag. 72. c. 14. (*e*) Relatus C. Omnis 21. q. 4. S. Bern. l. 3. de conſid. c. 5. (*f*) C. 1. & 2. de Cler. venat. Trid. Seſſ. 24. de Reform. c. 12. ante fin. C. Clerici 2. de vita & honeſt. Cler. c. Nullus 11. q. 1. c. 1. de poſtulando. c. final. eod. c. Sicut accepimus. Ne Clerici vel Monachi. (*g*) Conc. Provinc. Colon. de anno 1536. pag. 354. c. 24. c. A crapula. de vita & honeſt. Cleric.
(*h*) C. Clerici. de vita & honeſt. Cleric.

§. VI. *Convivia frequentantes, quid observare debeant.*

Si quando sacrarum Primitiarum occasione, (*i*) aut alia honesta ex causa Sacerdotes, aliive e Clero convivia instituant, diligentem habeant status vocationisque suæ rationem: sit mensa frugalis & brevis, sanctis ac modestis condita colloquiis, a temulentia & turpitudine verborum, gestuumque quam alienissima, ludicra nulla, nullæ saltationes, choreæ aut aliæ Clericalem statum dedecentes levitates admisceantur; multo minus ipsi Clerici choreas ducant, & saltent, memerintque ejus, quod S. Hieronymus (*k*) de vita Clericorum scripsit: *Facile contemnitur Clericus, qui sæpe vocatus ad prandium non recusat; nunquam petentes, raro accipiamus rogati.*

§. VII. *Tempus superfluum quomodo impendant.*

Pastores & Clerici ad signum loco publico, præsertim Dominicis aut fori Festis diebus non jaculentur, pila palmaria non ludant, aut alio lusu inter vulgus se exerceant; recordentur potius finis & instituti sui, & sciant, se non ad ignaviam, desidiam, aut otium, sed ad salutares Ecclesiasticæ militiæ labores vocatos esse; quapropter tempus, quod Officiis Divinis obeundis, frequentandis Ecclesiis, & corporis necessitatibus non impenditur, vanis & inutilibus miscendis colloquiis & profanis actionibus non terant, sed Divinarum literarum studiis, & cœlestium rerum contemplationibus, frequentique Concilii Tridentini, (*l*) Provincialium Synodaliumque Decretorum lectione, ac sanctis piisque Officiis traducant.

§. VIII. *Sacerdotes non occupent se negotiis sæcularibus.*

Cum Sacerdotum dignitas non parum vilescat, (*m*) quod a Nobilibus aliisve Laicis ad servitia sæcularia se applicari permittant, ideo ipsis sub pœna suspensionis a Divinis prohibemus, ne similibus negotiis servilibus vel officiis sæcularibus vacent, quæ impediunt, quo minus Deo militent, cui se milites probarunt, & addixerunt.

§. IX. *Nec in mercatura.*

Apostoli (*n*) sententia est, *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus: ut ei placeat, cui se probavit.* Quare nullus e Clero ullam mercaturam, negotiationem sæcularem, turpem quæstum aut indignum statui laborem exerceat, (*o*) neque decimas, census, prædia vel agros alienos ob quæstum colendos conducat, vel accipiat. *Quomodo enim*, inquit S. Hieronymus, *Procuratores & Dispensatores domorum alienarum, atque villarum possunt esse Clerici, qui proprias jubentur contemnere facultates?*

§. X. *Jurent in manu Clerici.*

Quod si Clericus coram Judice laico testimonium dicturus sit, vel quodcumque juramentum præstiturus (quod etiam sine nostra, vel alterius Ecclesiastici Superioris licentia ei non licet) in manibus personæ Ecclesiasticæ idipsum præstet.

TITULUS II.

De Clericis Concubinariis.

CAPUT I.

Vetitus Clericis Concubinatus, maxime Prælatis & Parochis.

Cum Divina justitia acrius in delicta Prælatorum & Curatorum animarum, quam subditorum animadvertat, dum ipsi, qui corrigere plebem deberent, pessimo præeunt eidem ad iniquitatem exemplo: ideo Nos serio, ac sub obtestatione Divini judicii monemus omnes & singulos, ut quo sunt in Ecclesia DEI digniore loco & ordine, eo vitam ducant integriorem & puriorem, statumque suum continentia, vitæque innocentia, & morum hone-

(*i*) Statut. Adolphi III. pag. 467. §. Adhæc. (*k*) Epistola ad Nepotian.
(*l*) Sess. 22. de Reform. c. 1. Conc. Prov. sub Hermanno V. pag. 356. c. 32.
(*m*) C. 2. Ne Clerici vel Monachi. (*n*) 2. Tim. 2. ℣. 4.
(*o*) Clem. 1. de vita & honest. Cler. Statut. Conradi Archiep. Colon. pag. 10. c. 2. Henrici Archiep. pag. 71. c. 13.

honestate diligentius exornent: (p) quicunque vero domi concubinas, vel fœminas, earumve filias de lascivia suspectas detinent, vel extra domum fovendo cum talibus consuetudinem habent, eas quamprimum amandent, ut nulla fœdi criminis suspicio remaneat: alioquin sciant, Nos nemini hoc in crimine parcituros; sed deinceps simpliciter & de plano, sine strepitu & figura judicii, sola facti veritate inspecta, ad seriam ac publicam executionem contra concubinarios, scortatores, complices & fœdas lupas, ac focarias ubicunque locorum Diœcesis nostræ, pro gravitate delicti & contumaciæ, modis omnibus, etiam potestate Sedis Apostolicæ Nobis à Concilio Tridentino, (q) quoad exemptos delegata, processuros, ac procedi curaturos, adhibito, quatenus opus fuerit, brachii sæcularis subsidio, appellationibus, exemptionibus ac privilegiis quibuscunque penitus exclusis.

CAPUT II.

§. I. *Pœnæ concubinariorum.*

HAnc rem Concilium Tridentinum (r) accuratius persequens, ea, quæ sequuntur, constituit: " Quam " turpe, ac Clericorum nomine, qui " se Divino cultui addixerunt, sit indig- " num, in impudicitiæ sordibus, im- " mundoque concubinatu versari, sa- " tis res ipsa, communi fidelium om- " nium offensione, summoque Cleri- " calis militiæ dedecore testatur. Ut " igitur ad eam, quam decet continen- " tiam, ac vitæ integritatem Ministri " Ecclesiæ revocentur; populusque " hinc eos magis discat revereri, quo " illos vita honestiores cognovit; pro- " hibet Sancta Synodus quibuscunque " Clericis, ne concubinas, aut alias " mulieres, de quibus possit haberi " suspicio, in domo vel extra detine- " re, aut cum iis ullam consuetudinem " habere audeant, alioquin pœnis a sa- " cris Canonibus, vel Statutis Ecclesia- " rum impositis puniantur. Quod si " a Superioribus moniti ab iis se non " abstinuerint, tertia parte fructuum, " obventionum ac proventuum Bene- " ficiorum suorum quorumcunque & " pensionum ipso facto sint privati, " quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio " loco, arbitrio Episcopi applicetur."

§. II. *Pœna Clericorum concubinas post secundam monitionem non dimittentium.*

" Sin vero in delicto eodem cum " eadem, vel alia fœmina perseveran- " tes, secundæ monitioni adhuc non " paruerint, non tantum fructus om- " nes ac proventus suorum Beneficio- " rum, & pensiones eo ipso amittant, " qui prædictis locis applicentur, sed " etiam a Beneficiorum ipsorum admi- " nistratione, quoad Ordinarius, etiam " uti Sedis Apostolicæ Delegatus, ar- " bitrabitur, suspendantur. "

§. III. *Beneficiis & Officiis spoliandi.*

" Et si ita suspensi, nihilominus " eas non expellant, aut cum eis etiam " versentur, tunc Beneficiis, portio- " nibus, ac officiis & pensionibus qui- " buscunque Ecclesiasticis perpetuo " priventur, atque inhabiles ac indig- " ni quibuscunque honoribus, digni- " tatibus, Beneficiis ac officiis inposte- " rum reddantur, donec post manife- " stam vitæ emendationem ab eorum " Superioribus cum iis ex causa visum " fuerit dispensandum. "

§. IV. *Excommunicandi.*

" Sed si, postquam eas semel di- " miserint, intermissum consortium re- " petere, aut alias hujusmodi scanda- " losas mulieres sibi adjungere ausi fue- " rint, præter prædictas pœnas, excom- " municationis gladio plectantur. "

§. V. *Appellatio non habet hic locum.*

" Nec quævis appellatio, aut ex- " emptio prædictam executionem im- " pediat, aut suspendat. "

§. VI. *Cognitio concubinatus ad quem spectet.*

" Supradictorumque omnium co- " gnitio, non ad Archi-Diaconos, nec Deca-

(p) Conc. Trid. Sess. 24. de Reform. c. 8. Statut. Sifridi Archiep. c. 1. & 2. pag. 35. & 36. Wilhelmi Archiep. c. 1. §. 2. p. 150. (q) Sess. 25. de Refor. c. 14. (r) Loc. cit.

" Decanos, aut alios Inferiores, ſed " ad Epiſcopos ipſos pertineat: qui ſi- " ne ſtrepitu & figura judicii, & ſo- " la facti veritate inſpecta, procede- " re poſſint. "

§. VII. *Pœna Concubinarii non beneficiati.*

" Clerici vero Beneficia Eccleſia- " ſtica, aut penſiones non habentes, " juxta delicti & contumaciæ perſeve- " rantiam & qualitatem ab ipſo Epiſco- " po, carceris pœna, ſuſpenſione ab " Ordine, ac inhabilitate ad Beneficia " obtinenda, aliisve modis juxta ſacros " Canones puniantur. "

§. VIII. *Pœna Epiſcopi ab hoc crimine non abſtinentis.*

" Epiſcopi quoque, quod abſit, " ſi ab hujusmodi crimine non abſti- " nuerint, & a Synodo Provinciali ad- " moniti, ſe non emendaverint, ipſo " facto ſint ſuſpenſi: & ſi perſeverent, " etiam ad Sanctiſſimum Romanum " Pontificem ab eadem Synodo defe- " rantur, qui pro qualitate culpæ " etiam per privationem, ſi opus fue- " rit, in eos animadvertat. "

CAPUT III.

§. I. *Eccleſiaſtici proles ſuas ſpurias domi non alant.*

PRæterea graviſſime interdicimus omnibus ac ſingulis Eccleſiaſticis, ne ſuas proles ex fœdo concubitu ſuſceptas, apud ſe retinere præſumant, nec de patrimonio Crucifixi, Veneris triumphum inſtituant; attendant potius ad ea, quæ CONRADUS Archi-Epiſcopus Colonienſis Deceſſor noſter in ſuo Provinciali Concilio (s) monet; ipſos nimirum, qui patrimonium Chriſti in uſus malos cum ſuis peccando focariis expenderunt, teneri ad ſatisfaciendum Eccleſiæ, cujus bonis nequiter ſuis concupiſcentiis, & peccati illecebris indulgendo ſunt abuſi.

§. II. *Earum ſponſalibus aut nuptiis non interſint.*

Pariformiter ſevere vetamus, (t) ne Clerici, ſi ex illicito concubitu proles habuerint, illarum Baptiſmo, Sponſalibus, Nuptiis, Exequiis, aut ſimilibus actibus publicis interſint, nec in publico facile cum ipſis compareant, aut eas in plateis comitentur.

§. III. *Neque dotent aut hæredes inſtituant.*

Quæ a Summis Pontificibus PIO V. & SIXTO V. (u) nec non Deceſſoribus noſtris CONRADO, SIFRIDO & THEODORICO (x) Archi-Epiſcopis Colonienſibus de non legitimis Clericorum liberis, & horum prolibus ad hæreditates, donationes, & fructus Beneficiorum percipiendos non admittendis, ſalubriter ſancita ſunt, ea in Civitate & Diœceſi noſtra præcipimus obſervari, & ſub gravi pœna arbitraria prohibemus omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis cujuscunque gradus, conditionis & dignitatis ſunt, ne de patrimonio Chriſti, ſeu Canonicatuum, Præbendarum, Beneficiorum, aut Officiorum ſuorum Eccleſiaſticorum fructibus ſuas concubinas, aut proles illegitime natas, earumve liberos dotent, aut ditent teſtamento, vel alio modo, expreſſe, vel ſimulate fructus Beneficiorum, quos ante mortem perceperant, aut *annos gratiæ*, quos vocant, eis relinquant: nec Manufideles aut Executores concubinis vel ſpuriis, vel liberis eorum, fructus Canonicatuum, Præbendarum, Beneficiorum & Officiorum ſuppeditent; quam in rem diligenter advigilent Superiores, ut transgreſſores condigne mulctentur.

§. IV. *Id facientium pœna.*

Eccleſiaſtici teſtandi gratia abutentes, fructusque Beneficiorum aut Officiorum Eccleſiaſticorum, quos ante mortem perceperant, aut *annos gratiæ*, ut vocant, aut poſt mortem eorum hæredibus ab Eccleſia debitos ſpuriis vel concubinis legantes, ex definitione Conciliorum Provincialium ſub CONRADO (y) Cardinale Portuenſi, Legato Apoſtolico, & Deceſſore noſtro HEN-

(s) Pag. 10. circa med. (t) Conc. Prov. ſub Conrado Archiep. Colon. pag. 10. c. 1. Statut. Sifridi pag. 36. c. 2. (u) Pii V. Conſtit. 117. Sixti V. Conſtit. 100.
(x) Statuta Conradi cap. 1. pag. 10. col. 1. Statut. Sifridi cap. 2. pag. 36. Stat. Theodorici cap. 1. pag. 231. (y) Statuta Concilii ſub Conrado Card. pag. 3. & 4. §. 5.

HENRICO (z) Archi-Episcopo Coloniensi celebratorum, excommunicati habeantur, Ecclesiasticaque careant sepultura, atque legatum vel Ecclesiæ, a qua processerat, vel aliis piis locis applicetur.

§. V. *Executorum pœna.*

Qui vero testamenta hujusmodi contra prædictorum Conciliorum Provincialium ordinationem exequi voluerint, aut pro spuriis vel concubinis fructus Canonicatuum, Præbendarum, Beneficiorum aut Officiorum Ecclesiasticorum administraverint, vel administrari fecerint, ipso facto excommunicationem incurrant; quæ pœna ut Executoribus testamentorum innotescat, injungimus Sigillifero majori, ut cum testamenta vel inventaria eidem exhibebuntur, hujusce Constitutionis ipsos admoneat, maxime quando aliqua suspicio, indicium aut transgressionis argumentum apparebit.

CAPUT IV.

§. I. *Spurius an Beneficii capax.*

JUre optimo a sacris Canonibus (a) constitutum fuit, ut a Beneficiis Ecclesiasticis arceantur filii Presbyterorum, aliique non legitime nati; potissimum ex causa in Concilio Tridentino (b) expressa: "Ut paternæ, " *inquit*, incontinentiæ memoria a lo" cis Deo consecratis, quos maxime " puritas, sanctitasque decet, longissi" me arceatur: non liceat filiis Cleri" corum, qui non ex legitimo nati sunt " Matrimonio, in Ecclesiis, ubi eorum " Patres Beneficium aliquod habent, " aut habuerunt, quodcunque etiam " dissimile Beneficium obtinere, nec in " dictis Ecclesiis quoquo modo mini" strare, nec pensiones super fructibus " Beneficiorum, quæ parentes eorum " obtinent, vel alias obtinuerunt, ha" bere. Quod si in præsenti pater & " filius in eadem Ecclesia Beneficia ob" tinere reperiantur, cogatur filius Be" neficium suum resignare, aut cum " alio permutare extra Ecclesiam, intra " trium mensium spatium: alias ipso " jure eo privatus existat, & super iis " quæcunque dispensatio subreptitia " censeatur. Adhæc reciprocæ resig" nationes, si quæ posthac a parenti" bus Clericis in favorem filiorum fient, " ut alter alterius Beneficium conse" quatur, in fraudem hujus Decreti " & Canonicarum Sanctionum factæ " omnino censeantur: nec collationes " secutæ, vigore hujusmodi resignatio" num, seu aliarum quarumcunque, " quæ in fraudem factæ fuerint, ipsis " Clericorum filiis suffragentur."

§. II. *An per Pontificis dispensationem.*

Tametsi ergo filius non legitimus, per dispensationem super natalium vitio seu defectu sibi a Summo Pontifice factam, habilis efficiatur ad quæcunque etiam curata Beneficia Ecclesiastica obtinenda, (c) non tamen in Ecclesia, in qua immediate Pater ejus est, vel fuit Beneficiatus. Indignum enim est paternæ incontinentiæ memoriam fovere in locis & rebus Deo dicatis, quibus maxime competit puritas, sanctitasque. Multo minus ut Patri succedat in Beneficio, cum id nequidem legitimo Clerici filio permittatur, qui licet possit Beneficium in eadem Ecclesia obtinere, in qua Pater ejus habet, vel habuit, aut cui præest, præfuitve, (d) neutiquam tamen permissum, ut Patri in eodem Beneficio proxime succedat, ne, quod maxime Ecclesia detestatur, Beneficia fiant hæreditaria: " Cum in Be" neficiis Ecclesiasticis ea, quæ hære" ditariæ successionis imaginem refe" runt, sacris Constitutionibus odiosa, " & Patrum Decretis, *ait Concilium Tri-* " *dentinum* (e), sint contraria."

§. III. *Pœna negligentium executionem dictorum Decretorum.*

Cæterum, si quæ pro fœdissimi concubinatus seu pellicatus flagitii extirpatione, (f) ex sacrorum Canonum, Oecumenici Concilii Tridentini, Constitutionumque Apostolicarum, ac Conciliorum tam Provincialium, quam Syno-

(z) Statut. Henrici pag. 81. c. 15.
(a) C. Adhæc. c. fin. de fil. Presbyt.
(b) Seff. 25. de Reform. c. 15.
(c) C. 3. 4. 10. 11. 13. 15. 16. 17. 18. de filiis Presbyt.
(d) Juribus cit.
(e) Loc. cit. c. 7.
(f) Locis sup. cit.

Synodalium Coloniensium præscripto, a Nobis decreta sunt, illi ad quos eorum pertinet executio, neglexerint: Nos tam in illos tanquam sceleris participes, & Canonicarum Sanctionum, disciplinæque Ecclesiasticæ violatores, quam in concubinarios seu scortatores ipsos digna punitione animadvertemus, ne nostrorum subditorum neglectæ emendationis, Deo vindice, pœnas persolvamus.

TITULUS III.

De Immunitate & libertate Ecclesiastica.

CAPUT I.

§. I. *Immunitas Ecclesiastica quid & quo jure introducta.*

IMmunitas Ecclesiastica *Divina ordinatione & Canonicis Sanctionibus* inducta, (g) variis postea succedentium Pontificum, & Imperatorum Constitutionibus & Edictis roborata, & clarius expressa fuit; in eo autem potissimum, uti definivit BONIFACIUS Papa VIII. (h) consistit; " ut nimirum Ecclesiæ, " Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum, non solum jure humano, quin " imo & Divino a sæcularium personarum exactionibus sint immunes." Quod idem BONIFACIUS VIII. (i) Concilium Lateranense sub INNOCENTIO III. & Viennense sub CLEMENTE V. (k) explicatius prosequuntur, & Sacra Tridentina Synodus innovavit his verbis: " Decernit itaque " & præcipit, sacros Canones, & Concilia Generalia omnia, nec non alias " Apostolicas sanctiones in favorem " Ecclesiasticarum personarum libertatis Ecclesiasticæ, & contra ejus violatores editas, quæ omnia præsenti " etiam Decreto innovat, exacte ab " omnibus observari debere."

§. II. *Collectas aut alia onera Clericis, eorumque bonis imponentes, excommunicantur in Bulla* Cœnæ.

Quin etiam Romanus Pontifex in Bulla sua quotannis in *Cœna Domini* publicari solita, excommunicat, & anathemati subjicit omnes, qui " Collectas, " decimas, tallias, præstantias, & alia " onera Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum " bonis, illorumque fructibus, reditibus, & proventibus hujusmodi, " absque simili Romani Pontificis speciali & expressa licentia imponunt, & " diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam a sponte " dantibus & concedentibus, recipiunt. " Nec non qui per se vel alios, directe vel indirecte prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium aut favorem " præstare non verentur, cujuscunque " sint præeminentiæ, dignitatis, Ordinis, conditionis aut status, etiamsi " Imperiali, aut Regali præfulgeant " dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones & alii Potentatus quicunque, etiam Regnis, Provinciis, " Civitatibus & terris quoquo modo " Præsidentes, Consiliarii & Senatores, " aut quavis etiam Pontificali dignitate " insigniti. Innovantes Decreta super " his per sacros Canones, tam in Lateranensi novissime celebrato, quam " Conciliis Generalibus edita, etiam " cum censuris & pœnis in eis contentis."

§. III. *Immunitati Ecclesiasticæ nec potest, nec debet ullo modo præjudicari.*

Sed & URBANUS Papa VIII. (l) speciali ea de re edita Constitutione, declaravit, per nullam contrariam consuetudinem, aut Summorum Pontificum tolerantiam, conniventiam, & tacitum consensum, aut Constitutionum Apostolicarum non receptionem, aut non usum, immunitati & libertati Ecclesiasticæ ullatenus posse & debere præjudicari. (m)

§. IV. *Proinde Clericis, eorumque bonis non licet ulla onera laicalia imponere.*

Ex quibus constat, quantis studiis supremi Orbis Antistites immunitatem Eccle-

(g) Trid. Seff. 25. de Reform. c. 20. (h) C. Quanquam. de Censibus. in 6.
(i) C. Clericis. de Immunit. Eccles. in 6. (k) C. Non minus. c. Adversus. de Immunit. Eccles. Clem. un. eod. Clem. Præsenti. de Censibus. Conc. Trid. loco cit.
(l) Tom. 4. Bullarii Constit. 62. (m) C. Adversus. c. Quanquam. cit.

Ecclesiasticam jure Divino constitutam, voluerint illæsam; unde & merito perspicere lubeat quibuscunque Principibus sæcularibus, ac quarumcunque Civitatum & locorum Dominis temporalibus, Magistratibus laicis, & Communitatibus, quod cum tributorum & collectarum indictio sit tessera jurisdictionis, & imperii in illos, a quibus illa exiguntur, teste Apostolo (n), *Necessitate*, inquit, *subditi estote*, *non solum propter iram*, *sed etiam propter conscientiam: ideo enim & tributa præstatis.* Ipsis autem nulla omnino in personas Ecclesiasticas competat jurisdictio, nullo etiam pacto, prætextu, præscriptionis aut contrariæ consuetudinis colore, ullas omnino gabellas, tributa, vectigalia, pedagia, collectas, aliaque onera etiam minutissima, quocunque tandem nomine vocentur, quibuscunque Clericorum seu personarum Ecclesiasticarum rebus & bonis, seu immobilibus, veluti terris, agris, vineis, domibus, pratis, nemoribus & possessionibus ejusmodi, seu mobilibus, uti frumento, vino, cerevisiæ, farinæ, annonæ, aliisque victualibus, ac quibuscunque fructibus & obventionibus, tum ex Beneficio, tum patrimonio provenientibus, vel donatione, aut testamento legatis, emptis, & alio quovis titulo acquisitis, citra excommunicationis pœnam ipso facto incurrendam, propria authoritate imponere possint; cum præmissæ Constitutiones Pontificiæ generaliter quævis Ecclesiasticorum bona, seu res proprias undecunque quæsitas complectantur; Bulla etiam die Cœnæ Domini quotannis publicari solita, ad omne in hac materia dubium submovendum, consulto & expresse addiderit, nulla onera Clericis, Prælatis, aliisque Ecclesiasticis personis, ac eorum bonis, fructibus, redditibus & proventibus imponenda, ut non tantum res Ecclesiæ, sed & ipsorum patrimonialia, & quæcunque alia bona comprehenderet; uti & Rota Romana (o) sequentibus verbis definivit: " Bona patrimonialia " Clericorum, etiam laicalia, sint im- " munia ab oneribus laicalibus ob dig- " nitatem personarum, quæ dignitas " personæ influit immunitatem in ipsa " bona: illa enim adhærent personæ " Clerici, nec persona potest dici ple- " ne & perfecte exempta, nisi etiam " illius bona exempta sint. Nec de- " cet, *ut inquit Concilium Lateranense*, (p) " Ecclesiam Dei modo minus liberam " esse tempore Principum Christiano- " rum, quam fuerit tempore Pharao- " nis, qui licet Divinæ legis notitiam " non haberet, tamen omnibus aliis " servituti subjectis, Sacerdotes & pos- " sessiones eorum in pristina libertate " & immunitate dimisit."

§. V. *Immunitatem violantium pœnæ ad eorum hæredes extenduntur.*

Eodem etiam anathemate (q) feriuntur hæredes & successores gabellas Ecclesiasticis, eorumque bonis imponentes, easque continuantes, publicani, seu earundem conductores, ac famuli, qui jussu Dominorum eas exigunt; & insuper omnes & singuli ad restitutionem tenentur; quippe rapinam committentes, dum aliena sine legitima potestate extorquent; nam uti ait S. Augustinus (r): *Cum res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur; non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

§. VI. *Inhiberi nequit Clericis, ut vina & frumenta sua undecunque venientia absque onere laicali non vendant.*

Unde nec per ullos Principes sæculares, (s) Dominos temporales, Magistratus laicos, aut Communitates, citra apertam immunitatis Ecclesiasticæ læsionem, ac prædictarum censurarum incursum, personis Ecclesiasticis inhiberi valet, aut debet, ne vina sua aut frumenta ex patrimonialibus, aut aliis quibuscunque earundem bonis, sive in mensura magna, seu grosso, ut vocant, sive per mensuras minutas & amphoras, libere & absque ullius gabel-

(n) Rom. 13. ℣. 6. (o) In una Albanensi gabellæ die 28. Junii 1630. apud Dian. Part. 5. pag. mihi 514. & 519. (p) C. Non minus. hoc tit. (q) Locis §. 1. cit.
(r) C. Si res 14. q. 6. (s) Stat. Walrami Archiep. Colon. p. 110. c. 3. p. 142. c. 30. Wilhelmi Archiep. p. 151. col. 2. §. 27.

læ onere, etiam in ædibus propriis divendant.

§. VII. *Nec propterea obsequia necessaria ipsis neganda.*

Adhæc singulos Superiores sæculares & Laicos, & causa gabellarum a Clericis, & personis Ecclesiasticis extorquendarum, subditis suis interdicunt, ne iisdem necessaria vel opportuna obsequia exhibeant, coquant, molant, vendant, ab eis emant, vel eorum agros colant &c. cum ejuscemodi in derogationem libertatis Ecclesiasticæ, ut ait BONIFACIUS Papæ VIII. (*t*) præsumantur, excommunicationis sententiæ eo ipso incurrendæ voluit subjacere.

§. VIII. *Statuta sæcularium immunitati Ecclesiasticæ contraria sunt damnata.*

Proinde quævis Statuta a quibuscunque Principibus sæcularibus, (*u*) Dominis temporalibus, Magistratibus & Communitatibus laicis, immunitati Ecclesiasticæ quomodolibet contraria, edita & observari jussa, Pontifices Maximi gravissime sunt detestati, damnarunt, irritarunt, atque in perpetuum proscripserunt, & omni robore carere decreverunt; nec non eorum authoribus, fautoribus, consiliariis, & scriptoribus excommunicationis pœnam inflixerunt. Sic Bulla *Cœnæ* mentem sacrorum Canonum plenius explicans, excommunicat omnes & singulos, qui " Statuta, *inquit* (*x*), vel ordinationes " in genere vel in specie, quovis quæsito colore aut prætextu ordinarint, " vel publicaverint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut quovis " modo restringitur, seu Sedis Apostolicæ, aut quarumcunque Ecclesiarum juribus, quomodolibet directe vel indirecte, tacite vel expresse " præjudicatur."

§. IX. *Talia sunt, quibus vetatur bona sæcularia Clericis & Religiosiis donari, legari, relinqui vel vendi.*

Qualia censentur Statuta prohibentia, (*y*) ne sæcularia bona immobilia donentur, legentur, vel acquirantur Ecclesiis, aut in personas Ecclesiasticas, sive Regulares transferantur, vel saltem nisi cum oneribus tributorum Laicorum, quæ uti libertati & immunitati Ecclesiasticæ omnino contraria, illicita & abroganda Canones decreverunt.

§. X. *Clerici a pontium, viarum, turrium & propugnaculorum reparatione sunt immunes.*

Præterea sacris Canonibus (*z*) cautum est, quod Ecclesiastici, nisi cum maximo eorundem immunitatis & libertatis præjudicio, per nullos etiam Principes sæculares, Dominos temporales, Magistratus & Communitates laicas, obligari queant ad ædificationem aut reparationem pontium, turrium, propugnaculorum, munitionum, aggerum, littorum, mœnium, viarum, operumque publicorum Civitatum & locorum, in quibus degunt: utpote, quæ onera solis Laicis regulariter incumbunt, & regiminis politici utilitatem primario respiciunt.

§. XI. *Etiam in casu necessitatis, sub certis tamen limitationibus.*

Imo & ubi publica, (*a*) ac communis in his vel similibus extruendis vel reparandis, aut ratione belli ingruentis, tam Cleri, quam populi foret utilitas, vel extrema aliqua reipublicæ necessitas, in cujus incolumitate etiam Ecclesiasticorum salus consistat; ne tum quidem Clerici & Ecclesiastici ad ullam subsidiariam contributionem Laicis præstandam adigi possunt, nisi pro primo ad onus sustinendum Laici soli non sufficiant; quandoquidem Clerici & Ecclesiastici debeant duntaxat Laicis contribuere in subsidium, ubi Laicorum non suppetunt facultates, non tantum publicæ ipsorum Principum sæcularium, Dominorum temporalium, Magistratuum & Communitatum, sed etiam privatæ singulorum subditorum Laicorum. *Deinde* ad hujusmodi auxiliares collectas Ecclesiasticis imponendas vocetur, & consentiat Clerus Diœcesa-

(*t*) C. fin. de immunit. Eccles. in 6.
(*u*) C. Noveritis. c. Gravem. de sent. excom.
(*x*) Urbani VIII. Constit. 62. §. 15.
(*y*) C. 1. de immunit. Eccles. in 6.
(*z*) Rota §. 4. cit.
(*a*) C. Non minus. c. Adversus hoc tit.

cesanus, nec sufficeret Episcopus cum Capitulo Cathedrali; quippe quod omnes tangit, ab omnibus peculiariter debet approbari. *Præterea* opus est, (*b*) ut ea de re Papa prius consulatur, & ipso consulto & consentiente & non alias Ecclesiasticis licet contribuere: *Denique* requiritur, quod ad has collectas subsidiarias solvendas, postquam prædictis omnibus concurrentibus indictæ fuerint, Clerici & personæ Ecclesiasticæ, non a Ministris laicis, sed ab Episcopo Diœcesano, uti Superiore Ecclesiastico, constituto etiam proprio Quæstore, nulla adhibita manu laica compellantur.

§. XII. *In casu necessitatis requiritur licentia Pontificis.*

Ea autem Summi Pontificis licentia (*c*) ad tributa etiam minutissima, in Ecclesiasticas personas, earumque bona, ex causis prædictis decernenda adeo est necessaria, ut non solum ullis Superioribus Laicis, Magistratibus & Communitatibus, etiam minima a quibuscunque personis Ecclesiasticis sine Pontificis Maximi scitu & consensu liceat exigere, aut recipere, citra censurarum & pœnarum per Sanctiones Apostolicas inflictarum incursum; sed nec volentibus quoque Clericis & Ecclesiasticis tam sæcularibus, quam quorumcunque Ordinum Regularibus in ullas tallias, collectas, gabellas & tributa Laicis contribuenda consentire, vel contribuere, sine prædicto Romani Pontificis assensu fas sit, in quos merito BONIFACIUS Papa VIII. (*d*) verbis sequentibus invehitur: " Et quod " dolenter referimus, nonnulli Eccle- " siarum Prælati, Ecclesiasticæque per- " sonæ trepidantes, ubi trepidandum " non est, transitoriam pacem quæ- " rentes, plus timentes Majestatem " temporalem offendere, quam æter- " nam, talium (videlicet gabellarum & vectigalium impositorum & exactorum) " abusibus non tam temerarie, " quam improvide acquiescunt: Sedis " Apostolicæ authoritate seu licentia " non obtenta." Unde supradicti Pontifices Maximi (*e*) omnem voluntariam quoque contributionem quibusvis Ecclesiasticis, qua sæcularibus, qua Regularibus, nisi prævio consensu Pontificio, sub gravissimis, ac primum quidem excommunicationis, dein vero aliis pœnis, & æternæ maledictionis interminatione prohibuerunt.

§. XIII. *Qui tamen ultra determinationem, vel ea deficiente, necessitatem extendendus non est.*

Advertant tamen Principes sæculares, Domini temporales, ac Magistratus Laici, quod dum de expressa Summi Pontificis voluntate, ob evidentem reipublicæ necessitatem vel utilitatem, aliqua collecta subsidiaria Ecclesiasticis imponitur, illa non diutius, quam Pontificius assensus præscribit, vel si is non sit determinatus, non longiori tempore, quam eadem necessitas, cui subveniendæ Laicorum media non sufficiunt, durat, persistere debeat; ne concessa facultas in usurpatam transeat, ac bona Ecclesiarum & Clericorum, pauperumque Christi usibus deputata, ut inquit idem BONIFACIUS Papa VIII. (*f*) alio divertantur, & stipendia pro Spiritualibus functionibus constituta, ad mundanas transferantur.

CAPUT II.

§. I. *Clerici in nullo casu ad Tribunal Laicum citari queunt.*

CUm immunitas & libertas a potestate & jurisdictione laica ex personis Ecclesiasticis, uti radice, in ipsarum res & bona defluat, (*g*) easdem primario & principaliter hoc privilegio gaudere necesse est; ex quibus constat, Clericos & Ecclesiasticos in nullis omnino causis, qua Civilibus, qua criminalibus, a Laico quavis etiam potestate prædito, vel Clerico & Ecclesiastico citra

(*b*) C. 29. de Regulis juris in 6. (*c*) C. Adversus. de immun. Eccl. Extrav. Quod olim eod. inter communes. Bulla Cœnæ inter Constit. Urbani Papæ VIII. Const. 62. §. 19. (*d*) C. Clericis. de Immunit. in 6. (*e*) Clem. Quoniam. de Immunit.
(*f*) C. Non minus. hoc tit. (*g*) C. 1. & seqq. 11. q. 1. per tot. c. 8. & 17. de Judic. c. 1. 2. 4. 12. 13. de foro comp. c. Gravem. de excess. Prælat. c. Clericis. de Immunit. in 6. Bulla Cœnæ §. 15.

citra excommunicationis pœnam eo ipso incurrendam ad Tribunal laicum vocari, trahi, vel a Judice sæculari judicari, multo minus ipsos, eorumque bona, jura arrestis, repressaliis, pignorationibus vexari, capi, apprehendi vel incarcerari, aut aliquam iis violentiam inferri posse, soli Judici Ecclesiastico hac potestate relicta; Laicis enim cujuscunque status, ut disertis verbis loquitur INNOCENTIUS Papa III. " Super Ecclesiis & personis " Ecclesiasticis nulla est attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non authoritas imperandi. " Quo spectat aurea JOANNIS Papæ sententia: " Non a legibus publicis, " non a potestatibus seculi, sed a Pon" tificibus omnipotens Deus Christia" næ Religionis Clericos & Sacerdotes " voluit ordinari, & discuti & recipi " de errore remeantes. " Quocirca Summi Pontifices singulis annis in Bulla *Cœnæ* anathemate percellunt omnes & singulos Imperatores, Reges, Principes, & quoscunque sæculares, atque Laicos, eorumque Ministros, Officiatos & Consiliarios, qui " ex eo" rum prætenso officio, vel ad instan" tiam partis, aut aliorum quorum" cunque personas Ecclesiasticas, Ca" pitula, Conventus, Collegia Eccle" siarum quarumcunque, coram se ad " suum Tribunal, audientiam, Can" cellariam, consilium vel Parlamen" tum, præter juris Canonici dispoſi" tionem trahunt, vel trahi faciunt, " vel procurant directe vel indirecte, " quovis quæsito colore. "

§. II. *Causæ Spirituales solis Judicibus Ecclesiasticis reservatæ.*

Causæ vero ad solum Tribunal Ecclesiasticum spectantes, (*b*) censentur imprimis illæ, quæ prorsus sunt Spirituales, veluti, quæ ad DEI cultum, Fidem orthodoxam, Sacrificium, Sacramenta Ecclesiæ, eorumque administrationem & perceptionem ac Spiritualem animæ salutem, & a peccatis curationem, sacrarum Reliquiarum ac rerum venerationem, indulgentiarum, censurarum Ecclesiasticarum vim, validitatem & usum, Officia Divina, Ministrorum Ecclesiæ Ordinationem, Religiosam professionem, & alia ejusmodi quomodolibet pertinent; Ecclesiæ siquidem munus est, Fidei quæstiones decidere, de Religione cognoscere, de sana doctrina decernere, reprobamve damnare, DEI & Sanctorum cultum ordinare, & Ecclesiastica negotia, seclusis Laicis, tractare: eique soli Ecclesiasticæ claves ligandi & solvendi, a Christo sunt creditæ.

§. III. *Item causæ Ecclesiasticæ.*

Huc accedunt, (*i*) quæ de immunitate Ecclesiastica, Ecclesiarum, Oratoriorum & Capellarum ædificatione, restauratione, profanatione, pollutione, reconciliatione, Beneficiis item & Officiis Ecclesiasticis, jure eligendi, conferendi, instituendi, investiendi, institutos approbandi, jure patronatus, Beneficiatorum residentia, habitu, Tonsura, moribus, Ecclesiasticis functionibus & muniis, decimis, necessaria Parochorum, eorumve in animarum cura adjutorum sustentatione, nec non Processionibus, jure sepulturæ Christianæ, exequiis, funeralibus, anniversariis, ac testamentorum & legatorum piorum executione, atque Ecclesiarum, Oratoriorum, Sacellorum, Hospitalium & quorumcunque locorum sacrorum, & personarum Ecclesiasticarum visitatione, correctione, rationibusque facultatum Ecclesiasticarum, fabricæ cujusvis Ecclesiæ, Hospitalium, Confraternitatum, Montium pietatis, & aliorum locorum piorum reddendis controvertuntur.

§. IV. *Item quæstiones Sponsalitiæ, ac Matrimoniales.*

Quæstiones quoque de Sponsaliorum ac Matrimonii contracti valore, (*k*) Judici Ecclesiastico duntaxat determi-

(*b*) C. 11. dist. 96. c. 8. de arbitris. c. Per venerabilem. §. Rationibus qui filii sint legitimi. c. Si inquisitionis. de hæret. in 6. Trid. Sess. 22. de Reform. cap. 8. & alibi.

(*i*) C. Ad Episcopos 17. q. 4. c. 1. de offic. Archid. c. Ad audientiam 1. de Eccles. ædificat. c. Significasti. de adult. c. Authoritate. de Privil. in 6. c. un. de consecr. Eccles. in 6. Trid. Sess. 6. c. 2. & alibi.

(*k*) C. 4. 9. 10. & seqq. de Sponsal. c. Porro. de divortio. Sess. 24. de Matrim. can. 12. & alibi.

terminandas ſacri Canones primum, poſtmodum & Concilium Tridentinum ſub anathemate reſervavere hiſce verbis: " Si quis dixerit, cauſas Matrimoniales non ſpectare ad Judices Eccleſiaſticos, anathema ſit." Idque ad ſolos Epiſcopos Diœceſanos, ut ne quidem ullus Laicus de Matrimonio cognoſcere valeat, ut eſt contractus etiam civilis, factus altioris Ordinis, vel dum de jure aut facto quæritur; ſicuti nec de cauſis divortii, juramentorum vel votorum vinculo, obligatione & obſervantia.

§. V. *Item crimina juri Canonico contraria.*

Singula etiam crimina, quæ tantum Canonico juri adverſantur, (*l*) uti ſunt violatio jejunii, feſtorum & cæterorum præceptorum Eccleſiæ, & generaliter quævis delicta a Clericis & perſonis Eccleſiaſticis perpetrata, ad unicum Tribunal Eccleſiaſticum ſunt referenda, ibique diſcutienda, & punienda.

§. VI. *Laici nullo modo de prædictis cognoſcere poſſunt.*

Quibus omnibus cauſis & aliis hujusmodi cognoſcendis & definiendis, nulli Principes ſæculares, Domini temporales, Magiſtratus & Communitates, vel quicunque Laici ullo prætextu, aut quæſito colore per ſe vel alios directe vel indirecte, niſi cum immunitatis & libertatis Eccleſiaſticæ violatione, atque animarum ſuarum pernicie, ſeſe queunt ingerere; nam ſi vere Catholici eſſe velint, Eccleſiæ filios non Præſules eſſe oportet, quæ rem Eccleſiaſticam ſpectant Epiſcopis, eorumque Vicariis & Miniſtris relinquentes, quæ publicam & politicam ſpectant ſibi retinentes: (*m*) alia enim Deo, alia Cæſari ſunt tribuenda; eaque Eccleſiæ data eſt poteſtas, quæ Chriſti ovibus ipſi commiſſis paſcendis eſt neceſſaria; quomodo *Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam DEI*, non autem Principes, aut quoscunque Sæculares & Laicos, ſed hos ipſos *lex Chriſti Sacerdotali ſubjicit poteſtati*, inquit S. Gregorius Nazianzenus: (*n*) unde a Chriſtiana lege abſcedunt, qui Chriſtianitatem ſeu Eccleſiam cogunt ſuis legibus ancillari.

CAPUT III.

§. I. *Immunitate Eccleſiaſtica quinam gaudeant.*

Etſi vero hoc immunitatis Eccleſiaſticæ beneficium, & fori privilegium (*o*) non ſolum quibuscunque Sacerdotibus ſæcularibus & ſacris Ordinibus initiatis, nec non Regularibus utriusque ſexus perſonis Religionem aliquam approbatam profeſſis, Novitiis etiam & converſis competat, atque etiam ad Clericos ſæculares & in minoribus Ordinibus conſtitutos extendantur; cavit tamen Concilium Tridentinum, (*p*) hos a foro & poteſtate laica minime exemptos fore, niſi Beneficium Eccleſiaſticum habeant, aut Clericalem Tonſuram deferentes, alicui Eccleſiæ de Epiſcopi mandato inſerviant: vel in Seminario, Schola, vel Univerſitate de licentia ipſius Epiſcopi quaſi in via ad majores Ordines verſentur. (*q*) Illi vero, qui conjugati ſunt, requiſita Conſtitutionis BONIFACIANÆ ſervent, & inſuper alicujus Eccleſiæ miniſterio ſimiliter addicantur. Quæ omnia & ſingula a Civitatis & Diœceſis noſtræ Clericis accuratiſſime volumus obſervari, ſi immunitate, libertate & exemptione Eccleſiaſtica frui deſiderent.

§. II. *Immunitati nullus Clericus poteſt renuntiare.*

Tanti porro ea Clericorum & Eccleſiaſticorum a laica jurisdictione & oneribus exemptio eſt momenti, ut eidem neque in civilibus, neque criminalibus actionibus, (*r*) ne juramento quidem, tacite vel expreſſe per pacta aut delicta Clerici & Eccleſiaſtici poſſint

(*l*) C. Inquiſitionis. §. Prohibemus. de hæret. in 6. & tot. tit. de Simon. Trid. Seſſ. 14. de Refor. c. 8. & alibi. (*m*) C. Si Imperator. diſt. 16. (*n*) C. Suſcipitis. diſt. 10.
(*o*) C. De perſona 11. q. 1. c. Generaliter 16. q. 1. c. Clericis. de Immunit. in 6.
(*p*) Seſſ. 23. de Reform. c. 6. (*q*) C. 1. de Cleric. conjug. in 6.
(*r*) C. Si diligenti. c. Significaſti. de foro comp.

ſint renuntiare, vel derogare, & laicum ſibi Judicem conſtituere, ejusque jurisdictionem prorogare, vel ſententiam validam reddere, prout INNOCENTIUS Papa III. (*s*) clariſſimis ſequentibus expreſſit verbis: " Manifeſte patet, quod non ſolum inviti " videlicet Eccleſiaſtici, ſed etiam voluntarii paciſci non poſſunt, ut ſæcularia judicia ſubeant, cum non ſit " Beneficium hoc perſonale, cui renuntiari valeat, ſed potius toti Collegio Eccleſiaſtico ſit publice indultum, cui privatorum pactio derogare non poteſt. Nec juramentum licite ſervari potuit, quod contra Canonica Statuta illicitis pactionibus " informatur.

CAPUT IV.

§. I. *Immunitas localis deſcribitur.*

IMmunitas demum localis Eccleſiis, earumve cœmeteriis conceſſa, in his potiſſimum conſiſtit, ne in ipſis lites agitentur: eſt enim Eccleſia domus Dei, domus orationis, quam decet omnis ſanctitudo & reverentia; (*t*) proinde hinc omnis conclamatio, ſeditio, impetus, univerſitatum ac ſocietatum conſilia, placita, ſeu publica parlamenta arceri debent. (*u*) Similiter ab ipſis Eccleſiis & cœmeteriis abeſſe quæcunque emptiones, venditiones, nundinarum & fori tumultus, judiciorum ſæcularium ſtrepitus, ac præcipue criminalium: *Abſurdum eſt enim & crudele*, ut inquit LUCIUS Papa III. (*x*), *ibi judicium ſanguinis exerceri*, *ubi eſt cautela refugii conſtituta*: ideoque Summi Pontifices (*y*) proceſſus Judicum ſæcularium ibi exercitos, & latas ſententias omni firmitate carere, ipſosque Judices ab Ordinariis Diœceſanis, etiam ſub anathemate compeſcendos ſancivere.

§. II. *Immunitate locali gaudet omnis Eccleſia ab Epiſcopo erecta.*

Hac autem immunitate gaudet omnis Eccleſia (*z*) authoritate Epiſcopi Diœceſani erecta, & Divino cultui deſtinata, ſive conſecrata, ſive non; violata etiam & non reconciliata, ſive in ea Divina peracta fuerint, ſive non; ſive ſit polluta, ſive non, uti & ejusdem cœmeterium.

§. III. *Etiam atria & ejusdem ſepta.*

Quin & ad atria, porticus & ſepta quadraginta paſſuum circum Eccleſiam matricem, triginta vero in Eccleſiis minoribus, eadem immunitas extenditur; (*a*) adeo ut domus Eccleſiæ intra quadraginta vel triginta reſpective paſſus contiguæ, nec non domus Epiſcopalis ubivis ſita, omniaque loca, quæ jure Canonico Religioſa cenſentur, uti & Hoſpitalia Epiſcopi Diœceſani authoritate erecta, privata etiam Oratoria, ac Sacella, ab eodem Epiſcopo Diœceſano approbata, item Religioſorum utriuſque ſexus domicilia, ſeu Monaſteria cum clauſtri ambitu, prædicta immunitate, ex Apoſtolicarum ſanctionum diſpoſitione potiantur.

§. IV. *Eccleſia eſt criminoſorum aſylum.*

Inſuper ſacri Canones, & Leges civiles (*b*) immunitati quibuscunque Eccleſiis, Sacellis, Religioſorum aſceteriis, Monaſteriis, cœmeteriis & locis ſacris attributæ, ob eorum reverentiam tantum voluere deferri, ut etiam reis, criminoſis & facinoroſis ad ea confugentibus aſyli, refugii & tutelæ beneficium donarint, ut ipſos inde extrahere nefas duxerint, paucis duntaxat criminibus ob eorum enormitatem exceptis, prout ſequenti Conſtitutione GREGORIUS Papa XIV. (*c*) expreſſit.

§. V. *Exceptis quibusdam caſibus.*

" Hac itaque noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, omnia & quæcunque privilegia, indulta & gratias, " tam per prædictum SIXTUM ac " PIUM V., quam alios quoscunque " noſtros Prædeceſſores, aut Nosmetipſos,

(*s*) C. Si diligenti. cit. (*t*) Matth. 21. ℣. 13. Pſalm. 92. ℣. 5.
(*u*) C. Cum Eccleſia. de immunit. Eccleſ. c. Decet eod. in 6. Trid. Seſſ. 22. de obſerv. in celeb. Miſſ. §. Ab Eccleſiis. (*x*) C. Cum Eccleſia cit. (*y*) C. Decet cit.
(*z*) C. Cum Eccleſia. c. Eccleſiæ. hoc tit. (*a*) C. 6. 20. 35. 36. cauſ. 17. q. 4. c. Adhæc. de Relig. domib. (*b*) Juribus cit. c. Eos qui. diſt. 87. c. Inter alia hoc tit. & cod. De his, qui ad Eccleſ. fugiunt. (*c*) Conſt. 7. tom. 2. Bullarii.

» ipſos, Sedemque Apoſtolicam, ejusve Legatos, ſuper abducendis, vel extrahendis ab Eccleſiis, Monaſteriis, Sacellis, domibus Regularibus & Sæcularibus, locisve ſacris, aut religioſis, aliasque in caſibus a jure permiſſis, hominibus certorum tunc expreſſorum vel non expreſſorum criminum reis, aut fraudulentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace, & quieta publica, & ex cauſis urgentiſſimis ac neceſſariis & æquipollentibus caſibus in jure expreſſis, atque ex paritate, identitate, aut majoritate rationis extenſis, perpetuo, vel ad certum nondum elapſum tempus, ſeu ad vitam alicujus Principis aut beneplacitum, ſeu alias quomodolibet conceſſa, etiam iteratis aut multiplicatis vicibus approbata & innovata, ac uſu recepta, literasque Apoſtolicas ſub plumbo, aut in forma Brevis, ſeu alias quomodocunque deſuper confectas, quarum tenores hic haberi volumus pro expreſſis, ac ad verbum inſertis, ſublata penitus omni differentia: ita ad unam tantum formam reducimus & moderamur.

§. VI. *Latrones & prædones publici non gaudent immunitate aſyli.*

» Ut Laicis ad Eccleſias, locaque ſacra & religioſa prædicta confugientibus, ſi fuerint publici latrones, viarumque graſſatores, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, earumve cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditorie proximum ſuum occiderint, aut aſſaſinii vel hæreſis aut læſæ Majeſtatis in perſonam ipſiusmet Principis rei, immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur, ſed univerſis & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, cæterisque Eccleſiarum & Monaſteriorum Prælatis tam ſæcularibus, quam cujusvis Ordinis Regularibus diſtricte præcipiendo mandamus & præcipimus, ut Laicos in caſibus prædictis delinquentes, ad eorum Eccleſias, Monaſteria, domos & alia loca ſupradicta ſacra, ſeu religioſa reſpective confugientes, & in eis ſe recipientes atque morantes, qui prædicta delicta, eorumve aliquod judicio ſuo commiſiſſe videbuntur, quando a Curia ſæculari fuerint requiſiti, & quilibet eorum fuerit requiſitus, Miniſtris & Officialibus Curiæ ſæcularis, absque irregularitatis nota, aut alicujus cenſuræ Eccleſiaſticæ incurſu tradi & conſignari curent & faciant, & quilibet eorum curet & faciat.

§. VII. *Tales absque Epiſcopi licentia non extrahendi.*

» Ne autem Curiæ ſæcularis prædictæ Miniſtri facultate illos per ſe & propria authoritate extrahendi & abducendi ſibi olim, ut præfertur, attributa, & per præſentes revocata abutantur, volumus, dictaque authoritate decernimus & declaramus, ut Curia ſæcularis, ejusque Judices & Officiales ab Eccleſiis, Monaſteriis, locisque ſacris prædictis Laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem, in nullo ex caſibus ſupradictis, ſine expreſſa licentia Epiſcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu perſonæ Eccleſiaſticæ ab eo authoritatem habentis; ad quos ſolos & non alios Epiſcopis inferiores, etiamſi alii Ordinarii ſint, aut nullius Diœceſis, aut conſervatores ab hac Sede ſpecialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrente autem caſu in loco exempto & nullius Diœceſis, tunc ad Epiſcopum viciniorem devolvatur hæc cognitio & non ad alios, capere, extrahere, aut incarcerare non poſſint, niſi eo caſu, quo ipſe Epiſcopus & dictæ perſonæ Eccleſiaſticæ requiſitæ illos in delictis ſuperius expreſſis culpabiles tradere, aut capturæ & incarcerationi intervenire, & aſſiſtere recuſaverint; tuncque reverentiæ Eccleſiæ & locis ſacris debitæ memores, prædictos delinquentes, minori, quo id fieri poterit, cum ſcandalo & tumultu extrahere curent.

§. VIII. *Nec carceri, nisi Ecclesiastico, includendi.*

" Quodque delinquentes Laici " prædicti, postquam, ut præfertur, ab " Ecclesiis, locisve sacris extracti & " capti fuerint, ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto " & firmo carcere ac opportuna custodia data illis, si opus fuerit, per " Curiam sæcularem, detineri debeant, " nec inde extrahi, Curiæque sæculari " prædicta consignari nec tradi possint, " nisi cognito prius per Episcopum, " seu ab eo Deputatum, an ipsi vere " crimina superius expressa commiserint, tuncque demum de mandato " Episcopi per Judicem Ecclesiasticum " Curiæ sæculari, quacunque appellatione postposita, consignentur.

§. IX. *Hæresis est fori Ecclesiastici tantum.*

" De crimine vero hæresis, cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertineat, neque in ea Curia sæcularis " se quoquo modo intromittat.

§. X. *Sicut & delicta Clericorum.*

" Sicuti etiam prohibemus, ne " contra Ecclesiasticas personas sæculares, aut cujuscunque Ordinis vel " Militiæ, etiam S. Joannis Hierosolymitani, Regulares quoquo modo " etiam vigore prædictorum privilegiorum, indultorum aut concessionum, quæ omnia ad terminos juris " per præsentes reducimus, procedant " aut se intromittant, illasve ab Ecclesiis, Monasteriis, domibus, locisque " sacris aut religiosis, etiam in casibus " in hac Constitutione expressis extrahere, abducere, capere, carcerare, " aut cognoscere de criminibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, " alias quam de jure & per privilegia " eisdem Ordinibus, aut Militiis concessa permittitur, quomodolibet præsumant.

§. XI. *Huic Constitutioni contravenientium pœna.*

" Quod si quis quacunque dignitate & authoritate præditus, præmissorum, aut alio quovis prætextu, " quicquam præter aut contra hujus " nostræ Constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus, eum " ipso facto censuras & pœnas easdem " incurrere, quæ contra libertatis, juris & immunitatis Ecclesiasticæ violatores per sacros Canones & Conciliorum Generalium, nostrorumque " Prædecessorum Constitutiones sunt " promulgatæ."

§. XII. *Eadem Archi-Episcopali authoritate servanda mandatur.*

Quam Constitutionem Pontificiam Nos quoque ab omnibus Civitatis & Diœcesis nostræ Prælatis, Præpositis, Archi-Diaconis, Decanis tam Collegialibus, quam Ruralibus, Pastoribus, Vice-Pastoribus, & quibuscunque cum sæcularibus, tum quorumvis Ordinum Superioribus Regularibus, & quibusvis Laicis, quacunque potestate, prærogativa, gradu, dominio & nomine præditis, in præmissorum casuum eventibus sub prædictis pœnis & aliis arbitrio nostro addendis, inviolate ubivis observari jubemus.

§. XIII. *Adhortatio Archi-Episcopalis.*

Denique sacri Concilii Tridentini (*d*) exemplo, singulos Imperatores, Reges, Principes, Respublicas & Dominos temporales ac sæculares obtestantis, ut sese murum ponant pro domo Israel, & quæ sancte decreta sunt, sæcularis brachii auxilio tueantur, memores se a Deo sanctæ Fidei, Ecclesiæque Catholicæ Protectores constitutos, eoque majori in temporalibus potestate præditos esse, ut debitam sacris Constitutionibus observantiam præstent, & quæ Ecclesiastici juris sunt, tanquam Dei præcipua, ejusque patrocinio tecta venerentur, nec ab ullis maxime Ministris suis lædi patiantur, sed severe in eos, qui illius libertatem, immunitatem atque jurisdictionem impediunt, animadvertant, quos etiam ipsi in pietate, Religione & Ecclesiarum protectione præeant; Nos pariter quoscunque in Civitate & Diœcesi nostra Principes sæculares, Dominos temporales, Magistratus & Communitates laicas,

(*d*) Sess. 25. de Reform. c. 20.

laicas, eorumque ſubſtitutos Præfectos & locum tenentes in Domino hortamur, ut pietatis Majorum, qui etiam in bellis contra Barbaros & paganos Cleri immunitatem reveriti, tuitique ſunt, non impigri imitatores, ſupradictis Canonicis ac Pontificiis ſanctionibus, uti filios obedientiæ decet, morem gerentes, jura immunitatis, libertatis & exemptionis Eccleſiaſticæ, quibusvis Eccleſiis, Oratoriis, Sacellis, Cœmeteriis, Monaſteriis, Religioſorum domibus & locis ſacris, ac Clericis, perſonisque Eccleſiaſticis, & earum rebus atque bonis Divina ordinatione conceſſæ, ſarta & tecta conſervare, nec in ullo deinceps, ſicuti Summi Pontifices decrevere, violare, vel etiam easdem perſonas Eccleſiaſticas ullis talliis, gabellis, vectigalibus & tributis velint gravare, memores, quod Eccleſiaſtici veri ſint Dei ſervi, in Divinis elogiis aliquando Dii, aliquando Angeli appellati, ſolis Superioribus Eccleſiaſticis ſubditi, & in quos laica poteſtas nullum habet imperium: ſed in ſortem Domini ſint electi, ut pro populo Deum interpellent, ejusque peccata precibus & Sacrificiis deleant, (e) ideoque ab omni onere & ſæculari exactione liberos eſſe oportere; certi alioquin, ſi ſecus fecerint, non ſolum jacturam patientur bonorum propriorum, qui uſurpata poteſtate dominari quærunt in alienis, ſed etiam graviſſimorum peccatorum rei, & ad eorundem gabellarum inique perceptarum reſtitutionem obligabuntur; inſuper cenſuris innodati manent, a quibus abſolutio ſoli Pontifici Maximo per Bullam *Cœnæ* reſervatur, pariterque æternæ damnationi, niſi reſipuerint, deinceps abſtinuerint, & contra fas exacta reſtituerint, atque abſolutionem obtinuerint, ſint futuri obnoxii.

TITULUS IV.
De Simonia.
CAPUT I.

§. I. *Simonia peccatum eſt graviſſimum.*

SImonia jam inde ab Apoſtolorum temporibus in lege Evangelica damnata fuit, ut ex reſponſo S. Petri ad Simonem colligitur, qui cum pecunia Apoſtolis oblata poteſtatem peteret per impoſitionem manuum conferendi Spiritum Sanctum, ab eodem S. Petro (f) audivit: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri*; eſt enim peccatum longe graviſſimum, & Eccleſiæ pernicioſiſſimum, ut merito a ſacris Canonibus (g) *hæreſis Simoniaca, execrabile flagitium, turpiſſimum lucrum, inſtar publici criminis, ut læſæ Majeſtatis puniendum* nominetur: hinc enim Beneficia ſæpius indignis conferuntur, electiones injuſtæ fiunt, Prælaturæ immeritis committuntur, qui docti non tondere gregem, ſed deglubere, nati non docere, ſed perdere.

§. II. *Et hoc tempore frequentiſſimum.*

Et quamvis hoc Simoniæ vitium ſit plane deteſtabile, non tamen ideo eſt minus frequens hoc potiſſimum ævo, quo uſque adeo hominum improbitate & inſatiabili cupiditate, pro dolor! invaluit, præſertim in Beneficiis Eccleſiaſticis, ut non pauci hoc tempore Clerici & Eccleſiaſtici inveniantur ejus reatu obſtricti.

§. III. *Cujus gravitas ab omnibus dignoſcenda.*

Ut ergo omnes & ſinguli Prælati, Præpoſiti, Archi-Diaconi, Decani & Capitula, aliique Beneficiorum Collatores & Patroni, Clerici quoque Eccleſiaſtici & ſæculares fœdiſſimi hujus peccati malitiam & turpitudinem evidentius cognoſcant, & cautius fugiant, ſummatim oſtendendum duximus, quibus modis præcipue circa Beneficia enorme hoc ſcelus patretur.

§. IV. *Simonia quid ſit, & quando committatur.*

Simonia igitur conſiſtit in voluntate emendi, & vendendi rem ſpiritualem, vel ei annexam, ſive pecunia, ſive re quavis immobili aut mobili, pretio æſtimabili; unde Simoniacum eſt quicquam exigere, recipere, vel dare

(e) Exod. 22. ℣. 8. 9. 28. Pſalm. 81. ℣. 6. Malach. 2. ℣. 7. C. Sacerdotibus 11. q. 1. c. Duo ſunt 12. q. 1. c. Ipſi Sacerdotes 1. q. 1. (f) Act. 8. ℣. 19. & 20.
(g) C. 3. 13. 28. 1. q. 1. c. 6. de Simonia.

dare pro electione, confirmatione, præsentatione, nominatione, collatione, institutione, investitura ad quascunque dignitates & Beneficia, atque Officia quævis Ecclesiastica, deque iis Provisorum in possessionem inductione; sed & damnata est quævis contraria in hisce consuetudo, cum præter Simoniacam pravitatem etiam sordidissimæ avaritiæ speciem præseferat.

§. V. *Tridentini Decretum.*

Quod inter cætera reformationis capita Concilium Tridentinum (*b*) notans his verbis innovavit: " In pluribus Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis & Parochialibus, ex earum Constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelligitur, ut in electione, &c. "

§. VI. *Decretum PII V.*

Idipsum expressioribus etiam verbis, & severissimis sub pœnis supradicti Concilii Tridentini Sanctionem declarando & confirmando prohibuit PIUS Papa V. (*i*) quævis privilegia, consuetudines, & quarumlibet Ecclesiarum Statuta & juramenta contraria revocando, & hac sua Constitutione rescindendo.

PIUS PAPA V.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

§. VII. *Exordium.*

" Durum nimis & incommodum arbitramur, quod Ecclesiarum Ministri in iis, quæ ad ipsorum sustentationem suppeditant, dispendia patiantur. Quocirca cum hanc ad rem simulque prohibendam ab Ecclesia Dei avaritiæ pravitatem, editas antehac Sanctiones minime satis esse intelligimus, novo Constitutionis subsidio providere. "

§. VIII. *Refert Pontifex Tridentini Decretum minus observatum fuisse.*

" Cum itaque alias, ex plurium Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum Constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelligeretur, ut in electione, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo, septuagesimo. Pridie Cal. Junii, Pontificatus nostri anno quinto. "

CAPUT II.

§. I. *Simonia triplex, mentalis, conventionalis, & realis.*

Quoniam vero Simonia non solum committitur re, sed etiam verbis & signis ac voluntate: hinc ex tribus, quæ ad eam plene constituendam concurrunt, videlicet proposito interno, pactione externa verbis vel signis indicata, & ejusdem executione tres sortitur species, quarum una *Mentalis*, *Conventionalis* altera, & tertia *Realis* a sacris Canonibus nuncupatur. *Mentalis* est, si quis spe remunerationis accipiendæ Beneficium Ecclesiasticum conferat, alioquin non collaturus: quæ collatio Simoniaca est, etiam omni pacto implicito & explicito destituta. *Conventionalis* dicitur, cui subest pactum implicitum dandi temporale pro spirituali, non tamen re tradita consummatum: ea non tantum fit verbis expressis & directis, sed etiam obscuris & obliquis: interdum nutibus vel solo pretio oblato donationis specie, ex circumstantiis tamen adverti potest. *Realis* consistit in pactione consummata, tradita scilicet re spirituali & ipso pretio.

§. II. *Quibus additur quarta, scilicet confidentialis.*

Præmissis tribus Simoniæ speciebus PIUS IV. & V. (*k*) Summi Pontifices quartam videlicet *Confidentialem* adjecere, a spe & fiducia, quæ ei subest, sic vocatam, dum alicui Beneficium Ecclesiasticum simplex aut curatum, sæculare vel Regulare, seu per electionem, confirmationem, præsentationem, institutionem, resignationem cum certa confidentia, seu expresso, aut tacito pacto procuratur, ea lege, ut ipse elapso aliquo tempore ipsimet cedenti, conferenti vel confirmanti &c.

(*b*) Sess. 24. de Reform. c. 14.
(*i*) Constit. 104. Bullarii Tom. 2.
(*k*) Tom. 2. Bullarii Constit. 85.

ti &c. vel alteri resignet, vel pensionem aut fructus ex eo præstet.

§. III. *Damnata a PIO IV. & V.*

Hanc porro Simoniam confidentialem gravissimis adjectis pœnis primo damnavit PIUS Papa IV. quas PIUS V. renovavit, & confirmavit sequentibus verbis:

§. IV. *Ejus prætextu multæ fraudes committebantur.*

" Veruntamen propter improbas " multorum cupiditates prædictas, &c. " Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, quingentesimo, sexagesimo nono, Kal. Junii, Pontificatus nostri anno quarto. "

CAPUT III.

§. I. *Simoniacorum pœnæ.*

UT porro nefariis hisce ambitiosorum hominum ausibus & impiis Beneficia Ecclesiastica acquirendi artibus obviaretur, atque execrabile illud Simoniæ scelus, quod, uti ait PASCHALIS Pontifex (*l*), adeo grave est, ut omnia crimina ad illius comparationem quasi pro nihilo reputentur, tandem eradicaretur, in eo potissimum Summorum Pontificum desudavit studium, severissimis in Simoniacos statutis pœnis, (*m*) scilicet, ut is, qui eligendo, præsentando, confirmando, conferendo aut instituendo Beneficium Ecclesiasticum, Simoniam commiserit, ipso facto incurrat excommunicationem Sedi Apostolicæ reservatam. Dein omnis electio, præsentatio, confirmatio, collatio aut quævis alia dispositio ad dignitates seu quævis Beneficia & Officia Ecclesiastica, irrita sit & nulla, nullumque proviso jus, aut titulum tribuat; sed illis ipso jure sit privatus, & fructus perceptos, sub animæ suæ periculo restituere teneatur, uti decrevit PIUS Papa V. (*n*) sequentibus verbis: " Qui dignitates Ecclesiasticas " Simoniace acquisiverit, illis sit ipso " jure privatus, & in futuram inhabilis ad eas & quascunque alias obtinendas: qui Beneficium aut Officium " Ecclesiasticum Simoniace adeptus " fuerit, illis similiter sit ipso jure privatus, & ad fructuum omnium, " quos perceperit, restitutionem teneatur, & perpetuo sit inhabilis ad " ea, & quæcunque Beneficia Ecclesiastica obtinenda. " Quin non solum sic Simoniace provisus, (*o*) sed & illi, qui in hujusmodi Simoniaca Beneficiorum procuratione mediatores fuerunt, excommunicationis pariter censura innodati existant, a qua non nisi a Summo Pontifice absolvi queant, præterquam in mortis articulo constituti.

§. II. *Pœna Simoniæ confidentialis.*

Præter hæc PIUS IV. & V. prænominati Pontifices sanxerunt, ut qui Beneficia Ecclesiastica per *Confidentialem* Simoniam adeptus fuerit, præter dictas pœnas, etiam eo ipso privatus sit omnibus Beneficiis, ac pensionibus obtentis; atque Beneficia in confidentiam collata & accepta, Sedi Apostolicæ sint reservata, ut ab Inferioribus conferri nequeant; fructus quoque percepti Cameræ Apostolicæ applicentur.

§. III. *Eædem pœnæ innovantur.*

Easdem pœnas Nos omnibus tam Civitatis, quam Diœcesis nostræ cujusvis conditionis vel status Collatoribus, Patronis Ecclesiasticis, Clericis & Laicis quibuscunque in memoriam revocandas duximus, & intentata iis maledictione æterna inhibemus, ne quisquam inposterum contra præmissarum Constitutionum Apostolicarum dispositionem ullos conatus, tractatus, intercessiones, pactiones, nundinationes consequendi, emendi vel vendendi Beneficia Ecclesiastica, inire præsumat; secus autem facientes, pœnis per prædictas Sanctiones inflictis subjacere, aliisque arbitrariis ad cæterorum terrorem districte puniendos, nec non subsecutas quascunque provisiones, electiones, nominationes, confirmationes & dispositiones de Beneficiis sic Simoniace obtentis ex prædictarum Apostolicarum Constitutionum præscripto irritas declaramus.

TITU-

(*l*) C. fin. 1. q. 7. (*m*) C. Cum detestabile. de Simonia. X. inter Comm.
(*n*) Tom. 2. Bullarii Const. 5. (*o*) C. Cum detestabile. cit.

TITULUS V.

De Archi-Diaconis & Decanis Ruralibus.

CAPUT I.

§. I. *Archi-Diaconorum, præcipue in Diœcesi Coloniensi fundata est authoritas.*

ARchi-Diaconorum tam in ſacris Canonibus, quam præcipue in Diœceſis noſtræ Colonienſis Statutis, & Ordinationibus (*p*) fundata, & antiquiſſima eſt authoritas; nam & ipſi in partem ſolicitudinis noſtræ a Nobis vocati, in regiunculis curæ ſuæ commiſſis, formandis, & reformandis Cleri, ac populi moribus, incumbere debent, & advigilare, ne quid forſan erroneæ doctrinæ adverſus fidem Catholicam ſerpat, ut inutilibus, ignarisque Miniſtris Eccleſiæ non impleantur, ſed expurgentur, immeritis curata Beneficia, aut Eccleſiaſtica munera non conferantur; atque univerſim ſtrenuos, ſolicitosque Eccleſiaſticæ militiæ ſe præbere excubitores, ut vere dicantur, & ſint oculi Epiſcoporum; ad quod unice conducet, ſi ipſi imprimis Archi-Diaconi doctrina, vitæ, morumque integritate, zelo, ac pietate ſtudeant cæteris præcellere, & Eccleſiaſticis aliis, maximeque Parochis, & Curatis, exemplo præeſſe, ac prodeſſe conſilio. Caveant ergo, ne munera potius, quam ſpiritualia ſubditorum noſtrorum commoda reſpiciant, neque cum delinquentibus diſſimulent, aut affectu, amore, vel cujusvis quæſtus ambitu ſeduci ſe patiantur: cum ipſi delinquentium rationem coram Deo reddituri ſint.

§. II. *Archi-Diaconi in Viſitationibus exquiſitam diligentiam adhibeant.*

Archi-Diaconi deinceps in ſuis quisque diſtrictibus, (*q*) vice & authoritate noſtra ſingulis trienniis ordinarie, extra ordinem vero, toties, quoties expedire judicaverint, Parochiales Eccleſias, & Curatas, nec non Capellas, Xenodochia, Noſocomia, Hoſpitalia, Confraternitates, Scholas & ejusmodi pia loca viſitant, viſitationis Decreta faciant, ac publicent, (*r*) quæ correctione digna invenerint, emendent, & exceſſus puniant; ipſa tamen viſitationis acta integra, una cum Decretis, poſtquam perfecta fuerint, intra timeſtre, ut & cætera majoris momenti in viſitatione, vel alias occurrentia ad Nos referre teneantur: nullatenus autem impediant, quo minus noſter in Spiritualibus Vicarius Generalis easdem Eccleſias, loca, & perſonas, etiamſi per ipſos Archi-Diaconos, etiam eodem anno, viſitatas, toties, quoties ipſi conducere viſum fuerit, viſitet, quæ corrigenda fuerint, corrigat, & exceſſus puniat; niſi prius fuerint debite puniti, & emendati. A Monaſteriorum autem, quemadmodum & Collegiatarum Eccleſiarum in ſuis diſtrictibus conſtitutarum, & quorumvis locorum Regularium cujuscunque Ordinis, & ſexus, viſitationibus Archi-Diaconi abſtinere debent: in cæteris eo diligentiſſime colliment, ut vitia, & crimina corrigant, & evellant, omniaque ſecundum ſacros Canones, Oecumenicorum Conciliorum, atque Sanctorum Pontificum Conſtitutiones, noſtraque tam Provincialia, quam Synodalia Statuta, non obiter, & perfunctorie, ſed exquiſitiſſima cura peragant.

§. III.

(*p*) C. Adhæc. de offic. Archid. & toto tit. Statuta Concil. ſub Conrado Card. pag. 3. §. 3. pag. 5. §. 11. pag. 5. & 6. §. 12. pag. 6. §. 14. Statuta Sifridi pag. 47. §. 15. Statuta Wichboldi pag. 51. §. 1. pag. 55. §. 12. & 13. Statut. Henrici pag. 77. §. 2. pag. 81. §. 12. Conc. Prov. pag. 343. c. 12. & 13. pag. 344. c. 15. pag. 407. c. 19. 20. 21. Statuta Adolphi III. pag. 432. & 433. §. Porro. pag. 434. §. Jam quod paſſim. pag. 438. §. Non alias ſane melius. pag. 478. & 479. §. An Præpoſiti ſeu alii Prælat. & ſeqq. pag. 484. §. Et an aliqui. pag. 508. col. 1. pag. 510. col. 1. & 2. & ſæpius in mandato per Adolphum anno 1550. pag. 525. col. 1. pag. 538. §. 6. interrogati ſunt. Decreta Synodi ſub Ferdinando Archiep. pag. 11. c. 3. §. Si Paſtores.

(*q*) C. Archi-Diaconus. de Offic. Archidiac. & c. Mandamus eodem.

(*r*) Statuta Concilii ſub Conrado Card. §. 3. Statuta Wichboldi fol. 55. §. 12.

§. III. *Finis, & scopus Visitationum.*

Scopum vero Visitationis hunc præcipuum esse meminerint, ut ad mentem Concilii Tridentini (*s*), sana, orthodoxaque doctrina, & fides, expulsis hæresibus, remotis abusibus, & erroribus inducatur, & stabiliatur, boni mores inserantur, ac plantentur, pravi corrigantur, populus cohortationibus, & admonitionibus ad Religionem, pacem, & virtutes accendatur, Clerus reformetur, cæteraque omnia ad fidelium fructum constituantur.

§. IV. *Visitatores quoad sumptus Visitandis graves non sint.*

Licet olim a Conciliis Lateranensi, & Lugdunensi, ac deinde Provincialibus Coloniensibus præscriptus fuerit visitationis, & procurationis modus, hodie tamen ad Decretum Tridentinæ Synodi revocandus est; (*t*) contra cujus præscriptum caveant Archi-Diaconi, & Decani Rurales, aliique quicunque Visitatores, ne occasione visitationis cuiquam, comitatu, aut sumptu sint graves, sed contenti modico famulitio, & mediocribus alimentis, frugaliter, ac moderate pro Visitandorum conditione ministrandis occasionem justarum querelarum non præbeant.

§. V. *Nulla causa a subministratione procurationis excusat.*

A necessariis autem sumptibus præstandis, quos procurationem Canones vocant, (*u*) nulla Ecclesia, vel Monasterium, ne quidem ob temporis præscriptionem, exemptionem prætendere potest: subjectionem enim, & obedientiam significat, quæ contra Prælatum a subdito præscribi nequit: nemo siquidem, teste Apostolo (*x*), cogitur suis militare stipendiis, ac merito qui spiritualia seminat, carnalia metit; ideo licet Ecclesia aliqua, a longissimo etiam tempore, nullam procurationem Visitanti suppeditaverit, eandem tamen, nisi de exemptione a procuratione, per speciale Summi Pontificis privilegium doceat, subministrare tenetur.

CAPUT II.

§. I. *Cognitio causarum etiam ad Archi-Diaconos pertinet.*

ARchi-Diaconi quatuor principales nostræ Diœcesis, (*y*) tanquam perpetui nostri in certis, limitatisque districtibus Vicarii, in omnibus, & singulis Beneficialibus, Matrimonialibus, reliquisque Ecclesiasticis causis, in prima instantia cumulative cum nostro Officiali, non tamen privative, Judices competentes sunt; easdemque, quæ judicialem requirunt indaginem, Decani Rurales, tam de jure communi, ordinationeque Statutorum Ecclesiæ nostræ Coloniensis, quam etiam ex antiquissima consuetudine, ad tribunal nostri Officialis, vel Archi-Diaconi remittere tenentur & obligantur. Monemus vero Archi-Diaconos, eorundemve Officiales, ne jurisdictione hac abutantur, sed in causis coram ipsis introductis, & introducendis solam justitiam, ejusdemque fidelissimam administrationem præ oculis habentes, debito juris ordine servato procedant, reformationi Curiæ nostræ Archi-Episcopalis sese conforment, (*z*) & in ferendis Decretis, & sententiis, relaxandisve censuris non passione, odio, aut amore ducantur, aut spe lucri consequendi moveantur, verum causas, omni humano seposito respectu, expedite terminent; Appellatione tamen ad Nos, nostrumve Officialem semper salva.

§. II.

(*s*) Conc. Trid. Seff. 24 de Reform. c. 3. (*t*) C. Cum Apostolus. de Censib. 2. eod. tit. in 6. Conc. Trid. Seff. 24. de Reform. c. 3. §. Ideoque modesto content. Concil. Prov. Colon. sub Hermanno V. Part. 14. c. 29. pag. 408. & sub Adolpho III. pag. 440. §. Semper mansit. col. 1. (*u*) C. Cum Apostolus in princ. & §. Prohibemus. c. Cum instantia. c. Cum venerabilis. c. Procuratione. de Censib. c. Conquerente. de offic. Jud. ordinarii. c. Cum non liceat. c. Cum ex officii. de Præscript.
(*x*) 1. Corinth. 9. ℣. 4. 7. 9. 11. 12. 13. 14. & ad Galat. 6. ℣. 6. Conc. Prov. loc. cit.
(*y*) Statuta Adolphi III. fol. 537. (*z*) Statuta Wilhelmi fol. 55. §. 13.

§. II. *Quales esse debeant Officiales Archi-Diaconales.*

De qua fideli justitiæ administratione, (a) ut securiores simus, mandamus Archi-Diaconis, ut in Officiales viros bonæ conversationis, integræ famæ, sedulos, industrios, sufficientis doctrinæ, & jurium peritos deputent, qui digni sint, ut officio Judicum fungantur, & quibus judicandi munus tuto committi possit.

§. III. *Archi-Diaconorum circa Synodos obligatio.*

Ad Archi-Diaconos etiam spectat sedulo curare, ut Canonicæ Sanctiones, & Leges Ecclesiasticæ, nec non Provincialia, ac Diœcesana Statuta executioni demandentur, & ab omnibus inviolabiliter observentur: (b) compareant proinde ipsimet Archi-Diaconi in omnibus Diœcesanis Synodis, singulis quoque annis peculiares in suis districtibus Synodos indicant, in quibus singuli Decani Rurales, ac Parochi regiuncularum conveniant, ut quæ communiter omnes tangunt, ibidem publicentur, atque observanda proponantur: cujuslibet autem Synodi acta ad Nos in forma authentica transmittantur.

§. IV. *Absentia a Parochia non facile concedenda, idoneique Coadjutores Pastoribus deputandi.*

Parochis facultatem absentiæ diuturnioris a sua Parochia, sine gravissimis causis, non concedant: & quamvis vacante Parochia aliquando Vicarium, quousque de successore fuerit provisum, atque etiam Pastoribus, aut Rectoribus Ecclesiarum curatarum minus peritis, aut idoneis Coadjutores, aut Vicarios, cum assignatione partis fructuum deputare possint; non tamen alios, quam qui legitime sunt approbati, & examinati.

CAPUT III.

§. I. *Archi-Diaconis jus investiendi competit.*

Quamvis Archi-Diaconis competat, ut sibi præsentatos de Parochialibus Ecclesiis investiant; (c) ad præcavenda tamen animarum pericula, iisdem, ac aliis, ad quos jus investiendi pertinet, serio præcipimus, ut diligenter in vitam, & mores præsentandorum inquirant, neque quempiam spe lucri investiant, aut pro investitura, jura æquo majora exigant.

§. II. *Divino Officio non satisfacientium reditus qualiter applicandi, & quid Archi-Diaconis observandum sit.*

Si Pastores, aut alii Beneficiati Divino Officio non satisfaciant, (d) reditus, juxta ratam temporis, ad reparationem Ecclesiæ, Beneficii, vel Altaris, aut ad pios usus Archi-Diaconi applicent; omniaque, & singula, quæ jura Canonica, Synodales, & Provinciales Constitutiones iisdem concedunt, & permittunt, exerceant; advertant tamen, ut limites sibi præscriptos non transgrediantur, aut jurisdictionem ipsis a sacris Canonibus attributam, aut a nostris Antecessoribus, vel Nobis communicatam, excedant, ne authoritatem a nostris Antecessoribus, & Nobis ipsis concessam restringere, vel penitus revocare, & contra excedentes, & jurisdictionem nostram usurpantes, ad condignas pœnas procedere cogamur.

§. III. *Archi-Diaconi ante administrationem suorum officiorum quid præstare debeant.*

Noverint Archi-Diaconi, & Decani, qua Collegiales, qua Rurales, quod ne minimum quidem jurisdictionis actum exercere, aut aliquam Civitatis, vel Diœcesis nostræ Ecclesiam, locumve pium, seu personam Ecclesiasticam visitare, corrigere, seu punire possint, nisi a Nobis approbati, & confirmati fue-

(a) Statuta Adolphi III. pag. 434. §. Jam quod passim.
(b) Statuta sub Card. Conrado §. 14. Conc. Prov. fol. 407. c. 19. & c. 20. per tot.
(c) Statuta Wichboldi fol. 51. §. 1. Statuta Prov. Henrici fol. 81. §. 12. Conc. Provinc. Colon. Part. 1. cap. 11. in verbis: Patroni tam Ecclesiastici. & cap. 12. in verbis: Nec contenti. (d) Statut. Synodi sub Ferdinando pag. 11. §. Si Pastores.

fuerint, & in manibus nostris Professionem fidei Catholicæ, obedientiæ, fidelitatisque juramentum præstiterint, sub pœna suspensionis ab Archi-Diaconatu, Beneficiis, ac Officiis Ecclesiasticis, aliaque arbitraria.

CAPUT IV.

§. I. *Munus Decanorum Ruralium.*

DEcani Rurales ab iis quoque abstineant, quæ Archi-Diaconorum facultatem excedunt; ad eosdem proprie pertinet, Capitula Pastorum, & Vice-Pastorum quotannis, ante Pentecosten, loco consueto, cum Pastoribus regiuncularum suarum celebrare, atque in illis post Missam, per eos de Spiritu Sancto decantatam, Constitutiones Apostolicas, Provincialia, ac Synodalia, & deinceps hæc nostra Decreta, ac Statuta; præsertim vero, quæ Parochorum, & Curatorum vitam, mores, ac munus tangunt, prælegere, aut prælegenda curare, & quemlibet ad eorum observantiam sedulo adhortari, difficultatibus Pastorum pia consolatione, & adjutorio mederi, & si quid dissidii inter illos ortum fuerit, benevole sopire, quosve muneri suo deesse cognoscunt, Nobis, Archi-Diacono loci, aut Fiscalibus deferre, ut pro ratione defectus opportuna in negligentes remedia decernantur.

§. II. *Capitula qualiter instituenda.*

Hæc ipsa porro Capitula sic instituantur, ut non ad comessationem, & compotationem, sed ad tractandum de rebus Ecclesiasticis, ac Spiritualibus indicta esse appareat: prandia, si quæ fiant, non in tabernis, aut diversoriis publicis, sed apud loci Pastorem, seclusis exteris, & sæcularibus, instituantur frugalia & moderata, ut neque crapulæ sit locus, neque excessivis sumptibus, aut scandalo: ad necessarias autem Capitulorum hujusmodi expensas Pastores, & Vice-Pastores absentes (etiamsi legitime fuerint excusati) æque ac præsentes concurrant, ac contribuant conformiter ordinationi Prædecessoris nostri HERMANNI IV. Archi-Episcopi. (e)

§. III. *Decani Rurales in suis Parochiis resideant.*

Quæ de sacri Chrismatis, sanctorumque Oleorum deportatione, distributione, & conservatione ordinata sunt, ea a Decanis Ruralibus volumus quam exactissime observari: & cum Decanorum Ruralium quoad curam animarum eadem sit, & potior quidem, conditio, quæ Pastorum, utpote qui non solum sæcularium sibi commissorum, sed etiam Parochorum sui districtus, censentur esse Pastores & Curati; ideo ipsi continuo in suis pastoratibus, vel saltem, exigente id ratione muneris, intra Decanatuum suorum limites residere personaliter debent, sub pœna tum privationis officii Decanalis, tum alia graviori arbitrio nostro infligenda.

§. IV. *Periculose laborantes invisant.*

Ordinamus pariter, ut de singulorum sibi creditorum salute soliciti, sicubi aliquem e suæ regiunculæ, seu Decanatus Pastoribus, Sacerdotibus, aut Beneficiatis periculose laborare intellexerint, ad eum sine mora se conferant, moneantque, ut saluti suæ consulens, ad Sacramenta Ecclesiæ recipienda se disponat; dein adhortentur, ut testamentum legitime condat, si id non fecerit prius, atque ad felicem, salutaremque ex hac vita egressum, piis ad Deum suspiriis, ac orationibus, se componat.

§. V. *Quid post mortem Parochorum a Decanis Ruralibus præstandum sit.*

Quod si Parochum quempiam, aut Curatum decedere contigerit, cujusvis etiam Ordinis, aut Instituti Regularis sit, curent mox omnium ab ipso relictorum indicem, seu inventarium confici, ut invasionibus, & expilationibus non fiant obnoxia, atque ex iis possit, tum piis Legatis, tum Creditoribus aliis, ipsique Ecclesiæ Parochiali, fabricæ, aut mensæ pauperum satisfieri. Quidquid ad Parochiam ipsam, Ecclesiam, fabricam, aut Archivium pertinens, inventum fuerit, separetur, & suis quæque locis, aut personis

(e) Pag. 276. §. Item mandat.

ſonis conſignentur. Denique & curam gerant Decani Rurales, ut coram Sigillifero noſtro majori teſtamenta defunctorum Paſtorum, Vice-paſtorum, & Beneficia in Eccleſiis parochialibus habentium, & hæreditatum per eos relictarum, computus, & rationes per Executores exhibeantur.

CAPUT V.

§. I. *Advigilandum, ne quiſpiam ad curam animarum ſe intrudat non examinatus, & legitime approbatus.*

Summo ſtudio advigilent, tam Archi-Diaconi, quam Decani Rurales, ne quis Sacerdos ſæcularis, aut Regularis, etiam quomodolibet exemptus, in Beneficium aliquod parochiale, ſeu curatum, vel exercitium curæ animarum, quocunque etiam colore, vel titulo ſeſe intrudat, absque prævio examine, & legitima approbatione: aliter autem, & ſine examine, & legitima approbatione admiſſi, inſtituti, aut inveſtiti, noverint ſe a paſtorali cura, quam non legitime ſubierunt, ipſo facto ſuſpenſos eſſe, & ſi quos eo nomine fructus perceperint, reſtituendos Eccleſiæ, a qua provenerunt; utque re ipſa reſtituant, authoritate noſtra, adhibito etiam, ſi opus fuerit, brachio ſæculari compellendos, aliaque inſuper pœna, pro culpæ modo, puniendos eſſe.

§. II. *Absque examine, approbatione, licentia, & inſtitutione ſe ingerentes denuntientur.*

Quod ſi quis eo temeritatis proceſſerit, ut ſine omni prorſus examine, approbatione, licentia, inſtitutione, ac titulo in curam animarum ſe ingeſſerit, Nobis, aut Officiali noſtro denuntietur, ut tanquam indignus privilegiis Clericalis Ordinis, ſæculari Magiſtratui puniendus tradatur. Eadem quoque cura advertant Decani Rurales, ne quis vagus, aut peregrinus, vel alias ignotus Clericus, aut Sacerdos, etiam Regularis, absque literis teſtimonialibus ſui Ordinis a Nobis viſis, & probatis, vel ſine noſtra licentia, ad Divina celebranda, vel adminiſtranda Sacramenta, aut ad prædicandum Dei verbum admittatur, & ut Paſtores ac Vice-paſtores ejusmodi literas, ac licentiam ante admiſſionem exigant.

CAPUT IV.

§. I. *Otium vel maxime vitandum.*

Cum otium non ſit aliud, niſi hominis vivi ſepultura, & vitiorum plurimorum lerna, Decani Rurales opportune, & importune ſingulos regiunculæ ſuæ Paſtores, & reliquos Eccleſiaſticos moneant, ut illud devitent, & execrentur; ſingulis, vel ſaltem alternis diebus Miſſam celebrent, ſingulis item Dominicis, & Feſtis veſperas decantent, ſedulo ſe etiam ſtudiis, lectioni Sacræ paginæ, piorumque librorum applicent.

§. II. *In viſitatione quid Decani Rurales inquirere debeant.*

Ut autem Decani Rurales cujusque Paſtoris, & Vice-Paſtoris vitam, mores, genium, & occupationes melius cognoſcant, ab iis, dum viſitant, ſerio rationem diſtributionis temporis exigant, inquirantque, quibus ſe ſtudiis occupent, an, & quos libros ſpirituales legant, an ſingulis diebus, aut quoties in ſeptimana, an ex obligatione, aut pietate celebrent, an ſingulis diebus aliquid temporis orationi mentali, qua velut cœleſti cibo ſpiritus reficitur, impendant, an conſcientiam ſuam quotidie ſtatuto tempore examinent.

§. III. *Valetudinariis exercitia præſcribuntur.*

Sicubi vero aliquos invenerint, quorum corporis conſtitutio non permittit, ut continuo ſtudiis vacent, adhortentur illos, ut ſæpius Parochias ſuas obeant, ſanos, & ægros, etiam non vocati, piis diſcurſibus foveant, obvios pueros circa res Catecheticas examinent, & ignorantes inſtruant.

§. IV. *Decani Rurales de Paſtorum ſui diſtrictus ſalute ſpecialem curam habeant.*

Denique, Decani Rurales de Paſtorum, & Vice-Paſtorum ſui diſtrictus ſalute, ac profectu Spirituali ſoliciti, diligenter eorum vitæ, morum, &

& doctrinæ curam gerant; ideoque præter visitationes ordinarias, data occasione sæpius etiam per annum Parochias sui districtus inspiciant, & præcipue indagent, an Pastores, seu Vice-Pastores apud oves suas resideant, pie, laudateque vivant, suo, ut decet, fungantur munere; præsertim Dominicis & Festis diebus Sacrum canant, concionentur, Catechesi juventutem imbuant, & Ecclesiastica Sacramenta, quacunque diei, ac noctis hora requirantur, pie, prompteque administrent.

TITULUS VI.

De Pastoribus & Vice-Pastoribus.

CAPUT I.

§. I. *Pastores quales esse debeant.*

Diligenter Nobis est providendum, ut Pastores & Vice-Pastores hoc esse inveniantur, quod dicuntur, & omnes, quotquot in hac nostra Diœcesi tam ruri, quam in urbibus hoc nomine censentur, idonei sint, quibus cura animarum tuto credatur, & ipsi *forma facti gregis*, (f) non ad solam speciem externam; sed magna animi sedulitate ac solicitudine eundem non minus honestæ, probæque vitæ exemplo, quam pabulo sanæ doctrinæ pascant.

§. II. *Vacantibus Parochialibus indilate providendum.*

Vacantibus igitur Ecclesiis Parochialibus volumus, ut, quam fieri potest, citissime de idoneis Pastoribus provideatur, illique mox instituantur: cumque ex dilata, vel suspensa Parochialis Ecclesiæ collatione, provisione, seu præsentatione, & institutione salus populi periclitetur; quæcunque in Concilii Tridentini Decretis, (g) & PII V. Constitutionibus statuta, decreta, & ordinata sunt, observari volumus, declarantes omnes, & singulos, quibus jus conferendi, providendi, præsentandi, & instituendi competit, ad collationem, provisionem, præsentationem, & institutionem, intra tempus ibidem præfixum faciendam, teneri, & obligatos esse.

§. III. *Designatio redituum Beneficii Decano Rurali tradenda.*

Quæcunque, & qualiacunque Beneficia curata, & non curata in Ecclesiis Parochialibus obtinentes, qui plenam, atque perfectam omnium fructuum, & redituum designationem intra decem annos ultimo elapsos, Archi-Diacono, vel Decano suo Rurali non tradiderunt, intra sex menses proximos id sub pœna arbitraria, pro modo negligentiæ infligenda, præstent. In quem finem Ædiles, Magistri fabricarum Ecclesiarum, Provisores mensarum pauperum, & bonorum Ecclesiæ Parochialis administrationem habentes, copiam authenticam suis Pastoribus, aut Vice-Pastoribus communicent.

§. IV. *Sacellani ad curam animarum approbandi.*

Cum non solum Pastoribus, & Vice-Pastoribus, sed etiam eorum Sacellanis, aliisque in Pastorali munere Adjutoribus, ob populi frequentiam, vel Parochiæ latitudinem vel aliam legitimam causam, in subsidium ad functiones Pastorales exercendas assumptis, cura animarum incumbat; nullus Pastorum, seu Vice-Pastorum Civitatis, seu Diœcesis nostræ cujusquam Sacellani, Capellani, & Adjutoris opera in Pastorali sua functione, vel ad Confessiones Sacramentales, brevissimo etiam tempore, excipiendas, utatur, qui præter testimoniales legitimæ ordinationis suæ literas, scripto non docuerit, se sufficienti examine, pro tanto munere rite obeundo, repertum fuisse idoneum.

CAPUT II.

§. I. *Pastores ab ovibus suis non debent abesse.*

Curati, & Vice-Curati, omnesque alii, quibus animarum cura commissa est, (h) non possunt, neque debent

Ooo ooo 3

(f) 1. Pet. 5. ℣. 5. Trid. Seff. 23. de Reform. c. 2. Seff. 25. de Reform. c. 9. Constit. cit. §. 5. & 7.

(g) Seff. 24. de Reform. c. 18.

(h) Trid. Seff. 23. de Refor. c. 1.

bent oves ſuas, etiam metu periculi, vel peſtis, deſerere, vel aliorum negotiorum cauſa alio diſcedere, niſi Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, aut evidens Eccleſiæ utilitas eos abeſſe poſtulaverint.

§. II. *Niſi ex juſta cauſa.*

Quod ſi juſta de cauſa abeſſe debeant a ſua Parochia, ultra tres, quatuorve dies feriatos non abſint; quod tempus, ſi prorogandum ſit, a Decano Rurali licentiam flagitent, quam illi non niſi ad duas, vel tres hebdomadas extendant; diuturniorem vero a Nobis poſtulare, & ſcripto obtinere teneantur; ac tum quidem, & quandocunque, & quamdiu ipſos abeſſe contigerit, alteri Sacerdoti authoritate noſtra ad hoc approbato, curam ovium ſuarum, cum debita mercedis, aut fructuum portionis aſſignatione fideliter committant; idque ſub pœnis privationis omnium fructuum, & emolumentorum, aliisque gravioribus, tam ex Tridentini Concilii (*i*) præſcripto, quam arbitrio noſtro infligendis.

§. III. *Non tamen ultra bimeſtre, nec diebus hic expreſſis.*

Volumus inſuper, ut Curatis, & Vice-Curatis juxta ejusdem Concilii Decretum (*k*) ſingulis annis ultra bimeſtre, ſive continuum, ſive interruptum abeſſe non indulgeatur; neque diebus ſolemnibus, *Nativitatis, & Reſurrectionis Dominicæ, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Dedicationis, & Patronorum Eccleſiæ*: Dominicis item *Adventus & Quadrageſimæ*, quando maxime oves refici, & Paſtoris præſentia in Domino gaudere debent, concedatur.

§. IV. *Pœna ſecus facientium.*

Si vero quis ultra bimeſtre abfuerit, noverit, ſe peccati reatum incurriſſe, & pro rata temporis abſentiæ fructus non facere ſuos, nec tuta conſcientia (alia etiam declaratione non ſecuta) poſſe retinere; ſed fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus loci erogare teneri, niſi ex gravi cauſa, per Nos cognita, & probata diutius emanendi licentiam in ſcripto ſeſe obtinuiſſe oſtendat.

§. V. *Quæ etiam ad Sacellanos extenditur.*

Eodem Decreto Capellanos, & Sacellanos, qui Paſtores, ſeu Vice-Paſtores in ſuis functionibus adjuvant, comprehendi, eosque nec ad unum diem, niſi Paſtore, ſeu Vice-Paſtore præmonito, & conſentiente, abeſſe volumus.

§. VI. *Cautela in peſtiferorum confeſſionibus audiendis adhibenda.*

Paſtor, Vice-Paſtor, ſeu quivis alius Sacerdos authoritate noſtra approbatus, peſte, vel alio contagioſo morbo laborantium confeſſiones auditurus, ante omnia, ſi fieri poſſit, provideat, ut in loco patenti, & aëre non infecto ſit conſtitutus: adeoque infirmi, ſi absque gravi eorundem incommodo fieri queat, vel cubiculum, aut domum ad confitendum egrediantur, vel ſaltem ad feneſtram, Parocho foris expectante, ſeſe deferri procurent; proderit etiam peſtis tempore, pro concione monere fideles, ut qui ſani ſunt, ad ſacram Confeſſionem in Eccleſia peragendam mature accedant.

§. VII. *Paſtoribus alio ſe recipere coactis quid faciendum.*

Si metu perſecutionis adacti (*l*) Paſtores, & Vice-Paſtores gregem ſuum deſerere, & alio migrare cogantur, id absque noſtro, vel Superiorum conſenſu, & loci, quo ſeſe recipiant, ſpecificatione, non fiat, neque eo eventu minorem Eccleſiaſticæ, quam propriæ ſupellectilis curam gerant.

§. VIII. *Officium Divinum.*

Præ cæteris vero curent Parochi, Vice-Parochi & alii, quibus animarum cura incumbit, domui ſuæ bene præeſſe, ita, ut non tantum ipſi, ſed & eorum familiæ a vitæ, morumque integritate commendentur; ſcientes quod *hominum ducatum non debeat ſuſcipere, qui neſcit homines bene vivendo præire, ne qui ad hoc eligitur, ut aliorum culpas corrigat, quod reſecare debuit, ipſe committat:* (*m*) pro-

(*i*) Loc. 1. cit. (*k*) Loc. cit. (*l*) Trid. cit. c. 6.
(*m*) S. Greg. 34. moral. cap. 30.

proinde munere suo rite fungentur, si oves suas agnoscant, pro iis incruentum Missæ Sacrificium Deo offerant, verbi Divini pabulo, Sacramentorum administratione, omnium bonorum operum exemplo easdem pascant, pro ipsarum salute, cum opus est, animam suam ponere parati.

§. IX. *Ægros sedulo invisant.*

Ægrotos diligenter invisant, nec, donec vocentur, exspectent; sed ultro accurrentes eosdem consolentur, ad patientiam hortentur, & ad Sacramenta administranda, proposita eorum utilitate, ac necessitate sese paratos offerant, & in unoquoque realis perceptionis desiderium salutari admonitione excitent; denique omnibus omnia facti, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerant, easque crebro visitent, ac temporali, spiritualique solatio sublevent.

§. X. *Dissidia componant, ac rudes instruant.*

Inimicitias, aut rixas, si quas inter Parochianos, præcipue conjuges, intercedere cognoverint, omni ratione, ac studio, ne immortales fiant, componere ac sedare nitantur, rudes in fide Catechesi imbuant, & cætera pastoralia munia diligentissime peragant: scientes, quod juxta veridica Prophetarum oracula, (*n*) a severissimo omnium Judice Deo, pereuntium animarum sanguis de manu Sacerdotum sit requirendus. Quis enim ignorat excellentiam animæ vel unius, pro qua sanguinem suum profudit Dei Filius? & tamen eheu! quot animarum millia, Sacerdotum, Curatorum, seu Vice-Curatorum pereunt incuria?

CAPUT III.

§. I. *Pastores pro infirmorum visitatione, & Sacramentorum administratione nihil exigant.*

MUltis in locis corruptelam quandam inolevisse experientia Nos docuit, dum Pastores, seu Vice-Pastores ad visitandos ægrotos evocati, stipendium efflagitare soleant, cumque non pauci, dum male habent, eosdem accersere vereantur; idcirco Pastoribus, aliisque animarum Curatoribus, ut ob infirmorum visitationem, Viatici, aut Extremæ Unctionis administrationem nihil omnino exigant, severe mandamus.

§. II. *Hoc Decretum aliquoties in anno publicent.*

Proinde Pastores, & Vice-Pastores hoc nostrum Decretum, simul atque ad illorum pervenerit notitiam, fidelibus aliquoties in anno e suggestu promulgent. Archi-Diaconi dum visitant, stipendium exigere deprehensos puniant; Decani vero Rurales eosdem Nobis, aut Officiali nostro puniendos denuntient.

§. III. *Fructus Sacrificii populo a Pastoribus quando applicandus.*

Pastores, & Vice-Pastores, aut eorum Vicarii summum Sacrum Dominicis, & Festis diebus in Ecclesia decantandum, populi tum spirituali, tum corporali saluti potissimum applicent; quos singulis, vel alternis non Festivis diebus, pro sua sibique commissorum salute, Divinum Missæ Sacrificium immolare, atque ad hoc ab Archi-Diaconis, & Decanis Ruralibus excitari optamus, ut indies sibi, concreditoque gregi in spiritualibus, & temporalibus favorem cœlestem cumulent auctiorem; nam Authore B. Bonaventura: (*o*) *Sacerdos legitime non impeditus ex negligentia celebrare omittens: tunc, quantum in se est, privat Ss. Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio, & gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi Spirituali beneficio, seipsum medicina, & remedio contra quotidiana peccata, & infirmitates.*

CAPUT IV.

§. I. *Sacra pro defunctis suis fratribus a Pastoribus merito celebranda.*

FRaterna postulat charitas, ut quos in vita laborum habuimus socios & participes, post mortem Christianæ pietatis officio prosequamur: idcirco omnes Pastores, & Vice-Pastores hortamur,

(*n*) Ezech. 3. ℣. 18.

(*o*) De præparat. ad Miss. c. 3.

tamur, ut mortuo Paſtore, ſeu Vice-Paſtore, reliqui ejusdem Decanatus Ruralis, ſeu diſtrictus quamprimum ipſis de obitu conſtiterit, ſanctiſſimo Miſſæ Sacrificio animæ ejusdem ſubveniant.

§. II. *Idem a Decanis Ruralibus præſtandum.*

Decano autem Rurali mortuo præter Paſtores, & Vice-Paſtores ipſius Decanatus, etiam cæteri Decani Rurales parentare teneantur.

§. III. *Publica vitia a Paſtoribus denuntianda.*

Parochi, (*p*) & Vice-Parochi omnia, & ſingula publica ſcelera, vel crimina, notoriosque populi, vel Cleri exceſſus; potiſſimum vero ſi Clericus, vel Ludimoderator aliquod delictum correctione dignum committat, vel Laicus fidem, & Religionem Catholicam, & Eccleſiæ Statuta notorie violet, & ſaltem ſemel in anno, in Feſto Paſchatis, proprio Sacerdoti non confiteatur, & juxta ritum Catholicæ Eccleſiæ Sacramentum Euchariſtiæ ab eo non percipiat, Eccleſiam ſuam parochialem debitis temporibus non frequenter, ab apoſtatis aliisque ſectariis Sacramenta percipiat, clandeſtinum, aliasve illicitum Matrimonium contrahat, aut ab alio, quam ſuæ Parochiæ Paſtore, aut Sacellano, ſine præcedentibus tribus proclamationibus, debito tempore in facie Eccleſiæ ſolemnizari faciat: vel adulter, aut concubinarius, aut uſurarius manifeſtus, vel reatu perjurii irretitus, vel Sacramentorum, & Eccleſiaſticarum cenſurarum contemptor ſit, & in inceſtu, hæreſi, blaſphemia, ſacrilegio, effractionibus, & violationibus Eccleſiarum, cœmeteriorum, & immunitatum, delictisque ſimilibus perſeveret, viva voce, vel in ſcriptis, ſi non palam, ſaltem occulte, & ſecrete, Officiali, vel Sigillifero, vel Fiſcalibus noſtris, ſine ulla diſſimulatione, vel conniventia referant, & ſignificent.

§. IV. *Scabini Synodales in Parochiis eligendi.*

Idcirco ſtudioſe curent, ut in ſuis Parochiis Scabini Synodales, viri probe Catholici, honeſtiſſimi, & integerrimi eligantur, qui cum prædictis vitiis & criminibus indagandis, tum etiam in reddendis fabricæ Eccleſiæ, menſæ pauperum, & Sodalitatum rationibus adhibeantur.

§. V. *Ad Parochias recens commigrantium vita exploranda.*

Ab omnibus quoque, & ſingulis ad ſuas Parochias commigrantibus, quorum vitam, & fidem aliunde cognitam non habuerint, exigant ea de re literas teſtimoniales ultimi ipſorum Paſtoris, ſeu Vice-Paſtoris, quæ ſi non exhibeantur, Superioribus idipſum inſinuent, ut ad eas procurandas compellantur.

CAPUT V.

§. I. *Opera ſervilia Eccleſiaſticis interdicta.*

Dolenter intelleximus, nonnullos Eccleſiaſticos, & Paſtores adeo ſui ſubinde eſſe oblitos, ut veſte etiam Clericali exuta, per agros diſcurrere, currus fimo onerare, vehere, agriculturam exercere, & id genus aliis ſervilibus operibus, avaritiæ, aut quæſtus gratia vacare; quin & intra domeſticos parietes tam viliter ſeſe gerere non erubeſcant, ut ſæcularibus, & aliis ſint offendiculo: quibus præcipimus, ut gravitatis, quæ Sacerdotes decet, memores, ab his omnibus ſub pœna ſuſpenſionis ab Officio, & Beneficio, aliaque graviori arbitraria ſibi temperent; non tamen prohibere intendimus, quo minus debito tempore, & loco, honeſta corporis exercitatione otium devitent.

§. II. *Sicut & ludus alearum.*

Sacerdotes, maxime quibus animarum cura incumbit, memores ſacrorum Canonum; (*q*) ad aleas, & taxillos non ludant, nec hujusmodi, aut aliis vetitis ludis interſint, ſed tempus illud pro colloquio potius, & lectione ſacro-

(*p*) Reform. Jurisd. Colon. pag. 7. §. Ut quæ crimina & exceſſus.
(*q*) C. Clerici 15. de vit. & honeſt. Cleric.

ſacrorum librorum, atque hiſtoriarum tranſigant.

CAPUT VI.

§. I. *Parochias per Regulares adminiſtrari non conducit.*

QUamvis Monachi, & Regulares Canonici Parochias, easque potiſſimum, quæ Monaſteriis ſuis annexæ ſint, adminiſtrare poſſint: quia tamen multi Superiores experientia cognoverunt, ad Regularis vitæ inſtitutum parum conducere, ut Profeſſos extra Monaſterium ſuum in Parochiis ſinant commorari;

§. II. *Sed per idoneos, & approbatos ſæculares Sacerdotes.*

Hinc & Nos expedire judicamus, ut Parochialia, aliaque curata Beneficia Civitatis, & Diœceſis noſtræ, tam Metropolitanæ, ſeu Collegiatis, ſeu aliis Eccleſiis, ſeu dignitatibus, vel Monaſteriis, ſeu Collegiis, aut piis locis quibuscunque perpetuo unita, & incorporata, quam non unita, & incorporata deinceps per idoneos authoritate noſtra approbatos ſæculares Sacerdotes, non vero Regulares regantur; exceptis tamen iis, qui ſpecialibus privilegiis ſunt muniti: Monachi vero, & quicunque alii Regulares, etiam Canonici, ſi ad ſæculares Eccleſias Parochiales ſuo Monaſterio non unitas promoti ſint, inde authoritate noſtra removeantur, & ad ſuum Monaſterium remittantur; nec facile ulli Religioſi extra Monaſteria ſua in Parochiis habitare permittantur; ne hac ratione ipſa idoneis perſonis deſtituantur, ambitioni porta aperiatur, illisque proprietatis, otii, mollioris ac diſſolutioris vitæ anſa præbeatur.

§. III. *Regularis Beneficium curatum obtinens, ſocium ſecum habeat ſui Ordinis, & habitum, ac coronam gerens regularem.*

Quod ſi Canonicus Regularis, vel alius cujuscunque Ordinis Religioſus alicui Parochiali Eccleſiæ ſeu curato Beneficio ſæculari, cauſa neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ, ſeu curæ animarum, & idoneorum Sacerdotum ſæcularium penuria id exigente, deque conſenſu ſui Superioris, prævia noſtra examinatione, & approbatione ſit præficiendus, is adjunctum ſibi Socium Regularem habeat; *Melius enim eſt duos eſſe ſimul, quam unum; habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ: ſi unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ ſoli: quia cum ceciderit, non habet ſublevantem ſe:* (r) nec non Ordinis ſui habitum, & coronam regularem retineat: idemque non niſi ad tempus, & arbitrio noſtro amovendus, & ad Monaſterium ſuum remittendus, curam animarum iſtiusmodi Parochialis Eccleſiæ, ſeu curati Beneficii ſæcularis adminiſtret.

§. IV. *Quid Paſtores, antequam Regulares concionari, aut Mendicantes eleemoſynas colligere permittant, obſervare debeant.*

Inſuper nullus Paſtorum, ſeu Vice-Paſtorum Regularem quemcunque, cujuscunque Ordinis, vel Inſtituti fuerit, ad Catecheſin tradendam, concionandum, Sacramentales Confeſſiones audiendum, aut Stationes obeundum, niſi obedientiæ literas a ſuo Superiore obtentas, ac teſtimoniales ſuæ admiſſionis, & approbationis ad ſimile munus exequendum authoritate noſtra munitas, oſtenderit, admittere audeat, vel ullam inuſitatam Stationem, a quocunque Terminario uſurpari, vel ſolitam ad tempus deſeri permittat. Si quis vero Mendicantium, dum extra Monaſterium ſuum eleemoſynas colligit, ſcandalo, vel offendiculo fuerit, is Nobis denuntietur. Ad tollendum autem omnes abuſus, & confuſiones, quilibet Paſtor, aut Vice-Paſtor communicatione cum loci Magiſtratu, Ædituis, Magiſtris fabricæ Eccleſiæ, Proviſoribus menſæ pauperum, Primoribus, ac Senioribus Parochiæ prævia, numerum, & dies Stationum deſcribi curet, deſcriptionemque ſervata illius copia, Nobis transmittat.

§. V. *Sedilia locis congruis collocata amoveantur.*

Nobilium, vel aliorum ſedilia in Eccleſiis, præſertim Parochialibus, prope

(r) Eccleſ. 4. ℣. 10.

prope Altare, seu in Presbyterio collocata, non parvam causant deformitatem, & crebris jurgiis, litibusque occasionem præbent: quare omnibus, ac singulis Civitatis, & Diœcesis nostræ Pastoribus, Vice Pastoribus, Ædilibus, Provisoribus, & aliis Parochialium Ecclesiarum Præfectis, ac Ministris mandamus, ne inposterum Nobis inconsultis, in Ecclesiis sedilia, multoque minus in Choro earundem collocari permittant; imo si quæ forte incongruis locis hactenus in Ecclesiis posita fuerunt, amoveri faciant.

TITULUS VII.

De congrua Pastorum sustentatione, Ecclesiarumque, & ædium Parochialium tum reparatione, tum ædificatione.

CAPUT I.

§. I. *Modus subveniendi Parochiis tenuioribus.*

SAcrosancta Tridentina Synodus (s) victum, ac vestitum, necessariamque sustentationem Pastoribus, & Vice-Pastoribus non deesse exoptans, iis hoc Decreto providit: " In Parochialibus Ecclesiis, quarum fructus adeo " exigui sunt, ut debitis nequeant " oneribus satisfacere, curabit Episcopus, si per Beneficiorum unionem, " non tamen Regularium, id fieri non " possit, ut Primitiarum, vel decimarum assignatione, aut per Parochianorum symbola, ac collectas, aut " qua commodiori ei videbitur ratione, " tantum redigatur, quod pro Rectoris, ac Parochiæ necessitate decenter " sufficiat."

§. II. *Assignatur tertia pars fructuum.*

Nec non ut " Beneficia Ecclesiastica curata, (t) quæ Cathedralibus, " Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel " Monasteriis, Beneficiis, seu Collegiis, " aut piis locis quibuscunque perpetuo " unita, & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum, annis singulis visitentur: qui solicite providere procurent, ut per idoneos Vicarios, " etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis " pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum " tertiæ partis fructuum, aut majori, " vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione etiam super certa " re assignanda, ibidem deputandos, " animarum cura laudabiliter exerceatur; appellationibus, privilegiis, exemptionibus, etiam cum Judicum " deputatione, & illorum inhibitionibus quibuscunque in præmissis minime suffragantibus."

§. III. *Congrua portio a PIO V. determinata.*

Præterea ut certius constaret, quid, & quantum Pastoribus, seu Vice-Pastoribus, seu perpetuis Vicariis Parochialium Ecclesiarum, quæ Cathedralibus, aliisve Ecclesiis, Abbatiis, dignitatibus, mensis Capitularibus, vel quibuscunque Monasteriis, Collegiis, Beneficiis, aliisve locis piis perpetuo annexa sunt, aut ab iis dependent, & vicaria opera, Sacerdotum sæcularium, vel Regularium regi, & administrari consueverunt, pro portione annua sit assignandum, PIUS V. (u) sancivit, eam non debere esse majorem centum, nec minorem quinquaginta scutorum annuorum summa, computatis omnibus, etiam incertis, emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis, nisi Vicariis plus, sive in quantitate, aut quoto fructuum, pecuniaque numerata, fundo, seu alia re stabili assignari solitum fuisset.

§. IV. *Prædicta portio ad centum Imperiales declaratur.*

Quoniam vero a tempore editæ hujus PIANÆ Constitutionis monetæ valor plurimum fuit immutatus, annonæ, victus, & rerum ad usum quotidianum necessariarum pretium valde crevit; hinc summam quinquaginta scutorum, qua non minorem PIUS Papa V. Parochis, Vice-Parochis, aut Vicariis perpetuis, & in cura animarum Adjutoribus pro portione congrua voluit assignari, in Civitate, & Diœcesi

(s) Seff. 24. de Reform. c. 13.
(t) Trid. Seff. 7. de Reform. c. 7.
(u) Tom. 2. Bullarii, Constit. 47.

ſi noſtra Colonienſi ad centum daleros Imperiales declaramus, & extendimus, niſi Parochiæ magnitudo, noſtro, noſtrive in Spiritualibus Vicarii judicio majorem ſummam exigeret.

§. V. *Quibus incumbat idoneos Vicarios in Eccleſiis Parochialibus conſtituere.*

Quod ſi Prælati, aliive Inferiores, quorum Monaſteriis, Collegiis, vel Prælaturis Eccleſiæ Parochiales annexæ ſunt, idoneos ad curam animarum gerendam Vicarios intra legitimum tempus non conſtituerint, Nos illorum defectum ſupplentes, authoritate Nobis a Concilio Tridentino attributa, de idoneorum Vicariorum nominatione, & congruentis portionis fructuum aſſignatione providebimus; ne animarum cura negligatur, vel Beneficia ipſa Eccleſiaſtica debitis defraudentur obſequiis; appellationibus, privilegiis, exemptionibus quibuscunque, etiam cum Judicum ſpecialium deputatione, & illorum inhibitionibus in præmiſſis nemini ſuffragantibus.

§. VI. *Beneficia curata non uniantur.*

Ut debitæ Parochorum, & Vice-Parochorum ſuſtentationi melius impoſterum proſpectum ſit, Concilium Tridentinum (*x*) ſtatuit: " Ut in " unionibus quibuslibet, ſeu ex ſupra" dictis, ſeu aliis cauſis faciendis, Ec" cleſiæ Parochiales Monaſteriis qui" buscunque, aut Abbatiis, ſeu digni" tatibus, ſive Præbendis Eccleſiæ Ca" thedralis, vel Collegiatæ, ſive aliis " Beneficiis ſimplicibus, aut Hoſpitali" bus, Militiisve non uniantur, & " quæ unitæ ſunt, revideantur ab Or" dinariis."

CAPUT II.

§. I. *Eccleſiarum reparatio commendatur Paſtoribus.*

PAſtores, & Vice-Paſtores diligenter etiam curent, (*y*) ut Parochiales Eccleſiæ, per deputatos fabricæ Magiſtros, ſartæ tectæ conſerventur: ſi quæ vero bellorum, aut temporum injuria, ſint dirutæ, vel collapſæ, quantocyus, ne populus ad alienas Parochias, majore ſui incommodo, confugere cogatur, reſtaurentur.

§. II. *Unde illa præſtanda.*

Ut reparationi, & reædificationi Eccleſiarum promptius conſuleretur, in primæva bonorum Eccleſiaſticorum diviſione, una portio fabricæ earundem fuit aſſignata: quæ ſi deficiat, aut impenſis reparationis impar ſit, decimas percipientes neceſſaria ſubminiſtrare obligantur: æquum enim eſt, ut lucro gaudentes, onus ei annexum etiam ſubeant. Quæ ſi non ſufficiant, ſacri decrevere Canones, (*z*) ut ejusdem Eccleſiæ Beneficiati, pro rata redituum, deductis ad victum, & veſtitum decentem requiſitis, contribuant, & demum ad collectas Parochianorum recurratur.

§. III. *Ad quem ſpectet reparatio navis Eccleſiæ, turris & Chori.*

Verum longiſſimo uſu receptum, & in plerisque Diœceſis noſtræ locis obſervatum eſt, ut qui decimas majores percipit ad Eccleſiæ Parochialis navim, loci communitas ad turrim cum omnibus & ſingulis ipſius Eccleſiæ appendicibus, Paſtor ad Chorum conſervandum, & reparandum teneantur, quam conſuetudinem, uti laudabilem præcipimus obſervari.

CAPUT III.

§. I. *Paſtores in domo Eccleſiæ proxima habitent.*

PAſtores, aliique Curati, quo muneris ſui partibus rite, prout tenentur, ſatisfaciant, ad reſidendum apud oves ſuas jure Divino obligantur; (*a*) " Cum præcepto Divino " mandatum ſit omnibus, quibus ani" marum cura commiſſa eſt, oves ſuas " agnoſcere, pro his Sacrificium offer" re, verbique Divini prædicatione, " Sacramentorum adminiſtratione, ac bono-

(*x*) Seſſ. 24. de Reform. c. 13. §. In unionibus. Seſſ. 21. de Refor. c. 7.
(*y*) Trid. Seſſ. 7. de Reform. c. 8.
(*z*) C. 1. & c. De his, de Eccleſ. ædificat. Trid. c. 7. cit.
(*a*) Concil. Trid. Seſſ. 23. de Reform. c. 1.

" bonorum omnium operum exemplo " pascere, pauperum, aliarumque mi- " serabilium personarum curam pater- " nam gerere, & in cætera munia pa- " storalia incumbere, quæ omnia ne- " quaquam ab iis præstari, & impleri " possunt, qui gregi suo non invigi- " lant, neque assistunt, sed mercena- " riorum more deserunt: " Idcirco non solum intra Parochiæ suæ limites habitent, verum etiam, quantum commode fieri poterit, domos pastorales Ecclesiæ proximas habeant, & in iis pernoctent.

§. II. *Si domus Pastoralis desit, talem conducant.*

Quod si domus pastoralis non extet, domum aliam honestam conducant, aut si familiam non alant, habitationem Ecclesiæ parochiali vicinam, minime vero diversorium publicum, aut suspectæ familiæ domicilium eligant; interim cum suis parochianis de modo, & ratione domus pastoralis quantocyus ædificandæ deliberent; pro singulorum siquidem parochianorum animarum salute, vel maxime necessarium est, habere Parochum suum, seu Vice-Parochum noctu, & interdiu in Parochia assidue residentem, & præsentem.

§. III. *Domus Pastorum annue visitentur, ac reparentur.*

Cum plerumque parochiani in ædificandis ædibus pastoralibus reddantur difficiliores, ex quo Curati, seu Vice-Curati conservationem dictarum ædium, cum gravi damno neglexerint, & negligant: Idcirco deinceps (postquam per parochianos debite fuerint reparatæ, vel ædificatæ) sub æstimatione, a juratis Scabinis Synodalibus facienda, Pastori, vel Vice-Pastori tradantur, quam hæredes sub obligatione omnium bonorum præstare tenebuntur; præcipimus insuper, ut Archi-Diaconi, & Decani Rurales ædes pastorales sæpius visitent, in iisdem restauranda, authoritate nostra reparari jubeant, inobedientesque Nobis denuntient, ut ex eorundem redditibus necessariæ reparationis impensæ desumantur, & contumaces præteritæ negligentiæ etiam pœnas luant: si vero ad restaurationem obligati Pastores, vel Vice-Pastores, ea non facta ex hac vita migrarint, vel Beneficiis suis renunciarint, mobilia tamdiu detineantur, ne quidpiam ex hæreditate, sive hæredibus, sive legatariis extradatur, donec expensæ ad reparationem requisitæ subministratæ fuerint.

§. IV. *Pastor instituendus indicem bonorum mobilium domus Pastoralis, & ornamentorum Ecclesiæ, cui exhibere debeat.*

Nullus porro Pastorum, seu Vice-Pastorum in pastoratu suo instituatur, qui non bonorum mobilium in domo pastorali inventorum, similiter calicum, vestimentorum, ornamentorum, librorum, & quorumcunque instrumentorum, & supellectilium Ecclesiasticarum indicem, cum designatione omnium in ædibus pastoralibus destructorum, dirutorum, aut deperditorum sese intra semestre Nobis, aut Vicario nostro in Spiritualibus Generali, vel Archi-Diacono loci, aut Decano suo Rurali exhibiturum se spoponderit, sub viginti quinque florenorum aureorum pœna secus facientibus infligenda.

TITULUS VIII.

De Regularibus, qua viris, qua fœminis.

CAPUT I.

§. I. *Promiscua Novitiorum receptio Religioni noxia.*

COllapsæ Regularis disciplinæ restitutioni illud imprimis magnum affert impedimentum, quod in quibusdam Monasteriis, iis præsertim, quæ majori indigent reformatione, Religionis candidati sine delectu recipiantur: unde fit, ut quamvis Pontifices Maximi variis Constitutionibus male affectas radices evellere studeant, infructuosa tamen recens profitentium germina magis succrescant.

§. II. *Huic malo occurrit CLEMENS VIII.*

Propterea Regulares omnes, ad primævum suæ Religionis institutum revo-

revocaturus CLEMENS Papa VIII. (*b*) præclara de receptione, & institutione Novitiorum Decreta publicavit.

CAPUT II.

Saluberrima Decreta præscribuntur.

" CUm ad Regularem, *inquit*, disciplinam in singulis Religiosorum Monasteriis propagandam, Novitiorum institutio maxime utilis sit ac necessaria, &c. "

CAPUT III.

§. I. *Nemo virginem ad ingressum Religionis cogat.*

INsuper, cum Religionis ingressus, præcipue in virginibus, & mulieribus debeat esse liber, & voluntarius, ejusmodi personæ invitæ in Monasterium non detrudantur. Sancta enim Synodus Tridentina (*c*) " anathemati subjicit omnes, & singulas personas, cujuscunque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos, quam Laicos, sæculares, vel Regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocunque coegerint virginem aliquam, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem invitam, præterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscunque Religionis, vel ad emittendam professionem; quique consilium, auxilium, vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui, vel præsentiam, vel consensum, vel authoritatem interposuerint. "

§. II. *Nec ingredi volentem impediant.*

Sed nec parentes proles suas, neque alii Religionem ingredi, & Divino servitio se mancipare cupientes præpediant, aut a pio proposito avocent, cum dicta Synodus Tridentina similiter sub anathemate id prohibeat hisce verbis: " Simili quoque anathemati subjicit eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem vel accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine justa causa impedierint. Eaque omnia, & singula, quæ ante professionem, vel in ipsa professione fieri oportet, serventur non solum in Monasteriis Episcopo subjectis, sed & in aliis quibuscunque. "

§. III. *Virgines ante vestitionem, & professionem examinentur.*

Urget vero Concilium Tridentinum, ut voluntas puellæ, quæ major duodecium annis habitum Regularem assumit, tam ante susceptionem habitus, quam ante emissionem professionis exploretur: " Libertati professionis virginum Deo dicandarum prospiciens Sancta Synodus, statuit, atque decernit, ut si puella, quæ habitum Regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante eum suscipiat: nec postea ipsa, vel alia promissionem emittat, quam exploraverit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat: etsi voluntas ejus pia, ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas juxta Monasterii illius, & Ordinis Regulam, nec non Monasterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat, cujus professionis tempus, ne Episcopus ignoret, teneatur Præfecta Monasterio eum ante mensem certiorem facere; quod si Præfecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur ab officio suspensa sit. "

§. IV. *Tridentini Decreto parendum.*

Ut huic Tridentino Decreto pareatur, sub dictæ suspensionis ab Officio pœna, quibuscunque Abbatissis, Priorissis, Præfectis, & quovis alio nomine nuncupatis Superioribus, quorumcunque Monasteriorum Monialium Civitatis, & Diœcesis nostræ, quantumvis Regularibus subjectarum, vel

(*b*) Tom. 2. Bullarii, Const. 83. (*c*) Sess. 25. de Regular. c. 18.

vel alias a jurisdictione nostra exemptarum, serio mandamus, ne ullam deinceps puellam ad habitum Regularem, vel professionem admittant, nisi Vicarius noster in Spiritualibus Generalis, seu alius a Nobis, vel ab eo deputatus, tam ante susceptionem habitus, quam ante professionem Regularem diligenter examinaverit, & exploraverit ipsius puellæ voluntatem, cæteraque, quæ dictum Concilium Tridentinum jubet, præstiterit.

§. V. *Examen ubi instituendum.*

Examen, vel extra septa Monasterii ante cancellos, seu ferreas crates omnibus arbitris, aliis Monialibus, & Confessario remotis, vel si Examinatori justa de causa ita visum fuerit, extra septa Monasterii in Ecclesia, vel alio loco libero, & religioso, præsentibus Notario, testibusque idoneis, ac duabus honestis, ac gravibus Matronis, puellæ neque consanguinitate, neque affinitate conjunctis, neque alio quovis modo suspectis instituatur, & a Notario articulatim exceptum, ac nitide, & correcte descriptum, in Monasterii Archivo, ut de libera examinatæ voluntate perpetuo constet, diligenter asservetur.

§. VI. *Tempus professionis significandum.*

Ne autem tempus professionis Nos, aut Vicarium nostrum, seu authoritate nostra Deputatum lateat, illud Abbatissa, Priorissa, Præfecta, seu quovis alio nomine Superior cujuscunque Monasterii, uno ante ipsam professionem mense sub pœna suspensionis ab officio, per Concilium Tridentinum decretæ Nobis significare teneatur; ejusmodi autem examen, neque Vicarius noster in Spiritualibus Generalis, neque ullus alius authoritate nostra deputatus, si legitime requisitus fuerit, ultra mensis spatium instituere differat.

§. VII. *Vestienda vestibus non induatur pretiosis.*

Indecorum est, virgines, quæ mundum relinquere decreverunt, ipso die suscipiendi habitus religiosi, mundanas vanitates magis sectari, quam ante unquam sectatæ fuerant, vestibusque pretiosis, etiam mutuo acceptis, & monilibus ad vanam ostentationem exornatæ, a parentibus, & propinquis cum pompa, instar sæcularis sponsæ, ad Monasterium deduci; & quia periculum est, ne hujusmodi splendor alienationem a sancto proposito pareat, qualiscunque virgo, posthac in sacra Religione vestienda, sola modeste ad Monasterium se conferat, atque ipso vestis religiosæ induendæ die, absque omni pompa, & superbo vestitu ex penetralibus Monasterii, habitu, quo in schola Monasterii constituta, vel antea diebus solemnioribus consueverat, ad sacram Communionem accedere, in publicum vestienda procedat.

§. VIII. *Pueruli JESU statua ipsi non præferatur.*

Nulli item virgini religioso habitu investiendæ, aut professionem emissuræ, pueruli JESU statua præferatur, sed ipsamet potius manibus propriis, virginum omnium Sponsi Christi Domini e cruce pendentis imaginem gestet.

§. IX. *Nec sumptuosa instituantur convivia.*

Innovamus quoque Regulares personas, tam exemptas, quam non exemptas concernentia in Synodis Diœcesanis Coloniensibus sub ERNESTO (d) & FERDINANDO, (e) aliisque Archi-Episcopis Coloniensibus promulgata Decreta, speciatim ad abusus, circa apparatus, & sumptus prandiorum, in susceptione, aut professione Regularium tollendos pertinentia, a PAULO V. Pontifice Maximo confirmata.

§. X. *Consuetudo contraria tollatur.*

Sicut enim pro receptione Monachi, aut Monialis, etiam paupertatis Monasterii causa, nihil exigi potest, (f) ita valde indecorum est, in die vestis assumendæ, aut professionis magnos sumptus in convivia profundi. Qua-

(d) Pag. 8. tit. 3. per tot. pag. 28. tit. 6. per tot.

(e) Decreta Synodi sub Ferdinando Archiep. pag. 31. 32. 33. 34. & 35.

(f) C. Non satis. c. Veniens. c. Quoniam. de Simon.

Quapropter Decretis Synodalibus prædictis (g) inhærendo, præcipimus, ut Abbates, & Abbatissæ, aliique Monasteriorum Superiores, e Monasteriis, & domibus suis hanc consuetudinem tanquam detestabilem corruptelam, & abusum ab URBANO IV. Papa (h) damnatum prorsus tollant, & eliminent, parentibusque, vel consanguineis, quantumvis ultro petentibus, ut sumptuosa convivia, maxime suscipiendi habitus die, instituant, non permittant.

§. XI. *Renunciatio ab iisdem facta, quomodo sit nulla.*

" Nulla quoque renunciatio (quemadmodum sancivit Concilium Tridentinum (i)) " aut obligatio ante " facta, etiam cum juramento, vel in " favorem cujuscunque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive " ejus Vicarii fiat, intra duos menses " proximos ante professionem, ac non " alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter " vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renunciatione, etiam ju" rata, sit irrita, & nullius effectus."

§. XII. *Quid ex bonis Novitii tribuendum Monasterio ante professionem.*

" Neque ante professionem, (k) " excepto victu, & vestitu Novitii, vel " Novitiæ illius temporis, quo in pro" batione est, quocunque prætextu, " a parentibus, vel propinquis, aut " Curatoribus, ejus Monasterio ali" quid ex bonis ejusdem tribuatur, ne " hac occasione discedere nequeat, " quod totam, vel majorem partem " substantiæ suæ Monasterium possi" deat, nec facile si decesserit, id re" cuperare possit; quin potius præci" pit Sancta Synodus sub anathematis " pœna, dantibus, & recipientibus, " ne hoc ullo modo fiat; & ut abeun" tibus ante professionem omnia resti" tuantur, quæ sua erant. Quod ut " recte fiat, Episcopus, etiam per cen" suras Ecclesiasticas, si opus fuerit, " compellat." Proinde Nos tum Concilii ejusdem, tum Decessorum nostrorum ERNESTI, & FERDINANDI (l) Archi-Episcoporum Decretis inhærendo, omnia, ac quæcunque Statuta, & consuetudines, quæ libertati professionis Novitii, vel Novitiæ quoquo modo officere possunt, penitus tollimus, & abrogamus.

§. XIII. *Professio ante elapsum probationis annum est nulla.*

Tametsi professio (m) sive tacita, sive expressa, aut emissio trium substantialium votorum in Religione approbata, non nisi post integrum annum continuæ probationis, in habitu religioso exactum, & decimum sextum ætatis annum expletum, fieri queat, & antea facta sit irrita; nihilominus anno probationis durante, si Novitia, vel Novitius curandæ valetudinis causa, cum licentia Superiorum suorum e Monasterio, retento habitu religioso, exierit, ac deinde revertatur, eodem tempore professionem valide emittet, perinde, ac si nunquam egressus fuisset. Imo si expleto Novitiatus anno, ante professionem aliquis e Monasterio abierit, postea rediens, ac receptus ad profitendum absque nova probatione admitti potest.

§. XIV. *Novitii ante Professionem Sacramentum Confirmationis suscipiant.*

Nulli Novitii, vel Novitiæ ad Regularem cujusvis Ordinis professionem, nisi sacro Chrismate prius confirmati, admittantur; studiose enim curandum est, ne qui Omnipotenti DEO peculiariter consecrandi sunt, sine hisce militiæ Christianæ Symbolis illi militent; ne vero Sponsa Christi confirmanda in publicum prodire debeat, potius illam Episcopus intra Monasterii septa accedat.

CAPUT IV.

§. I. *Exactam substantialium observantiam procurare quibus incumbat.*

Abbates porro, Magistri Generales, provinciales Ministri, Priores, Guardiani, Rectores, cæterique quorumlibet Monasteriorum, Conventuum,

(g) Loc. cit. (h) C. Sane. X. de Simon. inter cóm. (i) Sess. 25. de Regul. c. 16.
(k) Trid. cit. (l) Loc. cit. (m) Trid. cit. c. 15.

tuum, & Collegiorum utriusque sexus Superiores, omnem curam, ac diligentiam adhibeant, ut in Monasteriis, Conventibus, & Collegiis sibi subjectis, ea, quæ ad Regularis vitæ substantiam pertinent, cujusmodi sunt obedientiæ, paupertatis, & castitatis, aliaque Ordinum, & Institutorum peculiaria vota ac præcepta, nullo unquam tempore relaxentur; si enim illa, quæ bases sunt ac fundamenta totius Regularis disciplinæ, exacte non fuerint conservata, totum corruat ædificium, necesse est.

§. II. *Decretum CLEMENTIS VIII.*

Qua de re CLEMENS Papa VIII. valde necessaria præscripsit Decreta, quæ pro majori Religiosorum notitia & exactiori eorundem observatione publicamus.

CAPUT V.

§. I. *Diligens Chori frequentatio omnibus inculcatur.*

" NUllus omnino prætextu cujuscunque privilegii, vel Superioritatis, etiam Generalatus, a servitio Chori censeatur immunis, &c."

CAPUT VI.

§. I. *Obedientia Superioribus præstanda.*

REligiosi obedientiæ, qua Superioribus suis obstringuntur, exactissimam habeant rationem, & plane intolerandum est, nonnullos quandoque scientiæ opinione, senii, Officiorum administratorum, aliisve quæsitis titulis, æquo animosiores reddi, adeoque subinde insolescere, ut excussis salutaris obedientiæ habenis, suis Superioribus resistere, vel clandestinis machinationibus, & susurrationibus eorum honori, & observantiæ, non sine maximo eorum authoritatis apud alios sæpe contemptu, detrahere audeant, ad coercendam ejusmodi proterviam, Superiores, implorato etiam nostro, si opus fuerit, vel suorum Generalium, aut Provincialium subsidio, tales disciplinæ monasticæ eversores, ad exemplum aliorum, sine ulla dissimulatione, carcere etiam, ubi temeritas mitiorem pœnam respuit, puniant, & compescant.

§. II. *In ea Novitii maxime exercendi.*

Ad præcavendum hoc malum, Novitii probationis suæ tempore, in virtute obedientiæ ita exerceantur, ut iis reliquo vitæ decursu in omnibus & frænum, & calcar sit.

§. III. *Castitas illibate custodienda.*

Castitatis quoque diligentissima habenda est cura, proinde omnes, vel ad minimum naufragii ejusdem periculum ducentes occasiones caute vitentur, singulaque ad ejus tutelam servientia studiose observentur, ab omni aspectu, colloquio, consuetudine, & familiaritate disparis sexus abstineatur, fœminæ omnes ab ambitu, refectorio, dormitorio, & aliis inferioribus locis Monasterii virorum penitus excludantur.

§. IV. *Castitatem violentis pœna.*

Præstitam Deo fidem sacrilega incontinentia violans, ad vindictam criminis, & aliorum terrorem, secundum Regulam, & Statuta Ordinis, atque Canonicas Sanctiones graviter puniatur.

§. V. *Pœna solicitantium aut violantium Moniales.*

Quicunque pudicitiam Sanctimonialium cujuscunque Ordinis ausu sacrilego solicitare præsumpserit, ab officio, si Clericus fuerit, si Laicus a perceptione Corporis Domini, Decreto Concilii sub CONRADO Cardinali Portuensi celebrati, (n) noverit se esse suspensum. Si quis vero Sanctimonialem aut violaverit, aut extra Monasterium eduxerit, aut cum multorum offendiculo, diu publice detinuerit, vel etiam sic detentam precibus, vel minis, atque violentia Monasterio, unde educta erat, restituerit, ipso facto sententia excommunicationis a Prædecessore nostro HENRICO (o) lata tamdiu se innodatum agnoscat, donec Deo de peccatis, Nobis autem, atque ipsi Monasterio de injuria, atque vituperio

(n) Pag. 6. c. 13. (o) Pag. 37. c. 17.

rio plene satisfecerit, ac veniam, & absolutionis beneficium a Nobis obtinuerit.

§. VI. *Pœna lapsæ Monialis.*

Sanctimonialis autem in peccatum carnis publice, vel notorie lapsa, maxime, quæ Monasterio exierit, juxta Statuta Conciliorum sub CONRADO, Cardinali Portuensi, Legato Apostolico, & sub Decessore nostro HENRICO habitorum, (p) præter pœnam carceris, ubi per abstinentiam cibi, & potus, aliasque corporis castigationes, pro discretione Abbatissæ, Priorissæ, seu Magistræ &c. punienda est; ulterius ad officium aliquod in Monasterio non admittatur, sed in pœnam delicti sine velo incedat, ultima tam in claustro maneat, quam in choro, omnique voce in Capitulo, in tractatibus, & electionibus quibuscunque sit penitus destituta, donec ob laudabilem suam vitam, ac testimonium, & intercessionem totius Monasterii sui, a Nobis, vel suo Superiore ad præmissa, vel ex parte, vel ex toto restitui mereatur.

CAPUT VII.

§. I. *Clausura servanda.*

Lubrica ad incontinentiam via, (q) quæ plurimis apostatandi occasionem præbuit, singulos singulorum Ordinum Superiores, Nobis etiam tacentibus, monet, ut in commissis sibi Cœnobiis clausuram servari, atque ubi collapsa est, in integrum restitui curent: ideoque rarissime Religiosis, quorum officii non est, extranea negotia curare, Monasterii septa egredi permittant. Familiaritatem, & comessationes cum sæcularibus, Religiosis, potissimum Sanctimonialibus, cujuscunque Ordinis & Regulæ præscindant, iisdem peregrinandi, parentes, consanguineos, aut amicos visendi, apud illos prandia frequentandi, Bacchanalia, Martinalia, & Festivas Ecclesiarum dedicationes celebrandi, baptizati infantis conviviis assistendi, aliorumque negotia curandi licentiam non concedant.

§. II. *Quales pro concionibus, & eleemosynis colligendis emittendi.*

Dispiciant etiam, quosnam, & ad quos pro concionibus, & colligendis eleemosynis emittant, quibus districte præcipiant, ut in populi conspectu, non tantum sana doctrina, sed moribus pariter Religiosam vitam decentibus ita effulgeant, ut proximo ædificationi, Ecclesiæ, & Ordini sint honori, nullique vel minimum scandalum præbeant.

§. III. *Terminariis quæ servanda.*

Religiosi Terminarii gravitate morum, & Missionarii zelo præditi sint, qui, dum stationes suas obeunt, vel collectas faciunt, nunquam diutius morentur, quam necessitas postulat; nec unquam ultra terminum ipsis præfixum e Monasteriis, seu Conventibus suis emaneant: nec alibi, quam apud loci Pastorem, seu Vice-Pastorem, seu honestum aliquem incolam (quibus ratione expensarum precibus, vel pretio satisfaciant) hospitentur: nunquam autem in taberna, vel diversorio, vel hospitio publico, sive soli, sive cum aliis divertant; (r) qui secus fecerint, a Parochis, vel Vice Parochis, ad petendam eleemosynam in parochiis suis juxta HERMANNI IV. Prædecessoris nostri Statutum (s), nequaquam sine expressa nostra, nostrive in Spiritualibus Vicarii licentia in scriptis obtenta admittantur. Quod si Pastor, seu Vice-Pastor loci, hac in re deprehendatur reus, tribus florenis Rhenensibus mulctabitur.

§. IV. *Causam dissolutionis Superiores ab iis tollant.*

Proinde Regularium Terminariorum Superiores in Domino monemus, ut omnis dissolutionis causam suis subditis adimant, ne Nos illos, qui suo exemplo plus destruunt, quam prædicatione ædificant, tanquam inutiles in vinea Domini operarios, a suis terminis, & a munere prædicandi, & eleemosynas colligendi amovere cogamur.

§. V.

(p) Loc. cit. (q) Clemens VIII. Const. 60. Conc. Prov. Col. sub Hermanno V. p. 397.
(r) C. Cum ex eo. de Pœnit. & Remiss. (s) Pag. 367.

§. V. *Monialium clausura sit perpetua.*

Quo Sanctimonialium autem vitentur incontinentiæ pericula, & Christo Domino consecrata corporis, spiritusque sanctitas, illibata servetur, nihil fere religiosius Sacrosancta Synodus Tridentina (t), Constitutionem BONIFACII Papæ VIII. (u) renovans, commendat Episcopis, nihil etiam magis formidanda comminatione mandat, quam quod de clausura in Monialium Cœnobiis vel restituenda, vel conservanda serio statuit: " Universis enim " Episcopis sub obtestatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus " Monasteriis sibi subjectis, ordinaria, " in aliis vero Sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram Sanctimonialium, " ubi violata fuerit, diligenter restitui, " & ubi inviolata est, observari maxime procurent: inobedientes, atque " contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacunque " appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus " fuerit, auxilio brachii sæcularis." Nos, ne nostro officio hac in parte defuisse videamur, comminatamque maledictionem æternam (quod absit) incurramus, omnes Monasteriorum Sanctimonialium Civitatis & Diœcesis nostræ Coloniensis Superiores sub eadem obtestatione, & comminatione monemus, ut tam salutare Decretum summo studio exequantur, ne Nos ad dictas censuras, aliasque pœnas, aut brachium sæculare adhibendum, procedere compellamur.

CAPUT VIII.

§. I. *Religiosi raro egrediantur & visitentur.*

SIcut ad clausuram, & solitudinem pertinet, ut Religiosi non nisi necessitate exeant, ita ad eandem quoque spectat, ne a quibusvis, aut quolibet tempore invisantur. Qua in re graviter a multis peccatur: reperire enim est quorundam Monasteriorum portas, quibusvis accedentibus, semper patere, aut si clausæ sint, pulsantibus permitti, ut sine præscitu, aut consensu Superioris, Religiosorum cellas petant, longeque liberius, quam in sæcularium domibus, aut Principum aulis, cuivis, quosvis accedendi facultatem indulgeri.

§. II. *Mulieribus ad claustra virorum non pateat accessus, nec econtra.*

In quibusdam similiter virorum Monasteriis, sive per communem portam, sive per Templum, quandoque usque ad Fratrum cellas, mulieribus patet accessus: in Monialium pariformiter Cœnobiis non solum virginibus, & mulieribus, verum etiam viris, & adolescentibus ante cancellos, imo & in Monasterii penetralibus, ipsisque refectoriis, cum Sponsis Christi, virginibus velatis confabulari, comedere, jocari permittitur. Et quasi vinum, & adolescentia non satis magna forent voluptatis incentiva, quandoque etiam instrumenta musica adhibentur, ut virgines illæ mundum non reliquisse, sed mutasse duntaxat, & castitatis, aliaque vota ad provocandam iram Dei, propriamque salutem manifestissimo æternæ damnationis periculo exponendam, emisisse videantur.

§. III. *Monasteriis virorum præficiatur Portarius.*

Qui gravissimi, & periculosissimi abusus, ut penitus eradicentur, in singulis virorum Monasteriis certus janitor moribus, & ætate maturus, fidelis, & mansuetus ad Monasterii portam constituatur, qui, ut porta semper clausa sit, observet, & ad Religiosorum colloquium admitti petentes, Monasterii Superiori deferat, ejusdemque mandato, an admittendi sint, se conformet.

§. IV. *Moniales sæcularibus loquantur velatæ.*

Præterea cum in Statutis Decessoris nostri ADOLPHI III. (x) habeatur, ut Moniales, ne quidem virorum conspectibus pateant, optamus laudabilem morem, qui in quibusdam virginum Monasteriis observatur, ut velum sit ante cancellos, ubi ad colloquendum cum extraneis conveniunt, in

(t) Seff. 25. de Regular. c. 5. (u) C. 1. de statu Reg. in 6. (x) Pag. 49.

in omnibus introduci; Parentes vero, fratres, & sorores, fratrum quoque uxores, ac eorundem & sororum filios, ut aliquando videant, si soli compareant, permittimus. Eos tamen, ut monet D. Hieronymus (y), sic videant, ut per eos alios non videant, quorum vultus cordi hæreant, & tacitum vivat sub pectore vulnus.

§. V. *Templum Sanctimonialium sit extra ambitum clausuræ.*

Si quæ sint virginum Monasteria, quorum Templum, aut Sacellum ita constitutum est, ut Sacerdos celebraturus illud ingredi non possit, nisi intrando, aut transeundo Monasterii clausuram, ineatur ratio, secundum quam aliter de hujusmodi Oratorio disponatur; interim per circuitum, vel alia via Sacerdoti in Templum permittatur ingressus. Quod si omnino fieri non possit, nullus ibidem ad celebrandum admittatur, nisi qui a Nobis, aut nostro in Spiritualibus Vicário specialem desuper facultatem obtinuerit.

§. VI. *Sacerdos celebrans apud virgines non jentet.*

Sacerdos, qui in virginum Monasteriis celebraverit, nequaquam ibidem sumet jentaculum; quod si adeo pauper sit, ut non habeat domi, quod manducet, ideoque Moniales in eo Christum pascere cupiant, vel jubeant eum redire ad prandium, & ante cancellos, ubi solent tractari hospites, religiose ipsum reficiant, vel potius alia eleemosyna ejus indigentiæ, pro sua facultate subveniant.

§. VII. *Modus admittendi Sacerdotes, Confessarios, Medicos, & Operarios intra clausuram.*

Quando Sacerdos, aut Confessarius ad Sacramenta, aliave charitatis officia ægrotantibus Monialibus impendenda, Monasterium Monialium ingredi cogitur: item quando Medicus, Chirurgus, Pharmacopola, Operarii, vel quicunque alii viri ad necessariam operam in hujusmodi Monasteriis præstandam, sunt admittendi, Præfecta Monasterii, aut ejus Vicaria, cum duabus senioribus, & discretis Monialibus ab ipsa Præfecta deputandis, eosdem ingredientes, & intra septa clausuræ hærentes semper comitetur, adeo ut ab illarum præsentia sese separare nequeant; caveatur autem diligentissime, ne quæ sola velata, vel non velata operariis manum adjutricem præbeat, & curiosa spectatrix operis assistat.

§. VIII. *Colloquia Monialium cum sæcularibus quomodo instituenda.*

Ne puritas cordis sæcularium conversatione fœdetur, Moniales a familiaribus virorum, mulierum, aut puellarum sæcularium colloquiis abstineant; nimia siquidem sæcularium familiaritas spiritum pietatis extinguit, & infinitas animi molestias, atque distractiones generat. Nulla propterea Monialium, ne quidem Abbatissa, Priorissa, vel alia Superior sola cum solis extraneis, sed alia Moniali arbitra ac teste semper præsente loquatur, nisi interdum Præfectæ Monasterii, expedire visum fuerit, ut colloquium solius, cum personis Ecclesiasticis, aut Religiosis de rebus animam, & conscientiam concernentibus, permittatur.

CAPUT IX.

§. I. *Convictorum habitatio sit distincta.*

Si quæ Monasteria Convictores alant, eorum habitatio a Religiosorum ita distincta sit, ut commoditatem majorem extraneis ipsos accedendi, aut cum iis colloquendi, nisi obtenta a Superiore facultate non habeant; ne furtive per illos adferri, aut nunciari curent, quæ Superior, si sciret, non permitteret; & ne ex iis intelligant, quid foris agatur, quæ, inquit D. Benedictus (z), *plurima destructio est.*

§. II. *Convictores a Religiosorum refectorio arceantur.*

Convictores ad commune Religiosorum refectorium non admittantur, nisi raro & in summis Festivitatibus. Monasterii Præfectus, ut absque noxa vivant, & Ecclesiæ præceptis satis-

(y) Epist. ad Rustic. (z) C. 67. Regulæ.

tisfaciant, nihilque quod Monasterio infamiam possit conciliare, committant, diligenter advigilet, delinquentes pro ratione culpæ corrigat, neque solum allaboret, ut a peccatis, & criminibus abstineant, sed etiam in operibus bonis & virtutibus proficiant.

§. III. *Magna de Convictricibus debet esse cura.*

Eadem de virginibus in convictu apud Moniales existentibus debet esse solicitudo, maximaque cura, ut minutiora etiam peccata vitent, & in via perfectionis indies progrediantur, clausuramque servent; vestitum earundem convenit esse modestum, non sumptuosum, aut splendidum, ne vel ipsæ puellæ vanitate mundi inescentur, vel Moniales aliquas assumpti habitus religiosi pœnitere incipiat.

§. IV. *Convictrices sumptus solvant, & libertatis suæ in electione status admoneantur.*

Ne puellarum sæcularium in Monasteriis educatio occasionem avaritiæ præbeat, aut illarum conscientiis scrupulum causet; sumptibus parentum, nisi vere pauperes sint, usque ad annum probationis alantur, & vestiantur, & vel maxime, dum ad discretionis annos pervenerunt, circumspecte sæpius moneantur, quod nec Novitiæ, nec Religiosæ sint, sed plenam libertatem statum vel religiosum, vel sæcularem eligendi habeant, instruanturque de methodo prudenter in deligendo statu deliberandi, & resolvendi.

CAPUT X.

§. I. *Silentium servandum, literæ clanculum non scribendæ.*

AD bonum solitudinis monasticæ in ipso Monasterio perfecte consequendum, pertinet silentium: hujus igitur habenda est diligens quoque ratio, curandumque, ne Religiosi inter se crebrius, quam eorum Statuta permittunt, colloquantur; nec alios, quam ad eos in sancto proposito confirmandos utiles, sermones misceant, soliciteque advigilandum, ne aliqui, aut clam literas ab aliis accipiant, aut ad alios perferendas curent.

§. II. *Religiosi, qui multos habent consanguineos, ad alia loca transferantur.*

Religiosi, qui in loco, ubi degunt, multos habent consanguineos, a quibus frequenter & importune visitantur, aut quos frequentius invisere coguntur, ad aliud ejusdem Ordinis Monasterium mittantur. Quod ut inposterum, quantum fieri potest, præcaveatur, cæteris paribus, potius assumendi erunt ad ordinem, qui in loco, ubi Monasterium situm est, nullos, aut quam paucissimos, quam qui multos, & potentes habent consanguineos; quotidiana enim experientia complures Monasteriorum Præfectos docuit, inde dissolutionem disciplinæ religiosæ ortam fuisse, unde emolumenta temporalia sperabantur. Quod si tamen tales aliquando assumendi erunt, ad aliud ejusdem Ordinis Monasterium destinentur; frustra siquidem ad perfectionem vitæ Christianæ contenditur, quamdiu illud humani affectus vinculum non inciditur, quo quis carni, & sanguini minus ordinate colligatur. Qua de re amici in admissione Novitii, ne offendantur, erunt admonendi.

§. III. *Strepitus judiciarii in Monasteriis prohibeantur.*

Ut quieti, & tranquillitati Monasticæ plenissime consulatur, in Monasteriis strepitus judiciarios, vel arbitramenta fieri prohibemus; nam ab hujusmodi strepitu, & diversorum hominum conventu, maxime cum insolentes ministros, mulieres vanas, & earum petulantes pedissequas aliquando eis adesse, & ea occasione per Monasterium vagari contingat, Monasteria volumus prorsus esse libera & immunia.

§. IV. *In Monasterio omnia sint rite disposita.*

In ipso Monasterio omnia sint ita ordinata, ut nihil reperiatur, quod internam animorum quietem, ac unionem cum Deo aliqua ratione perturbare valeat. Quo imprimis spectat, ut fenestræ, & foramina, e quibus extra Monasterium prospici possit, vel literæ, aut quidvis aliud foris accipi, aut

aut foras mitti, obstruantur; deinde ut ostia interioris clausuræ, & dormitorium statis horis claudantur, & aperiantur, ne Religiosi per Monasterium vagabundi, & otiosi discurrant; item ne sæculares per templum claustri loca intrare possint. Habenda insuper est ratio, ut talis constituatur custos, de quo nulla possit esse suspicio, quod extraneos per Templum ad colloquendum cum Religiosis admittat, aut ipsemet hac in parte peccet. Curandum præterea, ne Religiosi absoluto Divino Officio eos, quos velint, in Templo convenire queant, multo minus, ut Templum exeant, & vel in ostio transeuntes observent, vel ad vicinos confabulandi gratia procedant.

§. V. *Monasteria ruinosa ad urbes transferantur.*

Ad colendam arctius solitudinem, multa utriusque sexus Monasteria procul ab urbibus, in agris, & sylvis fuerunt exstructa, quæ si iniquitate temporum, malorum hominum prædæ, & aliis facinoribus sine ulla custodia exposita, aut ita destructa existant, ut sine maximis sumptibus restaurari nequeant, aut bellorum calamitatibus, vel mala bonorum administratione eo redacta sint, ut reditus vix pauculis personis sustentandis sufficiant, expedire judicamus, ut Religiosi illorum Monasteriorum sese ejusdem Ordinis Monasteriis in urbibus constitutis, de nostro consensu conjungant, aut si hoc fieri nequeat, desolata potius in urbibus loca emant, quam ea, quæ extra urbes habent, reædificent; tum ne ea, quæ extra urbes instauraturi essent, iisdem periculis exponantur, tum ne dubia meliorum temporum exspectatione in talibus Monasteriis disciplina prorsus collabatur.

CAPUT XI.

§. I. *Modus excipiendi hospites.*

Hospites in virorum Monasteriis a Religioso modesto, ac gravi ad hoc deputato benigne excipiantur; maxime Religiosorum consanguinei, & juxta Regulam in mensa Abbatis, Præpositi, Prioris, vel Guardiani, vel alio honesto loco, advocatis, si ita Superiori videbitur, iis, quorum causa venerint, tractentur; sit autem mensa frugalis, ebrietas, & provocationes ad æquales haustus prorsus vitentur, initioque refectionis ex devoto libello aliquid legatur; unde inter prandendum, aut cœnandum piorum discursuum sumatur occasio, ne ad otiosa, aut quod pejus est, ad detractiones lingua prolabatur.

§. II. *Quibus extra mensam non propinetur haustus.*

Absoluto prandio, vel cœna, ut viri Religiosi religiose hospites tractent, vinum amplius non propinetur; turpe enim, & ignominiosum nimis est, viros Religiosos, ac professione sanctos, in similibus subinde sæculares luxu, ac dissolutione superare, sibique persuadere, quod non liberaliter exceperint hospites, ac convivas, nisi illos ebrios dimiserint.

§. III. *In mensa Superioris adhibeatur lectio.*

Mensam Abbatis, & cujuscunque alterius Superioris lectio sacra, & sobrietatis virtus semper exornent; tum ut vitæ, & morum integritate, ac sobrietate subditis præluceat, tum ut una cum cibo corporali, spirituali quoque alimonia, si qui adsint convivæ, reficiantur, cognoscantque, Monasteria scholas esse, in quibus mortificationi carnis, non voluptati studetur.

§. IV. *Monialibus non licet cum aliis extra cancellos prandere.*

In Sanctimonialium Monasteriis locus hospitibus tractandis conveniens, seclusus a Claustro deputetur, ubi amici, potissimum consanguinei Monialium (si id necessitas, aut honestas poscat) decenter, & honeste, frugaliter tamen excipiantur: ad locum hunc nulli Monialium, imo ne Abbatissæ quidem extra cancellos pateat accessus, sed ante eosdem cum amicis colloquantur; serventur similiter ea, quæ virorum Monasteriis de hospitalitate, ac temperantia servanda a Nobis, atque etiam Monialium Monasteriis, de modo excipiendi hospites, a Decessoribus

ſoribus noſtris ERNESTO, ac FERDINANDO Archi-Epiſcopis Germanico idiomate ſalubriter præſcripta ſunt.

CAPUT XII.

§. I. *In confeſſione, & ſumptione Euchariſtiæ quæ ſervanda.*

IN expiatione conſcientiarum, & humili peccatorum confeſſione, ac Sanctiſſimæ Euchariſtiæ frequentatione, id obſervetur, quod cujusque Ordinis Regulæ, ac probatæ conſuetudines requirunt: ſciant interim omnes Superiores Decretum CLEMENTIS Papæ VIII. (z) de caſuum reſervatione, eorundemque abſolutione ſtrictiſſime ſibi ſervandum eſſe, quod ne quenquam lateat, hic ſubjicimus.

§. II. *Caſus Regularium Superioribus reſervati.*

" Sanctiſſimus Dominus noſter, " qui jam pridem accurate perpendit, " ac re ipſa comperit, quod reſervatio " facultatis abſolvendi Religioſos pœnitentes, a peccatis quibusdam gravioribus, niſi Superiores admodum " prudenter, ac moderate illa utantur, " nonnullos infirmiores, qui interdum " Superiori ſuo conſcientiæ maculas " detegere formidant, adducere poſſet " in æternæ damnationis periculum, " & ſpiritualis remedii deſperationem; " ideo ut huic malo Sanctitas ſua opportune proſpiceret, decrevit, ut " nemo ex Regularium Superioribus " peccatorum abſolutiones ſibi reſervet, exceptis iis, quæ ſequuntur, " aut omnibus, aut eorum aliquot, " prout ſubditorum utilitati expedire " prudenter in Domino judicaverit: " veneficia, incantationes, ſortilegia, " apoſtaſia a Religione, ſive habitu dimiſſo, ſive retento, quando eo pervenerit, ut extra ſepta Monaſterii, " ſeu Conventus fiat egreſſio: nocturna ac furtiva e Monaſterio, ſeu Conventu egreſſio, etiam non animo " apoſtatandi facta: proprietas contra " votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale, juramentum falſum " in judicio Regulari ſeu legitimo: " procuratio, auxilium, ſeu conſilium " ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſequuto: falſificatio manus, aut ſigilli " Officialium Monaſterii, aut Conventus, furtum de rebus Monaſterii, " ſeu Conventus in ea quantitate, quæ " ſit peccatum mortale, lapſus carnis " voluntarius opere conſummatus: " Occiſio, aut vulneratio, ſeu gravis " percuſſio cujusque perſonæ, malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum a Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores. Si quod aliud " præterea peccatum grave pro Religionis conſervatione, aut pro conſcientiæ puritate reſervandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut " Provincialis in Provincia matura diſcuſſione & conſenſu. Non liceat Superioribus Regularium confeſſiones " ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſervatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſponte, ac " proprio motu ab iis petierint. Superiores in ſingulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confeſſarios pro ſubditorum numero majori, vel minori, iique ſint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui a " non reſervatis eos abſolvant, & quibus etiam reſervatorum abſolutio " committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi, " ipſe imprimis Confeſſarius judicaverit. Tam Superiores pro tempore " exiſtentes, quam Confeſſarii, qui " ad Superioritatis gradum fuerint " promoti, caveant diligentiſſime, ne " ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur: licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibusdam " peccatis, etiam non reſervatis a Confeſſariis imponendas, quæ ſubditos " ab hujusmodi perpetrandis cohibere " poſſint. Atque ita per quoscunque " Regularium Superiores, quicunque " illi ſint, obſervari mandavit. Non " obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinatio-

(z) Extat hoc Decretum ſub Urbani VIII. Conſtitutionibus 28.

" nationibus Apostolicis, ac cujusvis " Concilii, & etiam generalibus Decretis, nec non consuetudinibus, " etiam ab immemorabili tempore observatis, aut Regulis in Generalibus, " seu Provincialibus Capitulis editis, statutis, & consuetudinibus, etiam Apostolica authoritate confirmatis, privilegiis, indultis, & concessionibus " quorumcunque, quorum tenores " hic pro expressis haberi voluit, cæterisque in contrarium facientibus " quibuscunque. Datum Romæ apud " S. Petrum, die 26. mensis Maji anno Domini 1593."

§. III. *Superiore facultatem a casibus reservatis absolvendi negante, Confessarius absolvere potest.*

" Sanctitas sua deinceps declaravit, & declarat, ut si hujusmodi Regularium Confessariis casus alicujus " reservati facultatem petentibus, Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illa vice Pœnitentes Regulares, etiam non obtenta a " Superiore facultate, absolvere."

§. IV. *Confessarii Monialium sunt approbandi.*

Porro & GREGORIUS XV. (*a*) declarat, nullum Sacerdotem sæcularem, vel cujusvis Ordinis, vel Instituti Regularem, etiam Superiorem, & quomodolibet exemptum, licet Episcopali authoritate ordinaria ad sæcularium confessiones excipiendas approbatum, ullarum cujuscunque Ordinis Monialium, quantumvis exemptarum, aut sibi, vel ejusdem Ordinis Superioribus subjectarum, confessiones, sive ordinarias, sive extraordinarias audire posse, nisi speciatim ad id fuerit ante ab Episcopo Diœcesano approbatus, quam declarationem cum plurima contineat Regularibus præcipue cognitu necessaria, subjungendam duximus & publicandam.

CAPUT XIII.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

§. I. *Ad Ecclesiastica Sacramenta ministranda, & in Monasteriis Monialium verbum DEI prædicandum idonei assumantur.*

" INscrutabili DEI providentia universalis Ecclesiæ regimini, &c."

CAPUT XIV.

§. I. *Dubia ex prædicta Constitutione orta solvuntur a sacra Congregatione.*

ORtis subinde super præinserta Constitutione GREGORIANA dubiis, sacra Congregatio Cardinalium ad dubia Concilii Tridentini declaranda Deputatorum consulta respondit in hæc verba: " Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, censuit Constitutionem san. " mem. GREGORII XV. (*b*) de exemptorum privilegiis, nequaquam " subjicere Regulares exemptos, quibus cura animarum personarum sæcularium non incumbit, Episcoporum jurisdictioni in his, quæ Sacramentorum administrationem concernunt, nisi cum in Sacramentis personis sæcularibus administrandis iidem Regulares delinquunt."

§. II. *Quænam altaria Ecclesiarum Regularium visitare possit Episcopus.*

Ad primum propterea *dubium*, An liceat Episcopis visitare altaria Regularium Ecclesiarum, quibus cura animarum personarum sæcularium non incumbit, aut loca, ubi in eisdem Ecclesiis asservatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel ubi audiuntur confessiones personarum sæcularium? Respondit: " Episcopis non licere in " vim ejusdem Constitutionis visitare " altaria Ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura " personarum sæcularium, nec loca, " ubi in eisdem Ecclesiis asservatur " Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel ubi confessiones personarum sæcularium audiuntur."

§. III.

(*a*) Constit. 18.

(*b*) Tom. 3. Bullarii post Gregorii XV. Papæ Constit. 18.

§. III. *Quid eisdem circa confessiones audiendas præscribere valeat.*

Ad secundum, An Episcopi possint Regularibus præscribere, ut certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant, vel alias illorum privilegia restringere, ac moderari in Sacramentis administrandis? Respondit: " Hac in parte " Constitutionem nihil novi juris induxisse, nec ullam novam authoritatem Episcopis in Regulares attribuisse: id vim ipsius Constitutionis non posse Episcopos Regularibus præscribere, ut certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant, vel alias illorum privilegia in Sacramentis administrandis restringere, aut moderari. Quod si aliunde Episcopis hujusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eadem Constitutione sublatam. "

§. VI. *An facultas hæc extendatur in personas nullius Diœcesis.*

Ad tertium, An facultas Episcopis per Constitutionem attributa in exemptos, tam sæculares, quam Regulares, intelligatur etiam tributa in personas nullius Diœcesis? Censuit " ejusmodi " facultatem non intelligi tributam " Episcopis in personas nullius Diœcesis. "

§. V. *An competat aliis Prælatis.*

Ad quartum, An eadem facultas competat aliis inferioribus Prælatis proprium territorium, ac jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus? Respondit: " Non competere. "

§. VI. *An per Gregorianam jus confirmandi Abbatissas Episcopis attributum sit.*

Ad quintum, An per eandem Constitutionem in illis verbis: " Possit " Episcopus, una cum Superioribus " Regularibus quarumcunque Abbatissarum electionibus per se, vel per " alium interesse, ac præsidere, " jus Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur? Respondit: " Jus " confirmandi Abbatissas minime fuisse Episcopis per Constitutionem attributum. "

§. VII. *An omnes Confessores Monialium ad petendam approbationem Episcopalem, & subeundum examen obligentur.*

Ad sextum, An Confessores Monialium ante editam constitutionem deputati debeant ab Episcopo examinari, & approbari? Respondit; " Confessores " quidem extraordinarios Monialium " nullatenus posse post Constitutionem, " illarum confessiones audire, nisi " prius ab Episcopo Diœcesano idonei " judicentur, & approbentur. Ordinarios vero Confessores ante Constitutionis publicationem deputatos " posse, durante triennio ab eorum " deputatione inchoando, pergere in " confessionibus Sanctimonialium audiendis, absque alio examine, & " approbatione Episcopi; quod si contingat, ut illorum facultas a Sede " Apostolica ultra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Episcopo " examinari, & approbari. "

§. VIII. *Quid de Superioribus Regularibus ante publicationem Constitutionis deputatis statuendum sit.*

Ad septimum, An Superiores Regulares similiter ante ipsius Constitutionis publicationem electi, seu deputati, alia indigeant Episcopi approbatione, pro confessionibus Sanctimonialium sibi subjectarum audiendis? Respondit; " Superiores electos, seu deputatos ante ipsius Constitutionis " publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi confessiones Monialium sibi subjectarum, " posse, durante eorum officio, pergere sine alia Episcopi approbatione, " in confessionibus audiendis illarum " tantum, quæ sponte, ac proprio motu id ab iis petierint. At vero, eos, " qui post Constitutionem eligentur, " aut quoquo modo deputabuntur, " vel qui in eorum Officiis, seu dignitatibus, expleto jam tempore a Constitutionibus cujusque Ordinis, vel " alias legitime præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam " posse Sanctimonialium confessiones audi-

" dire, nisi prius a Diœcesano Episcopo idonei judicati, atque approbati fuerint."

§. IX. *An confessiones ab illis post publicationem exceptæ nullæ sint.*

Ad octavum, An confessiones, quas audiunt Superiores Regulares electi, seu deputati, vel confirmati, post publicationem, & scientiam tenoris dictæ Bullæ, non obtenta Episcopi approbatione sint nullæ, atque irritæ, nec ne? Respondit; " Confessiones hujusmodi nullas, atque irritas esse."

§. X. *An generaliter approbati pro confessionibus, Monialium confessiones etiam audire possint.*

Ad nonum, An Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad confessiones personarum sæcularium audiendas, censeantur etiam approbati ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum? Respondit; " Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum sæcularium audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione."

§. XI. *An approbatus ad audiendas confessiones Monialium unius Monasterii, alterius audire valeat.*

Ad decimum, An Regularis ad audiendas confessiones Monialium unius Monasterii ab Episcopo approbatus, confessiones Monialium alterius Monasterii audire possit? Respondit; " Regularem ad audiendas confessiones Monialium unius Monasterii ab Episcopo approbatum, minime posse audire confessiones Monialium alterius Monasterii."

§. XII. *An pro una vice approbati, absque nova licentia pluries Monialium confessiones audire possint.*

Ad undecimum, An Confessores Regulares extraordinarii semel ab Episcopi deputati, & approbati ad audiendas Monialium confessiones pro una vice infra annum, ad præscriptum sacri Concilii Tridentini, possint virtute

dictæ approbationis pluries, tanquam Confessores extraordinarii, earundem confessiones audire, absque nova Episcopi licentia? Respondit; " Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse pluries, in vim approbationis ejusmodi, illarum confessiones audire, sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit."

§. XIII. *An Episcopus causam amotionis Confessorum, & Administratorum Superioribus Regularibus significare obligetur.*

Ad duodecimum. Cum in eadem Constitutione statutum sit, ut liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut amoveant Confessores Monialium, atque Administratores bonorum, ad earundem Monialium Monasteria pertinentium, iisque Superioribus id facere detrectantibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & Administratores amovendi, quoties, & quando opus esse judicaverit, an ejusmodi causam Episcopus Superioribus Regularibus significare teneatur? Respondit; " Non teneri ejusmodi causam significare Superioribus Regularibus, sed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Episcoporum; quorum conscientiam sacra Congregatio serio oneravit, ne facultate sibi in hac parte attributa quoquo modo abutantur, ejus rei in districto DEI judicio rationem reddituri."

§. XIV. *An jurisdictio Episcopalis contra Religiosos in omnibus delictis sit fundata.*

Ad decimum tertium. An eadem Constitutio, qua parte supponit Episcopi jurisdictioni Regulares delinquentes circa personas degentes intra septa Monasteriorum Monialium, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem eorundem Monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an vero solum in notoriis, & cum scandalo populi? Respondit; " Constitutionem habere locum in omnibus deli-

 ctis,

" ctis, non autem in notoriis tantum, " & cum populi ſcandalo. "

§. XV. *Decreta Congregationis Apoſtolicæ authoritate confirmata.*

Quæ ſacræ Congregationis reſponſa ad ſe relata fel. recordat. GREGORIUS XV. & URBANUS VIII. in omnibus approbarunt.

§. XVI. *Quando puniri poſſint Regulares ad electionem Abbatiſſæ non præmonito, vel non exſpectato Epiſcopo procedentes.*

Exorto etiam dubio, an liceat Epiſcopo in vim Conſtitutionis GREGORII XV. de exemptorum privilegiis, punire Regulares, qui ad Abbatiſſæ electionem procedunt, ante tempus ipſi Epiſcopo ſignificatum, aut die electionis eidem nullatenus prænuntiata? Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Reſpondit: " Regulares ex eadem Conſtitutione " ita demum teneri Epiſcopo ſignifica- " re diem electionis Abbatiſſæ, eum- " que uſque ad præfinitum tempus ex- " ſpectare, ſi antea expreſſe ipſe decla- " raverit, ſe uti velle facultate ſibi hac " in parte attributa, Abbatiſſarumque " electionibus per ſe, vel per alium " intereſſe, ac præſidere. Poſt eam " vero declarationem licere Epiſcopo " animadvertere in Regulares, qui an- " te tempus ſignificatum, aut die ele- " ctionis eidem non prænuntiata, ad " Abbatiſſæ electionem procedunt. "

§. XVII. *INNOCENTIUS X. Gregorianam Conſtitutionem, & Cardinalium Declarationes confirmavit.*

Præmiſſæ etiam Cardinalium Declarationes, & GREGORII XV. Conſtitutio, ex INNOCENTII X. (c) Summi Pontificis Conſtitutione in cauſa Angelopolitana jurisdictionis in Indiis Occidentalibus novæ Hiſpaniæ, non tantum roborantur, ſed & alia complura notatu digna dubia huc ſpectantia reſolvuntur, cujus proinde verba ſubjicimus.

CAPUT XV.

§. I. *Controverſiæ inter Epiſcopum Angelopolitanum, & Religioſos Societatis JESU, ſuper munere prædicationis, & ſæcularium confeſſionibus.*

" CUm, ſicut accepimus, aliquæ " fuerint ortæ differentiæ, inter " Venerabilem Fratrem JOANNEM " Epiſcopum Angelopolitanum ſive " populi Sanctorum Angelorum in In- " diis Occidentalibus ex una, & dile- " ctos filios Clericos Regulares Socie- " tatis JESU ex altera partibus; de, " & ſuper munere prædicationis verbi " Dei tam in propriis eorundem Cleri- " corum Regularium, petita ſolum " Epiſcopi benedictione, quam in alie- " nis Eccleſiis petita, & obtenta ab " eodem Epiſcopo Diœceſano licentia " exercendi; nec non ſuper confeſſio- " nibus Laicorum audiendis prævio " examine, ſive approbatione ejusdem " Epiſcopi Diœceſani, quæ dicti Cle- " rici Regulares in vim privilegiorum " prædictæ Societati, Apoſtolica au- " thoritate conceſſorum, ſibi proprio " jure licere prætendebant, & deſu- " per in partibus fuerit deventum ad " plures actus judiciales, & pro parte " Clericorum Regularium hujusmodi " ad electionem Conſervatorum privi- " legiorum hujusmodi: Nobisque " tam dicti JOANNIS Epiſcopi, quam " eorundem Clericorum Regularium " nomine, pro ſopiendis differentiis " hujusmodi quædam dubia deciſio- " nem differentiarum præfatarum, nec " non jurisdictionem Ordinariorum in " exemptos, & ipſorum Clericorum " Regularium exemptionem a jurisdi- " ctione Ordinarii concernentia fue- " rint propoſita, ad quæ ambæ partes " reſponderi, & quid deſuper obſer- " vandum ſit, authoritate noſtra Apo- " ſtolica ſtatui, & ſtabiliri deſidera- " bant. "

§. II. *A Summo Pontifice examinandæ committuntur Cardinalibus, aliisque Prælatis.*

" Nos qui omnium fidelium, & " præſertim Eccleſiaſticorum quieti li- " benter incumbimus, differentias prædictas

(c) Tom. 4. Bullarii, Conſt. 30.

» dictas, totumque negotium particulari Congregationi aliquorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum Romanæ Curiæ Prælatorum examinandum commisimus, qui auditis sæpius Procuratoribus prædicti JOANNIS Episcopi; nec non Procuratore generali Societatis prædictæ, negotio mature discusso, omnibus dubiis, & petitionibus hinc inde propositis responderunt, prout sequitur; videlicet: "

§. III. *Quid desuper responderunt.*

" Sacra Congregatio a Sanctissimo Domino nostro deputata super controversiis vertentibus inter Episcopum Angelorum in Indiis Occidentalibus, & Religiosos Societatis JESU, sæpius auditis Procuratoribus ab eodem Episcopo ad urbem ablegatis; nec non ipsius Societatis Procuratore generali, negotioque accurate discusso, censuit prædictos Religiosos nequaquam posse in Civitate, & Diœcesi Angelopolitana personarum sæcularium confessiones audire, sine approbatione Episcopi Diœcesani, nec verbum Dei prædicare in Ecclesiis sui Ordinis, non petita ipsius benedictione, nec in aliis Ecclesiis sine ejus licentia, nec in Ecclesiis, etiam sui Ordinis, ipso contradicente, & contravenientem ab Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, coerceri, & puniri posse, etiam censuris Ecclesiasticis, in vim Constitutionis sanct. mem. GREGORII XV. quæ incipit: *Inscrutabili DEI providentia.* Ac proinde memoratis Religiosis, qui hujusmodi approbationem, ac licentiam se obtinuisse non docuerint, potuisse Episcopum, seu ejus Generalem Vicarium præcipere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ut a confessionibus audiendis, & verbi Dei prædicatione abstinerent, nec ob eam causam licuisse dictis Religiosis, quasi a manifestis injuriis, & violentiis eligere Conservatores, eosque, ut prætertur, electos, in Episcopum, ejusque Vicarium Generalem indebite, ac nulliter excommunicationem fulminasse. Cæterum S. Congregatio serio in Domino hortatur, ac monet Episcopum, ut Christianæ mansuetudinis memor, erga Societatem JESU, quæ laudabili suo Instituto in Ecclesia Dei tam fructuose laboravit, ac sine intermissione laborabat, paterno se gerat affectu, eamque in regimine Ecclesiæ suæ perutilem adjutricem agnoscens, benigne foveat, ac pristinæ suæ benovolentiæ restituat; quemadmodum sacra Congregatio ipsum facturum confidit, sibique certo pollicetur, cum ejus zelum, pietatem, ac Pastoralem solicitudinem compertam habeat. Datum Romæ die 16. April. anno 1648. "

§. IV. *Ac diversa dubia hinc inde proposita resolverunt.*

" Et præmissorum occasione pro parte prædicti JOANNIS Episcopi, nec non Religiosorum Societatis JESU in eadem Congregatione proposita fuerunt diversa dubia, de mandato Sanctissimi resolvenda, quæ quidem sacra Congregatio sæpius auditis Procuratoribus ab eodem Episcopo ad urbem missis; nec non Procuratore Generali ipsius Societatis, negotioque mature perpenso, ad singula dubia ab utraque parte proposita, respondit ordine, quo sequitur. "

§. V. *Dubia ex parte Episcopi Angelopolitani.*

Primo. An in casu, quo Episcopus præcipiat Decreta aliqua Concilii Tridentini a Regularibus observari, & executioni demandari, Regulares quicunque, etiam Societatis JESU, sub prætextu, quod hujusmodi præcepta infringant sua privilegia, possint eligere Conservatores? Congregatio respondit; " Si Episcopus præcipiat Regularibus, etiam Societatis JESU, ut Decreta aliqua Concilii Tridentini observent, ac exequantur in illis casibus, in quibus per ipsum Concilium, vel Constitutiones Apostolicas Regulares exempti subjiciuntur jurisdictioni, & correctioni Episcopi, minime licere ipsis Regularibus ob

" ob eam causam Conservatores eligere. "

Secundo. An quando Ordinarius procedit juris ordine servato, adversus Regulares prædictos in casibus, in quibus per Concilii Tridentini, vel Constitutiones Apostolicas ipsi subjiciuntur, possint Conservatores Judices assignare? respondit; "Ut ad primum, " non posse."

Tertio. An Regularibus, etiam Societatis JESU, asserentibus se habere privilegia, quo minus obediant Episcopo in executione Decretorum Juris communis, Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum, Ordinarii debeant ipsis adhibere fidem absque exhibitione hujusmodi privilegiorum? respondit; " Ordinarios non teneri " hujusmodi assertioni fidem adhibere, " absque integrali privilegiorum ex- " hibitione."

Quarto. An in casu, quo Regulares quicunque, etiam Societatis JESU, exhibeant aliqua privilegia, & Ordinarii judicent ea non suffragari casui, de quo agitur, & ad rem non facere, Regulares præfati possint, & debeant provocare ad Summum Pontificem, vel in partibus Indiarum remotissimis ad Metropolitanum, sive Ordinarium viciniorem, vel potius possint hoc casu eligere Judices Conservatores? respondit; " Si verba privilegiorum sint " obscura, & ambigua, non licere re- " currere ad Metropolitanum, vel vi- " ciniorem Episcopum, nec Conser- " vatores eligere, sed Summum Pon- " tificem pro interpretatione esse ad- " eundum. "

Quinto. Utrum Constitutio fel. record. GREGORII XV. (*d*) circa Conservatores Regularium publicata anno 1621. cum declarationibus Eminentissimorum sacræ Congregationis Concilii Tridentini Interpretum desuper editis, æque afficiat, & comprehendat Religiosos Societatis JESU, ac reliquos Regulares, ita ut omnia alia prædictæ Societatis privilegia fuerint reducta ad terminos dictæ Constitutionis, & sic imposterum debeant ab iis eligi Conservatores, juxta formam, & tenorem prædictæ Constitutionis? respondit; " Hujusmodi Constitutionem " cum declarationibus, ut prætendi- " tur, editis, æque afficere Religiosos " Societatis JESU, atque aliorum Or- " dinum, & Conservatores ad illius " præscriptum esse eligendos, non ob- " stantibus quibusvis privilegiis, quip- " pe quæ omnia sunt redacta ad termi- " nos ipsius Constitutionis."

Sexto. An Regulares prædicti gravati ære alieno, vel ad ratiocinia, vel testamentorum Executores, possint conveniri coram Ordinario, si Conservatores non nominaverint intra tempus habile ab Ordinario præscriptum? respondit; "Regulares in causis præfatis " coram Ordinario loci esse convenien- " dos, si ad præscriptum Constitutio- " nis sanctæ mem. GREGORII XV. Con- " servatores non elegerint, ipsumque " electionis documentum intra præfi- " nitum tempus in actis Curiæ ipsius " Ordinarii non exhibuerint, ac dimi- " serint."

Septimo. An dicti Regulares, Conservatores sive ad jura, sive ad privilegia tuenda assumentes, teneantur ante exercitium Commissionis præstare cautionem coram Ordinario, sive alio Judice competente, de judicio sisti, & judicatum solvendo, casu quo in lite sive causa succubuerint? respondit; " Non teneri."

Octavo. An quando Episcopi jura, vel decimas Cathedralium adversus Regulares prædictos dote sua spoliantes Ecclesias coram Judice competente tuentur, librosque, memorialia, & allegationes producunt, jus Ecclesiarum Cathedralium exprimentes, & acquisitiones Religiosorum, aliaque id generis adnumerantes, hujusmodi scriptorum occasione possint Regulares nominare Conservatores, prætendentes injuriam sibi inferri, in referendo immoderatas acquisitiones? respondit; " Si Episcopi pro tuendis juribus Ca- " thedralium Ecclesiarum coram Judi- " ce competente hujusmodi scripta " producant, & Regularium immode- ratas

(*d*) Constit. 9. Bullarii, Tom. 3.

" ratas acquiſitiones veraciter, & modeſte referant, non licere Regularibus ob eam cauſam ad Conſervatores recurrere."

Nono. Utrum Regularis quicunque, etiam Societatis JESU, poſſit adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ ſæcularibus absque licentia Epiſcopi Diœceſani, etiamſi in aliena Diœceſi approbatus ſit? Reſpondit; "Regulares, etiam Societatis JESU, in una Diœceſi ab Epiſcopo approbatos ad confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas, nequaquam poſſe in alia Diœceſi hujusmodi confeſſiones audire, ſine approbatione Epiſcopi Diœceſani."

Decimo. An Epiſcopus contra dictos Regulares audientes in ſua Diœceſi confeſſiones ſæcularium, absque ſua approbatione, vel Concionatores absque licentia Epiſcopi intra, & extra proprias Eccleſias, poſſit procedere, eos a talibus miniſteriis removendo, ſive præceptis, & aliis juris remediis coercendo? Reſpondit; "Eisdem Regularibus, qui confeſſiones perſonarum ſæcularium audiunt, ſine approbatione Epiſcopi loci, vel prædicant in Eccleſiis ſui Ordinis, non petita illius benedictione, aut in aliis Eccleſiis absque ipſius licentia, vel in Eccleſiis, etiam ſui Ordinis, ipſo contradicente, poſſe Epiſcopum in vim Conſtitutionis fel. record. Gregorii XV. quæ incipit: *Inſcrutabili Dei providentia*, tanquam Sedis Apolicæ delegatum, adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, ac munus prædicationis interdicere, easque juris remediis coercere, & punire."

Undecimo. An quando Epiſcopo conſtat dictas licentias obtentas non fuiſſe, ipſe poſſit præcipere, ut, donec licentiam intra præſcriptum tempus exhibeant, a tali miniſterio abſtineant, & an requirendus ſit per Epiſcopum pro his exhibendis Provincialis in alia Diœceſi, vel longiſſime exiſtens, vel ipſi Regulares Confeſſarii, vel eorum Superiores ejusdem Diœceſis, in qua prædicta exercent? Reſpondit; "Poſſe Epiſcopum ſic præcipere, nec pro hujusmodi licentiis requirendum eſſe Provincialem, ſed ſatis eſſe ipſos Religioſos requirere, aut eorum Superiores in Diœceſi Epiſcopi exiſtentes."

Duodecimo. An, ſi contingat, ut aliquis prædictorum Regularium inſurgat contra Epiſcopum in propria Diœceſi, maledictis, cum ſcripto, vel dicto populum ſcandalizando, poſſit ab Epiſcopo puniri, & qua animadverſione; & quid ſi hujusmodi delinquens tranſiverit ad aliam Diœceſin, hoc caſu ſervandum ſit? & qua pœna puniendus ſit Regularis, qui commorans in una Diœceſi ſpargat famoſos libellos contra Ordinarium alterius Diœceſis? Reſpondit; "Si Regularis intra clauſtra degens, extra ea in caſibus in dubio expreſſis, ita notorie deliquerit, ut populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante teneri Superiorem Regularem, infra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſevere illum punire, ac de punitione Epiſcopum certiorem facere: alioquin ſic delinquentem ab Epiſcopo puniri poſſe, ad præſcriptum Concilii Tridentini *Cap.* 14. *Seſſ.* 25. *de Regul.* Quod ſi delinquens ad aliam Diœceſim migraverit, ſervandum eſſe, quod præcipitur in Conſtitutione ſanctæ mem. Clementis VIII. (e) incipiente: *Suſcepti muneris ratio.*

Decimo tertio. An Conſervatores nominati, & electi a Regularibus prædictis, ante exercitium ſuæ jurisdictionis, teneantur authenticum documentum exhibere coram Ordinario, ſub pœna nullitatis actuum? Reſpondit; "Utique teneri."

Decimo quarto. An privilegia, quæ ſunt contra jurisdictionem Ordinarii, & quibus gaudent, & gaudere prætendunt Regulares prædicti, debeant Epiſcopis notificari, ſive inſinuari? Reſpondit; "Regulares teneri hujusmodi privilegia Epiſcopo exhibere, ſi eis uti voluerint."

Decimo quinto. An prædia ruſtica, metallorum fodinæ, ſaccari officinæ a Regularibus Societatis, vel aliis poſſeſſa, vel aliæ domus ſæculares, in quibus videlicet, unus, vel duo Regulares tantum

(e) Tom. 3. Bullarii, Conſtit. 39.

tantum commorantur, gaudeant privilegio Collegiorum, ſeu Conventuum? Reſpondit; "Non gaudere."

Decimo ſexto. Utrum Regulares prædicti apothecas quarumcunque mercium, macella, & ſimilia, præſertim prope Collegia, ſive Conventus exercentes, poſſint ab Ordinario ſub cenſuris inhiberi, ne hujuſmodi exerceant? Reſpondit; "Non poſſe Epiſcopum hoc " prohibere Regularibus exemptis, " ſed ſi in præmiſſis ita notorie delin" quant extra clauſtra, ut populo " ſcandalo ſint, ſervandum eſſe, quod " dictum eſt ſupra in reſponſione ad " duodecimum."

Decimo ſeptimo. Utrum Regulares, etiam Patres JESUITÆ, in ſuis prædiis, opificinis, aliiſque ſuis domibus ſæcularibus, ſitis intra limites Parochialium ad ſe non ſpectantium, poſſint adminiſtrare Sacramentum Baptiſmatis, ſolemnis Matrimonii, Extremæ Unctionis, & Euchariſtiæ in Feſto Paſchatis, famulis, mercenariis, ruſticis, ſive aliis id genus hominibus ſæcularibus, abſque Ordinarii vel Parochi licentia? Reſpondit; "Non poſſe."

Decimo octavo. Utrum Patres Societatis in Civitatis, & Diœceſi Angelorum poſſint conſervare vaſa ſacra, Altaria, & ſimilia, in quibus unctio requiritur? Reſpondit itidem; "Non " poſſe."

§. VI. *Dubia pro parte Religioſorum Societatis JESU.*

Pro parte Religioſorum Societatis JESU propoſita fuerunt infra ſcripta dubia:

Primo. An Epiſcopi in partibus Indiarum poſſint ex integro totum unum Monaſterium vel Collegium ab audiendis confeſſionibus ſuſpendere? Reſpondit; "Epiſcopos Indiarum poſſe " quidem omnibus ſimul unius Mona" ſterii, vel Collegii Confeſſariis adi" mere facultatem audiendi confeſſio" nes perſonarum ſæcularium, etiam " inconſulta ſacra Congregatione Epi" ſcoporum & Regularium negotiis " præpoſita, cum Decretum ab ea edi" tum ſub die 20. Novembris 1615. ex " intentionis defectu, & convenientia " morali non extendatur ad Regiones " illas, tam longe ab urbe diſſitas. " Verum ab hac generali ſuſpenſione, " quæ vix ſine ſcandalo, & animarum " pernicie contingere poteſt, abſtinen" dum eſſe Epiſcopis, niſi graviſſima " ſubſiſtente cauſa, ſuper quo ſacra " Congregatio illorum conſcientias gra" viter voluit eſſe oneratas."

Secundo. An Epiſcopus Regularem pro confeſſionibus ſemel approbatum, ſine nova cauſa ſuſpendere poſſit ab ipſis confeſſionibus audiendis? Reſpondit; "Regulares alias libere ab Epi" ſcopo, prævio examine approbatos " ad audiendas confeſſiones perſona" rum ſæcularium, ab eodem Epiſco" po ſuſpendi non poſſe, ſine nova " cauſa, eaque ad confeſſiones ipſas " pertinente."

Tertio. An Bulla PII V. 34. *in ordine Tom.* 2. *Bullarii* conceſſa, inſtante, & ſupplicante Sereniſſimo Rege Catholico, non ad petitionem Regularium ſit revocata, in Bullis Summorum Pontificum, in quibus exemptiones Regularium mitigantur? Reſpondit: "Agendum cum Sanctiſſimo, an " velit declarare Bullam non eſſe revo" catam: illam tamen non ſuffragari, " niſi in locis, ubi eſt defectus Paro" chorum."

Quarto. An Epiſcopus poſſit cum cenſuris procedere contra Regulares exemptos, ſi inobedientes fuerint in confeſſionibus audiendis, vel prædicatione verbi Dei, & hoc, an vigore Concilii Tridentini, vel per quem Canonem? Reſpondit; "Poſſe procede" re, non quidem in vim Concilii Tri" dentini, ſed in vim Conſtitutionis " GREGORII XV. quæ incipit: *In" ſcrutabili Dei providentia.*"

Quinto. An licentia audiendi Confeſſiones, & prædicandi, ab Epiſcopo per literas miſſivas, an ſolum per literas patentes Cancellariæ concedi poſſit? Reſpondit; "Poſſe concedi, etiam " per literas miſſivas, vel oretenus, ſi " ita Epiſcopo videbitur."

Sexto. An talis licentia oretenus ſine ſcriptis concedi poſſit? Reſpondit; " ut ad proximum."

Septi-

Septimo. An facultas eligendi Conservatores concessa Societati a GREGORIO XIII. suffragetur illis in locis, in quibus non adsunt Judices Synodales? Respondit; " Ubi non adsunt Ju-" dices Synodales, privilegium GRE-" GORII XIII. non suffragari, quoad " hoc, ut Societas non teneatur ex il-" lis eligere Conservatores, dummo-" do tamen in reliquis servetur forma " Constitutionis GREGORII XV. hac " de re editæ. "

Octavo. An Conservatores Societatis, Vicarios Generales Episcoporum authoritate Apostolica per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas compellere possint virtute Bullæ GREGORII XIII. incipiente; *Æquum reputamus*, &c. Datum ultima Februarii 1574.? Respondit; " Posse a manifestis inju-" riis, & violentiis eos compescere, " etiam censuris, & pœnis Ecclesiasti-" cis. Datum Romæ die 16. Aprilis " 1648. "

§. VII. *Confirmantur præmissa.*

" Quapropter ut præmissa firmius " subsistant, & inviolabiliter obser-" ventur, Nobis pro parte JOANNIS " Episcopi hujusmodi fuit humiliter " supplicatum, ut illa authoritate Apo-" stolica confirmare de benignitate " Apostolica dignaremur. Nos igitur " dicti JOANNIS Episcopi votis hac " in re annuere, illumque specialibus " favoribus, & gratiis prosequi volen-" tes, & eundem JOANNEM Epi-" scopum a quibusvis excommunica-" tionis, suspensionis, & interdicti, " aliisque Ecclesiasticis sententiis, cen-" suris, & pœnis, a jure, vel ab ho-" mine quavis occasione, vel causa la-" tis, si quibus quomodolibet innoda-" tus existit, ad effectum præsentium " duntaxat consequendum, harum se-" rie absolventes, & absolutum fore " censentes, hujusmodi supplicationi-" bus inclinati, præinserta responsa, " seu resolutiones authoritate prædicta, " tenore præsentium confirmamus, & " approbamus, illisque Apostolicæ " firmitatis vim, & robur adjicimus, " & inviolabiliter observari manda-" mus, salva tamen semper in præ-" missis authoritate dictæ Congrega-" tionis. "

§. VIII. *Decretum irritans.*

" Decernentes sic, & non aliter " in præmissis per quoscunque Judi-" ces ordinarios, & delegatos, etiam " causarum Palatii Apostolici Audito-" res, ac S. R. E. Cardinales, etiam " de latere Legatos, judicari, & diffi-" niri debere, ac irritum, & inane, si " quid secus a quoquam, quavis au-" thoritate scienter, vel ignoranter " contigerit attentari. "

§. IX. *Clausulæ derogatoriæ.*

" Non obstantibus Apostolicis, ac " universalibus, Provincialibusque, & " Synodalibus Conciliis editis, gene-" ralibus, & specialibus Constitutio-" nibus, & Ordinationibus, nec non " Ecclesiæ Angelopolitanæ, ac Socie-" tatis prædictæ, etiam juramento, " confirmatione Apostolica, vel alia " quavis firmitate roboratis statutis, & " consuetudinibus, privilegiis quo-" que, indultis, & literis Apostolicis " eidem Ecclesiæ, & Societati, sub " quibuscunque verborum tenoribus, " & formis, ac cum quibusvis, etiam " derogatoriarum derogatoriis, aliis-" que efficacioribus, & insolitis clau-" sulis, ac decretis, etiam irritantibus, " etiam motu proprio, ac etiam con-" sistorialiter, & alias quomodolibet " in contrarium præmissorum quomo-" dolibet concessis, confirmatis, & in-" novatis. Quibus omnibus, & sin-" gulis, etiamsi pro sufficienti illorum " derogatione, de illis eorumque to-" tis tenoribus, specialis, specifica, ex-" pressa, & individua, ac de verbo ad " verbum, non autem per clausulas " generales idem importantes, men-" tio, seu quævis alia expressio haben-" da, aut aliqua alia exquisita forma " ad hoc servanda foret, illorum om-" nium, & singulorum tenores præ-" sentibus pro plene, & sufficienter " expressis haben. illis alias in suo ro-" bore permansuris, ad effectum præ-" missorum specialiter, & expresse de-" rogamus, cæterisque contrariis qui-" buscunque. Datum Romæ apud S.

Mariam

" MARIAM Majorem ſub annulo Piſcatoris, die XIV. Maji M. DC. XLVIII. Pontificatus noſtri anno quarto."

CAPUT XVI.

§. I. *Quales Monialibus præficiendi Confeſſarii.*

ITaque deinceps Superiores omnes, quibus cura Monaſteriorum Sanctimonialium incumbit, omni ſolicitudine, ac ſtudio provideant, ut Monialibus ii potiſſimum Confeſſarii ordinarii, ſeu Directores a Nobis, noſtrove Vicario in Spiritualibus Generali ad id ſpeciatim approbati, aſſignentur, qui non modo in caſibus conſcientiæ probe verſati, ſed etiam ætate provecti, morum integritate, ac diſcretione ſint probati.

§. II. *Monialibus ter in anno Confeſſarius extraordinarius concedatur.*

Ut vero anxietati conſcientiarum ſubveniatur, Decretis Conciliorum tam Generalis Tridentini (*f*), quam Provincialium Colonienſium (*g*) inhærendo; volumus, ut cujusvis Monaſterii Sanctimonialium Superior, præter ordinarium ipſarum Confeſſarium, minimum ter in anno offerat eis alium extraordinarium ſæcularem, aut Regularem, a Nobis, vel noſtro Vicario in Spiritualibus Generali prius idoneum judicatum, & ad id ſpecialiter approbatum, cui omnes ſe ſiſtere teneantur, & confiteri, quæ voluerint, poterunt.

§. III. *Moniales extra Monaſterium conſtitutæ non abſolvantur, niſi Ordinis ſui ſignum gerant.*

Confeſſarius Sanctimonialium, quæ ex Monaſteriis ſuis violentia aliqua ſunt expulſæ, vel alias legitima authoritate extra Monaſterium ſuum degunt, eas non abſolvat, niſi dum inter Catholicos morantur, capitis ſaltem ſui integumentum ex Regulæ, ac Ordinis ſui præſcripto gerant, ac reliquo habitu humilitatem, ac contemptum ſæculi præſeferant. Hortentur etiam eas, atque conſiliis juvent, ut ſilentium, ſolitudinem, fugam ſæculi, jejunia Ordinis, paupertatem, ac ſub idoneæ perſonæ directione obedientiam, & reliqua Ordinis peculiaria Statuta, quantum fieri poteſt, ſervent, habitationem pariter ſuam, ſi non in Monaſteriis, ſaltem apud DEI timore præditos habeant, qui ipſas authoritate ſuo in Officio continere poſſint.

CAPUT XVII.

§. I. *Regulares frequenter communicent.*

REligioſi omnes, etiam Donati, ſeu Oblati, & Converſi, quos vocant, & quotquot Religionis habitum gerunt, (*h*) ſi non frequentius, ſingulis ſaltem menſibus, & celebrioribus præterea CHRISTI, Beatæ MARIÆ, nec non præcipuorum Sanctorum Ordinis, Civitatis, & Diœceſis noſtræ, quam incolunt, Patronorum Feſtivitatibus, Confeſſionem peccatorum faciant, & Sacroſanctam Euchariſtiam ſumant; ut eo ſalutari præſidio, ad omnes dœmonis oppugnationes fortiter ſuperandas ſe muniant, atque quod eorundem vocatio vel maxime exigit, tanquam Noë, Job, & Daniel, adverſus omnes ingruentes populo Dei miſerias, & ærumnas, ceu firmiſſimas arces ſeſe opponant.

§. II. *Miniſtri Altaris quoties communicare debeant.*

Miniſtri Altaris in minoribus Ordinibus conſtituti, non tantum ſingulis menſibus, aliisque Feſtivitatibus, ſed ſingulis etiam diebus Dominicis ſecundum Statuta Deceſſoris noſtri CONRADI Archi-Epiſcopi (*i*) communicent; decet enim eos, qui ad Sacerdotium aſpirant, & Sacris Operanti ceu terreſtres Angeli aſſiſtunt, ut frequentiori Corporis Chriſti Communione ſe ad hoc ſancte diſponant.

CAPUT XVIII.

§. I. *Crebra ad Religioſos fiat exhortatio.*

UTiliſſima eſt ad perfectionem acquirendam crebrior apud Religioſos

(*f*) Seſſ. 25. de Regular. c. 10.

(*g*) Sub Hermanno V. pag. 396. c. 8. ſub Adolpho III. pag. 455. col. 2.

(*h*) Clem. Ne in agro. §. Sane. de ſtatu Monach. Trid. Seſſ. 25. de Regul. c. 10.

(*i*) Pag. 15.

giosos exhortatio, per quam cognoscant, quantumcunque in via perfectionis proficiant, semper tamen sibi superesse, quod quærant, ne (ut ait D. LEO (k)) *ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum.*

§. II. *Eaque ad vitæ Regularis perfectionem potissimum dirigatur.*

Exhortationes, quæ ad Regulares tam viros, quam mulieres instituentur, ad perfectionem vitæ Regularis potissimum dirigantur: ut omnes scopum vitæ suæ, quæque ad eam perfectius instituendam requiruntur, eo melius intelligant.

§. III. *Lectio sacra adhibeatur in mensa.*

Huic quoque argumento accommodata sit lectio sacra, quæ tempore prandii, & cœnæ secundum Regulam, ac Statuta servanda est, leganturque libri spirituales, qui ad excitandum, & reficiendum Religiosorum spiritum præcipue conducunt.

§. IV. *Etiam in mensa Laicorum.*

Neque tantum ubi Sacerdotes, & Clerici, sed etiam ubi Religiosi Laici, seu Conversi sese reficiunt, adhibeatur lectio, aut si eodem cum Sacerdotibus loco comedant, sub finem, aut initium mensæ, ex pio aliquo libello Germanico capitulum legatur, ex quo & illi spiritualem capere queant utilitatem.

§. V. *Concionatores a quibus abstinere debeant.*

Contentiones, suggillationes, & altercationes a suggestu plane absint; quamvis causæ earundem multæ, ac magnæ videantur; ex istis enim non solum Dei, populique offensio, sed etiam cultus Divini oritur perturbatio. Proinde omnes verbi Dei Præcones ab obtrectationibus, conviciis, & iis, ex quibus colligi posset particularis aliqua animi passio, aut alicujus ab aliquo commissi criminis reprehensio, omnino abstineant. Quod si inter diversi Ordinis Religiosos, vel etiam inter Parochos, & Ordinum Regularium Concionatores aliqua exorta fuerit dissensio, (l) caveant, ne in concionando auditoribus suis ulla alienioris animi signa prodant (mirum enim, quantum sæculares homines offendat Religiosorum virorum discordia) sed utrique legitimos Superiores, aut arbitros Ecclesiasticos adeant, qui sua authoritate controversias amicabiliter componant.

CAPUT XIX.

§. I. *Dissidia inter Parochos, & Regulares tollantur.*

UT omnis inter Parochos, & Regulares dissidiorum, quæ in hisce Germaniæ partibus ratione verbi Dei, & audiendæ Missæ, diebus Dominicis, & Festivis, nec non Communionis Paschalis hactenus exorta fuere, occasio præscindatur, necessarium & opportunum duximus iisdem in memoriam revocare Sanctionem SIXTI IV. Pontificis, (m) inter cætera statuentis in hæc verba: "Quod Fratres mendicantes non prædicent, populos Parochianos non teneri audire Missam in eorum Parochiis diebus Festivis, & Dominicis; cum jure sit cautum illis diebus Parochianos teneri audire Missam in eorum Parochiali Ecclesia, nisi forsan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent &c. Quodque etiam ipsi Fratres in sermonibus eorum non detrahant Prælatis, & Rectoribus Parochialium Ecclesiarum. Nec etiam populos a suarum Ecclesiarum Parochialium frequentia & accessu abstrahant, sive retrahant quoquo modo. Et vice versa ipsi Rectores, & Prælati aliquo modo non detrahant Mendicantibus, sed illum favorem, quem possunt, iis impendant, & in omnibus, & per omnia præstent, ita ut vera unitas, & perfecta charitas inter eos ostendatur &c. Injungentes Archi-Episcopis, Episcopis, Plebanis, Rectoribus

(k) Serm. 2. Quadrag. (l) Conc. Prov. Colon. sub Hermanno V. pag. 360. c. 8.
(m) C. Vices. de Treuga & pace. X. inter com. Trid. Sess. 22. in Decreto de observ. in celebrat. Missæ. §. Moneant. & Sess. 24. de Refor. c. 4. §. Moneatque Episcopus.

" ribus, Curatis, nec non Prioribus, " Guardianis, & singulis Fratribus Ordinum Mendicantium sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, " quam contrafacientes, & quemlibet " eorum contrafacientem incurrere volumus eo ipso, a qua absolvi nequeant, nisi de expresso consensu " partis læsæ, & debita satisfactione " prævia, inviolabiliter observent, & " quantum in iis est, ab aliis observari " faciant "

§. II. *Decretum CLEMENTIS VIII. quod observari mandatur.*

Exorta hac super re in Belgio inter Parochos, & Regulares controversia CLEMENS VIII. Papa, Octavio Frangipano Mirtho, suo & Apostolicæ Sedis per Germaniam inferiorem, & Belgarum Provincias Nuntio, rescripsit sequenti tenore: " Venerabilis Frater, " Salutem & Apostolicam Benedictionem. Significatum fuit Nobis nuper, non sine gravi animi nostri molestia, nuper in Oppido Duacensi, " Atrebatensis Diœcesis, nonnullos Parochos maximo cum fidelium scandalo, tum docendo, & concionando, " tum omnes reprehensionibus, & censurarum Ecclesiasticarum comminationibus perterrendo, Christi fideles " avertere, ne Festis diebus ad Ecclesias Fratrum Ordinis Mendicantium, " atque Collegii Societatis JESU, pro " Missis audiendis accedere, & ne etiam " Quadragesimali & Paschali tempore " Fratribus dictorum Ordinum, ac " Presbyteris Societatis JESU peccata " sua confiteri possent, ausos fuisse: " affirmantes ipsis Christi fidelibus tam " de jure, quam de consuetudine prohibitum esse, in aliis, quam Parochialibus Ecclesiis, Missas diebus Festis audire: nec licere illis Quadragesimali, & Paschali tempore aliis, " præterquam propriis Parochis peccata sua confiteri; unde maximam " in fideli populo exortam fuisse animorum perturbationem accepimus. " Contra enim Fratres Ordinis Prædicatorum, & Conventualium, ac Presbyteri dictæ Societatis, privilegiis " Apostolicis suffulti, tum privatim, " tum publice in concionibus contrarium usum in Ecclesia Dei receptum, " & permissum, ac a S. Patribus, Oecumenicisque Conciliis approbatum " defendere conati fuerunt. Rem autem eo protractam fuisse intelleximus, ut graves inde dissensiones " inter dictos Parochos, & Presbyteros Societatis JESU subortæ fuerint. " Quod autem Nos gravius affecit, " illud inprimis fuit, quod Venerabiles Fratres, Archi-Episcopus Cameracensis, & Episcopus Atrebatensis, " inconsulta Sede Apostolica, negotium hoc in disceptationem, tum " etiam in judicium fortassis apud sæcularem Curiam deduxerunt. At " Nos, ne graviora scandala suboriantur, paterne consulere, & celeri remedio prospicere volentes: causam, " & causas hujusmodi, si quæ coram " quocunque Judice introductæ reperiantur, ad Nos harum serie avocantes, illasque penitus extinguentes, ac perpetuum desuper tum Parochis, tum aliis prædictis silentium " imponentes præsenti nostro Decreto " sancimus, licere Sæcularibus, Christique fidelibus universis libere Missas diebus Dominicis, & aliis majoribus Festis audire in Ecclesiis tam " Fratrum Prædicatorum, quam aliorum Mendicantium, nec non etiam " Collegii Societatis JESU juxta illorum privilegia, & antiquas consuetudines, dummodo in contemptum " Parochialium Ecclesiarum non faciant. Et tam dictis Fratribus Prædicatoribus, & Presbyteris dictæ Societatis, quam aliis privilegiatis prædictis, quibus id a Sede Apostolica " indultum est, idoneis tamen, & ab " Ordinario approbatis peccata sua " etiam Quadragesimali, & Paschali, & " quovis alio tempore confiteri licite " posse: dummodo tamen iidem Christi fideles Sacramentum Eucharistiæ " die Festo Paschatis Resurrectionis, " in propria Parochia, ab eodem Parocho sumant. Proinde tibi per præsentes committimus, & mandamus, " ut præsens nostrum Decretum prædictis Archi-Episcopo Cameracensi, " & Episcopo Atrebatensi notum facias; iisdemque authoritate Apostolica mandes, ut illud in prædicto Oppi-

» Oppido Duacensi, & ubicunque opus » fuerit, publicari, & observari faciant: » utque Parochos in eorum officio » contineant, illosque ab avocatione » populi ab Ecclesiis privilegiatorum, » ac etiam a propositionibus, quibus » tollitur populo libertas audiendi » Missas in Ecclesiis privilegiatorum » supradictis diebus, ac confitendi pec- » cata sua, etiam in Paschate, ipsis pri- » vilegiatis, abstinere faciant. Ipsis » vero privilegiatis eadem authoritate » præcipias, ut in concionibus, & Ca- » techismis populum ipsum, tum ad » reverentiam Parochorum, tum ad » eorum Missas, præsertim Dominicis, » & aliis solemnibus Festis diebus au- » diendas: tum ad decimas, resque » alias Ecclesiis debitas solvendas fre- » quenter moneant, & adhortentur. » Ac denique omnem hujusmodi con- » troversiæ occasionem præscindere, » & tollere, & Christi fidelium ani- » mos ad unionem, & quietem tradu- » cere cures: omniaque præmissa pub- » licari, & exequi, adjectis etiam cen- » suris Ecclesiasticis, & aliis tibi bene » visis pœnis, opportunisque omni- » bus juris, & facti remediis adhibitis, » mandes, & facias. In contrarium » facientibus non obstantibus quibus- » cunque. Datum Romæ apud S. Pe- » trum, sub annulo Piscatoris, die 22. » Decembris 1592. Pontificatus nostri » anno primo." Etsi autem non mi-nus Regulares, quam Sæculares tam salutaribus ordinationibus merito pa-rere debuissent, graviter tamen acce-pimus, Regularium aliquos in Urbe, & Diœcesi nostra non solum clandesti-nis persuasionibus Parochianos a suis Parochis, & Parochia, ab auditione verbi Divini, & Missa suarum Parochia-rum, diebus Dominicis, & Festivis, Communione quoque Paschali abstra-here, sed & Pastoribus in faciem re-sistere, & publice ex suggestu prædi-care, neminem Parochianorum unquam teneri in sua Parochia verbum Dei, & Missam audire, neque Communionem Paschalem ibidem sumere, ita ut ali-qui e Parochianis hac persuasione moti, intra tres, vel quatuor annos in Eccle-sia sua Parochiali non videantur; imo eo audaciæ, procedere, ut a nostris, Nobisque immediate subjectis Pastori-bus doctrinam e suggestu traditam, carpere, & sugillare; vitam etiam eo-rundem, & mores reprehendere au-deant. Quod cum non sit aliud, quam Sanctionibus Apostolicis reniti, autho-ritatem nostram vilipendere, Ecclesiæ Hierarchiam dissolvere, oves a suo Pastore alienare, Pastores in partem oneris a Nobis vocatos confundere, & eorum jura, authoritatemque convel-lere. Hinc in vim prætactarum Con-stitutionum Apostolicarum omnes, & singulos quorumcunque Ordinum Su-periores, Abbates, Prælatos, Priores, Guardianos, Rectores, Præfectos hor-tamur, & districte sub pœnis in ipsis Constitutionibus Apostolicis insertis iis-dem præcipimus, ne ipsi per se, vel suos, deinceps in Civitate, & Diœcesi nostra, clam, vel palam Parochianos a frequentanda Parochia, verbo Dei, Missaque ibidem audienda dehortari; aut persuadere non teneri in sua Paro-chia Communionem Paschalem perci-pere, multo minus arrogata, inani ta-men authoritate, in eorum vitam, mo-res, & doctrinam inquirere præsu-mant. Quin præcipimus Regularibus, ut in Concionibus, & Catechismis po-pulum ipsum, tum ad reverentiam Pa-storum, tum ad eorum Missas, præ-sertim Dominicis, & aliis solemnibus Festis diebus audiendas, tum ad deci-mas, resque alias Ecclesiis debitas sol-vendas, moneant, & adhortentur.

CAPUT XX.

§. I. *Religiosi Curati Synodis Diœcesanis, & Capitulis interesse tenentur.*

UT Religiosi, qui Ecclesiis Paro-chialibus præficiuntur, perfe-ctius cognoscant, quæ ad salutem ani-marum in Synodis nostris Coloniensi-bus ordinantur, decernimus etiam eos, ad ipsas Synodos, & ad Capitula Archi-Diaconalia, nec non Decano-rum Ruralium, in quibus Synodi, seu Ordinationes nostræ publicantur, esse convocandos, & cogendos.

§. II. *Religiosus Curatus a Prælato non revocetur invitus, & inscio Ordinario.*

Cum Religiosus ad Beneficium curatum promotus (*n*) non possit invitus, & Nobis non consentientibus, per Prælatum suum Regularem pro libitu Beneficio illo privari, & ad Monasterium revocari, tum, ut inquit Provinciale Concilium Coloniense, (*o*) quia periculosa est frequens personarum mutatio, tum quia aliquando minus idonei surrogari solent: idcirco severe inhibemus omnibus, ac singulis Abbatibus, Præpositis, Prioribus, aliisque Regularium Præfectis, ne quemquam sui Ordinis Religiosum semel præsentatum, & ad curam animarum authoritate nostra admissum, absque causa legitima a Nobis cognita, nostroque prævio consensu ad Monasterium retrahant; iis exceptis, quibus idipsum virtute legitimorum privilegiorum, Nobis tamen prius probandorum, conceditur.

§. III. *Bona quæcunque a Religioso acquisita Monasterio cedunt.*

Quæcunque Religiosus Ecclesiæ Parochiali præfectus, vel ex piorum oblationibus, aliisque eleemosynis, vel Pastoralibus juribus, aut fructibus acquirit, ea omnia, dummodo a largientibus in alios Ecclesiæ usus non sint oblata, excepto tenui victu, & humili vestitu, prout religiosam paupertatem decet, Monasterio, in quo professus fuerit, cedunt, eique fideliter tradenda sunt.

CAPUT XXI.

§. I. *Nova Monasteria sine Ordinarii licentia non erigantur.*

AD Regularem disciplinam restituendam, & augendam, Concilium Tridentinum (*p*) non minus salubriter, quam prudenter vetuit, de cætero nova Monasteria, vel domus tam virorum, quam mulierum, etiam Mendicantium, sive bona immobilia eis possidere liceat, sive non, erigi sine Episcopi, in cujus Diœcesi construenda sunt, licentia prius obtenta. Quomodo autem Episcopus licentiam hujusmodi ipsis impertiri debeat, GREGORIUS XV. Pontifex subjectis præscripsit verbis:

GREGORIUS PAPA XV.

§. II. *Juxta Constit. GREG. XV.*

" Cum alias fel. record. CLEMENS
" Papa VIII. (*q*) decreverit, Ordinarios
" locorum licentiam ad novos Con-
" ventus cujuscunque, præsertim Men-
" dicantium, Ordinis, in Civitatibus,
" & locis eorum Ordinariæ jurisdictio-
" ni subjectis erigendos, impertiri non
" posse, nisi vocatis, &c.

CAPUT XXII.

§. I. *URBANUS VIII. dictas Constitutiones extendit.*

INsuper URBANUS Papa VIII. (*r*) quascunque facultates a Romanis Pontificibus Decessoribus suis, Monasteria, Conventus, vel alia loca Regularia, servata duntaxat sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini Decretorum forma, de sola Ordinarii licentia, seu etiam non servata forma, & absque licentia hujusmodi erigendi, & instituendi, quæ suum nondum sortitæ sunt effectum, revocavit, & abrogavit, nec non omnium Regularium Superioribus, sub privationis vocis activæ, ac passivæ, & Officiorum quorumcunque, & inhabilitatis ad illa, & alia obtinenda, atque etiam excommunicationis ipso facto incurrendis pœnis prohibuit, ne facultatum hujusmodi revocatarum, sive alio prætextu, nova Monasteria, Conventus, vel alia loca Regularia, nisi de expressa Episcoporum Diœcesanorum licentia, ac servatis sacrorum Canonum, Conciliique Tridentini, & supradictis CLEMENTIS VIII. ac GREGORII XV. Pontificum Constitutionibus recipere, erigere, seu alias quomodolibet instituere, seu incepta finire præsumant; sicut fusius cognoscere est ex sequentibus ipsius URBANI Papæ verbis:

§. II.

(*n*) C. Cum & plantare, de Privileg. §. In Ecclesiis. c. unic. de Capel. Monach. in 6. Trid. Sess. 25. de Regul. c. 11. (*o*) Sub Hermanno V. pag. 366. c. 13.
(*p*) Sess. 25. de Regul. c. 3. (*q*) Tom. 3. Bullarii, Constit. 31.
(*r*) Urbani VIII. Constit. 27. Bullarii Tom. 4.

§. II. *Et facultates Regularibus desuper concessas revocat.*

" Sicut Nobis innotuit, &c.

§. III. *Et ne illis utantur, probibet.*

" Præterea Ordinum, etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, &c."

§. IV. *Numerus Religiosorum pro erigendis novis Monasteriis præscribitur.*

Idem URBANUS Pontifex (s) in alia Constitutione, postquam onera Missarum celebrandarum reduci, moderari, vel commutari Regularibus prohibuisset, atque Religiosorum numerum ex uniuscujusque Monasterii, Conventus, vel domus Regularis redditibus, eleemosynis, & obventionibus sustentandum præscripsisset, subjungit: "Deinceps vero Monasterium, » Conventus, Domus, Congregatio, » vel Societas Religiosorum, seu Regu» larium nullibi recipiatur, nisi, præ» ter alia ad id requisita, in singulis » ejusmodi locis duodecim saltem Fra» tres, aut Monachi, seu Religiosi de» gere, & ex redditibus, & consuetis » eleemosynis, detractis omnibus de» trahendis competenter sustentari va» leant, ad præscriptum Decreti fel. » rec. GREGORII XV. hac de re editi, » alioquin Monasteria, & loca hujus» modi posthac recipienda, in quibus » duodecim Religiosi, ut supra, susten» tari, atque inhabitare non poterunt, » & actu non inhabitaverint, Ordina» rii loci visitationi, correctioni, atque » omnimodæ jurisdictioni subjecta esse » intelligantur."

CAPUT XXIII.

§. I. *Religiosus extra Monasterium degens, si delinquat, a quo corrigendus.*

SI quis Regularium, (t) aut cum fœminis familiariter, & periculose habitaverit, vel alia ratione extra Monasterium suum degens deliquerit, nullo privilegio Ordinis sui tutus censeatur, quo minus ab Ordinario loci, tanquam a Sede Apostolica delegato, secundum Canonicas Sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.

§. II. *Intra Monasterium degens, si delinquat, a quo puniendus.*

Qui vero in Monasterio degit, (u) & extra illud ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, & Episcopo instante, intra tempus ab ipso præscriptum digna pœna a suo Superiore non fuerit punitus, Superior suo privetur officio, & in delinquentem Episcopus advertat, uti decrevit CLEMENS Papa VIII. sequenti sua Constitutione: (x)

CAPUT XXIV.

CLEMENS PAPA VIII.

§. I. *Exordium.*

" SUscepti muneris ratio postulat, " ut ea, &c. (*Sequuntur* 4. §§., *quibus continetur Constitutio.*)

§. VI. *In correctione rigor lenitate temperandus.*

Abbates, Priores, Guardiani, Rectores, & alii Superiores Regularium in correctionibus eum modum teneant, ut nec disciplinam sine misericordia, nec misericordiam sine disciplina reliquisse videantur; (y) sed sit in iis juste consulens misericordia, & pie sæviens disciplina; cum plus agat aliquando erga corrigendos clementia, quam nimia severitas, plus admonitio, quam comminatio, plus charitas, quam potestas.

CAPUT XXV.

§. I. *Regularis ad alium Ordinem translatus, incapax est Beneficii sæcularis curati.*

QUia Regulares de uno ad alium Ordinem translati, facile a suo Superiore licentiam extra Monasteria commorandi solent obtinere, ex quo vagandi, & apostatandi tribuitur occasio; ex sacræ Synodi Tridentini (z) definitione delaramus; quod nemo cujuscunque Ordinis Prælatus, vel Superior vigore cujusvis facultatis aliquem ad habitum, & professionem admittere

(s) Const. 45. §. 14. (t) Trid. Sess. 6. de Refor. c. 3. (u) Trid. Sess. 25. de Reg. c. 14.
(x) Tom. 3. Bullarii, Const. 9. (y) Conc. Trid. Sess. 13. de Reform. c. 1.
(z) Sess. 14. de Refor. c. 11.

mittere possit, nisi, ut in Ordine ipso, ad quem transfertur, sub Superioris sui obedientia in claustro perpetuo maneat, ac tali lege translatus, ad quæcunque Beneficia sæcularia, etiam curata, omnino incapax censeatur.

§. II. *Aliqui Superiores Apostatas reducere non satagunt.*

Licet nihil sit, (*a*) quod Ecclesiæ faciem magis hac tempestate deformet, quam apostatarum a Fide, & sacra Religione multitudo, eorumque impura vita, impiaque contra Religiosorum Ordines, & Ecclesiam Catholicam studia; quidam tamen Regulares Prælati, & Superiores, quorum conniventia, facilitate, vel etiam nimia austeritate hujusmodi apostasiæ contigerunt, ob commissarum sibi animarum interitum, nullo intrinsecus dolore tangi videntur, nullaque cura oves erraticas, ceu drachmam perditam, aut filium prodigum quærunt.

§. III. *E Monasteriis fugitivi Parochiis non præficiendi.*

Nonnullos etiam ex ejusmodi apostatis, seu fugitivis, deposito habitu Regulari, Ecclesias obtinere parochiales, easque tanquam veros Pastores administrare, vel alias tanquam sæculares Presbyteros, quæ ad curam animarum pertinent, exercere intelleximus.

§. IV. *Sed ad Monasteria revocandi.*

Qua in re licet Archi-Diaconorum, & Decanorum Ruralium desideretur vigilantia: non minus tamen Religiosorum Prælatos culpandos censemus, qui oves perditas non requirunt; quos proinde per obtestationem Divini judicii monemus, ut nihil intermittant, quod ad reducendos fugitivos facere posse arbitrabuntur, & in recipiendis quidem eis, ita disciplinam temperent, ut rigor cum mansuetudine, judicium cum misericordia, severitas cum lenitate misceantur. Ut autem cognoscant, quæ illorum hac in parte sit obligatio, Decreta a sacra Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Congregatione, jussu URBANI Papæ VIII. (*b*) de Regularibus apostatis, ejectis, & fugitivis edita, censuimus inserenda.

§. V. *Decreta S. Congregationis de Regularibus ejectis & fugitivis.*

" Sacra Congregatio Cardinalium " Concilii Tridentini Interpretum, Re" gularium ejectorum, & fugitivorum " statui consulere, illorumque scandala " submovere, & succrescentem nume" rum frangere, operæ pretium ex" istimans, auditis Religionum Supe" rioribus, reque diligentissime per" pensa, communicato etiam consilio " cum S. D. N. URBANO VIII. atque " ex peculiari Sanctitatis suæ facultate, " infra scripta Decreta edidit.

§. VI. *Arctiorem Religionem ingressuro, quid observandum.*

" Ut apostatandi opportunitas Re" gularibus præripiatur, statuit, ut de " cætero nullus permittatur ad arctio" rem Religionem transire, nisi prius " Superiori legitime constiterit, eam " Religionem paratam esse illum reci" pere, qui licentiam petit, tumque " Regularis recta se transferat ad ar" ctiorem. &c."

CAPUT XXVI.

§. I. *Quinam ad alia Monasteria mittendi, aut carceribus mancipandi.*

Si qui sint fugitivi Religiosi, quos vel propter scandalum, vel aliam ob causam ad Monasterium recipere non fuerit consultum, illi vel mittantur ad aliud ejusdem Ordinis Monasterium, vel ad ingrediendum strictiorem Ordinem inducantur. Si autem nulla ratione ad frugem meliorem reduci queant, aut toties, & taliter deliquerint, ut secundum Regulam, aut Statuta Ordinis non sint recipiendi; Prælati advigilent, ne extra Monasterium relicti populi fiant seductores. Quapropter expediet eos potius perpetuis carceribus mancipari, ne quod metuendum est, alios secum in æternam damnationem trahant: aspera quidem hæc, sed brevis pœnitentia forte eos ad beatam

(*a*) Statut. Adolphi III. Archiep. Colon. pag. 443. & seq.
(*b*) Constit. 28. Tom. 4. Bullarii.

tam refrigerii mansionem perducet, qui suæ relicti voluntati, certo in abyssum inferni erant demergendi.

§. II. *Rebellium apprehensioni Magistratus sæcularis assistat.*

Idcirco vestigiis Prædecessoris nostri ADOLPHI III. (c) inhærentes, Christianos Principes, Magistratus sæculares, & quotquot potestatem coercendi habent, requirimus, ut suo ministerio ad laudem DEI, & Ecclesiæ salutem persungentes, obstinatos Apostatas, & Sanctimoniales, in suis sordibus, & rebellione hærentes, seductores quoque fidelis populi, postquam ab Ecclesiastico Magistratu ad hoc requisiti fuerint, potenti manu capiant, tradantque suis Superioribus, aut Monasteriis pœnitentiæ salutari submittendos.

§. III. *Pœna recipientium fugitivos.*

In usum porro revocantes, quæ a prædicto Prædecessore nostro ADOLPHO III. (d) aliisque in pœnam apostatarum, & inobedientium decreta fuerunt; præcipimus, ne quis cujuscunque status, vel conditionis fuerit, Monachos, vel Monachas, fugitivos, vel fugitivas, & extra Superiorum suorum obedientiam, evagantes, quos noverit certa aliorum relatione, aut Superiorum testimonio, vel alio quovis modo esse tales, recipere, fovere, aut ad Sacramenta, vel Ecclesiastica Ministeria admittere ausit, sub pœna excommunicationis, quam ipso facto incurrat. Quin & ipsi Religiosi, cujuscunque authoritatis, & dignitatis fuerint, cum Religiosis apostatis, & inobedientibus, sub eadem pœna non communicent, nisi ad effectum eos convertendi, & ad pœnitentiam inducendi.

§. IV. *Religiosis foris degentibus an faveant dispensationes, quas prætendunt.*

Religiosi, qui authoritate literarum Apostolicarum, vel dispensatione in Curia Romana, aut a Legato, vel Nuntio Apostolico obtenta, se extra Monasteria sua manere posse prætendunt, nullum ex hujusmodi literis sentiant patrocinium, nisi a Nobis, & suis Superioribus fuerint examinatæ, & approbatæ; alias vero illos, haud secus quam publicos apostatas haberi, vitari, & Superioribus suis, cum rebus omnibus, quas habent, tradi volumus. (e)

§. V. *Apostatarum conversio orationibus juvetur.*

Quamvis Apostatæ ob pœnam excommunicationis, quam apostatando incurrunt, tanquam abscissa a corpore membra, nullum ex communibus Ecclesiæ, & Ordinis sui orationibus, aliisque meritis habeant fructum; sed traditi sint Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat, peculiaribus tamen orationibus adjuvandi sunt, *ut Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a Diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* (f)

§. VI. *Capitulum disciplinæ diligenter servetur.*

Ad corrigenda vero, quæ aut negligentia, aut infirmitate, vel etiam malitia contra Regulam & Constitutiones Ordinum perpetrata sunt, efficax & accommodatum remedium semper habitum fuit Capitulum *Disciplinæ.* Id, si alicubi negligatur, aut si rarius, quam Regula, & Statuta præscribunt, observetur; vel si quid, quod ad primam ejus formam, & institutionem pertinet, in eo desideretur, id ipsum Præfectorum, aut Superiorum vigilantia, cura, & solicitudine, quamprimum emendetur; negligentes hac in parte, aut remissi, in visitatione, & in Capitulis Ordinis Generalibus, aut Provincialibus corrigantur.

§. VII. *Præscripta Decreta a Religiosis servanda.*

Denique omnes, ac singulos quorumcunque Monasteriorum, Conventuum, & Collegiorum Abbates, Priores, Guardianos, Rectores, Præfectos, & Superiores in virtute obedientiæ, quam vel in confirmatione suæ electionis, vel in consecratione Sacerdotalis Ordinis Pontifici Maximo, sive Nobis velut

(c) Pag. 447. (d) Pag. 416. & 443. (e) Stat. Adolphi III. pag. 447. & 448.
(f) 2. Tim. 2. ℣. 25. & 26.

velut Episcopo suo Diœcesano promiserunt, monemus, ut ex definitionibus Oecumenicorum Conciliorum, Summorum Pontificum Constitutionibus, & Decretis, ad ipsorum salutem, & Ordinis cujuslibet conservationem, honorem, atque utilitatem præscripta, tanquam obedientiæ filii exequi, ac perficere contendant: alioquin si ea, vel non curaverint, vel negligenter distulerint, Nos in Monasteriis, Conventibus, & locis Regularibus jurisdictioni nostræ subjectis, authoritate Ordinaria, in exemptis autem authoritate Apostolica eadem inviolate observari faciemus.

TITULUS IX.

De Scholis, & Ludimagistris.

CAPUT I.

§. I. *Scholarum utilitas.*

PLurimum interest, ut pueri, puellæque recte erudiantur. Juventutis enim institutio tanti momenti est, ut ab ea totius propemodum Reipublicæ Christianæ salus dependeat. Ideo curent Pastores, & Vice-pastores, ut quamprimum pro sexus utriusque pueris, latinæ, & germanicæ Scholæ, in singulis Diœcesis nostræ Urbibus, oppidis, & pagis, saltem frequentioribus, erigantur, & temporum injuria collapsæ restituantur, agantque cum Præfectis, & locorum Primariis, ut eæ loco commodo, & Ecclesiæ vicino constituantur; & rationem ipsis Ludimagistris de annuis stipendiis providendi ineant; mediis vero Ludimagistros alendi deficientibus ipsi Parochi, & Vice-parochi, eorumve Vicarii, seu Sacellani exemplo Salvatoris nostri, qui parvulos ad se venire (g) hortatus est, & blande venientes excepit, Dei & proximi amore pueros instruant.

§. II. *Magistri probati juventuti præficiantur.*

Cæterum Scholis Ludimagistri Catholici, pii, eruditi, & bene morati, ac tales, ad quorum vivendi rationem tanquam ad normam puerorum vita, ac mores componi possint, præficiantur; & nullus inposterum Ludimagister, Hypodidascalus, seu adjutor ad docendum publice, vel privatim assumatur, nisi qui exhibitis idoneis Catholicæ Fidei, doctrinæ, vitæque testimonialibus, per Nos, nostrumve Vicarium in Spiritualibus Generalem, Archi-Diaconum, aut Decanum Ruralem, aut saltem loci Pastorem, vel Vice-Pastorem examinatus, juventuti instituendæ idoneus repertus fuerit, atque orthodoxæ Fidei professionem emiserit.

§. III. *Juventus bonis moribus, & Catechismo Canisii instituenda.*

Ludimoderatores hujusmodi commissos sibi discipulos, sive latinam, sive germanicam addiscant linguam, non tantum literis, sed ante omnia fundamentis Catholicæ Religionis, bonis moribus, aliisque piis, & honestis exercitiis mane, meridie, vesperi, & de die fieri consuetis sedulo imbuant. Quo fine Ludimagistri, vel Ludimagistræ, antequam ad instruendam juventutem admittantur, coram Pastore, seu Vice-Pastore loci promittant, quod Catechismo Petri Canisii, vel alio authoritate nostra approbato utentur, puerosque verecundiam, modestiam, pietatem erga Deum, & parentes, erga Magistratum Ecclesiasticum, & sæcularem reverentiam, & obedientiam docebunt; remedium siquidem hoc ad fidem orthodoxam integerrime tuendam, ac pravæ Religionis prohibenda contagia est efficacissimum.

§. IV. *Libri hæretici, & impuri non permittantur.*

Nulli Ludimagistri, vel Ludimagistræ, nec quicunque eorum Hypodidascali, seu adjutores libros hæreticos, turpia, aut obscœna continentes, vel a Nobis, nostrisque librorum Censoribus ordinariis non approbatos, discipulis suis proponere, prælegere, seu explicare audeant; sed & advertant, ne pueri similes legant; blandum enim incautis virus facile instillatur; secus facientes, vel exemplo vitæ, offendiculo esse deprehensi, nisi moniti resipuerint, a docendi munere protinus amoveantur.

§. V.

(g) Marc. 10. ℣. 14.

§. V. *Pietas juventuti instilletur.*

Ludimagistri, seu Hypodidascali comprimis discipulos ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium quotidie pie audiendum; statis vero diebus, & horis ad lectionem Catecheticam deducant, diligenterque ipsos modum mane, meridie, ac vesperi pie orandi, mensæ benedicendi, ac dein gratias agendi, Sacerdoti item sacrificanti inserviendi, ac peccata sua confitendi doceant; iis autem, qui annos discretionis attigerint, methodum sese ad sacram Communionem rite, religioseque disponendi tradant. Ut a teneris discipuli puram, & inviolatam semper retineant conscientiam, & regnum Dei quærant, Ludimoderatores attendant, ut frequentius in anno, præcipue vero circa quinque anni Festa solemniora, videlicet: *Paschatis*, *Pentecostes*, *Assumptionis Gloriosissimæ Virginis MARIÆ*, *omnium Sanctorum*, & *Nativitatis Domini*, ipsis præsentibus confiteantur, vel saltem factæ tunc confessionis a singulis testimonium Confessarii exigant, simulque advigilent, ut adultiores sacra Synaxi sæpius reficiantur, & in suis Parochiis communicent.

§. VI. *Pauperes, etiam minervalibus, & præmiis juvandi.*

Ad tollendam occasionem pauperibus conquerendi, quod ob defectum mediorum proles eorum Scholas frequentare nequeant, Provisores mensæ pauperum Ludimagistris dimidium ejus, quod ditiores pendunt pro pauperibus, solvant. Item ex eleemosynis mensæ pauperum libros ad discendum necessarios subministrent, curentque, ne unquam ipsis desint Catechismi, & præmiola tempore Catechesios distribuenda: nam persæpe humano affectu dominante, pauperibus præteritis, & neglectis soli ditiorum liberi munusculis ad diligenter studendum animantur.

TITULUS X.

De Seminario.

CAPUT UNICUM.

§. I. *Archi-Episcopalis Seminarii instauratio & promotio summe utilis.*

Maximum conservandæ Catholicæ Religionis, & restituendæ Ecclesiasticæ disciplinæ præsidium Patres Oecumenici Concilii Tridentini (*b*) in pia sæcularium Clericorum educatione collocarunt, ut optimis moribus & sufficienti doctrina instructi, verbo, & exemplo Christiano populo præesse pariter, ac prodesse possent; ideoque serio omnibus Archi-Episcopis, Episcopis, aliisque Ecclesiasticis Superioribus inculcarunt, ut de erigendo per Diœceses suas Clericorum Seminario essent soliciti, ubi conquisiti bonæ indolis adolescentes, ad animarum curam suscipiendam, in omni virtutum, & scientiarum genere instituerentur. Quapropter FERDINANDUS Archi-Episcopus, Prædecessor noster, piissimæ Patrum dicti Concilii intentioni satisfacere cupiens, pro suo in Catholicam Religionem zelo, ejusmodi Seminarium in Civitate nostra Coloniensi erexit: sed ob varias, quæ postea secutæ sunt, temporum injurias, & rerum difficultates, laudabiliter cœptus conatus continuari, & optatos fructus producere non potuit: Nos proinde vestigiis ejusdem inhærentes, Seminarium hoc ad Catholicam Fidem fovendam, augendamque restaurare, ac totis viribus promovere unice desiderantes, illud stabiliendum, confirmandum, & augendum esse censuimus; prout maturo desuper cum Venerabilibus Decano, & Capitulo nostro Metropolitano præhabito consilio, ad DEI Omnipotentis gloriam, Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ incrementum, & animarum salutem, assignatis eidem certis annuis proventibus, locoque habitationis a Decano & Capitulo nostro præfato, in usum Seminarii specialiter donato, restauramus, ac ipsius institutionem sub certis Regulis, ac legibus a Nobis præscriptis confirmamus, & stabilimus. Quo-

(*b*) Seff. 23. de Reform. c. 18.

Quocirca hortamur omnes in Domino, ut ad tam ſalutare inſtitutum omni conatu concurrant, mediaque ſuggerant, & conferant, ut indies majus ſumat incrementum.

§. II. *Seminarii Inſpectores.*

Ut autem ejusdem Seminarii conſervationi, bonoque tam in his, quæ ad Alumnorum inſtitutionem, & diſciplinam, quam quæ ad victum, veſtitum, aliaque hujusmodi neceſſaria pertinent, opportunius conſulatur, & oblatæ Seminario pecuniæ, reditus, & legata diligentius adminiſtrentur, certos e Clero noſtro ſæculari ſpectatæ virtutis viros, in ipſius Seminarii Inſpectores, Directores, Proviſores, Præſidem, & Oeconomum de conſenſu Capituli noſtri deputavimus, quos ut Seminarii bona, & facultates bene impendantur diligentiſſime advigilaturos, plane confidimus.

§. III. *Inſpectoribus reddendus computus.*

Volumus etiam, ut Seminarii Præſes, & Oeconomus quotannis circa Vernum tempus, adminiſtrationis, & Oeconomiæ ſuæ coram noſtris ad id deputatis Inſpectoribus, Directoribus, & Proviſoribus fideliter rationes reddant, ſimulque de Alumnorum in virtutum, ac doctrinarum ſtudiis, moribus, & pietate progreſſu accuratam relationem faciant. Mandamus pariter Seminarii Inſpectoribus, Directoribus, Proviſoribus, Præſidi, & Oeconomo, ut omnium redituum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum, nec non diſciplinæ domeſticæ diligentem curam habeant; Regulas, ac leges Seminarii exacte faciant obſervari, & Nobis ſingulis annis de ſtatu totius Seminarii exactam informationem transmittant.

TITULUS XI.

De Cuſtodibus Eccleſiarum.

CAPUT I.

§. I. *In Cuſtodes quinam aſſumendi.*

Ad Cuſtodum, ſeu Campanariorum munus alii non admittantur, quam viri Catholici, Dei timore præditi, & pii, vitæ honeſtæ, boni nominis & famæ, latinæ linguæ, & cantus Gregoriani periti, ut cum Parochis Divinum Officium decenter decantare valeant. Corpore inſuper ſint integro, non autem mutilo, manco, ſeu enormiter deformi.

§. II. *Cuſtodibus pro inſtructione pauperum merces ſolvenda.*

Qui ſi Ludimagiſtrorum munere fungantur, & juventutem erudiant, Magiſtri fabricæ Eccleſiarum, reſpectu pauperum, quos docebunt gratis, aliquam ipſis portionem ex reditibus fabricæ Eccleſiæ, vel bonis menſæ pauperum labori proportionatam perſolvant.

§. III. *Laudabile eſt, ſi Sacerdos juventutem inſtruat.*

Paſtore vero loci, vel Vice-paſtore, Sacellano, aliove Sacerdote authoritate noſtra ad id approbato hanc juventutis docendæ, inſtituendæque, provinciam appetente, is alteri non Clerico, ſeu Cuſtodi præferatur; maxima etenim in Rempublicam, & privatos commoda ex bona juventutis inſtitutione redundare ſolent; illis autem juventutis docendæ munus non affectantibus Cuſtos, dummodo ſit idoneus, cuicunque alii ſæculari præferatur.

§. IV. *Ludimagiſtri ante admiſſionem Profeſſionem fidei emittant.*

Ad Ludimagiſtri munus reperti idonei, præmiſſa profeſſione fidei Catholicæ, prævioque obedientiæ & reverentiæ Paſtori, ſeu Vice-paſtori exhibendæ juramento admittantur.

§. V. *Admittendi rerum ſibi creditarum cautionem præſtent.*

Ante admiſſionem etiam judicio Paſtoris, & Ædilium idoneam cautionem, pro ſacra ſupellectile, vaſis, ornamentis, veſtimentis Eccleſiaſticis, linteis Altarium, cunctisque utenſilibus Eccleſiæ ipſorum curæ & cuſtodiæ committendis præſtent; horum omnium, & ſingulorum accurata ſpecificatio iisdem, dum admittuntur, a loci Paſtore, ſeu Vice-Paſtore deſcripta in

in forma authentica tradatur, quam subscribant, & de specificatis se responsuros, officiumque per seipsos administraturos spondeant.

§. VI. *Custodes Parocho semper sint ad manum, Divinisque in superpelliceo assistant.*

Quavis hora sint parati, ut Pastoribus, Vice-Pastoribus, eorumque Vicariis serviant. Sine Pastoris, seu Vice-Pastoris licentia a Parochia non absint: exeuntes domesticis, si quos habeant, vel Pastori, aut vicino, quo vadant, indicent; sub Officio Divino, & administratione Sacramentorum superpelliceo mundo semper induti Pastoribus, seu Vice-Pastoribus assistant, & inserviant.

CAPUT II.

§. I. *Ostia Ecclesiæ diligenter observent.*

CUstodes ostiorum Ecclesiæ diligentem curam habeant, ea debitis temporibus aperiant, ac finito Divino Officio claudant; maxime si per templa, quibus serviunt, quasi per plateam publicam transitus fiat; aut non tam orationis, quam ambulationis causa eo homines convenire soleant.

§. II. *Diebus ferialibus ostia minora tantum aperiant.*

Diebus ferialibus non integras valvas, sed minimas duntaxat templi januas aperiant; quas ita componant, ut onera portantibus transitus non pateat; indecentissimum enim est, domus Domini soli orationi, Sacrificiis, Sacramentorum usui, & sacræ doctrinæ consecratas in vias publicas converti.

§. III. *Tota quotannis purgetur.*

Et quia domum Dei vel maxime mundam esse convenit, Custodes, quotannis minimum semel integras Ecclesias, Capellas, & Sacelli ab omni pulvere, atque aranearum telis expurgent, nec non in tectis, concamerationibus, pavimentis, ostiis, seris, aliisque similibus debitam conservent munditiam; parietes autem ad altitudinem fenestrarum, ipsasque fenestras, & Sacrosancta Altaria, eorumque lacunaria, integumenta, & sacras imagines quater minimum in anno, circa Nativitatem nimirum, & Resurrectionem Dominicam, Assumptionem gloriosæ Virginis MARIÆ, ac sancti Patroni, seu Tutelaris Ecclesiæ Festivitatem mundent.

§. IV. *Impedimenta suis quæque locis reponenda.*

Feretra, seu vehicula, quibus in supplicationibus Sanctorum Reliquiæ, ac imagines portantur, & fulcra, quibus in medio Templi certis diebus exponuntur, sediliaque, & scamna pro Sodalitatibus, & lectione Catechetica destinata, aliaque impedimenta taliter seponant, ut decori domus DEI non officiant. Nunquam autem Ecclesias, nisi finitis Officiis Divinis, & foribus Templi clausis mundent, vel ornent.

§. V. *Reliquiæ, & vasa sacra profanis manibus non contrectentur.*

Sedulo advigilent, ne Sanctorum Reliquiæ sacrilegiis, aut furto expositæ sint, neve abjiciantur, vel sine reverentia tractentur, neque eas, aut sacros calices, patenas, aliaque vasa, corporalia, pallas, purificatoria, nisi in sacris Ordinibus constituti fuerint, attingere ausint. (i)

§. VI. *Aqua lustralis quo ritu benedicenda.*

Tametsi ipso die Paschatis, & Pentecostes in Ecclesiis, ubi fons Baptismalis consecratur, Christi fideles aqua pridie in fonte Baptismi benedicta, & ante infusionem sancti Olei, & sacri Chrismatis inde hausta aspergantur; aliis tamen Dominicis Missam celebraturus, vel alius Sacerdos alba, & superpelliceo, desuperque stola indutus præparatum salem, & aquam mundam in Sacristia, vel Ecclesia ex Decreto S. ALEXANDRI Papæ ac Martyris (k) benedicat, eaque populum aspergat.

§. VII.

(i) Concil. Provinc. Colon. sub Hermanno V. Part. 3. cap. ult.
(k) C. Aquam. de Consecrat. distinct. 3.

§. VII. *Ea fingulis feptimanis renovanda.*

Attendant quapropter Sacriftæ, & Cuftodes, feu Æditui, ne ullis in Ecclefiis, præfertim parochialibus, vas cum aqua hujufcemodi luftrali, antecedente Dominica benedicta unquam defit: eamque fingulis hebdomadibus in aquiminariis, & amulis renovandam diligenter curent, aquiminaria, & amulas mundent, & ne quis faciem, manus, vel aliud quidquam in his abluat, aut ex iis canes bibant, ftudiofe provideant, ex elapfa hebdomada reliquum in facrarium, vel cœmeterium effundant.

§. VIII. *Campanarum cura habenda.*

Cuftodum etiam eft campanas diebus Sabbatinis, & profeftis meridie, & vefperi pulfare, atque campanarum fono Ecclefiæ Miniftros, aliosque Chrifti fideles ad Officium Divinum, verbumque Dei audiendum ftatuto tempore convocare, campanarum pariter curam gerere, & fi quid confractum, aut quod frangi facile poffit, deprehenderint, Paftoribus, Vice-Paftoribus & Ædilibus fignificare.

§. IX. *In Sacriftia quæ obfervanda.*

Cuftodes facriftiam, feu facrarium fœminas nunquam ingredi, multo minus Altaria, feu tabulas eorum fuperiores pedibus calcare patiantur. In fingulis quoque facriftiis lavacrum cum aqua pura, & duo munda lintea, unum quo ante, alterum quo poft peractum Sacrificium, Sacerdotes manus tergant, fufpendant.

CAPUT III.

§. I. *Celebrantium paramenta fint munda & integra.*

AD Cuftodis præterea officium pertinet, præparare *veftes* Sacrificantium, *amictum, feu fuperhumerale, albam, cingulum, manipulum, ftolam, planetam feu cafulam:* eæ fint omnes integræ, mundæ, ab Epifcopo, vel alio, cui per Sedem Apoftolicam id licet, benedictæ, ac tales, ut cum honore, ac decore Divinis ufibus fervire queant. Veftes laceras refici faciant.

§. II. *Cafulæ, & dalmaticæ ejusdem materiæ non feparentur in ufu.*

Cafulas ad Divinum Officium folemnius obeundum ordinatas, quibus dalmaticæ ex eadem materia confectæ refpondent, quando fine Diacono, & Subdiacono facrificatur, non exponant.

§. III. *Hoftiæ curentur recentes, & vinum purum.*

Hoftias in fingulos faltem menfes novas, recentes, nitidas & integras in pyxide munda conclufas, vinumque naturale de vite purum, non acetofum aut corruptum procurent.

§. IV. *Aqua recens in poculo fervetur pro Sacrificio.*

Aquam in ufum Sacrificii limpidam, aut recens hauftam, non in lavacro, aut fitula, in quam urceolos, aut ampullas immergunt; fed in mundo, & decenter cooperto angufti oris poculo, huic duntaxat ufui deftinato, fervent, ex quo illam in ampullas infundant.

§. V. *Poft Sacrum quid faciendum incumbat Cuftodibus.*

Abfoluto Miffæ Sacrificio cereos extinguant, & ut Altaris lintea a pulvere, & fordibus diutius pura conferventur, fuperiorem ejus mappam corio, vel alia craffiori tela coloris alterius tegant, expofitaque ornamenta five linea, five lanea, vel ex pretiofiori materia fint, ab omni pulvere, & macula, fi quam forte contraxerint, expurgent, ordinateque complicata in veftiarii fcriniis, vel alibi decenter recondant.

§. VI. *Sacra vafa, & linea fupellex fæpius mundanda.*

Urceolos, feu ampullas, pyxides, candelabra, & cætera vafa argentea, ænea, ac ftannea, fingulis faltem bimeftribus, aut etiam crebrius diligenter abluant, fuperpellicea, lintea, mappas Altarium, Cruces, imagines, reliquamque facram fupellectilem femper mundam, & nitidam exhibeant, ac proinde, quoties opus fuerit, per annum lavent, & purgent.

§. VII.

§. VII. *Sacra vasa, & purificatoria a quo eluenda.*

Calices porro, patenas, vasa sacrorum Oleorum solus Sacerdos, aut Clericus majoribus Ordinibus initiatus; vel si is desit, ipse Parochus expurget. Corporalia, pallas, & purificatoria primum Sacerdos, vel Clericus in sacris Ordinibus constitutus lavet, dein aliæ honestæ personæ accuratius eluant. Aqua vero, qua Sacerdos ea abluit, non in plateam, sed in piscinam, vel sacrarium effundatur.

§. VIII. *Corporalia, & purificatoria cruce signentur.*

Quandoquidem res Divino cultui dicatæ, usibus profanis adhiberi non debeant, idcirco, juxta antiquam Ecclesiæ consuetudinem, corporalia, & Altarium lintea in quatuor angulis; pallæ vero, & purificatoria in medio Crucis signo rubei, aut cærulei coloris muniantur, seu acu pingantur; ut ab aliis profanis linteis dignoscantur.

§. IX. *Vestes sacræ detritæ comburantur.*

Corporalia, pallas, purificatoria, & alia Ecclesiæ ornamenta vetustate detrita comburant. Cineres in sacram piscinam, fossas pavimentorum Ecclesiæ, aliumve locum honestum, ubi nullus est transitus, effundantur; fundus tamen tabernaculi parte corporalis detriti operiri poterit.

§. X. *Oblata fidelium ad Altaria non recipiantur a fœminis.*

Quæ fideles stationum, vel alio quovis tempore ad Altaria offerre solent, nusquam ne in Monasteriis quidem, aut Collegiis virginum fœmina recipiat.

§. XI. *Custodes in Choro cum aliis canant.*

Cum Divinum cantatur Officium, Æditui una cum aliis devote concinant; alias autem reverenter, & pie, prout Sacerdotum, ac Ecclesiæ Ministros decet, assistant, vel flexis genibus, una cum Sacerdotibus, Diaconis, aliisve Clericis, ac Dei Ministris preces Ecclesiæ, tota mente Deo offerant.

CAPUT IV.

§. I. *Reverentiæ meminerint.*

Æditui Divina non vilescant Mysteria; sed Sacramentis salutis nostræ fontibus honorem debitum deferant. Absit ab iis stulta persuasio, quasi privilegio muneris sui, ab honore, & adoratione interiore, & exteriore Deo præstanda eximantur; quin fides eorum viva excitetur, ac augeatur, charitas, & pietas in Deum incalescat tanto vehementius, quanto Divini erga Nos amoris, ac fervoris Mysteriis, & Sacramentis propinquius assistunt.

§. II. *Maxime erga Eucharistiam.*

Quare quotiescunque tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, aut Summum Altare transeunt, faciem reverenter ad illud convertant, ac flexo poplite Deum supplices adorent, quod etiam in transitu Ss. Sacramenti, dum sacra Communio distribuitur, observent.

§. III. *Mane, vesperi, & meridie dent signum Salutationis Angelicæ.*

Custodes quoque ex antiqua, & laudabili Ecclesiæ consuetudine (*l*), mane, meridie, & vesperi ad excitandam *Incarnationis*, *Passionis*, & *Dominicæ Resurrectionis* memoriam; Christique fideles ad orationem incitandos, campanæ majoris pulsu dent signum Salutationis Angelicæ.

§. IV. *Vesperi dent signum ad orandum pro defunctis.*

Quia *sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur,* (*m*) idcirco Decretum Synodi Diœcesanæ Coloniensis sub Prædecessore nostro FERDINANDO Archi-Episcopo habitæ (*n*) confirmantes; præcipimus, ut in omnibus, & singulis Civitatis, & Diœcesis nostræ Ecclesiis, Oratoriis, & Sacellis, post vespertinum pulsum, diversæ campanæ signo, ubi plures sunt, ejusdem autem, ubi una duntaxat existit, fidelis populus orationis pro defunctis fundendæ admoneatur;

(*l*) Conc. Prov. Colon. sub Theodorico Archiep. p. 235. (*m*) 1. Machab. 12. ℣. 46.
(*n*) Anno 1627. 19. April. pag. 15.

Curentque Decani tam Collegiales, quam Rurales, & quicunque alii Superiores, cum hujus noſtri mandati ad eos notitia pervenerit, quantocyus in ſuis Eccleſiis, Oratoriis, & Sacellis pium hunc morem introduci.

§. V. *Indulgentiæ Salutationem Angelicam prædicto tempore Orantibus conceſſæ.*

Ut vero hæc devotio indies creſcat, & augeatur exemplo THEODORICI Archi-Epiſcopi Colonienſis, Deceſſoris noſtri (*o*), omnibus utriusque ſexus contritis, & confeſſis, qui ad Salutationis Angelicæ ſignum, mane, meridie, ac veſperi datum, preces ad Deum fuderint, ac pro Eccleſiæ neceſſitate ad honorem, & memoriam Incarnationis, Paſſionis, & Dominicæ Reſurrectionis pie oraverint, de cœleſtibus Eccleſiæ theſauris quadraginta dies de injuncta iis pœnitentia, toties, quoties id fecerint, benigne relaxamus.

§. VI. *In Summa Miſſa ad elevationem S. Hoſtiæ detur ſignum.*

Cuſtodes in ſumma Miſſa ad elevationem Sanctiſſimi Corporis, & Sanguinis Dominici dent ſignum campanæ, ut populus vota, deſideriaque ſua ad placandam iram Divinam, una cum Sacerdote celebrante dirigat.

§. VII. *Suborta aëris tempeſtate, pulſentur campanæ.*

Concitata denique aëris tempeſtate, campanas juxta pium Eccleſiæ morem pulſare non omittant, tum ad aërearum malignitatem tempeſtatum, & diabolicas machinationes depellendas, tum ut Chriſti fideles ad Dei miſericordiam, & ab imminenti periculo liberationem, piis orationibus implorandam, impetrandamque invitentur.

§. VIII. *Dum verno tempore campanæ pulſantur, inſolentiæ caveantur.*

Provideant autem, ne, dum tempore verno pro repellendis aëris injuriis campanæ veſperi, noctu, vel mane pulſantur, in templis compotationes tolerentur, aliæque inſolentiæ, quibus Dei ira potius accenditur, quam placatur, exerceantur.

TITULUS XII.

De bonis Eccleſiaſticis rite conſervandis, & adminiſtrandis.

CAPUT I.

§. I. *Bona Eccleſiæ non facile alienanda.*

MAgna a Prælatis, aliisque Eccleſiaſticis diligentia adhibenda eſt, ut quæ Eccleſiis, vel Majorum pietate donata, vel Anteceſſorum ſuorum induſtria ſunt acquiſita, bene conſerventur; cavendum vero, ne bona Eccleſiarum permutentur, oppignorentur, vendantur, vel alienentur, niſi evidens id ſuadeat utilitas, vel inevitabilis exigat neceſſitas, Decretumque Judicis ordinarii accedat, & ſolemnitates a jure requiſitæ exacte obſerventur: quin potius ſedulo laborandum, ut Eccleſiæ ſubtracta, vel non legitime alienata vindicentur, & recuperentur.

§. II. *Ablata Eccleſiis reſtituenda.*

Et quia ob ſuppreſſa, vel deperdita monumenta, & documenta plurima Eccleſiarum bona, & jura ab aliis injuſte detinentur, & uſurpantur, partes Officii noſtri Archi-Epiſcopalis adimplere cupientes, omnibus, ac ſingulis Civitatis, & Diœceſis noſtræ ſubditis, maxime vero Satrapis, Prætoribus, Scabinis, Secretariis, Scribis, antiquornm cenſuum, & jurium Receptoribus, ac Notariis ſerio mandamus, ut ſi quam notitiam, aut ſuſpicionem habeant, aut quacunque occaſione acquirent, Eccleſiarum jura, bona, vel reditus ab aliis occupata hactenus, vel adhuc uſurpari, deſuper Nobis accuratam faciant relationem, ut prævia diligenti inquiſitione, Eccleſiæ reſtituantur, & hujusmodi uſurpatores condigna pœna afficiantur: monemus eosdem ſub obteſtatione Divini judicii, ut Eccleſiis, aut piis locis debita integre, & prompte perſolvant, aliisve bono exemplo præluceant; nullatenus autem vel minimum ipſis prædetineant; quin potius implorati contra ſimiles Prædetentores Eccleſiaſticis, &

(*o*) Cit. pag. 235. §. 10.

& locorum piorum Inſpectoribus ſine ulla tergiverſatione aſſiſtant. Si enim, qui in actibus Apoſtolorum (p) ſponte ſua omnia Deo devoverant, propter modicam ſubtractionem ſubita morte perierunt, & pecunia eorum pie promiſſa, ſed non integre oblata, illis exitium attulit corporis & animæ, quanto magis timendum eſt, ne gravius puniantur, qui Deo debita ſubtrahunt, negant, aut ſupprimunt.

§. III. *Bonorum Eccleſiæ injuſti Poſſeſſores excommunicantur.*

Ut vero omnibus innoteſcat, quam graviter peccent, qui Chriſti patrimonium uſurpant, volumus, ut Paſtores, Vice-Paſtores, & Concionatores, Concilii Tridentini Decretum (q) contra Occupatores quorumcunque bonorum, & jurium Eccleſiaſticorum ſuis Auditoribus, minimum bis in anno, nempe ad Evangelium *de villico iniquo:* & quo jubemur *reddere Deo, quæ Dei ſunt*, inculcent, quem in finem Decretum illud inſerendum cenſuimus: " Si quem Clericorum, vel Laicorum, *inquit*, quacunque is dignitate, etiam Imperiali, aut Regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Eccleſiæ, &c. "

§. IV. *Decimæ Eccleſiis ſolvendæ.*

Similiter ut conſtet, quanta ſit decimarum Eccleſiæ reddendarum obligatio, præcipimus iisdem Paſtoribus, Vice-Paſtoribus, & Concionatoribus, ut ſubſequens ejusdem Concilii Tridentini Decretum (r), maxime paulo ante meſſem e ſuggeſtu promulgent: " Non ſunt ferendi, qui variis artibus decimas Eccleſiis obvenientes ſubtrahere moliuntur, &c. "

CAPUT II.

§. I. *Beneficiati redituum ſuorum indicem erigant.*

PRo accuratiori autem bonorum Eccleſiaſticorum conſervatione, univerſi, ac ſinguli tam in Metropolitana noſtra, quam Collegiatis Eccleſiis Civitatis, & Diœceſis noſtræ Vicarii, aliique Beneficio, vel Officio Eccleſiaſtico gaudentes, Curati, & non Curati, reſidentes, & non reſidentes monimenta, literas originales, fundationum ſuarum Vicariarum, Beneficiorum, & Officiorum, atque omnium bonorum ad Vicarias, Beneficia, & Officia ſpectantium intra annum a monitione computandum, una cum claro, & diſtincto eorum bonorum, cenſuum, omniumque proventuum, & onerum indice, plenaque deſignatione limitum, & hypothecarum, & quidem ſi a quindecim annis confectus ſit index, a perſona publica, præſentibus duobus ſaltem teſtibus renovato, Decanis, & Capitulis ſuis ſub pœna quatuor florenorum aureorum exhibeant; cujus duo exempla authentica ab eadem publica perſona conſcribantur; unum cum aliis Eccleſiæ monimentis, & documentis in communi Capituli Archivo, ſeu tutiore parte Eccleſiæ, firmo in ſcrinio in hunc uſum parato, ſub tribus clavibus varie fabricatis; quarum unam Prælatus Eccleſiæ, alteram ſenior Canonicus Presbyter, ac tertiam ſenior Canonicus Diaconus habeat, conſervetur; & ſi Archivum, ſeu Scrinium ejusmodi erit aperiendum, clavium Cuſtodes ipſi compareant: alterum vero exemplum, Vicariarum, Beneficiorum, & Officiorum Poſſeſſores ſibi reſervent, illudque quotannis Decano, & Capitulo Eccleſiæ ſuæ, nec non deputatis a Nobis Viſitatoribus, tempore ab iis præfigendo, addito noviſſimo, & legali ſtatu bonorum dictarum Vicariarum, Beneficiorum, & Officiorum præſentare, illosque indices authenticos Succeſſoribus ſuis gratis relinquere, & in teſtamentis ſuis, ut ab Executoribus ſuis iisdem fideliter tradantur, ſerio cavere teneantur. Ubi mentionatæ literæ, monimenta, ſeu documenta vetuſtate nimia corrupta ſunt, expenſis Vicariorum, Beneficiatorum, & Officiatorum deſcribantur: ubi nulli, aut imperfecti exiſtunt indices, ſtatim perficiantur.

§. II.

(p) Cap. 5. (q) Seſſ. 22. de Refor. c. 11. (r) Seſſ. 25. de Refor. c. 12.

§. II. *Beneficium etiam non curatum in Ecclesia Parochiali adepturus, Archi-Diacono, vel Decano Rurali reddituum sui Beneficii indicem tradat.*

Quemadmodum promotus ad Pastoratum, antequam ejus possessionem adeat, vel curam animarum suscipiat, inter alia se Archi-Diacono, vel Decano suo Rurali, intra certum tempus descriptionem omnium bonorum, fructuum, reddituum, proventuum, jurium, & emolumentorum universorum ejusdem sui Pastoratus, nominatis in ea hypothecis, limitibus, & terminis, traditurum jurare obligatur; ita quoque deinceps quodcunque Beneficium non curatum in Ecclesia aliqua parochiali adepturus, intra annum post apprehensam possessionem Archi-Diacono, vel Decano Rurali, cujus visitationi subest, plenam & perfectam descriptionem omnium bonorum, & redditum ejusdem sui Beneficii, adjecta hypothecarum, limitum, & terminorum designatione tradet, & idipsum se præstiturum jurabit, antequam ad possessionem admittatur.

§. III. *Indici addantur onera, quibus Beneficia gravantur.*

Ne Ecclesiastica bona annuis censibus, aliisque oneribus gravata, defectu solutionis ipsorum Beneficiatorum culpa deperdantur; omnes, & singuli quotquot Beneficio curato, vel non curato gaudent, vel gaudebunt, dum Archi-Diacono, vel Decano bonorum, & proventuum ad sua Beneficia spectantium indicem tradunt, censuum, & aliorum quorumcunque onerum descriptionem addant. Quin & onera, quibus bona Beneficiorum gravata sunt, persoluta esse tempore visitationis, apochis exhibitis, vel aliis idoneis testimoniis docebunt.

§. IV. *Indicem acceptum Archi-Diaconi, & Decani Rurales mittant Archi-Episcopo.*

Singuli Archi-Diaconi, & Decani Rurales, indice accepto, eundem describi faciant, & pro sua informatione retineant, copiamque authenticam ejusdem, adjuncta specificatione onerum, ad quæ Beneficiati tenentur, Nobis transmittant.

§. V. *Indices imperfecti perficiantur cum specificatione hypothecarum.*

In Collegiis, Ecclesiis, aliisque locis piis, ubi vel nulli, vel minus perfecti fundationum, bonorum, & redituum reperiuntur indices, iidem conficiantur, aut perficiantur: in quibus non tantum numerus, & descriptio agrorum, seu terrarum arabilium, pratorum, sylvarum, hortorum, vivariorum, & cæterorum emolumentorum specificetur, & hypothecæ quoque censuum, & redituum, una cum earundem possessoribus, limitibus pariter, & terminis exprimantur; ubi vero indices, seu registra quidem sunt, sed a decem, vel quindecim annis legitime non renovata, intra proximum annum debite renoventur.

§. VI. *Fiat quoque mentio, unde obligatio solvendi reditus oriatur, & specificentur anni elocationis.*

Ut a Majoribus in pios usus donata conserventur, & necessarium non sit post obitum Beneficiatorum novas designationes redituum ex aliorum dictis, & depositionibus conficere, antiquis indicibus, & monimentis vel deperditis, vel fraudulenter suppressis: Pastores, Vice-Pastores, & quotquot Beneficia & Officia Ecclesiastica possident, conficiant libellos, in quibus annuos proventus annotent, causasque obligationum & contractus, vigore, quorum reditus recipiunt, adscribant: annorum quoque numerum, præsertim quoad bona, quæ ad longum tempus elocata sunt, adjungant. Libelli hi ab Archi-Diaconis, Decanis, aliisque Visitatoribus nostris lustrentur, ac Successoribus relinquantur.

§. VII. *Ecclesiastici Testatores Ecclesiasticum nominent Executorem.*

Ut conservationi monimentorum, & indicum ad Ecclesias, Vicarias, aliaque Beneficia, & Officia Ecclesiastica spectantium magis sit prospectum, omnes Ecclesiastici semper aliquam personam Ecclesiasticam in Executorem sui testamenti nominent, alioqui Archi-Episco-

Episcopali nostra authoritate per nostrum Officialem Executor Ecclesiasticus deputetur.

§. VIII. *Pastores jura sua diligenter exigant.*

Curent Pastores, Vice-Pastores, Custodes, & qualescunque Ecclesiarum Ministri, ut antiqua, & consueta jura a parochianis, aliisque debita persolvantur: utque iis in locis, ubi populus a solutione tali præstanda, negligentia Pastorum, seu Vice-Pastorum, aut alia de causa desuevit, ad veterem consuetudinem, implorato, si opus fuerit, brachio sæculari, revocetur.

§. IX. *Et quidem in natura, vel vero valore.*

Ne porro his juribus ex modo solutionis aliquid decedat; census, ac reditus quorumcunque frumentorum, leguminum, vini, olei, ceræ, pullorum, caponum, anserum, & similes Collegiis, Beneficiis, fabricis Ecclesiarum, mensis pauperum, ac quibuscunque piis locis debiti in natura quotannis, aut saltem in pecunia juxta verum valorem persolvantur: quos absque nostro, nostrive Officialis Decreto, & causa prius mature examinata redimi nolumus, redemptiones aliter factas nullas declarantes. Quoad decimas autem, ne loca, termini, & jura earum deperdantur, aut saltem obscurentur, Pastores, Vice-Pastores, & omnes, qui eas ab Ecclesia acceptas possident, omnino advigilent, ut illæ curru decimali circumeunte colligantur, & a contractibus, per quos collectioni ejusmodi præstatur impedimentum, omnino abstineant.

§. X. *Bona caduca Beneficiis Ecclesiasticis maneant.*

Si bonorum ad parochiales Ecclesias, aut quæcunque Beneficia, sive Officia Ecclesiastica pertinentium directum dominium, ob neglectam solutionem Canonum, vel alias in jure fundatas causas, cum utili consolidetur, Pastores, Vice-Pastores, Beneficia, vel Officia Ecclesiastica possidentes, illa nullatenus sibi approprient, aut de iis disponant; sed ipsis Ecclesiis, Beneficiis aut Officiis acquisita maneant; contrafacientes arbitrio nostro punientur, & ab illorum detentoribus, tanquam bona Ecclesiastica injuste detinentibus, vindicabuntur.

§. XI. *Reductio fundationum, a quo fieri debeat.*

Piæ fundationes ad certos, & determinatos usus factæ, aliis etiam piis usibus per Administratores earum propria authoritate non applicentur: sed si quæ ob earum tenuitatem, juxta voluntatem Fundatorum impleri nequeant, ideoque reductione opus sit, vel bona illarum ad alios meliores, aut magis necessarios usus converti expediat, ad sanctam Sedem Apostolicam, aut Nos, juxta sacros Canones recurratur.

CAPUT III.

§. I. *Elocatio bonorum Ecclesiasticorum, ad quot annos fieri debeat.*

CUm diuturna observantia compertum sit, quantum Ecclesiis detrimenti locatione rerum Ecclesiasticarum ad longum tempus inferatur: statuimus, ut decimæ Capitulorum, Collegiorum, Monasteriorum, aliorumque piorum locorum, vel Beneficiorum Ecclesiasticorum, ultra sexennium; curtes vero, ac terræ arabiles ultra novennium, seu ut in his regionibus, ab immemorabili tempore fieri consuevit, ad annos duodecim, ita tamen, ut utrique parti singulis respective trienniis, & sexenniis permissum contractui renuntiare, non elocentur.

§. II. *Elocatio fiat plus offerenti & petita cautione.*

Bona ad Capitula, Monasteria, Pastoratus, Capellas, aliaque Beneficia Ecclesiastica, nec non fabricas Ecclesiarum, mensas pauperum, aliasque pias fundationes, ac pia loca spectantia, post tres promulgationes debite factas, publice, & secundum æquitatem plus offerenti, petitaque idonea a conductoribus cautione, elocentur. Sin publicam elocationem propter collusionem incolarum loci, vel ob aliam justam causam, elocantibus fore damno verosimiliter appareat, omissis pro-

mulgationibus, bona poterunt elocari; non minoris tamen, quam bona vicina ejusdem naturæ, & conditionis elocantur, nec aliter, quam accepta idonea cautione.

§. III. *Elocationes anticipatis solutionibus non fiant.*

Elocationes bonorum quorumcunque Beneficiorum Ecclesiasticorum anticipatis solutionibus nunquam fiant: & si quæ fuerint factæ, easdem nullas & irritas, nec Successores ullatenus obligare, etiamsi quocunque privilegio, vel indulto fulciantur, juxta Concilii Tridentini Decretum (s) declaramus; vetamusque, ne ulli Ecclesiastici pendentes Beneficiorum fructus, aut proventus currentes quovis colore, vel causa vendant, aut elocent, nisi dilata in tempus, quo fructus erunt a solo separati, aut annus cessit, solutione, ne iisdem cedentibus, aut decedentibus Successores illis priventur, & Ecclesia debitis muneribus destituatur.

§. IV. *Neque ea conditione, ut statim notabilis summa solvatur.*

Abusus est nullatenus tolerandus, quod subinde Ecclesiastici Beneficiorum suorum bona ad multos annos exigua pensione elocant, ea conditione, ut statim conductor notabilem summam pecuniæ solvat; quæ elocationes cum in maximum præjudicium Successorum cedant, si currentibus earundem annis elocatores moriantur; hæredes ipsorum ad restitutionem pecuniæ anticipatæ, juxta proportionem annorum cessorum teneri declaramus.

§. V. *Omnis occasio perpetuarum elocationum vitetur.*

Improbamus pariter, & prohibemus a nonnullis fieri solitas elocationes, cum facultate conductoribus data in fundis conductis ædificandi & plantandi ea conditione, ut finitis elocationis annis ædificata, & plantata per peritos æstimentur, conductoribus pretium restituatur, aut elocationis terminus producatur: illæ siquidem causam perpetuarum elocationum sæpissime præbent, & in gravissimum damnum Successorum vergunt.

§. VI. *In locum arborum cæduarum aliæ plantentur.*

Demum universis Parochis, Vice-Parochis, aliisve Beneficiatis mandamus, ut in locum arborum cæduarum, quæ vel vetustate, vel aliter pereunt, aut debito tempore cæduntur, alias plantari faciant: arbores vero non cæduæ, absque speciali nostra, nostrive Officialis licentia non cædantur, pretiumque inde proveniens ad augmentum, & utilitatem Beneficiorum, aut refectionem ædificiorum eorundem applicetur; & in locum earum aliæ plantentur.

TITULUS XIII.

De bonis fabricæ Ecclesiarum, & mensæ pauperum.

CAPUT I.

§. I. *Fabricæ Ecclesiarum, aliisque piis locis quinam præficiendi.*

Fabricæ Ecclesiarum, mensæ pauperum, Xenodochiis, aliisque piis locis Magistri, Provisores, atque Administratores viri Catholici, providi, idonei, ac boni testimonii, quique domui suæ bene præesse sint comperti, qui sciant, velint, valeantque loca ipsa, bona eorum, ac jura, instar Tutorum, & Curatorum conservare, præficiantur; non prodigi, lusui, ac compotationibus dediti, nullatenus autem hæretici, vel de hæresi suspecti. Teneantur iidem singulis annis (t), vel saltem ubi tenuiores sunt proventus, singulis bienniis, Archi-Diacono, Decano Rurali, aut saltem Pastori, seu Vice-Pastori loci, tanquam nostris hac in parte deputatis; rationes accuratas receptorum & expositorum ad Archivum Ecclesiæ reponendas, una cum exacta redituum non solutorum designatione reddere. Omni decennio sigillatim limites agrorum, terrarum arabilium, pratorum, sylvarum, & bonorum ad pia loca pertinentium exprimantur; addaturque designatio fundorum, & ædium oppignoratarum Ecclesiæ,

(s) Trid. Sess. 25. de Reform. cap. 11.

(t) Trid. Sess. 25. de Reform. cap. 8. & 10.

clesiæ, ædiumque & fundorum iisdem adsitorum, & vicinorum; ante administrationem etiam coram Pastore, vel Vice-Pastore jurent se fideliter, & utiliter officio suo functuros. Insuper Magistri fabricæ Ecclesiarum, Administratores Hospitalium, mensæ pauperum, similiumque fundationum Curatores, cautionem ad minus fidejussoriam proportionatam reditibus per ipsos administrandis, præstent, nisi aliud, attenta qualitate personarum, Archi-Diaconis, Decanis Ruralibus, aut Pastoribus visum fuerit.

§. II. *Duo sint Administratores, nec ultra biennium maneant.*

Duo sint eodem tempore ejusmodi bonorum Ecclesiæ Administratores, alter Magister fabricæ, alter Provisor mensæ pauperum, & Sodalitatum, nec ultra biennium, nisi rursus legitime electi juramentum renovent, in officio continuentur.

§. III. *Pro restantibus reditibus certus Receptor deputetur.*

Ad emonendos a multis annis restantes reditus a Pastore, vel Vice-Pastore, Magistris fabricæ, & Provisoribus mensæ pauperum, constituatur specialis Receptor, qui erga condignam mercedem eosdem diligenter exigat, & colligat, desuperque rationes reddat.

§. IV. *Stato tempore rationem non reddentes, mulctentur.*

Certi quoque dies ad audiendas rationes constituantur, in quibus ad easdem reddendas obligati in loco destinato compareant, & computus exhibeant sub pœna duorum florenorum aureorum.

§. V. *Computationibus ad minimum adsit Pastor.*

Archi-Diaconi, Decani Rurales, vel saltem Pastores loci, non tantum fabricarum, & mensarum pauperum, sed etiam Hospitalium, domorum orphanorum, Confraternitatum, ac quorumcunque locorum piorum rationibus intersint; (u) an reditus diligenter emoneantur, & bona fideliter administrentur, observent.

CAPUT II.

§. I. *Provisoribus quænam observanda.*

Quoniam bona Ecclesiarum, mensæ pauperum, Sodalitatum, aliorumque piorum locorum merito omni solicitudine conservanda sunt, idcirco quæcunque circa censuum, ac proventuum Ecclesiasticorum venditiones, solutiones, elocationes mandavimus observari, ad eadem observanda Magistros fabricarum Ecclesiæ, provisores mensarum pauperum, administratores bonorum sodalitatum, & ejusmodi locorum piorum obstringimus.

§. II. *Quænam ab iis procuranda.*

Meminerint Magistri fabricæ suarum esse partium, omnes census, ac reditus fabricæ Ecclesiæ diligenter exigere, colligere, recipere, fideliterque expendere; Ecclesiæ, turris, campanarum, sacrorum vasorum, ornamentorum, instrumentorum, ac vestium, aliarumque rerum, præcipue ad fabricam pertinentium curam habere; nullas autem Magistri fabricæ vendant, cædant, multo minus donent arbores, vel in privatos usus convertant ex sylvis, cœmeteriis, aliisve locis Ecclesiæ, sub pœna restitutionis quadrupli, & alia arbitraria; si vero eas cædi necessitas exigat, vel evidens Ecclesiæ utilitas suadeat, pretium earundem, addito die, anno, & causa venditionis rationibus inseratur.

§. III. *Lis nulli, inscio Parocho, intendatur.*

Processum nullum Ecclesiam, vel ejusdem bona concernentem Magistri fabricæ Ecclesiarum, seu Provisores mensæ pauperum, absque Pastorum, Vice-Pastorum, & Primariorum loci virorum consilio, consensuque incipiant.

§. IV. *Eleemosynæ quando, & quibus dandæ.*

Eleemosynæ, ac proventus mensarum pauperum, vere pauperibus, ac pro-

(u) Trid. sup. cit.

probis, ordinatis diebus, maxime Dominicis, ac Festivis post summum Sacrum, & Concionem, quibus omnes intersint, distribuantur; ante Festum vero Nativitatis JESU CHRISTI, & paschæ Provisores mensæ pauperum nomina eorundem Pastoribus, seu Vice-pastoribus exhibeant, ut in ipsorum vitam, ac mores, & an præcepto Ecclesiæ de Communione paschali satisfecerint, inquirant: in distribuendis siquidem eleemosynis non tantum inopiæ, sed vitæ etiam, ac morum ratio habenda est.

§. V. *Ad Hospitalia quinam non sint admittendi.*

Hospitalia, in subsidium peregrinorum erecta, histrionibus, aleatoribus, aliisque id genus hominibus non pateant; nec in iis viri cum fœminis versari permittantur, etiamsi se Matrimonio conjunctos esse asseverent: quia sub hoc colore Hospitalia sæpe in lupanaria fuisse conversa, deprehensum est.

§. VI. *In pauperibus alitur Christus.*

Quicunque locorum piorum administrationem, procurationemve suscipiunt, geruntque, illud in primis cogitare debent, se ad curam pauperum, pupillorum, viduarum, senum, ægritudine laborantium, peregrinorum, & aliorum aliena ope indigentium diligentissime, & patientissime sustinendam obligari, Christumque in extremo judicii die rigidissimam desuper rationem exacturum, misericordiam, operam, opem, beneficia & officia illis collata liberalissime quasi sibi facta remuneraturum; molestias autem, & injurias iisdem illatas, malamque redituum in ipsorum usus destinatorum administrationem severissime puniturum.

TITULUS XIV.

De sententia Excommunicationis.

CAPUT I.

§. I. *Excommunicationis effectus a sæcularibus non impediatur.*

CUm excommunicationis gladius, veluti Ecclesiasticæ disciplinæ nervus, a Christo Ecclesiæ concessus sit (x), quo contumaces & rebelles a Sacramentorum administratione, perceptione, & Christi fidelium communione separantur, indignum est, & plane intolerandum, laicos quosdam Magistratus Judicibus Ecclesiasticis quoad usum jurisdictionis hujusmodi obicem nonnunquam ponere, & injicere impedimenta: quos proinde sub obtestatione Divini judicii districte monemus, & hortamur, ut quæ in vindictam, & correctionem iniquitatum ab Ecclesiasticis legitime decernuntur, neque impediant ipsi, neque ab Officialibus, & Ministris suis impediri, aut convelli patiantur; quin potius eadem sæcularis brachii subsidio promoveant, ac tueantur.

§. II. *Censura circumspecte feratur.*

Judex vero Ecclesiasticus cum parce admodum, caute, & circumspecte, excommunicationem in eos duntaxat, qui aliis opportunioribus juris mediis corrigi nequeant, ferre debeat: eapropter Decreto Concilii Tridentini (y) inhærentes, prohibemus omnibus, & singulis Judicibus Ecclesiasticis, ne facile, aut leviter hoc spirituali gladio, sed aliis, sicubi commode fieri poterit, tum in procedendo, ac definiendo, tum exequendo juris remediis utantur. Nam sicut ægra membra, tunc demum a sano sunt corpore resecanda, cum corporis saluti alia ratione consuli non valet; ita anathematis gladio nemo a corpore Ecclesiæ est præcidendus, quamdiu aliis sanari remediis potest.

§. III. *Excommunicati monendi, ut resipiscant.*

Et quia sententia excommunicationis in quemquam ferenda non est, ut pereat, sed ut pœnitentia ductus emendetur; Pastores, Vice-pastores, & Concionatores anathematis vinculo ligatos serio admoneant, ut habita salutis suæ ratione resipiscant, & corpori, a quo sua culpa sunt præcisi, præstita satisfactione, & emendatione restituantur. Si qui vero pertinaces per integrum annum in excommunicatione insorduerint, tanquam Ecclesiasticæ potestatis

(x) Trid. Sess. 25. de Reform. cap. 3.

(y) Cap. 3. cit.

ſtatis contemptores, de hæreſi ſuſpecti habeantur.

CAPUT II.

§. I. *Modus excommunicandi præſcriptus a Canonibus eſt obſervandus.*

POrro modum excommunicandi a Canonicis Sanctionibus præſcriptum norint Judices, qui ea poteſtate pollent. Paſtores autem ſingulis diebus Dominicis, dum populus frequens ad Divina confluit, ſi qui ſint per ſententiam a reliquorum communione præciſi, eosdem clara voce nominent, obligationemque ipſorum converſationem vitandi ſignificent, ut hoc etiam adhibito remedio citius ſeſe Eccleſiæ reconciliare ſatagant; erubeſcunt enim vel maxime ab Eccleſiæ communione præciſi, dum ſe tanquam bonorum congreſſu, & convictu indignos ab omnibus vitari vident.

§. II. *Publice denunciati a Chriſti fidelibus vitentur.*

Omnes, & ſinguli Chriſti fideles juxta Canonicas, & Apoſtolicas Sanctiones a conſortio per Eccleſiaſticam ſententiam publice denunciatorum abſtineant, omnemque eorum converſationem devitent; (z) ſicut & illorum, qui ob Clerici manifeſtam percuſſionem ſimilem cenſuram incurrerunt. Qui vero ab eorum ſocietate & familiaritate ſe continere noluerint, tanquam manifeſte criminis fautores ſevere puniantur.

§. III. *Excommunicati non abſolvendi, niſi a Judice, vel ejus Superiore.*

S. CALISTUS Papa & Martyr (a) non tantum vetuit communionem cum excommunicatis, ſed & eorum quemquam abſolvi, niſi cauſa cognita parti læſæ fuerit ſatisfactum. Quare abſolutio ab excommunicatione non niſi a Judice, qui ſententiam tulit, vel a Superiore ejus concedi poteſt: præterquam in mortis articulo, quo permittitur cuivis Sacerdoti facultas abſolvendi ab omnibus criminibus, & cenſuris, etiam Apoſtolicæ Sedi reſervatis, dummodo abſolvendus habeat propoſitum ſyncerum, quod, ſi priſtinæ ſanitati reſtituatur, in contumacia nolit perſiſtere, & tam Judici, quam parti læſæ intra menſis ſpatium ſatisfacere.

TITULUS XV.

De Viſitatione Eccleſiarum & perſonarum.

CAPUT I.

§. I. *Vita mala Eccleſiaſticorum Eccleſiæ Dei valde pernicioſa eſt.*

SI attentius conſideretur, unde fidei corruptio, pietatis tepor, morum & diſciplinæ diſſolutio in Eccleſiam Dei irrepſerit, id vel inde potiſſimum proceſſiſſe apparebit, quod illi, qui (ut INNOCENTIUS III. Pontifex (b) illos appellat) in ſortem, ſive hæreditatem Domini ſunt adſciti, a vitæ, & vocationis ſuæ tramite deviantes fiant filii, qui ſuam matrem iniquitatis ſuæ armis impugnant.

§. II. *Hinc frequentes Viſitationes inſtituendæ.*

Quibus malis eradicandis nullum efficacius poteſt adhiberi remedium, quam quod & antiqua Concilia ordinarunt, & Sacroſanctum Oecumenicum Tridentinum (c) ſaluberrime præſcripſit, crebra ſcilicet Eccleſiarum viſitatio.

§. III. *Quid ante viſitationem Epiſcopalem a Decanis Ruralibus præſtandum.*

Quæ ut majori cum fructu inſtituatur, Decani Rurales, vel illi, quibus id muneris delegatum fuerit, antequam Epiſcopus viſitationem incipiat, aliquot diebus præcedant, parochias viſitandas luſtrent, viamque minoribus ac levioris momenti cauſis diſcuſſis præparent (d), ne Epiſcopus, ſeu ab eo deputati Viſitatores ſimilibus negotiis detineantur, & diutius hærere cogantur; ſed ubique locorum viſitatio.

(z) C. Si quis ſuadente 17. q. 4. (a) C. Excommunicatos 11. q. 3. c. 25. de Appellat. c. 23. de V. S. (b) C. Cum ſecundum. de Præbend. (c) Seſſ. 24. de Refor. c. 3. (d) Statuta Adolphi III. pag. 474. §. Verum cum latiſſima ſit.

sitationem expedite peragere, & absolvere possint.

§. IV. *Visitatores visitandis exemplo bono præluceant.*

Cum nihil potentius sit exemplo, vitaque laudabilis efficacior sit, quovis de virtute sermone, præsertim in iis, qui præsunt; (*e*) integritas enim præsidentium salus est subditorum, & eorum tanta communiter apud subditos est authoritas, ut etiam ipsorum vitia imitentur, idcirco ne Visitatores, dum subditis nostris debent exhibere medicamenta salutis, lethalia venena propinent, prius domos suas reforment, mores & vitam ad sacrorum Canonum, Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum, & Decretorum Synodalium præscripta componant: *Si quis* enim *domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit* (*f*), inutilibus sumptibus per Visitandos subministrandis nemini graves sint, sed contenti modico famulitio studeant, quam celerrime, debita tamen cum diligentia visitationes absolvere, (*g*) neque ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causa pro visitatione accipiant, multo minus exigant.

CAPUT II.

§. I. *Quid Visitatoribus observandum sit.*

DEcani Rurales, aliique authoritate nostra deputati Visitatores (*h*), assumpto Notario, qui Sacerdos sit, aut saltem Clericus non conjugatus, parochias suorum districtuum, aut ad Visitandum a Nobis ipsis commissas, cum Capellis, Xenodochiis, Hospitalibus, & Confraternitatibus solertissime perspiciant, de fide, vita, moribus, doctrina, & administratione Parochorum, Vice-parochorum, Vicariorum, Capellanorum, aliorumque Beneficiatorum, nec non Magistrorum fabricæ Ecclesiarum, Ædilium, provisorum Hospitalium, ac mensarum pauperum, Ludimagistrorum, & Custodum, reliquorumque incolarum diligentissime disquirant, errores, vitia, & crimina corrigant & evellant, eorumque loco virtutes, ac bonos mores inducant, inferant, & promoveant, paternaque charitate & Christiano zelo omnes amplectantur, aliud nihil, quam DEI honorem, & lucrum animarum quærant, omniaque exactissima cura peragant propheticæ comminationis memores: *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter.* (*i*)

§. II. *Quid Visitatoribus investigandum.*

Archi-Diaconi, Decani, Commissarii & alii Visitatores nostri exacte investigent (*k*), num Pastores, Vice-Pastores, eorumque Vicarii, Sacellani, Capellani & Adjutores, quibus animarum cura incumbit, pro verbo Dei prædicando, Confessionibus excipiendis, aliisque Sacramentis Ecclesiasticis ministrandis authoritate nostra juxta Concilii Tridentini, & Summorum Pontificum Sanctiones examinati, & approbati, Fideique professionem fecerint.

§. III. *Super quibus ulterior specialis inquisitio facienda.*

Inquirant speciatim, an Pastores, & Vice-pastores, ac reliqui Sacerdotes, & Ministri Ecclesiarum honeste vivant, an singuli, ad quos Sacramentorum administratio, & animarum cura spectat, in Parochiis suis resideant, ac pernoctent, utrum pastoralia munia per semetipsos diligenter obeant, Dominicis ac Festis fori diebus Catecheticam lectionem servent, juventutem etiam extra Catechesin instruant, verbum Dei cum fructu parochianorum prædicent, Missæ Sacrificium frequenter offerant, Sacramenta sedulo administrent, & ægros visitent, an quacunque diei, ac noctis hora ad Sacramenta animarum saluti necessaria ministranda requisiti, statim se paratos ac promptos exhibeant, neque prætexendo horam importunam, tempus intempestivum, aut aliam occupationem tergiversentur, aut ob convivium se excusent, an ipsorum negligentia parochiani

(*e*) Conc. Trid. Sess. 6. de Reform. c. 1. Conc. Prov. Colon. sub Hermanno V. Part. 14. c. 4. pag. 405. (*f*) 1. Tim. 3. ℣. 5. (*g*) Conc. Trid. Sess. 24. de Refor. c. 8.
(*h*) Conc. Trid. Sess. 7. de Reform. c. 8. Sess. 21. de Reform. c. 8. Sess. 22. de Reform. c. 8.
(*i*) Jeremiæ 28. ℣. 10. (*k*) Conc. Prov. Colon. Part. 14. pag. 405. cap. 9.

ni absque Baptiſmo, Confeſſione, ſacro Viatico, aut Extrema Unctione ex hac vita migraverint, an piis Teſtatorum voluntatibus, fundationibus, legatis, eleemoſynis, & oneribus Parochiarum, Beneficiorum, & Officiorum Eccleſiaſticorum ſatisfiat: advertant etiam, utrum Eccleſiæ, vel domus Paſtorales, vel Sacellanorum reparatione egeant, an cœmeteria bene occluſa ſint; neque Sacramentalium ornamentorum, ſacræ ſupellectilis Eccleſiarum, & Scholarum viſitationem prætermittant; accurate pariter attendant, an Synodalia noſtra Decreta & Statuta obſerventur.

§. IV. *Major pars diſtrictus ad minimum ſingulis annis viſitetur.*

Quamvis deſiderandum foret, ut in ſingulis diſtrictibus viſitationes annue inſtituerentur: ſi tamen latitudo diſtrictus idipſum non permittat, Decani Rurales ſaltem majorem partem viſitando abſolvant, & reliquam ſubſequenti anno viſitent; (*l*) acta autem cujusque viſitationis nitide, ac correcte deſcripta ad Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem in Spiritualibus intra menſem, a die abſolutæ viſitationis computandum, transmittant, ut non tantum Eccleſiarum ſtatum cognoſcamus, ſed & collapſa erigere, vitioſa emendare, deformia nitori ſuo reſtituere poſſimus.

§. V. *Dies ad viſitandum deputatus notificetur.*

Ut autem tam utile, & neceſſarium opus accuratiori diligentia peragatur, (*m*) Viſitaturus Parochiam aliquam, diem viſitationi deſignatum, & adventus ſui Paſtori, ſeu Vice-Paſtori Eccleſiæ viſitandæ notificet, moneatque, ut omnibus, & ſingulis ad Parochiam ſpectantibus viſitatio promulgetur, precesque ad Deum fundantur, ut viſitatio ad honorem, & gloriam Omnipotentis, fidelisque populi ſalutem cedat.

§. VI. *Paſtor Viſitatorem in Eccleſia exſpectet.*

Paſtor, ſeu Vice-Paſtor præſtituta viſitationis hora in Eccleſia cum Beneficiatis, Cuſtode, Ludimagiſtro, Ædilibus, Magiſtro fabricæ Eccleſiæ, Proviſore menſæ pauperum, & Scabinis Synodalibus compareat, claves tabernaculi ſanctiſſimi Sacramenti, ſacrorum Oleorum, Baptiſterii, ſacrarum Reliquiarum, Sacriſtiæ, Capellarumque, ſi quæ ſint, paratas habeat, ibidemque Viſitatoris adventum præſtoletur.


§. VII. *Viſitationi invocatio Spiritus Sancti præmittatur.*


Viſitator ingreſſus Eccleſiam viſitandam, ſacro Miſſæ Officio celebrato, Spiritus ſancti gratiam invocet; quo peracto materialem viſitationem incipiat, & deinde ad perſonalem (*) juxta formam, quam imprimi mandavimus, & accuratiſſime obſervari volumus, procedat, omnique diligentia eo collimet, ut viſitatio ad majorem DEI gloriam, extirpationem vitiorum, eradicationem abuſuum, reformationem Eccleſiaſticorum, & Eccleſiæ Miniſtrorum, fidelisque populi ædificationem vergat, prout in Domino confidimus, & optamus. (**)

FINIS TOMI IX. CONCIL. GERMAN.

ADNO-

(*l*) Concil. Trid. Seſſ. 24. de Reformat. cap. 3.
(*m*) Concil. Provinc. Colon. ſub Hermanno V. Part. 14. c. 7. pag. 405.
(*) *De utraque Viſitatione actum h. Tom. a pag.* 682.
(**) *Uberior Collectio Titulos habet Part.* 3. *XVII. quos inter Titulus V.* de triplici Vicario Generali & cujusque officio ac poteſtate: *item Titulus IX.* de Juramentis & Statutis Eccleſiarum.





ADNOTATIO AD LECTOREM.

Supereſt Tomus X. & is ſupremus, quem priorum rurſus Tomorum ad normam exigendum, digerendumque, hæ cum Prolegomenis partes component:

I. Explanatio Hiſtorica de Epiſcopatibus in Germania a Sæculo XVI. ſuppreſſis, novisque dein erectis, ad Chartam Chorographicam modernæ Germanicarum Eccleſiarum Hierarchiæ.

II. Synodi ex Hartzhemianis Collectis reliquæ.

III. Omiſſarum breve Supplementum.

IV. Index Statutorum omnium, in tota hac Collectione contentorum, *Tom. VI. pag.* 814. promiſſus.

Hæc Te, benevole Lector, ſcire volui.

Fave & Vale.



